


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
10 C
8

POSTILLÆ SIVE CONCIONES

REVERENDI PATRIS D. IOANNIS FERI,
Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntiæ concionatoris absolutissimi, in Euangelia & Epistolas, quæ à die Paschæ, ad Aduentum vsque, Dominicis diebus in Christi Ecclesia recitantur,

Iam primùm latinitati donatæ, per M.
IOANNEM GVNTHERVM.

Quibus in concionibus & Euangelicæ veritatis, & totius Christianæ religionis doctrina continetur.

PARS SECVNDA.





LVGDVNI,
Apud hæredes Iacobi Iuntæ,
M. D. LVIII.
Cum priuilegio Cæsareæ Maiestatis, & Gallorum Regis.

ENRY par la grace de Dieu Roy de France, Au Preuoſt de Paris, Baillifz de Rouen, Orleans, Seneſchaux de Tholoſe, Lyon, Poictiers, & à tous noz autres iuſticiers & chacun d'eux comme à luy appartiendra ſalut & dilection. Nous auons receu l'humble ſupplication de noz bien aimez les heritiers de Iaques Iunte & Arnoul Birkmant marchans libraires, contenant qu'ilz auroient puis n'agueres fait voir par les docteurs de la faculté de Theologie en noſtre ville de Paris, deux liures, l'vn intitulé, *Poſtillæ Feri, Secunda pars*: Et l'autre intitulé, *Precationes Feri*, ainſi qu'apert par l'atteſtation deſditz docteurs, cy attachee ſouz noſtre contre ſeel. A quoy ilz auroient fait pluſieurs grans fraiz. Pour recompenſe deſquelz ilz nous ont treshumblement fait ſupplier leur vouloir permettre imprimer leſditz liures, & ſurce leur ottroyer noz lettres de grace, permiſsion & priuilege. Parquoy ayans eſgard aux grans fraiz à ce que dit eſt, ſouſtenuz par leſditz ſupplians. A iceux pour ces cauſes & autres bonnes conſiderations à ce nous mouuans, auons permis & ottroyé, permettons & ottroyons, voulons & nous plaiſt que pendant & durant *le temps & terme de neuf ans entiers & conſecutifz*, ilz & chacun d'eux puiſſent & leur loiſe imprimer & expoſer en vente leſditz liures intitulez, *Poſtillæ Feri, Secunda pars*, & *Precationes Feri*. A commencer du iour de la premiere impreſsion d'iceux: Sans que pendant ledit temps aucuns autres Libraires, Imprimeurs ne autres, les puiſſent imprimer ne expoſer en vente en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, ſans le congé, permiſsion & licence deſditz ſupplians ſur peine de confiſcation deſditz liures & d'amende arbitraire enuers nous & leſditz ſupplians. Si vous mandons, commandons & treſexpreſſement enioignons par ces preſentes, que de noz preſens priuilege, ottroy & permiſsion vous faites pendant *ledit temps de neuf ans* leſditz ſupplians iouyr & vſer pleinemẽt & paiſiblement, ceſſans & faiſans ceſſer tous troubles & empeſchemẽs au contraire, car tel eſt noſtre plaiſir. Nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques. Pour leſquelles & ſans preiudice d'icelles, ne voulons eſtre aucunement differé. Donné à Paris, le xvij. iour de Ianuier, L'an de grace, Mil cinq cens cinquante ſept, Et de noſtre regne l'onzieme.

Par le Roy, maiſtre Iean Nicot, maiſtre des Requeſtes de L'hoſtel preſent.

De Vabres.

Et ſeellé à ſimple queuë de Cire iaune.

REVEREN-
DISSIMO IN CHRI-
sto Patri, ac Domino, Domino Danieli, Sanctæ sedis Moguntinæ Archiepisco-po, Sacri Romani Imperij per Germa-niam Archicancellario, & Electori, &c. Domino & Principi suo clementissimo.



VM Beatus Paulus, Reuerendis-
sime in Christo pater, Clementis-
sime Princeps ac Elector, vas ele- *Act. 9.*
ctum Dei Opt. Max. & summus
Doctor Gentium, Ecclesias suas
in Macedonia, Græcia, Syria, &
Asia peragraret, inspiceret, & suos ad fidei constan-
tiam hortaretur, (vtpote Hierosolymam reuersu-
rus, nec posteà in illorum ampliùs conspectum vē-
turus erat, quippè ei propter regnū Christi iam oc-
cumbendum & moriendum) refert nobis historia
Actuum Apostolorum, eum nuncios è Mileto Ephe
sum misisse, atque isthinc omnes seniores, nimirum
Episcopos, Pastores, & Ecclesiarum Antistites, ad *Act. 20.*
se accersiuisse, intérque cætera ad eos dixisse, dili-
genti in posterum studio, cùm super se, tum super
grege suo, curam agerent, & vigiles ac intentos o-
culos haberent: quandoquidem Spiritus sanctus,
elegisset ipsos, è grege, & Episcopos constituisset
vt sibi Ecclesiam suam sacratissimo Christi Domi-
ni sanguine emptam: rectè benéque regerent, & sa-
na bonáque doctrina pascerent & educarent. Idque

propterea, quia diuino præditus numine, non ignorabat fore, post obitum suum, vt multi graues lupi & Pseudoprophetæ orirentur, qui Christifidelibus non parcentes hominibus, lethiferis sectarum suarum dogmatibus, eos seducere, & contagiosis opinionibus, eorum animos corrumpere, fraudulenta machinatione adniterentur. Hanc, inquam, animarum curam, Reuerendissime in Christo Archipræsul, Clementissime Princeps, ac Elector, Diuus Paulus suis Episcopis & Pastoribus gerendam, vnicè cõmisit, postremùm ab eis vltima vitæ suæ die iam impendente, discedens & profectionem parans. Et sanè non immeritò: nam hac in parte Christum Dominum secutus est, qui ante suam in cœlum ascensionem, Apostolis fidelium cõgregationem similiter cõmendauit, ter dicens ad Petrũ, Principem Episcoporũ & caput Ecclesiæ, si se verè & intimè diligeret, vt sibi oues suas, nimirũ iuxta modò cõmemoratũ Pauli mãdatũ cũ integritate fidelitatéque, hoc est, in diuino verbo deuotè confirmaret & aleret. Quanquam verò Christus Iesus, noster mundique redemptor, præter dilectum suum Apostolum Paulum, soli Petro, Principi Episcoporum, & pastoribus Ephesiis iniũxit & in mandatis dedit, vt bene pascerent & prædicandi prouinciam obirent: id tamen ea ratione nõ intelligendum est, quasi nostræ ætatis Episcopi, pastores & Ecclesiastæ, ab hoc onere immunes & liberi sint, nec oues suas diuini verbi pabulo curare teneantur. Minimè verò, siquidem contrarium probatur: nam diligentem earum curam gerere debẽt, ni malint animæ & salutis iacturam facere, eò quòd Christi, Petri, Pauli atq

Ioan. 21.

ad

adeò omnium Apoſtolorum ipſi veri ſunt ſucceſſores, quos apprimè decet anteceſſorum &præceptorũ veſtigiis inſiſtere, imò quia abſq; hac animarum cura, neq; diſcipuli Chriſti (qui præceptoribus ſuis libenter parent) neque electi filij Dei vel eſſe vel dici poſſunt: quoniamquidem Deus negligentiam & incuriam paſtorum, ſicuti apud Ezechielem dicit, æternè vlciſci, & ouium ſuarum ſanguinem, ipſorum negligẽtia fuſum, ſeueriſsimè expoſcere vult & requirere. Sed quid attinet multis, probare & oſtẽdere, Epiſcopos noſtros & animarum Curatores, Exemplum Chriſti eiúſq; Apoſtolorum imitari debere, aut officij eorum eſſe ſimplices, probas, obedientes ouiculas ſuas in Euangelicæ lucis veritate paſcere: præſertim cùm iſtius rei omnes in Chriſto defuncti Epiſcopi & Martyres Eccleſiæ, abundè eos admoneant, imò cùm hoc ipſum nomen Epiſcopi planè poſtulet, & ipſi ob hoc ſolùm Epiſcopi vocẽtur apud Prophetas, vt ſuper morigeras oues ſedula inſpectione & ſolicita cura, defixos oculos habeant, quò intra veræ germanéque doctrinæ ſepta, contineantur, néue à lupis ſeu hæreticis incautæ, ſeducantur lacerentúrue. *Ioan.13.* *Eze.33.34.* *Eze.33.*

Nec ſanè eſt quòd tali munere & officio grauatos ſeſe exiſtiment: eſt enim perfacile & ſine magno negotio poteſt expleri. Quippe tum cùm ouibus ſuis cuſtodiẽdis, ſufficientẽ impẽderint curam, cùm illis cœleſte verbũ, qui ſolus eſt verus animæ cibus, ſyncerè prædicauerint, cúmq; ſacratiſsima ſacramenta Catholicè adminiſtrauerint, & per illa ſuos ſubditos diuina gratia & ſalutari merito Chriſti dignos, eiúſque capaces & participes fecerint, cùm porrò Lu- *Deut.6.*

Matth.5. pum, omnémue hæreticam doctrinam vincere, & ab
1.Tim.4. ouili longè arcere fuerint conati, cúmque illis de-
Tit.2. uota, honesta, pia, & moderata conuersatione præ-
Ioan.10. euntes, viuum Christianæ disciplinę Exemplum exhibuerint, & hoc modo lumen eorum fuerint, cùm postremò apud eos, dum vitæ aliquid superest, in omni tentatione & rerum discrimine constanter perdurauerint, & suā ipsorū crucē, qua decet animi patientia tollerauerint, & ob id fortiter sustinuerint,
Luc.24. quoniā per multas tribulationes, Dñi nostri exēplo,
Act.13. ad æternā vitā eos intrare seu saluos fieri oportet.

Neque verò Reuerendiss. Celsitudo vestra, quæ mea, de vestra clementia persuasio est, hoc meum præmium, in sinistram interpretabitur partem: quoniam præfatas pastoralis officij cōditiones, non in hoc introduco & commemoro, quasi nostri, Germanicæ Nationis, Episcopi, in sua animarum cura tam sint oscitantes & remissi, vt oues suas non ritè pascant, sed in falsa doctrina mori eas & perire sinant, & idcirco meis monitis, tanquam calcaribus opus habeant. Non equidem ob hoc ea dixerim, res enim ipsa longè aliud docet: sed vt vniuersus orbis cognoscat, Reuerendissimæ Celsitudini vestræ præ cæteris (absit iactantia dicto) hanc curam esse cordi, & cumprimis commendatam: nemo siquidem est, qui non manifestè videat & deprehendat, quanto ea studio in hoc incumbat, vt passim in omnibus suæ ditionis locis ac terris, honesti inculpabiles, & docti pastores populo præficiantur, quibus hoc præcipuè curandum committitur, vt doctrina & vita spectati inueniantur, vt sacramenta Ecclesiæ purè administrent, & immanibus fidei nostræ hostibus (quorum vis & multitudo maxima est) nouerint, quibus mo-

dis occurrant, & lethale eorum venenum, quo animas miserè occidunt, persequentes tollant. Hanc, inquam, ob causam, operæpretium existimaui, pastorale munus hîc paucis describere, & fidelibus significare, quomodo propter ipsos diligenter illud institui & administrari oporteat.

Quoniam igitur hæc irrefragabilis veritas est, & Reuerendissima Celsitudo vestra Archiepiscopatum Moguntinum suæ fidei concreditum, rectè benéque administrat, & hoc suo exemplo alios Germanicæ Nationis Episcopos ad parem diligentiam excitat, in bonis honestísq; animarum Curatoribus præficiendis, ne oues famem aliquam in animabus suis patiantur Euangelica & viuifica veritate orbatæ: imò quoniam me non latet, pastores Archiepicopatus vestri, absque Postillarum vt vocant libris, non posse rectè docere, vestrámque Reuerendissimam Celsitudinem vehementer & paternè laborare, & vndiquaque circunspicere, vt tales conquirat habeátque: ego itaque Christianam & Ecclesiasticam Postillam Reuerendi, Deuoti pij & docti Domini F. Ioannis Feri, fœlicis memoriæ, Ordinis Diui Francisci olim in Reuerendissimæ Celsitudinis vest. Metropolitana Ecclesia Moguntina summi Ecclesiastæ, in manus sumpsi, próque ingenij mei facultate è Germanico in Latinum transtuli & interpretatus sum, ea potissimum de causa, quòd in nostro illa idiomate, prolixior & vastior, in Latino verò breuior & pastoribus gratior, nec non ad quotidianum vsum accommodatior est: accedit ad hoc, vt ea ipsa Exteris quoque populis, quibus Germanicum peregrinũ est, vsui esse possit, & vt ij re ipsa

videant ac deprehendant Reuerendissimam Celsitudinē vestrā, verū Archiepiscopū & vnū è pastoribus Primariū esse, habentē in Archiepiscopatu suo Moguntino, nō solū honestissimos optimósque Cōcionatores, verūetiā quosdā præcellētes scriptores, quorū libris tam Incolæ quā omnes aliæ Nationes ad animarū suarū salutē æternámque felicitatē mirificè gaudere & fructuosè vti queant. Quanquā autē ego Reuerendissimæ Celsi. vestræ, vt qui fortuna & eruditione humilis & obscurus maiorem vitæ partē hactenus in Scholis transegi, ignotus sum & incognitus, & hoc nomine à nonnullis nō immeritò insignis temeritatis & præsumptionis accusari possim, quòd Ei meā hanc versionē nūcupare, dedicare & tuendā cōmittere sum ausus: attamen certo persuasum habeo, & neutiquā dubito, Reuerendissimā Celsitudinē vestrā, eiusmodi meū laborē clementer acceptură à me, & vel ob hoc maximè Ei placiturū, quòd Affinis eius & prædecessor laudatissimæ memoriæ, Reuerēdiss. in Christo Princeps ac Dn̄s, Dn̄s Sebastianus, Archiepiscopus Mogūtinus & Elector, &c. hoc opus primū in lingua Germanica, per Honestos ac optimos viros M. Theobaldū Spengel, & Frācíscū Behem reuerēdissimæ Celsitudinis vestræ perpetua subiectione deditissimos cōciues vestræ ciuitatis Moguntiæ, nec nō per Integrū & prudētē virū Arnoldū Birckmannum, ciuē & Bibliopolā Coloniēsem vtpote societatis Ferinorū opusculorum coadiuuā publicauit, tale meū studium gratum acceptúmque habuit: deindè etiam quòd Reuerēdissima Celss. vestra eximato animi affectu, & tanquā verus Archipræsul, quicquid ad Dei honorem pertinet,

am at

amat, diligit & promouet: nã hac quidẽ de causa, vt pastorali muneri liberius vacare posset, stato quidẽ tẽpore secularium negotiorũ curas (veluti alter quidam Moses) Eberhardo Rude à Kollenberg Aulæ Præfecto: Ioãni Oiger Brendel Iuniori ab Hõberg, Marschalccio, affini suo: item Melchiori à Graroth Vice dño in Asschaffenburg, viris certè cũ generis Nobilitate, tũ virtute, strenuitate, fortitudine, ac rerũ prudẽtia longè præstãtissimis: denique etiã clarissimo viro ac Dño Petro Preuss Iurium Doctori Cõsultissimo & Cõsiliario suo fidelissimo: nec non alijs pluribus Honestissimis simul ac Doctissimis viris, tractãdas & voluendas demãdauit ac tradidit. adhæc, quòd Reuerendissima Celsitudo vestra per hoc cõplures spectabiles & bonos viros in prædicãdo Dei verbo occupatos, præcipuè verò Eruditũ virũ M. Henricum Pfleger Imperialis Ecclesiæ Diui Bartholomæi Frãcofordiæ Catholicũ Pastorẽ & Canonicũ præceptorẽ meũ charissimũ, ad scribẽdum excitabit & permouebit: Postremò ꝙ isthuc ipsum mea, quã hic Asschaffenburgi in æde Diuis Petro & Alexãdro Sacra obeo, à me exigit & efflagitat prædicationis functio, ad quã Reuerẽdissima Celsitudo vestra me per reuerendũ, Deuotũ & Doctũ Dominũ M. Petrũ Vvanck, Ecclesiæ eiusdẽ Decanum & Canonicũ, benignissimè vocauit eíque præfecit. Profectò si Deus sacrã scripturã tantoperè dilexit, & in tanta existimatione habuit, vt eã suo ipse digito lapideis tabulis, cũ ad populi Israelitici, tum ad omniũ nostrũ solatiũ & salutem inscripserit: & Christus Dominus palàm dicit, se ad scripturã seu Euangelium annunciandũ esse missum: sique nobis

Exod. 18.

Exod. 21.

Marc. 1.

Eccle. 35. Sapiens doctrinã Prophetarũ adeò commendat:& Luc. 21. ipſum Dei verbum æternum eſt:& ſi poſtremò nos Ioſ. 1. Deus iubet volumẽ legis ſemper ob oculos habere, Eſai. 58. populóque fideliter & ſine intermiſsione prædicare: cumque hæc Poſtilla optimi Feri (qui quidẽ omni tẽpore puræ & ſanæ doctrinæ, nec nõ ſanctæ & inculpatæ vitæ ac cõuerſationis fuit) nihil aliud quã vera, catholica, Chriſtiana ſit Interpretatio & Expoſitio verbi Dei & ſacrarũ literarũ, nõ poterit vtique reuerẽdiſsimæ Celſitudini veſtræ diſplicere aut reprobanda videri, vt quæ ipſius paſtorale officiũ toti orbi palã & manifeſtũ factura, quinimò apud cunctos laudibus æternis proſequutura, & reuerẽdiſsimæ Celſitudini veſtræ honorificũ iſtud teſtimoniũ, tã corã Deo quã hominibus præbitura ſit, quod nimirũ Ea ſuæ eccleſiæ rectè benéque præfuerit, dum ſub Eius auſpicijs, defenſione & tutela, iam ſæpius dicta Poſtilla (quã ego hîc Eidem humilimè & obedientiſsimè latinitate donatã præſento, dono ac dedico) vnà cum alijs pluribus pijs ſcriptis, euulgata eſt, & ſalutis noſtræ vtilitatẽ & profectum ſolũ ſpectans in lucẽ exiuit. Deus Optimus Maximus reuerendiſsimã Celſ. veſtrã Chriſtianæ ſuæ Eccleſiæ in diutina ſanitate & in bona fœlicíque Adminiſtratione, ſemper cõſeruet ac tueatur, Amen. Datum Aſſchaffenburgi Nonis Auguſti, Anno recuperatæ ſalutis humanæ, 1557.

R. C. V. Subditiſsimus Sacellanus M. Ioannes Guntherus eccleſiæ Collegiatæ, diuorum Petri & Alexandri Aſſchaffenburgi, Concionator.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, EIDEMque clarissimo Principi ac Domino, Domino Sebastiano Moguntinensi Archiepiscopo, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicãcellario, & Principi Electori &c. Domino suo clemẽtissimo.



QVIDEM prorsus nihil ambigo, Reuerendissime pater, Clementissime Princeps ac Domine Colendissime, quin tuæ imprimis Celsitudini, & deinde alijs hominibus pijs, non solùm haud vulgari admirationi, sed etiam tædio fuerit, alteram hanc, nempe æstiuam Postillæ meæ partem vsque adeò cunctanter & serò prodijsse in lucem, quandoquidem Tua Celsitudo ante hoc fermè biennium seriò præceperat, ea vt celerrimè absolueretur, atque interim crebrò misit percontatum, num quem opus progressum haberet. Sanè quod ad me & Typographum attinet, non possemus non animaduersione dignos nos fateri, si nostra indiligẽtia, huc vsque operis editio protracta fuisset. Verùm nouit T. C. quas temporũ calamitates interea experti simus. Non nisi casus tristes & res aduersæ, eæque certè multiplices prõptam alioqui & morigeram nostrã distinuere voluntatem: quibus profectò effectum est, vt hæc æstiua Postillæ huius portio, non modo tardè euulgata sit, sed neque ea, qua fuerat cœpta, ratione, atque vti nos ambo voluissemus, absolui potuerit: quo nomine formidanda nobis haud immeritò veniret noua Tuæ celsitudinis indignatio, nisi speraremus necessitate ineuitabili facilè nos excusatum iri. Nã simulatque prior Postillæ huius pars

in ieiunio

in ieiunio Quadragesimali anni quinquagesimi secundi excusa fuit, instituerat Typographus mox à Paschate eiusdem anni, partem hanc alteram excudendam sibi sumere, præparatis atque comparatis omnibus, eam ad rem necessariis. Atque ecce tibi rumor ille terrificus Gallici apparatus latè percrebruit, quódque ille imprimis in Rheni tractum & Moguntiam destinatus esset. Itaque primum hoc instituti huius operis fuit præpedimentum: atque adeò nedum Typographus illud inchoare non potuit, sed etiam, quo damna grauiora anteuerteret, instrumenta artis typographicæ, & quæcunque eò pertinent, omnia recõdere, & aliò quatenus licuit transferre compulsus est. Deinde tumultu, illo mitiùs sanè quàm quis sperare potuisset sedato, mox à Pentecoste eiusdem anni aliud longè maius accidit incommodum. Moguntiaco ab hostibus impetito, occupato, & magna ex parte etiam populato: collegiis etiam, quæ extra oppidum erant, igni concrematis: vnde & Typographus illo ex incendio magna suis in ædibus, prælis, typis, atque aliis typographicis instrumentis damna perpessus est, adeò vt etiam bello illo amoto, nihil toto anno excudere potuerit. Ita nimirum tum quoque opus hoc impeditum fuit. Pòst anno quinquagesimo tertio. Cùm iam denuo non absque magnis impensis præla, & characteres instaurasset, & operi imprimendo totus incumberet, non potuit habere operas, aliis bello absumptis, aliis morbo peremptis, denique nonnullis diu sanè eius in ædibus spe restituendæ valetudinis retentis, ita vt æstate ab hinc proxima, nihil admodum efficere quiuerit, quòd non nisi vno posset prælo vti, eóque ægrè satis. At nunc demum anno hoc quinquagesimo quarto, comparatis operis in tria præla necessariis, ipsa temporis angustia exclusus est, ob inter-

uali breuitatem. Ex quibus omnibus facilè potest colligi, non satis prosperos fortunæ flatus, huic operi aspirasse, neque rarò mecum ipse ea in cogitatione versatus sum, fortassis nolle Deum vt prodiret in publicum: eáque re sæpius constitui, ab eius euulgatione prorsus animum reuocare. Atque id fecissem proculdubio, nisi Tua Celsitudine tantoperè vt pergerem institisset. Porrò ex tot incommodis & difficultatibus id accidit, vt hæc altera Postillæ meæ pars, non solùm tandiu dilata sit, sed etiam in omnibus Dominicis diebus truncata & mutila in lucem proficiscatur. Principio nanque, ne opus in immensum excresceret, si singulis diebus Dominicis decem cõciones, vt in priori feceram parte, attribuissem, quando à Paschate vsque ad Aduentum ad minus triginta quatuor Dominicæ numerantur, octo volebam concionibus esse contentus, atque eum cœpi tenere modum, vsque ad decimam Dominicam. Cernens verò etiam hoc pacto molem operis nimiam fore, atque etiam tardè progressum habere, sex duntaxat conciones singulis Dominicis adiunxi. Atque hac ratione etiam processi, donec tandem animaduerti tempus nos deficere, rursúmque vnam adhuc Concionem sex illis detraxi, licet iam in scripta redactam. Super hæc duarum illarum Solennitatum: Ascensionis Domini, & corporis Christi, conciones licet propriè ad eas quæ sunt de Tempore, pertineant, atque iampridem conscriptæ & absolutæ fuissent, omittere compulsus sum, & in tertiam quæ de Sanctis est partem reiicere, quo pars ista tanto maiori fructu ad instantes Quadragesimæ Nundinas posset expediri, & in Paschate ac deinceps eo mox vti liceret. Nisi enim hisce Nundinis prodiisset, illis, quorum impendiis excuduntur, magno id quidẽ detrimento, at Francisco Behem

certo

certo exitio fuisset. Qui cùm antehac multa sit perpessus damna, nolui ego eius cumulare mala, longè moderatiùs laturus, vt aliquot frustrà mihi conscriptæ conciones sint, quàm vt ille mea causa damno auctus videretur. Poterunt, quæ reliquæ sunt conciones, oportuno edi tempore, si sic visum fuerit. Rogamus autem obnixè admodum, C.T. hanc nostram simplicem quidem, sed veracem tamen excusationem, placidè accipiat, quod nos ea quæ commemorauimus, multuaria impedimēta & temporis inopia excluserint, ne quid amplius præstare possemus. Tertia pars de Sanctis, Deo volente, post Pascha, prælo tradetur, & quoad eius fieri poterit, proximo Septēbris mercatu, aut ad summum in Aduentu absoluetur, atque subinde Quadragesimale, in singulos Quadragesimæ dies. Impræsentiarum T.C. æstiuam hanc Postillæ meæ partem clementer accipiat, oro, vt quam ego illi, hoc scripto dedicatam ac nuncupatā velim, rogans omni qua possum, animi submissione, me atque meos, opúsque præsens, & integrum probúmque Franciscum Behem, tot hoc excudendo opere, pernitiosis affectum damnis, vnà cum honesto Theobaldo Spengel, ciue Moguntino, qui hactenus huic excudendo operi, magna fide institit, atque etiamnum maximis suis impendiis instare non cessat, sua velit benignitate & patrocinio defendēdos suscipere, simul etiam T.C. cum subditis omnibus, diuinæ protectioni commendans, quæ T.C. hisce periculosis rerū motibus, tum nobis, tum vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ, diu seruet incolumen, & prosperè suas ditiones administrantem, Amen. Datum in T.C. ciuitate Moguntina, XII. Martij, Anno M.D.LIIII.

T. C.

Obsequentissimus F. Ioannes Ferus, in præsens summæ ædis Moguntinæ concionator parum idoneus.

ERRATA SIC EMENDATO.

Pagina 2. linea 14. à fine, nos pellicit. pag. 24. lin. 19. accipere librum, & soluere septem. pag. 29. lin. 4. etiam in resurrectione. pag. 22. lin. 6. à fine, iudiciũ spes ostendebatur. pag. 61. lin. 5. in solis externis. pag. 167. lin. 3. nõ externi. pag. 169. lin. 26. sic lege, præcipuè verò absolutio sacerdotalis, quæ in confessione, vel post confertur, &c. pag. 233. lin. 5. sic lege, alius alio secundum naturam nihilo, &c. pag. 236. lin. 35. factum suum. pag. 251. lin. 14. correptionem. pag. 278. lin. 14. neque vobis detrimẽtum. pag. 284. lin. 30. peccata ipsorum leuiora, quatenus. pag. 292. lin. 9. Spiritus sanctus vehementer arguit. ibid. lin. 12. sic lege, peccatum esse, & iniquè fieri. ibid. lin. 16. sic lege hoc vnum ex maximis peccatis est. ibid. lin. 27. Nam per meritum Christi, salui simus: cæterùm eiusce meriti per fidem viuam participes simus. ibid. lin. vltima, sic lege, imò illam graue admodum peccatum esse. pag. 293. lin. 25. neutrum horum per se nos, &c. ibid. lin. 32. alia per se iustitia. pag. 294. lin. 9. Secundò indicat, veram nostram iustitiam. ibid. lin. 11. quòd mors. pag. 306. lin. 28. Christum præcipuam nostram, &c. pag. 310. lin. 11. coram Deo per se subsistere non posse. pag. 312. lin. 38. nõ ex solis meritis. pag. 342. lin. 25. nulli alij rei tam fidere debemus. ibid. lin. 26. ab ea præcipuè. pag. 365. lin. 3. Non enim præcipuè probitatis, &c. pag. 372. lin. 15. pseudoeuangelico gregi. pag. 375. lin. 11. per orationem autem non eam solùm intelligo, quæ ore fit, sed etiam & in primis, &c. pag. 396. lin. 10. nisi desieris pertinaciter, eius esse membrum. pag. 442. lin. 32. Christum assumptum in cœlum. pag. 466. lin. 19. nec tamen vulgarem charitatem eam. pag. 538. lin. 26. sic lege, gratiæ. Primum cedit in priuatam singulorum consolationem. pag. 587. lin. 16. debet, Natiuitatis Christi & Pentecostes. pag. 600. lin. 13. Spiritum disciplinę effugere fictum, & quod subtrahit se, &c. pag. 605. lin. 2. à fine, hæc desunt, post hanc vocem, homine? Atqui per gratiam Spiritus sancti eò adductus est, vt Paulus fidenter dicat,



NNO Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, die verò decima quinta menſis Decembris, congregata fuit Sacratiſsima Theologiæ Facultas apud collegium Sorbonæ ſuper ſuis agendis. Audita relatione magiſtrorum noſtrorum, videlicet, Claudij de Sainctes, & Gulielmi Chauſſe, doctorum Theolgorũ, qui viſitauerunt librum intitulatum, Poſtillæ Feri ſecunda pars, cum Precationibus eiuſdem Feri. *Non impedit Facultas, quo minus prædictæ Poſtillæ, & Precationes dicti Feri imprimantur.*

De mandato dominorum Decani, & magiſtrorum noſtrorum ſacratiſsimæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis.

M. Ruette.

DOMINICA PASCHAE EVANGELIVM

MAR. XVI.

*

ET cùm transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut uenientes ungerent Iesum. Et ualde mane una sabbatorum, ueniunt ad monumentum orto iam sole, & dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes uiderunt reuolutum lapidem; erat quippe magnus ualde. Et introëuntes in monumentum, uiderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis, Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quòd præcedet uos in Galilæam: ubi eum uidebitis, sicut dixit uobis.

EADEM DOMINICA

EPISTOLA BEATI PAVLI PRIMAE CORINTH. V.

EXpurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento ueteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & ueritatis.

PRIMVS SERMO.

Credite Euangelio, quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, &c. Mar. 1.



ERIA sexta proximè præterita charissimi in Domino audiuimus, quemadmodum Christus acri & duro certamine suscepto, cum tot támq; potentibus hostibus signa infesta contulerit, & quantos exhauserit labores, quantaq; impendia fecerit, priusquam nos à peccatis, à morte, à tyrannide diaboli & à gehenna asseruit. Hodie uero triumphum unà cum illo agimus, & uidemur nobis uidere illum tanquam reducem ex bello confecto cum erectis signis: ideóq; illi obuiam procedimus gratulabundi, excipimus eum cum omni reuerentia. Victorem eum rediisse gaudemus, & cognoscimus hinc, quòd summum nostrum solatium, atque adeò spes nostra unica in ipsius uictoria posita fuit: pro qua etiam re Deo immortali gratias agimus, quòd post tantam iram, ærumnas, lacrymas, tam ineffabile gaudium nobis reduxit: canimúsque corde & ore lætabundo, Hæc est dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. Hæc causa est hodierni nostri festi & gaudij, quod meritò omnes Christiani obseruare & piis celebrare operibus debent: siquidem ad hoc nobis non solum Christiana Ecclesia, uerùm etiam Angeli, quin Christus ipse occasionem præbet. Primò, ad hoc nos non pellicit Ecclesia, quòd toto anno nullum festum habet, quod lætitia & celebritate Paschale hoc festum æquet, ut in quo nihil neque uideatur, neque audiatur, quod hominem ad laudem Dei & spirituale gaudium non permoueat. Dehinc iam inde ab initio mundi, angeli nullo unquam tempore specie tam amœna comparuerunt, támque lætum attulerunt nuncium, sicuti hodierno die. Ad hæc Christus ipsemet gaudium maius in terris nunquam instituit, ut hodie. O quàm multos tristes & mœrore confectos animos hodie exhilarauit? Parumper respicite ad passionem Domini, comperietis, quanta animi mœstitia discipuli Christum relinquere cogebantur, quanto luctu optimæ mulieres usque ad crucem eum comitabantur, quanta cum solicitudine & angore uirgo mater ad crepidinem

Spes nostra in quo potissimū sita sit.

Psalm. 117.

Pascha ut cum lætitia celebremus, quæ nos inuitent.

Ecclesia.

Angeli.

Christus.

Luce 14.

Ioan. 19.

dinem sanctissimæ crucis stabat: quibus querelis quibúsque lacrymis optimi & pientissimi uiri illi sepulturæ munia exhibebant. At hodie omnem illis mœrorem excussit, eósque summè exhilarauit, nec eos solum, sed quos unquam terra tulit, quos fert aut latura est pios homines. In summa, ab orbe condito generi humano lætior dies non illuxit, quàm hodierna adeò: quanquam etiam ueteres dies aliquot impendio lætos & festiuos habuerunt, ut cùm Israëlitæ mare rubrum salui transiissent, &c. Veruntamen nihil illa ad nostrum festum. Nam hodie semel à nobis ablatum est, quicquid nobis incumbebat, & ueluti ingens onus premebat nos grauabátque, nempè peccatum nostrum, mors, diabolus, maledictio & ira Dei. Hodie nobis semel obtigerunt omnia bona & salus: quod genus sunt gratia, iustificatio, æterna uita & beatitudo. Itaque si ueteres uno duntaxat alicui periculo exempti, aut quandoque uno affecti beneficio ita gauisi sunt & exultarunt, quid nobis hodie faciẽdum est, à quibus Domini resurrectio semel omne malum, quod aut ab Adam hæreditariò contraximus, aut propria culpa consciuimus, depulit, & nobis omne bonum reduxit, quod per Adæ lapsum amiseramus? Vnde non abs re Psalmus hodie legitur, in quo Dauid, uel potius Christus omnes in Christum credentes ad laudem Dei instigat, ob honorem, quem in resurrectione sua consecutus est, & ob utilitatem, quæ ad nos inde rediit. Nam audi obsecro quomodo Christus hodie acclamet: Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius, &c. Rogas iam, quamobrem hodie magis, quàm aliis temporibus bonitatem suam declararit? Audi porrò: Me (inquit Christus) me aspicite, de tribulatione (nempe passionis ac mortis tempore) inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo, &c. Et pòst: Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos. Impulsus euersus sum ut caderem: & Dominus suscepit me, &c. Dextera Domini exaltauit me, &c. En, hoc illud est, cuius gratia hodie cum Christo gaudere & gratulari nos conuenit. Ecquid isthinc boni adepti sum⁹? Audi, Dauid tibi dicet: Lapidem (inquit) quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quod Diuus Petrus ita explanat: Nõ est in alio aliquo salus, neq; aliud no-

Exod. 15.

Resurrectio Christi quid nobis contulerit.

Psalm. 118.

Ibidem.

Act. 4.

men est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, quàm nomen Iesu. Istud hodie cōsecuti sumus, nimirum uerum lapidem, cui ceu fundamento tuto committere nos & concredere possimus: imò uerum salutis authorem & seruatorem, ad quem in omni anxietate conscientiæ, in metu mortis & periculo inferni cōfugere possumus, ac dicere, O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare, &c. Item, Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. &c. Istud gaudium est, quod hodie exhibemus, neque id iniuria; qui enim homo pius tantorum bonorum nomine non gaudeat? Verum inuicta hic opus est fide, ne quin res ita habeat, quicquam addubitem. Nam qui hic dubitat, is fluctibus maris similis est, qui à uentis concitantur, nec potest eiuscemodi hominis animus perfectæ & plenæ consolationis capax esse. Hac quidem de causa dictum illud, quo tempore isto quadragesimali omnes fermè conciones meas exorditus sum, nunc iterū in manus sumpsi. Credite Euangelio (inquit Christus) quoniam impletum est tēpus, & appropinquauit regnum Dei. Nam in resurrectione Christi uerè impletum est tempus: Vnde & in passione sua dicit, Consummatum est. Dehinc etiam uerè appropinquauit regnum Dei: quapropter mox suis Apostolis pacem impartiit ac dedit. Quare si Christianum Pascha celebrare in animo habetis, credite Euangelio: quod quò fieri melius possit, paucissimis uobis indicabo, quid hodiernum Euangelium de resurrectione Christi dicat. Deinde quid credere circa illud homo Christianus necesse habeat. Postremò quo pacto hanc suam fidem in opus transferre eum oporteat: siquidem hæc tria ad festum istud necessariò requiruntur. Cessare igitur debent omnes fabulæ & nugę, omnísque leuitas, quam hodierno die in publicis suis concionibus nonnulli usurpant; nihil enim friuola illa commenta ad rem faciunt: nos itaque iis omissis Euangelium audiemus, eíque fidem habebimus. Principio, si hodiernum festum Christianè ac piè obseruare & celebrare paras, in manus cape Euangelij librum, atque diligenter attende, quid in eo de resurrectione Christi scriptum habeatur, tum illic comperies primùm & uidebis, Euangelistas aliter multo de resurrectione ista, quàm de Lazari aut alterius forte resurrectione loqui. Quin uidebis in tota sacra scriptura nobis nihil proponi magnificentius, quàm passionem

Christus uerū fundamentum & author salutis nostræ.

Psalm. 116.

Marc. 1.

Ioh. 19.

Ioh. 20.

Pascha digne celebraturo quæ necessaria.

ſionem & reſurrectionem Chriſti. Etenim primò deſcribunt nobis Euágeliſtæ hiſtoriam reſurrectionis, multiſque cum exemplis tum argumentis oſtendunt, Chriſtum à mortuis uerè reſurrexiſſe. Deinde Paulus gloriam reſurrectionis indicat; ubi ait Chriſtum per reſurrectionem à mortuis filium Dei in uirtute declaratũ eſſe. Item conſtitutum eſſe ad dexteram Dei ſupra omnem principatum & poteſtatem, ſupráque omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Tertiò aperit nobis idem Paulus utilitatem reſurrectionis, ubi ſic inquit: Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Et beatus Petrus, Secundum miſericordiam magnam (inquit) regenerauit nos in ſpem uiuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, &c. Poſtremò quoque docet nos Paulus uerum uſum reſurrectionis iſtius, ubi dicit: Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur, &c. Igitur etiam nos in nouitate uitæ ambulare oportet. Hîc iam uidetis, quàm ſcriptura multis modis de reſurrectione Chriſti loquatur, unde non difficile intelligere eſt, quid circa eam credi oporteat. Principiò, inquam, credere & pro certo habere oportet, Chriſtum uerè reſurrexiſſe propria uirtute ſuæque diuinitatis potentia, à nullo alio ſuſcitatum, quemadmodum Lazarus, nec fallacibus præſtigiis, uelùti Samuel ab incantatrice ad ſuperos ciebatur, ſed uerè reſurrexiſſe. Non enim hîc fuit mendacium, non figmentum, non dolus. Comminiſcebantur quidem Iudæi, & populo per cuſtodes monimenti perſuadere conabantur, à diſcipulis Chriſti corpus ereptum & noctu ablatum fuiſſe: cæterum hoc mendacium ut uanum, ita conſtans eſſe nõ poterat. Principiò propterea, nam quomodo ſanctiſsimi Apoſtoli hoc moliri potuiſſent, cum cuſtodes à ſepulchro nunquam ne latum quidem culmum diſcederent? Deinde quomodo tantum ocii habuiſſent, ut linteamina corpori detracta non fuerint ſecum ablaturi? Ad hæc quomodo cuſtodes uidere iſtud potuiſſent; cùm tamen omnes (ut ipſimet aiunt) ſomno fuſi iacerent? Sin uerò non dormierunt, quamobrem id fieri permiſerunt? Vides itaque mendacium iſtud cõſtare non poſſe, atque ob id pro indubitato habeto Chriſtum uerè reſurrexiſſe, & mox intelliges quid Deus poſsit. Diabolus omnibus ad-

Matth. 28. *Rom. 1.* *Ephe. 1.* *Rom. 4.* *1. Pet. 1.* *Rom. 6.* *Reſurrectio Chriſti qua credenda cauſat.* *Ioh. 11.* *1. Reg. 28.* *Matth. 28.*

uersus Christum uiribus usus fuerat, similiter & mundus: idcircò putabant se iam uicisse, cum iuxta crucem starent, & lædoriis Christum acerbè incesserent. Hodie autem uidemus, contra Dominum neque potentiam neque consilium posse quicquam: unde meritò etiam Dauid dicit: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, aduersus Dominum & aduersus Christum eius? &c. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, &c. Tu igitur tecum ipse reputa hanc Dei fortitudinem & potentiam, indubiè cum Dauide clamabis: Tu Domine terribilis es, & quis resistet tibi? &c. Et rursus: Omnis terra adoret te, & psallat tibi: quoniam terribilia sunt opera tua Domine: in multitudine uirtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Hæc Dei potentia non parum te in rebus tuis afflictis consolabitur, facietque ut canas, Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo, &c. Item, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Secundò credere nec ulla ratione dubitare oportet, quin resurrectio Christi fuerit illius exaltatio & glorificatio. Longè enim aliter resurrexit Christus, quàm Lazarus aliique, qui resurrexerunt, ut denuò morerentur: at Christus in sua resurrectione, non solum supra omnes mortales, uerum etiam supra angelos, supráque omnia collocatus est, potestatémque accepit tam in cœlis, quàm in terris: quod si etiam in quauis tentatione tecum consideras, dicere potes, Domine uim patior, responnde pro me. Item, In te Domine speraui, tu es refugium meũ, &c. Tertiò credito ac pro certo habeto, Christum ex mortuis resurrexisse, & haudquaquam manibus uacuis ad suos reuersum esse: nam quî fieri possit, ut è certamine tam insigni absque spoliis redeat? Reportauit itaque nobis ex hoc prælio uictoriam contra diabolum, peccatum, mortem & infernum, &c. Hoc ad animum tuum ubi reuocas, confidenter dicere potes, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. Item, Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Deo gratias, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Quartò credito & pro certo habeto, resurrectionem Christi etiam causam fuisse & fore nostræ resurrectionis. Nam qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum eius in nobis. Hoc qui considerat, consolationem habebit uel in ipsa morte,

Matth. 27. Prouer. 21. Psalm. 2. Psalm. 75. Psalm. 65. Psal. 117. Roman. 8.

Resurrectio Christi ut eius fuerit glorificatio.

Matth. 28. Isaie 38. Psalm. 30. Psalm. 22. 1. Corin. 15. Rom. 8.

Moriturum quid consolari debeat.

audebitque dicere, Scio quòd Redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Item, De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor, &c. Item dicere poterit, Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum, &c. Ego dormiui & soporatus sum, &c. Item, Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Transibo in domum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, &c. Denique firmiter crede, Christum in sanctissima sua resurrectione nobis etiam exemplum dare uoluisse nouæ uitæ, quemadmodum id liquidò uidere est è diuo Paulo, Romanorum vj. Hoc qui secum perpendit, non temerè relabetur in pristina uitia, ut plerique consueuerunt post festum Paschæ, idque suo ipsorum maximo damno. Erunt enim huiuscemodi hominibus posteriora peiora prioribus: nam reuertens malignus spiritus, assumit septem alios spiritus nequiores se, &c. Vide, hoc illud est, quod necessariò circa passionem Domini nos credere oportet, id quod alibi prolixius docui. Posthac paucis ostendam, quemadmodum fides hæc in opus produci, hoc est quemadmodum festa ista piè celebrari & obseruari debeant, quoniam & illud caput scitu impensè necessarium est, maximè ultimis hisce temporibus & uergente mundi ætate, ne contingat nobis, quod hoc ipso die Hierosolymitanis contigit, quorum paucissimi fructum huius passionis perceperunt. Siquidem uaria hominum genera id temporis Hierosolymis erant. Primum genus erat uulgus, hi uitam & mortem Christi iuxtà æstimabant, nihil enim exindè uoluptatis neque tristitiæ capiebant, sed quisque quæ ad se attinebant solùm curabat. Alteri custodes erant sepulchri Christi, ij uiderant quidem angelum Domini & terræmotum, & ob id abeuntes exanimati renuntiabant in ciuitate quæ uidissent: sed simulatque pecunia corrupti erant, contrarium narrant. Tertij erant Pontifices & Pharisæi, hi rumorē de resurrectione Christi penitus supprimere nitebantur, nec ferre poterant, ut Christi quisquā mētionē faceret.

Ioan. 19.
Psalm. 117.
Psal. 3.
Psalm. 41.

Quarti erāt discipuli Christi, & credētes in eū, qbus solis Christus uisus erat. Hinc manifestum fit, ꝙ tametsi Christus

resurrexerat, & angeli de cœlo hoc annuntiarent, pauci tamen reperiebantur in tam amplissima & populosissima ciuitate, qui ex resurrectione Christi emolumentum aliquod percepissent. Eodem propemodum modo de nobis fit, inter quos hæc quatuor hominum genera semper extant, nec tam piè celebratur unquam pascha nostrum, ut omnes homines fructuum resurrectionis Christi participes fiant, sed semper maior pars sine fructu abeat. Principio enim multi tantæ ignauiæ, ne dicam impietatis, inter nos sunt, qui equorum & mulorum instar dissoluti, nullam earum rerum, quæ ad fidem nostram spectant, curam gerunt, sed toti sunt in rebus temporariis, atque ita ut illis neque passio tristitiam, neque resurrectio Christi gaudium afferat. Et licet in hoc festo paschali lætitiam aliquam præ se ferant, non tamen id fit propter Christum aut salutem animarum ipsorum, sed in hoc solum, quòd finem quadragesima habet. Sed hos pro Christianis quis habebit, qui quid Christo debeatur nunquam cogitant? Si pauperem quempiam in filij & hæredis locum adoptasses, & decretum esset illi omnia tua bona impartire: is uerò te contemneret & aspernaretur, nec tibi dicto audiens esset, &c. nónne merito illi succenseres? At eiuscemodi homines quid faciunt aliud, quàm huius in morem? Christus in sancta sua resurrectione multa & ingentia bona ad nos attulit, & quàm primum cœlestes angelos misit, qui Euangelium istud, seu lętum nuntium nobis renuntiarent. Imo quocunque nos hodie uertimus, audimus angelos, hoc est Dei nuntios, magna de resurrectione Christi nobis referre, & nos tamen flocci non facimus: nónne igitur iure nobis irascatur Deus, suáque subtracta manu nos in peccata & errores uolui sinat, quemadmodum iampridem fecit & adhuc facit? Nam unde fieri censes, quòd iam in tam fœda peccata & errores prodigiosos incidimus, nisi quòd gratiam Dei tam nihili pendimus? Quia (inquit diuus Paulus) cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, tradidit illos Deus in reprobum sensum, &c. Item, Qui me contemnunt, erunt ignobiles. O quantam bonorum uim consequi ciues Hierosolymitani potuissent, si cum sanctis Apostolis ad sepulchrum accessissent? Quanta & nos assequi bona possemus, si diligenter consideraremus, quid nobis hodie proponatur? Sed hæc de re satis. Sunt præterea inter nos alij, qui hunc diem

Resurrectionis Dominicæ fructum qui non percipiant.

In peccata & errores cur nos deus labi sinat

Roman. 1.

2. Regum 2.

diem quidem rite auſpicantur, quia credunt Chriſtum reuixiſſe, cogitant & loquuntur de illo, gaudent ipſius reſurrectione, & læti canunt cum reliquis in Eccleſia, ſed non perſeuerant in illo optimo propoſito, ſed mox ut templum reliquerunt, ad alias res animum transferunt, & plane ad contrarias, hoc ſceleratiores fiunt, quò deuoti magis in templo erant, perinde ſe deinceps gerunt, ac ſi de Chriſto eiúsque beneficiis nihil audiuiſſent. Hi nempe illi ſunt, qui cuſtodes ſepulchri imitantur, quos pecunia & fauor principum ac potentium à ueritate ad mendacium abducebat. Sic hos abducit à bono quod cœperunt, ipſorum auaritia, uoluptas & prauorum hominum conſuetudo, &c. ut nihil boni poſthac illis in mentem ueniat. O homines infelices, itáne uili æſtimatis, quod uobis gratuito dedit Deus? Relinquitis tam præcellentia bona pro tam leuiculis & fluxis rebus? An non uenit uobis in mentem, quòd quicquid ſub ſole eſt, caducum eſt? Non cogitatis uos homines eſſe, & ob id mortales? Hoc alterum genus hominum eſt, quibus reſurrectio Chriſti nihil omnino conducit, atque utinam ij ſoli eſſent. Quid autem de iis dicemus, qui Pontifices & Phariſæos imitantur, qui neque honorem Chriſti, neque aliorum hominum deuotionem & fidem ferre poſſunt? Vruntur & ringuntur animo, quando audiunt nomen Chriſti, quando uident alios in pietatis ſtudia incumbere, nec uocem puerorum ſuſtinere poſſunt clamantium, Oſanna filio Dauid, & quòd ſepulchri cuſtodes reſurrectionem Chriſti annuntiant, ſed omnibus adlaborant modis, quo pacto alios à ſua deuotione abſtrahant & deterreant, pelliciúntq; eos muneribus & pollicitationibus, ut bonum omittant. Hi omnium meritò ſceleratiſsimi cenſendi ſunt, ad quos etiam Chriſtus ait, Væ uobis Legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis, &c. Id genus homines non ad Chriſtianorum, ſed ad Iudæorum feſta pertinent, de quibus dicitur, Solennitates ueſtras odiuit anima mea, &c. Hoc etiam modo apud nos reſurrectio Chriſti paucis admodum utilis eſt, quæ res ſanè deploranda meritò foret, quòd cum tot abundemus bonis, interim tamen è paupertate non emergamus: ad menſam accumbimus tam ſplendidam, & fame tamen interim contabeſcimus: tot prærogatiuis eximiis gaudemus præ cæteris hominibus, nihilo tamen interim

Cuſtodum dominici ſepulchri quinam ſimiles.

Eccleſ. 1.

Pontifices & Phariſæos Iudaicos qui imitentur.

Matth. 21.

Matth. 28.

Luca 11.

Iſaia 1.

meliores sumus, imo aliis quandoque multo improbiores.

Hoc ad animum reuocemus optimi Christiani, non imitemur ignauos Hierosolymitas, nec inconstantes custodes monumenti, multominus impios sacerdotes: sed imitatores simus sanctarum fœminarum & Apostolorum, qui hoc die nihil etiam temporis otio tribuerunt, sed bonis tantùm rebus studuerunt, non quærentes pecuniam aut uoluptatem, sed Christum duntaxat. Priusquam nesciebant Christum resurrexisse, uehementer soliciti erant de corpore Christi, at postquam audiissent eum reuixisse, nihil aliud cogitare uel loqui poterant, quàm de Christo. Sic fieri etiam inter nos Christianos conueniebat, atque hoc demum Christianè & piè Pascha celebrare dici posset. Sed nunc animum aduerte, quid primi fideles hodie fecerint. Primò mulieres paratis aromatibus ueniebant ad monumentum, ut ungerent Iesum. Deinde duo apostoli ad monumentum procurrebant, diligentérque perlustrabant linteamina, quibus obuolutus fuerat Christus. Postremò cùm Maria à monumento non descenderet, & multas fudisset lacrymas, tandem illi conspiciendum se præbuit Christus. Hæc sunt autem, quibus occupati hodie esse debemus: primùm mulieres cum suis aromatibus præmittendæ sunt: hæ mulieres sunt animi nostri, lingua & manus. Sed horũ trium unumquodque sua aromata habeat oportet. Animum decet contritio, dolor, compatientia & deuotio. Linguæ conuenit confessio, oratio & prædicatio diuinæ gratiæ. Manibus competunt opera misericordiæ. Has mulieres si ita præmiserimus sic ornatas, Christum proculdubio inueniemus. Quòd si adhuc diutius cunctatur, etiam duo Apostoli prodire debent, Petrus & Ioannes, hoc est, fides & charitas, non solùm omnia linteamina explicare & contemplari, uerùm etiam sudarium, quo Christi caput tegebatur, hoc est, non modo considerare humanitatem Christi, sed etiam diuinitatem illius debent. Quòd si nec tum Christus apparet, iuxta monumentum sta & mane, & plora cum Maria, tum non poterit se Iesus amplius continere, sed comiter, benignè, clementer te aspiciet, & humaniter te affabitur. Quòd si tum illum agnoscis, ad pedes continuò illi aduoluere, serua illum, adora illum, & reuersus domum, eiusmodi gaudium annuntia familiæ tuæ, ac dic: Vidi Dominum, & hæc dixit mihi, Ascendo ad Patrem meum, &c. Hoc illud est, quod

Christus solus quærendus, & corde ac ore retinendus.

Mar. 16.

Ioan. 20.

Ibidem.

Mulieres 3. mysticè.

Aromata earum mysticè.

Petrus et Ioannes mysticè.

Ioh. 20.

quod fieri à nobis hodie debet, &c.

SECVNDVS SERMO.

Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde,

INQVIT PROPHETA DAVID.



VANDO mecum reputo, quantum gaudij & consolationis pijs in fide hominibus hoc die obtigerit, initium huius sermonis statuere haud melius possum, quàm quo illum Augustinus olim exorsus est. Non queo, inquit, fratres charissimi quod mente concipio, ore proferre, & cordis mei lætitiam lingua non explicat. Hoc autem non solum ego patior, qui cupio narrare quæ sentio, sed etiã uos mecum patimini, plus exultantes in conscientia, quàm in eloquio proferentes. Videtur mihi hæc dies cæteris diebus esse lucidior, Sol mundo clarior illuxisse, astra quoque omnia uel elementa lætari: & quæ patiente Domino proprium lumen retraxerant, & noluerunt creatorem suum aspicere crucifixum, ecce nunc uictorem illum & ab inferis resurgentem, nouo claritatis suæ uenerantur obsequio. Hæc ille.

Veruntamen non mihi soli hæc dies tam festiua & gloriosa uidetur, sed ante multos annos, quàm illuxit, Dauidi talis uisa fuit. Vnde etiam tam magnificè de ea locutus est: Hæc est dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. Quia hac die dextera Domini fecit uirtutem. Hac die à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hac die lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. In passione sua Christus Iudæis inutilis uidebatur, ut cuius nullus usque esset usus: non enim tum illum adhuc agnoscebant pro uero lapide fundamenti, & quod magis est, in ædificio suo illum habere non dignabantur: Tolle, tolle (clamabant) hunc, & Barabban nobis dimitte. Item, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, &c. Hodie autem compertum & probatum est, hunc Iesum abiectum non modò ad structuram Ecclesiæ pertinere, sed esse etiam fundamentum, cui tota structura innititur, & præ

Psalm. 117.

Christus in passione Iudæis inutilis uisus.

Ioh. 19.

Ibidem.

Christus totius ecclesiasticæ structuræ fundamentũ, &c.

& prætereà uerum lapidem angularem, qui uniuersam structuram iungit & sustentat, ita, ut qui non ab initio huic lapidi se superstruit, & illi tandem rursus adaptatur, non possit subsistere coram tribunali Dei. Dehinc Christum in passione sua dominum agnoscere nolebant Iudæi: Non habemus (inquiebant) regem, nisi Cæsarem: imò nolebant ut eũ Pilatus regem scriberet Iudæorum, &c. Hodie uerò euẽtus docet, eum esse non solùm regem Iudæorum, uerùm etiam cœli & terræ, dum illi in sua resurrectione omnia elementa paruerunt. In passione sua clamando ògganniebant Iudæi, Confidit in Deo: liberet nunc eum si uult: dixit enim, Quia filius Dei sum, &c. At hodie testatum factum est, eum uerè Dei filium fuisse. Qui enim aliàs morte sese exoluere potuisset? Et quid multis uerbis opus est? In passione sua fuit ceu agnus, qui ad uictimam ducitur: hodie uerò apparuit ueluti leo: fortitudine sua omnia excussit, conculcauit & absorpsit: siquidem nihil illum impedire aut prohibere potuit, neque saxum monumento impositum, neque conducti custodes, qui eum in sepulchro custodiebãt, imò neque mors neque peccatum, neque diabolus neque tartarus: quia hæc omnia perfregit & prostrauit, quemadmodum per Oseam iam olim prædixerat: Ero mors tua ô mors, &c. Hæc fortitudo est & uirtus, quã hodie exeruit dextera Dei. Hoc nomine multis ante seculis Dauid exultauit: hoc nomine exultat Ecclesia in hodiernum usque diem per uniuersum orbem terrarum, & quidem meritò. Nam si Christus peccatũ, mortem, & diabolum deuicit, regnum Dei profectò in nos deuenit. Ideò primum hodie dixit, Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor domino, &c. Hæc porta cœli hodie primùm aperta est, & aperta manet in hodiernum usque diem omnibus intrare uolentibus. Vnde rectè cum Dauide dicere possum, Lætamini in Domino, & exultate iusti, &c. Hæc uocula non inconuenienter de hodierno die accipi potest: quia ad lætitiam nos hortatur, & docet quid sit Christianum gaudium, & quibus eiuscemodi gaudium annuntietur. Quæ omnia cùm eiusmodi sint, ut sine damno ignorari non possint, de singulis nonnihil dicam. Primò certum est, Christum quàm diu in terris egit, maius gaudium nunquam excitasse, quàm hodierno die. Imò quo grauiore tristitia ob illius passionem fideles affecti erant, hoc ex resurrectione ipsius maiori gaudio perfusi sunt, cum illum

Ibidem. *Christus rex.* *Matth. 27.* *Roman. 1.* *Christus filius Dei.* *Isaiæ 53.* *Apoc. 5.* *Christus leo.* *Oseæ 13.* *Psal. 117.* *Porta cœli quando primũ patefacta.* *Gaudium dominicæ resurrectionis quantum.*

lum in gloria ipsius conspicerent. Hoc ipsorum gaudium à re quidē parua initium sumebat, sed paulatim accrescebat augebatúrque, donec ad summum perueniret. Principiò enim mulieres annuntiabant apparitionem Angelorū. Deinde Petrus se Christum uidisse nūtium adferebat. Hoc idē renuntiabant postea duo de Emaunte uenientes. Postremò Christus ipse aderat, atque eos gaudio ita explebat, ut aliud dicere nihil possent, quàm, Vidimus dominum, &c. Hoc fuit primum gaudium huius diei, & primū nostri Paschalis festi. Quare ô Christi fideles, lætamini & exultate etiam uos, & laudate Deum: nam qui hodie non gaudet, is aut Christianus non est, aut nescit, quot quantaque bona Christus nobis per resurrectionem attulit. Quocunque enim nos uertimus, siue ad ea quæ à tergo, siue ad ea quæ à fronte sunt, bonorum myrmecia, quod dici solet, habemus ex resurrectione Christi. Ex ea quippe accepimus iustificationem & uitam animarum, quæ prima resurrectio est, iuxta Paulum: Christus resurrexit propter iustificationem nostram, &c. Ex illa etiam nos corporum nostrorum expectamus resurrectionem, & horum nihil eramus consecuturi, nisi resurrexisset Christus. Sed uide amabò, quanta sint hæc bona, nimirum uita gratiæ in hoc seculo, & uita gloriæ in futuro. Verùm diligenter hic aduigilandum, ut utrunque hunc resurrectionis fructum nanciscamur, hoc est, ut uita gratiæ sic utamur, ut etiam peruenire queamus ad uitam æternæ gloriæ, id quod uos non temere moneo. Multi enim consequuntur uitam gratiæ, qui tamen ad uitam gloriæ non perueniunt: multi gaudent resurrectione Christi, qui ad resurrectionem uitæ non pertingunt. Id autem inde fit, quòd in uita gratiæ non perseuerant, sed mox à resurrectione Domini animum ad res inanes & leues adiungunt, omnium bonorum obliti, quæ fuerant accepturi. Quapropter cumprimis aduertēdum est, qua uia quibúsue medijs à uita gratiæ ad uitam gloriæ tendatur, atque ita utrunque fructum gloriosæ resurrectionis Christi consequi possimus. Hoc nos Propheta Oseas docet uerbis, Christus uerò exemplis. Post duos (inquit) dies uiuificabit nos, in die tertia suscitabit nos. Hic audis de tribus diebus, p quos cōmodè ad resurrectionem uitæ peruenitur. Primus dies, est dies laboris seu pœnitentiæ, aut crucis in hac uita. Secundus, est dies quietis post hanc uitam. Tertius, est dies resurrectionis in uita

Luc. 24.
Ibidem.
Ioh. 20.
Resurrectio Christi quot bona nobis attulit.
Rom. 4.
Osee 10.
Tres dies mistica, quibus ad resurrectionē pertingitur.

ſtus, quartum diem gaudij, ſeu uoluptatis noluit in hac uita: hoc tu imitare, nec tibi perſuadeat quiſquã, ut de cruce deſcendas: & etiamſi ad id te caro tua, mundus, diabolus ſollicitant, ceram auribus obde, ne audi illos, alij te mortuum de cruce tollant. Hæc uera & una uia eſt, è uita gratiæ ad uitam immortalis gloriæ demigrandi. Nam ſi ſuſtinebimus cũ Chriſto, & conregnabimus, &c. 2. Tim. 2. Nec grauari debes diei crucis diuturnitate, ſortietur quippè aliquando finem, & æterna quies ac gaudium ſequetur. Cogita te hic aduenam eſſe & diſcipulum crucifixi, nec decere, ut ſeruus ſit maior ſuo domino: hoc eſt, ut patiente Domino, ſeruus in luſtris uiuat. Atque iſtud eſt, quod Dauid non ſimpliciter ait, Lætamini: ſed addit, In Domino. Non enim loquitur de mundi gaudio, quod ad rem nihil facit, ſed multo magis de ſpirituali gaudio, quo gaudere debemus interea temporis, donec ad uerum & ſolidum gaudium perueniamus. *Gaudiũ Chriſtiani cuiuſmodi eſſe debeat.* Obſerua autem, quod Dauid non uni duntaxat, ſed in genere cunctis mortalibus miſericordiam à Deo conſecutis dicit, Lætamini in Domino, nempe in eo, qui remittit uobis peccata ueſtra, tegit & nõ imputat, qui eſt refugium ueſtrum, uos docet, ducit, & benignè reſpicit, qui deniq; in ſe ſperantes ſibiq; fidẽtes gratia & miſericordia circũdat. *Pſalm. 31.* Imprimis uerò mãdatur nobis, ut in Domino Chriſto lætemur, is enim uera cauſa noſtræ lætitiæ eſt: Ego (inquit) ſum primus & nouiſſimus, & uiuus, & fui mortuus, & ecce ſum uiuens in ſecula ſeculorũ, & habeo claues mortis & inferni. *Apocal. 1.* Quaſi dicat, ego ſum fundamentũ, ego ſum lapis angularis, ego ſum caput, ego ſum bonus paſtor, qui animam meã poſui pro uobis, *Ioh. 10.* ego ſum uerus epiſcopus animarũ ueſtrarum, ego ſum reſurrectio & uita, ego factus ſum uobis ſapiẽtia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redẽptio, &c. *1. Pet. 2. Ioh. 11. 1. Cor. 1.* Ego uos redemi de maledicto legis, fact⁹ ꝓ uobis maledictũ. *Gala. 3.* Ego ſũ uia ad patrẽ, quẽ ego uobis placaui, dũ ueſtra pctã ĩ ligno crucis tuli. *Ioh. 14. 1. Pet. 2.* ego ſũ ueſter mediator, ueſter aduocat⁹, ego ſũ thronus gratiæ. Nõ ſolum enim mortuus ſum propter pctã ueſtra, ſed etiã reſurrexi propter iuſtificationẽ ueſtrã. *Rom. 4.* Ego lãgores ueſtros & infirmitatẽ in me recepi, & dolores ueſtros portaui. *Iſa. 53.* Ego propter iniquitates ueſtras uulneratus, & propter ſcelera ueſtra percuſſus ſum & attritus. Ego dependi, quod Adam commeruerat: quod ille amiſerat, ego reperi. Ego is ſum qui uerè poteſt dicere, quod olim Iulius Cæſar, arroganti animo

Ioh.16. animo dicebat, ueni, uidi, uici, ego (inquam) ueni in mundum, uidi mundum, & uici mundum, imò ipsummet diabolum, & ueterem draconem debellaui. Quare mihi fidite, in
Isa. 44. me lætamini, quia ego sum Dominus Deus uester. Confi-
Isa. 61. dite quoniam hodie lux orta est uobis: nam deleui ego ut nubem iniquitates uestras, & quasi nebulam peccata uestra: ecce, ego coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu,
Isa. 55. pallium laudis pro spiritu mœroris uobis dedi & attuli. Qua propter inclinate aurem uestram, & uenite ad me: audite & uiuet anima uestra, &c. Hæc & similia acclamat nobis Christus in resurrectione sua: atq; hæc adeò bona illa sunt, ob quæ Dauid tanto animi ardore desiderat diem, in quo Christus regnum accepturus, & gloriam suam declaraturus
Psal. 44. esset. O Christe (inquit) rex noster, quàm speciosus forma es præ filiis hominum, quàm diffusa est gratia in labiis tuis?
Labia Christi quàm gratiosa. Primò patri tuo cœlesti adeò accepta & gratiosa sunt tua labia, ut quicquid per ea loqueris, ratum & firmum habeat, perinde ac si ipse suo ore prompsisset, & quicquid tuis labiis rogas, id ille approbat, & præstare uult, cuius iram contra humanum genus tu quoque per suauissima tua & gratiosissima labia placasti, dum optima quæque pro nobis apud illum loqueris. Sunt etiam labia tua plena gratia in
Ioh. 6. conspectu sanctæ tuæ Christianæ Ecclesiæ, è quibus haurire nouit uerba æternæ uitæ, è quibus etiam cognoscit suam sibi gratiam, salutẽ & omnia bona à Deo patre cœlesti prouenire. Et hac quidem de causa, ob gratiam labiorum tuorum Deus pater tibi benedixit. Siquidem labiis tuis amabi-
Philip. 2. libus, tibi ipse non solum dignitatem & regnum noménque supra omne nomen, uerùm etiam nobis pacem & æternam salutem comparasti, atque ita maledictionem, quæ nobis incũbebat, in æternam benedictionem conuertisti.
Psal. 44. Proinde ô rex omnium potẽtissime, qui designatus es protector & uindex hominis, accingere gladio tuo super femur tuum, & ueni pro nobis certamen certaturus: assume corpus, quo cum principe huius mundi confligas, excita uirtutem & potentiam diuinitatis tuæ, & contere aduersarium nostrum diabolum, accipe etiam in manus sanctum uerbũ
Hebr. 4. tuum, quod penetrabilius est omni gladio ancipiti, & pertingit usque ad diuisionem animæ ac spiritus, quo tanquam
Gen. 3. selecto gladio serpenti caput amputabis. Veruntamen ueni ad nos non in ira & furore tuo, sed in decore & pulchritudine

tudine tua, in gratia labiorum tuorum, negotium aggredere & opus capesse, quod tibi pater tuus cælestis demandauit, nec cessa, donec ad finem perduxisti. Sed prosperare & feliciter procede, & facto iudicio in principem huius mundi diabolum, & illo foras eiecto, tu regnum occupa, quod iniquè possedit, ut pro tam truculento & crudeli tyranno tu regas & domineris tanquam uerus, mansuetus & iustus rex in populo tuo, tum in hoc tuo opere deducet te, imo mirabiliter opem tibi feret omnipotentia diuinitatis tuæ: nam illa sub humanitate tua occultata magnum, admirabilem, & gloriosum te faciet ad triumphandum de hoste tuo diabolo. Enimuero pugnabis ceu homo, sed uinces ceu Deus. Porrò hoste isto deuicto acutas illas tuas sagittas, hoc est, uerba Euangelij tui, mittes in præcordia tuorum hostium, atque hoc pacto efficies, ut innumerus populus tibi subiectus, ad ipsorum salutem uulneribus acceptis, ueluti manui ac potentiæ submittens sese sit humiliaturus. Hæc in uerbis Dauidis insunt in Psalmo suprà memorato. Atque hic conspicis, quàm liquidò summam gloriam resurrectionis Christi præuiderit. Quid enim magnificentius dici potuit? Describit quippe primò Christum ceu uerum mediatorem & æquum arbitrum inter nos & Deum, ideóque cum primis prædicat & commendat gratiam labiorum eius, quæ magnopere necessaria est illi, qui partium controuersias conciliare studet. Vtrumque enim amicis & blandis uerbis in suam sententiam pertrahere debet, quod ipsum & Christus fecit. Deinde describit eum tanquam fortem Gigantem seu Heroëm: talem enim esse eum oportebat contra hostem diabolum, in quem nō solum uerba, sed etiam gladium & potentiam usurpauit. Postremò laudat & commendat eum ceu regem, qui ueritate, mansuetudine & iustitia regnum administrat, &c. Quod si uerò ueteres quoque hoc modo læti sunt in Dominō Christo, prius etiā quàm ueniret, quid nobis in hoc sancto Paschatis die faciendum erit? Proinde lætamini in Domino Iesu ô optimi Christiani: Lætetur Israël in eo qui fecit eum: filiæ Sion exultent in rege suo, &c. Reliquum nunc est, ut uideamus, ad quos homines eiusmodi gaudium resurrectionis Christi pertineat. Id uerò etiam indicat Sanctus Dauid, dum non omnes mortales, sed iustos tantum, & qui recto sunt corde ad hoc gaudium uocat. Sed dicat nunc aliquis, si iusti so-

Ioh. 12.

Sagitta Christi.

Psal. 149.

Resurrectionis Dominicæ gaudium ad quos pertineat.

lum huius gaudij participes sunt, quæ nobis spes reliqua est, qui peccatores sumus? Aut, ubi sunt illi boni & iusti, quos dicit scriptura, Non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum? illi responsum sit, Dauid non eos tantum iustos appellat, qui ab omni peccato immunes sunt, siquidem nemo sine peccato est, sed eum iustum nominat, cui Deus sua remittit peccata, tegit & non imputat, hoc est, qui in Christum uere credit. Eum autem recti cordis hominem censet, in cuius spiritu non est dolus. Aut iuxta sententiam Augustini, ij iusti sunt, qui non in seipsis, & propria sua iustitia, sed in Domino & eius gratia lætantur. Recti autem corde sunt illi, qui manum & potētiam Dei, patienter ferunt, non reclamant, non obmurmurant, ut impij consueuerunt, qui in afflictione sua aut Deum non iustum putant, aut non esse illi nos curæ, adeò obturati sunt corde, ut suam uoluntatem diuinæ uoluntati non subiiciant. Quare si gaudij gloriosæ resurrectionis Christi participes esse uolumus, reputemus nobiscum, quid pro nobis fecerit Christus: agnoscamus illum unum authorem nostræ salutis omniumque bonorum, ueram iustitiam quæramus, cordis sinceritatem seruemus: quod nisi facimus, ueri Paschalis gaudij nulla pars ad nos pertinebit. Faxit Deus, ut id diligenter consideremus præstemúsque.

Psal. 13.
Iustus quis.
Psalm. 31.
Recto corde quis.
August.

TERTIVS SERMO.



EST hodiernum festum per se adeò lætum & solenne, nec non olim dissipatis & semi desperatis apostolis, aliisque fidelibus tantam támque insperatam lætitiam & consolationem attulit, ut apud nos Christianos lætum Alleluia rectè & meritò in omnibus ecclesiæ cantibus primas teneat, omnésque hodierna die conciones non alia re, quàm Dei laude incipiantur. Quia enim is unus est, qui uerum & perfectū gaudium animis nostris infundit, ídque omnium maximè per resurrectionem dilecti sui filij nostri redemptoris Iesu Christi, meritò etiam pro tali à nobis agnosci & coli debet, & maximè hoc die, quo resurrectio Christi facta est. Atq; ideo dico primùm pro huius sermonis initio cum Diuo Petro: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiā suam magnam regenerauit nos in spem uiuam, per resurrectionem Iesu Christi

Alleluia cur Paschatis tempore crebrius & celebrius promatur.
I. Pet. I.

Christi ex mortuis,&c. Dehinc dico cũ Isaia, Domine Deus *Isa.25.*
meus es tu, exaltabo te, & cõfitebor nomini tuo: quoniam
feci ti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen: factus
es fortitudo pauperi, præcipitasti omnes inimicos nostros,
abstulisti lacrymam ab omni facie, & opprobrium nostrum,
&c. Tertiò dico cum Sara Tobiæ, Benedictum est nomen *Tob.3.*
tuum ô Deus, qui post tempestatem tanquillum facis.

Hisce tribus gratiarum actionis sentẽtiis operæpretium duxi hunc ordiri sermonẽ, & Deo Optimo Maximo iustum suum honorem & gloriam tribuere super omnibus bonis, quæ hodie de manu ipsius beneficentissima accepimus. Volo etiam omnes Christianos admonitos, ut idem mecum pariter faciant, & quidem hodierno die non paulo feruentiori studio, quàm reliquis anni temporibus, posteaquam tam solenne paschale sacrificium habemus, quòd Iudæorum agnum longe antecellit. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Imo uerus agnus est, qui sustulit peccata mundi, Agnus est, qui oues liberauit: innocens est, qui peccatores Deo Patri reconciliauit. Ante duos dies mors & uita luctu admirabili digladiabantur inter sese, atque tum mortem uita penè superiorem dixisses. Hodie autem uidemus Principem uitæ, qui tum moriebatur, non solum uiuere, sed etiam regnare. An non autem hoc laude & gratiarum actione dignum est? Similiter etiam ante duos dies apostoli sanctæ Ecclesiæ futuri columina adeò examinati erant, ut quid porrò credere aut etiam sperare oporteret, uidere non possent. Hodie uerò regenerauit eos in spem uiuã, & non eos solũ, sed etiã nos omnes. Posteaquã enim in sanctissima passione Christi clarissimè cõspeximus multitudinẽ & atrocitatem nostrorũ peccatorum, onus iræ & diuini iudicij, quo onerati, & postremò etiã terrorẽ mortis, quo cõsternati eramus: necnon tyrannidẽ diaboli, qua uincti premebamur, nihil poteramus aliud, quàm plorare cum Dauide, & queritari, Domine ne in furore tuo arguas me, &c. Hodie autem cum huius miseriæ & calamitatis nihil amplius in Christo uidemus, sed læta omnia, utpote uitam, iustitiã, & gloriã, &c. certa nobis spes ostẽditur, eum mala omnia uicisse, & ediuerso nobis omnia bona cõsecutum esse & porrexisse. An non autẽ istud etiã immẽso gaudio & laude dignũ est? Præterea uidimus quoq; in passione ipsius, quòd hostes Christi supra modũ accreuerant & conglome

In Christi resurrectione multiplex gaudẽdi materia proponitur.

1.Cor.5.
Ioh.1.

1.Pet.1.

Christi passio quorum nos cõmonefaciat.

Psal.6.

glomerati erant,& perinde ac si iam uicissent,ita serio glo-
Mat.27. riabantur. Confidit in Deo (inquiebant) liberet nunc eum
si uult. Contrà, Christus una spes & solatium nostrum
totus derelictus & humiliatus erat,adeò,ut Deus non mo-
do suorum promissorum,uerùm etiam omnis paterni amo
ris oblitus uideri potuerit,quam etiam ob rem fideles haud
aliud quàm flere poterant. Hodie autem uidemus Deum
rursus miraculis suis ostendisse,ad perficiendum quod an-
tiquitus constituerat:Christum exaltauit,hostes præcipita-
uit,bonos consolatus fuit, omnem mœrorem & ignomi-
niam ab eis abstulit. Qua etiam re gaudere nos & Deum
laudibus ornare nónne par est? Ad hæc omnia uidimus in
passione tantam tempestatem in Christū & suos coortam
fuisse, per quam non solum apostoli sui discipuli disipa-
Angustia bantur,uerùm etiam Christus ipse in eam redigebatur an-
Christi pa gustiam,ut primò sanguineum sudorem sudaret,& deinde
tietis quan in cruce clamare uoce magna inciperet,Deus meus,Deus
ta. meus,ut quid dereliquisti me? Et iterum, Saluum me fac
Matth. 27. Deus,quoniam intrauerūt aquæ usque ad animam meam:
Psalm. 68. & ne tum quidem boni quique aliud poterant, quàm la-
crymari & sibi metuere. Hodie autem uidemus, quòd
pluuiam istam sequitur serenitas,quòd Christus cum sua
maiestate reuiuiscit,quòd suos discipulos disiectos rursum
cogit. Proinde optimo iure hodiernam concionem non
aliunde,quàm à laude Dei ordiri uolui:meritò celebramus
hodiernum festum summo cum gaudio. Sin uerò supra hæc
omnia quis mœstus & pusillanimis adhuc foret ob ea,quæ
in passione Christi uidit,ei utilius proponere nihil posset,
Apocal.5. quàm hæc ex Apoc.uerba,ubi ad illum dicebatur: Ne fle-
ueris:ecce uicit leo de tribu Iuda,radix Dauid. Etenim tan-
ta hæc uocula uirtute pollet,ut uel sola eximere possit,si
quid tristitiæ in nobis ex præterita tempestate relictum sit.
Quod ita habere paucis ostendam. Sic legimus in Apo-
Apoc.1. calypsi Ioannis. Cùm is sanctus Apostolus ob professio-
Iohānes Aposto nem nominis Iesu in exilium relegatus esset in insulam
lus in Pathmo Pathmum, nullo alio fruebatur solatio, quo fulciebatur,
Apocalypsim quàm quòd uniuersus Ecclesiæ status à primordio ad finē
conscripsit. usque manifestabatur illi indicabaturq;. Vidi(inquit)& ecce
Apocal.4. sedes posita erat in cœlo,& supra sedem sedens. Et in cir-
cuitu sedis,sedilia uiginti quatuor: & super thronos uigin-
ti quatuor sedentes. Et in conspectu sedis tanquam mare
uitreum

uitreum simile crystallo:& in medio sedis & in circuitu sedis quatuor animalia,& requiem non habebant die ac nocte,dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens,qui erat,& qui est,& qui uenturus est, &c.
Et uidi in dextra sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris,signatum sigillis septem.Et uidi angelum fortem, prædicantem uoce magna, Quis est dignus aperire librum,& soluere signacula eius?Et nemo poterat neque in cœlo,neque in terra,neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum.Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum,nec uidere eum.Et unus de senioribus dixit mihi,Ne fleueris:ecce uicit leo de tribu Iuda,radix Dauid, aperire librum,& soluere septē signacula eius.Et uidi,& ecce in medio throni & quatuor animalium,& in medio seniorum,agnum stantem tanquam occisum, habentem oculos septem & cornua septem:qui sunt septem spiritus Dei,missi in omnem terram.Et uenit,& accepit de dextera sedentis in throno librum.Et cum aperuisset librum, quatuor animalia & uiginti quatuor seniores ceciderunt coram agno,habentes singuli cytharas,& phialas aureas plenas odoramētorum, quæ sunt orationes sanctorum:& cantabant canticum nouum,dicentes,Dignus es Domine aperire librum,& aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo,ex omni tribu & lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et uidi,& audiui uocem angelorum multorum in circuitu throni,& animalium & seniorum:& erat numerus eorum millia millium,dicentium uoce magna,Dignus est agnus qui occisus est,accipere uirtutem,& diuinitatem,& sapientiam,& fortitudinem,& honorem,& gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam quæ in cœlo est,& super terrā,& sub terra,& quæ sunt in mari,& quę in eo:omnes audiui dicētes,Sedenti in throno,& agno,benedictio & honor & potestas in secula seculorum.Et quatuor animalia dicebant,Amē.Et uiginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt uiuentem in secula seculorum. In hoc capite audis,quando & quibus de causis hoc uerbum ad Ioannem dictum sit, quin etiā hîc habes agnum nostrū paschalem Christum ad uiuum descriptum,atq; ita ut nihil sit omissum. Vides præ-

terea hic, ad quos honores & gloriã Christus in resurrectione sua euectus sit: hic audis, quàm imméſa nobis illinc bona extiterint: hic discis, qd te facere uicissim deceat. Et hæc omnia nõ solum ad istud festũ pertinẽt, sed plurimũ quoq; nostra refert, ut idipsum sciamus. Quid enim homo Christianus iustius quęrit & uestigat, quàm causas & ꝓprietates suorũ festorũ? Qua re uerius gaudere põt, quàm honore & gloria Christi? Quid etiã cupidius apprehẽdere eum conuenit, quàm sicubi illi gratia Dei offertur? Et postremò, quid studiosius discere debet, quàm quo pacto beneficiis Dei posſit occurrere? Age igitur uide iam, an non æquũ sit, nos hodie uisionẽ hanc Ioannis cõsiderare & perpẽdere? Quapropter paulo propius accedamus, & literã aliquanto penitius introspiciamus. Cœlum quod uidit Ioannes est sancta Christiana Ecclesia, quæ cœlo rectius quàm terræ comparatur. Primò, quòd Christi regnũ non est de hoc mundo. Secũdò, quòd Christus post suam resurrectionẽ fideles suos ad cœlestẽ uitam traduxit. Sedes quam uidit Ioannes, significat Christũ regere in sua Ecclesia & sedere. Regit quidem ubiq;, sed nusquã melius & agnoscitur & colitur, quàm hoc adeò in loco, in sua Ecclesia. Vigintiquatuor seniores qui sedentes thronum cingebant, fideles sunt ueteris ac noui testamenti. Fuerunt siquidem duodecim patriarchæ in ueteri testamento, à quibus totus Israëliticus & fidelis populus originẽ traxit: similiter & in nouo testamẽto duodecim Apostoli primitus fuêre, qui eorum patres sunt & uocãtur, qui per baptismum renouãtur. Atq; ita per uigintiquatuor istos seniores, utriusq; temporis seu testamenti fideles denotantur, quãdoquidẽ utriq; ad eandẽ pertinent Ecclesiã, & unã fidẽ habẽt. Liber, quẽ Iohannes omnésq; fideles aperiri impẽſe cupiebant, erat æternũ Dei cõsilium & decretũ, quod uerbũ suũ, hoc est, dilectus suus filius humanã assumpturus esset naturã, hominẽ redẽpturus, regnúmq; diaboli euersurus. E diuerso autẽ regnũ Dei instauraturus, omniáq; renouaturus & reparaturus, quæ diabolus labefactârat perdiderátq; in cœlo & in terra. Hic erat liber in dextra sedentis supra thronũ, imo tota erat sacra scriptura, in qua Deus optimus maximus iã inde ab initio suũ institutũ patefecit. Sic itaq; liber iste præ manibus quidẽ erat, & omnes pij nouerãt, Deũ hoc præstaturũ, legebãt Deũ hoc stipulatũ fuisse & promisisse, sed nemo adhuc erat q ꝑficeret. Liber clausus erat,

Cœlum Ioanni uisum, mystice quódnam sit.

Ioan. 18.

Ecclesia cur cœlo comparetur.

Sedes.

XXIIII *Seniores.*

Liber signatus.

erat, ut scire nemo posset, qua id ratione futurũ esset, donec ipse agnusmet ueniret. Et ni Christ' uenisset, liber etiãdum clausus esset, quẽadmodũ in incredulis probe animaduertere est, q in Christũ nõ credũt, iis adhuc clausus est liber iste, quoniã quónam pacto Deus ꝓmissa sua adimpleuit aut adimpleturus sit, nõ uidẽt. Hic liber nõ unũ tãtùm, sed septem sigilla habet. Erãt enim septẽ, quę exequi Christus debebat, hoc est, incarnatio illius, passio, resurrectio, ascẽsio ad cœlũ, sancti Spiritus missio, gẽtiũ ad agnitionẽ Dei uocatio, deniq; iudiciũ tam in uiuos quàm mortuos. Hæc erãt septẽ sigilla, quæ aperire nemo: septẽ mysteria, quæ perficere nemo poterat præter unũ Christũ. Nihilominus tamen circũspiciebant patres, si quis forte esset, qui hæc sigilla uellet aut posset aperire. Et quidem summis uotis talem aliquẽ sibi dari optabant: & huc pertinẽt illæ sententiæ, Vtinã dirumperes cœlos, & descẽderes. Itẽ, Ostẽde Domine faciẽ tuam, & salui erimus. Et qd facere aliud poterãt? Legebãt in Isaia, Ecce uirgo pariet filiũ, &c. Item, Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, &c. Legebant quidẽ hæc, sed talis nusquam apparebat. Legebant, Vere languores nostros ipse tulit, &c. Item, Foderunt manus meas & pedes meos, &c. Legebãt, Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos. Legebãt, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, &c. Sed nuspiã adhuc talẽ uidebãt. Sic ergo iuxta fidẽ defuncti sunt omnes, nõdũ tenuerũt promissa. Circunspectabãt per omne Israëliticum semen, cõtemplabãtur recens natos & morti uicinos. Erãt angeli in cœlo, fideles in terris, boni subter terrã, at nemo erat, qui hunc librũ aperire poterat, hoc est, promissa ista implere. Hodie autẽ ad nos dicit, Ne fleueris: ecce uicit leo de tribu Iuda, &c. Ecce præsto est, qui hũc librũ aperire potest, imò iampridem omnia perfecit, quippe per resurrectionem declarauit se eum esse, qui ꝑficere hæc omnia possit. Sed quis iste leo est? Christus Deus & homo. Vide, istud hodie mundo annũtiatũ est. Antequam Christus à mortuis resurgeret, uidere nemo poterat, nemo poterat credere, eum de uirgine natũ esse, quam nuptam uidebant. Nemo existimabat eum sine peccato natum, cùm circuncideretur: nemo illum pro rege cœlorum habebat, postquam uidebant eum fugere tyrannidem Herodis: nemo credebat illum esse filium Dei, quum uiderent eum ieiunare, tentari, &c. nemo suspicabatur eum Domi-

Sigilla septem.
Isa. 64.
Psal. 79.
Isa. 7.
Isa. 9.
Isa. 53.
Psal. 21.
Ose. 6.
Psal. 109.
Heb. 11.
In cœlo.
In terra.
Subter terram.
Leo Christus.

num esse gloriæ, posteaquam suspensum inter latrones conspicabantur. Et postremò, cùm sepultus & monumento inclusus esset, cogitare quis haud aliud poterat, quàm funditus eum occidisse & periisse? Quis uerò tum temporis sibi à lacrymis temperare potuisset, præsertim cùm librum adhuc clausum uideret? Hodie autem, posteaquam suapte uirtute reuixit, idque post triduum, ueluti ipse prædixit, & tanta cũ maiestate, abũdè testatum factũ est, quòd sit is, qui omnem uoluntatem Dei solus implere deberet ac posset. Sed uide, quàm pulchrè Ioannes de ipso loquatur. Vocat eum leonẽ de tribu Iuda, & radicem Dauid, propter diuinitatem: enimuerò iuxta humanitatem Dauid radix est Christi, cæterum si diuinitatem spectes, Christus radix est Dauidis & omnium fidelium. Sed quid hic leo fecit? uicit. Quem ergo uicit? Peccatum, mortem, Satanam. At quemadmodum uicit? Non sicuti leo, sed ut agnus occisus, uicit enim sua morte. Sed unde id probatur? Per resurrectionem ipsius. Quid per hoc effecit? Vt nunc omnes creaturæ ad ipsum clamẽt, Dignus est agnus accipere signacula eius. Verùm cuiusmodi creaturæ sunt, qui hoc dicunt? Omnes in terris fideles, omnes angeli in cœlis, omnésque aliæ rationis expertes creaturæ. Atque hoc est, quod Iohãnes ait, Simul atque agnus iste librũ aperuit, non solum uiginti quatuor seniores, uerumetiã omnes creaturas cecidisse coram throno, Deo & agno honorem deferentes, &c. Huc etiam alludit diuus Paulus, ubi inquit, Christum exaltatum supra omnes creaturas, & accepisse nomen, quod sit super omne nomẽ, ut in nomine ipsius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Rogas iam, quomodo terrestria genua coram illo flectantur, hoc est, quid honoris illi exhibeant boni? Cãtant illi (inquit Iohannes) cãticum nouũ per ueteris hominis depositionẽ. Et qualis illa cantio est? Dignus es Domine accipere librũ, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Hoc canticum est, quod nunc & iugiter Christo Domino nostro canere debemus. Mortuus quidem ceu agnus, sed nos Dominum nostrum uocamus. Nos cõfitemur, illum unum promissa Dei impleuisse, pro nobis mortẽ oppetiisse, nos redemisse, nõ auro, sed pretioso suo sanguine, idque non nobis, sed Deo, & uocauisse

Radix Dauidis ut sit Christus.

Christus Leo qua uicerit.

Vt uicerit.

Phil. 2.

Canticum nouum cuiusmodi canere Christo debeamus.

cauisse nos ex omnibus uniuersi orbis linguis & nationibus, & constituisse nos reges ac sacerdotes, & nos æternum cum illo regnaturos, &c. Hoc nouum canticum est, quod canere debemus. Angeli aliud habent, quia illos nõ redemit, sed cõfirmauit, & ob id canunt, Dignus est agnus, qui occisus est, accipere uirtutem, & diuinitatẽ, & sapientiã, & fortitudinem, & honorem, & gloriã, & benedictionẽ, &c. Illud Angelorum canticum est. Reliquæ creaturæ præter homines & Angelos, Deum & agnum benedicunt, laudant & glorificant, uerùm non uoce & lingua, sed ipso facto & opere. In illis enim elucet benedictio Dei, honor, gloria, & potentia, &c. En, hæc est amplitudo Christi, ad quam Deus eũ euexit per resurrectionem illius. Proinde meritò ad nos hodie dicitur, Ne fleueris, ecce, uicit leo de tribu Iuda. Meritò hodie canimus, Christus surrexit ab omni suo dolore & cruciatu: gaudeamus, quoniam Christus est nostrum solatium, Alleluia.

Cãticum Angelorum.

Creaturæ rationis expertes ut Deum laudent.

QVARTVS SERMO.



HIC est lapis, qui reprobatus est à uobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & nõ est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomẽ est sub cœlo datũ hominib⁹, in quo oporteat nos saluos fieri, &c. Audiuistis superioribus diebus, quemadmodum Christiana Ecclesia cõmunem cum Christo mœrorem & luctũ præ se tulerit, quinetiam clarissimè uideris, quẽadmodũ cum Christo lætetur & exultet, & quo maior illius tum tristitia erat, hoc magis gaudiũ hodiernum exuberat. In passione Christi omnia uerba, cãtus, ceremoniæ eò tendebant & destinata erant, ut homines ad lacrymas & mœrorẽ permouerẽtur: nũc uerò omnia uicissim ad gaudiũ ordinata sunt: nam hodie lætũ Alleluia repetitur, hodie omnis tristitia seponitur, hodie crebrò uerba Dauidis canũtur, Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. In summa, quẽadmodũ Ecclesia in passione Christi dolorem suũ significare satis nõ potuit: ita hodie gaudiũ suũ haud satis declarare potest: & quidẽ utrunq; iustas & magnas causas habet. Nẽpe ꝓpter nos tandẽ omnia fiũt, ut isthinc discamus eiusmodi diuinis operib⁹ rectè uti, quãdoquidẽ profecto in istis duobus, nimirũ in passione & resurrectione Christi, omnis nostra salus & beatitudo sita

Act. 4.

Psal. 117.

Salus nostra in quibus sita.

Rom. 4. est. Propter nostra enim delicta mortuus, & resurrexit propter iustificationẽ nostrã. Ni Christus uita defunctus esset, nemo nostrum peccatis leuari posset. Ni porrò reuixisset, nemo ad uitã immortalem perueniret: mors illius à peccatis nos uindicat, sed resurrectio illius uitam nobis confert. Quisquis igitur è peccatis sese emoliri cupit, mortis Christi obliuisci nõ debet: & qui uitã immortalem adipisci uolet, is ad resurrectionẽ Christi animum suũ transferat: uiuificabit

Osee 6. nos (inquit ꝓpheta Osee) post duos dies: in tertia die suscitabit nos, &c. Proinde res hodie postulat, ut animos & capita nostra attollamus, oculos nostros & aures aperiamus, ut Christũ læti uideamus in gloriosa sua resurrectione, & summa cum attentione audiamus, quid nobis hodie solatij attulerit. Si Christum in sua humilitate uidimus, uideamus illum quoq; in gloria sua: si cõsiderauimus, quemadmodũ pro nobis certauerit in sua pasione, cõsideremus etiã hodie, quãto cum splendore & celebritate triũphum egerit, imò nõ solum cõsideremus hoc, sed etiã pro uirili triumphũ illius adiutemus. Nam tametsi solus Martem experiri uoluit (sic enim

Christo resurgẽti et triumphanti ut adesse & congratulari debeamus.

Isa. 63. nim propheta Isaias de illo uaticinatus erat) Torcular calcaui solus, & de gentibus nõ est uir mecum. Vnde etiam ad supplicium extremum & mortem iam concessurus dicebat,

Ioh. 18. Si me quæritis, sinite hos abire, &c. Attamen triumpho suo nos interesse uult. Hac quidem de causa resurrectionem suam per Angelum communicari quamprimum curabat, deinde quoque seipsum conspiciendum exhibebat, quò triũphi gloria illustrior fieret, & gaudiũ suæ resurrectionis latius dimanaret. Poscit itaque à nobis, ut triũphanti sibi adsimus. Etenim hic mos olim etiam Romanis solẽnis erat: cùm Imperatoribus suis triumphũ decernerent, non solum spectabant, quomodo urbem ingrederentur, uerumetiam obuiam illis prodeũtes, honorificentisime eos excipiebãt, magno cum gaudio pariter & laude per urbem deducebãt eos usque ad Capitolium: denique diis suis propterea gratias agebant, qui tam insignem & optatam uictoriam suis imperatoribus dedissent. Si hoc fecerunt Ethnici suis imperatoribus & belli ducibus, quantò magis par est nos idem hoc facere Domino nostro Christo? Nam tametsi non mediocre facinus est, quòd olim Camillus Romanus, Gallos urbe Roma eiiciebat, Scipio Africanus Carthaginem funditus delebat, & duo Decij sua ipsorum morte populi salutem

Triumphandi mos olim quis fuerit.

redi

redimebant,&c.attamen nihil est ad ea,quæ nobis præstitit Christus.In sacris literis legimus quidẽ etiã aliquot triumphos & uictorias:nam sic Dauidi obuiam ibant omnes mulieres,post interfectum Goliath domũ reuertenti, & triumphum illius condecorabant.Sic idem ille Dauid ab uniuersa Israëlitici populi multitudine magno cum triumpho rursus introducebatur, postquam Absolonẽ, à quo regno suo pulsus erat,neci tradidisset. Sic Iudith amputato Holoferni capite.magna cum ouatione excipiebatur. Si itaque nõ solum Ethnicorum,uerumetiam Iudæorum tantam fuisse gratitudinem uidemus erga eos, qui ob reipublicæ utilitatem memorabile quid designassent, quos nos honores, quas gratias nostro Domino Christo debemus? Enimuerò donemus rem esse magnam, quòd Dauid puer adhuc uasto & robusto corpore Gigantem Goliath cecidit,& quòd Iudith fœmina,Holofernem,qui aliis cunctis mortalibus formidabilis erat, interemit: illa tamen omnia nihil aliud erant, quàm figuræ & imagines futuræ gloriæ Christi. Quapropter charissimi in Domino, expergiscimini, Augusto uictori Christo obuiam prodeamus, regi nostro spirituale carmen, hymnum & gratias canamus, illi acclamemus, quemadmodum nuper in die palmarum Hierosolymis populus fecit:Osanna filio Dauid,benedictus qui uenit in nomine Domini.Siquidem hæc acclamatio omnium maximè ad hodiernum festum quadrat, Confiteamur Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

1.Reg.18. *2.Reg.19.* *Iudith 13.* *Matth.21.* *Psal.117.*

Narremus opera Domini:hodie dextera illius fecit uirtutem.Constituamus hunc diem in condensis usque ad cornu altaris.Toto pectore clamemus ad eum, Deus meus es tu, & confitebor tibi,&c.Hunc,inquam,in modum triumphus & uictoria Christi à nobis celebrari debet : etenim sic illum celebrauit Dauid in Psalmo prędicto. Sic festum istud maiores nostri primi Christiani celebrarunt:imò propter hunc triumphum quem Christus hodie egit, diem Dominicam per totum annum feriis consecratam,celebrem & sanctam esse uoluerunt. Et sic facit etiamdum Christiana Ecclesia, generatim celebrans hodie triumphum Christi. Proinde reliquum iam fuerit,ut quiuis Christianus singulatim pro se eiusmodi triũphũ Christi agat & celebret. Idcircò tametsi superioribus annis multa de hoc festo dixi ; plura tamẽ de eo nũc etiã dicere operæpretiũ duco, quo maior uobis detur occa

Primi Christiani ut Pascha celebrarint.

occaſio hodiernũ hunc diẽ religioſe & Christianè trãſigendi. Eam ob rem, illam diui Petri ſententiam mihi propoſui, ubi ſic ait, Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à uobis ædificantibus, &c. Hoc ego unum uerbum hodie uobis commẽdatum eſſe uolo, atq; utinam nos illud ea animi magnitudine acciperemus, qua dictum fuit à S. Petro, ingẽs proculdubio è reſurrectione Domini ſolatium hauſturi & domum reportaturi eſſemus. Itaq; breuiter hoc uerbum exponam. Principio omnes qui Christum profitentur, norunt reſurrectionẽ Christi ex fidei noſtræ articulis unum eſſe, id quod ex eo apparet primum, quòd etiã ueteri teſtamẽto reſurrectio Christi prædicta fuit. Secũdò, quòd nõ ab hominibus, ſed ab angelis primum eſt annũtiata. Tertiò, quòd Chriſtusmet ante paſsionem ſuam diſcipulis ſæpenumerò prædixit. Postremò, quòd diuus Paulus aliique Apoſtoli tam præclare de ea paſsim loquuntur, quod uel ex hoc diui Petri uerbo conſtare poteſt: Hic eſt lapis (inquit) qui reprobatus eſt à uobis ædificantibus, &c. Hoc primum erat teſtimonium, quod Petrus de Domino Christo ferebat coram principibus & primatibus Iudæorum. Porrò quatuor cum primis inſignia hic profitetur de Chriſto. Primũ, quòd ſit ille ſolus, de quò omnis ſcriptura dicit, remittens illos hoc pacto ad Pſalmum. Secũdò, quòd tametſi Chriſtus paſſus eſt & mortuus, nõ tamen deletus penitus ſit & perierit: & hac quidem etiam de cauſa tertiò lapidem illum uocat angularem. Quartò, quòd ſit uerus conſummatus & unus ſeruator: propterea addit, in nullo alio ſalutem eſſe. Hæc autem illa ſunt, quæ nobis hodierna dies annunciat, quæ Iudæis quidem uehementer inuiſa ſunt, imò nihil aliud fuerunt, quàm ſpinæ acutæ in auribus & cordibus illorum, nobis uerò ſunt nuntiũ lõgè optatiſsimum. Etenim primò Chriſtus is eſt, ad quẽ omnis ſcriptura nos relegat & dirigit: & meritò gaudemus, fidem noſtram tam certo támque firmo niti fundamento. Iudæi hũc ſcopum non attigerunt, nam tametſi longum tempus Meſſiam expectarunt, ob oculos tamen ſibi poſitum non agnouerunt: quid ergo illis circuncisio conducere poteſt, uel etiã lex, cum fides eorum nullo certo fundamento nitatur? Eſt enim fides unicum fundamentum ſpiritualis ædificij, & ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Cæterum uerè nos dicere poſſumus cum S. Philippo: Quem ſcripſit Moſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph, à Nazaret, &c.

Enim

Act. 4.

Reſurrectio Christi in fidei articulis numeratur.

Act. 4.

Petri Apoſtoli primũ de Christo coram principibus Iudæorum teſtimonium.

Chriſtus totius ſcripturæ ſcopus.

Heb. 11.

Ioh. 1.

Enimuerò in passiõe illius audiuistis, quàm scriptura in domino Christo probè sit impleta, imò nihil tam pusillum tám que leue perpessus est, quod sacræ literæ non prædixerint. Nunc porrò uidetis, etiam in passione ipsius sacram scripturam suum effectum esse consecutam: siquidē sanctus Dauid multa de hac resurrectione canit, quæ in neminem præterquam in unum Christũ competũt, ut cum ait, Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi: quia dominus suscepit me, &c. & rursum, Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Rursus, De torrente in uia bibet: propterea exaltabit caput, &c. Quemadmodum autem resurrectio illius à Prophetis prædicta uerbis, ita multis quoque exemplis præfigurata est. Vtpote in Iona præfiguratum est, resurrecturum eum tertia die. In Samsone autem resurrecturum intempesta nocte. Atque hæc omnia in nullo alio adimpleta uidemus, quàm in nostro uno domino Christo. Quamobrē ò homo Christiane præ gaudio exilire meritò debes, quòd ex resurrectione Christi uides tuā fidem certam esse, & fundamento firmissimo fultam. Magna profectò cõsolatio, siquidem nihil aduersi nobis efficere potest, quādo fides nostra certa & uera est: quia Christus dominus ipsemet dicit, uitam æternam esse, sicubi Deus rectè cognoscitur, & Iesus Christus, quē misit. Hoc primum est, quod festũ illud nobis annuntiat. Alterũ est, quod Christus tametsi passus est, non tamen in passione sua succubuit, sed inuĕtus est ceu solidus, firmus, infractus lapis, & tanquam Marpesia cautes. Ista re gaudere quilibet potest, qui in periculo uersatur. Nam uide cedò, quot contra Christum conspirauerant: diabolus cum omni sua potĕtia, mundus cum omnibus suis uiribus, mors & tartarus cum omnibus suis conatibus. Hunc lapidem Iudæi & Ethnici pulsarunt, imò tanto impetu in eum insultum fecerunt, ut discipuli eius de ipso desperarent, arbitrati iam actũ de eo esse: hostes uerò ipsius iam certam sibi uictoriā promittebant, illudentes ei sine metu & formidine aliqua. Sed uide quàm nihil profecerint: noster lapis adhuc illæsus est, nec aliquò affectus damno. Proinde gaude Christiane optime, nam hic uides Christum fortiorem esse diabolo, mundo, morte, inferno, & omnium malorum lerna. Is est uerus Samson, qui sæuum seu tartareum Leonē discerpsit & dilacerauit: is est uerũ semen mulieris, qui serpenti caput contriuit:

Psal. 3.
Psal. 15.
Psal. 109.
Ioa. 2.
Iud. 16.
Fides ut ex Christi resurrectione confirmetur.
Ioh. 17.
Christus afflictus quidē immaniter, sed nunquam uictus.
Mat. 27.
Iud. 14.
Gen. 3.
Ios. 12.
Eccles. 27.

triuit:is est uerus Iosue, qui omnes hostes populi Dei cecidit & deleuit:is uerus est Dauid, qui cum leonibus perinde quasi cum ouiculis lusit. Hinc disces, unde auxiliũ in omni aduersitate cõtra diabolũ, mortem, &c. quærere oporteat. Atq; hoc illud est, quod etiã Sophonias dixit: Lætare, & exulta in omni corde filia Ierusalẽ. Abstulit dominus iudicium tuũ, auertit inimicos tuos: rex Israël Dominus in medio tui, non malũ ultra. Similiter & Isaias de hoc ipso uaticinatur, Ecce Deus noster iste, expectauimus eũ, & saluabit nos, &c. O quantũ consolationis homo capere posset ex huius fortitudinis Christi consideratione? quod ipsum & diuus Paulus fecit, Si Deus pro nobis (inquit) quis contra nos? &c. Tertium, quod festum istud nobis annuntiat, est quòd Christus factus est supremus lapis angularis antea depressus iacebat, nunc in edito collocatus est. Antea solus & omnium præsidio destitutus uidebatur, nunc duos cõplectitur muros. Cæterùm ad quantã altitudinem hic lapis exaltatus sit, indicat Dauid, Gloria & honore (inquit) coronasti eum, & cõstituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Similiter & loquitur per totũ uicesimum Psalmum. Et diuus Paulus, Deus (inquit) cõstituit eum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatũ, &c. Et rursus, Deus exaltauit illũ: & donauit illi nomẽ, quod est super omne nomen, &c. Qui autem sint illi duo muri, pariter docet Paulus: Iudæi sunt & Ethnici. Iudæi quidẽ primùm ad hoc ædificium soli pertinere uidebãtur, at nunc posteaquã exaltatus est Christus, ad se omnia pertraxit. Sic olim cum optimo Ioseph agebatur. Is inter omnes fratres contẽptissimus erat, sed simul atq; in Aegyptũ diuenditus fuit, ad tantos euehebatur honores, ut non solũ in fratres suos, uerum etiam in Aegyptios dominiũ haberet. Sic diuus Iob in figura Christi post pœnã suam & pœnitentiã duplo plura consecutus est, quàm prius habuerat. Sic etiam Dominus noster Christus pro uno Iudaico populo omnes gẽtes suo regno adiunxit. Est itaq; optime Christiane, quod iterũ gaudeas: etenim uides hic & nos habere ius ac potestatẽ in Christo, licet de semine Abrahæ non simus. Quid autem maius est, quàm Christi consortẽ esse? Is enim uerus hæres est uniuersorũ, cui pater omnia in manus dedit, &c. Quapropter Christiane iterum gaude, qui ad hanc gratiam admissus es, ut etiam te lapis iste angularis contineat. Proin cum propheta Isaia

Soph. 3. — Isa. 25. — Rom. 8. — Christus summus lapis angularis. — Psal. 8. — Eph. 1. — Phil. 2. — Ioh. 12. — Gen. 45. — Iob 42. — Psal. 2. — Heb. 1. — Ioh. 13.

Isaia sic dicito, Gaudens gaudebo in Domino, &c. Et cum *Isa.61.*
beato Paulo, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu *Eph.1.*
Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritua-
li, &c. Quartũ quod nobis hodiernum festum annuntiat,
est quòd in Christo & in nullo alio salutẽ & perfectam salu- *In Christo perfecta animæ et corporis salus nobis præstatur.*
tem habemus: nimirũ animæ simul & corporis. Nã per san-
ctam resurrectionem suam etiamdũ animas nostras uiuifi
cat, & in futurũ quoq; corpora nostra excitabit. Ego, inquit,
sum resurrectio & uita, &c. Dicit item diuus Paulus, Si credi *Ioh.11.*
mus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos *1.Thes.4.*
qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo, &c. Atq; ita
uides optime Christiane hac in parte, quàm iustè nos hodie
ad gaudium inuitemur: tantum enim boni nobis resurre-
ctio Christi annũtiauit. Nimirũ quòd fides nostra certa est,
quòd Christus uictor est omnis mali, quòd cõsortes sumus
Christi, & per illum non solum animæ nostræ nũc resurgũt,
sed etiam corpora nostra in futurum resurgent. Ecquid am-
plius quæris aut postulas? Maiora bona quî optare possis?
Huc pertinet quod angelus ad mulieres dicit, Nolite expa- *Mar.1.*
uescere, &c. Vos (inquit) quæ quæritis Iesum Nazarenum,
crucifixum: metuant sibi illi, qui eum crucifixerunt, & qui
hunc lapidem reprobauerunt: uos autem gaudete, & aliis
quoque hoc gaudium renuntiate, præsertim iis, qui in mœ-
rore & luctu sunt, quo & ipsi consolentur: ante omnia au-
tem ad eum properate locum, ubi Christus compariturum
se promisit, qui erit cœlestis patria. Christus surrexit, nõ est *Ad cœlestia animo contendendum.*
hîc, nec nos in hoc mundo hęrere perpetuò oportet, sed ad
cœlestia eniti & aspirare. Quare nolite retrospicere, nolite
committere, ut Christus frustra tantos exhauserit labores,
ne finite in uobis tam nobilem thesaurum perire, ne despi-
cite tantam gratiam, sed curam adhibete, ut uobis Christus
sit bonum fundamentum, cui uos ipsos superstruatis, & la-
pis angularis, qui uos amoris & concordiæ uinculo copu-
latos conseruet. Cauete etiam, ne in hunc lapidem impin- *Mat.21.*
gatis, néue lædamini: nam qui malis operibus ceciderit su-
per lapidem istum, confringetur: super quem uerò cecide-
rit, conteret eum. Fugite peccatum, siquidem idipsum &
Paulus uult, ubi ait, Expurgate uetus fermentum, ut sitis no
ua conspersio, sicut estis azymi. Faxit Deus, ut hæc probè *1.Cor.5.*
consideremus faciamúsque, Amen.

QVIN

QVINTVS SERMO DOCET, *quid circa resurrectionem Christi considerandum sit.*

1.Cor.6. *Empti estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore uestro.*

Paßionem & Resurrectionē Christi cur nō eadem ratione colat Ecclesia.



QVI hodiernam diē lætæ resurrectionis Christi cōponit cum luctuosa die crucis & passionis illius, quam in die Parasceues habuimus, non mirabitur, sanctā & Christianam Ecclesiam longè aliā hodie faciē præ se ferre, quàm tum in illa die crucis. Tum nil nisi tristia uidebātur, hodie uerò gaudio plena sunt omnia: & utrobique iustæ rationes suppetunt. Tum Christus tanquā innocens agnus pro nostris peccatis immolabatur occidebatúrq;: hodie tanquam uictoriosus leo ex omni periculo sese eripuit, omnésq; hostes suos subegit. Quis autē rideat, quādo audit ac uidet filium Dei pro nobis pati ac mortē obire? Quis non mœreat, quando uidet omnia elementa cōtristari? Quis peccator nō obstupescat, & sibi timeat in suis peccatis, quādo uidet, quòd Deus etiā unicum suum filiū ita percutit & supplicio afficit ob aliena commissa? Ex aduersum, quis non ex animo lætetur, quando uidet ex hoc agno ita repēte leonē esse factū? Quis non læta uoce canat, quando audit & uidet Christum esse fortiorem peccato, morte, diabolo, mūdo, & quicquid se illi opposuit? Quis præ gaudio non exiliat, quā-
Mar.16. do audit, quod non solum angelus dicit, Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenū crucifixum: surrexit. uerūetiā
Ioh.20. qđ Christus ipse ait ad Magdalenam, Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrē meum & Patrem uestrū, Deum meum & Deū uestrū. Charissimi fratres, meritò gaudemus circa resurrectionē Christi. Res enim periculo plena erat in passione Christi, non modò quantum ad ipsius personam, sed etiam quantum ad nos, nostram felicitatem, & salutem attinebat, nempe secundum humanum iudicium. Spes ostēdatur propè nulla, nemo cogitare aliud poterat, quàm actum esse iam de Christo, & deinceps de omnibus iis, qui fiduciam suam in eo collocarant. Propter nos certamen susceperat, omnes hostes nostros, hoc est, peccatum, mortem infernum, diabolum & mūdum semel debellaturus. Verùm nulla

nulla externa in eo apparebat potentia, imo instar ouis erat, quæ ducitur ad uictimam. Quis autem ouiculam existimet aliquid posse contra tot lupos & leones? quid grauius peccato? quid terribilius morte? quid tetrum & uorax magis inferno? quid fortius diabolo? quid potentius & superbius mundo? Atqui Christo cum his omnibus uno tempore res erat. Deus posuerat in eo iniquitates omnium nostrum, mors necabat illũ, diabolus omnes in eum technas & uires suas experiebatur, mundus omnẽ suam in eum exercebat potentiam. Et quis tum cogitare potuisset ouiculam hanc euasuram, & omnibus suis hostibus superiorem fore, maximè cum uocem tam querulam ederet & diffidentis in morẽ loqueretur iu suo certamine? Deus meus, Deus meus (inquiebat) ut quid dereliquisti me? Deus meus clamabo per diem & noctem, & non ad insipientiam mihi. Ego sum uermis & non homo: opprobrium hominũ & abiectio plebis. Omnes uidentes me deriserunt me, locuti sunt labiis & mouerunt caput. Sperauit in domino (aiunt) eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam uult eum. Circundederunt me uituli multi: tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Circundederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi uerò considerauerunt & inspexerunt me: diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem, &c. Hæc erant uerba & suspiria agni nostri in suo certamine. Hunc Psalmum Christus in cruce orans dixit, ut in Matthæo & Marco uidere est, qui initium huius Psalmi ponunt. Sic ergo res parum felicem promittebat exitum, quanquam hostibus res erat longè iucundissima, utpote triumphantibus iam & nihil dubitãtibus, quin Iesum cohibuissent oppressissentque. Confidit in Deo, (inquiebant) liberet nunc eum si uult. E diuerso boni nil poterant aliud, quàm plorare & tristari: spes eorum erat perexigua. Sed quid dicit Angelus ad Ioannem? Ne fleueris: ecce uicit Leo de tribu Iuda. Quasi dicat, Si uidisti eum ante tanquam agnum, nunc ceu leonem uide. Si audiuisti quomodo agnus traxerit suspiria, quando irruentes in eum lupi uellus illius dilacerarunt, audi nunc quomodo leo rugiat in sua uictoria: hilarem ea res te faciet, & animũ tibi reddet. Si timuisti tibi à talibus hostibus, cum Christus adhuc agnus

Ibidem. *Psalm. 21.* *Christus in cruce quid precat⁹ sit.* *Matth. 27.* *Marc. 15.* *Matth. 27.* *Apocal. 5.*

esset, nunc omnes hostes tuos flocci non facere audebis, postquam leo factus est. Quid ergo Christus dicit in sua resurrectione? Cōfitemini Domino quoniā bonus, quoniam in seculum misericordia eius, &c. De tribulatione inuocaui Dominū: & exaudiuit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor: non timebo: quid faciat mihi homo. Omnes gentes circuierūt me: & in nomine Domini, quia ultus sum eos. Impulsus euersus sum ut caderem: & Dominus suscepit me. Fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem. Dextera Domini fecit uirtutē: dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit uirtutē. Non moriar, sed uiuā: & narrabo opera Domini. Castigās castigauit me Dominus: & morti non tradidit me, &c. Iste rugitus est, quem Christus hodie edidit in sua uictoria. Hunc Psal. canit Christus in sua resurrectione: cantus est multū diuersus à priore, imo ille hominē tantū non exanimabat, cùm Christus quereretur se non solum à mortalibus, sed ab ipso etiā Deo derelictū: at hîc facit ut læta uoce dicamus, Hęc est dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. O Domine Christe saluū me fac, ô Domine bene prosperare: benedictus qui uenit in nomine Domini. Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te. Cōfitebor tibi quoniā exaudisti me: & factus es mihi in salutem. Videte, hæc causa est, quamobrē tristitia nostra, quam circa passionem Christi in cordibus nostris sensimus, & exterius etiam ostendimus, tam repentè in gaudium sit mutata. Reliquum nūc fuerit charissimi fratres, ut hoc gaudio rectè utamur, ut nobis non ad res obscœnas, non ad leuitatē, sed ad bonum seruiat: non mundanum aut carnale, sed diuinū gaudium sit oportet. Idcircò mihi proposui uerbū illud, quod Paulus aliquādo ad Corinthios scripsit, ubi inquit, Charissimi, empti estis pretio magno. Glorificate & portate Deū in corpore uestro. Hoc uobis uerbo & ego hodie acclamare uolui: dignum est quod bene cōsideretur. Docet illud nos celebrare nostrū pascha. Proinde paulò fusius de illo dicā, quo quisq; maiorem nanciscatur occasionē ad extrahendum hūc diem piè & Christianè. Obserua igitur tria homini Christiano in die nostri Paschatis cōsideranda esse. Primū est læta resurrectio Christi. Alterū est utilitas & fructus, qui nobis inde extitit. Tertiū est uerus usus, quemadmodū resurrectionē Christi accipere & cōsiderare oporteat. Primū nobis admirationem

Psalm. 117.

Rugitus Christi resurgentis qualis.

Psalm. 21.

Psal. 117.

Christi resurrectio cuiusmodi nos gaudio afficere debeat.

1. Cor. 6.

In paschate quæ tria Christiano consideranda.

rationẽ affert: alterum gaudium: tertium doctrinã præbet. Admirabile est, lapidẽ quem reprobauerunt ædificãtes, angularem lapidẽ factum esse. Admirabile est, Christũ à mundo pro impostore, facinoroso, & blasphemo habitum, patibulo suspẽsum esse, ut qui diuinæ & Cęsareę maiestatis læsæ crimen incurrerit, sed uerò hodie accepisse nomẽ, quod est super omne nomen, atq; ita, ut in nomine eius flectatur omne genu, cœlestiũ, terrestium & infernorũ. Admirabile est, eum in sua passione dicere, Tristis est anima mea usque ad mortẽ: sustinete hic, & uigilate mecum: hodie aũt, Noli timere, ego sum primus & nouissimus, & uiuus, & fui mortuus, & ecce sum uiuens in secula seculorũ, & habeo claues mortis & inferni. Admirabile est, cũ in sua passione contemptu intolerabili abiectũ, sannis acerbis impetitũ, cõtumelia graui affectũ fuisse, hodie uerò in summa gloria uideri. Imo quid resurrectio illius aliud est, quàm ingressus ad summam gloriã? Deus (inquit Paulus) constituit eum ad dextrã suã in cœlestibus supra omnẽ principatũ, & potestatẽ, & uirtutem, & dominationẽ, & omne nomen quod nominatur non solũ in hoc seculo, sed etiã in futuro. Et rursus, Christus prædestinatus est filius Dei in uirtute, ex resurrectione mortuorũ. Quapropter etiam illũ in tanto splendore uidebat Ioãnes in sua Apocalypsi. Vidi (inquit) septẽ cãdelabra aurea: & in medio septem candelabrorum aureorũ similem filio hominis, uestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea, caput autem eius & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tãquam flamma ignis: & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & uox illius tanquam uox aquarum multarum: & habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius utraque parte acutus exibat: & facies eius sicut sol lucet in uirtute sua. Hæc est gloria Christi, quam sancta illius humanitas in resurrectione sua accepit: longè aliud spectaculum est, quàm ante duos dies in illo uidimus. Tum inter latrones pendebat, nunc inter aurea stat candelabra. Tũ induebatur alba ueste ludibrij causa, hic comparet in longa & sacerdotali stola. Tum despectim rex uocabatur adorabaturq;, nũc tanquã uerus rex cõspicitur aurea zona cinctus. Tum spineã gestabat coronã, nunc caput eius niueis capillis ornatũ est. Tũ oculi eius uelo obtegebantur, nũc instar flammæ candẽt. Tum facies eius defedabatur sputo Iudęorum,

Matth. 21. *Psal. 117.* *Phil. 2.* *Matth. 26.* *Apoc. 1.* *Ephe. 1.* *Rom. 1.* *Apoc. 1.* *Gloria Christi resurgentis.* *Luc. 23.*

rum, nūc solis in morem fulgurat. Tum uox eius rauca erat facta, nunc quemlibet magni fluuij sonum æquat. Tum nulla ulciscendi cupiditate tenebatur, nunc ancipitem gladium ex ore suo habet procedentem. Vide, hæc est gloria Christi: sic illum hodie & deinceps intueamur oportet: ibi nimirum deprehendimus non esse, quam ob rem crucis illius nos pudeat. Nam, tametsi in sua infirmitate mortuus est, in gloria tamen uiuit. Forma hominis documento est, eum etiam in sua gloria, naturam nostram non deposuisse, nec nostri commercium abnegasse. Niue candidiores capilli indicant, eum non nouum aliquem aut ab hominibus fictum, sed uerum, antiquum & æternum esse Deum. Aurea zona significat, eum esse regem. Vestis talaris sacerdotem eum designat. Facies solis in morem fulgens significat, eum esse lucem quæ illuminat omnem hominem. Oculi eius ardentes declarant, illi omnia esse nuda, aperta & conspicua. Vox eius aquarum murmuri similis demōstrat, omnia cum sacris literis congruere, quæ locutus est ac fecit. Gladius anceps ex ore eius ostendit, illi omne iudicium datum esse à patre, & habere eum omnem potestatem uitæ & mortis, ad condemnandum & uiuificandum, & esse Iudicem, qui ab altera parte dicturus est, Venite benedicti patris mei in regnum meū: ab altera parte uerò, Discedite à me maledicti in ignem æternum. Pedes eius, qui aurichalco candēti comparantur, demonstrant nullam creaturam illius propositum remorari posse. Aurea candelabra, in quorum medio stat, declarant eum caput esse omnium Ecclesiarum, aut Christianorum cœtuum, qui lucent sicut luminaria in mundo. Stellæ in manu eius arguunt, eum suorum fidelium obliuisci nō posse, nihilo magis quàm quis obliuiscitur alicuius rei, quam in manu habet. En, hæc est gloria Christi, sic illum hodie intueamur oportet. Gaudeamus igitur cum capite nostro, si modò uera illius membra sumus. Non abest illinc etiam nostra utilitas & solatium, imo quo maior gloria Christi est, hoc certior est quoque nostra salus. Si in tenebris ignorantiæ & erroris uersaris, ueniat tibi in mentem is, qui in medio stat aureorum candelabrorū, is tibi omnem caliginem discutiet. Si te terrent peccata tua, sacerdotalem uestem Christi inspice. Si diabolum times, auream zonam obserua, hoc est, potestatem Christi. Si te solicitum reddit propria tua infirmitas, uel etiam ostendit infirmitas & humanitas

Psalm. 28.
2. Colos. 13.
Crucis Christi cur nos pudere non debeat.
Forma hominis in Christo in Apocalypsi quid significet.
Capilli niuei.
Zona aurea.
Vestis talaris.
Facies splendida.
Ioh. 1.
Hebr. 4.
Oculi ardentes.
Matth. 25.
Pedes aurichalco similes.
Aurea candelabra.
Phil. 2.
Stella in manu.
Christi gloria contra quæuis mala consideranda.

manitas Christi, ad caput illius niue candidius respice, hoc est, ad diuinitatem ipsius. Si te premunt res aduersæ & ærumnę huius mundi, pedes Christi cōsidera, hoc est, humanitatem eius, quæ in igni omnium afflictionū probata est. Si times, ne fortè tui obliuiscatur Deus, cogita Christū stellas, hoc est, omnes fideles in manu habere, & esse illius oculos instar flammæ, qui omnia perspiciant. Si te territat clamor hominum, memento uocē Christi adhuc maiorē esse, quam omnes etiam improbi audituri sunt. Si hostiū multitudinem metuis, succurrat memoriæ anceps gladius Christi. Si æternas tenebras reformidas, in animo tecū reputa Christū esse ueram lucem. Si expetis æternā felicitatē, cogita Christum esse primum ac nouissimum. Si animo perturbaris, quando te mundus contemnit, cogita Christum in sua passione omnium mortaliū contemptissimum fuisse. Si uiuis, gratias age Christo. Si moreris, cogita & ipsum mortuū esse. Si metuis mortem & infernum, in mentē reuoca, quòd Christus dicit se habere claues mortis & inferni. Vide, hæc consideranda sunt circa gloriā Christi, illius honor nostrū est solatiū, illius resurrectio nostra uita, illius potestas nostra securitas, illius regnum nostra felicitas. Deus (inquit Paulus) qui diues est in misericordia, conuiuificauit nos Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus. En habes etiā hic fructum resurrectionis Christi, nempe uitā animarum, resurrectionem corporis, & hæreditatē æternam. Alterum hoc est, quod hodie cōsiderare oportet. Non satis est canere, Christus resurrexit omnibus suis exemptus cruciatibus: canamus & confiteamur etiā necesse est, Christum esse solatium nostrum, & pereundum nobis omnibus fuisse, nī resurrexisset. Et planè res ita habet: mortuus est Christus propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ni resurrexisset Christus, peccato adhuc omnes obnoxij essemus, resurrectionē nullam sperare, nedum uitā æternam & hæreditatem possemus. Quoniā uerò nobis Christus sua resurrectione uitā animarum attulit, spes nobis data est, etiā nos resurrecturos, eaque re nos certos fecit, quòd æternæ suæ hæreditatis consortes esse debeamus. Pater (inquit) quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, &c. Hæc igitur duo illa sunt, quæ circa resurrectionem Christi considerare oportet. Primū est gloria ipsius, in quam per suā resurrectionē ingressus est. Alterum

Isa. 53.
Apoc. 1.
Ephe. 2.
Resurrectio Christi quid nobis contulerit.
Rom. 4.
Ioh. 17.

Christi resurrectionem ut nobis fructuosam reddam⁹. est fructus, qui inde nobis ortus est. Tertiũ omniũ maximum est, ut hisce duobus rectè utamur. Resurrectio Christi uere cõtigit, fructus certus est, defectus in hoc est, quòd secus quàm cõueniebat utimur. Huc pertinet admonitio Diui Pauli, qua sermonẽ hunc exorsus sum: Empti estis precio magno (inquit) Glorificate, & portate Deũ in corpore uestro. Verùm seuera hæc est exhortatio, ut quæ seuerior esse haud possit. Exhortatur nos & in aliis locis Paulus, ut resurrectione Christi ad uitæ pietatẽ utamur, sed nusquam uerbis tam prægnãtibus, ut hîc. In alio quodã loco sumpta ex figura de Iudæorum agno paschali occasione, monet nos, quomodo figurã illã in festo nostro paschali utilẽ nobis facere debeamus: illi erant in ueteri testamẽto, nos sumus in nouo: illos Deus ducebat ex Aegypto, nos eduxit ex inferno & æterna condemnatione: illi quotannis suæ liberationis memoriã recolebant, idipsum facimus & nos: habebant illi agnũ suum paschalem, similiter & nos. Nulla adhuc in re discrepamus, præterquã in una. Illi uescebantur azymis in festo Paschæ, imò tota septimana Paschæ fermentum in suis domibus non habebãt, nos ęgrè à fermẽto diuellimur, factum alioqui omnia quæ faciẽda forẽt. Sed quid dicit Paulus? Si figurã exprimere animus uobis est, exprimatis & in altero, expurgate uetus fermentũ, ut scitis noua cõspersio. Et paulò pòst, Epulemur in azymis sinceritatis & ueritatis. Vide, hîc docet Paulus, quemadmodũ resurrectione Christi uti debeamus. In epistola ad Rom. alio utitur argumẽto, mortem, sepulturam & resurrectionẽ Christi Baptismo nostro assimilans, & ita cõcludens. Quoniã Christus posteaquã semel mortuus est, & à mortuis resurrexit, posthac non amplius moritur: ita & nos, posteaquã in morte Christi baptizati sumus, & in baptismo cõplãtati facti sumus similitudini mortis Christi, par est ut posthac etiam peccato mortui simus, soli uerò Deo & iustitiæ uiuamus. Atq; hîc rursum uerus usus esset resurrectionis Christi. Ad Coloss. alio insup utitur argumẽto Paulus ad cœlũ nos remittẽs, ubi Christus est in dextera Dei sedẽs. Vnde hũc in modũ cõcludit, Quoniã thesaurũ nostrũ in cœlo habemus, æquum est, ut etiam corda nostra eò dirigamus, & qa caput nostrũ illic est, nos quoq; membra illius mẽtẽ & cogitationes nostras eòdem transferre cõuenit. Si cõsurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite: ubi Christus est in dextera Dei sedẽs. Atq; hic rursum

Marginalia: 1. Cor. 6. — 1. Cor. 6. — Exo. 12. — 1. Cor. 5. — *Fermentũ uetus expurgandum.* — Rom. 6. — *Peccato emoriendum.* — Colos. 3. — Matth. 6.

rursum uerus usus esset resurrectionis Christi. Adeò multa Paulus tentauit, ut eum hominibus inculcaret. Cæterùm in hoc uerbo, quod nunc præ manibus habemus, omniũ uehementissimus est: exhortatur nos omniũ acerrimè, ait nos Deo esse emptos seruos, nõ igitur nobis, sed illi uiuere nos oportere, admonens nos interim, pretio magno nos emptos esse, nimirũ (uti Petrus dicit) nõ corruptibilibus auro uel argento, sed pretioso sanguine agni immaculati. His et duabus rebus nos urget Paulus, omnẽ nobis tergiuersandi uiã præcludẽs. Etenim si nos emit Deus, iam nostri esse iuris desiimus, ita & nostrũ sit nihil uel facere uel cogitare, nisi quod uult & iubet is, q̃ nos emit. Quoniã porrò nos tãti emit, tãto utiq; magis illi inseruire obstricti sumus. Domine Deus (dicebat olim pius quidã pater) quicquid ego sum, habeo & possum, id tibi debeo, propterea quòd creasti me. Iterũ, quicquid sum, habeo, possum, tibi debeo, propterea quòd redemisti me, & hoc magis inseruire tibi obligatus sum, quo maior es tu, q̃ te pro me impẽdisti. Hoc idem uult Paulus, ubi ait, Empti estis pretio magno. Quid ergo, inquis, faciã? Quo pacto mortẽ & resurrectionẽ Christi reddã mihi fructuosam? Glorificate, inquit, & portate Deũ: glorificate & predicate eũ ore & lingua, portate eũ in corde, quin etiã in corpore uestro, ut omnib⁹ palã sit. Tollite iugũ eius, & discite q̃a mitis est & humilis, patiẽter ferte crucẽ uestrã, ita uos gerite in uerbis & factis, ut Christus in uobis deprehẽdat, &c. Hoc ad Paschæ diẽ ptinet: sic nos uti resurrectione Christi oportet. Quid enim refert Christũ resurrexisse, si in peccatis usq; manemus? Quorsum attinet Christũ non amplius mori, si in pristinam uitam reuoluimur? Quid prodest Christũ Deo assidere dextrũ, si præter terrena nihil quærimus? Empti estis magno charissimi, glorificate & portate Deũ in corpore uestro. His Pascha nostrũ pficiam⁹ oportet, Christ⁹ suas partes expleuit, restat ne nos ipsi i mora nobis sim⁹. Hæc uobis dicta sint optimi Christiani. Si hactenus p pœnitẽtiã, cõfessionẽ, & cõmunionẽ cũ Deo redijstis i gratiã, date operã, ut i ea pmaneatis. Si peccata abiecistis, facite ne in ea relabamini. Si qd boni uobis pposuistis, i eo pseuerate. Nõ decipiat uos blãd⁹ & amœn⁹ aspect⁹ mũdi. Diabolo nõ iterũ locũ date, q̃ adducit secũ alios septẽ se sceleratiores. Nolite respicere retrò, ut uxor Loth. Nolite amouere man⁹ uestras ab aratro, ne idigni iudicemini regno Dei. Videre Christum

2. Cor. 5.
1. Pet. 1.
Quid agendum ut ex Christi morte et resurrectione fruct⁹ ad nos redeat.
Matth. 11.
Matth. 12.
Genes. 19.
Luca 9.

stum monstrantem uobis uestigia clauorum suorum, ne denuò illum crucifigatis. Cogitate uos baptizatos esse in morte Christi. Cogitate uos illius seruitio dicatos esse in baptismo. Cogitate uos emptos pretioso sanguine Christi. Cogitate crebras admonitiones & obsecrationes, quibus cùm Christus, tum Apostoli eius necnõ Ecclesia uos inuitauit hactenus. Cogitate exẽpla eorũ, qui ante uos iter ad felicitatem emensi sunt, uidete quàm diligenter uos Christus moneat, ut caueatis uobis à lata uia, quæ ad gehẽnã tendit. Cogitate omnes creaturas intra præscriptos sibi limites & in obedientia Dei manere, quanto magis nos homines, imo nos Christianos id facere decet? Postremò cogitate futurũ iudiciũ. Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine Testamẽti æterni Dominum nostrum Iesum Christum: aptet uos in omni bono, ut faciatis eius uoluntatem, Amen.

Rom. 6.
Matt. 7.
Heb. 13.

SEXTVS SERMO
ad Psalmum 17. dirigitur.



HODIERNAM concionem melius ordiri nõ possum, quàm ut intimis uotis optẽ precérq; , ut eiusmodi in nobis animũ oẽs sentiamus, quẽadmodũ uerbis nũc cecinimus. Hoc optimũ, mea quidẽ sentẽtia, huius sermonis exordiũ foret, nec quid optari melius & necessariũ magis possit, uideo. Nã si uerè crederem⁹ Christũ à mortuis resurrexisse, si illa resurrectione gaudere rectè possimus, si in animũ induceremus, Christũ unũ posthac nostrũ fore solatiũ, iamdudũ beati essemus, si qua fides Paulo habẽda est, q ait, Si cõfitearis in ore tuo Dominũ Iesum, & in corde tuo credideris ꝙ Deus illũ suscitauit à mortuis, saluus eris. Hoc si animis nostris impressum esset, alia admonitione opus minimè foret. Etenim in his paucis uerbis cõprehẽsum est, quicquid de resurrectione Christi dici potest, nimirũ ipsum op⁹, modus, fructus, & usus. His quatuor de rebus concionẽ de resurrectione Christi institui necesse est. Primũ est opus, ꝙ Christus uerè resurrexit. Secũdũ est modus, quomodo surrexerit, nẽpe ad uitã immortalẽ. Tertiũ est fructus, q nobis inde ꝓuenit, gaudiũ scilicet animi nostri. Quartũ est uerus usus, quẽadmodũ resurrectione Christi uti debeamus, nimirũ ut posthac ad solũ Christũ ahęreręam⁹, quãdo in illo uno omnia

Rom. 10.
Resurrectionis Dominicæ
1. Opus.
2. Modus.
3. Fructus.
4. Vsus.

omnia habemus. Opus annũtiat Angelus, ubi de Christo ad mulieres ait, Surrexit, nõ est hîc, ecce locus ubi posuerũt eũ. Modũ & cõditionẽ resurrectionis indicat Paulus, ubi inquit, Christus resurgẽs à mortuis iam nõ moritur, mors illi ultrà nõ dominabitur. Et rursum, Cõstituit eũ Deus ad dexteram suã in cœlestibus, supra omnẽ principatũ, & uirtutẽ, & dominationẽ, & omne nomen, quod nominatur nõ solum in hoc seculo, sed etiã in futuro. Et iterum, Donauit illi Deus nomen, quod est super omne nomen, &c. Hoc modo surrexit Christus. Fructũ resurrectionis primò cõmonstrat Angelus, ubi inquit, Nolite expauescere. Deinde Christus ipse ostẽdit multo etiã expressius, ubi dicit, Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrẽ meũ & patrẽ uestrũ, Deũ meum & Deum uestrũ. Et adhuc planius, ubi ait, Pax uobis, accipite Spiritum sanctum, &c. Hic fructus est & utilitas resurrectionis Christi: propterea gaudere omnes debemus, utpote Christo nostro existẽte solatio. Verũ usum resurrectionis Paulus docet, ubi inquit, Si cõsurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, nõ quæ super terrã. Similiter etiã facit ad Rom. c. vj. Et qd amplius de resurrectione Christi prædicari potest, quàm hæc quatuor adeò, si modò nõ inanis de illa esse debeat oratio, alioqui alia nõ pauca introduci possent. Cæterũ melius & utilius de ea dici nõ põt, quàm quẽadmodũ nũc docui. quisquis enim historiã & opus intuetur, is in fide cõfirmatur: qui modũ & cõditionẽ huius resurrectionis cõsiderat, is uidet plurimũ interesse inter resurrectionẽ Christi & aliorũ hominũ, qui etiã aliquãdo à morte excitati fuere: q fructũ secũ perpẽdit, is sibi ipse tãto melius spem haurire poterit; denique qui resurrectione Christi recte uti uolet, is indubiè nouam uitæ rationem meditabitur. En, hæc omnia in cantico nostro licet perbreui confessi sumus, Christum resurrexisse, omne euasisse malum, attulisse nobis gaudium & solatium: promittimus itaque, illũ nobis fore perenne & unum solatium, quimmo uerbis contitemur, uerbis illud promittimus. Sed idẽ dico quod prius, utinam & animus ab hoc non dissentiret. Non absq; re autem id opto: Vereor enim, imò scio, hac in parte nos omnium maximè laborare, in ore tantum hæc uerba nobis uolitare, nec in intima pectoris transmitti, fieri nãque aliàs non posset, quin aliter multò uitã instituturi essemus. Sed quorsum attinet, nos iucundè de resurrectione Christi ca-

Mar. 16. *Rom. 6.* *Ephes. 1.* *Phil. 2.* *Mar. 16.* *Ioh. 20.* *Ibidem.* *Colos. 3.*

De Christi resurrectiõe quæ præcipue pro concione dicenda sint.

Mors & resurrectio Christi plerisq; omnibus in ore dun taxat uersatur.

nere, si in corde idipsum non credimus? Cayphas non minus magnificè loquitur de morte Christi, si uerba respicias, ac Iohannes: sed quia secus sentiebat atque Iohannes, nihil illi proderat. Vbi de morte & resurrectione Christi mentio fit & canitur, ibi animus afficiatur oportet, alioqui inanis est opera. Cùm Christus in cruce animam egisset, dubiũ nõ est, quin mult⁹ passim de illius morte sermo fact⁹ sit: quàm uerò paucis hominibus saluti fuit. Sic referunt Euangelistæ, etiã in festo Paschæ rumorẽ percrebruisse de resurrectione Christi. Etenim primò antequam Apostoli scirẽt Christũ excitatum, ueniebant custodes, quibus sepulchri custodia erat demandata, & narrabãt, quod uidissent, sed diuersimodè accipiebatur. Nam maior pars audiebat quidem nouos istos rumores, sed nihil iis mouebantur: siue Christus mortuus esset, siue uiueret, animus eorum propter illum neq; ad gaudium, neque ad tristitiã tantò magis ferebatur. Secũdò potentes ne audire quidẽ de resurrectione Christi sustinebãt. Postremò custodes nõ constabant sibi in suis uerbis, pecũnia corrupti dicebant discipulos corpus Christi in nocte è monumẽto suffuratos esse. Itaque fructus & gaudiũ resurrectionis Christi apud perpaucos remãsit. Vtinam nõ idẽ etiã apud nos fieret. Nihil nobis charius est nostro festo Paschæ, nihil maiore cum lætitia canimus, quàm, Noster Christus surrexit, nunquam etiam maior hominũ frequentia cõuenit quàm hodie. Rectè istud & bene fit, & quidẽ ex Christi sentẽtia. Narrabo nomen tuum (inquit) fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. Quàm multi autem sunt, qui incipiunt quidem, & tamen non perseuerant, credunt resurrexisse Christum, gaudẽt bonis, quæ nobis inde obtigerũt. Vnà cum aliis canunt, ut Christus illorum sit solatium, sed dicto citius ad contrarium animum transferunt, & quò maiorem deuotionẽ in Dominica passionis & in festo Paschæ præ se tulerunt, hoc sceleratiores fiunt. Per totum annum perinde uiuunt, ac si Christum nunquam agnouissent: auaritia, uoluptate, superbia, prauorum hominum commercio corrumpi se patiuntur, quemadmodum & custodes faciebant, qui ob quæstum & hominum fauorem sermonem uariabant. Quàm multi etiam sunt eorum, qui Christum non solum animo eiiciunt, sed etiam uidere non possint: alios in pietatis studio perseuerare, abstrahunt quemcunque possunt: aut ad minimum, si alios qui pietati operam nauant,

Ioh.11. *Matth.28.* *Ibidem.* *Psalm.21.* *Vt quidã ferre non possint, si quos pie uiuere conspiciant.*

non

non possunt abstrahere, illos derident, quinetiam persequuntur. Non dicam modò, quòd maior pars brutorum in morem uiuit: diem parasceues & Paschæ in nullo discrimine ponunt: non illis curæ est quicquam præter temporalia bona: non expauescunt, non tristantur in passione, nō gaudent in resurrectione. Et si nonnullam gaudij significationem præbeant in die sancto Paschæ, non tamen id fit propterea quòd Christus resurrexit, sed quòd quadragesima exacta est, & nunc totū annum habeant rursus, quo illis pro suo more uiuere liceat. Sic igitur res ipsa, proh dolor, plus satis loquitur, nos cateruatim canere, Christus surrexit: sed paucissimos esse, qui id in animis suis persentiscant. Tantò ardentius Deum comprecari debemus, ut hac maxime in parte nobis det oculos, aures & corda, ad uidendum, ad audiendum, & ad considerandum: imò tantò diligentius uulgo hominum inculcandum est, quid sit resurrectio Christi. Etenim quam rem perspectam non habemus, fieri non potest, ut ea rectè gaudeamus, fruamur utamúrque. Quare aliquanto prolixius hac de re dicendum mihi est, ad quod mihi materiam subministrabit Psalm. xvij. in quo spiritus Christi per sanctum Dauidem sic cecinit, Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus, adiutor meus, protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus, sperabo in eum. Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis saluus ero. Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circundederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de templo sancto suo uocem meam, &c. & sic per totum Psalmum. Omnia ista uerba Christus dicere potuit in læta sua resurrectione: atque ita accipere etiam illa debemus, quòd Dauid in hoc Psalmo non solùm gratias agere pro sua ipsius redemptione, uerum etiam uaticinari uoluit de resurrectione Christi. Habet quidem titulus, Dauidem hunc Psalmum composuisse in die, qua eum eripuit Dominus de manu omniū inimicorum eius, & de manu Saül, sed Dauid in hac sui liberatione utique uidit etiam per sancti Spiritus afflatum lætum illum diem, in quo Christus omnes nostros suósque hostes; hoc est peccatum, mortem, inferunm & diabolum, deuicturus esset, sub actu

Psalm. 17.

Psal. 17. ut ad Christi resurrectionem pertineat.

2. Reg. 22.

ait. Audi igitur nunc etiam ſpiritum Chriſti in hoc Pſalmo loquentem, Diligã te Domine fortitudo mea, firmamentũ meum, &c. Hîc uidemus quàm repentè & præter opinionẽ omnia uerſa ſint in reſurrectiõe Chriſti, nimirum triſtitia in gaudium, timor in ſecuritatẽ, querela in hymnũ. In paſsione ſcribit Matthæus de Chriſto, Cœpit cõtriſtari & mœſtus eſſe, nunc lõgè aliud eſt: antea querebatur ſe à Deo derelictum, nunc Deum laudibus ornat, quòd ſe liberauit. Talem quoq; uicisſitudinẽ nobis adfert reſurrectio Chriſti. Quid infelicius & calamitoſius nobis mortalibus, quatenus peccatores ſumus? Quando in paſsione Chriſti nos contẽplamur, fieri nõ poteſt quin expaueſcamus, ſiquidem nihil illic uidemus aliud, quàm iram Dei, peccatũ, mortem, & infernum ceruicibus noſtris incũbere, Deũ & omnes creaturas nobis aduerſas eſſe. Quis non cõtriſtetur? quis ſibi nõ metuat? quis nõ lamentetur & eiulet? Imò, quis à deſperatione ſeſe cohibeat, ut nõ Iudæ factum imitetur, ſi paſsionem ſolùm Chriſti intueatur? Cæterùm ad reſurrectionẽ Chriſti nobis uerſis, omnia cõtinuò euaneſcunt. Etenim in hoc ſpeculo uidemus uitam, iuſtitiã, ſalutem, uictoriam, & gratiam, quin etiã Deũ omnéſq; creaturas noſtris fauêre partibus. Quis ergo nõ exhilareſcat, præ gaudio exiliat & canat? Atque hæc mutatio eſt, de qua dixi, omnia in reſurrectione Chriſti immutata eſſe, imò tanti nobis eſt reſurrectio Chriſti, ut uitam, iuſtitiam, ſalutẽ & gratiam nunquã uiſuri eſſemus, ni reſurrexiſſet Chriſtus. Huc pertinet quod Paulus dicit, Si Chriſtus nõ reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides ueſtra, & adhuc eſtis in peccatis ueſtris. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Nam ſi Chriſtus nõ reſurrexit, actum eſt etiã de illis, nulla eſſe ſpes põt eos reſurrecturos. Quî enim illi ſeſe extricarent, ſi Chriſtus euadere non potuerit? Hinc opinor animaduertere quiuis poteſt, omne noſtrũ ſolatium in reſurrectione Chriſti poſitum eſſe. Atq; hoc unum eſt, nimirum quòd Chriſtus in ſua reſurrectione longè ſecus loquitur ac facit, atque in ſua paſſione. Nunc etiam uerba aliquãtò preſsius ueſtigabimus & põderabimus. Omnes geſtus & mores quos hîc exhibet Chriſtus, quin etiam uox læta eſt, in uerbis certè nihil etiam deſiderabitur. Primum itaque eſt, quod Deo tot inſignes tribuit titulos: in paſsione appellat eum non niſi Deum & patrem ſuum. At hîc multa illi dat nomina, uocat eum fortitudinem

Pſalm. 17.
Aggreditur explanationem Pſalm. XVII.
Matth. 27.
Paßio Chriſti ſcelerum noſtrorum immanitatem ut teſtetur.
Ibidem.
Chriſti reſurrectio ut ſpem nobis ingerat.
1. Cor. 15.
Matth 28 & 27.
Pſalm. 15.

dinem ſuam, firmamentum ſuum, ſuum refugium, ſuum libe-
ratorem, ſuum adiutorem, ſuum protectorem, cornu ſalutis
Gloria & nomen Dei ubi potiſsimum inclaruerit. ſuæ, & ſuſceptorem ſuum. Et his omnibus quid nobis aliud
indicatum eſt, quàm quòd in reſurrectione Chriſti, Dei glo
ria & nomē primùm rectè agnitum ſit & in lucem uenerit?
Hoc illud eſt, quod Chriſtus ait, Pater clarifica filium tuum,
Ioh.17. ut filius tuus clarificet te. Quod perinde eſt, ac ſi dicere
uoluerit, Pater clarifica me, & palam fac, me unicum tuum
filium eſſe, ego uiciſsim clarificabo te, & patefaciam, quod
Pſal.21. mundus antehac ignorauit. Narrabo nomē tuum fratribus
meis: in medio Eccleſiæ laudabo te, fortitudinem meam,
firmamentum meum, &c. prædicabo, efficiam per prædica-
tionem Euāgelij mei, ut in uniuerſo orbe pro tali habeâre,
credâre, inuocêre & colâre. Summa, reſurrectio mea ſeruiet
Reſurrectio Chriſti quantam tum ipſi, tum nobis gloriā aduexerit. tibi ad immortalem gloriam. Et ſic ſane accidit. Quæ res
nobis iterum ſpirituale præbet ſolatium, quòd in reſurre-
ctione Chriſti non ſolùm uidemus admirabilem mutationē
in humanitate Chriſti, atque etiam in nobis, ita ut ubi prius
in Chriſto nihil aliud erat, quàm dolor, cruciatus, contem-
ptus, irriſio, nunc ſit gaudium & gloria incōparabilis: & ubi
prius in nobis nihil conſpiciebamus præter peccatum, mor
tem & condemnationem, nunc uideamus uitam, iuſtitiam,
& ſalutem. Præterea etiam meliora nunc ſcimus de Deo,
quàm antè. Quàm enim Chriſtus uerè potuit dicere, Tu es
fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, &c.
ita & nos illud ipſum uerè dicere poſſumus: nam ut ante di-
xi, ſtat Chriſtus in ſua reſurrectione, non pro ſe ſolum, ſed
etiam pro nobis: loquitur non pro ſe ſolum, ſed etiam pro
Epheſ.2. nobis. Et hoc eſt quod Paulus ait, Deus qui diues eſt in mi-
ſericordia, cùm eſſemus mortui peccatis, cōuiuificauit nos
Chriſto, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſti-
bus, &c. Hìc uides etiam nos eſſe conſortes reſurrectionis
1.Pet.1. Chriſti, uel ipſo Petro atteſtante, Regenerauit nos Deus in
ſpem uiuam per reſurrectionem Chriſti, &c. Hìc iam mihi
conſidera, quantum ſolatium ſit, nos poſthac per Chriſtum
liberum habere acceſſum ad Deum, & polliceri nobis poſſe
de illo omnia bona æquè, atq; Chriſtus ipſe, in omni tribu
latione & afflictione, in uita & morte lætos dicere audere,
Domine fortitudo mea, refugium meum, adiutor & libera-
tor meus, &c. Deus bone, ſi hoc nobiſcū reputare uerè poſ-
ſemus, ſi uel ſemel experti eſſemus, quātum gaudij adferat,
quan

quando quis in conscientiæ suæ pauore uidet iustitiam, uitam & salutem in Christo sibi positam, & in externa tribulatione uidet fortitudinem, firmamentum, asylum, liberationem, protectionem, auxilium & solatium in Deo sibi paratum esse. Quàm hilarem habituri essemus diem Paschæ! quantum inde boni esset consecuturum? Vide, hoc alterum est, quod nobis Christus indicat circa suã resurrectionem.

Sequitur in Psalmo, Circundederunt me dolores mortis, &c. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deũ meum clamaui, & exaudiuit de templo sancto suo uocem meam. In his uerbis Christus duo contraria coniungit, passionem suam & resurrectionem mutua collatione componens, quo utrumque ex altero magis eliquescat. Nemo siquidem rectè cognoscet, quanta diuina potentia in resurrectione Christi sese exeruerit, ni prius uideat, quàm potentes & fortes hostes in passione sese Christo opposuerint. Nec æstimare quis potest, quãta fuerit humilitas, quòd Christus in crucem sese tradidit, ni cogitet prius, in quanta sublimitate & gloria Christus ab æterno fuerit iuxta suam diuinitatem, & ad quam gloriam etiam per suam resurrectionem euectus sit per suam humanitatem. Ideo hæc duo coniũgit, Circundederunt me dolores mortis, &c. Hoc pertinet ad passionem Christi. Quod autem sequitur, Et exaudiuit de templo sancto suo uocem meam, &c. ad diem Paschæ pertinet, & est tertia pars, quæ circa resurrectionem Christi considerari debet, nimirum quòd Christus in sua resurrectione est exauditus, & compos est factus omnium eorum, quæ rogauit, quemadmodum & Paulus ait, Non quòd hodie, & in sua resurrectione primum exauditus sit. Nõ, nam & ante passionem suam dicebat, Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis. Oratio illius exaudita erat, priusquam ex sancto suo ore proferretur, sed mundus id uidere non poterat, nec credebat. Hodie uerò in resurrectione palam factum est. Agite, audiamus quid Christus in sua tribulatione & passione precatus sit, cognoscemus nimirum tanto melius, quid nobis solatij adferat, quod Christus dicit, Deum se exaudisse. Primò legimus quod dicit, Pater saluifica me ex hac hora. Et rursus, Pater mi, si possibile est, trãseat à me calix iste. Et iterũ, Deus meus, Deus meus, ut qd dereliquisti me? Tum quidem hæc oratio inanis alicui uideri potest, quia nemo illi respondebat, &

Psalm. 17.

Potẽtia & Humilitas Christi ubi præcipue declaratæ sint.

Phil. 2.

Exauditus ut sit Christus in sua potißimũ resurrectione.

Heb. 5.

Ioh. 11.

Ioh. 12.

Matth. 26.

Matth. 27.

bat, & nihilo secius in cruce pendens manebat, imò hostes ex tali oratione ridendi eum occasionem sumebant: Eliam (inquiebant) uocat iste, sine, uideamus an ueniat liberans
Ibidem. eum. Et rursus, Confidit in Deo: liberet nunc eum si uult. At enim hodie uidemus, orationem illius exauditam esse. Rogas qui? Misit Dominus (inquit) de summo, & assumpsit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me. Præuenerunt me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus protector meus. Hoc nobis prębet solatium, ne etiã nos animum despondeamus, si non ilicò nos Deus exaudit. Si in passione uidere nequis, quo pacto Deus Christũ in oratione illius exaudierit, at uides istud ipsum in resurre-
Soph.2. ctione. Scriptũ est, Expecta me in die resurrectionis meæ.

Secundò orauit Christus in tribulatione ac passione sua,
Ioh.17. Pater uenit hora, clarifica filium tuum. Quanquam ad hanc etiam rem parum erãt læta auspicia, nam paulo pòst hæc dicta summa Christus afficiebatur ignominia, attamen in resurrectione compertum est, Christum in hac quoque petitione exauditum esse. Sed quomodo Deus Christum glori-
Psalm.17. ficauit? Dominus (inquit) perfecit pedes meos tanquam ceruorum: & super excelsa statuens me. Doces manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æreum brachia mea. Et dedisti mihi pro te actionem salutis tuę, & dextera tua suscepit me. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non cõuertar donec deficiant. Et comminuam eos ut puluerem ante faciem uenti, ut lutum platearum delebo eos, &c. Hæc est glorificatio Christi, quòd illi Deus omnes suos hostes
Psal.109. subiecit. Dixit Dominus (inquit Dauid) sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. An non autem hoc etiam ingens nobis afferat solatium? Nõnne quos Christus habuit, eosdẽ inimicos & nos habemus? Si ergo illos deuicit, si illos subegit, nihil certè aduersum nos amplius poterunt. Proinde quando lætam Christi resurrectionem intuemur, possumus & nos uerè omnia ista uerba dicere, quæ superius ex hoc Psal. recensui. Tertiò
Luc.23. Christus in tribulatione sua, & passione orauit, Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Christo autem sic orante, nemo adhuc scire poterat, nũ Deus hoc facere uellet, an non. Hodie uerò in Petro idipsum apparet cæterisq; Apostolis, auditur item ex uerbis Christi, ubi ad Apostolos dicit,

dicit, prædicari opotere in nomine suo pœnitentiā & remis- *Luc.24.*
sionem peccatorū in omnes gentes. Et iterū, Sicut misit me
Pater, & ego mitto uos. Accipite spiritū sanctum: quorum *Ioh.20.*
remiseritis peccata, remittūtur eis, &c Quid autē lętius an-
nunciari nobis possit? Si Christus in hac etiā oratione exau
ditus est, nemo desperare in suis peccatis unquam debet.

Quartò porrò Christus in sua tribulatione sic deprecatus
est, Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, *Ioh.17.*
&c. Pessima iterum huius rei principia erant. Nam sub hæc *Matt.26.*
mox discipuli dissipabātur, nec solū diffugiebant, sed etiam
grauiter delinquebant abnegantes Christum, uti in Sancto
Petro uidere est. Quis igitur opinatus fuisset, Christū in hac
oratione exauditū? At hodie uidemus, hodie rursus discipu *Ioh.16.*
los suos coēgit, cōsolatus est & exhilarauit, atq; ita, ut gau- *Rom.8.*
dium illorū auferre ab eis nemo posset, nec à Christo illos
diuellere. Dominus (inquit Christus) exaudiuit me. Consi-
dera itaq; resurrectionē Christi, & certus eris, quòd Deus
nos quoq; seruare uelit. Quintò rogauit etiā Christus cō *Ioh.17.*
tra improbos. Non pro mundo rogo (inquit) quinimò in *Hie.17.*
Hieremia aperte contra hostes suos orat. Domine (inquit)
confundantur qui me persequuntur, & non cōfundar ego:
induc super eos diem afflictionis, & duplici cōtritione con-
tere eos. Est & hoc impletū in resurrectione Christi, ubi o-
mnes illius hostes cōfusi sunt: nam per sanctā suam resurre-
ctionem palàm declaratus est, tanquam unicus & naturalis
filius Dei, ueluti Paulus dicit, & Christus ipse ad suos inimi- *Rom.1.*
cos, Cum exaltaueritis filiū hominis, tunc cognoscetis quia *Ioh.8.*
ego sum. Dominus exaudiuit me. Me (inquit) atque ita, ut
posthac omnes gentes & populi fateri cogātur, me Dei fi-
lium esse. Et quomodo hoc accidit? Cōmota est (inquit) &
contremuit terra : fundamenta montium conturbata sunt.
Ascendit fumus in ira eius: & ignis à facie eius exarsit : car-
bones succensi sunt ab eo. Inclinauit cœlos, & descendit: &
caligo sub pedibus eius. Et misit sagittas, & dissipauit eos,
&c. Stupēda hæc signa incipiebant primò in passione Chri
sti. Nam in cruce illo pendēte fiebant tenebræ trium hora- *Matth.27.*
rum, post mortem illius maiora adhuc prodigia conspicie-
bantur, in resurrectione autē longe horrendissima. Nā tum *Matth.28.*
ingenti terræmotu concutiebatur orbis, tum angeli de cœ-
lo ueniebāt, sed malis in specie adeò terribili, ut humi pro-
strati ueluti exanimes iacerent. Quis autē in dubium uoca-

Christi diuinitatem quæ testentur. bit, Christum esse filium Dei, audiens omnia elementa tam in morte quàm in resurrectione illius commota, sanctos uerò Angelos & omnes creaturas ad illi seruiendũ paratas esse? Vide, sic Deus Christũ exaudiuit, quòd qui paulò antè in cruce clamabat, ueluti afflictus homo, & omnium præsidio destitutus, nunc inueniatur tanquam potens Dei filius, & cui antè totus mundus illudebat, nũc omnes improbi ad illius nomen obstupescant. Sed quid bonis consolatorium magis est, quàm scire Christum filiũ Dei esse? Quid omnibus Christi inimicis terribilius est, quàm quod experiri & uidere cogentur, Christũ esse filiũ Dei? Aspicient ad me (in-
Zach.12. quit Zacharias) quẽ confixerunt. Et Christus ipse, Amodò
Math.29. uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, &
Isa.26. uenientẽ in nubibus cœli. Et Isaias, Videbunt gloriã Domini, & confundentur. Vide, hoc pacto tria nobis consideranda forẽt ex huius Psalmi initio circa resurrectionẽ Christi. Primò, quòd illa resurrectio humanitati Christi pariter & nobis omnẽ tristitiam in gaudium uertit. Secundò, quòd

Circa Christi resurrectionẽ tria consideranda:

I. per resurrectionẽ Christi Dei honor & nomẽ, primùm uerè
II. innotuit mundo. Tertiò, quòd Christus in sua resurrectione
III. declaratus est filius Dei. In primo uidemus, in Christo & per Christum, peccatum, mortem, infernũ, & diabolum deuictũ esse, uitam autem, iustitiã & salutem redẽptam. In secundo uidemus, nos per Christũ habere Deũ defensorem, auxiliatorem & redemptorẽ. In tertio uidemus, nos per resurrectionẽ Christi non solũ in hoc seculo de exauditione, uerũ etiã in futuro de æterna hæreditate certos esse, quam
Luc.12. Christus ceu naturalis filius Dei, nobiscum partiri decreuit, iuxta illius promissum, ubi ait, Nolite timere pusillus grex,
Ioh.20. quia cõplacuit patri uestro dare uobis regnũ. Et iterũ, Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrẽ meum & patrẽ
Luc.20. uestrum, &c. Rursus, Ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnũ: ut edatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo. Proin optimi Christiani hodie & omni tempore gratias agamus, nunc & omni tempore in Deo lætemur, ad hoc unum inuigilemus, ut eiusmodi bona retineamus. Ita deinceps uiuamus, ut nobis gloria & potẽtia Christi non terribilis, sed læta appareat. Certi enim sumus, eũ in
Matth.28. sua resurrectione potestatẽ accepisse in cœlo & in terra, &
Apocal.1. claues habere mortis & inferni, imo seruare posse & perdere, ut cui anceps gladius ex ore procedit, bonis ad uitam, malis

malis ad æternam internecionem. Det nobis Deus omnibus suam gratiam, Amen.

SEPTIMUS SERMO *dirigitur ad 29. Psalmum.*

Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia. Psalmo 29.



VANDO in animo mecũ ipse reputo, quid hodiernum nostrũ Paschæ festũ in se habeat, & quid bonæ mentis homini solatij afferat & annunciet, hanc meã concionem melius ordiri haud scio, quàm ut cũ Dauide dicam, Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Hæc uerba loquebatur Dauid in suo præcipuo pœnitentiæ Psalmo, postquã diutino & ardenti clamore gratiam petiuisset, pœnitentiã egisset, & per fidem in aspersionẽ sanguinis Christi remissionẽ peccatorum cõsecutus esset: commodè autem hoc uerbũ ad Pascha nostrum quadrat. Nemini mirum uideri debet, multò minus à quoquã sinistrè accipi, quòd ego in sancto die Paschæ Psalmi de pœnitẽtia agẽtis recorder. Certè Pascha nostrũ & pœnitentia se inuicem ferre optimè possunt. Quòd si festũ Paschæ ita accipere uelimus, ut pœnitentiã propterea illicò cessare debere putemus & ualere, & cuique superioris uitæ uestigia repetere licere, non esset profectò Pascha Christianis dignũ. Videmus (heu dolorem) maiori Christianorũ parti (quod ipsum & Diuus Bernardus suis temporibus querebatur) sacram & lætam Christi resurrectionẽ nihil aliud esse, quàm tempus propositum iterum peccandi, finem omnis deuotionis, & principium omnium uitiorum. Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, laxantur concupiscentiis frena, quasi ad hoc surrexerit Christus, & nõ magis, ut Paulus ait, propter iustificationem nostram. Sed non est hoc neque Pascha neque resurrectionem Christi rectè ac piè celebrare. Etenim Pascha nostrum hoc nomen antiquitus obtinet, ut dicatur Phase, hoc est, transitus. Porrò Christus hodierno die non altius sese demisit, sed resurrexit: nec Apostolos suos Hierosolymam potentem ac superbã, ubi Herodes, Pilatus, Cayphas, cũ suo grege pro animi libidine regnabant, remisit, sed in Galilẽã,

Psal. 50.

Pœnitentia ut cum Paschate optime consentiat.

Christi resurrectio ut plerisque in uitia recidendi occasio sit.

Rom. 4.

Phase quid.

quod est transmigratio. Has itaque tres uoces si coniungamus, quiuis facile uiderit, Christianũ Pascha non fugare pœnitentiam. Gaudium quidẽ nobis annunciatur, sed non quemadmodum mundus gaudet, sed ut pœnitens gaudere cõsueuit, audiens sibi peccata sua cõdonata esse, & quemadmodum sancti Apostoli gaudebant, cum primùm audirent, Christũ resurrexisse, & postea illũ etiam uiderent. Tale gaudium nõ incommodè cum pœnitentia congruit, imo necessariò consequatur oportet, alioqui pœnitẽtia nihil aliud est quàm ipse infernus, nisi dies Paschæ, hoc est, spes & fiducia diuinæ gratiæ accedat, ueluti in passione uidimus in Iuda, in quo pœnitentia nõ desiderabatur, quinimò millies mille Christiani nõ agunt parem cũ illo pœnitentiã, non tali contritione anguntur, nec confessionem & restitutionẽ bonorum iniustorũ sic faciunt, ut ille. Attamen frustra fiebant omnia, quia diem Paschæ illi uidere non dabatur. Sic itaq; uidetis, festum Paschæ nõ excludere pœnitentiã, sed postulare, nec esse sine ea posse. Proinde nemo demirari debet, quòd ego in sancto Paschæ die concionẽ meam à pœnitentiæ Psalmo ordiar. Sanctus Dauid posteaquã se ipsum bene in pœnitentia exercuisset, & postremò gratiã Dei sentiret, erupit dicens, Domine labia mea aperies, & os meũ annunciabit laudem tuã. Magna me spes habet, nos etiã cum Dauide non solum pœnitentiã egisse & gratiã rogasse, uerum etiam eandem impetrasse. Cur igitur in die Paschæ pro me ipso etiã dicere mihi fas nõ sit, Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudẽ tuam, & hortabitur alios, ut itidem faciant? Imo quàm certò homo ille uerũ Pascha non celebrat, qui Deum non intimo corde hoc die laudat, tam certò quoq; Ecclesiastes suo nõ satisfacit officio, laudẽ Dei nõ annũciãs. Etenim quid uidemus & audimus hodie aliud, quàm mera Dei opera, & eiusmodi opera, quę maiora & cõsolatoria magis optare nõ possemus? Cõsideret obsecro optimus Christianus, quàm breui momẽto sors Christi mutata sit, ita ut summã tristitiã & humilitatem, summũ gaudiũ & gloria secuta sit, ad stuporem usq; demirabitur profectò. Cogitet deinde, ea omnia nobis ad bonũ & solatium accidisse, & gaudebit. Tertiò consideret neminẽ præter Deũ horum omnium authorem fuisse, & gratuitò ea ita instituisse, committere non poterit, quin laudet illũ, nisi planè ferreus sit. Itaque meritò prima esse oratio debet uniuscuiusq; Christiani,

Gaudiũ cuiusmodi ex Domini resurrectione capessendum. *Ioh. 20.* *Matth. 27.* *Pœnitentia infrugifera quædam.* *Psal. 50.* *Christi resurrectio prabet materiam admirandi. Gaudendi. Laudandi.*

Christiani, ut cum Dauide dicat, Domine labia mea aperies, & os meum annũciabit laudem tuã. Enimuerò maius quid & amplius facere haudquaquam possumus, quàm ut laudibus ornemus Deum, nec est quisquã, qui commodiorẽ laudandi Deum formam nobis queat præscribere, quàm ipse adeò Dauid, quod ipsum in pręcedẽtibus huius Psalmi uersibus bis promiserat, Domine (inquit) docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertẽtur. Et rursus, Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiã tuam. Sed uidebat ad hãc rem opus esse gratia Dei. Sanè non minimã callet artem, qui Deũ laudare rectè nouit. Vt quis soli Deo gloriã tribuat, hoc opus, hic labor est. Nemo potest dicere, Dominus Iesus: nisi in spiritu sancto, inquit Paulus. Sit ergo hoc primum, quod hodie facturi sumus, nempe rogare Deũ, ut nobis labia nostra & os aperiat ad suã ipsius laudem. Et pro secũdo uidendũ est, quemadmodũ & quibus in rebus Deũ laudare oporteat, id quod Dauid omnium optimè nos docere poterit, cuius rei exemplum uobis ostendã ex uicesimo nono Psalmo, ut qui propriè de nostro festo Paschæ cantatus est. Audi igitur, quid Dauid in persona Christi dicat, Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus clamaui ad te: & sanasti me. Domine eduxisti ab inferno animã meam: saluasti me à descendentibus in lacum. Psallite Domino sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius. Quoniã ira in indignatione eius: & uita in uolũtate eius. Ad uesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia Conuertisti. Domine planctũ meum in gaudium mihi, cõcidisti saccum meũ, & circundedisti me lætitia: ut cantet tibi gloria mea, & non cõpungar. Domine Deus meus in æternum confitebor tibi. Hunc Psalmum Dauid primò ac præcipuè cecinit in persona Christi, & de ipsius læta resurrectione, in qua Christus non solũ ex omni afflictione, uerum etiã ex morte & inferno exemptus est & liberatus. Deinde uerò Dauid hunc quoque Psalmum cecinit in persona omnium eorum, qui per Christum liberati sunt. Vt enim Christus sibi ipsi mortuus non est, sed nobis: ita etiam nõ sibi, sed nobis resurrexit. Imo dum semet adeò potenter è peccatis & morte, ex inferno & malorum lerna excussit, & nos simul isthinc eduxit: & dum incorruptibili carne & corpore surrexit, nos quoque spiritualiter cũ illo

Psalm. 50.

1. Cor. 12.

Quo pacto & unde laudandus Deus.

Psalm. 29.

Christus & nobis mortuus est, & nobis resurrexit.

ſurreximus, ſcientes etiam noſtram carnem reſurrecturam. Quapropter hic Pſalmus ad omnes Chriſtianos pertinet, peculiariter ad eos, qui fortè ex magna tentatione & conſcientiæ ſuæ angore, in quo mortem, infernum & iram Dei quaſi præ oculis uiderũt, gratuitò eripiuntur. Hi omnes Pſalmum iſtũ canere poſſunt, Chriſtus primùm: is enim caput eſt, & quod in eo Deus declarauit cũ in paſsione, tum in reſurrectione eius, idipſum quoque in nobis declarat. Idcircò quemadmodum Chriſtus in ſua paſsione pro ſe ſuiſque membris ad Deum clamauit: ita etiam hîc ſtat pro ſe ſuiſque membris: gratias agit Deo patri non modò pro ſua optata reſurrectione, uerumetiã pro noſtra redemptione, qua re cõmonſtrat nobis, quid ſua reſurrectio ſibi ipſi, hoc eſt, ſanctæ ſuæ humanitati gloriæ, nobis autem utilitatis & ſalutis attulerit, docens, quo pacto etiam nos hodierno die laudare Deum debeamus. Quicquid enim hodie boni, uel glorioſi in Chriſto conſpicimus, id cum illo commune habemus: Deus illum liberauit à cruce & omni malo, & nos cum ipſo: Deus ex inferno illum eduxit, nos unà cum illo, Deus excitauit illum à morte, nos unà cum illo: Deus eum ſedere fecit à dextris ſuis, nos unà cum illo. Hæc enim diſerte omnia dicit Paulus: non refert, tametſi id nondum uideamus. Spe ſalui facti ſumus (inquit alio in loco Paulus) ſed nondum reipſa: præterea per fidem ambulamus, & non per ſpem: certa eſt fides noſtra, impoſita non arenæ, ſed petræ, non hominum, ſed Dei uerbo ſubnixa, nec ſpes noſtra confundetur. At uide nunc, an non homini Chriſtiano multæ ſuppetant occaſiones laudandi Deum? Et ad id quî formam meliorem habere poſsit, quàm hunc adeò Pſalmum? Age audi iam, quibus Chriſtus utatur uerbis, & quomodo pro ſe ſimul ac nobis in ſua reſurrectione cecinerit, Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, &c. Vide obſecro, quàm Chriſtus præclarè de gloria ſuæ reſurrectionis dicat, & quidem multis uerbis, quorum ſingula ſua peculiari ſignificatione non uacant, eáque eiuſmodi omnia ſunt, ut quæ omnem gloriam Deo authori tranſcribant. Id quod nemo arbitretur temerè factum. Potuiſſet Chriſtus alium etiam in morem loqui, optimo iure dicere quiuiſſet, Meapte ego uirtute ſurrexi, ſaluauit mihi brachium meum. Item, Ego ſum primus & nouiſsimus, ego habeo claues mortis & inferni, &c. quippe ſecundum diuinita

In Chriſto reſurgente quid nobis præſtiterit Deus.

Epheſ.2. *Rom.8.* *2.Cor.5.* *Rom.5.* *Pſalm.29.* *Iſa. 63.* *Apoc. 1.*

uinitatem suam nullius opus habuit auxilio, qui eum suscipe ret, ab hostibus defenderet & ex inferno educeret, sed hominis in morem hîc loquitur, & tanquam caput nostrũ, nobis sese adiungit: perinde facit, ac si ęqualis nobiscũ sit conditionis, quo & nos ad Deum accedere alacrius audeamus, meliúsque cognoscamus, Dei esse beneficium & opus, quicquid boni in nobis uel habemus uel conspicimus. Exaltabo te Domine. Nũc canere incipiã de tua bonitate, uirtute, potentia ac fortitudine: antea in passione mea alia utebar uoce. Anxietas animi mei, & multiplex corporis mei dolor clamorem mihi extorquebat, imò adeò afflictus & humiliatus eram, ut rugirem à gemitu cordis mei, quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam. Infixus eram in limo profundi, & non erat substantia. Iniquitates hominum supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et ob id tum nihil à me audiebatur, præter gemitus & clamores. Vt autem gemitus & clamoris mei tum multæ causæ erant: ita nunc causas habeo non pauciores te Deum meum prædicandi. Et est hæc prima causa, Eò quòd suscepisti me passione mea, derelictus eram ab omnibus creaturis, & quod amplius est, quasi ego tuus non essem, ita te erga me gerebas, nemo cogitare aliter poterat, quin & à te desertus & reiectus essem, quapropter etiam perturbata humanitas mea magno ad te clamore uociferabatur, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? At hodie uniuersus orbis uidet, me ne tum quidem tuo præsidio destitutum, imò te proximum mihi fuisse. Idcirco gratias tibi ago, quòd non neglexisti me, quòd tenuisti manum dexteram meam: & in uoluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me, dum mihi nomen donasti, quod est super omne nomen, &c. In passióne mea hostes mei gaudebant, gestiebant, exultabant, ueluti de uictoria securi, stabant iuxta crucem meam crudelitati etiam acerba conuitia addentes. Vah (inquiebant) alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere, &c.

Bona nostra Dei benignitati ascribenda.

Psalm. 37.

Palm. 68.

Psalm. 37.

Christus in sua passiõe extreme derelictus.

Matth. 27.

Suscipitur Christus à Patre.

Psalm. 72.

Phil. 2.

Matth. 27.

Nunc uerò rumore certo, me resurrexisse à mortuis, gaudium illorum desiit cum magno apud omnes mortales probro, quò se uertant nesciunt, cuperẽt rumorẽ hunc suppressum, promittunt custodibus pecuniam, ne efferant quod uiderunt, minis conãtur Apostolos meos deterrere, ne prædicent me excitatũ à mortuis. Sed frustra omnia fiũt, gaudiũ

Hostes Christi confundũtur.

Matth. 28.

& iactantia eorum finem habet, probrum illorum uniuerso orbi palàm fiat necesse est. Ideo exaltabo te Domine, quoniam non delectasti inimicos meos super me. Tertiò in passione mea undiquaque ægritudine circũseptus eram, & onustus dolore, anxietate, miseria & morte, &c. At hodie ab his omnibus liberasti me, idcirco rursus te laudo, & gratias tibi ago pater, quoniã clamaui ad te, & sanasti me. Quartò quoniã in morte mea corpus & anima à se inuicem diuellebantur, nemo credere poterat, corpus meũ à corruptione in terra tutũ esse posse, & animã seruari, quo minus unà cũ aliis ad infernũ descẽderet. Ecce autẽ nõ solum animã meã ab inferno eduxisti, uerumetiã corpus meũ è sepulchro, ut neq; diabolus animã meã in inferno, neq; terra corp' meũ in sepulchro retinere & in cinerem uertere potuerit. Et ita quidẽ facto op' erat. Quæ enim alioqui utilitas foret in sanguine meo, si descendissem in corruptionẽ? Ob id rursum tibi gratias ago pater. Et quid multis uerbis opus est? audisti clamorem meum, misertus es mei, factus es adiutor meus, conuertisti planctum meũ in gaudium mihi: itaque cantabit tibi gloria mea, & nõ compungar, in æternum cõfitebor tibi. Sed iam uidete obsecro, an nõ Dauid pulchrè de gloriosa resurrectione Christi cecinerit? Si oculis uidisset, melius & clarius exprimere non potuisset. Quid resurrectio Christi aliud est, quàm quòd per eam abstulit omnem huius uitæ miseriã, ingressus in gloriam Dei, exaltatus supra omnem principatũ, potestatẽ, dominationẽ, &c. Et declaratus uerus filius, &c. Vide, istud unũ est, quod in hoc Psal. cõsiderare oportet, nẽpe quomodo omnia hæc uerba in Christo resurgẽte impleta sint. Hoc (inquã) primũ cõsiderãdũ in resurrectione Christi, quãquã nondũ satis est: nã & nos ipsos in ea contemplemur oportet. Dixi autem initio, Christum hæc uerba locutum esse non tanquam Deum aut Dei filium, sed tanquam hominis filium, imò tanquam fratrem nostrũ & caput, qui cum nos unum corpus sumus, & ille nobiscum. Vnde consequitur profectò, quòd etiam minimum membrum in hoc corpore, omnibus iis rebus gaudere potest, quæ capiti nostro hodie obtigerunt. Atqui hoc quidem gaudii nostri initium est. Etenim primo, si Deus suscepit caput nostrum, nec nos certè derelicti erimus à Deo, etiamsi peiore in loco res nostræ forent, quàm erant Christi in passione, quin etiam fieri posset, ut in nos maior cooriatur

tempe

Ex malis omnibus Christus eripitur.

Anima Christi ab inferis, corpus è tumulo eripitur.

Psal. 29.

Phil. 2.
Ephes. 1.
Rom. 1.

Bonis Christi etiam minima eius membra gaudere.

tempestas, quàm in Christum coorta est. Et hoc quidem est, quod Paulus tanta cum fiducia scribit & asseuerat, Propter *Psalm. 43.*
te mortificamur tota die, sed in his omnib⁹ superamus pro- *Rom. 8.*
pter eũ, qui dilexit nos, imò scimus quòd diligentibus Deũ
omnia cooperantur in bonum. Et rursus, Certus sum quòd *Ibidem.*
nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei. Secũdò si tot hostes suarum uirium periculum fecerunt in Christo, & morte illius frustra gauisi sunt, nihil profectò etiam in nobis obtinebunt. Et hoc est, quod Christus dicit, Confidite, ego uici mundum. Et quod Dauid ita ardenter ait in suo Psalmo, Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum. Quoniã ipse liberauit me de laqueo uenantium, &c. Tertiò si caput nostrum ab omni miseria, ægritudine & corruptione, in resurrectione sua liberatum fuit, in spem certã inducimur, fore ut Dominus etiam à nostris oculis omnem lacrymã sit absterfurus, ut nulla mors, nullus dolor nos sit amplius pressurus, sed æternum gaudium ad nos rediturũ. Atq; hoc rursum est, quod Paulus ait, Existimo quòd non sunt condignę passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, &c. Quartò uidemus in Christo, ne infernum quidem animam eius retinere potuisse: haud itaq; eorum quenquam absorbebit retinebítq;, qui Christi sunt mẽbra. Et hoc est, quod Paulus iterum dicit, Eripuit nos Deus de potestate tenebrarum, & transtulit in regnũ filij dilectionis suæ, &c. Et quod Dauid ait, Cõtriuit portas æreas: & uectes ferreos confregit, & ita uinctos eduxit, &c. Quintò si etiam terra corpus Christi integrum & nullo uitio affectum reddere coacta fuit, nihil uetat, quò minus & nos certi sim⁹ de resurrectione nostra futura, posimúsque alacriter dicere cum sancto Iob, Scio quòd redẽptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circũdabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum. Huc porrò seruit quod Paulus dicit, Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes uiuificabũtur. Postremò, si nostro capiti Christo omnis sua tristitia in gaudium uersum est, dubium nullum est, quin & in nobis implebitur, quod ad Apostolos dicit, Iterum uidebo uos, & gaudebit

Marginalia: *Ioh. 16.* *Psalm. 90.* *Apocal. 21.* *Roman. 8.* *Col. 1.* *Psal. 146.* *Iob 19.* *1. Cor. 15.* *Ioh. 16.*

cor ueſtrum : & gaudium ueſtrũ nemo tollet à uobis. Alióqui enim quî conueniet, ut caput in gaudio, in gloriá, in incorruptione, in cœlo ſit, membra uerò æternùm in triſtitia, exilio, corruptione, in morte & inferno relinquantur? Abſit hoc: meliora ſcimus: ubi caput eſt, ibidem erũt & membra. Quapropter, quàm Chriſtus uerè in ſua reſurrectione dicere potuit, Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, &c. tam quoque uerè quiuis homo Chriſtianus eiuſmodi uerba, imò totum Pſalmũ in ſuo Paſchate dicere poteſt. Quippe reſurrectio Chriſti eſt nobis certiſsimum argumentum, quòd ſub Dei præſidio ſimus, quòd hoſtes aduerſum nos nihil poterunt, quòd animæ noſtræ liberatæ ſint à peccato & inferno, quòd corpora noſtra reſurgent, quòd totus homo tam in corpore quàm in anima ab omni liberatus miſeria, æterno decore & gloria circundabitur. Videte Chariſſimi, hoc nobis ſolatij adfert reſurrectio Chriſti. Et hoc eſt quod Dauid ait, Pſallite Domino ſancti eius: non dicit, uos Adę filij, uos homines, aut etiam uos Chriſtiani, ſed uos ſancti Dei, nimirum excmpturus per hoc nobis omnem dubitationem ex animo noſtro, perinde ac ſi dicat, Pſallite Domino, certò uobis hæc bona omnia ex reſurrectione Chriſti polliceri debetis, haudquaquam diſputare primùm uos cõuenit, aut curioſè interrogare, quî fieri poſsit, ut nos mortales & Adę filij, qui tam profundè in peccatis & omnibus malis hæremus, quotidie morimur & perimus, rurſus emergamus, & in talem gloriam ingrediamur. Poſthac non eſtis ſimplices homines, non Adæ, ſed Chriſti filij, imò ſancti eſtis, quia eſtis membra eius, qui eſt ſanctus omniũ ſanctorum, habetis ab illo ſpiritum ſanctum, & ſanguine illius loti eſtis. Itaque pſallite Domino, idque quotieſcunq; ſuccurrit memoriæ ueſtræ gratia illius, & quemadmodum ſuos ſanctificet. Non moueat uos, quòd omnia adhuc parum læta appareant, quoniam ira in indignatione eius: ſed uita in uoluntate eius. Ad ueſperum demoratur fletus: & ad matutinum lætitia. Neceſſariò hoc addebatur, alioqui dicat quis, Quî credere poſſum tantum nobis boni ex reſurrectione Chriſti ortum eſſe, poſteaquam in peccatis, morte, morbis & omni miſeria manemus ęquè, ac antè? Hîc inquit Dauid, Túne tibi melius eſſe uis, quàm eſt tuo capiti? An neſcis etiam in illo triſtitiam præceſsiſſe, gaudium uerò ſecutum? Nónne mulieres triſtes domum reuertebantur Chriſto ſepulto? At ho

Matt.24. *Pſal.29.* *Reſurrectiò Chriſti quid nobis polliceatur.* *Ibidem.* *Sãcti ut ſimus.* *2.Cor.6.* *Pſalm.29.* *In hac uita ferendas afflictiones.* *Matth.26.*

Ac hodie, hodierno diluculo rursum exhilarabãtur. Enimuerò quandiu uespera est huius mundi, non est quod speres, præter planctum & mœrorẽ: ubi aurora emicuerit, gaudiũ sese ostendet, imò æternum gaudium, & tum omnis dolor ac gemitus à nobis fugiet. Si uidetur tibi interea temporis Deus irasci, scito illum peccatis succensere, non personæ, scito iram eius non esse ad perniciem, sed ad nostram salutem ac uitam: imò scito iram eius breuem esse, & momentum durare, cæterum in uoluntate sua nihil habet nisi uitam ac salutem, quemadmodũ & in Isaia dicit, Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis cõgregabo te, &c. *Matth. 28.* *Isa. 35.* *Deus ut irascatur nobis.* *Isa. 54.*

Videte fratres charissimi, an nõ hic Psalmus Pascha nostrum graphicè depingat. Ostẽdimus in eo gloriosam ac lætam resurrectionem Christi, simúlque indicauimus, quid nobis boni inde euenerit, & quid adhuc spei nobis reliquum sit. Anima cum Christo resurreximus, corpore olim etiã resurgemus, idque breui futurum est: hæc tantummodò uespera, hæc uita prius exigenda est. Hæc consideremus charissimi: hæc sunt, ob quæ uniuersus orbis Christianus festũ Paschæ tanta cum solennitate & lætitia celebrat, nimirũ quòd Christus nobis corpus & animã seruare uult, & nos nõ solùm à peccatis, uerumetiam à morte redimere. Simus itaq; grati: quod accepimus, nempè remissionẽ peccatorum, ita collocemus usurpemúsque, ut & alterum, uidelicet resurrectionem corporum nostrorum læti expectare queamus. Ad quam rem nos Deus sua iuuare dignetur gratia, Amen. *Sis gratus gratiæ.*

OCTAVVS SERMO

Omnem historiam enumerat, quæ in die Paschæ summo diluculo accidit.

Venite, & reuertamur ad Dominum: quia ipse cepit, & sanabit nos, uiuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. *Osee. 6.*



SI adhuc in recenti memoria habemus, quòd feria sexta proximè prçterita iuxta crucẽ Christi uidimus ac audiuimus, & præterea ex hoc Euãgelio cõsideram⁹, quàm oĩa repẽte & præter opinionẽ mutata sunt, atq; ita, ut summã tristitiã summũ gaudiũ secutũ sit, eqdẽ nihil dubito, quin in seipso quisq; sentiat, quod olim sanctus Dauid quoque sentiebat, quum hæc in spiritu uideret, nimirũ post extremam

humili

humilitatem Christi in passione illius mox summam quoq; gloriam secuturam. Hoc (inquam) illum in tantã induxit admirationem, ut exclamaret ac diceret, A Domino factũ est istud, & est mirabile in oculis nostris, nempe quòd lapidem quem reprobauerũt ædificantes hic factus est in caput anguli. Per hanc admirationem Dauid spirituali quoq; explebatur gaudio, ut dicere pergeret, Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Ex hoc gaudio porrò permouebatur ad laudẽ Dei. Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te. Et rursus, Domin⁹ mihi adiutor, nõ timebo quid faciat mihi homo. Bonum est cõfidere in Domino, quàm cõfidere in homine, quin & in principibus, &c. Hæc omnia etiam nos sensuri essemus, si diem Parasceues cum die Paschæ, hoc est, passionẽ Christi cum læta resurrectione illius cõferre sciremus. Quis enim subitam hanc mutationẽ non admiretur, quòd Christus ex tanta cõtumelia ac humilitate, tam breui momento ad tãtum maiestatis & honoris fastigiũ euectus est? Paucis ante diebus adeo contẽptus erat & abiectus, ut etiã indignus haberetur, in quo quis suã fiduciam poneret. Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluum facere, inquiebant, quod perinde est, ac si dixissent. Quî fieri potest ut alios seruet, qui seipsum seruare nequit? Quî rex Israëlis esse possit, qui in cruce pẽdet? Quî filius Dei sit, qui à Deo prorsus negligit? Quî electus Dei esse queat, cum lex aperte maledictũ pronuntiet, qui in ligno pẽdet? Videte, adeo tũ lapis iste reprobatus erat. Hodie autẽ positus est in summo & honorificẽtissimo loco spiritualis ædificij, atq; ita, ut duos cõplectatur muros, Iudæos & Gẽtes. Tum dicebat Pilatus, Ecce homo: hodie uerò dicere possumus, Ecce Deus noster, extra quem non est alius. In passione sua Christus agnus erat, hodie factus est leo. Hanc celerem & inopinatã mutationẽ diligenter cõsidera, & miraberis cum Dauide. Dehinc animo tecũ reputa isthæc omnia propter nos esse facta, nimirũ senties gaudiũ quoque in corde tuo oboriri. Tertiò cõsidera, Deũ his rebus omnibus caput esse, ad laudem etiã illius permouebere. Quartò considera, Christũ hæc omnia perfecisse ex obediẽtia erga patrẽ, & amore erga nos, sic futurum est, ut fide, spe, charitate æternũ illi adhærescas. Vide, tãtopere nobis uera resurrectionis Christi consideratio commodare posset. Primò uidelicet in admirationẽ nos raperet, ex qua deinde

[Margin notes: Psal. 117. — Ibidem. — Ibidem. — Christi summa ignominia in quantã gloriam mutata sit. — Matth. 27. — Deut. 21. — Ioan. 19. — Baruch 3. — Apoc. 3. — Admirare. — Lætare. — Lauda. — Adhæresce Deo.]

deinde secuturum esset gaudium, ex gaudio laus Dei, ex laude Dei omnis pietas. Atq; hæc sunt, quæ ad hodiernum festum pertinēt, hoc qui nō assequitur, is profectò resurrectionem Christi nondū rectè considerauit. Enimuero fratres, Pascha nostrum non Iudaicum sit, neq; in externis ceremoniis consistat oportet, sed in exhibitione ueræ pietatis. Gaudium nostrū non esse carnale debet: non propterea gaudere debemus, ut rursum posteaquā quadragesima præteriit, pristino more uiuamus agamúsque, sed ob id solum, quòd nobis Christus in sua resurrectione tantum bonorū attulit, nēpe ut Osee dicit, nos sanauit, uiuificauit, & saluauit, quin etiam suscitauit. Erant quidē hæc tum adhuc futura, unde & Propheta omnia ista uerba in futuro ponit. Sed nūc omnia euenerunt. Nam in sua sacra passione Christus nos sanauit, & curauit, in resurrectione sua uiuificauit nos suscitauitq;, ueluti Paulus clarè dicit. Quocirca non est, ꝙ in futurum illa bona expectemus, sed magis demus operam, ut iis tanquam præsentibus, rectè utamur. In hoc (inquam) cardo rei uertitur, ut Christum Dominum nostrum agnoscamus imitemúrque. Hæc duo nobis hodie consideranda sunt. His duobus etiā sancti Apostoli & discipuli omniū maximè hodierno die occupati fuêre, nimirū ꝙ summo studio Dominum quæsierunt, & inuentū summa deuotione sunt imitati. Quod ut uerū intelligatis esse, totam uobis historiā ex quatuor Euangelistis simul proponam, quid hodie primis fidelibus usu uenerit. Cùm Christus Dominus noster in cruce pro nostris peccatis mortuus, & à Ioseph ac Nicodemo in monumento positus esset, stabat Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Salome, & Iohanna, & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa uidentes monumentū, & quemadmodum posuerunt corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & unguenta: & sabbato quidē siluerunt secundū mandatum. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, ualde diluculo uenerūt uidere sepulchrū, portantes q̄ parauerant aromata, ut ungerent Iesum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum: erat autem aspectus eius sicut fulgur, & uestimentū eius sicut nix. Præ timore autē eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui. Et dicebāt mulieres adinuicem, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat quippe magnus

Pascha nostrū quale erit.

Vt gaudendum sit.

Osee 6.

Ephe. 2.

Christū ut & nosse et imitari debeamus.

Die Paschæ quid Christi discipuli, & primi credentes egerint.

Luc. 23.

Mulieres sanctæ.

Matth. 28.

Marc. 16.

magnus ualde. Et respicientes, uiderũt reuolutum lapidem,
Luc.24. & ingressæ, non inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum
est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo uiri ste
terunt secus illas in ueste fulgenti. Cùm timerent autem, &
declinarent uultum in terram, dixerunt ad illas, Quid quæri
tis uiuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit: recorda
mini qualiter locutus est uobis, cùm adhuc in Galilęa esset,
dicens, Quia oportet filium hominis tradi in manus homi-
num peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et re-
cordatæ sunt uerborum eius. Et regressæ à monumento,
nuntiauerũt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus.
Et uisa sunt ante illos sicut deliramentum uerba ista, & non
Ioan.20. crediderunt illis. Cucurrit autem Maria Magdalene, & ue-
nit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quẽ ama-
bat Iesus: & dicit illis, Tulerunt Dominum de monumẽto,
& nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus & ille a-
Petrus & Ioannes. lius discipulus, & uenerunt ad monumentum. Currebant au
tem duo simul: & ille alius discipulus præcucurrit citius Pe-
tro, & uenit primus ad monumẽtum. Et cùm se inclinasset,
uidit posita linteamina: non tamen introiuit. Venit ergo Si
mon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, &
uidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super ca-
put eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim in-
uolutum in unum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui
uenerat primus ad monumentum: & uidit, & credidit. Non-
dum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum à mor-
Ibidem. tuis resurgere. Abierunt ergo iterũ discipuli ad semetipsos.
Maria Magdalene. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum
ergo fleret inclinauit se, & prospexit in monumentum: & ui
dit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput & unum
ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi, Mu-
lier quid ploras? quem quæris? dicit eis, Quia tulerunt Do-
minum meum: & nescio ubi posuerunt eum. Hæc cùm dixis
set, conuersa est retrorsum, & uidit Iesum stantem: & nõ scie
bat quia Iesus esset. Dicit ei Iesus, Mulier quid ploras? quẽ
quæris? Illa existimãs q̃ hortulanus esset, dicit ei: Domine
si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eũ: & ego tollam
eũ. Dicit ei Iesus, Maria. Cõuersa illa dicit ei, Raboni (quod
dicitur Magister). Dicit ei Iesus, Noli me tangere (nondum
Luc.8. enim ascendi ad Patrem meum) Vade autẽ ad fratres meos,
Marc.16. & dic eis, Ascendo ad Patrẽ meum & Patrem uestrũ, Deum
meum

meum & Deum uestrum. Et hæc est Magdalene, de qua Iesus eiecerat septem dæmonia, huic apparuit Iesus primò, surgens mane prima sabbati. Illa uadens annuntiauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus. Et illi audientes quia uiueret & uisus esset ab ea, non crediderunt. Introeuntes autem & aliæ mulieres in monumentum, uiderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida: & obstupuerũt. Qui dicit illis, Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet uos in Galilæam: ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: inuaserat enim eas tremor & pauor: & nemini quicquam dixerunt: timebant enim. Cùm autem irent nuntiare discipulis, ecce Iesus occurrit illis, dicens, Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam: ibi me uidebunt. Quæ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus uenerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerāt. Et cōgregati cum senioribus, cōsilio accepto, pecuniā copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte uenerunt, & furati sunt eum uobis dormiētibus. Et si hoc auditum fuerit à Præside, nos suadebimus ei, & securos uos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est uerbum istud apud Iudæos, usque in hodiernũ diem. Videte charissimi, hæc illa sunt, quæ hodierno mane gesta fuerunt: equidem ea ex omnibus Euangelistis congessi. Hunc in modum resurrectio Christi primùm manifestata est. Atque hîc uidemus, quàm angeli simul & boni hoīes soliciti fuerint hodie. Nam alios nūc omitto cũ suo doloso cōmento. Angeli hodie ter cōparuerũt, & resurrectionē Christi annũtiauerũt. Bis hoc mane Christus ipse cōparuit. Boni & fideles ter ad monumentum cucurrêre, nimirũ primò mulieres, deinde Petrus cũ Ioāne, postremò Magdalene sola. Sic (inquā) cũ angeli, tũ hoīes soliciti fuerũt. Fideles hoīes soliciti erāt, ut ueritatē cognoscerēt, nũ corpus Christi ablatũ esset, an uerò resurrexisset. Angeli autem soliciti erant, quo miseros & desolatos discipulos perfectè consolarentur: interim & ipse Christus uidebatur audiebatúrq;. Itaque si nos rectè & Christianè celebrauerimus

Sanctæ mulieres.

Matth. 28.

Custodes nunciat res gestas principibus sacerdotum.

Vt & angeli & homines pij in Christi resurrectione se gesserint.

Pascha ut rite celebremus. uerimus Pascha, futurum est, ut hæc tria etiam in nobis deprehendâtur consequantúrque, uidelicet Christum quærere, à Christo audire, & Christum inuenire. Quanquam hoc postremum, solum gaudium nostrum perfectum reddit, ad id tamen peruenire non possumus, nisi à primo, hoc est, à quærendo incipiamus. Videmus in hac historia Christum à mulieribus citius, quàm ab apostolis inuentum: causa erat, quia Christum etiam maturius quærebant, quàm Apostoli. Quoniam uerò ea quærimus solùm, quorum amore & desiderio tenemur, necesse est, ut ad passionem Christi nos uertamus iterum, atque inibi miseriam & damnationem nostram cognoscere discamus. Isthinc enim cupiditas gratiæ in nobis nascetur. Sic etiam primi fideles suam ipsorum calamitatem & miseriam antea nunquam tam uiderant apertè, quàm in passione Christi & postea Propterea etiã Christũ tanta cupiditate quærebant. Hinc fiebat, quòd tam multo mane exirent ad monumentum, id quod cupiditatem illarum abunde arguit. Omnium autem maximè in beata Magdalena apparet, quanto desiderio Christum quæsierit, ueluti ex uerbis illius & gestibus clarissimè animaduertere est, quamobrem nemini uideri mirum debet, si illa & aliæ tam læta primùm ab angelis, deinde à Christo ipso audiuerunt. Nolite expauescere, inquit angelus, surrexit quẽ quæritis, in Galilæa eum uidebitis. Et Christus, Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, Deum meum, & Deum uestrum. Ex his & id genus uerbis fructus apparet resurrectionis Christi: primò scilicet quòd Christus uiuit: secundò, quòd ad Deum ascendit, ut appareat uultui ipsius pro nobis: tertiò, quòd etiã nos illic eum uidebimus. Si ergo Christus uiuit, non est quod trepidemus. Confidite, inquit, ego uici mundum. Si interpellat pro nobis apud Deum, quis est qui nos condemnet? inquit Paulus. Porrò si illum uidebimus ipsi, certè nihil nobis decrit in æternum: nam omnia Dei, sunt Christi: sunt enim illi omnia tradita à patre. Hæc consideremus hodie, Dominũ istum probè cognoscamus, imitemur, eiq; in æternum adhæreamus. Deus nobis suam largire dignetur gratiam. Amen.

Christum rediuiuũ cur ante Apostolos fœminæ agnouerunt.


Magdalenæ erga Christum desiderium.

Mar. 16. Ioh. 20. Heb. 9. Rom. 8. Ioh. 17. Mat. 11.

Sermo

SERMO NONVS

Ex quadragesimal. eiusdem authoris in Ionam *Prophetam dicerptus.*



ERAT Ionas tribus diebus & tribus noctibus in uentre ceti. Posteà autem dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam. Cùm mecum considero, ad quantam gloriam Christus hodie euectus sit, quámque lætum nuntium tristibus hodie Apostolis allatum, imo quantum gaudium toti mũdo attulerit resurrectio Christi, & in summa, quàm citò, quámque mirabiliter dies hæc omnia circa Christum & suos immutauerit, non possum hunc sermonem melius incipere, quàm ut cum Ecclesia dicam, Salue festa dies, toto uenerabilis æuo, Qua Deus infernum uicit & astra tenet: imo ut Deus super omnia regnat, qui paulò antè, ut homo abiectissimus crucifixus erat. Hæc (inquam) uerba si rectè considerentur, omnes Christianos excitare possem, ut & cupidè audirent, & cum diligentia & deuotione cogitarent, denique etiam læto corde & ore annunciarent magnam illam gloriam, salutẽ, beatitudinem, gaudium & diuitias, quas nobis hæc dies attulit. Et sic etiam facto opus est fratres: nemo Christianus hodie dormire debet. Similem enim huic diem mundus iam inde à principio non habuit. Nec ulla unquã dies orta est mundo, unde iustius gaudeant homines. Hodie enim Christus miseris nobis omnia illa restituit, quæ in Adã perdidimus. Væ igitur omnibus, qui hũc diem obdormiunt. Qui enim Christum in resurrectione sua non uidet, is certò adhuc manet in peccatis, morte & damnatione, &c. E contra beati, qui hodie uigilant, Christúmque cogitant, & quærũt. Talibus enim Christus annunciat pacem, eísque dicit per Angelum, Nolite timere. Itémque per Magdalenã, Dic fratribus meis, Ascendo ad Patrẽ meũ, &c. Quid igitur huiusmodi hominibus deesse potest? Legimus olim etiam Israëlitis summã felicitatem contigisse in festo Paschæ. Nã eo die è seruitute Aegyptiaca liberati fuerũt. At quid hoc est, si cõparetur ad nostrũ Pascha? Hodie nos liberati sumus à captiuitate Diaboli, quæ nihil aliud est nisi peccatum, mors & infernus. Sic & multa quidẽ & magna mirabilia olim Iudaicũ Pascha uidit. Nam eo die egressi fuerunt liberè ex Aegypto, apertum fuit illis mare, transierunt sicco

Ionæ 2.
Luc. 24.
Marc. 16.
Ioan. 20.
Exod. 14.

 pede,

pede, stabant aquæ ex utraq; parte sicut murus, præcedebat ipsos Angelus in colũna nubis & ignis. Post ipsos autem omnes eorũ inimici submergebantur, &c. Magna (inquam) sunt hæc, uerùm maiora uidit Pascha nostrũ. Hodie enim non à Tyranno aliquo homine, sed à Diabolo ipso, omniũ Tyrannorũ patre, liberati sumus, Hodie ablatũ est à nobis opprobriũ Aegypti, Hodie trãsiuimus per mare rubrũ, hoc est, sanguine Christi abluti sumus. Hodie nobis cœlũ apertum fuit & uia parata, in qua non Angelũ, sed Christũ ipsum ducem & præcessorem habemus. Hodie deniq; omnes hostes nostri simul interierũt. Hostes (inquam) nostri, qui tam fortes erant, ut nemo nostrũ euadere ipsos posset. Conabãtur quidẽ & benignum illũ Saluatorem, qui nostrã causam in se susceperat, opprimere, ac omnes simul in eum irruebant. Nam & Diabolus Iudæos in Christũ instigabat, & mors ipsum inuadebat, imo & occidebat. Deniq; & infernus aperto ore eum deuorare cupiebat, ut interim taceam, quòd Iudæi adeò eũ occisum cupiebãt, ut omnẽ etiam eius memoriã abolitam uellent. Nã & titulum regni super crucem positũ, mutare conabantur, & sepulchrũ militibus & sigillis muniebant, ne Christus quoquomodo resurgere posset. At quid profuerunt hæc omnia? Omnia hodie mutata sunt. Christus surrexit inuictis etiam omnibus hostibus suis.

Iosue 5.

Vbi igitur nũc est Iudæorum irrisio, qua Christũ in cruce pendentẽ irridebant? Vbi Diaboli potẽtia? Vbi peccati aculeus? ubi mortis acerbitas? ubi inferni horror? Omnia per Christum uicta sunt, omnia Christo subiecta sunt. Data (inquit) est mihi potestas in cœlo & in terra. De hoc igitur gaude, ô Christiane, ac Saluatoris tui diẽ triumphalẽ lætus celebra, assiste ei triũphanti, admirare eius potentiã, age gratias ipsius gratiæ, lauda ipsius misericordiã, canta de ipsius dilectione: lætare te hanc diẽ habere, in qua hæc facta sunt, iterúmque dic, Salue festa dies, &c. En fratres charissimi, hæc sunt mirabilia illa, quæ hodie facta sunt. Et quis hominum maiora, lætiora, meliora uidit unquam? Horum igitur uestrã charitatem uel paucis uerbis in exordio sermonis cõmonere uolui, ut maiori affectu ad huius diei celebrationẽ permoueamini. Nec dubito, quin hodie ab aliis diffusius de his audieritis. Deinceps igitur ostendã, quomodo etiam in Iona nostro præostensa fuit patribus resurrectio Christi. Huc spectant uerba thematis. Erat (inquit) Ionas tribus diebus, &

Matt. 27.

Matt. 28.

bus,& tribus noctibus,&c. Et suprà quidẽ satis ostendi, quomodo Ionas in eo,quòd in mare proiectus & à ceto deglutitus fuit,Passionẽ Christi præfigurauerit,ut qui propter nos omnẽ illam diuinæ iræ tempestatẽ ipsámque etiã sententiã mortis sponte in se suscepit,pro nobis mortuus etiam & sepultus fuit.Sed nunquid Ionas tantùm Passionis Christi figura fuit? Aut nũquid abiectio illa Ionæ,significauit Christũ omnino supprimẽdum? Nequaquã.Nam Ionas in mare quidem proiectus fuit,at non ideo submersus,imo magna omniũ admiratione post tres etiã dies ad lucem redut.Sic & Christus affixus quidem fuit ligno,& in eo mortuus,pòst etiã sepultus fuit,at nõ ideo periit.Cur,aut unde hoc? quia Deus præparauerat piscẽ grandem,qui Ionæ eo triduo esset habitaculum,& de Christo diu antè prædixerat Dauid,quòd Deus animã eius non relicturus esset in inferno,nec corpus ipsius in putrefactione.Itaq; ,si attendamus quid de Iona scriptum sit,postquam in mare proiectus fuit, habebimus omnia quæ & Euangelistæ scribũt,Ecclesia docet,& fides nostra tenet de resurrectione Christi. Quatuor autem de Iona asserit scriptura.Primum,quòd nedum in tribulatione sua,sed etiã è uentre inferi clamauit ad Dominum.Secũdum,quòd tribus diebus fuit in uentre piscis. Tertium,quòd Deus præcepit pisci,ut euomeret Ionam in terram.Quartum,quòd Ionas post restitutionẽ suam,Gentibus incœpit prædicare.Atqui hæc sunt,in quibus tota historia resurrectionis consistit.De singulis igitur pauca dicamus. Primò,In tribulatione mea (inquit Ionas) clamaui ad Dominum,& exaudiuit me,De uentre inferi clamaui,& exaudisti me.An non aũt hæc in Christo cõpleta sunt?Audistis in Passione,quoties ad Deũ clamauerit in sua illa tribulatione.Nam statim ab initio ter ad Patrẽ orauit,ut auferretur ab eo calix.Deinde,in cruce positus,iterũ clamauit,Pater (inquit) dimitte eis,quia nesciunt quid faciũt.Et paulò pòst magna uoce clamauit,Deus meus ut quid me dereliquisti? Et iterũ,Pater in manus tuas cõmendo Spiritũ meũ. Atq; hic clamor tam ualidus fuit,ut in ipso & uocem & uitam amitteret. Sic itaque Christus in tribulatione sua clamauit,& hunc eius clamorem etiã homines audire potuerunt.At quomodo è uentre inferi clamauerit,nemo audire potuit mortalium,tamen antequam ueniret in hunc mundum,Spiritus sanctus in scriptura prædixit,quòd clamaturus es

Psalm.15.

Ionæ 2.

Matth.26.

Luca 23.

Matth.27.

Luca 23.

Psalm.87. rus esset de uentre inferi. Sic enim in persona eius dixit David, Domine Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te, &c. Quoniam repleta est malis anima mea, & uita mea inferno appropinquauit: Aestimatus sum cũ descẽdentibus in lacũ, &c. per totum. Et in alio Psalmo, Quæ utilitas (inquit) in sanguine meo, si descendero in corruptionem? Nũquid cõfitebitur tibi puluis, &c. Et sequitur, Audiuit Dominus, & misertus est mihi, &c. Cõuertisti planctũ meum in gaudium mihi, &c. Sic igitur Christus in tribulatione sua orauit pro nostra reconciliatione. E uentre aũt inferi, hoc est, sepulchro, clamauit pro sua glorificatione & resurrectione, & in utroq; exauditus fuit. Nã & nobis impetrauit remissionẽ peccatorũ, & suæ humanitati impetrauit resurrectionem & glorificationẽ. Exauditus (inquã) statim fuit, uerùm ea exauditio hodie primùm innotuit mundo. Nã in triduo illo passionis & mortis eius, nemo hæc scire potuit: toto enim illo tempore uidebatur eum Deus planè abiecisse, ut meritò Christus cũ Iona dicere potuerit, Omnes fluctus tui trãsierunt super me, Aquæ circundederunt me usq; ad animam, &c. Et dixi, Abiectus sum à facie oculorũ tuorum, &c. Primò enim, cum Pontifices & Pharisæi in concilio illo suo cõcluserunt Christum occidendũ esse, tunc uerè circundederunt eũ aquæ usq; ad animam. Deinde, cùm Iudas accepta cohorte armatorũ, properaret ad capiẽdum Christum, uere dicere potuit, Abyssus uallauit me. Tertiò, cùm Cayphas diceret, Adiuro te per Deum uiuũ, ut dicas nobis, &c. & alij succlamarent, Reus est mortis, ibi uerè pelagus operuit caput eius. Quartò, cùm flagellis tam immaniter cæderetur: insuper etiã omnium ludibrio exponeretur, meritò dicere potuit, Omnes gurgites, & fluctus tui super me trãsierunt. Verè enim tunc, quæ nõ rapuerat exoluebat. Quintò, cùm audiret, Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam, ac deinceps etiam in medio latronum crucifigeretur, potuit uerissimè dicere, Ad extrema montium descendi, hoc est, in extremam confusionem & ignominiam. Postremò, cùm in sepulchro positus, & insuper etiam custodibus septus esset, potuit dicere, Terræ uectes concluserunt me in æternum.

Psalm.29 · Heb.5. · Ione 2. · Psal.68.

Quis igitur tunc uel cogitare potuisset, Christum à Deo exauditũ esse? imo quis nõ iudicasset, ipsum totaliter à Deo abiectum esse? Hodie autem planè apparet, quòd uerè fuit exauditus, unde & ulterius cum Iona dicere potuit, Tu Domine

mine subleuabis de corruptione uitam meam. Nam rursum uidebo templũ sanctum tuũ: non illud Hierosolymitanum, sed quod in Gentibus tibi cõstructurus es. Interim impij Iudæi, dum suas custodiunt uanitates, sepulchrũ scilicet munientes, ac custodibus mercedẽ pollicentes, ut mentiantur corpus meum à discipulis sublatũ, suam misericordiam, hoc est, me, qui ex misericordia ad ipsos ueneram, derelinquunt, & tamen frustra. Quod enim quærunt, nempe ut templum, & sacerdotium retinere posſint, non cõsequentur. Interim tamen, quãtumuis illi misericordiam suam relinquant, propter eos tamen, misericordiæ tuæ laus & gloria minor non erit. Nã ego in uoce laudis immolabo tibi, hoc est, linguas alias pro linguis eorũ tibi acquiram. Confitebor enim tibi in Gentibus, & nomini tuo Psalmũ dicam, Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Sic igitur uidetis, quomodo omnia illa uerba orationis Ionæ in Christũ cõpetant. Unde & certò uidemus, quàm efficax fuerit oratio Christi, imo quàm accepta sit persona ipsius Deo patri, id quod summè nos consolatur, quandoquidem Ioannes dicit, quòd ipse sit aduocatus noster. Et Paulus, Quòd ideo intrauit in cœlũ, ut appareat uultui Dei pro nobis, & quòd pro nobis interpellat. Hoc cogita Christiane, & nunquã desperabis. Hactenus igitur de oratione Ionæ. Secũdò loco de ipso dicit scriptura, quòd tribus diebus & noctibus fuit in uentre ceti. Et Christus similia dicit de seipso, Sicut (inquit) fuit Ionas in uẽtre ceti, sic erit Filius hominis tribus diebus & tribus noctibus in corde terrę. Sed quomodo (inquis) hoc uerũ esse potest, quòd Christus tribus diebus & tribus noctibus iacuerit in terra, cùm Euãgelistæ planè testentur, ipsum in uespera Parasceues sepultum fuisse, & mane prima sabbati surrexisse, quod tẽpus uix unum diem cũ dimidio cõplet? Hic duplex est responsio. Primò enim, si præcisè accipimus tẽpus illud, quo corpus Christi fuit in sepulchro, necesse est, ut quãlibet diem & noctẽ pro uno cõputemus, & quamlibet noctem sequẽti diei coniungamus, more scripturæ, quæ dicit, Et factũ est uespere & mane dies unus. Deinde necesse est, ut tres illos dies & noctes intelligamus per synecdochẽ, hoc est, partem pro toto: ita, ut ex eo quòd in Parasceue mortuus est, unum diem supputemus & noctẽ, & sabbati alteram, tertiam uerò noctem, quæ diei Dominicæ mãcipatur, ad alterius diei referatur exordium.

Matt.28. *Psal.56.* *Psal.21.* *1.Ioan.2.* *Hebr.9.* *Matt.12.* *Gene∫.1.*

Et sic de quolibet trium illorum dierum & noctium, ad minus aliquot horas iacuit in sepulchro, de primo scilicet die & nocte tres, de tertio sex horas, intermediũ autem diem & noctem integras iacuit in sepulchro. Potest autẽ & aliter dici, quòd Christus tres integros dies & noctes, nõ quidem reipsa in morte & sepulchro, sed quasi in morte & sepulchro fuit. Quamuis enim reipsa ad uesperã diei Parasceues mortuus & sepultus fuit, toto tamẽ illo die, imo etiam præcedẽti nocte, morti & sepulturæ iam destinatus & quasi iam mortuus erat. Vnde & tunc dicebat, Et iam non sum in mundo Et, Cùm essem cum eis, ego seruabam eos. Si Christus tum dicere potuit, Iam nõ sum in mundo, possumus & nos dicere, quòd iam tũ quasi erat in uentre ceti & in corde terræ. Rectè igitur totus ille dies Parasceues cum prçcedẽti nocte, sepulturæ deputatur: quicquid enim ab ea hora, in qua comprehensus est, circa illum factum est, quicquid passus est, nihil aliud fuit, quàm descendere in uentrem ceti, & in cor terræ. De sabbato cum præeunte nocte, nulla est quæstio, quin toto die quieuerit in sepulchro. Tertij diei media nocte surrexit, sed non fuit creditum, quòd surrexisset, usque ad uesperam eiusdem diei. Sicque etiam tunc discipulis uidebatur, Christum adhuc esse in morte, proinde & illa dies connumeratur duobus cæteris, ut tres dies sint. Secundum hunc igitur intellectum habes tres integros dies, & tres integras noctes. Verùm de his plus quàm satis. Est aliud quoddam mysterium, quòd computantibus horas mortis Christi & sepulturæ occurrit. Nam si ab hora, qua spiritum tradidit, computes, usque ad horam, qua surrexit, hoc est, usque ad medium noctis, inuenies, quòd tam in quantitate horarum, quàm in quantitate dierum, ternarius fulget numerus. Nona quippe hora tradidit spiritum, & restabant horæ tres eius diei, quæ coniunctæ sequentis noctis & diei uiginti quatuor horis, & illius, qua surrexit noctis medio, hoc est, sex horis, nimirum faciunt horas triginta tres. Et quod plus est, nedum præcisè triginta tribus horis iacuit in sepulchro, sed etiam tricesimotertio anno suæ ætatis fuit crucifixus, tricesimo anno baptizatus, tribus annis prædicauit, tribus passionibus consummatus fuit, flagellatione scilicet, crucifixione & lateris apertione. Denique etiam inter duos latrones tertius pendere uoluit. Vides ubiq; ternarium numerum. Putas autem casu hæc

Ioan. 17.

facta

facta esse? Nequaquam. Et quanquam consilium Dei nemo hominum sciat, possumus tamen dicere, Christum ideò ternarium illum numerum tam diligenter seruasse, ut ostenderet, se sanctæ Trinitati plenè satisfecisse, pro peccato primi hominis, qui ipsam sanctam Trinitatem tripliciter offenderat, in eo, quòd contemnendo Dei in se imaginem, & fidem & spem & charitatem perdidit. Fidem quippe perdidit, qui serpenti magis, quàm Deo credidit. Spem amisit, qui peccati conscius ad latebras confugit, ut absconderet se à facie Domini: Charitatem autem non habuit, qui requirentem se Deum, superba defensione à se repulit. Sic ille offendit sanctam Trinitatem, & Dei perdidit similitudinem: Christus autem ad hoc uenerat, ut homini sanctam placaret Trinitatem, & in hominibus Dei reformaret similitudinem. Vnde & meritò placata sancta Trinitas, suam cōfestim generi humano cœpit ostendere faciem, eductis omnibus de regione tenebrarum, qui uenturi huius fidem habentes, ex hac uita migrauerant, & prædicari uoluit nobis residuis, ut baptizaremur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Et hoc igitur ad consolationē nostram pertinet, ut maiorem & certiorem spem habeamus de remisione peccatorum. Sed audiamus quid scriptura ulterius dicat de Iona. Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam. Hoc propriè resurrectionem Christi respicit. Hinc & Petrus dicit, Hūc Deus suscitauit à mortuis, &c. Vtrobique enim Dei potentia cōspicitur. Nunquam Ionas ad lucē rediisset, nisi Dominus præcepisset pisci, nunquam etiā corpus Christi resurgere potuisset, nisi fuisset à cōiuncta diuinitate excitatū. Vnde & meritò Paulus dicit, Christū p resurrectionē declaratū esse filiū Dei. Vbi autē Deus operatur, illic cedere cogitur creatura. Sic Ionā deuorauerat cetus, sed Deo præcipiente, cogebatū eum reddere. Sic & Iudæi sepulchrū Christi clauserāt, signauerāt, munierant, sed nihil profuit. Resurgēte enim Christo, terræ motus factus est, & Angelus apparēs ita cōterruit custodes sepulchri, ut iacerent sicut mortui. Quòd si Angelus hoc potuit, quid poterit Christus ipse in iudicio? Hoc igitur est signū illud Ionæ, quod Christus se daturum promisit, impiis in damnationē, piis autē in salutē æternam. Nā si resurrectio Christi ita terruit impios, qd faciet eius iudiciū? Et ecōtrà, si Christus sua diuinitate tam potenter seipsum excussit è peccatis, morte, damnatione & diabolo: poterit & Act. 10. Rom. 1. Mat. 28.

eos, qui in ipſum credunt, è ſimilibus malis eripere. Atque
1.Pet.1. hoc eſt, quod Petrus dicit, Regenerauit nos in ſpem uiuam
per reſurrectionem Chriſti à mortuis. In ſumma, nihil magis
conſolatorium eſt piis, nihil etiam magis terribile eſt
impiis, quàm reſurrectio Chriſti. Sequere igitur pietatem,
& habebis perpetuam conſolationem: Sin autem manes in
peccatis, ueré timendum tibi eſt. Quò enim altius aſcendit
Iſaia 8. Chriſtus, eò magis punire poteſt. Eſt enim Chriſtus nedum
lapis fundamentalis, ſed etiam lapis offenſionis, in quo tam
multi corruunt & offendunt, quàm multi in ipſo reſurgunt
Matt.21. & ſaluantur. Qui igitur ſuper hunc lapidem ſe ædificauerit,
ſaluabitur: qui autem in ipſum impinget, ſeipſum lædet.
Quòd ſi lapis ipſe ſuper quépiam ceciderit, conteret eum.
Hactenus de tertio. Vltimum, quod de Iona ſcribitur, eſt
prædicatio ipſius ad Gentes. Et hoc etiam in Chriſto impletum
Luca 24. eſt. Oportebat (inquit) pati Chriſtum, & reſurgere,
& prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſsionem
peccatorum in omnes Gentes. Ante paſsionem ſuam Iudæis
Mat.10. prædicabat, imò & diſcipulis dicebat, In uiam Gentium
Mat. 16. ne abieritis. Poſt reſurrectionem autem dixit, Euntes
prædicate Euangelium omni creaturæ. Et quod Ionæ in Niniue
contigit, hoc etiam Chriſto cõtigit in Gentibus. Nam
magno ſtudio Euangelium acceperunt, crediderunt, pœnituerunt,
peccata priſtina relinquentes, &c. Et hoc non tantum
fecerunt populares, ſed etiam reges & principes: ad auditum
Euangelij ſurrexerunt de ſedibus ſuis, depoſuerunt
coronas, humiliantes & ſubiicientes ſe Chriſto. In hoc
igitur opere Chriſtus etiam nunc eſt, nec ceſſabit Gentibus
prædicare, quàm diu mundus ſtabit. Chriſtus (inquam) prædicat
Gentibus pœnitentiam, uerùm non ſolam ut Ionas,
ſed ſimul etiam remiſsionem peccatorum. Beati qui ipſum
audiunt & credunt: Væ autem illis, qui prædicantem & uocantem
eum reiiciunt. Sic igitur ex his quæ de Iona dicuntur,
totam reſurrectionis hiſtoriam habemus. Reſtat, ut cognita
reſurrectione Chriſti, ea rectè utamur. Feſtum enim
hoc plus quidem requirit quàm alia, quemadmodum & Iudæis
non aliud feſtum maiori diligentia præceptum fuit
quàm hoc. Habebant enim determinatum diem, in quo Paſcha
celebrarent, determinatum locum, tempus, ſacrificiũ,
modum, ritum, &c. Dies huius feſti, erat quartadecima luna
primi menſis, ſacrificiũ erat agnus; modus & ritus erant ut

eum

eum ederent, non coctũ aqua, sed assum, succincti lumbos, calciati, baculos in manibus habentes & festinãter, &c. Hæc autem sunt, quæ festum hoc etiam nunc exigit, non carnaliter, sed spiritualiter. Oportet ut annuè celebremus, imò quotidie resurrectionẽ Christi: oportet ut agnum, Christũ, qui Pascha nostrum est, manducemus per fidem, idque in azymis synceritatis & ueritatis: oportet ut procul è cordib' nostris excludamus omne fermentum malitiæ & nequitiæ: oportet ut seruilia opera uitemus in hac die, hoc est, peccata: oportet ut in una domo maneamus, hoc est, in Ecclesia, nec in sectas nos diuidamus: oportet ut accincti simus renibus per castitatem, calciati per obediẽtiam, baculum spei in manibus tenentes, & ut festinemus egredi ex Aegypto. Non enim illic uidetur Dominus, sed in Galilæa. Hæc si fecerimus, inueniemus Christum, uidebimus Christum, habebimus Christum, possidebimus Christum, ac tandem etiam ipso fruemur in æterna felicitate. Quod nobis concedat idem ipse Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto sine fine regnat, Amen.

Exod. 12.

1. Cor. 5.

DECIMVS SERMO,

Ex quadragesimal. eiusdem authoris, de filio prodigo.



MANDVCEMVS & epulemur, nam mortui eramus, & reuiximus, perieramus, & inuenti sumus. Qui proximè prę̨terito die Iouis concioni meæ interfuit, nõ ignorabit me in enarratione similitudinis de filio prodigo ad eum usque locum progressum esse, ubi Lucas ait, Et cœperunt epulari. Eodem quoque nos omnes deuenisse in conscientia nostra, magna me in Deum spes habet, resurrexisse nos de peccatis, ad uerum nostrum patrem cœlestem cõuersos esse, & per humilem pœnitentiam rursus adeptos esse uestem iustitiæ ac innocentiæ, annulum fidei, & calciamentum uoluntariæ obedientiæ, ambulandi posthac in præceptis Dei. Spes, inquàm, me habet nos iam ad mensam sedere, cõtemplari & demirari summã Dei in nos beneficẽtiã & gratiam, qua nos præter meritũ nostrũ impertit, frui deniq; & experiri gratiæ ipsius dulcedinẽ. Eò usq; nos oẽs ꝓgressos esse cõfido, atq; ita fieri oportuit, hoc Paschatis à nobis requirit festiuitas. Et cœperũt epulari. Trãsitus fuerit necesse est:

nã alioqui nõ rectè Phase appellatur,& genuinũ suũ uocabulum amittit. Et quemadmodũ Christus hoc Paschatis die,
Ioan.13. ex mundo ad patrem, de morte ad uitam, & de cruce ad gloriam transiit ac commigrauit, ita nobis quoque de peccatis
Luc.24. ad iustitiam, de uita priori ac ueteri in nouam transeundum & proficiscendum est. Hoc (inquàm) Paschalis iste dies à nobis postulat. Pessimè idcircò cũ illis agetur, qui in terris adhuc exteris degunt, & siliquis delectantur. Quis illinc eos auellet, quos tam multiplices adhortationes & exẽpla non permouerunt? Serò ad peccatorũ cognitionẽ uenient posthàc, quibus, ut cognoscerẽt, in passione studio nõ fuit. Paucorũ animos de supremo Dei iudicio solicitabit cogitatio, postquàm in passione Christi animo non fuerint perculsi. Quis nũc faciet, ut cupidi sint ad mensam patris sui, cùm tãta eos dilectio nõ pertraxerit, quam uidimus & experti sumus proximis his diebus? In maximo profectò discrimine uersatur, quem commune Ecclesiæ exemplum ad pœnitentiam nõ compulit, Christi passio nõ commouit. Pascha non summoperè exhilarauit. Sed meliora de uobis omnibus ominor. Ac ea de causa uõs iterũ hodie ut in proximis duobus sermonibus feci, compellare uolui. Manducemus & epulemur. In sacratissimo sacramento & passione Christi nostri conuiuij principium est, quod hodie absoluitur perficitúrque. Viuificabit nos (inquit Osee) post duos dies: in die
Osee 6. tertia suscitabit nos. Hodie dies illa est, in qua illud nobis
Psal.117. expectandum fuit; aut potius iam accepimus. Hæc est dies, quam fecit Dominus, dies sancta, dies nunquàm transitura, dies lucis & lætitiæ, dies immortalis gloriæ & decoris, dies in qua omnis nostra miseria finem consecuta est, contrà uerò gaudium initium cœpit. Hodie nãque apparet gratiã Dei omnibus nostris peccatis longè maiorem esse, hodie conspicimus Christum superiorem longè esse morte ac diabolo. Hodie demum experimur, quid uocabulum illud possit, quod Christus in cruce ueluti cygneam cantionem edidit:
Ioan.19. Consummatum est. Etenim læti iam canere possumus: Christi pugna fortissima, salus nostra est uera. Iam scimus Christum uictorem esse mortis & inferni. Iam scimus diabolum nihil amplius posse in fideles. Iam scimus Deo sacrificium Christi pro peccatis nostris gratum fuisse & acceptabile.
Rom.4. Traditus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.. Et in summa iam certò cogno

gnouimus nos cum corpore resurrecturos. Quemadmodum enim Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierũt per Iesum, adducet cum eo. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. 1. Thes. 4. 1. Cor. 15.

Hæc est dies, quam fecit Dominus: Gaudeamus & epulemur: nam mortui eramus, sicut & filius prodigus fuit, & reuiximus: perditi eramus, & inuenti sumus. Adam nos pessundedit, Christus redemit. Si quid incommodi illinc acceptum est, hîc nobis hodie est resarcitum. Quare gratulari nobis debemus Christo nostro existente consolatore, qui nisi resurrexisset, actum de Christiano orbe fuisset, omnes adhuc in peccatorum sordibus hæreremus morti obnoxij, uana esset fides & spes nostra. Deo auté gratias, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christũ. De talibus gratiæ operibus manducemus & lætemur. Exempla ex Apostolis sumamus, qui in passione Christi non solum dispersi & mœsti, sed ad extremam diffidentiam adacti mortuis similimi erant, neque id iniuria: nam solatium illorum in unico Christo positum erat, qui iam è medio sublatus erat. Audire iam cogebantur, Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, confidit in Deo, liberet nunc eum si uult: dixit enim, quia filius Dei sum. Quid mirum, si discipuli tum temporis dubitarint, num uera illorum in Christum esset fides. Tempus illis proculdubio tristissimum fuit, cùm animo usque adeò perplexi essent. Quid enim conscientiam hominis magis discruciat, quàm cùm in biuio ita hærere cogatur, incertus de sua fide & an gratiæ spes aliqua supersit nécne. Hoc (inquàm) sancti Apostoli & discipuli in passione Christi experti sunt. Hodie uerò in resurrectione Christi, omnium rerum mutatio facta est. Qui anteà opinabantur Christum filium Dei esse non posse, postquàm de cruce non descendisset mortem oppetens, confusi sunt. Qui anteà animo pusillo & consternato fuerant, confirmati sunt & gaudio affecti, atque ita, ut gaudium eorum ab illa hora nemo ab illis tollere potuerit, sicut illis à Christo fuerat promissum. Lege Euangelia, ex quibus intelliges, quo pacto gaudium in illis initiũ ceperit, ac creuerit, ac postmodũ completũ sit, quomodo eo usi sint, & alter alteri id cõmunicarint, & in summa quomodo per totũ illum diem nõ cõquieuerint, donec omnium corda perfecto gaudio repleta essent. Psalm. 117. 1. Cor. 15. Ibidem. Matth. 27. Ioan. 16.

Illud

Istud illorum Pascha erat. Exẽplum hinc nobis sumamus, ita loquamur nos quoque, ita cogitemus & faciamus. Ad quod meritò adducimur, quandoquidem ad solatium nostrum & utilitatem perpetuam spectat. Quocirca paulo plura de isto festo mihi dicenda duxi, quò abundantius in domo & in mensa patris nostri gaudere queamus. Decreui autem non egredi terminum uerbi illius, quod Christus in cru-
Ioan.19. ce protulit, Consummatum est, ostensurus uidelicet, quàm multæ figuræ & scripturæ ueteris testamenti in resurrectione Christi adimpletæ sint. Totum id nobis inseruire debet, ut cum filio prodigo tãto maiore lætitia perfundamur.

Primò in confesso est, rem nullam in tota sacra scriptura toties expressis uerbis nuntiatã esse, & tectis figuris significatam, quàm salutaris passio & lætissima resurrectio Christi significata fuit. Neque id iniuria, postquàm ex illis duobus
Apoc.13. omnis nostra salus pendeat. Passio Christi peccata nostra absorpsit, resurrectio ipsius uitam nobis attulit. Horũ itaq; duorum potissimum Deus suis fidelibus iam inde ab initio spem dedit Messiæ morituri & resurrecturi à mortuis. Quæ duo nõ uerbis tantum illis prædici, sed figuris ac exẽplis ueluti ob oculos poni curauit. Quod ut uerum esse fateamini, aliquot ex scripturis loca & figuras commemorabo, præbiturus interim uobis occasionem ea de re plura inquirendi. Quapropter audi id, quod Dauid de passione &
Psalm.40. resurrectione Christi cecinit. Beatus uir (inquit) qui intelligit super egenũ & pauperem: in die mala liberabit eum dominus. Dominus conseruet eum, & uiuificet eum, & beatũ faciat eum in terra: & nõ tradat eum in animam inimicorũ eius, &c. Totus hic psalmus haud dubiè de passione & resurrectione Christi scriptus, & cantatus est, cuius rei euidẽs testimonium est, ꝙ ipse Christus uersum ex eodem psalmo in suum proditorẽ protulit ac interpretatus est. Postquàm enim suorum discipulorũ pedes lauisset, ac interim pulcher-
Ioan.13. rimis usus esset uerbis, inter reliqua ita ait: Nõ de omnibus uobis dico: ego scio, quos elegerim. Sed ut adimpleatur scriptura. Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Hic uersus, atque adeò eadẽ uerba in isto psalmo continentur, ex quo liquidò patet, totum psalmum de Christo agere ab initio ad finem usque. Primò enim, quis pauper ille, egenus & miserabilis est, cuius Dauid rationem haberi tantoperè uelit, ut beatum illum hominem

prædi

prædicet, eíque bona plurima denuntiet, cui egenus iste & pauper curæ sit. Alioqui non minimum inter pietatis opera habetur, & omni laude dignũ iudicatur, si quis pauperũ memor sit, illorum calamitatem consideret, illis condoleat & opituletur. Maius quiddam ac laudabilius est, si quis intelligat super illum, qui animæ & conscientiæ morbo laborat, eíque & re & uerbis ferat opem. Dauid autem, quemadmodum numerus singularis innuit, hoc loco nõ de quouis, sed peculiari aliquo paupere & egeno loquitur. Non dicit, Beatus qui intelligit super egenos in genere, sed qui intelligit super egenum singulariter. De certa quapiam persona paupere loquitur, cui peculiariter uult, ut benefaciant homines in egestate summa degenti. Quod qui facit, beatum illum appellat, bonorum uim inæstimabilem ei promittit, ut cui ob hoc ipsum gratia & auxilium à Deo tam temporale quàm spirituale continget. Quis igitur pauper hic, & egenus alius est, quàm Christus in sua passione? Et quæ ipsius demum fuit calamitas? Inimici mei (inquit) dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius? Etsi ingrediebatur ut uideret, uana loquebatur cor eius: Egrediebatur foras, & loquebatur: in idipsum aduersum me susurrabant omnes inimici mei. Verbum iniquum constituerunt aduersum me, nunquid qui dormit non adiiciet ut resurgat? Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Ecce hic est ille pauper & egenus. An uerò non sunt eadem, quæ in passione Christi audiuimus? An non Euangelistæ apertè satis scribunt de impio proditoris osculo, de falsis testimoniis, de iniquis & contumeliosis accusationibus, de furiosis ac insanis uociferationibus, de amarulentis & acerbis subsannationibus ac lædoriis, quibus Iudæi per totam passionem à principio ad finem usq; Christo illuserunt? Verùm quid Christum ad tantam calamitatem ac miseriã adduxit? Haud aliud quicquam, quàm ineffabilis ipsius erga genus humanum charitas, qua nostra delicta sibi imputari uoluit, & nostram uicem subiit, nec aliter se gessit, quàm si ipse nocens esset. Ego dixi (inquit) Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi: hoc est, peccata eorum, quæ in me admiserunt, suscepi in me. Ad eundem modum loquitur alio in psalmo: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me, & quæ non rapui tunc exoluebam. Hæc causa

Psalm. 40.

Matth. 26.

Psalm. 40.

Psalm. 68.

fuit,

fuit, cur Christus eò miseriæ uenerit. Beatus itaque homo, qui intelligit super hunc egenum, qui diligenter cogitat, pro quibus & qua de causa tanta passus sit, quid illum ad id mouerit, & quæ commoda inde enata sint. Quod qui fa-
Psalm. 40. cit (inquit Dauid) atque ita intelligit super hunc egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, siue fames & bellum, siue peccatum & mors in eum sæuierint, conseruabit eum rebus adhuc integris, eriget & uiuificabit iam lapsum, beatum faciet eum in terra, ut posthac nullum periculum timere necesse sit, sed incipiat possidere Dei bona, dum ista adhuc fruitur aura. Ac insuper non tradet eum in manus inimicorum eius, sed suppetias feret, reficiétque eum, ubi lecto præ corporis doloribus fuerit affixus. Quòd si uerò contingat eum in animi angustias incidere, ut quocunque se uertat, nusquàm tamen quietus esse possit, & si conscientia eum pungat ac cruciet, non secus ac si sentibus & spinis intricatus sit, memoria tamen & consideratio de paupere & crucifixo Christo, ita lectum ipsius uersabit, ut uideatur sibi nunquàm mollius cubuisse. Vide hæc, psalmus iste de Christo & passione eius commemorat, déque omnibus iis, qui eiusmodi ipsius passionem expendunt, & uerè intelligunt. Audire iam quædam uis de resurrectione Christi? Aduerte, quid Christus in psalmo iam dicto subiecerit. Tu autem Domine (inquit) miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis. In hoc cognoui quoniam uoluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum, Benedictus Dominus Deus Israël à seculo & usque in seculum. In hisce uerbis clarissimè resurrectio Christi commonstratur. Nec interim silentio præteritur, quid bonis & improbis hominibus, quid amicis ac maleuolis inde sperandum sit. Verba quidem pauca sunt, sed talia, quæ pondere non carent. Domine resuscita me (inquit Christus.) Hic opus ipsum & resurrectionem habes. Quod tamen non ita accipiendum est, tanquàm Christus non propriis uiribus resurgere potuerit, sed illum ab alio resuscitari oportuerit, quemadmodum Lazaro impossibile fuisset resurgere, nisi eum ex monumé-
Marc. 16. to euocasset Christus. Alia cum Christo res est. Siquidem Angelus luculenter de illo testatur inquiens: Surrexit, intellige propriis suis uiribus ac diuina uirtute, Christus quo-
que

que ipse ait, Potestatem habeo ponendi animam meam, *Ioan.10.*
& potestatem habeo iterum sumendi eam. Quod autem precanti similis ait: Domine resuscita me: & quòd aliis quibusdam in locis legatur resuscitatus à mortuis, ipsius id humanitati tribuendum est, quæ mortem superare haudquaquàm potuisset, nisi diuinitati fuisset conglutinata. Tali *Matth.26.*
quoque modo hìc Christus pro sua deprecatur humanitate, quemadmodum in passione fecit, ubi in hæc uerba erumpit, Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: ueruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Et rursus, Deus *Matth.27.*
meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quæris nunc, quid secum ferat Christi resurrectio, aut quid ex ea expectandum sit? Respondetur: Discrimen inter amicos & hostes ponendum est. De hostibus dicit, Retribuam eis. Quod quò breuius dictum, tantò terribilius & atrocius est. Non dissimile est ab eo, quod Iohannes ex propheta Zacharia *Zach.12.*
introducit, Aspicient ad me (inquit) quem confixerunt. Et quod Christus dicit, Cùm exaltaueritis filium hominis, ui- *Ioan.12.*
debitis, quòd ego sim. Et iterum, Amodò uidebitis filium hominis sedentem à dextris Dei, &c. Item ad Pilatum, Qui *Ioan.19.*
me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et alibi ad Iudæos, *Ioan.8.*
Multa habeo de uobis loqui & iudicare. Minæ tantùm sunt hæc omnia, & grauius animum feriunt, quàm si certum supplicij genus & uindictæ modum expressisset. Omnibus, qui Christum odio prosequuntur dicta sunt, atque Iudæos sensisse opinor, quibus abunde retributum est; & merces, qua digni fuerunt data, Christum opprimere & funditus delere conati ipsi sibi malum tam temporalium, quàm spirituale & æternum consciuerunt. Domine resuscita me (inquit Christus) & retribuam inimicis meis. Istud unum est. Pergis uerò percontari, quid ad nos Christianos solatij redeat ex resurrectione Christi? Audi quid Christus pergat dicere. In hoc (inquit) cognoui quoniam uoluisti me: pri- *Psalm. 40.*
mum hoc est. Et non gaudebit inimicus super me: alterum est: Et confirmasti me, in conspectu tuo in æternum: tertium est. En istud solatium nostrum est, quod ex resurrectione Christi capimus, nempè quòd luce clarius illinc euaserit, Deo nihil amabilius, nihil iucundius & acceptius, nihil denique coniunctius esse ipso Christo, quem & suscepit & confirmauit, ita ut ipsius hostium nemo unquàm sibi sit gratulaturus de eius incommodo. Quo quid

gratius

gratius audire possumus & optandum magis? Vbi melius nobiscum agitur? quid desiderare possumus? quid incommodo nobis esse potest, cùm illum habemus, quem Deus summoperè amat, quem suscepit, confirmauit, & in conspectu suo collocauit in æternum? Ad quod quid aptius quadrat, quàm lætissima illa cantio & hymnus, quo psalmum prædictum Dauid conclusit. Benedictus (inquit) Dominus Deus Israël à seculo & usque in seculum. Sed nunc mihi considera obsecro, an non Dauid expressè simul & apertè de Christi resurrectione cecinerit, ídque in uno tantum psalmo. Quot existimas psalmos alios esse, qui non minus præclarè eadem de re agunt? Quot item alias scripturas ex Prophetis quis posset adducere, quæ Christum aliquando resurrecturum uerbis planissimis contestantur? Verùm enimuerò temporis angustia non patitur, ut omnes eiusmodi scripturæ una uice indicari possint. Satis est, quòd sciatur audiatúrque hunc fidei nostræ articulum ex ueteri testamento quoque testimoniis niti, & fundatum esse, nec nos esse solos, quos resurrectio Christi exhilarat. Etenim optimis quibusque & electis gaudium attulit, eam aliquando futuram sperantibus. Abraham (inquit Christus) pater uester exultauit, ut uideret diem meum: & uidit, & gauisus est. Nonnullas autem figuras quoque in medium adferemus, quibus resurrectio Christi adumbrata fuit. Cain fratrem suum germanum ferre non poterat, eò quòd pietate & uitæ innocentia ipsum longè antecelleret, gratiáq; apud Deum plus ualeret ipso; quocirca etiam illi necem intulit. Verùm quid nefario hoc scelere profecit? Aeternam maledictionem, tremorem perpetuum, metum & periculum inevitabile sibi conciliauit. Fratrem uerò suum ad immortalẽ gloriam promouit, & nomen perenne apud omnes fideles illi comparauit. Quid aliud iam in passione & resurrectione Christi accidisse conspicimus? Iudæi cùm Christum perditum & extinctum uellent, ipsi interim pessum iuerunt, Christum ad summam gloriam & dignitatem prouehentes. Humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum, &c. Idipsum per Cain & Abel præfiguratum est. Optimo Iosepho per insomnia proditum erat, se dominium

Ioan. 8.

Phil. 2.

Gen. 37.

dominium habiturum aliquando in fratres suos, quod cùm modis omnibus impedire conarentur, homicidium penè incurrissent, tandem latronibus facti deteriores. Vinctum enim in cauernam proiecerunt, ut periret ibi & fame conficeretur, posteà autem mutato consilio diuenderunt eum, ut in terram peregrinam ueniret, & longè à cõspectu illorum submoueretur. Sed cui obstare uolebant, id maximè adiutabant. Nam Ioseph à suis fratribus uenditus, in Aegypto ad tantos honores & potestatem euectus est, ut cuncti mortales, atque etiam fratres, illi supplicare cogerentur, & ex arbitrio ipsius pendere, ut qui solus rebus desperatis & famis necessitati succurrere poterat, penes quem erat summa potestas, & qui annonæ satis aduersus imminentem calamitatem pro uniuersis hominibus reposuerat. Gen. 47. An non his congruunt ea, quæ in passione & resurrectione Christi gesta sunt? Iudæi illum pro fratre suo & Rege agnoscere non dignabantur, adeò ut homicidium in eo committere non uererentur, quem tamen uel inuiti iam dominum esse factum cernere cogũtur, quem uniuersus terrarum orbis colit, qui potestate prędius est tam in cęlis quàm in terris, quem denique ipsi quoque supplices adorabunt, nisi fame sempiterna enecari malint. Moyses primum editurus miraculum uirgam ab se abiecit, quæ in colubrũ uersa est. Pharao Rex Aegypti duos habebat præstigiatores, seu maleficos, qui in exhibẽdis similibus portẽtis Moysen imitabantur, sed cum singuli proiecissent uirgas suas in dracones uersas, illorum uirgas Moysis uirga deuorauit ac absumpsit. Et quid aliud in resurrectione Christi uidemus? Exod. 7. Duplicem diabolus mortem in mundum inuexerat inter humanum genus, ut & corporis & animæ morti obnoxij essent, quæ per duos dracones incantatorum Regis significabatur. Christus alteram, nempè corporis mortem in se suscepit, qua duplicem illam & corporis & animæ mortem deuorauit & absorpsit. Cum Num. 21. populus Israëliticus in solitudine quadam uice, Deo ac ministro eius Moysi obmurmurarent, misit in illos dominus serpentes ignitos, quorum ictibus & attactu multi interimebantur. Moyses à Deo admonitus æneum erigebat serpentem, qui tametsi speciem tantum serpentis referret, nec ut uerus serpens haberet uirus, attamen qui eum aspiciebat, illum sanitati restituebat. Quod quid aliud fuit, quàm typus & imago passionis & resurrectionis Christi? Diabo-

lus potestatem in omnes mortales habens, ueneno eos infernali perdebat. Christus in cruce pẽdere uoluit tanquàm
1.Pet. 2. peccator, cùm tamen peccatum non fecisset, nec inuentus esset dolus in ore eius, nunc qui eum syncera fide intue-
Ioan.3. tur, incolumis est & liberatus à ueneno infernali, nunquàm perit, nunquàm moritur, sed uitam æternam habet.
4.Reg.2. Eliseus propheta cùm ascenderet in Bethel, à paruis & male educatis pueris ludibrio habitus est, mox uerò duo ursi de saltu egressi sunt, & lacerauerunt ex eis non paucos. Et quid aliud factum cernimus in passione & resurrectione Christi? Nónne hostes ipsius acerbè satis in eum lusserunt dicteriis, & conuitia congesserunt? Postquàm autem à mortuis resurrexisset, duo uenerunt immanes ursi, Vespasianus & Titus, qui eos ad unum omnes lacerarunt dissi-
1.Reg.18. pàrúntque. Sanctissimus Dauid non à Gentibus modo, uerùm etiam ab Israëlitis derisus, afflictus, odio habitus, & ad mortem denique quæsitus fuit, nemo tamen efficere potuit, quò minus Imperium consequeretur ac obtineret. Cui autem magis unquam, quàm Christo homines aduersati
Luc.19. sunt? Iudæi dicebant, Nolumus hunc regnare super nos. Quanquàm etiam Reges & Principes huic uncto Dei sese opponerent, omnémque lapidem mouerent, ut conatus ipsius impedirent, uidere tamẽ & audire debebant, id quod
Psal.2. Christus inquit: Ego constitutus sum Rex super Sion montem sanctum Dei, &c. In Samsone non unam, sed plures
Iudic.14. figuras habemus. In uia cùm ei leo occurreret, cúmque impeteret, Samson quamuis non armatus, leonem tamen
Iudic.15. ueluti hœdum discerpsit. Israëlitæ funibus eum ligarunt, in manus hostium eum tradituri. Samson solutis uinculis, arripuit in agro maxillam asini, qua mille uiros ex hostibus
Iudic.16. suis deiecit. Cùm semel in urbem Gazam uenisset, ciues obseruantes eum, omnem illi exeundi uiam præcluserunt. At ille intempesta nocte surgens apprehensas ambas portæ fores cum postibus suis & sera, imposuit humeris suis, &
Ibidem. ad uerticem montis portauit. Postremò, cùm uitæ finis instaret, concussis fortiter columnis, domum collabi fecit, in qua principes aliíque ipsius hostes erant, ita ut plures moriens, quàm uiuus interficeret. Et quid per hæc omnia denotatum fuit aliud, quàm inuicta fortitudo, quam Christus in sua resurrectione ostensurus erat? Nam tum primum leonem diabolum discerpsit, eíque omnem potesta-

tem

tem ademit, omnibus uinculis sese exoluit, morte, se-
pulchro nec non ipsis tartaris superior uniuersos suos ho-
stes deuicit. Ionas in mare mittebatur, & erat in uentre Ion.1.
piscis tribus diebus ac tribus noctibus, post triduum pi-
scis eum terræ reddidit, tum primum incœpit Niniuitis, Ion.3.
iisque Gentibus prædicare, quo effecit, ut pœnitentiam
agerent, per quam decretam à Deo pœnam à se auerte-
bant. Et quid aliud in Christo uidemus? Christus ipse
historiam de Iona ad suam passionem & resurrectionem
refert. Generatio (inquit) mala & adultera signum quærit, Matth.12.
& signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Si-
cut enim Ionas in uentre fuit ceti tribus diebus & tribus
noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus die-
bus & tribus noctibus. Vnde quoque consecutum est, ut
Christus Gentibus per suos discipulos Euangelium prædi- Luc.24.
carit, per quod æternæ morti exempti sunt. Id genus hi-
storias uel innumeras adducere possem, quas nunc silen-
tio prætereo, partim quia temporis breuitas obstat, par-
tim quia necesse non est omnes historias & scripturas una
uice recensere. Satis est, nos non ignorare bona & felici-
tatem eam, quá hodie nobis gratulamur, in ueteri quo-
que testamento prædictam, notam & exoptatam fuisse.
Tantò minus dubitare nobis licet, uel potius tantò cer-
tius credere possumus, Christum sua lætissima resurrectio-
ne nihil non boni attulisse nobis ac dedisse, tantò confi-
dentius ipsius præsidio niti debemus in omnibus nostris
tribulationibus, tantò uoce hilariori debemus canere,
Christus nostrum sit solatium, tantò magis ex intimis af-
fectibus gaudere debemus, uitam nobis ad hoc usque tem-
pus prorogatam esse, tantò illi studiosius agere debemus
gratias, quòd talium nos bonorum participes fecerit, tan-
tò esse debemus paratiores ad ea quæ honesta & laudabi-
lia sunt, tantò minus frangi debemus rebus aduersis. Tan-
tò auidius debemus contendere, ut eò perueniamus, ubi
Christus sedet à dextris Dei, tantò quoque diligentius ca- Colos.3.
uebimus posthac ne peccatorum mancipia rursus fiamus,
postquàm semel pretio incomparabili empti sumus non 1.Petr.1.
auro, non argento, sed sanguine nobilissimo ac precio-
sissimo immaculati agni Iesu Christi. De talibus cibis cha
rissimi fratres manducemus & epulemur, laudum Dei non
immemores. Mortui namque eramus in peccatis nostris,

ſed per Chriſtum reuiximus. Perditi eramus longè à uera noſtra patria aberrantes, per Chriſtum uerò paſtorem noſtrum omnium fideliſsimum, ad ſalutem æternam reducti ſumus.

SERMO VNDECIMVS,

Ex *quadrageſimal. eiuſdem authoris in Efram.*

Pſal. 94. ODIE ſi uocem Domini audieritis, nolite obdurare corda ueſtra, &c. Non deerunt fortaſsis qui mirentur, quũ initio Quadrageſimę de pœnitentia, ſuperiori concione de paſsione Domini, ab hoc themate dicendi initium fecerim: cur ſanctiſsimi huius diei feſtiuitatẽ hilaritatémque hoc ipſo obſcurare & quaſi fœdare uoluerim: ſed quum id ſtudio & conſultò fecerim, non eſt mihi difficile rationem aſsignare. Quum Chriſtianũ uulgus ea plerunq; opinione ac mente eſſe uiderem, ut Paſchalis feſti interuentione antiquata omnia ſint & ſepulta, quæ ad Quadrageſimalem diſciplinam quomodocũque pertinerent, ita ut luctus ac mœſtitiæ nullum ueſtigium ſuperſit: habeátque hîc locũ, quod eſt apud D. Paulum, Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt o-
2. Cor. 5. mnia noua: & apud Pſalmographum, Hæc eſt dies quam fe-
Pſalm. 117. cit Dominus, exultemus & lætemur in ea: eum morem aliquot iam abhinc annis retinui, ut contra populi perſuaſionem, eodem themate Paſchalium dierum inſtitutionem ordirer, quo per Quadrageſimam in docendo fueram uſus: atque ita non mutata diſciplina, temporum ingenia conciliata oſtenderem. Non quòd negare uelim, ad hunc diem minimè pertinere, quæ iam è Paulo & Dauide citauimus: nam hæc maximè dies eſt quam fecit Dominus, & quæ incredibili gaudio quotquot ad Chriſtum ſpectant perfundit. Deinde quicquid uſpiam uitij ac paternæ labis iam inde à radice in ſtirpe conualuerat, ſuſtulit, abrogauítque, & quæ iam uetuſtate interciderant, innouauit: quemadmodum & Iudæis olim libertatẽ peperit, ut qui antea iniquiſsimo imperio, & ab immani tyranno graui ſeruiture premerẽtur, ab huius diei nũcupatione, ea omnia excuterent, neq; pro Domino aliũ quàm Deum agnoſcerent. Antea ſuis malis ingemiſcebant, eiulabant ac lamẽtabantur dolore & laboribus fracti: at poſt huius diei exortũ tam multo meliori conditione eſſe cœperunt, ut cõmunem ſuam lætitiam hoc carmine

æterni

æternitati conſecrarent, Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare, &c. Vt iam nemo neget illos uerè iſta uſurpare potuiſſe, Vetera trãſierunt, ecce facta ſunt omnia noua. &, Hæc eſt dies quã fecit Dominus &c. Ad eundem modũ & de nobis dixerim, pro extrema omniũ rerum deſperatione, ſummam affluentiam lætitiámq; eſſe conſecutos. Nã antę agni huius paſchalis immolationẽ, uerè (ut D. Paulus aſſerit) regnabat pecca- Rom. 3.
tum in mortem, mors uerò impunè in omnes graſſabatur, Diabolus omniũ libertati inſultabat: adeóq; nihil relictum erat præſidij, ut ne iuſtis quidẽ ac fidelibus ſua illa innocentia tutis eſſe liceret. At poſteaquam hodiernus dies illuxit, Ibidem.
alia cõtinua facies humanis rebus exorta. Nam ubi ſuperabundauit delictũ, nunc ſuperabundat gratia: & ubi regnauit peccatũ in mortem, nunc gratia regnat per iuſtitiã in uitam æternam: & pro immani tyranno Diabolo, princeps ille pacis Chriſtus latè dominatur. In hũc planè ſenſum dictũ eſt à Eſa. 9.
Paulo, Vetera trãſierunt, ecce facta ſunt omnia noua: uaticinatum eſt & à Propheta, Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Atqui hunc ſenſum in his uerbis minimè ſequuntur, de quibus antea dixi: qui euidẽti ſui aſſentatione hæc ita interpretãtur, quaſi feſta Paſchalia priſtinæ licentiæ ac uoluptati ianuã aperiant, pœnitentiæ diſciplinam ſoluant, animos luctu & cura liberent. Quã eorum ſtultiſsimam impiámque opinionem ut prima quaſi uelitatione retunderẽ, non alio themate ad huius diei ſermonem uti decreui, quàm quo per totam Quadrageſimã in diuerſo argumento ſum uſus: ut uel inde euidenter cognoſcant illi quàm bene Paſchali feſto cum Quadrageſima conueniat, & pœnitentiæ ſtudium ab innouatæ uitæ gaudiis non eſſe alienum. Quæ alioqui ex huius feſti denominatione, tum ex hodierno Euãgelio, tum ex illo Pauli ad Coloſſenſes lo- Coloſ. 3.
co, ubi de reſurrectione tractat, manifeſta habentur. Enimuero apud Hebræos hoc feſtum Phaſe dicitur, à noſtris Tranſitus. Quare ſi huius uim ac uoluntatẽ ſequi uolumus, non debemus hærere in loco, multò minus retrò abire, ſed ut pœnitentiæ auſpiciis cœptum eſt, in uia uirtutis longius indies progredi, propoſitúmque tenere. Iam & Angelus in Euãgelio, in Galilæam (quod noſtris ſonat trãſmigratio) il- Marc. 16.
los præmittit, qui rediuiuum Chriſtum affectant uidere. Sed *quorũ* ſignorum ſignificationẽ D. Paulus nulla uerborum

Colof.3. figura enodat, quũ iubet eos qui resurrectionis Christi participes esse uolunt, ut quæ sursum sunt quærant, ubi Christus est in dextera Dei sedẽs, non quæ super terram. Ex his luce clarius est, non dissolui per horũ dierum iucunditatem studiũ nostrum, sed potius augeri. Proinde non incõuenienter uos, ut antea, adhortor charissimi. & moneo: hodie si uocem Domini audieritis, nolite obdurare corda uestra. Cur enim ego Christũ non sequar? ut quemadmodum ille, non solũ quum pro nobis acerbissimè pœnitentia sese affligeret, uel in tormẽtis quum esset, uocẽ ad nos extulit, uerum etiam à morte eadem suauissimè est modulatus: uos nunc adhortet, perinde atq; antea feci, ut quæ nunc quoque loquitur, attenta aure percipere curetis? Iam quid commodi retulerimus, si ad pœnitentiam uocanti, adde & in tormentis ingemiscenti aurem præstemus: quum uerò reparatæ salutis gaudia nuntiat, denegemus? Vel dura, uel inuisa sunt
Mat.28. quæ ibi loquitur: hìc læta omnia. Auete, inquit mulieribus, quæ eum quærebant: addit, Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam: ibi me uidebunt. Hæc prima eius à morte uox fuit, quatenus de illo Euangelistæ loquuntur. Secunda porrò, qua Magdalenam affatur, aliquan
Ioan.20. tò adhuc splendidior, Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem uestrum, Deum meum
Luc.24. & Deum uestrum. Tertiò discipulos illos euntes Emauntem huiusmodi sermone dignatus est, Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Illa uerò, quibus Apostolos in commune est affatus, quàm multis
Ioan.20. partibus lætiora? Pax uobis: ego sum, nolite timere. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Itaque rectè eum facere arbitror, qui quum hæc à Christo Christiani audiunt, monet ut tam salutaribus uerbis cor docile præbeant, & attentum. Et quid ad pœnitentię ac Dominicæ passionis enarrationem aptius subiunxeris, quàm ut illa cordibus uestris mandare & insculpere studeamus? Quid mulier illa peccatrix (de qua superiori Dominica dicere aggressi sum*) lętius optatiúsq; audire potuit, quàm,
Luc.7. Remittuntur tibi peccata? Nam quod illi semel tunc dixit, id nunc resurgendo omnibus passim proponit. Iam me dicturientẽ cogitatione (ni fallor) præcurritis, & quid ex hac historia præsenti festiuitati adaptari queat (quemadmodũ & quum de pœnitẽtia, déq; cõmunione, postremò de passione age

ne agerē, facere meministis) circūspicere me presagitis. Ego equidem ita statuo, aptissimū illi hic locū esse: nec fore inconueniens, ut cum qua muliere animū ad pœnitētiā appulimus, ad Christū irrupimus, ádq; eius pedes, imò & sub cruce sordes animæ lacrymis detersimus: cum eadē etiā absolui à peccatis, & in pace dimitti mereamur. Nam perinde atque Christi passionē pro pœnitentia nobis arrogare, ita & in eius resurrectione fas est indulgētiā statuere. Paulus apertè ita pronūtiat, Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationē nostrā. Qua de re operępretium mihi facturus uideor, si latiusculè disseruero: nā ad id cōferet ut Dominicæ resurrectionis meritū plenius noscamus. Principiò cogitāti mihi nouā illā dignitatē, qua mulier illa ad Christi pedes, & quiq; fideles in eius resurrectione, imò & ipsa Christi humanitas hodie adaucta solito clarior enitescit: nō uideo ad tam insperatam mutationē, quid cōmodius subnectere queā, quàm quod est apud Psalmographū, Cōuertisti planctū meum in gaudium mihi, cōscidisti saccum meum, & circūdedisti me lætitia. Quæ tametsi in persona Christi à Dauide uaticinata sunt, & ad ipsius resurrectionem propriè pertinent: nihil obstat tamen, quò minus & à muliere illa, quū à Christi pedibus assurgeret, usurpari rectè potuerint: & nūc etiā à nobis, pro huius diei serenitate, usurpentur. Quò fit, ut mihi facile persuadeā, ut si diligenter illa pensiculata animaduersáque fuerint, & Christi in resurgendo maiestatē, & mulieris illius in Christi patrocinatione indulgētiáq; cōsolationē, & nostrā in huius diei nouitate lætitiā spectandā proponere. Et primò quidem quàm graui pœnitentia Christus seipsum, quum pro peccatis nostris lueret, affecit, quantopere luxit, ac doluit, quomodo posteaquàm diuersis suppliciis, cōtumeliis ac irrisionibus iactatus est, turpissima etiā morte sit multatus, ex ipsa passionis eius serie, & maximè ex illius querimonię, quā in cruce patri fecit, grauitate, satis est manifestū. Deus meus, Deus meus, ut qd dereliqsti me? Certe cōueniēs illi tēpori querela. sed certe & hoc cōueniēs resurrectionis tēpore epiniciū, Exaltabo te Domine, quoniā suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me. Deinde interpositis aliquot in eandem sententiam uersibus, subiungit quod ante citauimus, Conuertisti planctum meum, &c. A quibus, quæ in Euangeliis à

Rom. 4.

Psalm. 29.

Matt. 27.

Psal. 29.

Christo dicta legimus, uerbis tantum discrepant, non sen-
Ioan. 20. su: ista maximè, Ascendo ad Patrem meũ & Patrem uestrũ,
Matth. 28. Deum meum & Deum uestrum. &, Data est mihi omnis po
Phil. 2. testas in cœlo & in terra: nam quoniam humiliauit semeti-
psum (diui Pauli uerba sunt) Deus exaltauit illum, & donauit
illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu
omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorũ, &c.
Eadem & è ueteri testamento licet confirmare. Quadrifa-
Gen. 22. riam Deus Abrahæ spopondit. Primò, fore ut ipsi & uniuer-
sæ eius posteritati benediceret. Secundò, ut tanto numero
eos esse faceret, ut cum stellis cœli atque arena quæ est in li-
tore maris, æquiparari possent. Tertiò, quòd portas inimi-
corum suorum possiderent. Quartò, quòd in eius semine
omnes tribus terræ benedicendæ forent. Talia quidẽ Deus
Abrahæ promittebat, sed quæ uniuersa ad Christum, qui se-
men Abrahæ in sacris dicitur, spectabant. Et quidem fidem
ab ipso acceperunt, impleuitque ea omnia: uerum nõ prius,
quàm uictor à morte triumpharet. Nam pauloante quum
hostili inuidiæ pateret, eum minimè ad res tantas agendas
designatum dixisses. Nihil ibi ad uictoriam præsidij, spei nõ
multò amplius. A Iudæis pœnis ac conuitiis lacerabatur,
plectebatur à Gentibus, ne à discipulis quidem agnosceba-
tur, illudebatur ipsi à ministris, præsidiarij milites in crude-
litatem iocum uertebant, ab omni denique ætate & ordine
Psalm. 68. ad mortem petebatur: ut uerè dicere potuisset, Aduersum
me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant
qui bibebant uinum. Et ut ad extremam infelicitatem nihil
deesset, etiam in cruce animam agenti acerbissimè ab hosti
bus in faciem insultatur: cõuitiantur & latrones, quasi pro-
pria tormenta hac uoluptate mitigarent: nudus pendet un-
dique ab hostibus cinctus: nam eminus stabant, si qui ade-
rant qui eum nouissent. Quid in his erat quod splendida il-
la promissa caperet? Quod mihi hic semen ostenderes, cui
Deus benedixit? Imò quis adhuc pro semine Abrahæ, hunc
potius uermem quàm hominem haberet? De seminis uerò
multiplicatione, quam secundo loco Deus promiserat, quid
magni iactabimus? Quum primùm uerbi sui sementem fa-
ceret, duodecim Apostolos nactus est uitæ ac doctrinæ se-
ctatores, auctus deinde numero septuaginta duorum disci-
pulorũ: ubi uerò innotuit, multa hominum millia, & in his
pias aliquot matronas, quæ illũ facultatibus suis utcunque
susten

sustentabant, quocunque pergeret post se trahebat: in die Palmarum occursum est illi ab uniuersa pene plebe Hierosolymitana, acclamatur festiuum illud, Osanna filio Dauid: eámque iam gratiam authoritatémque apud uulgus collegerat, ut stomachum Pharisæis ac sacerdotibus faceret, diceréntque, Si dimittimus eum sic, omnes credēt in eum. Et in die Palmarum, Ecce, inquiunt, mundus totus post eum abiit. Habebant hæc iam aliquam crescentis seminis speciē: poterátq; Christus non difficulter illud Abrahę semen credi, quod ita propagandum esset, ut stellas cœli & litoralem arenam numerosa sobole æquaret. Cæterum quæ mox sequuntur tibi ob oculos pone: A discipulorum uno proditur inimicis, cęteri uerò dilabuntur: nemo popularium tam indigna patienti uel uultu commiserescit, non modò eum pro suo rege non agnoscunt, ut ne regni quidē titulū, uel ignominiosè ipsi opprobratum, patienter ferant inscribi: in tanta hominum turba uix ab uno latrone innocentiæ suæ testimonio subleuatur: si matrem cum unico discipulo & paucis semimortuis mulierib⁹ excipias, truces omniū uultus. Quid rediuiui incremēti à mortuo cadauere amplius expectasses, ut hic esset, cuius semen tot modis multiplicandū esset? Tertiæ promissionis effectum non multò fidentius à Christo requisisses. Hostibus non proditus tantùm, sed & uenditus erat, raptabatur uinctus ad iudices omniū præiudicio dānatus: totum mundum patitur infestum, nostra illum peccata premunt, mors insultat, diabolus adeóque infernus absorbere etiam parant: & hunc dixisses, tam grauē hostibus suis incumbere, ut etiam portas eorum præsidio teneret? Quarto loco promissum erat, ut in ipsius semine benedicerentur omnes tribus terræ. Quis hoc in Christum cadere dixisset, quum ab omnibus illis derogaretur, uiris, mulieribus, pueris, magistratibus, popularibus, sacerdotibus, Iudæis & Gentibus? & omnibus iam in ruinā, tanta ipsorum peruicacia, positus uideretur? Huc equidem spectasse illum credo, quum à Patre horum promissorum quasi fidem requireret, dicens, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Certè nihil hîc tam magnificis pollicitationib⁹ simile. At hodie qd renidēti ore loquitur? Conuertisti plāctū meū in gaudiū mihi, cōscidisti saccū meū, & circūdedisti me lætitia. Verissimum illud sanè, Christi resurrectione omniū rerū scenā nō mutatam tantum, sed planè inuersam fuisse. Acclamatur illi

Ioan. 11. *Ioan. 12.* *Mat. 27.* *Psal. 29.*

ab omnibus, Dignus est agnus qui occisus est, accipere uirtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Hæc illa benedictio est, quam Dominus Abrahæ ipsius semini collatu(r)ũ promiserat. Iam de huius seminis repullulatione ac propagatione, nónne pro credentis populi numero uerè affirmaris, iam inde ab eo die non esse facilius ad calculum uocare, quàm

Esa. 53. uel stellas cœli, uel arenã maris? Id fore Esaias nõ tacuit: Si posuerit, inquit, pro peccato animã suã, uidebit semen longæuum, & uoluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quòd laborauit anima eius, uidebit, & saturabitur. Sed & Patrem sibi obstrictũ tenebat, cuius hæc erat in Psalmis spon-

Psal. 2. sio, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Audistis eũ morte fuisse depressum, & hostium libidini expositum: sed uires & imperium quomodo resumpsit, Paulum buccinantem audite:

Ephe. 1. Potentiam uirtutis suæ Deus operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexterã suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur nõ solùm in hoc seculo, sed in futuro. Quam uerò benedictionem in omnes gentes deriuauit, satius est ab ipso audire. Hæc eius ad discipulos, posteaquam resurrexisset, dicta;

Ioan. 20. Pax uobis: sicut misit me Pater, & ego mitto uos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur

Marc. 16. eis. Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Cognoscitis iam quid Christi resurrectioni debeamus, & quantis nos illa bonis gaudiísque cumulauit. Illúdque uerè à Christo tunc usurpatum fuisse, Cõuertisti planctũ meũ in gaudiũ, &c. & (ut antea diximus) ad huius diei, imò Christi gloriam illustrandam non inconcinnè referri, iuxtà mecum intelligitis. Superest, ut quomodo idem Prophetæ uaticinium tum mulieri illi, tum in uniuersum nobis omnibus, huius diei ratione, adaptemus, doceamus. Quæ de mulieris huius fide ac pietate animíq; pœnitudine superioribus concionibus diximus, non est hîc necesse multis repetere: rem paucis perstringã. A tergo Christi pedibus iacet aduoluta, lacrymas tam ubertim profundit, ut pedibus abluendis sufficerent: maceratos iam capillis tergit, identidem dissuauiatur, ungítque. Immanè quantum hęc Pharisæus abhorreret:

subito

ſubſtomachatur, quare Chriſtus hæc patiatur, & publicum propudium à ſe nō amoueat. Ille adhuc ſilet. Animi interim pēdet illa, in quā partē Chriſtus tantā eius cōfidentiā, imò illuuiem criminū ſit accepturus: ſupercilliúmne Phariſæi ſit imitaturus, an potius pietatis famam de ſe ſparſam cōſeruaturus: quod niſi facturū credidiſſet, nō ueniſſet. Quid multa? nō eſt uoto fruſtrata. Chriſtus quum aliquādiu, & iniquā Phariſæi mētē, & feruidā mulieris deuotionē, tacitè percurriſſet, ſoluit tandē ſilentiū: & hypocritæ illius ſuperbā cogitationē nō obſcurè defigens, cōmemorat, quæ ipſe hoſpitalitatem profeſſus, impēdere ſibi officia neglexiſſet: nō curaſſet à uia feſſo pedes ablui, nō excepiſſet uenientē oſculo, nō alicuius unguenti aſperſione exhilaraſſet. Quę quum turpiter ab ipſo negligerētur, hæc mulier ſarcire ſtudebat. Pro aqua illi ſunt lacrymæ, pro mantili crines: & quod ille nō feciſſet capiti, hæc oſculis ac unguēto pedes deliniuit. Qua haud dubiè cōmemoratione creuit mulieri fiducia: ſed hāc Chriſtus ad eā cōuerſus, & alloquio dignatus, planè & ex omni parte cōfirmat. Remittūtur tibi, inquit, peccata. Cōſummat uerò, quum ſubdit: Fides tua te ſaluā fecit, uade in pace. Iam nihil ad pfectā cōſummatámq; felicitatē illi deeſt. Hoc eius Phaſe, hic trāſitus ab impietate ad iuſtitiā: potéſtq; uerè dicere, Cōuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia. Quanquàm eadem ratione illud nemo non poteſt, qui criminum ſuorum à Deo gratiam percepit. Nam perinde atque animo ſcelerum conſcientia exagitato familiaris eſt metus, dolor, & cruciatus: ita nihil illo lætius, & ſerenius, quem poſt pœnitentiæ & culpæ profeſsionem indulta abſolutio hac ſarcina leuauit. Deinde quemadmodum ille habet cur perpetuò ſe plangat diſcruciétque: ita habet iſte, quod gaudeat, uultúmque reſumat. Porrò ne mulierem illam tam citò dimittamus, uolo quæ Eccleſia de ea canit, hoc loco referre. Multum dimittis multum amanti, nec crimen poſtea repetenti. Dæmoniis eam ſeptē mundas ſeptiformi ſpiritu. A mortuis te reſurgentē, das cūctis uidere priorē. Vel ex paucis his uerbis, quātis beneficiis hæc mulier ſit à Chriſto cumulata, & quàm non ineptè illi ſuperiora Dauidis uerba attribuimus, liquidò cognoſcitis. Interim quæ tribus hiſce uerſibus comprehenduntur, à nōnullis ad Mariā Magdalenā (de qua crebra in Euangelus mentio) referuntur. Ab aliis porrò dubitatur,

tatur, num quæ de nobili illa peccatrice hactenus diximus, ad Magdalenam pertineant: nam de reliquis conuenit. Marcus, eam septem dæmoniis, hoc est multiiuga peccato-
Marc.16. rum sorde (ut Gregorio placet) à Christo liberatam esse, apertè fatetur. Iam Euangelistæ omnes non tantùm illi apparuisse Christum, uerumetiam nuntiam resurrectionis ab ipso missam, testantur: Marcus uerò, hoc honore omnibus
Ibidem. etiam prælatam scribit. Iam si uerum est, quod nos non negamus, mulierem illam non aliam quàm Magdalenam fuisse: tribus uicibus eius planctum à Christo in gaudium fuisse conuersum inuenimus. Primò, quum ab illa septem dæmonia eiecit. Secundò, quum eam patrocinio subleuat, & à conscientiæ carnificina securam dimittit. Tertiò, quum dolores illi omnes, luctúmque acerbissimum, quem ex eius passione & morte ceperat, uiuum se exhibendo, abstergit. Et sanè postremum hoc ut ad hunc diem propriè pertinet,
Ioan.20. ita à Iohanne non indiligenter fuit literis mandatum. Nam
Luc.24. quæ prius odio & detestatione suorum flagitiorum ad pedes Iesu amarissimè fleuerat: postea eiusdem amore tota deflagrans, affectioni tribuit, ut sub cruce, atque ad sepulchrũ non minus sibi à lacrymis temperandum duxerit. Nemo omnium Euangelistarum est, qui huius mulieris sub passionem Domini non præclarè meminerit: intantum ut Matthæus, Marcus, & Iohannes, passionis narrationem ab ea instituant: ut quæ illi occasionem dederit, per hoc quòd Iudas offensus unguenti perditione, quod illa in Christi caput suo more infuderat, inde magistri, qui factum excusabat, prodendi consilium cœpit. Item in passionis calce ubicunque de mulieribus, quæ Christum secutæ fuerant, agitur, hæc secũdum matrẽ Domini prima memoratur: quæq; eo die à sepulchro postrema recessit. Nam postridie quòd festi causa à religione otium erat, sequenti die primo diluculo comites aliquot secum trahens, ad sepulchrum accurrit: in quo quum dulces illas exuuias minimè reperisset, tam efflictim immoderatéque doluit, ut neque ab hominibus neque ab angelis consolationem sibi adhiberi haudquaquàm pateretur. Porrò in hominibus qui eam consolarentur nulli adeò erant, quum ne Apostolis quidem sua mens fidésque
Luca 24. constaret. Ab angelis uerò tametsi speciosa, nec ingrata audiret, tamen quia spem potius, quàm rem ipsam, cuius desiderio animo cõtabescebat, ostenderẽt, nihil de suo dolore

remitte

remittebat. Quòd Christus à morte reuixisset, id ne leui quidem cogitatione illi unquàm in mentem uenit: nam quæ ille indigna ac humana passus erat, ita illi mentis aciem perstrinxerāt, ut illa omni uoto maiora neutiquàm de ipso speraret. Tamen quum aliæ mulieres iterum dilaberentur, ipsa à monumento non potest auelli, sed persistit plorans. Quid enim aliud ibi faceret, ubi eum quem quærebat amiserat? Audierat antea ab angelo nō esse ibi Christi corpus, sed uitæ redditum inde se amouisse: sed desiderij impatiens iterū monumenti antrum ingreditur, intróq; prospectat. Mox à duobus angelis, quid ploraret rogatur. Quibus respondet, Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Vix uerba finierat, quū Christus ipse illi pone assistit, & fletus ac quæsitionis causam ab ea sciscitatur. Illa hortulanum eum esse ratus, quū minimè cognosceret, Domine, inquit, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eū tollam. Ibi Christus tanto amantis affectu delinitus, nō potuit se diutius retinere: sed quum eam proprio nomine cōpellasset, sese illi detexit. Quæ mox illi ad pedes aduoluta, tam insperato gaudio ita absorpta fuit, ut loquendi etiam facultatem amitteret. Iam omnis ille dolor euanuerat, successerat uerò hilaritas & lætitia incredibilis: quam tamen ut & aliis communem faceret, Vade, inquit, ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum & Patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Itaq; hæc mulier, non solùm quādo à dæmoniis leuata fuit, aut quum illi peccata remitterentur, uerum etiam hoc ipso dominicę resurrectionis die uerè de se testari potuit, Conuertisti planctum meum in gaudiū mihi, &c. Iam ut hæc tādem ad nos etiam referamus, Priusquàm Christus crucem pro nobis subiit, mortémque in ea occidit, omnes promiscuè peccati, mortis ac diaboli tyrāni de conspirationéque premebamur. Quam nostræ cōditionis miseriā quum pius quisque maximè cognosceret, propiúsque sentiret, quid aliud quàm iustus dolor, & de tam dura captiuitate mœror omnes inuasit? Verùm enimuero posteaquàm pro nobis mortuus est Christ⁹, lauit nos à peccatis nostris ī sanguine suo, mortē ipsā morti dedit, adeóq; hostem illum nostrum fractū ac debilitatū imperio deiecit. Tanta quidē & tā præclara ipsa moriendi infirmitate Christus gessit. At uerò quū hanc noua resurgendi potestate exornat, eo ipso iustitiā, & uitā, libertatémq; nobis instaurat: ut iam

Ioan. 20.

Marc. 16.

Apoc. 1.

ut iam uerè cum Paulo dicere possimus, Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum. Et, ut alibi, Viuo auté, iam non ego, uiuit uerò in me Christus. Et iterum, Quum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus. Et, Quum Christus apparuerit uita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria. Adde & illud quod est apud Iob, Scio quòd redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sim: & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum, &c. Hæc ut uerè dicere possimus, magnáque inde fiducia animum roborare, præstat nobis huius diei sacramentum: quod tum demum uerum nobis Phase erit, si uerè hæc & sanè dicimus. Proinde uidetis & nostrum plāctum in magnum gaudium per Christi resurrectionem nobis esse conuersum, saccum mœroris conscissum, lætitiámque undique exorsam. Quòd si iam cum muliere illa peccata nostra pœnitentia planximus, eadémq; in Christi passione lacrymis detersimus: non dubitemus & nos in hac eius resurrectione cum ipsa itidem audituros; Remittuntur tibi peccata, fides tua te saluum fecit, Vade in pace. Itaque non absit à nobis gaudium, qui nacti sumus in Christo solatium. Deo laudes soluamus, Christóque gratias, & communem de tanto beneficio sustineamus lætitiam: nec cesset in nobis studium, ne eam amittendo patiamur detrimentum. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo? Et si conuiuificati sumus in Christo, quid nos denuò morti obiicimus? Et quum sæui illius tyranni manus semel euasimus, cur illi rursum deditionem facere paramus? At charissimi fratres, empti estis pretio magno: proinde glorificate & portate Deum in corpore uestro, Amen.

Roma. 5. Galat. 2. Ephes. 2. Colos. 3. Iob 19. Roman. 6. 1. Cor. 6.

FERIA SECVNDA

PASCHAE, EVANGELIVM

LVCAE XXIIII.

ET ecce, Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorū sexaginta ab Hierusalē nomine Emaus, & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus

bus quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans, ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerẽt. Et ait ad illos, Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens unus cui nomẽ Cleophas, dixit ei, Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & nõ cognouisti ea, quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit, Quæ? Et dixerunt de Iesu Nazareno, qui fuit uir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo: & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël. Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, uenerunt dicentes se etiã uisionem angelorum uidisse, qui dicunt eum uiuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerũt sicut mulieres dixerunt, ipsum uerò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos, O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ, Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intratre in gloriã suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in

omnibus

omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Et appropinquauerunt caſtello quò ibant, & ipſe finxit ſe longius ire. Et coëgerunt illum dicẽtes, Mane nobiſcum Domine, quoniam aduesperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum eſt dum recũberet cũ eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorũ, & cognouerunt eum: & ipſe euanuit ex oculis eorum, & dixerunt ad inuicem, Nónne cor noſtrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia, & aperiret nobis ſcripturas? Et ſurgentes eadem hora, regreſsi ſunt in Ieruſalem: & inuenerunt cõgregatos undecim, & eos qui cum illis erãt, dicentes, Quòd ſurrexit dominus uerè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant, quæ geſta erant in uia, & quomodo cognouerunt eum ex fractione panis.

FERIA SECVNDA PASCHAE, EPISTOLA EX ACTIS APOSTOLORVM, CAPVT X.

STans Petrus in medio plebis dixit: Viri fratres, uos ſcitis quod factum eſt uerbum per uniuerſam Iudæam: incipiens enim à Galilæa poſt Baptiſmum, quod prædicauit Ioan. Ieſum à Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu ſancto & uirtute, qui pertranſijt benefaciendo, & ſanãdo omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum

daeorum & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Et praecepit nobis praedicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex uiuorum & mortuorum. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remißionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

PRIMVS SERMO,

De concione, quam Christus fecit duobus discipulis. Euangelium Lucae xxiiij.



CIRCA hodiernum Euangelium meritò quis omnibus hominibus Christianis acclamet, quemadmodum olim non solum Dauid in ueteri, uerum etiam Paulus in nouo testamento fecerunt, cùm dicerent: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra; sicut tentauerunt me patres uestri, &c. Hac acclamatione non incommodè uti possem circa iam dictum Euangelium. Nam tametsi Lucas non nisi unum uerbum indicat, quod Christus tum temporis locutus est, nempe cùm dicit, O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae: nónne haec oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Hoc unum uerbum expressit Lucas, interim tamen indicans, Christum non solùm alia multa uerba dixisse, uerùm etiam iustam & prolixam concionem habuisse. Incipiens (inquit) à Mose, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant. Hoc autem illum non paucis expediuisse credi par est, posteaquam Petrus ait, Christo omnes prophetas testimonium perhibere, & omnes eos qui in nomine Dei locuti sunt, à Samuele & deinceps, annunciasse dies Christi. At enim dicit Lucas, Christum duobus discipulis omnem scripturam interpretatum fuisse, quae de ipso prodita erat. Non

Psalm. 94.
Hebr. 3.
Luc. 24.
Christus lõga concione apud discipulos duos usus.
Act. 10.
Act. 3.

potest igitur hæc non longa fuisse prædicatio, cum utrobique sit addita hæc particula, Omnes. Nam si omnes Prophetæ de Christo scripserunt, & si Christus omnem scripturam quæ de ipso erat, enarrauit, multum certè & temporis & uerborum insumptum esse quiuis facile coniicere potest. Discipuli meritò felices dici possunt, qui hanc concionem audire meruerunt. Et quidem multa beatitudinis argumenta in illis apparuerunt: etenim ex hac prædicatione Christi ita inflammabantur accendebantúrque illorum animi, ut audire illum magis ac magis desiderarent, & ob id ægrè diuellebantur ab illius consortio, rogabant ut cum ipsis maneret, recusantem etiam compellebant, ut unà cum ipsis diuersorium intraret. Hoc operabatur in eis prędicatio ista. Et huc quid iustius pertinet, quàm ut etiam nos omnésque Christiani tanto acrius admoneamur, ne talem audientes concionem obduremus corda nostra? Nominatim quidem Lucas nihil ostendit, quos Prophetas, figuras, & scripturas Christus tum interpretatus sit: uidere tamen quiuis facilè potest, quæ fuerint pręcipuè partes. Primò ex eo quod Lucas hîc dicit, incœpisse eum à Mose, & omnes percurrisse Prophetas: Deinde ex eo quoque, quòd aliàs in Euangelio tot scripturæ loca & figuras ipse de se interpretatus est. De his duobus nonnihil audiemus. A Mose incœpit, inquit Lucas, erat quippe Mosi authoritas summa, eò quòd populum ex Aegypto eduxerat, legem illis dederat, atque ita ad Iordanem usque perduxerat. Hîc Christus discipulis istis haud dubiè dixit, Mosen nihil fuisse aliud, quàm umbram & figuram uenturi Messiæ, & longè aliam fuisse rationem eorum, quę Deus per Mosen gessit. Nec enim Moses erat filius, sed seruus Dei: nec ille populum penitus liberauit, quum post in grauem seruitutem uenerint, ut in libro Iudicum uidere est, nec ipse prorsus omni peccato caruit: ad hęc ne terram quidem promissam ipsi ingredi datum fuit, sed in deserto naturę debitum soluit: & si ingressus fuisset in terram Chanaam, nihil erat magni, quum etiam idololatrę in eadem terra habitarent. Proindè Moses ipse populum suum ad alium ablegat postea exoriturum. Prophetam (inquit) de gente tuo & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies: is poterit & efficiet quod ego non possum, &c. Hoc Christum duobus discipulis diligenter inculcasse probabile est, & tum

Luc.10. — *Luc.24.* — *Sermo Christi non negligenter audiendus.* — *Mosis authoritas.* — *Exo. 4. et 20.* — *Moses Christi typus.* — *Heb.3.* — *Num.20.* — *Deut.34.* — *Deute.18.*

& tum uenisse ad Iosue, qui demum ad finem perduxit, quod incœperat Moses cum populo, A Iosue, uti dubium non est, descendit ad Dauidem, qui non solum inter fratres suos erat minimus, sed etiam ad tempus ab omnibus graui persecutione affligebatur, sed tandem regno potiebatur. A Dauide ad Salomonem progressus est, qui primus Deo templum extruxit. A Salomone digressus est ad Prophetas, ac ibi indicauit, quomodo Isaias prædixerit, de Ierusalem exiturum uerbum Dei, & uirginem concepturam ac parituram filium, &c. Et super florem, qui ex radice Iesse ascensurus erat, requieturum spiritum Domini in omni plenitudine gratiæ. Et Deum Messiæ iniquitates omnium nostrum impositurum, &c. Ex Hieremia proculdubio dixit illis de nouo fœdere, quod Deus percussurus erat cum suo populo. Ex Daniele illis indicauit præfinitum numerum hebdomadis, in qua uenturus erat & nasciturus Christus. Psalmorum quoque haud oblitus erit, qui illum designabant, ut est secundus, uicesimus primus, tricesimus septimus, quadragesimus, centesimus & nonus Psalmus, &c. Et quid longa commemoratione opus est? Incipiens à Mose (inquit Lucas) interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Hoc pacto uidere facilè quiuis poterit, quæ præcipuè fuerint partes huius sermonis, quem Christus discipulis istis duobus inter eundum fecit. Adhuc clarius uideri potest ex eo, quod Christus ipsemet in aliis locis dixit, & nonnullas scripturas apertè de seipso interpretatus est. Vt cum ait ad Nicodemum: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam æternam. Fuit hæc indubiè pars eorum, quæ Christus in hac concione enarrauit. Et alio in loco dicit Christus in Iohanne: Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Et his uerbis eos remisit ad id, quod Moses olim dicebat: Prophetam alium suscitabit tibi Domin⁹, ipsum audies, &c. Atq; hoc Christus de seipso interpretatur: nec est dubiũ, quin inter cęteras scripturas etiam hanc discipulis explicuerit. Iohannis vj. loquitur de pane cœlesti, quod ipsum postea quoq; de seipso interpretatur, inquiẽs, se esse uerũ panẽ, qui de cœlo descenderit, &c. Iohannis octauo dicit de Abraham, quòd is uiderit diem ipsius. Id autem factum erit tum,

Isa. 2. Isa. 7. Isa. 11. Isa. 53. Hierem. 25. & 31. Dan. 9. Ioh. 3. Ioh. 5. Deu. 18. Christus panis uerus. Ioh. 6.

cùm Abraham ille immolaturus erat filium suum, & illi De⁹ tot bona ex semine eius promitteret,&c. Et hanc illius concionis fuisse partem credibile est. Iohannis decimotertio dictum illud Dauidis de se ipso interpretabatur: Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Matthæi uicesimoprimo aduersariis suis obiicit, id quod idem Dauid alicubi dicit: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, &c. Matthæi uicesimosecundo sententiam illis obiicit, dictam à Dauide: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, &c. Matthæi uicesimoseptimo uerbo illo pro se utitur, quod Dauid ait: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Lucæ quarto ad seipsum refert dictum Isaiæ, ubi inquit, Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, &c. Lucæ uicesimosecundo de se ipso interpretatur, quod Isaias ait: Et cum iniquis deputatus est.

Abrahā quando Christi diē uiderit.

Gen. 22.

Psal. 40.

Psal. 117.

Psal. 109.

Psal. 21.

Isa. 62.

Isa. 53.

Omnes istas & his consimiles sententias procul dubio Christus in hodierna prædicatione duobus discipulis enarrauit, nec tamen istas solas. Non enim sunt hi omnes Prophetæ & scripturæ, quæ de Christo loquuntur. Agnus, aqua è petra manans, Arca cum suo sacerdotio, Iosue cum sua uictoria, Dauid cum regno suo, & persecutione prius perpessa, Salomon cum templo suo, septimum, nonum, quadragesimum, quadragesimumtertium, quinquagesimumtertium caput in Isaia, quartum cap. in Michea, secundum cap. in Iona, nonum & undecimum caput in Zacharia, tertium caput in Malachia, & id genus plura ad scripturas etiam pertinent de Christo loquentes, quarum Christus in hodierno Sermone haudquaquam oblitus erit. Et quid iucundius optare quis queat, quàm ut talem audiat prædicationem, & à tali doctore? Nihil itaque miri est, si duobus istis discipulis animi incensi fuerunt, cùm hæc audirent. Mirum autem est, quòd Christum ex hoc sermone non agnouerunt, siquidem profectò à suis Pharisæis similia nunquam audierant. Sed causam reddit Lucas in ipso statim initio: Oculi illorum (inquit) tenebantur, ne eum agnoscerent. Veruntamen tantum in illis proficiebat hæc prædicatio, ut amor, cupiditas & desiderium in illis gigneretur, Christum longius audiendi, ideoq; illum dimittere nolebant, obsecrantes, ut cá noctem apud ipsos maneret. Et quia Christus eiusmodi in illis animū uidebat sentiebátq;, non potuit nec uoluit se illis amplius

Scripturæ ad Christum pertinentes.

Sermo Christi in duobus discipulis quid effecerit.

Luc. 24.

amplius occultare:aperuit se illis,fecit ut hilares Hierosolymá reuerterentur,qui tristes exierant. Videte fratres, hũc fructum adfert scripturarum auditio & uestigatio,nimirum quòd homo per id magis ac magis uénit ad cognitionem Dei, in dies ĩ fide firmior euadit,charitate magis inardescit donec postremò Christus ipse adest,& tali homini se penit⁹ patefacit,unde certè nihil aliud consequi potest, nisi gaudiũ animi,& æternum pascha Itaq; mirum non est,quod Dauid olim suis Iudæis acclamabat,ne obdurarent corda audiẽtes uocem Dei.Admonui quidem & ego uos horum uerborũ initio sermonis istius,ideo uidelicet , ut secum quisq; tanto diligentius cõsideret,cuiusmodi hæc fuerit prædicatio , quã id temporis Christus fecit:atq; utinã omnes, scripturas eiusmodi & figuras recte intelligere & cõsiderare possemus,dici nõ potest,quantũ lętitię in paschate nostro essemus habituri,quàm pulchrè uisuri essemus fructum passionis Christi. *Scripturas auscultare et inuestigare quid conferat.* *Psalm.92.*

Vnum pręterea aduertendũ,nimirum quòd Christus totã prædicationem,quã duobus fecit discipulis, in unum uerbũ conclusit,ubi ait:Hæc oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriam suã.Et hoc uerbũ est, quod quis non immerito admiretur.Etenim ĩ mũdo crux & passio magis uia est ad interitũ,quàm ad uitam & gloriam,id quod hostes Christi nõ fugiebat:idcirco sic stabant iuxta crucem,capitibus nutabant, aliter fieri non posse putabant, crucem & passionem certũ illius exitiũ esse oportere arbitrabantur, nec id Deum posse auertere,seu prohibere.Confidit in Deo (inquiebant) liberet nunc eũ si uult.Sed meliora sciebat Christus,quapropter nihil illorũ mouebatur ludibriis,nec absterrebatur, sed procedebat incœpto opere,sciebat crucem & passionem apud Deũ certam esse uiã ad gloriã.Idq; prædicebat ante passionem suã expressis uerbis, cum proditor Iudas ab illius consortio discederet, & abiret ad hostes Christi prouocandos irritandósque,ne moram amplius traherent, se quod recepisset, seruaturum, & se illis Christum traditurum. Hæc omnia non latebant Christũ.Cæterum non dicit,actum nunc est de filio hominis , sed ita ait , Nunc clarificatus est filius hominis,quasi dicat:nemo non putabat hoc fore meum exitium,sed in summam gloriam mihi cedet. Quàm enim certo ego clarificaui patrem in terris, & nomen illius mortalibus manifestaui , id quod iam palam omnibus est , eum patrem esse , & esse uelle , tam quoque ego certus sum, me *Luc.24.* *Mat.27.* *Crux & perpessio certa ad gloriam uia.* *Ioan.13.* *Ioan.17.*

ab illo clarificatum iri, atque eum mihi attributurum magnificentißimos & maxime eximios titulos, ut omnes cognoscant me, & appellent uictorem mortis, propitiatorem peccatorum, uerum mediatorem inter Deum & homines, seruatorem mundi, & iudicem cum uiuorum, tum mortuorum, imo fortem Deum, patrem futuri seculi, principem pacis. Vide, hoc est per crucem & paßionem ingredi in gloriam. Hoc Christo usu uenit, atque ita, ut qui ante paßionem suam purus homo iudicabatur, postea declaratus sit filius Dei: qui prius non habebat ubi caput suum reclinaret, omnium rerum nunc dominus constitutus est: qui prius atrocißimis conuitiis onerabatur, nunc omnibus linguis ac idiomatis prædicatur annuntiatúrque: qui prius ab omnibus hominibus, imo à peculiari suo populo reiectus erat, coram illo nunc flectitur omne genu: qui prius innocens mortis reus agebatur, nunc à Deo constitutus est iudex uiuorum & mortuorum. Sic Deus sua instituit opera, quem præcipitare uult, hunc in loco eminenti collocat: quem uerò euehere decreuit, hunc prius ad summam humilitatem deiicit. Et hoc est, quod olim rex Babylonis dicebat, Deum gradientes in superbia posse humiliare, nec esse quenquam qui illum prohibere poßit. Si itaque unum potest, hoc est, humiliare, certe & alterum poterit, hoc est, exaltare. Vtrumque ipso facto declarauit: prius illud in diabolo atque illius asseclis: alterum in Christo, & qui Christum sectabantur. Satanas in cœlo similis altißimo esse uolebat, in terris autem in omnes homines imperium affectabat. Deus illum è cœlo deturbauit, in terris ita humiliauit, ut in Christo & eius fidei concreditis nihil habere poßit, ut in bonum more fœno uictitare cogitur, hoc est, nullis officere potest amplius, nisi carnalibus: Christum & quæ Christi sunt, haudquaquam attingere audet, imo pati & uidere cogitur, se uinci, profligari, regnum suum dißipari. At Christus quia supra modum sese humiliauit, exaltatus supra omnia est. Nónne hæc oportuit pati Christum (inquit) & ita intrare in gloriam suam? Si ergo & tu cum Christo in gloriam ingredi desideras, scito per nullam aliam uiam eò perueniri, quàm per crucem. Si uiuere cum Christo cupis, mori cum illo ne grauare. Sint hæc tibi dicta circa hodiernum Euangelium, hæc Christus suis discipulis inculcare conabatur, eadem nobis quoq; persuadere in hodiernum diem nititur.

Margin notes: *Tituli Christi.* — *Isa.9* — Rom.1. — Mat.8. — Phil.2. — Act.10. — *Iudicia Dei abyssus multa.* — Dan.4. — Isa.14. — *Vt diabolum Deus humiliarit.* — Phil.2. — Luc.24.

titur. Si itaq; nos terret crux & passio, quemadmodũ haud dubiè illam natura nostra horret, contrà nos cõsolari debet secutura gloria. Sanè fratres, nõ est quod grauemur, si quid patimur, quãdoquidem æternum cõregnabimus cum Christo. Redemit nos (inquiebant electi) & fecit nos regnũ ac sacerdotes. Sin te terret dies Parasceues, ad diem Paschæ oculos flecte, qui celeriter sequebatur in Christo, & omnia more stupendo in illo mutabat. Quanquam & Apostolis sua tristitia spe citius uertebatur in gaudium: noluissent, quin talis præcessisset tristitia. In summa, quo similiores Christo simus in morte, hoc conformes magis & propiores illi erimus in gloria. Christum pati oportuit, sed in passione ac morte nõ manere. Christianos quoq; pati necesse est, sed ꝑfectò post passionem ad summam consolationem peruenire. De hac re nos certos facit resurrectio Christi & nostrum Pascha. Lætemur ergo, quando Christus est nostrum solatium, &c. *Apoc. 5.* *2. Cor. 1. Christo in gloria quinam similiores futuri.*

SECVNDVS SERMO *docet, cur post festum Paschæ mox aliæ etiam feriæ agantur.*



NON abs re ita institutum ordinatúmq; est in sancta Christiana Ecclesia, ut hodie iterũ prædicetur de resurrectione Domini, iterum cantetur, Hæc est dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea: & ut etiã nos propterea hodie festum rursus celebremus. Nõ quidem admodum magnum affert fructum, si indomita, effera, & petulans iuuenta multum ferietur & in otio degat. Et aut festorum numerus minuendus, populúsq; leuis ad laborem cogendus erit, aut hoc cumprimis prouidendũ, ne tot scelera, flagitia, probra, dedecora, aliáq; Christiana religione indigna plurima diebus festiuis designẽtur, ferãtúrq;. Verum hoc illis cõsiderandũ relinquo, quorũ id officium est, quiq; Deo summo iudici pro omnibus iis, quos illis regẽdos dedit, rationẽ reddituri sunt. Non possum, nec sanè etiam uolo excusare, quod in nostris festis admittitur sustinetúrque. Imò clamo, uociferor, dico nos hac re Deum uehementissimè offendere, neq; fieri posse, ut Deus nostrã leuitatem, quam maximè in diebus pietati consecratis exercemus patimúrq;, inultã sinat, si nõ propediem, at certè olim. Cæterum Ecclesiam excusatam uolo, quæ tot festa nunc simul nobis ordinauit. *Psal. 117.* *Festis diebus ut pleriq; abutantur.* *Ecclesia cur instituerit plures festos dies.*

Profecto non ideo id factum est, ut eiusmodi festa otio, multo minus leuitate terantur, aut ut carni locũ faciat, & in hoc mos geratur diabolo, sed ut nobis Christianis læta resurrectio Christi, unà cum illius fructibus, per quotidianas prædicationes tanto melius imprimatur. Siquidem nostra nõ parui refert: quinimo caput est nostræ fidei eiusmodi articulus, ut qui pluribus sermonibus quàm uno opus habeat, si modo simplicium captui exponi uerè & inculcari debet. Facile quidem dictu & cantatu est, Christus surrexit: sed hìc nõ so-
Ioh.11. lũ considerare oportet, quòd mortuus factus est rediuiuus, id quod Lazaro aliísq; in ueteri ac nouo testamento accidisse legimus. Eximium sanè est opus, in quocũque etiam illud fiat, mortuum reuiuiscere, attamen non ita rarum. Christus non primus est, qui à mortuis resurrexerit. Legimus E-
3.Reg.17. liam sua oratione puerum uita defunctum ad uitam reuocas-
4.Reg.4. se, similiter de Eliseo. Quin & in Regum libro legimus, quòd
4.Reg.13. quidam sepelientes hominem, cõspectis hostibus proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei, & simul atque tetigisset os-
Matth.8. sa Elisei, reuixit homo. Legimus item in Euãgelio de tribus
Luc.7. personis à mortuis excitatis, utpote filia Iayri, filio uiduę de
Ioh.1. Naim, & Lazaro. Imò scribit Matthæus in passione Christi,
Matt.28. apertis mortuorum monumentis, multos reuixisse, & urbẽ
Act.9. Hierosolymam iterum intrasse, ac hominibus apparuisse.
Act.20. Sic excitabat etiam Petrus mortuã quandã mulierẽ à mortuis, & Paulus adolescentem, qui graui sopore depressus, de fenestra deciderat. Id postea crebro accidit p sanctos Apostolos, martyres, & alios Deo charos, ut homines mortui

Christi resurrectio noua ac inaudita. ad uitam rursus emerserint. Quapropter res ista in seipsa nõ ita noua est. Cæterum in Christo nouum est, & prius inauditũ opus. Hic enim suapte ac diuina uirtute seipsum ex-
Iud.15. citauit, sicuti olim Samson, qui tametsi septem funibus liga-
Iud.16. tus erat, seipsum tamen per spiritum Dei exoluit, & deinde cùm hostes eius in Gaza omnes portas clausissent, nocte intempesta surrexit, ciuitatis portas cum claustris & cardinibus soluens, humerísque imponens in montem deportauit. Hoc (inquam) modo Christus surrexit. Potestatem ha-

In Christi resurrectiõe quid considerandũ. beo (inquit) ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Quare in resurrectione Christi nõ solum ipsum opus considerandũ est, quòd reuixerit, sed quòd per resurrectionem ingressus sit in gloriam Patris, & quòd etiam nobis ex illius resurrectione nihil nõ boni contigerit. Hoc

rit. Hoc in nullius præterea resurrectione inuentum est. Lazarus reuixit quidem, sed homo ut antè, mansit, denuò illi postea moriendum erat: ad hæc nemini resurrectio illius utilis erat, præterquam illi ipsi, nisi quis exemplum fidei sumere inde uelit. Eodem modo res habet cum cæteris, quos suprà dixi. At hic cum resurrectione Christi longè aliud est.

Christus ita à mortuis resurrexit, ut posthac non amplius sit moriturus, nec in illum sit mors unquam dominatura, & ut mors illius nobis omnibus proficua fuerit. Itaque nō solum opus intueri quòd surrexit, sed gloriam resurrectionis illius considerare nos oportet. Item utilitatē nobis illic ortam, & uerum usum resurrectionis eius. Sed hæc omnia quì simul indicari possunt? Videte fratres, propterea tot ferię nostro Paschati ordinatæ sunt, ut hæc omnia satis nobis insculpi possent, & quiuis Christianus presſius animo secum meditetur. Si eiuscemodi feriæ secus transiguntur, non Ecclesia in culpa est, sed nostra leuitas, & quòd pastores non uigilant, non attendunt, aut uisitant. Age, ego quod meum est faciam. Christum resurrexisse à mortuis, nouimus, credimus & confitemur omnes. Cæterum circa festum Paschæ dixi, hanc resurrectionem Christo non solum honorificam & gloriosam, uerum etiam nobis consolatoriam esse. Intrauit enim per hanc in gloriam suam, tum etiam nos sumus certi facti (quatenus illius mēbra sumus, & manemus) quod per eam in anima nostra liberati sumus à peccatis, inferno, ira & maledictione Dei, & denique in corpore nostro liberandi sumus à morte & omni ægritudine, miseria & mortalitate, & quod postremò futurum est, ut conformes fiamus glorificato corpori Christi. Hic fructus est & utilitas, quę nobis ex resurrectione Christi profecta est, cæterum de hoc aliàs abundè dictum est. Reliquum erit, ut his rebus rectè utamur. Quorsum enim attinet, diuitiis abundare, usum uerò earum ignorare? Resurrectio Christi nobis est ingens & insigne monile, tanto magis opera danda est, ut ea rectè utamur. Huc nobis conducere potest hodiernum Euangelium. Quod ut uerum esse intelligatis, paucis uobis exponam. Sic dixi, nos Christianos nō solum considerare oportere, Christum à mortuis resurrexisse, & per hoc eum supra omnia usque ad dexteram Dei exaltatum esse, & nobis spem gratiæ in hoc seculo, & spem immortalitatis in futuro ostensam, uerùm etiam uidere necesse esse, ut hisce rebus bene rectéque

Rom. 6.

Non imputandum Ecclesiæ, si qui festis abutantur.

Luc. 24.

Phil. 3.

Resurrectione Domini ut legitime utamur.

Ephes. 1.

étque utamur. Hoc autem nos quis melius docebit, quàm ij qui fructum resurrectionis Christi primum omnium sensêre, nempe sancti Apostoli? Paulus satis id indicauit, ubi

Rom. 6. ait, An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus, hoc scientes quia uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà nõ seruiamus peccato, &c.

Col. 3. & sic per totum illud caput. Et alio in loco, Si consurrexistis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & uita uestra est abscondita cum Christo in Deo, &c. Mortificate ergo membra uestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, &c. Hoc dico, & esset abundè dictum de uero usu resurrectionis Christi. Quia uerò exempla plus mouent, quàm nuda uerba, hodiernum tibi propone Euangelium, & disce ex eo, quid dies Paschæ à nobis

Dies Paschæ quid à Christiano reposcat requirat. Vide, hi duo discipuli primum nuntium audierant à mulieribus, Christum resurrexisse, & quanquam adhuc dubitabant, hoc tamen mulierum nuntium animos eorum ita occuparat & incenderat, ut etiam inter eundum & in corporis exercitio nihil cogitare aliud, neque loqui possent. Deindè magis adhuc inflammabantur cupidiorésque reddebantur, cum illis Christus licet ignotus, scripturas interpretaretur, imò cùm sermonem suum ita ad illorum animi sententiam dirigere posset, & tam optata loqueretur de Iesu Nazareno, de quo uno illis agebatur, nolebant eum à se dimittere, obsecrabant ut maneret apud ipsos, quinetiam compellebant: quem ubi agnouissent, mox Hierosolymam reuertebantur, & iter quod antea tristes confecerant, nunc læti relegunt, quo & reliquos discipulos ac fideles exhilararent. Hoc in illis prædicatio Paschalis operata erat, nempe primò admirationem, unde postea nascebatur cupiditas, quæ per uerbum Christi in ipsis alebatur augebatúrque. E uerbo Christi hauriebant fidem: simul atque credebant, dabatur illis, ut Christum uidere possent. Mox ut uidebant Christum, cor illis gaudio exple-

explebatur, gaudium illos postea ad omne bonum impellebat, nihílque non laboris illis facilè reddebat. Vide, sic aliud ex alio sequebatur, donec ad summum peruenirent. Et hic uerus usus esset resurrectionis Christi. Quod si tantum in nobis operarentur prædicationes nostræ Paschales, feriæ nostræ bene collocatæ essent. Atqui principium habemus nos æquè bonum, ac ipsi, imò melius & certius. Mulieres, quæ illis resurrectionem Christi primum annuntiabant, nondum ipsæ credebant uerum esse, attamen ita cito radices in illorum cordibus agebat. Nostri prædicatores de hoc longe nobis certiora dixerunt: Certissimè (inquit Petrus) sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Et iterum, Si hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus uobis, & omni plebi Israël, quia in nomine Iesu Christi iste astat coram nobis sanus. Hic est lapis qui reprobatus est à uobis ædificantibus, qui factus est in caput Anguli, & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Istud uerò proculdubio de resurrectione Iesu Christi dictum est. Quòd autem talis annuntiatio non similem in nobis, ut in istis duobus discipulis, fructum affert, id propterea fit, quòd non sit nobis cordi, quòd tandiu mentem non applicemus, ut radices agere queat. Hi discipuli non unam horam, sed totum diem hoc negotio exigebant, illic fruticari & crescere poterat usque ad maturum fructum. Nos mentem non nisi perfunctoriè adhibemus, cùm prædicatio finem habet, è memoria omnia euanuerunt. Si igitur prædicationem Paschalem in nobis radices agere non sinimus, quî fieri potest, ut uerum in nobis fructum afferat? Et hæc profectò causa est, quam ob rem post exactum Pascha mox ab omni pietatis studio desistimus. Quî enim in bono perseuerare possimus, nisi cor plenum sit gaudio & amore? Quî uerò gaudium & amor in corde consistere queat, ubi non est fides? Quî credi possit, ubi uerbum Dei non auditur? Quî uerbum Dei rectè audire queat, ubi nullum desiderium est? Quî alicuius rei desiderio teneri possim, quam pro nihilo duco? Admiratio primum adsit oportet, ut resurrectionem Christi rem magnam & mirificá putemus. Quare ab hoc extremo incipe,

Act. 2.

Act. 4.

Dominicæ resurrectionis annunciatio cur fructum nobis nullũ afferat.

Rom. 10.

Prædicatio.

Admiratio. incipe, sic aliud sequetur ex alio, donec ad summum perue-
Desiderium. nias. Adferat tibi prædicatio de resurrectione Christi admi-
Auscultatio rationem, haud dubiè desiderium & cupiditas sequetur. Fa-
uerbi Dei. ciet deinde illa cupiditas, ut uerbum Dei rectè audire pos-
Fides. sis. Hinc in te fides exurget, fides tibi Christũ sic reuelabit,
Cognitio Christi. ut cor tuum gaudio & amore impleatur: tum expeditus eris ad omne bonum, & cum gaudio curres uiam mandatorum
Gaudium. Dei, nõ uno die, sed toto anno, imo per omnem uitam tuã.
Amor. Hunc in modum læta resurrectione Christi uti nos conue-
Psalm.118. niebat. Hinc demum fructus oriri posset, sic Deus laudaretur, & proximus noster, quin uniuersa Christiana Ecclesia emendaretur. Hoc ex euãgelio isto discamus retineamúsque. O nos felices, si talibus in rebus nos exerceremus. Deus nobis omnibus suam largiri gratiam dignetur, Amen.

TERTIVS SERMO OSTENdit per exemplum duorum discipulorum, quid resurrectio Christi in nobis operetur.



CIRCA hodiernũ Euangelium & exemplum duorum discipulorum Christi, rursus ego optarem in animo nobis esse, quod modo de
Resurrectionis Christi efficientia. læta resurrectione Christi cecinimus. Etenim hîc per duos discipulos istos, nobis ueluti ob oculos positum est, quid in homine faciat operetúrque, ubi hæc pars nostræ fidei, nimirum resurrectio Christi rectè cognoscitur, & quàm nihil penitus in homine esse posit, præter desperationem & pusillanimitatem, ubi nescitur, aut creditur, uel non cogitatur, quòd Christus à mortuis resurrexit. Hi duo discipuli plurimum ad salutem adiumenti habebant præ cæteris hominibus. Viderant Christũ, & audierant ante passionem illius, iam dum sermones inter sese miscebant de illo, & passione eius, & quod amplius erat, sociũ itineris ille se eis præbuit, loquebatur cum ipsis, scripturas interpretabatur: attamen nihil poterant aliud quàm tristes esse, attamen nihil aliud in eis erat, quàm pusillanimitas & desperatio. Neq; gaudium neq; spem animo concipere poterãt, quàm diu nihil certi de resurrectiõe Christi haberẽt.
Luc.24. Simpliciter dicebant, Nos autẽ sperabamus, quia ipse esset redẽpturus Israël, sed principibus nostris authoribus factũ est, ut

est, ut amiserimus eũ, in quo omnis spes nostra posita erat: tradiderunt enim eum in damnationem mortis, & crucifixerunt eum, &c. Quo hæc optimi discipuli magis animo uoluebant, hoc tristitia eorum maior, spes uerò minor fiebat. Mox autem ut Christus noscendum se illis dedit, & Christũ esse uiderunt, & reuixisse, primo obtutu eorum tristitia euanuerat, omnis pusillanimitas & desperatio animos eorũ reliquerat, cor eorum gaudio plenũ erat, spes eorum reuixerat, omnis cibi obliti erant, non cogitabant uesperam ingruere, aut se lassos esse, omnia omittebant, ob quæ Hierosolymis profecti erant. Hoc unum illis in mente residebat, quòd Christus adhuc uiueret. Hoc cor & ingeniũ illorum ceperat, hoc illos cupidos reddebat, hoc pedibus illorũ alas addebat, hoc illos agebat, ut conquiescere nõ possent, donec rem hanc & aliis discipulis cõmunicassent. Nónne (inquiebant) cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas? Et surgebant eadem hora, &c. Vide, hoc in illis operatur resurrectio Christi, hæc est in illis mutatio, de qua aliàs dixi, & hoc nos cõperimus adhuc quotidie in peregrinatione nostra: quicquid sumus, quicquid habemus, quicquid credimus, nihil est, nihil prodest, cor exhilarare nequit, ni sciamus Christum resurrexisse. Diuus Paulus hoc dixit, & uerissimum est, Si Christus nõ resurrexit (inqt) inanis est prædicatio nostra. Quòd si Christus non resurrexit, uana est fides uestra: adhuc enim estis in peccatis uestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac uita tantùm in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nemo sese emoliri posset è peccatis, ex morte, & ex ira Dei, ni Christus resurrexisset. Nec est quicquam, quod nos certos magis redere queat, quàm resurrectio Christi. Proinde non abs re diuus Petrus peculiariter in hac parte Deum laudat & prædicat, quòd nos per resurrectionem Christi regenerauit in spem uiuam. Nam quantumuis pusillanimis aliquis sit ob sua peccata, spes tamen illius reuiuiscit, quando cogitat, Christum omnium nostrûm iniquitates portasse, atque ea in sancta sua resurrectiõe omnia deposuisse rursus, imo ut Propheta ait, proiecisse in profundum maris. Sit licet mors terribilis, in Christo tamen euades, si cogitaueris eum à mortuis resurrexisse. Summa, in resurrectione Christi fides nostra fit uiua, quæ alioqui mortua, & nulla est, & esse potest. Cæterùm

Christi resurrectio ubi comperta fuit, quãtum discipulis profuerit.

Ibidem.

1. Cor. 15.

1. Pet. 1.

Spem quid præcipuè excitet.

Mich. 7.

Fides nostra unde uiua reddatur.

terùm ubi spes uiua est, ibi sanè gaudium in corde est. Vbi cor lætum est, ibi totus homo exhilarescit. Porrò ubi totus homo hilaris est, ibi non solùm omnes animæ uires, uerùm etiam omnia membra corporis suo funguntur munere. Ibi exprompta uoluntas est ad omne bonũ, ibi nullus labor grauis est, ibi cum uoluptate curritur in uia mandatorum Dei. Hæc omnia nobis ostensa sunt in his duobus discipulis. Hæc omnia potest resurrectio Christi, si probè consideretur. Hæc enim nobis certum & ineffabile argumétum est, quòd clarificatus sit & regnet. Ipsius autem regnare nihil aliud est, quàm ut omnia impleat, uti Paulus ait. Ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Quisquis ergo credit Christum resurrexisse, is etiam credit eum regnare, hoc est, omnia illius potestati subiecta esse, & esse dominum peccati, mortis, inferni, Diaboli, & omnium. Idcirco, quando dico Christum resurrexisse, perinde est ac si dicam, Christus cunctarum rerum dominium obtinet, & illi data est potestas in cœlo & in terra. Nec tamen adhuc sufficit, si credas Christum Dominum esse rerum omnium, nisi porrò credas, tuum esse dominum, hoc est, eum tibi quoq; sua bona impartire uelle, quo in omni necessitate confidenter dicere possis, Domine conserua me, quoniam speraui in te, dixi domino, Deus meus es tu. Itaque cùm ais, Credo Christum ex mortuis resurrexisse, perinde tibi erit, ac si dicas, Credo Christum semel deuicisse peccatum, mortem, infernum, Diabolum & mundum, credo illum in hodiernum usque diem fortiorem esse his omnibus. Credo in ipsius manu ac potestate esse uitam, mortem, gratiam & peccatum, imo quicquid usquam est in cœlo, & in terra. Credo illum regnare, & Dominum esse famis & sitis, fortunæ tam secundæ quàm aduersæ, omnium rerum tam temporalium quàm spiritalium. Credo eum hæc omnia mihi bene uertere, fortunaréque uelle. Nunquid iam uides, quid solatij ex hoc articulo hauriamus? Hinc factum est, quòd ad Iohannem dicebatur, & ad unumquemque nostrum adhuc dicitur, Ne fleueris, Ecce uicit Leo de tribu Iuda, &c. Nam hoc nostrum est solatium, per hoc conscientiam nostram à desperatione tueri nos oportet. Hoc est de quo Petrus loquitur, Deus nos regenerauit per resurrectionem Christi in spem uiuam. Et cui Christus nondum hoc modo resurrexit, peccato adhuc & morti indubie obnoxius

Psal.118. *Eph.1.* *Eph.4.* *Christum resurrexisse quid sit.* *Matth.28.* *Christus dominus omnium et singulorum.* *Psal.25.* *Apoc.5.* *Desperatio ut profliganda.* *1.Pet.1.*

noxius est. Propterea optat Paulus, ut cognoscamus omnes, quæ sit latitudo & longitudo, profunditas & altitudo, hoc est, quàm longè & latè, quàm altè & profundè regnum Christi sese porrigat. Nam cui hoc prospectum est, is beatus est, ut rursus Paulus dicit, Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deum illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Sic dicit & in alio loco: ut inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est, iustitia in fide, ad cognoscendum illum, & uirtutem resurrectionis eius. Hæc uerba iterum satis declarant, quanti Paulus resurrectionem Christi fecerit. *Ephes.3.* *Rom.15.* *Phil.1.*

Non itaque mirum est, Euangelistas omnes tam diligenter de ea scripsisse: alioqui quidem in aliis rebus, siue de doctrina, siue de miraculis Christi, alius alio copiosior est. Cæterùm passionem & resurrectionem Christi pariter omnes literis mandarunt. Et merito sane: siquidem in his duobus cardo Euangelij nostri uertitur. Vnde & Paulus ait, Notum uobis facio Euangelium, quod prædicaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini. Tradidi enim uobis in primis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas: & quia uisus est Cephæ, & post hoc undecim, &c. Hic clarè audis, quòd Paulus hæc duo pro præcipuis partibus nostri Euangelij & Christianæ doctrinæ ducit. Et sunt utique: nam omnis nostra salus in his utrisque posita est, quemadmodum & Paulus ait, Christum mortuum esse propter peccata nostra, & resurrexisse propter iustificationem nostram. In geminum malum homo semet coniecerat, in peccatum & in defectum iustitiæ, hoc est, peccator erat factus, iustitiam amiserat, omni malo plenus erat, & omni bono uacuus. At uerò nunc Christus malum abstulit per mortem suam, bonum nobis attulit per resurrectionem suam. Nihil nobis uita & doctrina Christi profuisset, nisi mors illius secuta. & ea ipsa morte pro peccatis nostris satisfactum fuisset. Enim uerò sententia lata erat, In quocunque die comederis de fructu uetito, morte morieris. Hanc sententiam per indignam mortem Christi sustolli & antiquari oportebat. Ne mors quidẽ Christi nobis profuisset quicquã, ni resurrectio secuta *Passio & resurrectio Christi cur omniũ Euangelistarum literis annotata.* *1.Cor.15.* *Rom.4.* *Duplici malo mortales obnoxij.* *Vtrumq; Christus abstulit.* *Gen.2.*

1. Cor.15. secuta fuisset, ut superius è diuo Paulo demonstraui. Hac de causa Euangelistæ nostri utrumque hoc tam diligenter descripsére. Et quid solùm dico de Euangelistis? Omnes qui unquam scripserunt de Christo, mortis quoque eius & secutæ resurrectionis meminerunt. Huius rei exempla plurima habes in Dauide, ut cùm ait, Quare fremuerũt gentes: & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in unum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, &c. Hæ uerba ad passionem Christi pertinẽt. Sed nũc porrò audi de resurrectiõe ipsius. Ego autem (pergit Dauid dicere in persona Christi) ego cõstitutus sum rex à Deo super Sion montem sanctum eius, prædicãs præceptũ eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in uirga ferrea: & tanquam uas figuli confringes eos, &c. Hæc uerba ad resurrectionem Christi pertinent. Hunc adeò in modum Isaias planissimè de passione Christi loquitur, non tamen silentio præteriens resurrectionem eius, Vidimus eum (inquit) & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum & nouissimum uirorum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisq; in uiam suã declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatẽ omniũ nostrûm. Oblatus est, quia ipse uoluit, & non aperuit os suũ: sicut ouis ad occisionẽ ductus est, & nõ aperuit os suũ. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus, &c. Omnia hæc uerba ad passionẽ Christi spectant. Sed Isaias hoc nõ cõtentus, mox sub hæc quoque loquitur de resurrectione Christi. De angustia & de iudicio sublatus est: generationẽ eius quis enarrabit? si posuerit pro peccato animam suam, uidebit semen longæuum, & uoluntas Domini in manu eius dirigetur: in sciẽtia sua iustificabit multos, & iniquitates eorũ ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortiũ diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Vide, hæc uerba prorsus ad lætam resurrectionem Christi pertinent. Quia enim Christus ex obedientia passus est, hoc illi præmij datũ est, ut de omnibus suis hostibus trium

Paßio & resurrectio Christi ut à prophetis descripta.

Psalm. 2.

Isa. 53.

Paßione sua quid præmij sit Christus assecutus.

triumphauerit, illos uicerit, & quod prædati fuerant, rursus ab illis abstulerit, nempe animas nostras. Similiter Isaias aliis quoque in locis passionem pariter & resurrectionem Christi indicat, uti cum ait: In die illa radix Iesse. Sic nominat Christum, non solùm quia de stirpe Iesse ortus & natus est, sed etiam quia in passione sua omnino contemptus & deformis erat, & apparebat radicis instar in terra iacentis, &c. Sub hæc uerò mox dicit etiam de resurrectione Christi. Hæc radix, hic contemptus Christus stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Nam omnis qui se humiliat, exaltatur. Imò quia Christus sese humiliauit ac deiecit ad probrosissimam mortem crucis usque, exaltauit eum Deus supra omnia, &c. Hoc itaque pacto opinor, quiuis uidere posset, ueteres etiam prophetas passionis simul & resurrectionis meminisse. Quanti uerò passio & mors Christi nostra referat, in passione audiuimus. Quanti porrò læta resurrectio Christi nostra referat, supra quoque ostendi. Imò pius quisque Christianus uel ex hoc uno id animaduertere queat, quòd Paulus suum discipulum Timotheum tam acriter hortatur ad resurrectionem Christi considerandam. Memor esto (inquit) Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis, secundum Euangelium meum. quasi dicat, Si hoc obiectum oculis obuersabitur semper tuis, nunquam despondebis animum in tua mala conscientia: nulla crux, aduersitas, aut mors te terrebit, nullus labor te grauabit, cum alacritate & gaudio curres in tua uocatione, sicuti hi duo discipuli, &c. Summa, quem resurrectio Christi non consolatur male sibi conscium, quem non animat contra formidinem mortis, & omnes aduersitatum procellas, quem non ad bonum impellit, cui non laborem omnem reddit suauem ac facilem, hunc profectò haud alia res ita consolabitur, animabit, impellet, & pacatum reddet. Hinc arbitror, cernere quiuis posset, quanti nostra referat, ut nostrum, *Christ ist erstanden*, rectè discamus ore simul & animo canere. Deus nobis omnibus suam donet gratiam, ut id consideremus, Amen.

Isa. 11.

Radix Iesse cur dict⁹ Christus.

Luc. 18.

Phil. 2.

2. Timot. 2.

Resurrectio Christi perpetim cogitata quid præstet.

QVARTVS SERMO DOCET,

quomodo fructus simul & uerus usus resurrectionis Christi, in duobus discipulis uideatur.


IRCA hodiernum Euangelium rursus & denouo ob oculos nobis positum est, quid nostrum pascha & resurrectio Christi à nobis requirat. Tria homini Christiano circa pascha consideranda sunt. Primò, quòd Iesus Christus crucifixus, per resurrectionem suam ingressus est in gloriam sui patris, nactus potestatem, imò omnem potestatem in cœlo & in terra, & exaltatus usque ad dextram Dei. Secundò, quòd per eam nobis cōtulit uitam animarum, spem futuræ resurrectionis, & certum pignus æternæ hæreditatis. Hic fructus est resurrectionis Christi. Tertiò, ut nos illhuc discamus peccato mori, & posthac soli Deo & iustitiæ uiuere, temporaria animo eiicere, & deinceps ea quæ sursum sunt, quærere, ubi Christus dexter asidet Deo. Hic uerus est usus resurrectionis Christi. Hęc tria in hodierno Euangelio nobis denuò ponūtur ob oculos. Etenim primò Christus ipsemet indicat, & prima adeò resurrectionis suæ die, se iam ingressum in gloriam. Nónne hæc oportuit (inquit) pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Secundò apparet in duobus discipulis, quid nobis resurrectio Christi gaudij & consolationis adferat. Nam primò, priusquam ad illos uenit Christus, mœsti incedebāt, atque ita, ut tristitiam cordis eorum facies, uerba & gestus testarētur. Vnde & primum omnium erat, quod Christus rogabat, quamobrem ita animo consternati essent, neque id quidem negabant, sed ingenue confitebātur. Ha, inquiebant ad illum, non est quod hoc sciscitere, nō uideretur tibi mirū, si uidisses quod nos uidimus. Quin si Hierosolymis fuisti, animaduertere potuisti, non esse nos solos, qui tristētur, &c. Verba eorum arguebant illos non solum tristes, uerùm etiam semidesperatos esse. Quid autem desperatio aliud est, quàm ubi nihil boni habetur, nihil boni speratur, nil nisi malum cōspicitur, nec ullum solatium suppetit? Atqui sic res habebat cum duobus istis discipulis, dum adhuc nihil aliud scirent, quàm se amisisse Christum Dominum, & Magistrum suum. Sperabamus (inquiebāt) illum esse uerum Mesiam, sed spes nostra iam non frustrata est. Vide, sic affecti erant, priusquam de resurrectione certiores essent redditi. Simul atque uerò Christum iterū uidebant, tametsi nondū agnoscerent, corda eorum rursus accēdebātur, tristitia paulatim magis decrescēte, contra autē gaudio ac spe redeunte, donec postremò cū Christum

Circa pascha tria conspicienda.

Fructus resurrectionis Christi.

Usus uerus eiusdem.

Luc. 24.

Desperatio quid.

Christum cognoscerent apertè, tali gaudio implerentur, ut prioris tristitiæ omnis obliti, aliis negotiis omnibus postpositis Hierosolymam properarent, si Christum ibi forte rursum uidere possent, cuius præsentiam pro summa sua felicitate ducebant. Atque ita tristitia eorum gaudio compensabatur, desiderium gaudio replebatur, & labor multiplici cõsolatione leniebatur. Et hæc est genuina operatio, uis ac fructus lætæ resurrectionis Christi, ut nos exhilaret. Nos (inquã) quatenus germani Christiani sumus. Et si pascha nostrũ ritè auspicati fuissemus, audituri nimirum & nos essemus, quod conscientiã nostram consolari posset aduersus morsum peccatorũ, uisuri essemus quod pusillanimitatẽ nostrã corroborare posset contra omnes externas aduersitates, ac cepturi essemus quod cupiditates nostras perpetuo exaturare posset. Enimuerò Christus dicit de Abraham; quòd uiderit ipsius diem, & gauisus sit, & tamen longo adhuc temporum spatio Abraham à die Christi disterminabatur. Dauid uidebat diem Christi etiam adhuc à longinquo, sed ita exhilarabatur, ut lætus caneret: Tu es speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua intẽde, prospere procede & regna, propter ueritatem & mãsuetudinem & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua, &c. Si itaque ueteres etiam eminus die Christi tantoperè gauisi sunt, quanto maius nostrum gaudium esse debet, qui illam diem cominus uidemus, habemúsque? Imò hęc est dies quam fecit Dominus, ob quam merito lætemur multis de causis. Principio nãque resurrectio Christi nobis signum certissimum est, quòd Christi oratio & clamor, quem in sacra sua passione edebat, à Deo exauditus sit, quin etiam sacra illius passio ac mors summa gratia & authoritate à Deo patre fuerit accepta, unde consequitur, etiam nobis remissionẽ peccatorũ, gratiã, & æternam uitam comparatã esse, siquidẽ Christus ꝑ hoc ipso deprecatus est, & mortẽ, diabolum, irã Dei, & condẽnationẽ à nobis ablatã esse, siquidẽ ob hoc ipsum Christus tristatus ac passus est. Audiui orationem tuã, dicebat olim Deꝰ ad Ezechiã. Id autẽ in Christo multo etiã melius factũ cõperimus in resurrectiõe illiꝰ. Et hoc unũ est, quo nũc gaudere possumꝰ. Secũdò, est resurrectio Christi certissimũ quoq; argumẽtũ, sanctã Christi humanitatem

Genuina resurrectionis Christi efficientia.

Ioan. 8.

Psalm. 44.

Psalm. 117.

Ex Domini resurrectiõe multiplici ratione lætandum.

Bona parta. Mala profligata.

ex omni necessitate liberatã,& graui onere, quo premebatur,leuatã esse. Vnde cõsequitur,animas etiã nostras in Christo ab interitu uindicatas, & pctã nostra ipsius merito apud Deũ tecta esse & manere,ita ut nõ modo Christus cum Ezechia dicere queat:Tu Domine eruisti animã meã ut nõ periret,&c.sed etiam Dauid, & quiuis fidelis uere posit dicere: Domine eripuisti animam meã de morte,oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Hoc, inquam,nobis circa resurrectionem Christi considerandum est,hęc nobis mortem nostram sustulit, lacrymas restinxit, gratiam & fortitudinem nobis attulit contra futurum casum. Huc referre igitur non incommode possem figuram de exitu Israëlitarum ex Aegypto,sicuti Dauid in suo psalmo describit. Nã quod illic uisibiliter contigit, id etiam spiritualiter accidit in resurrectione Christi,contingit etiámnum hodie,ubi resurrectio Christi recte cognoscitur & creditur. In exitu Israël de Aegypto (inquit Dauid) domus Iacob de populo barbaro. Facta est Iudæa sanctificatio eius:Israël potestas eius. Mare uidit & fugit:Iordanus conuersus est retrorsum.Mõtes exultauerunt ut arietes:& colles sicut agni ouium,&c. Talia miracula fiebant in illo exitu & liberatione Israëlis ex Aegypto.Sed hæc omnia quoque acciderunt spiritualiter in resurrectione Christi,accidunt adhuc quotidie, ubi illa resurrectio Christi probè consideratur & creditur.Mare est multitudo & acerbitas peccatorum, in hoc mari submerguntur plurimi homines, & est ita uastum, ut ad portum appellere nemo posit:ita altum, ut profunditatem eius nemo posit assequi. Cæterùm ubi resurrectio Christi creditur, ibi fugit mare, ibi peccata cedant oportet. Nam in Christo omnia sublata sunt & abrogata, siquidem chirographum damnationis nostræ deleuit, &c. Iordanis retrorsum currens, mortem designat. Vt enim Iordanis postremum erat, quod Israëlitas remorabatur ab ingressu terræ promissæ:ita mors extremum periculum est, quod in terris nobis subeundum est. Mox ut Israëlitæ Iordanem traiecerant, in terra erant promissa:sic itidem & nos, simulatque mortem superamus, ingredimur in regnum Dei.Itaque ubi læta resurrectio Christi diligenter consideratur & creditur,ibi profectò Iordanis, mors cedat necesse est.Christum tenere non potuit,& à resurrectiõe impedire,nihilo quoq; magis tenere potest eos, & à felicitatis aditu remorari, qui Christo per ueram fidem uniti,

Exitus Israëlitarum ex Aegypto quid significet.

Psal.113.

Mare quid.

Colos.2.

Iordanis retrocedens.

Mors quibus nihil officiat.

uniti,& unum corpus ſunt. De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos (inquit in Oſee) ero mors tua ô mors, & quemadmodum tu alios interemiſti, ita ego te interimam & iugulabo. Hoc inchoatũ eſt in reſurrectione Chriſti, quod tum demum perficietur & uerè fiet, quando Chriſtus regnũ Deo & patri trádet. Tum ultimus iſte hoſtis mors opprimetur & annihilabitur. Interea temporis tametſi mors non omnino quieſcit, & homines, quin etiam nos Chriſtianos intentatos non relinquit, aculeum tamen ſuum perdidit, non admodũ nocere poteſt: bonis ſomn' ueri' eſt, quàm mors, quemadmodum Chriſtus de Lazaro dicebat, illum obdormiiſſe. Sic ergo Iordanis retrorſum conuertitur, ubi reſurrectio Chriſti cognoſcitur & creditur. Montes qui in exitu Iſraëlitarum tremebant & mouebantur, ſignificant uarias afflictiones, quæ homini occurrunt, cum in uita, tum in morte ipſius, cum ſpiritualiter, tum tẽporaliter. Hæ æſtimandę ſunt tanquam excelſi montes. Harum quotieſcunque una uenit, uidetur ſibi homo montem humeris ſuſtinere. At uerò ubi Chriſtus & reſurrectio illius creditur & conſideratur, uidentur iſti montes exultare, & afflictiones dimidio leuiores eſſe, quàm apparent. Quid enim Chriſtianum externa aduerſitas ita multum perturbet & grauet, quando uidet, ſe in Chriſto tam potentem auxiliatorem habere & propugnatorem? Quid porrò ſpirituales tentationes ita multum negocij illi faceſſant, quando cogitat, ſe tam multiplices in Chriſto cõſolationes habere? Veriſsimum quidem eſt, ſi ipſas afflictiones per ſe æſtimemus: nihil aliud ſunt, quàm ingẽtes colles, quos tollere nemo poteſt: at ſi cum Chriſto conferantur, nihil ſunt, niſi parui tumuli, qui ſuapte ſponte ſubſiliunt, cadũt & euaneſcunt. Quocirca ut ſacra & ſalutifera paſsio Chriſti omnia peccata à nobis pellere poteſt, ita nobis reſurrectio Chriſti fortitudinem & medicinam præbet contra omnem puſillanimitatem. Humilitas Chriſti fugat ſuperbiam noſtram: illi' paupertas auaritiam noſtram ſupprimit: quod nudus in cruce pependit, pellit faſtum noſtrum, quo in ueſtitu & ornatu tumemus: illius patientia noſtrã frangit impotentiam: illius ultronea obedientia noſtram domat peruicaciam, &c. Sic itaque in paſsione Chriſti uaria habemus remedia contra peccata, ſimiliter & in reſurrectione illius inuenimus præſentiſsimum remedium contra omnem triſtitiam & puſillanimitatem. Petrus conſcientiæ angore diſcruciabatur,

Oſee.13. *1.Cor.15.* *Ibidem.* *Ioh.11.* *Montes myſtice.* *Afflictiones ut premunt nos.* *Ut miteſcant.* *Paſsio Chriſti ut noſtra profliget uitia.* *Reſurrectio puſillanimitatem & triſtitiam diſpellit.*

batur, mulieres obstupefactę erant ad terræmotum & aspectum angelorum, Maria plorabat tacta Christi desiderio, sancti Apostoli in magno erant metu propter suos hostes, hi duo discipuli fatigabantur iter faciendo. Omne hoc incommodum mitigabat, imò tollebat resurrectio Christi. Similiter & tu facito, quicquid infortunij te premit, siue sit mala conscientia, mortis formido, terror diuini iudicij, aut etiã odium & persecutio improborum hominum, conuerte te ad resurrectionem Christi, inuenies absque dubio solatiũ. Ego sum (inquit ad suos) nolite timere. Eundem quoque in modum dicebat angelus ad Iohannem, Ne fleueris: Ecce uicit Leo de tribu Iuda. Vide, hæc omnia nobis præfigurata sunt per exitum Israëlitarum ex Aegypto: ea ipsa sunt quæ circa resurrectionem Christi & nostrum Pascha considerari uolunt, is est fructus & utilitas, quæ nobis inde orta est. Vnum porrò obserua, quod ipsum & in duobus discipulis in hodierno Euangelio apparet & uideri potest, quemadmodum resurrectione Christi nos uti oporteat, ut sit nobis

Christi resurrectio ut nobis saluti sit.

I. fructuosa. Enimuerò primo duo simulabant, id quod indicat animorum concordiam, & duplicem amorem erga
II. Deum & proximum. Secundò tametsi ob alia negotia peregrè proficiscebantur, de nulla tamen alia re, quàm de re-
III. bus spiritualibus inter sese commentabantur. Tertiò de iis maximè rebus disserebant, quæ Hierosolymis gestæ e-
IIII. rant, hoc est, de passione Christi. Quartò putabant quo-
V. que neminem non de eisdem rebus loqui. Quintò mœsti in itinere inambulabant, agnoscebant se tanquam pe-
VI. regrinos & aduenas in hac terra. Sextò auide & singulari animi ardore auscultant, cum illis Christus scripturas
VII. interpretabatur. Septimò Dominum inuitant in hospi-
VIII. tium. Postremò mox agnito Christo, properant ad renunciandum id gaudij discipulis. Vide, tantum boni scribit Lucas de duobus istis discipulis. Eadem fermè de aliis quoque Apostolis leguntur: toto die nihil aliud cogitabant & loquebantur, nisi de Christo, & si cui quid manifestatum erat de Christo, is confestim alios certiores reddebat. Sic sancti Apostoli Pascha celebrarunt. Hinc & tu disce optime Christiane, quid Pascha tuum & resurrectio Christi à te postulet: operam da, ut cum sanctis Apostolis maneas, persiste in charitate & concordia: si te cogit necessitas, ut rerum externarum curis districtum te esse oporteat, Christi tamen

Apostoli ut pascha coluerint.

men reminiſcere, & de illo loquere. Si tibi occurrit Chriſtus, attentè audi illius uerbum, ſi ſentis ipſius ſolatium & dulcedinem, roga eum, ne à te diſcedat. Vbi eum plenius agnouiſti, uide illum alijs quoque hominibus annunties. Hoc eſt cùm diuo Paulo quærere quæ ſurſum ſunt, hoc eſt Chriſtum glorificare & portare in corpore noſtro, ſic Chriſtus libenter appareret, ſic cogi ſe non ægrè pateretur, nobis ad æternum ſolatium, in hac noſtra peregrinatione. Etenim quid uita noſtra aliud eſt, quàm peregrinatio quædam? Et quid nos exhilarare in ea poteſt, quando Chriſtum non uidemus, & in ipſo uitam quietem ac beatitudinem? Hoc diſcamus ex iſto Euangelio. Chriſtum quæramus, non occultabit ſe nobis, oratione noſtra illum teneamus, non inuitus apud nos manebit. Deus nobis ſuam largiatur gratiam, Amen. *Vita noſtra quid.*

FERIA TERTIA

PASCHAE, EVANGELIVM LVCAE XXIIII.

DVM autem hæc loquuntur, ſtetit Ieſus in medio eorum, & dicit eis, Pax uobis. Expauefacti uerò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum uidere, & dixit eis, Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in cordibus ueſtris? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Contrectate me, & uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus ac pedes. Adhuc autem illis non credentibus præ

gaudio, & mirantibus dixit eis, Habetis hîc aliquid edulij? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & aliquid de fauo apiario. Et accepit, & in conspectu illorũ comedit. Et dixit ad eos, Hæc sunt uerba quę locutus sum ad uos, cùm adhuc essem uobiscum, quod necesse foret impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illorũ mentem, ut intelligerent scripturas, & dixit eis, Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari sub nomine eius pœnitentiam, ac remisionem peccatorum in omnes gentes.

EADEM FERIA, EPISTOLA EX ACTIS, CAPVT XIII.

Viri fratres, filij generis Abrahæ, & qui inter uos timent Deum, uobis sermo salutis huius missus est. Qui enim habitabant Hierosolymis, & Principes eorum, cùm ignorarent illum, & uoces Prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur, condemnato eo, impleuerunt. Nulláque causa mortis inuenta petierunt à Pilato, ut interficeret illum. Cúmq; consummassent omnia quæ de eo scripta erant, depositum de ligno, posuerunt in monumento. Deus autem suscitauit eum à mortuis, qui uisus est per multos dies his, qui simul ascenderant cum eo à Galilæa Hierosolymam, qui sunt testes eius apud plebem. Et nos uobis annuntiamus, quòd eam repromissionem, quæ ad patres facta est, Deus adimpleuerit filiis illorum, nimirum nobis resuscitato Iesu.

PRIMVS SERMO INDICAT *iterum causam feriarum, & quomodo hodiernum Euangelium huc seruiat.*



VOD heri dixi, idem nunc iterum dico, nimirum optimo consilio factũ esse, ut diei Paschæ aliquot feriæ appensæ sint, quo uulgo satis ostendi & inculcari possit, quid circa gloriosam & lætam Christi resurrectionem considerandũ sit. At enim aliàs admonui, optimo Christiano quatuor esse consideranda. Primò quòd Christus uerè à mortuis resurrexit. Secundò quòd per suam resurrectionẽ ascẽdit usq; ad dextram Dei Patris. Tertiò quòd etiam nos sua mẽbra unà secum duxit, & eripuit à peccatis, inferno & ira Dei, secundum animam: deniq; corpora etiã nostra à mortuis & monumentis educet. Quartò quòd nobis exemplum nouæ uitæ parauit. Hæc omnia circa resurrectionẽ Christi considerand a sunt. Tanquam historia uerè sic gesta existimanda est: tanquam opus putandum est, quo Deus Filium suum clarificauit: tanquam Euangelium accipiendum est, in quo nobis omne bonum annuntiatur: tanquam exemplũ postremò considerandum, cui attemperare nosipsos etiam debemus. Horum si uel unum omittatur, Pascha profectò nõ est integrè, & resurrectio Christi non est satis considerata. Piũ Christianum credere oportet, Christum à mortuis resurrexisse: confiteri, Christum per eam exaltatũ supra omnia: nõ dubitare, quin Deus nos unà cum Christo resuscitarit, uiuificarit, & constituerit ad dextrã suam in cœlestibus, uti Paulus dicit: interim tamen quoq; studere oportet, ut in nouitate uitæ ambulet, & perseueret, nec pristinæ uitæ uestigia repetat, quemadmodum Christus postquam semel resurrexit à mortuis, posthac non amplius moritur in æternũ. Hæc omnia, inquam, ad Paschæ festum pertinent, id quod propterea toties repeto, ut omniũ animis tenacius hęreat. Alioqui uerendum est, sacram Christi resurrectionẽ nihilo plus fructus apud nos allaturam, quàm Hierosolymis attulit. Illic erant tot millia hominum, nemo tamen ex resurrectione Christi gloriosa gaudium aliquod uel cõmodum percepit, præter sanctos Apostolos & discipulos Christi. Maior pars ciuitatis suis uacabat rebus, nihil curabat, siue mortuus esset

Consulto paschati ferias adiunctas.

Quatuor consideranda.

I.

II.

III.

IIII.

Vt historia.

Opus.

Euangelium.

Exemplum.

Ephe.2.

Rom.6.

Resurrectio Christi recens quam paucis profuerat.

Christus, siue uiueret, illius causa neque hilariores, neq; tristiores erant. Custodes sepulchri rectè quidem incipiebant, sed non perseuerabant, in ciuitatem ueniebant, quę uiderãt narrabant, cæterùm pecunia corrupti diuersum diuulgabãt. Potentes ac primarij sacerdotes ne audire quidem sustinebant de resurrectione Christi, omnem mouentes lapidem, quo rumor hic supprimeretur. Atque ita gaudium & fructus gloriosæ resurrectionis Christi, penes solos Apostolos & discipulos manebat. Sed pusillus hic grex erat, ad alios. Lucas ait, illorum non plures fuisse centum uiginti utriusq; sexus, necdum erat auctus numerus, cùm Christus quadragesimo die postquàm resurrexerat, in cœlum ascẽderet. Contra uerò tot millia erant, quibus neque Christus, neque resurrectio ipsius tunc proderat. Vtinam idem nõ etiam cerneremus inter nos Christianos. Quot inueniuntur, quibus res spirituales diuinęq; neglectui æquè sunt, ac ciuibus Hierosolymitanis, abeunt ueluti pecudes, parasceues & Paschæ diem iuxtà æstimant, nihil curant præter temporaria, nõ terrentur in passione Christi, neque gaudent illius resurrectione. Et tametsi in die Paschæ gaudium præ se ferũt, id tamen non fit propterea, quòd Christus ex mortuis resurrexit, sed quia ieiunij & pœnitentiæ finis est. Verum iine Christiani appellãdi sunt, qui Deũ omnémq; illius gratiã tam uilipendunt, Christũ mori sinunt & reuiuiscere, sinunt homines & Angelos de eiusmodi gratia prædicare ac dicere, imò uidẽt Iudæos & Gentes accurrere, ipsi uerò ne tantillum quidem ea omnia ad animum reuocant? Nónne in hos Deus meritò excandescat, & manum suam ab illis prorsus abstrahat? Nónne meritò contra hos cœlo & terra testibus dicat illud Isaiæ, Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël me non cognouit, & populus me non intellexit? Imò nónne Christus iure ad hos dicat, quemadmodum alio in loco dicit, O generatio incredula & peruersa, quousque ero uobiscum? usquequo patiar uos? Quot rursus reperias, qui Pascha bene auspicantur, credunt Christum resurrexisse, gaudent bono, quod nobis & uniuerso humano generi isthinc ortum est, canunt cum aliis, Christum esse ipsorum solatium, mox uerò ad contrarium sese uertunt: hoc deteriores sceleratiorésque fiunt, quo maiorem præ se tulerunt deuotionem, perinde uiuunt per annũ, ac si de Christo

[Margin notes: *Matth. 28.* — *Act. 1.* — *Christianorũ socordia & incuria.* — *Isa. 1.* — *Matt. 17.* — *Contra instabiles.*]

sto eiúsque bonis, seu gratia nũquam audiuissent: Auaritia, luxu, & prauorum hominum consuetudine à pietatis studio abducuntur, ut custodes sepulchri Christi, pecunia & potentum fauore abducebantur, ut aliter quàm prius loquerentur, & planè contra suam ipsorum conscientiam. Hi similes sunt Israëlitis, quorum sexcenta millia ex Aegypto proficiscebantur, & tamen non nisi duo, nimirum Caleph & Iosue in promissam terram ueniebant. Omnes sub nube erant (inquit Paulus) omnes mare transierunt, omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari, omnes eandem escam spiritalem manducauerũt, omnes de petra biberunt, qui est Christus, sed non in pluribus eorũ beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Nobiscum haud multo secius (heu dolorem) agitur, nisi quòd etiam grauiora adiicimus. Quot reperiuntur inter nos Christianos quibus non sat est, ut ipsi pro se Christum omnémque pietatem animo eiiciant, ni aliis quoque inuideant in pietate constantiam: quoscunque possunt abstrahunt, & si nihil aliud possunt, derident & deludunt omnes eos, qui probitatis & honestatis amore tenentur. Hic reipublicæ Christianæ nunc temporis status est: luce clarius in nobis impletur quod Isaias prædixit, Multiplicasti Domine (inquit) gentem, non magnificasti lætitiam. Multi enim sunt uocati (inquit Christus) pauci uerò electi. Summoperè itaque necessarium est, ut etiam nunc non ita repentè prædicare cessetur de gloriosa resurrectione Christi. Etenim si resurrectionem Christi penitus imbiberemus, nihil horum in nobis appareret. Id quod rursus propterea admoneo, ut uideamus has Paschæ ferias summa cum diligentia & maturo consilio institutas esse, si modo expendere, & iis rectè uti uelimus. Hæc in genere dicta sint de præsentibus festis, eorúmque institutione. Dehinc audiemus quoque, quid nobis istud Euangelium de læta resurrectione Christi dicat & annunciet. Et principio Euangelium istud non multa enarratione opus habet, sed magis diligenti consideratione. Nam hîc primum perspicuè indicatur, quid resurrectio Christi pio homini solatij adferat ac præbeat. In Euangelio Paschæ sat quidẽ multa audiebant mulieres de resurrectione Christi, siquidem illis Angelus eam apertè annuntiabat: Iesum quæritis Nazarenũ (inquiens) crucifixũ, surrexit, non est hic, ecce locũ ubi posuerũt eũ. Satis hoc profectò clarè de re

Matth.28.

Num.1.

1.Cor.10.

Contra eos, qui Dei gratiam in aliis persequuntur.

Isa.9.

Matth.20.

Marc.16.

de resurrectione Christi dictum erat. Sed nondum aderat sincerum & plenum gaudium, semper adhuc mixtus erat metus ex incredulitate & diffidentia proficiscens. Duo discipuli illi in hesterno Euangelio, aliquid amplius habebant: nam cum Christus ipse audiebatur in interpretatione Scripturarum, postea etiam conspiciendum sese exhibens. Sed cùm illis spes iam optima adblãdiebatur, euanuit ex illorum conspectu. Hodie uerò in isto Euangelio rem agunt non angeli, quemadmodum in die Paschæ, sed Christus ipse sese conspiciendum exhibet, nec ita obscurè, ut heri, sed apertè. Nec solùm uidetur, sed etiam auditur & contrectatur: ostendit illis manus suas, & pedes, & latus, iubet ut palpent, comedit coram illis, & scripturam exponit, &c. Ex his omnibus (inquam) iam primum elucescit, quid resurrectio Christi homini fideli & candido, solatij adferat.

Luc. 24. *Ibidem.*

Resurrectio Christi quid consolationis aduehat.

Etenim primò, nónne res magna est, illum etiam post suam resurrectionem, cùm iam esset in sua gloria, discipulorum tamen suorum solicitudine tantumnon exanimatorum non obliuisci, sed seipsum in medio illorum sistere? Nónne consolatorium est, quod illis pacem optat? Nónne iucundum est quod dicit, Ego sum? Nónne summo cum gaudio accipiendum est quòd dicit, Nolite timere? Nónne immortali laude & gratia dignum est, quod ait, in nomine suo prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum oportere, non in uno loco, sed per omnes populos & nationes? Deum immortalem, quàm multa bona, nec minus consolatoria, homo pius hic meditari posset? Loquor autem solùm de nobis Christianis, alioqui incredulis & improbis hominibus nullum affert gaudium, imò quo propior illis Deus est, hoc illis pœna & damnatio propius imminet. Deus Israëlitis etiam apparebat, cæterum nullum illis gaudium adferebat, sed terrorem incutiebat, atque ita, ut Mosen rogarent, Dei uoluntatem ipsis significaret, arbitrati præ nimio metu, & pauore sibi pereundum esse, si cum ipsis adhuc semel loqueretur Deus. Sic & Christus ante passionem suam in persecutorum & hostium suorum conspectum prodebat, inquiens, Ego sum. Sed hoc uerbum illis adeò erat terribile, ut retro in terram caderent. Sic quoque apparitio Christi in extremo die malis non solùm nihil gaudij, sed merum terrorem & horrorem adferet; aspicient enim eum quem cõfixerunt. Videbunt

Christi resurrectio quibus nil prosit.

Exod. 19.

Ioan. 18.

debunt eum, sed interim nil poterunt aliud quàm plorare, & eiulare: uidebunt eum, sed cum ingenti probro. Cæterùm bono Christiano adfert gaudium non efferendum, quando Christum uidet, qualiter se hic in Euangelio isto exhibeat, imò hæc est illi uita æterna. Quid enim illum exterius perterrefacere potest, quando uidet ac nouit, iuxta se Christum stare? Quid eum discruciare & angere potest in sua conscientia, quando audit Christum dicere, Pax? Quid illi deesse potest tam temporalium quàm spiritualium rerũ, si Christus ad ipsum dicat, Ego sum? Quid mors, diabolus, & infernus in illo proficere quit, si Christus ad ipsum dicat, Noli timere, bono animo es, quia ego uici? Quid illum grauare admodum potest, etiamsi mundus eum odio habeat damnétue, quando audit in nomine Christi remissioné peccatorum prædicari? Cur pusillanimem eum porrò esse opus est, eò quòd pauper sit & idiota, quando audit Christum Euangelium suum cunctis mortalibus prædicari uelle, & pauperes & indoctos æquè illius consortes esse, ac diuites & doctos, uel etiam amplius? nam pauperibus cumprimis Euangelium prædicatur, ut Christus cùm in Isaia, tũ in Matthæo dicit. Videte fratres, hi ueri sunt fructus resurrectionis Christi, & hoc nobis ultimo proponitur, ut tenacius memoriæ hæreat. Etenim hoc unũ in boni studio nos cõseruet oportet, & qui huiusmodi res non ipse animo suo penitus infigit, haud diu subsistere potest. Vos igitur ego etiam atq; etiã admonitos uolo, ut hoc Euágeliũ altisimè uestris pectoribus inscribatis. Enimuerò fratres, nihil in mũdo firmũ uidemus, quin & figura præterit huius mundi. Et quicquid oculis patet, fragile & caducum est. Quare ad ea enitamur, quæ æterna sunt maximè cùm uideamus Deum ultro nobis illa offerentem. Annuntiamus uobis (inquit Paulus in hodierna epistola, seu lectione loco epistolæ) annuntiamus nos uobis eã, quæ ad patres uestros repromisio facta est, quoniam hanc Deus adimpleuit filiis uestris, resuscitans Iesum, &c. Quã ob rem, ut Paschæ concionibus & festis finé imponamus, uerbũ sit nobis cõmendatũ, quod Christus dicit, Palpate & uidete, qa ego ipse sũ. Cognoscite & intelligite, qd boni à Deo acceperitis. Sit uobis calcar ad studiũ boni, Gustate & uidete, quoniã suauis est Dominus: beatus uir q sperat in eo. Faxit De⁹ Opt. Max. ut Paschæ festa ita cõcludam⁹ ut fruct⁹ & operatio eorũ semp ĩ nobis maneat, Amẽ.

Ioh.17. *Christus præsens.* *Pacem optãs.* *Dicens ego sum.* *Noli timere.* *In nomine eius peccatorum remissio prædicatur.* *Euangelium cunctis annunciatur.* *Isa.61.* *Matt.11.* *1.Cor.7.* *1.Cor.4.* *Act.13.* *Psal.33.*

SECVN

SECVNDVS SERMO DOCET, *quamobrem Euangelia super hisce Paschæ festis sic ordinata sint.*



VO Dominicam Paschæ altius ingredimur, hoc nobis læta resurrectio Christi liquidius indicatur. Quatuor iam Euãgelia habuimus, quæ omnia de resurrectione Christi agunt. Die sabbati de ea legi cœptum est, & annunciari, quod ipsum hucusque durat, atque etiam diebus sequentibus de ea legetur. Nam singuli dies huius Dominicæ hebdomadæ suum euangeliũ habent, quod de resurrectione Christi loquitur. Tum omnia ita ordinata sunt, ut unumquodlibet peculiare quiddam indicet, id quod ostendam ex quatuor Euangeliis, quæ quatuor hisce diebus audiuimus.

Apparuit Christus redimiuus ante Solis ortum. In primo Euangelio die sabbati lecto indicatum est, etiã custodes sepulchri resurrectionem Christi sensisse, sed homine parũ læto. Factus est (inquit Matthæus) terræ motus magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedẽs *Matth.18.* reuoluit lapidem, & sedebat super eum, erat autẽ aspectus eius sicut fulgur, & uestimentum eius, sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui. Et hoc fiebat uespere, seu ante ortum solis. *2. Diluculo.* In secundo Euangelio, quod in die Paschæ lectum est, ostensum fuit, quomodo ille ipse angelus piis mulieribus resurrectionem *Marc.16.* Christi annunciabat, idq́ue fiebat diluculo. Et tum illis di- *Luc.24.* cebatur, ut in Galilæam irent, si cuperent uidere Dominum Christum. In tertio Euangelio, quod heri lectum est, Chri- *3. Clara luce.* stus ipsemet uenit ad duos discipulos, prolixè cum illis dis- *4. Ad uesperã.* serens, idq́ue fiebat in clarissima diei luce. In quarto Euan- *Ioh.20.* gelio, quod hodie legitur, Christus aperte cum uisus, tum auditus est, idq́ue factum est profunda uespera, quemadmodum non solum ex Luca animaduerti potest, sed etiam in Iohanne manifestè indicatum est. Et his quid nobis aliud

Christus ut pijs ter, semel tantum impijs appareat. demonstratum est, quàm quòd Christus fidelibus suis ter apparet, in die lucis & gratiæ. Improbis autem non nisi semel conspicuus erit, idque non in die, sed in nocte, hoc est, in metu & terrore. *Primo in baptismo.* Primò omnium nobis Christus apparet manè, hoc est, in baptismo, illic primum omnium gratiæ & meritorum illius participes simus, illi incorporamur, & in album filiorum eius referimur ãgnoscimurq́ue. Ibi autem iubemur

iubemur properè pcedere, adolescere, ac proficere, nec ullo modo cōsistere, sed omnes nostras cogitatiōes & desideriū eò dirigere, ubi Christum uidere æternū possimus. Hęc prima apparitio est, quæ fit in baptismo, isthic nobis acclamat: Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo? Item, Si cōsurrexistis cum Christo: quę sursum sunt quærite: Vbi Christus est in dextera Dei sedens. Item, Deponite ueterē hominē, & induite nouum, qui secundū Deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. Dehinc, oriēte luce in cordibus nostris per fidē, & cum nos iam adoleuimus in omni pietate, Christus rursus uidēdum se audiendūque exhibet, & tum etiā manet apud nos usq; ad cōsummationem seculi. Tum uero primū est, quod nos alloquit: Qui sunt hi sermones, quos cōfertis adinuicē ambulantes? hoc est, monet nos, ut cōsideremus, quæ sit uita nostra, studium & consuetudo, num cogitatiōes nostræ, uerba & facta, nomini & uocationi nostræ respōdeant, &c. In hac apparitione nos increpat etiā Christus, sicubi ignorantiā seu incredulitatē in nobis deprehendit, diuinā nobis enarrat scripturā, & mentem nobis aperit, ut intelligere queamus: pascit & cōfortat nos sacratissimis suis sacramētis, exhilarat corda nostra, cōmitatur nos domum usque, apud nos hospitatur, dūmodo eum rogamus. Hæc altera apparitio est, quæ durat per totā uitam & æuum huius mundi. Tantisper Christus eiuscemodi Dei opera in nobis operatur, donec dies est. De hoc loquitur Paulus, ubi ait: Adiuuantes exhortamur, ne in uacuū gratiam Dei recipiatis. Ait enim, Tempore accepto exaudiui te: & in die salutis adiuui te. Ecce, nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis: nemini dantes ullam offensionem, sed in omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros, &c. Et Christus ipse, Ambulate dum lucem habetis, ut nō uos cōprehendant tenebræ, dum lucē habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Tertia apparitio uespere fiet, hoc est, in morte & post mortē: tum blandissimum sese Christ⁹ exhibet suis, tū demū uerè implebit, qđ in hodierno Euāgelio uel dixit, uel fecit tum primū recte cōspiciet in gloria, quā apud patrē habuit ante mundū conditum, tū nobis nō solū pacē precabitur, sed etiā dabit: tum dicet, pax uobis, ego sum, nolite timere: tum animis nostris omnē metū & pauorē eximet, tum omnē lacrymā ab oculis nostris absterget: tum man⁹ suas et lat⁹ ostēdet, hoc est non solū sanctam suam huma

Rom. 6.
Col. 3.
Ephe. 4.
Secundo, dum fides & pietas augescunt in nobis.
Matth. 28.
Luc. 24.
Ioh. 9.
2. Cor. 6.
Isa. 49.
Ioh. 12.
Tertio, In morte & post mortem.
Ioh. 17.
Apocal. 21.

humanitatem, uerumetiam æternã suam diuinitatem: tum
Luc.22. nobiscum æternum celebrabit cõuiuium, de quo dicit: Vos permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnum: ut edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Vide, hoc nobis annuntiant tria Euãgelia, quæ tribus hisce feriis audiuimus, hoc certo nobis de Christo promittere possumus & debemus. Diluculo illum inuenimus in baptismo. Per omne tempus uitæ nostræ illum habere possumus, audire & uidere, uespere illum æternum possidebimus. Videbunt illum & improbi, sed non nisi semel, idque in nocte, & summo, imò æterno cum horrore. Et quando isthuc fiet? In extremo Dei judicio. Parebit signum filij hominis in cœlo, imo uidebunt filium hominis ueniẽtem in nubibus cœli cum uirtute multa & maiestate, & tunc plangent omnes tribus terræ, &c.

Impijs ut semel Christus apparebit.

Matth.24.

Matth.26. Sic etiam Christus ad suos hostes dicebat in Cayphæ domo: Amodò uidebitis filiũ hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli. Et Iohannes in A-
Apoc.1. pocalypsi sua, Ecce uenit cũ nubibus, & uidebit eum omnis
Zach.12. oculus, & qui eum pupugerunt, ueluti Zacharias dicit. hoc est, uidebunt humanitatem illius, quem crucifixerunt. At ilicò rapientur in æternas tenebras, ne gloriam Christi ui-
Isa.26. deant. Hic aspectus erit terribilis ualdè, hoc accidet iis omnibus, qui diẽ gratiæ per negligentiã prætereunt. Quare fratres, aspiciamus Christũ, dum dies est. Nam uæ omnibus, qui tum primum illum uidebunt, ubi dies fuerit exacta. Qui Christum hic nosse & colere discit, illic eum uidebit æternum, habebit, ac fruetur illo. Vade, inquit ad Magdale-
Ioh.20. nam, ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem uestrum, Deum meum, & Deum uestrum. Cæterùm qui Christum hic nõ inuenit, nunquã illic eum uidebit.
Ioh.8. Ego uado (ait ad eiusmodi) & quæretis me, & in peccato uestro moriemini. Tanto maiore cum diligentia hodiernum istud Euangelium ad animum reuocare debemus, quin & reliqua omnia, quæ hisce feriis de læta resurrectione Christi audiuimus, q̃ sanè nobis ob id toties proponitur, ut nunquam nobis desit solatiũ in afflictionibus nostris, & ut resurrectio illa Christi nobis sit ueluti asiduum calcar ad omnẽ pietatem. His enim duobus opus habemus hoc maximè tẽpore, alioqui parũ abfuerit, quin accidat nobis, quod
Exod.14. Israëlitis ex Aegypto proficiscentibus usu uenit. Prima die,

Christi resurrectio cur identidem proponatur.

cum eos De' mirabiliter traduxisset per mare rubrum, & ab hostibus liberasset solenne festum celebrabant, ad unum omnes læti erant, cantabant, laudabántq; Deum, quòd suam gratiam tam magnificè erga ipsos, cōtra uerò iram suam tā potenter & stupēdo more erga hostes ipsorum declarasset: dicebant se hunc Deum seruaturos culturósque perpetuo. Iste Deus meus (inquiebant) & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eū. Verum cum in deserto progrederētur, & tribulatio tribulationem exciperet, magis ac magis gaudium illorum decrescebat, deuotio illorū magis ac magis frigere incipiebat, donec postremò ꝑgredi amplius nollent, & Aegyptum repetere certa staret sententia. Qua proteruitate factū est, ut omnes in deserto perirēt. Deus illos in terra, quam patribus ipsorum receperat, nec nosse nec ferre nolebat, posteaquàm semel eā contempserant. Nec Aegyptum quam expetebant, assequi rursus poterant. Itidem nobiscum etiā fit, quando non assiduè nobis solatium suppetit in tribulationibus, in itinere uersus cœlestem patriam nobis occurrentibus, & non iugiter cōpellimur ad bonum. Siquidem tribulationum finis nullus est, quæ nobis in hoc deserto mundi obueniunt, & iter longum est, itaq; consolatione & impulsione opus habemus. Quid autem consolari nos meli' potest & perfectius in omni afflictione, quàm læta resurrectio Christi? Et quid nos ad bonum impellere uehementius potest? Nunquid non insigne solatium est, quod Christus dicit, Pax uobis, ego sum, nolite timere? Vel hæc sola uerba nos infractos conseruare possent in omni afflictione: nónne igitur etiam hominem ad omne pietatis studium incitet, si cogitaret secum, quòd Christus suos tam humaniter inuisit in ipsorum tribulatione, & tam multiplici consolatione animos eorum recreauit? Nónne quis omnē nauet operam, ut in grege illo, licet exiguo, inueniatur numeretúrque, in quo Christus tam frequēter & tali cum gratia apparet & inuenitur? Sed hoc solū nobis deest, quòd id animo nobiscum non reuoluimus, idcirco facillimè tentationes nos terrent, facillimè nobis tædiū obrepit in itinere uersus cœlum. Hoc ubi diabolus animaduertit, haud magno negotio in suam nos tyrannidem retrahit: tum omniū obliuiscimur, quę nobis fecit Deus, quemadmodū & unde nos liberauerit, ad quid nos uocauerit, & quo usq; nos perduxerit, nō amplius in mētē nobis uenit, quod in die Paschę

Exod. 15.

Num 14.

Consolatione & calcaribus ut habeamus opus.

Christi resurrectio ut nos et consoletur, & urgeat.

Tētationibus cur facile frangamur.

cecinimus, Christus est nostrũ solatium, imò quod in baptismo promisimus, nos Deũ solum pro Domino habituros, & dehinc mundo, & omni illius fastui ac põpæ, diabolo eiúsq; suasionibus renunciaturos: obliuiscimur porrò ueræ nostrę patriæ, quã nobis promisit Christus: recta Aegyptum repetimus, in pristinas tenebras & peccata relabimur. Et hinc quid tandẽ fit? Vt in deserto nobis manendũ sit, pereundúmque, neq; hoc neq; illud assequentibus. Tẽporalia quæ sola quęrimus, seruare nõ possumus, æterna non cõsequi, sic nouissima peiora fiunt prioribus. Nunquã meliore in loco res esse nostrę possent, quàm si perpetuò in deuotione manerem⁹, quã in die Paschæ exhibuimus. Contrà, nemo nobis infelicior est, quibus tot tantáq; bona offeruntur, qui ea pridem accepimus, & experti sumus, sed rursum amittimus, imò temere illorũ iacturã nobis ipsi cõsciscimus. Et hoc sane ꝑ festorũ ipsorum paschaliũ conclusione apprimè considerãdum est. Deus suo perfunctus est munere, uerũ seruatorem nobis misit, & illi omnia in manus dedit. Et Christ⁹ suas executus est partes: diligentissimè nos quęsiuit, & pretio incõparabili mercatus est, quin ipse pro nobis mortẽ oppetiit. Mater nostra sancta Christiana Ecclesia suum quoq; officiũ peregit, fidelissimè nos admonuit earum rerũ, quæ ad salutem nostram faciunt. Si post hæc in deserto desides iacuerimus, ut patriã nobis promissam assequi nõ liceat, neq; Deo aut Christo, neq; Ecclesię culpã imputare poterimus. Perditio nostra est ex nobis ipsis, & noster ipsorũ sanguis ueniet sup caput nostrũ. Hoc cõsideremus fratres, feruorẽ & deuotionẽ hauriam⁹, quãdo tot nobis occasiones suppetũt, & incitamẽta: metam⁹ dũ messis est, ne hyems & fames nos nec opipãtes opprimat: operemur dũ dies est, ne tenebræ æternę mortis nos cõprehẽdãt: Christũ in sctã ipsius resurrectione iugiter prę oculis habeamus, ne ꝑ annũ in itinere uersus cœlũ ulla tẽtatio terreat nos, auertátue, neu labor ull⁹ defatiget. Id nobis omnibus De⁹ per suã gratiã cõcedat, Amen.

Luc. 11. *Ioh. 13.* *1. Pet. 1.* *Vt nostrapte culpa pereamus.* *Osee 13.* *Act. 20.* *Ioh. 9.*

SERMO TERTIVS OSTENDIT *nobis per resurrectionem Christi remissionem peccatorum prædicari.*

Luc. 24. HODIERNVM Euangelium Lucas cũ hesterno Euãgelio continua narratione contexit. Nam cùm duo Discipuli ab Emaunte rẽuersi cõmemorarent, quid ipsis accidisset

disset in uia & hospitio, queadmodum Christus ipsis apparuisset, quid cũ ipsis locutus esset, & queadmodum tandẽ ab ipsis agnitus fuisset: similiter & alij discipuli inter sese colloquerentur, rogãtes seinuicem, quid quisq; ea die noui ac læti de Christo eiúsque resurrectione audiuisset, subitò aderat Christus, cõstitit in medio ipsorum, implés hoc pacto, quod illis ante passionem suam promiserat, nimirum ubi duo uel tres in ipsius nomine cõgregarentur, se in medio eorum fore. Hoc (inquã) tum Christus palàm & facto præstitit. Quæ res nos permouere & impellere debebat, ut tanto libentius & crebrius de illo loqueremur, quo & nos ipsius uisitatione & præsentia digni fieri possemus. Haud enim uenit manu uacua, ut clarè apparet in hodierno Euangelio. Atque ita, ut qui antehac nondum credere potuisset, nos qui aliquando eramus mortui peccatis, in quibus ambulauimus secundum seculum mundi huius, secundũ principẽ potestatis aëris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quib' & nos omnes aliquãdo conuersati sumus in desyderiis carnis nostræ, facientes uoluntatem carnis, & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Qui, inquam, antehac non credidisset, nos qui sic peccatis, morti, & iræ diuinæ obnoxij eramus, nunc autem passionem & resurrectionem Christi, uitam & salutẽ iterum nactos esse: illi certe hoc Euangelium fidem facere, omnémque dubitationem ex animo amouere debebat. Etenim hîc uidemus liquidò, eum nobis omnia bona attulisse, id quod omnia ipsius uerba arguunt, ubi ait, Pax uobis, ego sum, nolite timere: uidete manus meas & pedes, & cùm illis sensum aperiret, ut intelligerent scripturas. Verũ hæc uerba quid nobis aliud indicant, quàm quod nobis in sancta sua resurrectione pacẽ, & gaudiũ, securitatẽ & lucem attulit? Pacem (inquam) nobis attulit in uerbo, quod dicit, Pax uobis. Gaudium nobis attulit in uerbo, ubi inquit, Ego sum. Securitatẽ nobis annuntiauit in uerbo quod dicit, Nolite timere. Lumẽ uerò & illuminationẽ discipulis attulit, dũ illis mentẽ aperuit, ut scripturas intelligerent, quod lumen deinde ipsi in uniuersum orbẽ sparserũt. An nõ autẽ uidetur tibi hõ uiuere & beat' esse, qui pacẽ & gaudiũ, securitatẽ & lucẽ in se habeat? Nónne præsentissima mors & pestis est, si quis in perpetua discordia, mœrore, metu, periculo, & tenebris uersetur ac iaceat? Tali certè homini uel corporis mors non paulo magis præoptanda erat. Sic ergo nobis Euangelium

Matth. 18.

De Christo nostra instituenda colloquia.

Ephe. 2.

Christus nobis author bonorum omnium.

Videatur exẽplar Germanicum.

Christi resurrectio ut nobis attulerit Pacem, Gaudium, Securitatem, Lucem.

gelium istud firmat fidem, nos per lætam resurrectionẽ uiuificatos & saluos factos esse, posteaquam Christus nobis in ipso quasi limine tam res magnas & prçclaras promittit. Etenim quid maius & melius in terris est pace, gaudio, securitate & luce? Quid homini deesse potest, hçc bona cui sunt? Aut quid homo boni habere potest, his qui caret, imo qui diuersum adeò sentit, utpote inquietudinẽ, tristitiam, metũ, cæcitatẽ ac tenebras? Pax, gaudiũ, securitas & lux, bona sunt nullo auro cõparabilia, sed ea nusquam inueniuntur, quàm apud Christũ solum. Is illa nobis attulit, & quidẽ è peregrina & ualde remota regione. Nam harũ rerum nulla inueniebatur in terris, siquidẽ homini nulla pax erat cũ Deo, & ob id neq; gaudiũ, neq; securitas ei poterat cõtingere. Christus uerò nobis hæc bona magno emit, nobis illa donauit, & etiamnum donat: quin insuper quoq; docet nos, quo pacto illa tueri possimus. Cui autẽ melius est, quàm qui multa bona habet, & illa cõseruandi artẽ tenet? E diuerso bellũ, dissidium, tristitia, metus & cæcitas mala sunt adeò pestifera & horribilia, ut satis dici non queat. At uerò Christus ea causa uenit, ut eiusmodi diaboli opera & machinationes frãgeret dissiparétq;, quod & facit, ubi admittitur. Venite (inquit) emitte absq; argento, & absq; ullá cõmutatione. Quare appẽditis argentũ non in panibus, & laborem uestrũ non in saturitate? Audite me, & uiuet anima uestra. Isthuc autẽ promittit Christus in hoc Euangelio omnibus iis, qui in ipsum credunt. Infelicissimos ergo homines esse nos necesse est, & omni bono planè indignos, si hoc despicimus, aut negligimus. Hoc iam sub finẽ festorum Paschaliũ consideremus. Nõ enim temerè Deus in Isaia contra eiusmodi contẽptores locutus est: Vos estis qui dereliquistis Dominũ (inquit Isaias) uocaui, & nõ respondistis, locutus sum, & non audistis, & faciebatis malũ in oculis meis: & quæ nolui, elegistis. Propter hoc ecce serui mei comedent, & uos esurietis: ecce serui mei bibent, & uos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & uos confundemini: ecce serui mei laudabũt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Et dimittetis nomen uestrum in iuramentũ electis meis: & interficiet te Dominus Deus, & seruos suos uocabit nomine alio, &c. Christus ex mortuis resurrexit, & in regno suo collocatus est, bonitatem suam distribuere incœpit, eámque adhuc erogat: maiorem illi deferre honorem

Mala nostra Christus depulit.

1. Ioan. 3.

Isa. 55.

Contra ingratos, et negligentes.

Isa. 65.

rem

rem non potes, quàm si quotidie uenias, illum obsecres, aut gratiam ipsius quæras. Exaduersum grauiore contumelia illum afficere non potes, quàm si illud contemnas, quod tanti comparauit, & tam benignè communicat. Et quid multis opus est? Christus nunc adest, ut dare & auxiliari uelit: alio tempore ueniet rationem à nobis posciturus. Ecce (inquit Deus in Osee ad ingratos) expoliabo te nudum, & statuam te secundum diem natiuitatis tuæ, &c. Quis nobis autem aderit deserente nos Christo? Quis nobis largietur, manum suam claudente Christo? Vnde uiuemus, Christo nos spoliante, & subtrahente quod dedit? Tanto magis gratos nos esse oportet, quando audimus, Christum in hodierno Euangelio tanta nobis polliceri bona: tãto cupidius illa expetere, tanto diligentius curare debemus, quin ea conseruemus. Hæc dicta sufficiant de primis uerbis, quibus Christus discipulos suos primùm post resurrectionem suam salutabat, Pax uobis, nolite timere, ego sum. Quid Christus in hoc Euangelio porrò dixerit, nihil aliud est, nisi explanatio quædam resurrectionis ipsius. Atque hîc cum primis obseruandum, quòd in hodierna prædicatione eodem rursus utitur uerbo, in quo hesternæ prædicationis ex Mose & Prophetis summam constituerat. Nónne hæc oportuit pati Christum (inquiebat heri ad duos discipulos) & ita intrare in gloriam suam? Eo ipso uerbo quoque hodie utitur coram undecim Apostolis aliísque discipulis in commune, sed tamen cum additamento, quemadmodum Euangelia Paschalium festorum ita ordinata sunt, ut in dies aliquid amplius de resurrectione Christi audiamus. Vt in die Paschæ simpliciter angelus dicebat, Christum surrexisse: heri audiebamus, eum non modo ex mortuis surrexisse, uerumetiam per illam resurrectionem in gloriam suam intrasse. Hodie plura audimus, nimirum eum non solum resurrexisse, & in gloriam suam ingressum esse, sed etiam in nomine suo prædicandam præcepisse pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes populos & gentes. Et hoc ad nos potissimum pertinet: hic uidemus, qua in re etiam nobis læta resurrectio conducat, nimirum, quòd neque salutarem agere pœnitentiam, neque remissionem peccatorum consequi ac obtinere possemus, ni passus fuisset Christus & ex mortuis resurrexisset. Iam uerò quia passus est, & pro nostris peccatis mortuus est, pœnitentia nobis utilis & salutifera esse potest,

Honore præcipuo ut Christũ afficiamus.

Item summa contumelia.

Mat. 18.

Osee. 2.

Luc. 24.

Euangelia paschalia ut gradatim ad certiora nos ducant.

Marc. 16.

Luc. 42.

Pœnitentia nostra unde suũ habeat meritũ & efficaciam.

quæ alioqui absque præuio merito & satisfactione Christi, nobis nihil prodesse, aut esse proficua posset. Quoniam itaque Christus resurrexit, non ignoramus nobis remissionem peccatorum, gratiam & iustitiam paratam esse. Propter nostra enim delicta (inquit Paulus) mortuus est, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et hoc est, quam ob rem nobis Christus in sua resurrectione pacē optat. Etenim certissimum hoc argumentum est, nobis cum Deo optimè conuenire; quando Christus non solum ex mortuis resurrexit, & in gloriam suam intrauit, uerumetiam in nomine suo prædicandam indixit pœnitentiam & remissionem peccatorum in toto orbe. Hic inquam uidere licet, pacem nobis constare cum Deo. Additamentum illud, quod Christus in hodierno Euangelio suæ resurrectioni appendit, nostrum solatium plenius reddit, alioqui certi de pace nōdum essemus, etiam si audiremus Christum rediuiuum, & in gloriam suam ingressum esse. Nunc autem omnis nobis ademptus scrupulus, postquam adiectum est, prædicari oportere pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Istud ipsum est, quod Petrus in hesterna Episto. dixit: Huic Iesu (inquit) omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Eundem in modum loquitur Paulus in hodierna Epistola (seu lectione Epistolæ loco) Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in uobis timent Deum, uobis uerbū salutis huius missum est. Et nos uobis annūciamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hāc Deus adimpleuit filiis nostris, resuscitans Iesum. Notum igitur sit uobis uiri fratres, quia per hūc uobis remissio peccatorum annuntiatur, ab omnibus quibus non potuistis in lege Mosi iustificari. In hoc omnis qui credit, iustificatur. Atque hic uidemus additamentum hoc de pœnitentia & remissione peccatorum, ab utrisque Apostolis Petro pariter & Paulo fidelissimè prædicatum, & sedulo tractatum esse: neque id immeritò. Est enim hic primus & præcipuus fructus sacræ passionis & resurrectionis Christi. Et hoc nobis hodie certò promittitur spondetúrque, non solum per duos Apostolos illos, uerumetiam ipsum Christum. Quòd si igitur quod maximum est omnium accepimus, nihil amplius desiderabitur, quo ad salutem opus habemus: siquidem solum peccatum nos à Deo distrahit, & omnia bona à nobis auertit, quemad

[Margin notes: Rom. 4. — *In pace cum Deo nos restitutos unde certo sciamus.* — Act. 10. — Act. 13. — *Paßionis & Resurrectionis Christi præcipuus fructus quis.*]

quemadmodum Hieremias & Isaias dicunt. Itaque si nobis resurrectio Christi affert remisſionē peccatorū, adferret certè etiam iustitiam, gratiam, uitam, salutem, cœlum & Deum ipsum. Vide, hoc cōsiderandum hodie est circa uerbū quod Christus dicit, Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remisſionem peccatorū in omnes gentes. Sic semp ab uno ad aliud progredi oportet, per gradus ad sublimiora conscendere, magis ac magis, iuxta uota Pauli, operam adhibere, ut cognoscamus, quàm sit præcellens uirtus diuina, quę Christum ex mortuis excitauit, & quàm certa sit spes in uocatione nostra, & quàm opulentam ac magnificam hæreditatem omnium Dei bonorum hinc sortiamur. Hunc in modum Paulus resurrectionē Christi cuperet considerari. Et hunc adeò in morem consideranda est: non solum cū Christo gaudere, sed cum nobisipsis: nō solum Christus surrexit, canere nos oportet, uerumetiā uidere, ut Christus sit nostrum solatiū, ac maneat. Hoc quærit Ecclesia. Idcirco toties nobis proponit lætam resurrectionem Christi, quo sæpius, hoc clarius & melius: non semel omnia, sed in dies peculiare quiddam, quo intelligere melius queamus, & altius ad animum reuocemus, & memoriæ tenacius hæreat. Reliquū est, ut candidū hoc Ecclesiæ cōsilium diligenter nobiscū animo reputemus, accipiamúsque. Deus optimus maximus suam nobis largiatur gratiā, ídq; omni tēpore, Amen.

Isa. 59. Hier. 5.

Luc. 24.

Ephes. II.

Christi resurrectio ut sit dispicienda.

QVARTVS SERMO DOCET, *quid ordo trium Euangeliorum Paschalium indicet, unà cum succincta enarratione hodierni Euangelij.*



OSTEAQVAM nunc ad finem peruenimus festorum Paschaliū, & hodie ultima dies est, in qua concio fieri solet, operæpretium duxi, proponere uobis & cōsiderandā dare sententiā, qua olim Moses ante mortē suā populū Israëliticū exhortatus est. Recogites (inquit) ò Israël in corde tuo, qa sicut erudit filiū suū homo, sic Domin⁹ Deus tuus erudiuit te, ut custodias mādata Domini Dei tui, & ambules in uiis eius, & timeas eū. Domin⁹ enim Deus tu⁹ introducet te ī terrā bonā, ubi absq; ulla penuria comedes panē tuū, & rerū omniū abundantia pfruêris, &c. ut cùm comederis, &

Deut. 8.

satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi. Obserua & caue, ne quãdo obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, &c. Hinc facile liquet, quid à nobis requirat Deus pro beneficiis suis ac donis, nimirũ gratitudinem, obedientiã, & ante omnia, ut laudemus illum, quẽadmodũ & Petrus ait, nos esse genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populũ acquisitionis, ut uirtutes annũtiemus eius, qui de tenebris nos uocauit in admirabile lumen suum. Quoniam itaq; hoc tempore tam immensa bona per sacram passionem & resurrectionem Christi accepimus, ut uere dicere ac canere possimus, quemadmodum heri & hodie fecimus, Deũ traduxisse nos in terram fluẽtem lacte & melle, potasse nos etiã aqua ex petra Christo, & exaltasse in æternũ: ęquum profecto est, ut laus eius (ueluti heri quoq; cecimus) semper in nostro sit ore, neque duobus illis diebus immeritò ex Dauide nobis acclamatur, ut confiteamur Domino, & inuocemus nomen eius: annuntiemus inter gẽtes opera eius. Meritò, inquam, sic nobis acclamatur. Quid enim minus à nobis Deus postulare posset pro tãtis donis ac beneficiis? Quam rem iniquus detrectare possemus? Est igitur apprimè necessarium, ut hãc admonitionem Mosi, Petri, atque etiam Dauidis sedulo ad animum reuocemus. Ad quam rem nobis subinde datur occasio, crebrius prædicando & proponendo lætam resurrectionem Christi. Quo ergo clarius illa cognoscitur, hoc maior gratitudo & laus Dei in nobis deprehẽdi debet. Atqui ter iam audiuimus de resurrectione Christi, & semp aliquid maius ac lætius. Etenim primò apparebant solum Angeli, heri Christus ipse sese exhibuit, sed nòn nisi duobus discipulis, ídq; specie ignota: hodie uerò in iam dicto Euãgelio, omnibus discipulis & palã se manifestauit, & quo propius agnoscebatur, hoc etiam Apostolorum gaudiũ magis adaugebatur. Nam primò cùm Angeli tam læta nuntiarẽt de resurrectione Christi, mulieres cum metu quidem, sed tamen etiam cum ingẽti gaudio à monumento discedebant. Cæterum cùm Christus ipse sese ostenderet, quamuis latente & ignota specie, attamen corda duorum discipulorum penitus incendebantur inflammabantúrque. Postremò uerò cùm palam conspiciẽdum se præberet, stans in medio discipulorum, ac dicens, Pax uobis, & illis nõ solum manus suas, pedes & latus monstraret, uerùm etiam scripturas interpretaretur,

Pro suis beneficijs quid à nobis reposcat Deus.

1. Pet. 2.

Psal. 104.

Gratissimus Deo.

Resurrectio Christi sensim expreßius declaratur.

Matth. 28.

Luc. 24.

taretur, tum euanescebat ex animis illorum omnis metus & tristitia, perfectè in illis complebatur, quod illis ante passionẽ suã promiserat, cùm diceret, Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrũ nemo tollet à uobis.

Hæc tria tametsi uno die acciderunt, non tamen una, sed tribus uicibus, tribúsq; diebus nobis proponuntur, quo uidere melius quiuis possit, quemadmodum agnitio Dei, & salus nostra in nobis incipiat, crescat ac perficiatur. Etenim primò, quando Angelos audimus, hoc est, nuntios & prædicatores pacis & Euangelij, incipit in nobis agnitio Christi, ac deinceps etiã salus nostra: siquidem agnitio Dei & Christi, æterna salus est, ac uita. Dehinc quando interius mouemur, & cupidi sumus, & corda nostra ueluti ardẽt, augescit in nobis agnitio Christi, & salus. Porrò quando Christum toto pectore complectimur, eique soli adhæreścimus, tum nostra salus perfecta est, quod ad præsentẽ uitam attinet. Alioqui enim si propriè de re dicendum sit, in altero demum seculo perficietur salus nostra, quando eum uidebimus sicuti est, & similes ei erimus. Nam nunc ex parte tantũmodo cognoscimus. In hac uita summus gradus est, si de Christo nõ solum audiamus, eúmque cognoscamus, uerùm etiã apprehendamus. Hos tres gradus, alium post alium conscendere oportet. Primum fit per fidem, alterum per spem, tertium per charitatem. Fides dicit, Deus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ. Spes dicit, Christus dilexit me, & semetipsum tradidit pro me. Charitas autem dicit, Ego uerò illi me dedam, & adhærebo. Fides dicit, magna bona Deus præparauit se diligentibus. Spes dicit, mihi eiusmodi bona parata sunt. Sed charitas dicit, Ego curram, ut apprehendam. Quod si igitur Pascha nostrũ ritè & Christianè celebrauissemus, iam tertium gradum nos assecutos meritò oportebat, hoc est, nõ solum credere ac sperare, sed iam sedere & frui bonis, nobis à Christo allatis. Christũ (inquam) dudum in medio nostrum stare, & nobis pacem annuntiare, ac persuadere oportebat. Hoc enim per id significatum est, nimirum quòd posthac non solum apud omnes fideles pariter esse uelit absque respectu personarum, ut Petrus dicit, atq; etiã Sapiens, sed etiã habitare in nobis, quẽadmodum ipsemet promisit. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui eò usque peruenit,

Cognitio Dei ut in nobis existat, augescat, et absoluatur.

Pascha rite celebranti quid eueniat.

Act. 10. & Sap. 6.
Ioh. 14.

uenit, is demum animaduertit, quàm suauis sit uox illa Christi, Pax uobis: tum demũ uere sentit homo, quid solatij adferat, quòd Christus dicit, Nolite timere, ego sum: tum demum homo uerè experitur uirtutem ac fructum sacræ passionis & resurrectionis Christi. Et esset hoc sanè uerè cõcludere festa Paschalia. Posset hoc talem in nobis fructũ operari excitaréque, qui usq; per totũ annum in nobis maneret. Sed hoc nobis obstat, quòd non cum ardore illo animi quo æquum erat, incœpimus, idcirco segniter & oscitanter concludimus, sícque fit ut per totũ annũ tales maneamus. Dicimur quidem uiuere, sed reuera mortui sumus, neq; frigidi, neq; calidi sumus, sed tepidi: quocirca uerendum est, ne Deus aliquando nos euomat. Hoc nobis merito nec minus necessario considerandũ erat. Ad quam rem nobis hodiernum Euangeliũ occasionem præbere, & uiã præstruere posset, quod quidem multifariam indicat, quàm sit resurrectio Christi cõsolationis plena: Potest tamen interim quiuis intelligere, quòd quo plus boni ex ea nuntiatum est piis, hoc improbis atrociora ꝓmissa sunt. Quàm enim Deus sanctus est cum sanctis, tàm est peruersus cum peruersis: & quoties in diuinis literis bonis bona nunciantur, toties in malos cõtraria decernuntur: id quod breuiter ex hoc Euãgelio ostendam. Et principio Christus in hodierno Euangelio nihil intermisit, quo hominibus tam malis quàm bonis certo cõstare posset, eum uerè resurrexisse. Nam primò uisus est. Secundò locutus est. Tertiò manus suas, pedes & latus ostendit. Quartò contrectatus est. Quintò corã discipulis comedit. Ac postremò interpretatus est illis scripturam. Hæc autem omnia sunt arguméta certissima, è quibus omnes cum boni, tum improbi homines cognoscere possunt, illum uerè resurrexisse. Cæterum illam resurrectioné nõ uniusmodi habere uirtuté in omnibus hominibus, ex eo liquet, quòd Angelus qui primus resurrectioné nũtiabat, pias ac fideles mulieres cõsolabatur, custodes uerò ita territabat, ut mortuis similes iacerét. Idem ex hoc Euãgelio cognosci potest. Etenim primò Christus ex insperato uenit ad suos discipulos, & consistit in medio ipsorum. Hoc autem summũ solatium est omnium bonorum piorúmq;, quòd Iesus, hoc est, uerus seruator semper illis propè adsit, & quòd manifestet se cum suo auxilio & gratia, cùm minimè speratur, ut Dauid ait, Iuxtà est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & humiles spi

Contra teporem nostrum.

Deus ut sit seuerus in improbos.

Christi resurrectio ut non idem in omnibus efficiat.

Dominus præsto est.

Psal. 33.

les spiritu saluabit. Et iterum, Propè est Dominus omnibus *Psalm.144.*
inuocantibus eum: omnibus eum inuocantibus in ueritate.
Sensit hoc ipse Dauid, quamobrem lętus in suis Psalmis canit, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. Imò etiamsi *Psal.22.*
ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Verum malis nihil horribilius est, quàm cùm audiunt, Deum prope esse, & uident illum sese manifestare ac ostendere. Et hoc in primis nostris parentibus deprehenditur, Adam & Eua, qui adeò territi erant ad unitam uocẽ Dei, ut in paradiso sub arborum latebris sese absconderent, quanquam hæc illorum fuga inutilis prorsus erat. Secundò precatur & nuntiat Christus fidelibus in *Pax bonorum* hoc Euangelio pacem. Hoc iterum ex præstantissimis eorũ *multiplex.* monilibus unum est, quòd pacem habent, primò in cõscientia sua, posteaquam illis peccata sua condonata sunt. Secundò pacem cum Deo: ut Paulus ait, Iustificatum ex fide, pacẽ habere cum Deo. Tertiò pacem cum sanctis Angelis, quia *Col.1.* Christus pacificauit, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt: quocirca etiam Angeli nostros conseruos se dicunt. Quartò quòd pacem habent cum omnibus creaturis, ueluti Deus in Osee promisit. Hoc bonũ ignorãt improbi. Nullã *Osee.2.* pacem habent in cõsciẽtia sua: æstuat enim semper cor eorũ tanquam mare, neq; pacẽ habẽt cum Deo: odit enim Deus peccatores. Ad hæc omnes illis creaturæ inimicę sunt, & tãdem has Deus armabit ad ultionem eorum. Tertiò dicit Christus in hoc Euãgelio ad suos discipulos, Ego sum. Hoc rursus uerbum est, quo Deus suos electos semper exhilarauit, ut cùm ad Abraham dicit, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Et iterũ, Ego Dominus Schadai, hoc est, Omnipotens, & exuberans plenitudo omnis boni. Item, Ego Dominus Deus tuus, in medio tui, &c. Christus frequenter utitur hoc uerbo in Euangelio, ad suorum fide- *Ioh.6.* lium solatium, ut cùm dicit, Ego sum panis uiuus, Ego sum *Ioh.11.* lux mundi. Ioan.9. Ego sum uita & resurrectio, &c. Ego sum, nolite timere, Matth. 4. Ego sum bonus pastor, &c. Con- *Ioh.10.* tra, improbis nihil formidabilius est, quàm ubi Deus hac *Exod.20.* uoce (Ego sum) contra ipsos utitur, ut cùm ait, Ego sum *Hier.7.* Dominus Deus tuus fortis zelotes, uisitans iniquitatem *Hier.19.* patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Et *Mat.26.* rursus, Ego sum, ego uidi. Item, Ego sum iudex & testis. Et *Ioh.8.* Christus in Euangelio, Ego sum, & uidebitis filium hominis *Mal.3.*

sedentem à dextris uirtutis Dei, &c. Et rursus: Ego sum, qui multa habeo de uobis loqui & iudicare. Et iterum dicit Deus: Ipse sum, & ero testis uelox maleficis & adulteris, & periuris. Quartò dicit Christus ad suos discipulos, Nolite timere. Rursum hoc summum solatium est fidelium omnium, quòd illis Deus ipsemet securitatem promittit. Nihil autem in tota scriptura frequentius legitur, quàm quod Deus suis fidelibus acclamat, Nolite timere. Sic per Mosen dicebat ad populum Israël: Non timebis inimicos tuos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. Et ad Iosue: Ne timeas: in manus enim tuas tradidi inimicos tuos. Et per Isaiam: Ne timeas, quia ego tecum sum. Et iterum: Noli timere, quia redemi te. Item: Noli timere serue meus. Et Christus in Euangelio: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare uobis regnum. Quo autem magis bonis ac fidelibus acclamatur, Nolite timere, hoc iustius improbi sibi metuere possunt, quibus non modo nulla securitas promittitur, sed etiam omne periculum, metus & terror imminet, ut cum Paulus ait: Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, &c.

Deus suos ut securos reddat. *Deut. 7.* *Ios. 10.* *Isa. 41.* *Isa. 43.* *Isa. 44.* *Lucæ 12.* *Timeant impij.* *Rom. 2.*

Postremò ostendit quoque Christus suis discipulis manus, pedes, latus. Hoc iterum fidelibus summum adfert solatium: hinc enim certam spem concipere possunt, fore ut Christus ipsorum nunquam obliuiscatur, posteaquam uulnerum suorum uestigia etiam in glorificato corpore reseruauit, & ut Deus nihil ipsis sit denegaturus, quando quidem memoria sacrosancti sacrificij Christi semper coram illo est, imò Christus ipse semper pro nobis assistit. Cōtrà uero malis nihil cōtingere poterit terribilius, imò certissima illorum erit condēnatio, quādo in sacrosancto corpore Christi conspicabuntur uestigia uulnerum ipsius. Aspicient ad eum (inquit Zacharias) quem confixerūt. Hinc opinor, quiuis uidere facilè posset, in quam spem optim' quisque & fidelis ex læta resurrectione Christi adduci queat: contrà, quid malis timendum sit. Proinde nobis propositum simul est bonū & malum, uita et mors, benedictio & maledictio. Bonū, uita & benedictio, si apud Christū perseuerauerimus. Malū uerò, mors & maledictio, si pedē retulerimus. Hic unusquisq; uideat, ex his duobus utrum amplecti malit. Ego & dom' mea (inquit Iosue) seruiem' Domino. Et est hoc certe consultè factū. Deus nobis omnibus suā largiri gratiā digneť. Amen.

Vulnera in Christi corpore manentia quid nobis promittant. *Heb. 9.* *Zach. 12.* *Proposita nobis sunt, Bonum, Vita, Benedictio, Malum, Mors, Maledictio.*

DOMI

DOMINICA PRIMA POST PASCHA, EVANGELIVM IOANNIS XX.

CVm ergo ſerò eſſet die illo, una ſabbatorum, & fores erant clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati, propter metum Iudæorum: uenit Ieſus, & ſtetit in medio diſcipulorum, & dixit, Pax uobis. Et cùm dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli uiſo Domino. Dixit ergo eis iterum, Pax uobis. Sicut miſit me pater, & ego mitto uos. Hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando uenit Ieſus. Dixerunt ergo ei alii diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & admoue manum tuam, & immitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed

cred

credens. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Ieſus: Quia uidiſti me Thoma credidiſti. Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quòd Ieſus eſt Chriſtus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius.

EADEM DOMINICA, EPISTOLA SANCTI IOANNIS I. CAPITE V.

CHariſsimi, Omne quod natum eſt ex Deo, uincit mundum: & hæc eſt uictoria, quæ uicit mundum, fides noſtra. Quis eſt qui uincit mundum, niſi qui credit quòd Ieſus eſt filius Dei? hic eſt qui uenit per aquam & ſanguinem, Ieſus Chriſtus, non per aquam ſolum, ſed per aquam & ſanguinem. Et ſpiritus eſt qui teſtificatur, quoniam ſpiritus eſt ueritas. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, ſermo, & ſpiritus ſanctus, & hi tres unũ ſunt: & tres ſunt qui teſtimoniũ dant in terra, ſpiritus, & aqua, ſanguis, & hi tres unum ſunt. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt, quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod teſtificatus eſt de filio ſuo. Qui credit in filiũ Dei, habet teſtimonium in ſeipſo.

PRIM

PRIMVS SERMO DOCET, *quam ob rem Christus suis discipulis pacem precatus sit.*



ODIERNVM Euangelium idem planè est cum historia, quam Feria tertia proximè præterita ex Diuo Luca audiuimus, nisi quòd plus aliquanto habet Ioannes, quàm Lucas, quemadmodum & Lucas quædam uerba ponit à Ioanne præterita, attamen ut dixi, utrobique historia est. Præcipuum utrobique est, quòd Christus in hac apparitione suis discipulis & fidelibus pacē impartit, causam etiam utrobiq; addens. In Luca dicit Christū oportuisse pati & resurgere à mortuis, & in nomine ipsius prædicari pœnitentiam & remissionē peccatorū in omnes gentes. Hæc causa erat optandæ pacis in eo loco, perinde ac dixisset, Propterea pacē ego uobis precatus sum: adest enim tēpus, quo per uniuersum orbē & cunctis mortalibus remissio peccatorū prædicabitur, annunciabitúrq;. In Iohanne, hoc est, in hodierno Euāgelio, eandē quoque, cur pacē fuerit precatus, causam reddit. Nam simulatque secūdò dixisset, Pax uobis: subiicit, Sicut misit me pater, & ego mitto uos: accipite spiritum sanctum: quorū remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Sic ergo utrobique uidemus, quòd remissio peccatorum per Christū impetrata, & per sanctos Apostolos prædicata, unica causa est, quam ob rem nobis Christus post lætam resurrectionem pacem suam optauit. Nisi remissio peccatorum prius per salutiferam passionem ac mortem Christi fuisset impetrata, sancti Apostoli ac fideles lætum hoc uerbū, Pax uobis, toties non fuerāt audituri. Porrò nisi tam certò nobis in Euāgelio remissio peccatorum nostrorum prædicaretur, ne nos quidē in hodiernum usque diem pacē ullam ac reconciliationem cùm Deo promittere nobis possemus. Haud abs re dixisse Isaias putādus est, Impij, nō est pax: tū apertè cōstat ex ueteri testamēto, quod Deus peccatoribus & trāsgressoribus suæ legis nō nisi iram, indignationē, bellum & pœnas minatur. Si ambulaueritis ex aduerso mihi (inquit) nec uolueritis audire me: & ego incedam aduersus uos in furore contrario, & corripiam uos septem plagis propter peccata uestra, &c. Ideóq; remissio pctōrū merito utroq; in loco posita est tā-

Luc. ult.

Christus cur suis pacem precatus sit.

Ioh. 20.

Remissio peccatorum, causa pacis.

Isa. 48. & 57.

Leuit. 26.

quam unica, ſed tamen certiſsima cauſa pacis, quam nobis Chriſtus optauit. Nam iuſtificati à peccatis, pacẽ habemus cum Deo. Verùm autem ad eiuſmodi pacem mediũ eſt pœnitentia,& remiſsio peccatorum. Finẽ ſi aſſequi cupis, prius medium apprehende, quod ad finẽ huiuſmodi te perducit. Quamdiu peccatum remiſſum non eſt huius pacis, participes eſſe non poſſumus. Odit enim Deus peccatores,& uultus eius ſuper facientes mala. Non remittitur autem peccatum, quamdiu nobis illud placet. Quare initium à pœnitẽtia ſumatur oportet. Chriſtus nobis remiſsionem peccatorum,& deinceps etiã pacem inter Deum & nos promeruit, & pretioſo ſuo ſanguine redemit. Beati Apoſtoli utrumque prædicarunt,& prædicatur etiamnum adhuc: apprehendere hæc dona oportet pœnitentia & fide. Idcirco & Chriſtus ſuũ Euãgeliũ in Marco nõ aliter orditur, quàm hoc uerbo, Pœnitemini,& credite Euãgelio, quoniã impletum eſt tẽp᷑. Similiter quoq; faciebat Petrus, rogatus à Iudęis, quid faciẽdum cenſeret, ne ipſis peccata, quæ in Chriſtũ admiſerãt, ad condemnationẽ imputarentur, Pœnitentiã (inquit) agite,& baptizetur unuſquiſq; ueſtrũ in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionẽ peccatorũ ueſtrorũ. Meritò autem hoc illis & nõ aliud dat conſilium, Hic enim ordo ſeruandus omnino eſt. Per pœnitentiam ad remiſsionem peccatorum uenitur, per remiſsionem ad pacem. Hæc uera ad eam eſt uia: & hanc qui non iuerit, huic nihil profuerit, nec ꝓdeſſe poteſt, etiãſi Chriſtus pacem promeruit, imò redemit,& Apoſtoli ac doctores Euãgelici adhuc quotidie illam annuntient. Hic theſaurus quidem acquiſitus eſt,& quotidie offertur nobis, ſed nondũ tamen noſter eſt, niſi manũ admouerimus. Qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te, ut habet ueterum noſtrorum uulgare dictum. Age, pacis uotum omnes amplectimur, pacẽ omnes expetimus, ſed nõ utimur omnes uero medio ad adipiſcendam eiuſcemodi pacem. Noſtræ partes accedant porrò oportet, quãquam perexiguum & leue admodum eſt, quod per nos accedit, tanto minus nos grauari conuenit. Magno Chriſto cõſtitit, imo uitam & ſanguinem ſuum impẽdit, ut nobis remiſsionem peccatorum, & uitam cõſequeretur, ut Petrus ait, nos nõ corruptibilibus auro uel argento redemptos eſſe, ſed pretioſo ſanguine immaculati agni Chriſti. Nec nihilo conſtitit Apoſtolis, donec nobis hanc remiſsionem peccatorum & pacem annuntiarunt, & mundo

Pœnitentia, pacis conciliatrix. *Agenda pœnitentia.* *Pſal. 33.* *Marc. 1.* *Act. 2.* *Chriſti ſatisfactio quibus nil proſit.* *Auguſt.* *Etiam noſtra induſtria exigitur.* *1. Pet. 1.*

mundo inuulgarunt. Omnia relinquebăt, magno labore & periculis per orbē uagabantur, eiiciebantur, persecutiones & mortes perpetiebătur, ueluti Paulus multis in locis dicit, non modo de seipso speciatim, sed etiam de omnibus apostolis generatim. A nobis nihil poscitur ampli⁹, quàm ut ueniamus, & nostra cōfiteamur peccata: mox adest mandatū, Quorum remiseritis peccata, remittūtur eis, &c. Et quid exiguum magis Deus petere à nobis queat? Hinc manifestū euadit, quod Sacramentum Pœnitentiæ, quod in confessione & absolutione cōsistit, hoc uerbo Christi, tanquā fundamento suo nitatur: Accipite Spiritū sanctum, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Nā si hanc apostoli authoritatē habent, ea apud illos quærenda est, scilicet per media ad id ordinata. Mediū autem aliud nullū unquam fuit ad remissionē peccatorum consequendam, nec unquā aliud medium erit, quàm pœnitentia & cōfessio. Si confiteamur peccata nostra (inquit Iohānes) fidelis est Deus & iustus, ut remittat nobis peccata nostra. Confessio peccatorū uerum argumentū est pœnitentiæ, & quamdiu ad confessionem nos nō humiliamus, nondū certè uera pœnitentia est in animo. Cæterùm confessionē certò sequitur absolutio; in absolutione adipiscimur remissionē peccatorū: per remissionem pax cōtingit, quā nobis optauit & nuntiauit Christus: in pace habemus Deū & omnia bona illius. Fūdamentū & initiū horū omniū est fides in Iesum Christū. Huc pertinet, quod Christus in fine hodierni Euangelij dicit: Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati qui non uiderūt, & crediderunt. Et quod Iohānes cōtinenter subiicit: Multa quidē & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorū suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autē scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei: & ut credentes, uitam habeatis in nomine eius. Hîc audis, quomodo Christus & Iohānes de fide loquantur. Iohannes uult ut credatur: siquidem propterea omnia scripta sunt, indicans interim, nos per fidē in Christū uitam habere. Atq; hoc confirmat Christus ipse, dū eos omnes beatos appellat, qui in ipsum credunt, licet non uiderint, nec uidere possint. Et hoc quidē diligenter obseruemus circa hodiernū Euangeliū. Etenim hîc simul conspicimus necessitatē, atq; etiā uirtutē & efficaciā fidei, nimirū nihil homini æquè necessariū esse ad salutē, ac fidem, nihilq; æquè utile & efficax. Sine fide (inquit Paulus) impossibile est

Confessio peccatorum necessaria.

Remissio peccatorum ut obtineatur.

1. Ioan. 1.

Fides salutis fundamētum.

Fidei necessitas & efficacia.

Heb. 11.

Iacob.1. est placere Deo. Et iterum dicit Diuus Iacobus: Qui hęsitat, nō æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à domino. Hic habes necessitatem fidei: aut credere, aut omni Dei gratia *Iohan.8.* & bonis spoliari oportet. Si non credideritis (inquit Christus ad Iudæos) quia ego sum, moriemini in peccato uestro. *Iohan. 3.* Et rursus ad Nicodemū: Qui non credit, iam iudicatus est: *Marc.ult.* quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei. Et iterū ad suos discipulos: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condēnabitur. Qui saluus esse ac fieri uelit, ceruicem ac caput suum demittat oportet, quin etiā rationem & intellectū in captiuitatē ducere, & subiicere fidei. Hunc honorē fides sibi uendicat: omnis humana cogitatio hîc cedat oportet, uni fidei locus relinquēdus est: & hæc etiam optimū nobis fructū affert, nimirum uitam, ut ait *Fides præstat uitam.* Iohannes: imò fides nos sanctis quoque Apostolis ęquiparat, quòd nos qui Christū nunquam uidimus, nihilo in illo *1.Iohan.5.* minus habemus, quàm ipsi, qui uiderunt & contrectarunt *Iohan.20.* eum. Beati (inquit) qui non uiderūt & crediderunt. In hodierna Epistola Iohannes quoq; omnem ferè sermonē suū de fide cōsumit, magnificis planè & diuinis uerbis docens, quid sit fides nostra, quàm firma & certa, quàm efficax, seu *Iohan.5.* potens. Omne quod natū est ex Deo, uincit mūdum, & hęc est uictoria quæ uincit mundū, fides nostra, &c. Hæc hodierna fuit Epistola, quæ per omnia consentit cum fine hodierni Euāgelij. Quod illic Iohannes incipiebat, id hoc loco perfecit. Meū (inquit) Euāgeliū scripsi, ut credatis. Et quid oportet credere? Quòd Iesus iste est Christus & Messias, aut (ut ipse loquitur) quòd Iesus est Christus filius Dei, & ueritas. Hoc qui credit, saluus est, hoc qui credit, uitam habet, uincit mundū: nam hæc est uictoria quę uincit mūdū, nostra fides, imò non solum mundū, uerumetiam principem mūdi, nimirum diabolū cum omni ipsius potestate. Id autē hoc pacto *Credere quid debeamus.* fit. Crede Christū esse tuā iustitiā, ut Paulus dicit: crede Christum esse uitā, & non terrebit te mors. Crede Christū uicisse *1. Cor.1.* mundū, quemadmodū ipsemet ait in Iohanne, & nō perturbabit te mundi odiū, doli, & persecutio. Crede Christū æter*Iohan. 16.* num nobis dare uelle regnū, non mouebit te, si temporalibus exuaris bonis. Crede Christum esse dominū cœli & terræ, nō erit tibi ægrè, si in exiliū fueris eiectus. In summa, crede Christū esse filiū Dei, & filios hominū, non extimesces. *1.Cor.1.* Sed inquis, quî sciam ego, quòd hic Iesus est Christus, & filius

Dei,

Dei,& deinceps etiam uerus & unicus seruator, imò quòd nostra iustitia, uita, sanctificatio & redēptio est? Videre (inquit Iohannes) oportet quomodo uenerit, quæ habeat testimonia. Enimuerò primo lōgè aliter uenit, quàm Moses. Moses ueniebat tanquam doctor, sed nō tanquā Seruator, ueniebat tantū in aqua, hoc est, adferebat quidē cœlestē doctrinam, & uerum Dei uerbū, sed non ueniebat in sanguine: docere poterat, sed non seruare. Cæterum Christus uenit in aqua & sanguine, hoc est, non tanquā doctor, sed etiam tanquam seruator: aquā nobis attulit, hoc est, cœlestem doctrinam, & uerbū Dei: Sacrosanctum suum sanguinem nobis simul donauit, & in illo certā redemptionem & remissionem peccatorum. Atq; hoc summum nostrū solatiū est, quòd in Christo aquam & sanguinem, doctrinā & redemptionem habemus. Et est hoc certissimum argumentum, quòd est uerus Christus & Messias. Huius rei testimonia alia plura habet in cœlo & in terra. Tres sunt qui testimoniū dant in cœlo (inquit) Iohannes, Pater, uerbū, & Spiritus sanctus: & hi tres unū sunt. In Mattheo, cum Christus à Iohanne baptizaretur, & cū postea transfiguraretur ante suos discipulos, uides, quomodo de illo pater cœlitus sit testificatus. In Iohanne inuenis, quomodo illi spiritus sanctus perhibuerit testimoniū, nimirum cū uertici illius insideret ipse, & maneret in specie columbæ. Ego uidi (inquit Iohānes Baptista) spiritū sanctū descēdentē super eū, &c. Præterea in Euāgelio apparet, qūo illi omnipotēs uerbū suū in tot tāq; stupēdis miraculis testimoniū dederit. Opera quę ego facio ī nomine patris mei (inquit) hæc testimoniū phibēt de me. Et iterū: Ego sum qui testimoniū pbibeo de me ipso, & testimoniū perhibet de me qui misit me, Pater. Habet & in terris sua testimonia. Spiritus quem suis fidelibus dedit, doctrina quā prędicauit, sanguis quem fudit, satis testantur, illum solum Christum Messiam esse, & non aliū. Cùm igitur tot concurrant testimonia, tanto certior est fides nostra, tāto magis homo ei inniti potest, tanto minus dubitare fas est. Summa, si Christus est Deus, potest utique remittere peccata: porrò si hoc suo sancrosancto sanguine promeruit, poterit idipsum similiter. Hæc nobis hodie inculcantur, tanquam omnium maximè necessaria. Christus suis defunctus partibus est, satisq; nobis indicauit, quæ spes ab ipso nobis esse possit. Sed accepturos ab eo aliquid, per fidem auferre oportet. Beati qui

1. Iohan. 5.

Christus à Mose quantum distet.

Christus in aqua & sanguine ut uenerit.

Mat. 3.

Iohan. 1.

Ioh. 10.

Ioh. 8.

Spiritus.

Doctrina.

Sanguis.

Ioh. 20.

credunt, & non uident. Deus nobis omnibus suam donet gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO DOCET IN *genere, quàm multa bona & consolatoria nobis Christianis in hoc Euangelio nuntientur.*



ISTORIAM hodierni istius Euãgelij pro maiore parte Feria tertia proximè præterita, ex Diuo Luca quoque audiuimus. Non ab re autem nobis illa hodie rursus prælegitur. Toties suis discipulis Christus post resurrectionẽ suam apparuit, sed una uice tam multa nunquam locutus est ac fecit, ut in hac apparitione. Itaque mirum non est, si diligentius nobis proponatur, quàm reliquæ. Nec quicquam adhuc audiuimus in concionibus Paschalibus, qualia Iohannes testimonia literis prodiderit de læta resurrectione Christi. Ad hæc insignia quædam & grauia hîc uerba commemorantur, quæ in Luca non audiuimus. Et postremò quoq; narratur hîc, quid Christus octauo die post resurrectionem suã cum Thoma egerit, id quod propriè ad hodiernam Dominicam pertinet. Hæ causæ sunt, cur hæc historia è duobus Euangelistis proponatur. Primò ex Luca, cæterum hodie ex Iohanne. Atque omnes istæ causæ adeò prægnantes sunt & graues, ut ordinationem hanc nemo nõ sit probaturus. Res ipsa per se ita læta & cõsolatoria est, ut proponi satis crebrò nequeat: tũ Iohãnes hanc historiam describit adeo iucundè, ut alicui de integro uoluptatem pariat audiendi legẽdique, etiamsi eã ex aliis Euangelistis antea audisset ac legisset. Ad hæc talẽ historię appendicẽ annectit, ut indignũ fuerit illam neglexisse, & non indicasse. Quid hæc historia optimo Christiano solatij & gaudij afferre posisit, feria tertia proximè elapsa, paucis monstraui: quemadmodũ Iohannes in omnibus quæ scribit, singulari præditus sit spiritu, qui omnia reddat suauia & grata, aliis quoque in locis indicaui. Hac uice duos Euangelistas, Lucam & Iohannem cõponam, primúmque docebo, quid uterq; cõsentiẽs de hac apparitione Christi scribat, deinde uerò ostendam, quæ Iohannes habeat in hac historia, quorũ Lucas non meminit. Et principio tota ista historia ab utroq; Euangelista ita digesta est & cõtexta, ut bonus Christianus denuo cõmonefiat omniũ eorũ quæ supe

Luc. 24.

superiore septimana de resurrectione Christi lecta, cantata & prędicata sunt: imò hinc primum rectè uideri potest, quid hoc uerbi in se cōtineat, quidq; nobis solatij prębeat, Christus surrexit. In certam itaq; spē adducor, qui animo secū uerè reputauerit, sensurum eū in seipso, quod discipuli Christi in commune, & Thomas speciatim senserunt, hoc est gauisurum ex animo, & præ gaudio, uoce laudis & diuinæ cōfessionis erupturū, quemadmodum Thomas fecit: & aliter quî faceret? Insensibilis caudex, durus lapis profectò fuerit necesse est, quem hoc Euangeliū nō moueat. Summa, qui uixdum credit, Christum uerè ex mortuis resurrexisse, is in hoc Euangelio argumenta certissima habet, quæ fallere nō possunt. Tum qui nōdum scit, ad quid sancta nobis resurrectio Christi profuerit, is in Euangelio isto clarissimè id demonstratum reperit. His omnibus adde, si quis esset, qui nōdum intelligere quiuisset, quam ob rem sancta Christiana Ecclesia & communio, tātū gaudium in suo Paschate exhibuerit, is in hoc Euangelio non unam, sed plurimas causas ostēdit eius gaudij. Hæc omnia uterq; Euangelista clarissimè indicat. Etenim primò uterque palam refert, Christū, tametsi per sanctam & lætam resurrectionem suā iam in gloriam patris ingressus erat, & potestatē acceperat in cœlo & in terra, non tamen discipulorum suorum, quos in terris reliquerat, oblitum, sed humanissimè eos & inuisisse, & consolatum esse. Et quid hac re significare aliud uoluit, quàm quòd illos & nos certos reddidit, se etiam post resurrectionem suam, etiam post ascensionem suam, quin etiam usque ad consummationem seculi apud suos mansurum, nec illos unquam derelicturum oblituŕumue, quemadmodum antea & in Isaia promisit, se etiamsi fieri possit, ut mater infantis sui obliuiscatur, non tamen obliturum suorum fidelium: Secundò scribit uterque Euangelista, Christū in die lætæ suæ resurrectionis, posteaquam Apostolos aliósque fideles diu tenuisset suspensos, & per totum fermè diem aliud post aliud nuntium ad eos misisset, se resurrexisse ex mortuis, seipsum uerò non nisi latenti specie & paucis personis adhuc exhibuisset, atque ita illos inter spem & metū hærere siuisset, postremò tandem sub uesperam palam omnibus comparuisse, & ita cum uerbis, tū factis seu gestibus sese exhibuisse, ut dubitare iam amplius non possent. Quid hac etiam re nobis ostensum est aliud, quàm quòd Deus interdum cunctetur, & diffe-

Christum surrexisse quid habeat energia.

Ecclesia cur festiue adeò Pascha celebret.

Mat. ult.

Mat. 28.
Ioh. 14.
Isa. 49.

Vt sese interim abscondat Deus.

differat uisitationem suam, & tamen ad extremum non e-
Aba. 2. maneat? Quam ob rem Abacuc omnes fideles docet, ut etiamsi Dominus moram quandoque faciat, expectet eum tamen, siquidem ueniens ueniet, & non tardabit. Tertiò scribit uterque Euangelista, Lucas & Iohannes, Christum in hac apparitione constitisse in medio discipulorum suorum, id quod haud dubiè factum est, ad indicandum, eum non longè esse ab unoquoque nostrum, imò omnibus cu-
Act. 17. iusuis cõditionis hominibus esse obuium. Et hoc ipsum est,
Matth. 28. quod alibi dicit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Indicatur præterea per
Christus ubi inueniatur. hoc, quòd Christus in nullo angulo, in nullo loco circumscripto, in nulla secta, sed in medio suæ Ecclesię est, & in hoc
Matth. 2. loco inueniri uult, quemadmodum in Matthęo dicit: Si quis uobis dixerit, Ecce hîc est Christus, aut illic: nolite credere, &c. Quartò scribit uterq; Euãgelista, Christum in hac apparitione suis discipulis ac fidelibus pacem precatum es-
Pax uera. se, id quod indubiè propterea factũ est, ut certo persuasum haberent, Deum ipsis recõciliatum, omnes ipsorum hostes deuictos, & æternam tranquillitatem seu securitatem ipsis comparatam esse. Quinto, scribit uterque Euangelista, Christum in hac apparitione Apostolis & fidelibus, manus suas, pedes & latus ostendisse, nõ solùm ut probaret, se ue-
Vulnera in Christo cur patescant. rè resurrexisse, uerum etiam ut ipsi & omnes fideles usque ad finem mundi scirent, manus ipsius & latus posthac semper illis aperta fore, ad suscipiendos eos & consolandos, imo ad dandum eis opitulandúmque, quemadmodum sæpe in Euangelio clamat & dicit, Si quis sitit, ueniat ad me,
Ioh. 7. & bibat. Item, Venite ad me omnes qui laboratis, & o-
Mat. 11. nerati estis, & ego reficiam uos, &c. Imò quòd Christus etiam post uictoriosam suam resurrectionem, clauorum & saucij lateris uestigia in suo glorificato corpore reseruauit, eáque suis fidelibus monstrauit, ideo nimirum factum est, ut ostenderetur, memoriã sacræ passionis ipsius semper esse in conspectu Dei, & fore bonis ad perenne solatium, malis ad æternum testimonium. Vide, hæc omnia uterque Euangelista pariter scribit. Vnde cognoscere facilè quiuis potest, Christum uerè resurrexisse, quid fructus & utilitatis nobis indè ortum sit, & quàm iustè fiat, quòd sancta Christianitas suum Pascha summo cum gaudio celebret peragátq;.

Audie

Audiemus porrò nunc, quid Iohannes amplius circa hāc historiam indicarit, quòd in Luca silentio præteritū est. Mul- I.
ta hîc commemorare possum, utpote primò, quòd Iohannes dicit hanc apparitionem uesperi esse factam, id quod ex Luca quoque colligi potest, uerūtamen in Iohanne clarius expressum est. Cùm serò esset (inquit) uenit Iesus, &c. Alte- II.
rum est, quòd foribus clausis ad eos uenit. Tertiū quòd nō III.
semel tantum, ut in Luca, sed ter illis pacem optat. Quartū IIII.
quòd dicit, Sicut misit me Pater, & ego mitto uos. Quintū V.
quòd insufflat in faciem illorum & per hoc illis sanctū Spiritum largitur. Sextum quòd illis potestatem dat remittēdi VI.
peccata. Septimum quòd in gratiā Thomæ, suis denuo ap- VII.
paret. Vltimum quòd Iohannes tam exertè indicat, Christū VIII.
hæc aliáque multa fecisse, quorum nostra plurimum refert, imò quorum unumquodque peculiari sermone opus haberet. Etenim primò, quòd Christus primo diluculo ex mortuis resurgit, & uesperi demū ad suos discipulos uenit, eósque sic totum diem in dubio relinquit, intra spem metúmque pendentes. Hoc (inquam) opus est, quod Christus in hodiernum usque diem inter nos facit. Summo mane surgit, hoc est, omni tempore paratus est auxiliari. Vnde & Stephanus uidebat eum non sedētem, sed stantē à dextris Dei, *Act. 7.* ad ostendendum, illum paratum esse ad ferēdum suppetias suis. Sed diu nonnunquam cessat sua ope, ut est uidere in diuo Petro, quem tum primum seruabat in mari, cùm iam mergi inciperet, & de uita periclitaretur. Attamen quod sua mora differt, hoc cum fœnore suæ consolationis compensat, ut exemplum Lazari cōmonstrat, ad quē serò quoq; ueniebat Christus. Sorores quidem Lazari, in tempore auxilium flagitabant, sed differebat Christus, donec Lazarus uita defunctus ac sepultus esset, nec quisquam credere posset amplius, illi succurri posse. Sed quo diutius cessabat Christus, hoc potentius moram sarciebat. Si credideris (inquit ad Martham) uidebis gloriam Dei: hoc est, experieris me etiámdum non serò adesse, &c. Idem hoc experiebantur sancti Apostoli & discipuli in hac apparitione Christi. Serò ueniebat ad illos, sed adeò explebat illos spirituali gaudio, ut morā ipsius incusare nō possent. Et hoc unū est. Secūdò quòd ostio clauso ad eos introit (ut ueteres Ecclesiæ doctores omnes intelligūt & exponūt) argumento est, quòd suos ubiq; locorum norit inuenire, nūquam ad illos uenire nō potest, ubicunque

Opem suam ut nonnunquam differat Deus. *Matth. 14.* *Ioh. 11.* *Ibidem.* *Potest ubiq; suis adesse Christus.*

cunque etiam clausi teneantur, nec murus, nec claustrũ, seu
Ioh.10. uectis illum impedire potest. Ego cognosco oues meas (ait
Matth.18. alio in loco). Et rursum, Vbi sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. Sic etiam diuum Petrũ inuenire nouerat in obscuris & profundis carceris latebris,
Ion.2. Paulum in medio mari, sanctũ Ionam in uentre cœti, & tres
Dan.3. Danielis socios in medio Babylonici camini ardentis; &c.

Tertiò quòd suis fidelibus in hoc Euangelio non semel, non bis, sed ter pacem precatur, documentum est, quòd nobis primò dat pacem conscientiæ nostræ, deinde pacem & reconciliationẽ cum Deo, & tertiò quoque pacem, securitatem & consolationẽ in externis aduersitatibus, imò arguit, illum non uelle quenquam mortaliũ ab hac sua pace exclusum esse. Nam prima salutatio ad Apostolos pertinet, eóque mox suas manus, pedes, latus inspiciendum dat. Secunda salutatio ad communẽ Christianæ religionis cœtum spectat, ideo statim subiicit, Sicut me misit Pater, & ego mitto uos: accipite spiritum sanctũ, &c. Tertia salutatio ad unũquemque pertinet fidelem speciatim: quapropter subito à discipulorũ multitudine ad Thomam sese uertit, & à Thoma rursus ad omnes fideles. Quia uidisti me (inquit) credidisti, Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Hoc igitur pacto terna ista pacis precatio denotat, quod non solum sancti Apostoli quòd ad ipsorum personas attinet, non solum sancta Christiana Ecclesia in genere, sed etiã quilibet fidelis pro se cum Deo in gratiam redierit, & recõciliatus sit, & in pace quam Christus optat, contineatur.

Pax triplex datur à Christo.

Trina Christi pacis precatio quid sibi uelit.

Quartò, quod ad sanctos Apostolos dicit, Sicut misit me Pater, & ego mitto uos: munus ipsorum illis indicat, imò potestatem dat prædicandi, & omnia sua bona dispensandi, ad ostẽdendũ, quòd nõ solum in Apostolorũ, sed in omniũ fideliũ commodũ cedere debet, quicquid fecit aut passus est. Quocircà Paulus se & alios Apostolos non aliter nominat, quàm ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.
1.Cor.4.

Quintò quòd in illos insufflat, & Spiritum sanctum hoc pacto illis largitur, propterea factũ est, ut hoc tutius Apostolis fidẽ habeamus, nec dubitemus, quin Dei uerbum sit & uoluntas, quod illi docuerunt prædicauerúntque. Et arguit ea res quoque, quòd nemo Apostolicum munus absque Spiritu sancto obire possit rectè, quẽadmodum Christus ipsemet dicit, Sine me facere, nihil potestis, interdicens illis etiam, ne Hierosolymis concederẽt, donec
Ioh.15.

Christus cur suis Apostolis sanctum spiritum insufflãdo aspirauerit.

donec cœlitus diuino afflati numine essent. Ad hęc Christus hoc suo afflatu & largitione sancti Spiritus, suis discipulis & fidelibus certam spem dare uoluit, quod post corporalem etiam suum discessum, nũquam tamen ueluti miseri orphani relinquendi essent, quemadmodum illis etiam ante sacrã suam passionem expressis uerbis promiserat. Sextò, quod ad illos dicit, Quorũ remiseritis peccata, remittũtur eis, &c. arguit Apostolorum potestatem ac munus, non externã functionem aliquam esse, ac potestatem, sed spiritualem administrationem, quæ ad animas duntaxat hominũ porrigitur, ad ligandas illas, aut soluendas. Septimò quòd in unius Thomæ gratiam octauo die redit, iterum pacẽ optat & annuntiat, iterum manus suas, pedes & latus inspiciendum & contrectandũ exhibet, nec desistit, donec Thomam etiam ut credat, adducat, indicium est, eum nolle ex suis quẽquam perire, sicuti & alio in loco dicit, Oues meæ non peribunt in æternũ, & nõ rapiet eas quisquam de manu mea. Et rursus, Pater, quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis periit, &c. Postremò, quod Christus dicit, Beati qui non uiderunt & crediderũt, arguit omnia bona, quæ Apostoli resurrectione Christi acceperunt, etiã ad nos pertinere, & omnium postremum Christianum hominem, qui iamiam labente mundo nascetur, æque salutem acquisiturũ, tantúmque habiturum in Christo, quantum ij, qui corporeis illum oculis conspexerunt, & manibus suis contrectarunt. De his omnibus, inquam, certos hìc nos facit Christus, dummodo in illum crediderimus. Ideò enim hæc omnia scripta sunt, quemadmodum Iohannes ipse sub calcem hodierni Euangelij ait, & fide quoque comprehendere & accipere oportet. Per fidem enim habemus Christum, & æternam uitam. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

Luc. 24. *Act. 1.* *Ioh. 14.* *Nõ uult Deus perire quenquam.* *Ioh. 10.* *Ioh. 17.* *1. Ioh. 5.*

TERTIVS SERMO CAVSAM *reddit, cur Euãgelistæ nõ omnes eundẽ in contexenda Euãgelica historia modũ obseruarint, unà cum adiuncta Epistola.*



HISTORIAM istius Euangelij audiuimus quoque Feria tertia proximè elapsa, sed tum ex Luca, hodie audimus eam ex Iohãne. Haud temerè fit, quòd ex utroq; Euãgelista legitur. Etenim primò caput huius historię per se ma-

gnum est & illustre, planéque dignum, quod Christo dicatis hominibus longè diligentissimè inculcetur, imprimatúrq;. Præterea singuli Euangelistę quid addiderunt, quod ab aliis prætermissum est, ídq; totum eiusmodi est, ut quod nō parū nostris rebus momenti adferat, ita ut indignum fuerit, uel unum ex iis uerbis omitti. Singulares etiā hāc ob rem Deo gratias debemus, quòd nobis non unū, sed quatuor Euāgelistas procurauit, quorū semper alius alio plura habet & indicat: quādoquidē unus omnia præstare non potuit, quemadmodum & Iohannes testatur sub finem sui Euāgelij. Multa quidem & alia signa fecit Iesus (inquit) quæ non sunt scripta in libro hoc, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribēdi sunt, libros. Itaque quod Iohannes dicit, idem & cæteri Euangelistæ dicere potuissent: nullus illorū omnia perscripsit, attamen nō est quod queratur aliquis nō omnia scripta esse. Cui animus est credere, huic abundè scriptum est. Porrò qui iis quæ scripta sunt, contentus non est, etiamsi præter priores, alios insuper quatuor Euangelistas haberet, haud tamen crediturus esset. Nec mouere quenquam debet, aut in dubium inducere, quòd Euangelistæ non æqualem omnes in scribendo formam sequantur. Apostata & perfidus Christi desertor Iulianus, & blasphemus Porphyrius causam quidē hinc captabant ad Euangelia nostra & fidem confutandam, eò quòd scribendo nō omnibus in locis concinant, aut iisdē uerbis utantur. Nos autem amplexamur, & pro singulari Dei dispēsatione, nec non forti confirmatione fidei nostræ Christianæque doctrinæ id ducimus. Etenim si Euangelistæ iisdem ubique uerbis uterentur, res suspitione non careret. Siquidem cogitare quis posset, alium ab alio descripsisse. At nunc eiusmodi suspitio locum non habet. Enimuerò quia non latet nos, sanctos Euangelistas longis terrarū spatiis à se inuicem disiunctos fuisse, quando Euangelia sua conscripserunt, utpote Matthæus in terra Iudaica, Marcus Romæ, Lucas in Græcia, & Iohannes in Asia: & tamen in fidei capitibus per omnia concinunt, tāto illis tutius fidere possumus.

Quatuor Euāgelistas Dei magno munere nos habere.

Ioh. 21.

Vt fidem nostram cōfirmet Euangelistarū dissimilis interdum narratio.

Euangelistæ ubi sua Euangelia conscripserint.

Hæc omnia eò dico, ne quenquam moueat, quòd Lucas & Iohannes hanc historiam tam dissimili modo descripserunt. Si caput rei spectes, nihil uariant: quòd Christus in die resurrectionis suæ discipulis suis & fidelibus uesperi apparuit, pacem precatus est, manus & pedes inspiciendos exhibuit.

buit. Hoc (inquam) uterq; habet Euangelista. Cæterû quòd Lucas dicit, Christum increpuisse illorum diffidentiã, & credendi difficultatem, coram illis cibum sumpsisse, scripturam interpretatum esse, hoc uerò Iohannes non habet. Ex aduersum, quod Iohannes ait, Christum discipulos suos Spiritu sancto donasse, & potestate remittendi peccata, hoc Lucas non habet. Veruntamen nihil nos mouet, etiamsi non omnia in singulo Euangelista inuenimus. Deo gratiam habemus, nihil horum omissum esse: siue Iohannes totum scripserit, siue is unam partem, & Lucas alteram in lucem produxerit, id nos iuxtà æstimamus. Quia igitur audiuimus, quomodo Lucas hanc historiam descripserit, par est nos audire quoque, quid de illa dicat Iohannes. Vtrobique longè iucundissimè descripta est, utrobique uerba aliqua cum pulchra tum consolatoria apposita sunt, utpote primò, Nónne uehementer consolatorium est, quod Christus in Luca dicit, Sic scriptum est, sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes? Nónne consolatorium est, quod dicit in Iohanne, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt? Vide, utrobique remissio peccatorum nobis promittitur, & non solum promittitur, uerumetiam datur donatúrque. Et quid nos homines, qui peccatis ac uitiis mademus, imò in dies scelera sceleribus cumulamus, melius & efficacius consolari potest, quàm quum in utroque Euangelista audimus, quòd Christus non solum remissionem peccatorum prædicari curat, sed etiam sanctis Apostolis iniunxit, ut eam dispensent in nomine ipsius? Sicut misit me pater (inquit) & ego mitto uos. Atqui ex Isaia constat, quamobrem Deus Filium suum miserit, nimirum ut Euangelium pauperibus annunciaret, saucia & contrita corda ligaret sanarétque, captiuis indulgentiam prædicaret, uinctis carcerem aperiret, mœstos consolaretur, illísque annum Domino placabilem prædicaret. Et Christus ipse in Luca non diffitetur, hæc uerba Isaiæ omnia ad se pertinere, & impleta in se esse. Et aliàs crebrò utitur huiusmodi uerbis, ut facilè intelligas, eum uenisse ad consolandos pauperes, ut cùm in Matthæo dicit, Non ueni uocare iustos, sed peccatores. Et in Luca, Filius hominis non uenit animas perdere,

Euangelistæ alii ut ab aliis omissa conscripserint.

Deus cur filiũ suum miserit in mundum.

Esa. 61.

Luc. 4.

Matt. 9.

Luc. 9.

dere, sed saluare. Et rursus, Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Et in Iohanne, Non misit Deus filium suum in mūdum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Et his & consimilibus sententiis clarissimè uidere est, quomodo Deus pater Christum filiū suum miserit. Eodem consilio, in eum ipsum quoque finem Christus suos Apostolos legauit. Nihil itaque miri est, hanc historiam bis nobis proponi. Si cōsolatorium est, quod scribit Lucas, remissionem peccatorum prædicari oportere in illius nomine, certè multò magis consolatorium est, quod Iohannes dicit, Christum dedisse discipulis suis spiritum sanctum, ut remissionem peccatorum dispensare possint in peccatores. Horum nihil nescire nos uoluerunt Euangelistæ, quo nobis maior suppetat occasio prædicandi gratiam Dei & misericordiam, & dicendi cum sancto Dauide: Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci retributiones eius. Qui propiciatur omnib⁹ iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Miserator & misericors Dominus: longanimis & multum misericors. Non secundū peccata nostra fecit nobis: neq; secundū iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundū altitudinē cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quomodo miseretur pater filiorū, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentū nostrum, &c. Ad hunc mundum Dei gratiam & misericordiā prædicare debemus, quoties audimus in hoc Euāgelio, quod Christus de remissione peccatorum hîc sit locutus. Atque hæc causa est, quam ob rem nobis historia ista bis proponatur, primò ex Luca, & deinde ex Iohanne. Sed est & alia causa. Loquitur quippiam Christus in utroque loco, quod ut omnium animis pro festorū Paschalium cōclusione infigatur, magna adhibetur diligentia, nimirū ubi Christus ait: Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Palpate & uidete: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Et in Iohanne ad Thomam: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Hæc uerba (inquam) quibus Christus de sanctissimis suis uulneribus loquitur, summo studio laboratur, ut probè nobis inculcentur: siquidem esse nobis possunt non solum præseruatiuum aduersus futurum mor

Ioh. 3. — *Christus cur suos miserit discipulos.* — *Psal. 101.* — *Vulnerū Christi commemoratio quid habeat energia.*

morbum, ne tam facile recidamus in pristinum peccatū, sed etiam illorum præsidio conseruare nos usq; possumus in amore & gratitudine erga Deū. Propterea mõstrat Christus discipulis manus & pedes suos, propterea iubet eos uidere & palpare. Sed quid aliud in pectore Christi uidetur, quàm merus & ineffabilis amor? Quid aliud in manibus eius uidetur, quàm durus labor, quē pro nobis subiuit? Quid in pedibus illius uidetur aliud, quàm exemplum ueræ obedientiæ, quam Deo patri semper præstitit? Quis amore non inflammetur, si amorē Christi iugiter in memoria habeat? Diligamus eum (inquit Ioannes) quoniā prior dilexit nos. Quem pigeat propter Deū aliquid facere aut pati, si reputet secum immensos Christi labores? Certè non est seruus supra dominum, discipulus non supra magistrū. Quem non etiā pudeat, in uia peccatorum currere, quum uidet & recordatur, Christū semper in obedientia Dei ambulasse? Meus cibus est (inquit) ut faciam uoluntatem patris mei. Et iterū, Non quæro uoluntatē meam, sed uoluntatem eius qui misit me. Rursus, Sicut mandatū dedit mihi pater, sic facio. Videte fratres, hac de causa bis nobis ꝓponitur, quòd nobis Christus suas manus, pedes & latus ostēdit, & iubet nos illud inspicere & contrectare. Et qd facere melius possumus, quàm sic ex hoc Euāgelio fidem nostram cōfirmare, & exemplum ex eo capere ueræ obedientiæ & pietatis? Hoc dominicam Paschæ & festa uerè concludere est. Tum genuini Dei filij essemus, tum liberè possemus fidere uerbis, quæ Ioānes dicit in hodierna Epistola, ubi inquit, Omne quod natum est ex Deo, uincit mūdū, &c. Hęc hodierna fuit Epist. Hìc ergo apparet, quàm homo in portu nauiget, qui Christo incorporatus est uera fide ac charitate: imo hìc Ioānes docet filium Dei toto mundo fortiorē esse, indicans interim huiusmodi robur nō in nostris uiribus, sed in fide cōsistere, ueluti etiā Paulus fidē nostrā appellat scutum, in quo posimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ne tamē in fide qs erret, ꝑgit ostēdere Iohānes q̄ sit uera fides tam fortis & potens, nimirū quādo creditur, ꝙ Iesus est filius Dei. Et postremò, ne quis pro re impoßibili ducat, fidē tantā in se uim habere, indicat porrò, unde fortitudo fidei nostræ nascatur. Enimuerò nulla alia fides tā magna támq; illustria testimōia habet, q̄ nostra fides. Quid falsū minus q̄ Deus ipse? Et hic est, qui fidei nostræ testimoniū ꝓhibet. Scimus Deū patrem

Vulnus pectoris. *Vulnera manuum.* *Pedum.* *1. Ioh. 4.* *Matt. 10.* *Ioh. 4.* *5.* *14.* *Ex Christo obedientiæ & pietatis exempla capienda.* *Ephes. 6.* *Vera fides quæ sit.*

cœli

Matt. 3. cœlitus dixisse, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui: ipsum audite. Scimus hanc fidem à Deo doctã esse. Scimus deinde tertiò, quòd Deus spiritus sanctus per hanc fidem sese effundit in corda hominũ. Aqua & sanguis, qui è latere Christi profluxit, spiritus quem in cruce emisit, imo aqua in qua baptizati sumus, spiritus quẽ in baptismo accepimus, tum quoq; sacrosanctũ corpus & pretiosus sanguis, quem quotidie in sacramento suscipimus, non fallent nos, nec aliud sunt, quàm certissima testimonia fidei nostræ. Quisquis igitur in Christũ credit, is fidei suæ testimonium habet de cœlo & terra. Tãto minus de ea ambigere, imo tanto alacrius ea niti debet in omni afflictionũ tumultu, & contra omnes hostes. Quid enim mundus cum principe suo aduersus eiusmodi fidẽ posset, quam Deus ipse cõfirmat? An non hoc millies, ne dicam iterũ millies probatũ est, & testatũ factum in tot sanctis Martyribus? Audi quæso, qd unus Vincentius ad suum tyrannũ dicat, qui terrore & minis eum à fide abstrahere conabatur: sed quid dicit Vincentius? Agè ergo, quicquid uiriũ, quicquid potestatis tibi est, palàm reluctor, exere. Vox nostra quæ sit accipe. Est Christus, est pater Deus, serui huius & testes sumus, extorque si potes fidẽ, tormẽta, carcer, ungulę, stridénsque flãmis lamina, atq; ipsa pœnarũ ultima, mors Christianis ludus est. Hîc audis, quàm hic Martyr alacriter de sua fide loquatur. Et hac quidem fide Martyr uincebat Tyrãnũ, ridebat illũ iam supplicium patiens, hominẽ impium hac constantia plus affligebat, quàm Tyrannus ipsum poterat. Tantò honorabilior & pretiosior fides, tantò chárius hodiernum istud Euãgelium nobis esse debet, ex quo fidẽ nostram tam mirificè corroborare possumus, tanto diligentius attendere debemus, quid Iohannes de eiuscemodi nostra fide dicat & scribat. Sed hac de re aliàs. Deus nobis omnibus suam largiri dignetur gratiam. Amen.

Fidei nostræ certa documẽta quæ.

S. Vincentius. Ex Prudentio.

QVARTVS SERMO DE PRINcipio hodierni Euangelij.

Ioh. 20. Qua die Christus suis apparuerit discipulis.



CIRCA hodierni Euangelij initium cumprimis obseruandũ est, quod Iohannes tam exertè describit, qua die, qua hora, quo item loco Christus suis discipulis in commune apparuerit. Nam dum dicit factũ esse una sabbatorũ, quod

quod Hebræis perinde est,ac si dixisset,prima sabbatorum, significatū nobis est, qua die id acciderit. Cęterùm dum dicit, Cùm sero esset factū etiā hora istius apparitionis est nobis indicata. Quod aūt additū est, Cùm fores essent clausæ, cōijcere nobis datur, hāc apparitionē nō apud monumentum,ut mulierib⁹, nō in uia,ut Cleophæ eiúsque comiti,nō iuxta mare,ut nōnullis ex Apostolis,nō in mōte Galileæ,ut discipulis in cōmune,sed in domo factā esse.Horū autē oīm Iohannes nihil absq; singulari & magna causa tā diligenter descripsit.Primò nāque, qđ statim ut cæteri Euāgelistæ tam euidenter indicat,qua die resurrexerit Christus, nimirū prima die sabbati,quę tertia erat dies à passione Christi, principio factū propterea est, ut uerbis Christi fides firmaretur, qui non semel, sed sæpius ante passionē suam dixerat fore, ut tertia die resurgeret à mortuis. Vt in Iohanne dicebat ad Iudæos,Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.Loquebatur autem de templo corporis sui.Et in Matthæo, Sicut fuit Ionas in uētre cœti tribus diebus & tribus noctibus : sic erit filius hominis in corde terræ trib⁹ diebus & tribus noctibus.Et rursus, Ecce ascēdimus Hierosolymā, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis,&c. Sequitur, Et tertia die resurget. Secundò indicat Iohānes,tam clarè Christū tertia adeò die resurrexisse,propter mysteriū,quod in tribus hisce diebus latet & cōprehenditur. Etenim tres dies nobis Deus destinauit, nimirū unū diem laboris in hac uita,alterū quietis post mortem, tertiū resurrectionis in extremo iudicio. Hosce tres dies Christus in seipso expresit,idcirco ultra tertiā diem in sepulchro nō mansit, docens,ut & nos trium dierū spatio cōtenti simus. Nam mundi cultores nihil æquè expetunt, quàm quartam etiam diem, utpote diem quietis, gaudij & otij in hac uita. Illam autem diem Deus non fecit,& propterea dicit scriptura,quatriduanum Lazarum fœtere. Nam eiusmodi homo, qui etiā in terris quietē,gaudiū,& uoluptatē captat,nec tribus diebus cōtētus est, is uere putet corā Deo & omnibus electis. Cæterùm quòd Christus suis discipulis in commune uespere primùm apparuit,documēto est,quomodo De⁹ suos fideles tractet, nimirum quòd auxilium suum, & solatium nonnunquā diu differat quidem,sed tandem tamen ueniat, ut Abacuc ait, Si Deus moram fecerit, expecta illum ; quia ueniens ueniet, & non tardabit. Sic Christus toto

Qua hora.
Quo loco.
Ioh.2.
Matt.12.
Matt.20.
Tres dies mystici.
1.Laboris.
2.Quietis.
3.Resurrectionis.
Quartus dies quorum sit.
Ioh.11.
Abac.2.

toto die suæ lætæ resurrectionis suspensos tenebat, sed tamen consolabatur eos, priusquam nox increbresceret: quãdoquidem nox per se tristis, imo formidabilis est. Meritò autem & commodè prorsus Christus discipulis suis congregatis uespere primum apparuit, quia nobis tanquam seruator non in initio, non in medio, sed in fine & ultimis temporibus apparuit. Nũc enim uespera mũdi appetit, quam profectò nox incipiet, & quidem breui. Proinde uide, ne reliquum diei tempus inutiliter prætermittas. Propterea quoque Christus dicit, Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Propterea extremum istud mundi tempus toties in diuinis literis nobis proponitur, ut cùm Iohannes ait, Nouissima hora est fratres. Et Paulus, Tempus breue est. Et, In nos fines seculorum deuenerunt, &c. Porrò quod Iohãnes dicit de clausis foribus, indicat primum, hanc apparitionẽ in domo factam esse, deinde etiam demõstrat diuinam potentiã Christi, quã neq; portæ neq; muri præpedire aut excludere possunt: ostendit itẽ naturam & conditionem glorificati corporis. Manichæus Archihæreticus hinc inferre uolebat, Christum haudquaquã uerum habuisse corpus, sed speciem tantùm, & effigiem corporis exhibuisse. Non poterat imaginari cæcus homo & cogitare, Christum iam glorificatum & immortale corpus suscepisse, & Iohannem non loqui de puroputo homine, sed de omnipotenti filio Dei. Is enim quia cuncta ex nihilo cõdidit, & uniuersæ creaturæ cum ipso collatæ tanquam nihil reputatæ sunt, liberũ est ei quod uult facere, & unaquaq; re uti pro arbitrio suo. Imo tum magis admiratione dignum foret, si hæc non posset. Sic cùm uellet deduxit se terra, & deuorauit Dathã & Abyron: cùm uellet cessit mare Israëlitis, & submersit Aegyptios. Sic Apostolos suos educebat è carcere, ut ministri dicerent, Carcerem quidẽ clausum inuenimus cum omni diligentia: aperientes autem, neminem intus inuenimus. Si itaq; Christus suos Apostolos, quum adhuc mortales & in mortali corpore essent, è carcere educere potuit, quid usq; adeò mirandum est, si ipsemet post resurrectionem suam, & in glorificato suo corpore per clausum ostium ad suos discipulos intrauit? Verùm quod discipuli ianuam clauserant, reddit causam Iohannes, factum esse ob metum Iudæorum, quia nondum animi illorum per spiritum sanctum confir

Ioh. 9. *1.Ioh.2.* *1.Cor.7.* *1.Cor.10.* *Error Manichei.* *Num.16.* *Psalm.105.* *Exo.14.* *Ioh. 20.*

confirmati erant. Mox uerò ut Spiritum acceperant, non solum portas aperiebant, sed ultro prodibant in hominũ conspectũ, palàm prædicabant, nihil etiam metuentes, neq; minas neq; mortes. Idem nobis quoq; usu uenit: in periculis timet & stupet natura, cæterũ quando gratia & amor per Spiritum sanctũ in corda nostra effusus diffluit, omnem metũ expellit. Alioqui hac etiã de causa discipuli forte ianuã clauserunt, quòd de rebus inter se conferrent, ad quas peregrinos non putabant admittendos. Aut etiã propterea forsitã, quo secreti' & à nemine impediti orationi uacare possent, quemadmodum illos docuerat Christus: Tu cùm oraueris, intra in cubiculũ tuum, & clauso ostio, ora patrem tuũ in abscondito, &c. Sed iam uide quęso, quid hic Apostoli & primi fideles agant. Tempestas passionis & persecutionis eos dissipauerat, uti illis prædixerat Christus. Nunc autem illico rursus cõgregabantur, sciebant enim ex Salomone, melius esse, duos esse simul, quàm unũ, & fratrem qui adiuuatur à fratre, esse quasi ciuitaté firmam. Quemadmodũ uerò boni semper amoré & concordiã quærunt ac amant: ita mali nunquam non discordiæ & rixis student, eásq; sectantur. Nõ solum auté discipuli congregati erant, uerùm etiã loquebãtur de Christo Domino. Ideóq; mox conspicuũ se illis dabat, nã hæc tria ubi sunt, timor, amor concordiæ, piũ colloquiũ, haud lõge abest Christus. Proinde statim sequitur, Venit Iesus, & stetit in medio illorũ. Id re comprobauit: stetit in medio eorum, tanquam uerus mediator inter Deum & homines. Secundò uerò propterea etiam, ut illum omnes pariter uidere possent, & omnes similiter animũ reciperent. Tertiò quoque significabat, se non longè abesse uelle ab unoquoque eorum, imò se omnibus suis fidelibus quàm proximum fore, pauperibus non minus quàm diuitibus, gentibus non minus quàm Iudæis. Non enim est personarum acceptor: sed in omni gẽte qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Quæ res optimo cuique Christiano magnũ adfert solatiũ, præsertim si originem suã à gentibus ducat, ut omnes ducim'. Nam olim Deus nõ in medio hominum, sed seorsum & in angulo stabat, quoniã in terra Iudæa solũ & apud Hebræos notus erat, cæterum nunc in medio consistit. Et quid facit amplius? Pax uobis, inquit. Non temere, non absque singulari causa Christus uictor mortis discipulis suis hanc salutationem attulit, quum primum ad illos

Gratiæ quanta efficacia.

Cur fores disci puli Iesu clauserint.

Matth.6.

Eccle.4.

Prou.18.

Boni concordiæ, Mali dissentionis studiosi.

Christus, ubi adsit.

Pacē cur Christus suis rediuiuus precatus sit. ueniret post resurrectionē suā, quinimo certi aliquid & magni per id nobis significauit. Vtpote primò, quoniam discipulos suos docuerat, ut ingressuri domū aliquam, prius pacem precarentur, uoluit & ipse hanc doctrinā obseruare. Secundò propterea illos in sua resurrectione pacem precatus est, quia in decessu suo dixerat, Pacem relinquo uobis, pacē do uobis. Quod tum illis relinquit, hoc iam attulit & auxit.

Tertiò ob id discipulis suis pacem precatur Christus, siquidem pace omniū maximè opus habebant. Postquam mirū in modū perturbati & penè exanimati erant, ob præteritam passionem Christi, necnō ob capitale odium & inimicitias, quas gerebant Iudæi aduersus illos, deniq; ob dubios & pusillanimes ipsorū animos. *Pacis encomiū.* Quartò pacem illis precatur, eo quòd pace nihil in terris melius præstantiúsq; est, ut quam omnes mortales expetunt, & ob quam nihil non faciunt & moliuntur. Imò adeo res præstans est etiam externa pax, ut absque illa homini nihil iucundū & suaue esse possit. Quanto igitur optabilior erit pax conscientiæ, & pax cum Deo? Quo itaque illam pacem, illud bonū disceremus etiam magni pendere & quærere, hac salutatione Christo uti nunc uisum fuit. *Fructus Dominicæ passionis.* Maximè uerò Christus hac salutatione ostendere uoluit uerū fructum suæ passionis. Quoniam enim peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, uti Petrus ait, & chyrographū cōdemnationis nostræ deleuit, af- *1.Pet.2.* figens illud cruci: & expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triūphans illos in semetipso, uelu- *Col.2.* ti Paulus dicit, non immerito discipulos pace impartiit, perinde ac si dicat, Quia propter uos mortem obij, Deū uobis reconciliaui & in gratiam reduxi, nunc illi uobiscum bene conuenit, nunc uos amore prosequitur, nūc liberè ad illum accedere potestis, & dicere, Pater noster qui es in cœlis, &c. Itaque quod Christus sacra sua passione consecutus est & promeruit, nēpe pacem cum Deo & in nostra conscientia, hoc uerbo isto impartit. Etenim dona Christi non ideo mea sunt, quòd parta sunt, sed quia mihi per uerbum Dei seu Euangelij contribuuntur. Hinc palam fit, unde nobis tanta felicitas contingat, quòd pacem habemus cum Deo, nimirum non ex nobis ipsis, sed ex Christo. Per ipsum (inquit Paulus) *Ephes.2.* habemus accessum ad patrem. Quapropter illi hoc transcribendum est, non nostris ipsorum meritis. Res igitur profectò magna est, quòd Christ⁹ nos salutat, & pacem precatur.

Quis

Quis enim alioqui non desperaret in suis peccatis, quibus Christum crucifixit, ni Christus ipse diceret, pacē esse? Summa, hæc salutatio Christum optimè decuit, maximè rediuiuum, decet illa in hodiernum usque diem omnes Apostolos & doctores Euangelicos, quoniam & ipsi sunt & esse debēt Angeli, & nuntij pacis, ut eos uocat Isaias. Quod autem Christus post salutationem suam, mox manus & latus suum Apostolis inspiciendum præbet, Lucas causam recenset. Existimabant, inquit, se spiritum uidere, ideo ostendit eis corpus suum, quin etiam palpare iussit, ut ne dubitare possent, quin uerum corpus haberet. Peculiariter autem ostendit eis manus suas & pedes, quo uiderent ac discerent, cum nō solum corpus habere, & non esse pręstigiū, sed illud ipsum corpus habere, quod antea habuerat, & quod in cruce dependerat. At enim magni refert, imò tota nostra spes in hoc posita est, ut sciamus, eum ipsum Christum, qui in cruce mortuus est, à mortuis resurrexisse, & quidem in pristino suo corpore. Quî enim alioqui futuram resurrectionem corporum nostrorum sperare possemus, ni Christus propriū suum corpus iterum excitasset? Hinc fit, quòd Paulus tam magnificè & prolixè ad suos Corinthios scribit de eiusmodi resurrectione corporum nostrorū. Extiterunt enim Hæretici, quorum alij asseuerabant Christū fuisse absque corpore, alij uerò cum alio corpore resurrexisse. Vtrosque istos mendacij arguit Christus, dum Apostolis manus suas & latus ostēdit. Isa. 33. *Manus & latus cur Christus ostēdit suis.* Luc. 24. I. Cor. 15.

Hac ipsa de causa non apparuit illis in sua gloria, neque gloriam illis glorificati sui corporis detexit, siquidem eā imbecilles illorum oculi nihilo magis ferre potuissent, quàm cum transformaretur coram illis in monte, ubi procidebāt in facies suas. Idcirco hîc solùm uulnera sui corporis illis ostendit, quo fidem faceret, se uerè resurrexisse. Secundò cicatrices suæ passionis in corpore suo propterea seruauit, ut essent ceu nobiles margaritæ inclyti uictoris, imò tanquam illustria signa, ornamenta, & testimonia pacis, quam partus erat. Potuisset quidem eadē illa uirtute, qua ex mortuis resurgebat, & corpus suum exanime ad uitā reuocabat, etiam uestigia clauorū & lanceæ à corpore delere, sed uolebat eiusmodi signa in conspectum patris deferre, tanquam certissima argumenta sui amoris & obedientiæ, tanquam fidelissima & honorificentissima patrocinia nostræ causæ coram Deo, tanquam perpetua incitamenta ad sui amorem, & *Gloria corporis sui rediuiui cur Christus suis absconderit.* *Vulnerum cicatrices cur seruarit Christ⁹.* *Christus ut etiamnum suū latus et manus ostendit nobis.*

tanquam sempiterna contra improbos testimonia. Etenim sancta uulnera Christi exprobrant malis suam incredulitatem, bonis uerò spem præbêt, & omnem desperationis causam adimunt: quandoquidem palàm declarant, qualẽ Christus amorem erga nos habuerit, & adhuc habeat. Porrò spiritualiter in hodiernum usque diem nobis ostendit Christ⁹ suas manus, hoc est, sua opera, quæ nostra causa fecit: ostendit nobis apertum suũ latus, imò cor suum mero amore saucium, quo etiam nos ad amorem & bona opera pelliceat.

Et quo tandẽ res euadit? Gauisi sunt discipuli (inquit Iohannes) uiso Domino. Et quomodo non fuissent gauisi? Quippe res oppidò magna est, uidere Dominũ, nec minor

Ioh.16. res est uera pace frui. Et ita iam euenit, quod Christus prædixerat quòd sancta hæc mulier, fidelium cõmunio, quæ præteritis tribus diebus ingentes dolores perpessa fuerat, incipiebat sui præteriti doloris obliuisci, posteaquam Christus nunc denuò natus, & à mortuis excitatus est. Hîc demum apparet uerus fructus resurrectionis Christi, qui aliud nihil est quàm pax & gaudium in Spiritu sancto. Verùm hîc obserua, qua re gaudeant discipuli, nimirũ non bonis temporariis, aut mundana lasciuia, sed præsentia Domini. Vt enim absentia Christi causa illis fuerat doloris: ita præsentia illius, causa erat eis mirifici gaudij. Hinc postremò liquet, quàm

Fructus uerus dominicæ resurrectionis.

Tob.3. uerè Sara de Deo dixerit, facere eum post tempestatem trãquillum, & post lacrymationem & fletum exultationem infundere. Deus Optim. Max. nos eiusdem gaudij participes faciat, Amen.

QVINTVS SERMO DE ALtera parte hodierni Euangelij.



PROXIMO sermone audiuimus, quando & quomodo Christus suis discipulis in commune & primùm apparuerit, nimirum primo die sabbathi, quũ iam esset uespera, cum imprecatione & annũtiatione pacis, & manifesta ostẽsione manuũ suarũ, laterísq;: unde consecutũ est, ut omnes exhilarentur. Quia uerò hęc apparitio non in illorũ tantum, sed omnium fideliũ gratiam fiebat, non hoc contentus erat Christus, sed denuò incipiebat, & iterũ pacem illis precabatur. Videbat enim eos ob summam admirationem nonnihil adhuc perturbatos esse, uti Lucas dicit, gaudiũ, pauor & admiratio

miratio mixta erant. Tũ propterea etiam pacem illis precatur iterũ, quo moneret, non fabulã esse aut nugas, quę prius de pace inter Deum & homines dixerat, sed ne dubitarent, quin Deus certò humano generi recõciliatus esset. Tertiò bis pacem illis precatur, eò nimirũ, quòd geminã nobis pacem cõparauit & dedit, pacem scilicet gratiæ in hac uita, & pacem æternæ glorię in altero seculo. Quartò, ideo pacem bis precatus est, ut ostenderet, nõ solos Apostolos hac pace frui debere, sed per ipsos illam cunctis mortalibus prædicari oportere, quemadmodũ & Paulus dicit. Deus erat in Christo, mundũ recõcilians sibi, & posuit in nobis uerbum recõciliationis. Postremò Christus hac crebra pacis annũtiatione nos omnes excitare uoluit, ad pacis studiũ, siquidẽ in animis hominũ nihil iucundius & suauius, in uita nostra nihil decentius, in uirtute nihil sublimius est pace: & pax erit omnia, quæ in beatitudine habituri sumus. Quòd autem Christ⁹ mox subiicit, Sicut misit me pater, & ego mitto uos, uerã causam reddit, quã ob rem bis dixerit: Pax uobis, imo per hoc indicauit, effecisse se, ut sancti Apostoli, quod ad ipsorum personas attinebat, pacẽ haberent, & per illos quoque missurũ se nobis pacem. Idcirco primum illud, Pax uobis, ad solos Apostolos pertinet. Alterum uerò ad nos & omnes fideles spectat, quẽadmodũ supra ex Paulo demõstraui. Atque ita Christus in secunda salutatione nostri quoq; memor fuit, perinde ac si dicere uoluerit ad Apostolos, Nõ satis est uos uidisse me, & pacẽ assecutos esse, non uestra tãtum causa ueni, ideo & alios ad pacem promoueã oportet. Vt igitur misit me pater meus, ut pacẽ farciam: ita ego mitto uos, ut pacem annuntietis. Et hîc considera ineffabilẽ Christi amorem erga nos, quòd uostri fuerit memor, imò doctores ac ministros salutis nostræ destinauerit, priusquam etiã nati eramus. Secundò Christus suis Apostolis prædicandi authoritatem dedit: nam quî alioqui prædicarent, nisi à Deo missi essent? Ne itaque uideri possent propria authoritate uel potius temeritate prædicandi functionem sibi usurpare, ut olim Pseudoprophetæ faciebant, de quibus Deus dicit, Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Quod ut euitaretur, palàm hic Christus Apostolis prædicandi dat potestatem, quo & nos illis fidem habere non timeamus. Quinimò hoc uerbo illos Christus constituit & fecit dispensatores myste-

Pax gemina per Christum nobis conciliata.

Pacis commendatio.

Christi charitas erga nos.

Rom. 10.

Hie. 3.

1.Cor.4. riorum Dei,& bonorum suorum omnium,ueluti Paulus ait. Est enim uerborum istorum hæc sententia. Est quidem remissio peccatorum,uita,iustitia,cœlum, nihilque non boni per meam passionem ac mortem acquisitum & emptum,cæterum nondum dispensatum. Quam ob rem ego nunc uobis meis Apostolis dispensationis munus concredo. Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. (Mar.16.) Ad hæc pulchrè Christus in hoc uerbo descripsit munus Apostolicum,maximè in eo ubi dicit: Sicut misit me pater. (Ioh.3.) Atqui uerò Deus filium suum non propterea misit,ut mundum iudicaret damnarétue, aut animas perderet, sed ut mundus per eum saluus fieret, & animæ seruarentur. Sic Christus legauit discipulos suos,ut peccatores ad pœnitentiam uocarent,ægrotos subleuarent,&c.& dispensando spiritualia bona non suam ipsorũ, sed Dei uoluntatem exequerentur. (Mat.10.) Quemadmodũ Christus ipse de se loquitur,Descendi de cœlo,non ut faciã uoluntatẽ meam,sed uoluntatem eius qui misit me,Patris. (Ioh. 6.) Postremò uidemus quoque circa hanc uocẽ, quo affectu Apostoli eorúmq; posteri esse debeant. Sicut misit me pater(inquit Christus)& ego mitto uos. Atqui non ueni ministrari,sed ministrare,etiam usque ad sanguinis effusionẽ,& uitæ discrimẽ. (Mat.20. Ibidem.) Sic & uos ego mitto,non tanquam dominos,sed tanquã ministros. Nam qui uoluerit inter uos esse primus,sit uester seruus. Item,nõ me misit pater,ut studerẽ uoluptati in terris: sic ego mitto uos, non ut suauiter & delicatè in terris agatis,sed ut omnia malorum genera experiamini. In mentem igitur uobis redeat, quod dixi uobis uerbum, Non est seruus maior domino suo,&c. (Ioh.13.) Quod mihi euênit,idẽ uobis eueniet. Postremò misit me Pater,nõ ut fabulas,somnia & incerta,sed Euangeliũ prædicarem:sic & ego mitto uos. Quo autem legatio illa plus haberet authoritatis,pergit Iohan.dicere, Hoc cùm dixisset,insufflauit. Nusquam loci legitur Christus similiter fecisse. Quapropter clarissimè hîc uidemus,Christum etiã sanctos suos Apostolos non absque peculiaribus ceremoniis & magnificentia ad prædicandi & pascendi prouinciã asciuisse, quo maior fieret eorũ existimatio,ueluti nunc ea ipsa de causa quoque peculiares ceremoniæ adhibentur, quando sacerdotes & Ecclesiæ ministri initiantur:quinimo sacræ indicant literæ, etiam sacerdotes & Leuitas ueteris testamenti summa cum dignitate initiatos fuisse. At enim Christus

Vsus ceremoniis etiã Christus.

Ceremoniæ ergo sacris initiandos.

ſtus eiuſmodi figuras ueteris teſtamenti, in ueritatem commutauit, & Eccleſiæ miniſtros per ſeipſum facit perfectos. Id autem faciebat externi olei effuſione, ſed afflatu diuini Spiritus. Hunc ſuis Apoſtolis inhalauit, nō tanquam homo, ſed tanquam Deus, & quemadmodum in prima conditione homini inſpirauit Spiritum uitæ: ita nunc inſpirat ſuis Apoſtolis Spiritum ſanctum. Interim tamen docemur quoque, Chriſtum ſua dona per duo media diſpenſare, nimirum per uerbum ſuum, & ſacroſancta ſacramenta: ſic hìc ſuis Apoſtolis largitur Spiritum ſanctum, primò externo ſigno, deinde etiam uerbo illo quod dicit, Accipite Spiritum ſanctum. Hîc obſerua primum, quòd Chriſtus antequam ſuos Apoſtolos amandat ad prædicandum, & diſpenſandum ſua bona, illis Spiritum ſanctum impartitur, quæ res ſatis declarat, Spiritu ſancto unicuique opus eſſe, qui Apoſtolico munere fungi uelit. Spiritum ſanctum (inquam) illis dedit: Alioqui enim myſterium Chriſti intelligere non potuiſſent, neque alios recte docere, niſi prius à Spiritu ſancto edocti fuiſſent. Nam nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Secundò nunquam facere potuiſſent, quod gratum fuiſſet Deo, neque effugere laqueos peccatorum, niſi cœlitus animi illorum maiori fortitudine fuiſſent corroborati. Vnde & Samuel olim ad Saulem dicebat, Inſiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in uirum alium. Hinc eſt item, quod Paulus ait, Abundantius omnibus laboraui: ſed confeſtim ſubiicit, Non ego autem, ſed gratia Dei mecum, &c. Et quod Iſaias dicit, Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt. Et quanquam dictum Prophetæ Ioëlis de promiſſa effuſione ſancti Spiritus in omnes homines, in die Pentecoſtes primum uere impletum eſt, attamen Chriſtus etiam hac uice ſuis diſcipulis Spiritum ſanctum impartiit, ſignificans ſe illum eſſe, qui unà cum Patre Spiritum ſanctum largiatur, & dare poſsit, quodammodo præludens ad generalem illam Spiritus ſancti effuſionem paulò poſt ſecuturam. Itidem enim in cæteris rebus fecit. Quod cūctis mortalibus uniuerſim promittebat, id prius in certis quibuſdam perſonis exhibuit. Sic promittebat in Iohanne ſe ad uitam reuocaturum omnes uita defunctos. Venit hora (inquit) quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint, uiuent, &c. Id uerò antea in certis

Gen. 2.

Chriſtus per qua media gratiam diſpēſet.

1. Cor. 12.

1. Re. 10.

1. Cor. 12.

Iſa. 40.

Ioē. 2.

Act. 2.

Ioh. 5.

quibusdam hominibus ostendit, cóprobauítque. Sic & hoc loco facit, ante passionem suam promittebat Spiritum sanctum se daturum suæ Ecclesiæ, ubi reuerteretur ad Patrem. Antequam illud tempus aduenerat, imo pro certissimo argumento & symbolo huius sui promissi, Apostolis suis núc impartit Spiritum sanctum, ueluti loco pignoris, quo ipsi & omnes fideles scirent generalem quoque sancti Spiritus effusionem non fore nullam. Et quãquam sancti Apostoli antea etiam diuino numine afflati erant (aliàs enim Christum secuti non fuissent) attamen nunc illud plenius acceperunt.

Ioh.14.16.

At uide iam, quàm grauiter dicat Christus, Accipite (inquiens) Spiritum sanctum. Hìc clarissimè ostensum est, Spiritum sanctum non solum à Patre, uerumetiam à Filio procedere, contra errorem Græcorum, qui aiunt, Spiritum sanctum à solo Patre procedere. Porro unum adhuc obserua, quòd Christus bis Spiritum sanctum impartitus est, núc ad remissionem peccatorum, deinde uerò in die Pentecostes ad distributionem donorum. Item semel largitus est Spiritum sanctum in terris, ad doctrinam, ut proximum nostrũ diligamus. Secundò Spiritum sanctum cœlitus dedit, quo ad Dei etiam amoré prouocaremur. Sequitur, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Hisce uerbis indicat Christus, qua ratione & quem in usum suis Apostolis Spiritum sanctum communicarit, nimirum ad remissionem peccatorum, nec pro Apostolis tantum, sed ut eundem illum Spiritum sanctum etiam aliis hominibus per sermonem Euangelicum, & in hoc cõprehensa sacramenta, elargirentur. Perinde est, ac si dixisset, Obtinui uobis à Patre meo remissionem peccatorum, id quod summum Dei beneficium est ac donum. Beatus enim, cui remissæ sunt iniquitates. Deo utitur benigno, pace fruitur in suo corde, conscientiæ nullos sentit stimulos, mortem non uidebit uitam æternã deniq; possidebit. Nã quòd Deus irat⁹ in homines est, id fit solũ ex peccatis, imò quòd homines cruciatibus, pœnis, plagis, morbis, morte denique afficiuntur, ex solo id peccato oritur. Etenim stipendiũ peccati, mors est. Quocirca remissis peccatis, nihil officit, etiãsi mors aliáque externa incommoda nobis adhærescát. Quare deligo ego uos meos apostolos, & cõfirmo, seu obsigno corda uestra Spiritu sancto ad uerbum Euangelij, ut abeuntes in uniuersum orbem, lętum hoc nuntium de remissione peccato

Spiritus sanctus à patre filioq; procedit.
Spiritus sanctus cur bis à Christo datus.
Psal.81.
Ira Dei unde.
Rom.6.

peccatorum cunctis mortalibus prædicetis, annuntietísq;, imò ut illam adeò remisſionem peccatorũ, per prædicationem Euangelij & Christiana sacramenta dispensetis, atque ita, ut qui illud uerbũ & sacramenta receperit, certus sit de remisſis sibi peccatis, nõ secus ac si ex meipso uerbum illud audisset. Itaq; uidemus hîc, quòd quẽadmodum principis alicuius uiri legatus omnia uerbo illius, à quo missus est, mãdat & gerit, ita etiam sancti Apostoli eorúmq; posteri, quãdo nos à peccatis absoluunt, & liberos dicunt, nõ suũ proprium, sed Iesu Christi uerbum annuntient nobis. Quum ergo illis credimus, Christo credimus. Atque hæc est authoritas dignitásq; Apostolorum, cui nulla externa & mundana potestas par est, hæc (inquam) est authoritas, ob quam Deo immortali nunquam satis dignas gratias agere possumus. Etenim quid auditu iucũdius est? Quid nobis æquè necessarium est, atq; hæc potestas? Hanc potestatẽ tuto & confidenter iactamus in confesſione fidei nostræ, ubi dicimus, Credo sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remisſionem peccatorum. Quanquam autẽ solũ diuini sit operis, Deóq; proprium, cõdonare peccata, attamẽ de Apostolis quoq; dicitur, quòd peccata remittant, nõ simpliciter, ut ea Christus aut Deus remittit, sed quòd media adhibeant & ministrẽt, per quæ Deus remittit peccata. Media autẽ illa sunt, uerbũ Dei & sacramẽta, de quibus mediis Christus loquitur in Matthæo, Eũtes docete omnes gẽtes, baptizantes eos, &c. Præcipuè uerò absolutio, quæ in sacerdote post cõfesſionẽ cõfertur, hoc uerbo subnixa est, & deinde etiã auricularis cõfesſio peccatorũ, quãdoquidẽ ex sacris literis manifestisſimè cõstat, nemini remitti peccata, nisi prius cõfiteat̃, quẽadmodũ alibi ꝓlixè demõstraui. Ne qs autẽ temere ꝑsuasũ habeat, se ꝑ suo lubitu peccata remittere & retinere posse, præmisit Christ⁹, Accipite Spiritũ sãctũ. Nã hos solũ absolui oportet, & liberos dici, quos sanct⁹ Spirit⁹ iubet absolui. Et iis solũ pctã retinere oportet, quos sanct⁹ Spirit⁹ nõ absoluit. De⁹ nos oẽs sua donet gratia, Amẽ.

Absoluimur à peccatis per Apostolorum successores.

Apostoli ut peccata remiſerint.

Media per quæ peccata condonantur.

Mat. 18.

Absolutio in confeſsione Sacramenti.

Confeſsio auricularis necessaria.

SEXTVS SERMO DE *ultima hodierni Euangelij parte.*

PROXIMIS duobus sermonibus audiuimus, qd Christus Dominus noster, inter discipulos suos locutus sit ac fecerit, cum illis cõgregatis primum post resurrectionẽ suã

appareret, uespere primi diei, qui Iudaicum sabbatũ sequebatur. Ea omnia fuerunt eiusmodi, quæ homini fideli exuberantissimum gaudium & solatium adferunt, quẽadmodũ aliqua ex parte ostensum est, atq; ita, ut homo pia mente præditus, satis institutus esse possit de læta resurrectione Christi, eiúsque fructibus, etiam si in totis diuinis literis nihil amplius de ea comprehensum esset. Iam uerò Euangelistæ nostri non cõtenti hac una apparitione, indicant porrò multa alia, non minus consolatoria, ueluti in Dominica Paschę audiuimus. Diuus Iohannesmet aliam insuper historiam hodierno Euãgelio attexit, nimirũ de beato Thoma, qui quidem initio difficulter adducebatur, ut crederet Christum reuixisse, postea tamen adeò libenter & cupidè credidit, adeò honorificè & alacriter resurrectionem Christi professus est, ut omnibus hominibus ille meritò exẽplum statuatur. Hæc historia quoq; in calce Euãgelij hodie legitur: quocirca par est, uti ne inconsideratã transeamus. Proinde & ego sermonem hunc meum ad illam appendicem accommodabo. Nã si diuus Iohannes utile & necessariũ duxit, ut id literis mandaretur, nõ debet à nobis inutilis & inanis res æstimari, quę consideretur. Age ergo, uerba Iohãnis audi. Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando uenit Iesus, &c. Principio non absq; causa factum est, ut discipulus iste hac uice nõ cum collegis suis Apostolis esset, sed ex benigna Dei dispensatione ita procuratum erat, quo Christus multam & celebrem occasionem haberet suis discipulis apparendi, eísque ueritatẽ suæ resurrectionis declarandi. Et sic sanè comperimus, nõ solum in sacris literis, uerum etiã in quotidiano usu rerũ, quòd quicquid nobiscũ agit Deus, siue præcipiendo aut interdicendo, siue promissis aut minis, siue beneficiis aut pœnis, &c. id omne faciat propterea, ut nunquam non causam opportunã habeat nobis benefaciendi. Ea ipsa de causa, quando illum & gratiam eius nostrapte sponte non quærimus, rebus aduersis cingit nos, quibus compellamur, & ueluti cogamur, ipse uerò eò plus occasionis habeat nobis gratificandi. Cæterũ quãobrem Thomas id temporis cum reliquis discipulis nõ fuerit, nullam adfert Iohannes causam, nec indicat, cur Didymus uocatus sit, quanquã non magnoperè id nostra refert. Sed hoc Iohannes data opera ponit, quòd reliqui discipuli gaudiũ quod ex apparitione Christi senserãt, fideliter Thomæ an

Ioh. 20.

Thomas cur abfuerit Christo discipulis apparente.

Cur aduersis rebus nos affligat Deus.

mæ an

mæ annuntiarint, id quod certum argumentum erat ueri amoris, qui inter ipsos mutuus erat, ita ut quilibet paratus esset, bonum quod acceperat, etiam aliis communicare. Veruntamen uerbis non exprimebant, quantum gaudij & solatij ex conspectu Christi cepissent, sed sat illis erat dicere, Vidimus Dominū: quod reliquum erat, ipsius relinquebant cogitationi. Etenim fieri nō potest, quin incredibili gaudio & solatio animus illius reddatur delibutus, qui uidet Deū, præsertim ea forma ac specie, qua consueuerat electis suis apparere. Hinc fiebat, ut diuo Iob, quum se illi Deus abscon deret, ingens in animo oboriretur tristitia, quæ tamen breui momento euanescebat, mox ut Deus conspicuum se red debat. Auditu (inquiebat) audiui te, nunc autē oculus meus uidet te, &c. *Ioba. 42.* Itaque Thomæ lætum annuntiabatur nuntium, sed parum hac uice in illo proficiebat, imò negabat hoc sibi à quoquam persuaderi posse, ni ipse in manibus & pedibus Christi uideret clauorum uestigia, &c. & ne oculis quidem fidem habiturum, quandoquidem oculi nonnunquam hallucinantur decipiuntúrque. Digitos suos in uestigia clauorum, & manum suam in uulneratum latus Christi uolebat immittere, aut non credere, eum ex mortuis resurrexisse. Verba satis temerè dicta, utpote ab Apostolo, qui *Mat. 20.* prius toties à Christo audierat, eum mori oportere, & ter- *Marc. 8.* tia die resurgere à mortuis, audit nunc, ídque non ab uno, *Luc. 9. 18.* sed ab omnibus Apostolis, se Christum, post resurrectionem illius, oculis corporeis uidisse. Sat, inquam, temerè actum, sed tamen mirum nō est: fuerunt enim & Apostoli homines. Petrus ante passionem Christi haud leuius sua temeritate peccabat, quàm hic Thomas. Quin Petrus ipsum inet *Matt. 26.* Christum emendabat in uerbis: quātumuis sæpe & clarè illi Christus dicebat, fore ut ipsum abnegaret, semper tamen illi reluctabatur & obstrepebat, magis temerè quàm fortiter sibi persuadēs, se etiā si omnes homines scādalizarentur in Christo, nō tamen scādalizatū iri, multominus abnegaturum, & etiā si mors oppetēda foret, & pro ipso in carcerem eundū. Ad hæc, quod Thomas hic facit ac loquit̃, id haud dubie & alij facturi fuissent discipuli, si quis eorū primæ apparitioni nō interfuisset. Quin Lucas scribit de illis, quòd in *Luc. 24.* hac prima adeò apparitione, cùm Christ⁹ palā se ostēderet, cū illis loqueretur, manus exhiberet, iuberet etiā cōtrectare, suspicabātur tamen spectrū esse, aut spiritū aliquem, non

pote

poterant credere eum esse: non dicam nunc, quòd mulieri-
Ibidem. bus, atque etiam Magdalenæ nullam prorsus fidem habe-
Nemo temere iudicandus. bant, sed uerba illius pro fabulis ducebant. Quapropter caue quenquam temere iudices aut damnes, uidens tentationi succumbentem & uictū. Nam si simius te arctaret necessitas, fortè prauius faceres. Attamen quemadmodum
Matth.26. Marc.14. Luc 22. Ioh. 18. Euangelistæ omnes quatuor tot uerbis triplicem abnegationem Christi, à Petro in passione patratam describunt, non quòd delectarentur Petro hanc inconstantiam exprobrare, sed ut omnes fideles admonerentur, ne quisquā propriis suis uiribus fideret: ita hoc quoque loco describit Iohannes diffidentiam & incredulitatem Thomæ, non quòd studio id sibi habeat, ut ei opproperet id criminis, aut contemptim eum diffamet, sed ut nos doceat, ut nos ipsos &
Nosce teipsum. imbecillitatem nostram discamus agnoscere. Nam qualis tum fuit Thomas, tales nos omnes sumus natura. Vix unquam inducimur, ut credamus aliquid, nisi uisum & contrectatum. Veluti Christus alio etiam in loco dicit, Nisi
Ioan. 4. signa & prodigia uideritis, non creditis. Nam simplici uerbo homo carnalis fidem non habet. Secundò, quoque
Cur electos interim Deus labi sinat. uidemus occulta iudicia Dei, quòd etiā suos nonnunquam labi patiatur, ut quando periculum euaserunt, benignā Dei manum, & suam ipsorum imbecillitatem tanto melius cognoscant, & ut aliis terror & metus incutiatur, secundum
1.Cor.10. eam quam Paulus habet sententiam, Qui se existimat stare,
Rom.11. uideat ne cadat. Et rursus, Tu fide stas, noli altum sapere, sed time, &c. Obserua etiam hîc, quòd etiā spirituale quid-
Thomas incredulus quid per figurarit. dam in hac incredulitate Thomæ præfiguratum est. Fuit enim Thomas hac in parte figura populi Iudaici, qui itidē fecerunt & adhuc faciunt. Nam quantumuis multum & sæpe ex Apostolis audiuerunt, Christum ex mortuis resurrexisse, & se uidisse illum, quantumuis id à nobis Christianis audiant frequenter, usque tamē in incredulitate sua & perti-
2.Cor.3. nacia manent, non credunt, donec illis Christus sub finem mundi etiam apparebit, & uelamen à facie eorum auferet.
Mat.26. Porrò Christus suos non relinquit in errore, imo quemadmodum Petrum in passione post ternam abnegationem per galli cantum admonebat, cúmque interim clementer respiciebat: sic facit hîc Thomæ, quo uideatur Dauid rectè
Psal. 36. dixisse, Cùm ceciderit iustus, non collidetur: quia dominus supponit manum suam. Obserua autem, quòd Christus

Thomæ non protinus apparet, sed probat illum octiduum. Postremò tandem, quum Thomas suspicari posset, Christũ deinceps non uenturum amplius, nihil itaque esse oportere, quod alij discipuli dixissent de resurrexisse eius, Venit Iesus, & uidendum sese exhibuit. Sic Deus nobis tum maximè sese offert, quum iam de omni auxilio desperatum est, nec quicquam est spei reliquum factum: interim uerò probat hominem, opẽ differt, non tamẽ eum relinquit. Quòd autem Christus non reuertebatur, & discipulis apparebat ante octauum diem, ideò factum est, ut intelligamus, nos Deum non rectè & plenè usuros, dum tempus mundi huius, quod per septem dies hebdomadæ decurrit, est & durat. Cæterùm ubi octauus dies hoc est, tempus futuræ uitæ illuxerit, tum uidebimus eum, sicuti est, tum omnis dubitatio & incredulitas cessabit. Verùm quòd Apostoli rursus congregati erant, idcircò fiebat, quòd semel experti erant & senserant fructum amoris seu concordiæ & quòd Christus tum potissimum uideri gaudet, ubi in ipsius nomine conuenitur: unde spem concipiebant, fore ut Christus ad ipsos reuerteretur: nec spes eos frustrata est. Quòd si ergo nos eiusmodi fructum amoris & consensus, & quid discordia damni secum ferat, semel fuissemus experti, haud ita Ecclesiam discerpturi essemus, aut ita leui de causa à cõmuni Ecclesiæ consortio nos essemus distracturi, quin tanto lubentius facturi essemus, ut in communi Ecclesiæ cœtu inueniremur, ueluti Thomas, qui quum semel à reliquorũ discipulorum contubernio separasset se, & semetipsum hoc pacto bono incomparabili priuasset, nimirum aspectu Christi, deinceps tanto lubentius apud socios suos manebat.

Deus quando suam nobis potißimũ opem ferat.

Christus quibus libenter adsit.

Contra schismaticos & hæreticos.

Quemadmodum Iohannes dicit, Iterum erant discipuli intus: & Thomas cum eis. Quia ergo apud communionem manebat, facta est illi Christi uidendi copia. Venit enim Christus, & stetit rursus in medio discipulorum suorum. Hunc locum delegit sibi à resurrectionis suæ tempore. Nõ uult amplius latere & in uno loco aliquo commorari, sed palàm agnosci & omnibus præsens esse. In medio Ecclesiæ laudabo te, inquit in Psalmo. Pacem illis rursus precatur tertiò, quo penitus illos certos faciat pacis cum Deo, quòd conscientia meticulosa ægre credit & credere potest. Tum etiam, ut sciamus, pacem esse sũmmũ bonũ, discamúsque triplicem pacem à Deo petere, nimirum pacem internam, exter

Ioh.20.

Psal.21. externã,& eam quæ desuper est. Mox ut Christus hoc fe-
Pax triplex à Deo petenda. cerat, conuertit se ad Thomã, (hic enim illo omnium maxi
mè opus habebat) nec tamen eum Christus ob temeraria il
la uerba reiecit: siquidẽ sciebat nõ ex malitia, sed ex huma-
na imbecillitate ea proficisci: humanum peccatũ admiserat,
non diabolicum. Quam uerò ob rem Christus uestigia cla-
uorum & lanceæ etiã post resurrectionem suam seruarit, su
pra dictũ est. Nemo tamẽ existimare debet, in nobis quoq;
post generalem resurrectionẽ cicatrices corporũ nostrorũ
mansuras. Nam immortalibus omnes neuos absterget, ue-
Matth.13. luti Christus ait, Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eo-
rum. Porrò quòd Christus ad Thomam dicit, Infer digi-
tum tuum huc, & affer manuũ tuam, & mitte in latus meũ,
significare uoluit, se nihil non & uidere & audire, tam absen
tem quàm præsentem, quãuis nusquã abest, sed ubiq; loco-
rum præsens est. Cumprimis Thomæ subindicauit, non la-
tere se, quàm temerè locutus esset. Iubet etiam illum con-
trectare, quo posset melius credere, & per externum con-
tactum uulneris Christi, in Thoma sanaretur uulnus cordis
sui. Factũ item illud est, ut fides nostra eò magis confirma-
retur, & ita, ut qui Apostolis fidẽ habere nollet, qui tantùm
oculis Christum uiderant, Thomæ saltẽ crederet, qui Chri-
Spes nostra in quo potissimũ sita. stum etiã contractauit. Etenim post fidem unius diuinæ sub
stantiæ in tribus diuinis personis, omnis spes nostra sita est
in resurrectione Christi. Vnde & Paulus ait, si confitearis in
Rom.10. ore tuo Dominum Iesum, hoc est, quòd Deo Patri, & Deo
Spiritui sancto æqualis sit, & in corde tuo credideris, quòd
Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Sed quid Chri
stus amplius dicit ad Thomam? Noli esse incredulus, sed fi-
delis. perinde ac si dicat, Crede promissis meis, etiamsi fieri
non posse tibi uideantur, quandoquidẽ oculis nũc cernis,
& manibus contrectas, quod prius incredibile, atque adeò
impossibile arbitrabare. Atq; hæc regula est, quæ omnibus
hominibus Christianis præscripta est, ut non increduli, sed
fideles sint. Non autem absq; re id nobis dicitur: enimuerò
incredulitas non solùm segnes & inertes nos facit, uerũetiã
refractarios planè, ueluti superius in Thoma uidimus. Por-
rò ad hæc Christi uerba hunc in modum exclamabat Tho-
mas, Dominus meus, & Deus meus. Hic uide rem prorsus
diuinam. Quis credidisset post tam pertinacẽ incrudulita
tem, fidem tam mirificam secuturam, idque momento tam
breui?

breui? Sic nemo credidisset fore unquã, ut latro in cruce iam iam animã agens, saluus fieret, & truculentus Christianorum hostis Saulus Apostolicũ munus obiret. Attamen utrumq; hoc accidit: adeò potens est manus Dei, adeò certò corda hominũ in sua manu habet, inclinare illa potest, quocunq; uolet. Quam ob rem desperandũ non est de quoquam mortaliũ, dum hac fruitur aura. Duæ autem res huic Thomæ præter omnẽ spem obtingebant. Videbat Christũ uerè resurrexisse, tum etiã audiebat Christũ non fugere ea quę coram discipulis fuerat locutus. Idcircò illum nunc dominum appellat, & Deum: Dominũ, quòd mortẽ deuicerat: Deum uero, quòd secreta & occulta nosset. Est autem hæc uera & plena fidei nostræ professio, haud absimilis illi professioni, quam Petrus aliquando fecerat, ubi inquit, Tu es Christus filius Dei uiui: quanquã Thomas omnia clarius enuntiat. Hic enim illum nõ solùm dominũ, sed etiam Deum uocat, & ne id quidẽ simpliciter, sed dominũ suum, & Deũ suum. Etenim in hoc omnis uis sita est. Non sufficit credere, Christũ Dominum & Deum esse, nisi credas quoq; eum esse dominum tuum & Deũ tuum, hoc est, omnẽ spem tuam in illo colloces, & omnia bona ab illo tibi pollicearis. Et eiusmodi quidẽ fidem collaudat Christus in Thoma, sed nondũ hìc conquiescit. Quia uidisti me (inquit) credidisti: beati qui non uiderunt & crediderunt. Hoc uerbũ peculiariter ad nos pertinet, siquidem Christus rectè per id indicauit etiam Gentes tum à Dei, tum à Christi cognitione prorsus alienas ad fidem uenturas, perinde quasi dicat, Quòd diebus aliquot non credidisti, hoc aliis credendi occasionem dabit. Etenim Gentes resurrectionem meam credent, licet me non uiderint. Hoc autem beatiores erunt, quo uiderunt minus. Quod sanè uerbum nos impendio consolatur, nimirum quòd ij qui Christum non uiderunt, & tamen in illũ credunt, æque beatitudinem adipiscentur, ac qui eum uiderunt. Interim uerò Christus incredulis uiam præclusit, ne existiment Christum ipsis denuo apparere oportere, sicuti Thomæ apparuit. Tibi (uult dicere) uidendi me data facultas est, cæteros in me etiam non uisum credere oportet. Et post hæc uerba finit Iohannes Euangelium istud hunc in modum: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est

Luc.23. *Act.9.* *Prou.21.* *Christus,* *Dominus,* *Deus.* *Matth.16.*

est Christus filius Dei:& ut credentes, uitam habeatis in nomine eius. perinde ac si dicat, Ex multis apparitionib⁹, quas Christus post resurrectionē suam exhibuit, quibúsque declarauit se uerè resurrexisse, duas indicasse contentus sum, quandoquidem in lege scriptum est, duorum hominum te-
Deut.17. stimonium uerum & acceptandum esse. Hæc autem duo
Cur scripta sint omnia. ideo scripsi, ut credatis, &c. Nam in hunc finem reliqua etiam omnia literis prodita sunt, ut in Christū credamus, &
In Euangelio non quærenda carnalis libertas. per fidem uitā æternā obtineamus. His monstratum nobis est, quid in Euangelio Christi quærere oporteat, nimirum non carnalem libertatem, sed uitam æternam. Indicatū deinde quoque nobis est, qua ratione signis & miraculis Christi uti conueniat, nempe ut fidem nostram per illa corroboremus.
Inter miracula Christi et sacramēta quid interſit. Quare hoc interest inter miracula Christi & Sacramenta: Miracula Christi sunt ueluti Dei sigillū, quo doctrina Christi confirmatur. Sacramenta uerò media sunt & instrumenta, per quæ nobis bona Christi dispensantur. Cæ-
1.Cor.1. terùm nomen Christi, in quo uitam æternam habemus, est, quòd sit filius Dei, uita, redemptio, sanctificatio & iustitia. Horum omnium participes simus, quando per ueram fidem Christo incorporamur, & in illo manemus. Amen.

SEPTIMVS SERMO
de sola Epistola.

Ioh.20. 
QVONIAM diuus Iohannes in fine hodierni Euangelij tam magnificè loquitur & scribit de fide, his uidelicet uerbis, Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei: & ut credentes, uitā habeatis in nomine eius: imo quoniā Christus ipse paulò antè omnes eos beatos uocat, qui credunt, haud inanē me sumpturū operā arbitror, ut sub hæc mox ostēdā, quid Iohānes etiā in hodierna Epist. de fide dicat. Nā si tanti momēti fides est, ut uitā & felicitatē per eam habeamus, ueluti Christus & Io. dicūt, nemo profectò grauabitur multū & crebrò de eiusmodi fide
1.Ioh.5. audire ac legere. Age, audi Iohannē de fide loquentē. Omne q̄d natū est ex Deo, uincit mundū: & hæc uictoria quæ uincit mundū, fides nostra, &c. Hæc uerba Io. hodie unà cū Euāgelio iam memorato lecta sunt, q̄ in hoc sermone paucis exponam. Omnia cò spectabunt, ut fidem nostram tanto pluris faciamus, eíque fixius innitamur. Et principio loquitur

loquitur Iohannes in ipso statim initio de fortitudine filiorum Dei, ut qui etiam mundum uincere possint, cõfirmans per hoc, id quod paulo antè dixerat, mandata eius grauia nõ esse. Et sunt sanè per se haudquaquam difficilia, nempè credenti Deiq; amanti, quemadmodũ etiã Christus dicit, iugum suũ esse suaue, & onus leue. Quod autem mandata Dei adeò nobis uidētur grauia, in causa est mundus, caro & diabolus. Nam mundus nobis obiicit, per quæ cupiditas prouocatur, ut diuitias, honores, uoluptates, & gaudia, &c. Appetit caro nostra, quæ sibi adblandiuntur, fugit sibi inimica. Tum diabolus uarios aduersitatũ tumultus in fideles concitat: hinc fit postea, ut Dei mandata grauia nobis uideantur.

Fortitudo filiorum Dei
Ibidem.
Mandata Dei cui nõ sint grauia.
Matth.11.
Mundus.
Caro.
Diabolus.

Sed quid Iohannes dicit? Omne quod natum est ex Deo, omnis filius Dei uincit mundũ, hoc est, mundi illecebras, & omnes deinde quoq; tẽtationes carnis & diaboli; uincit autem non propriis uiribus, sed per fidẽ. Hæc (inquit) uictoria est, qua uincimus mundũ, fides nostra. Meritò autẽ fidei hæc uictoria transcribitur: nititur enim fides illo, qui omnia potest. Huc etiam pertinet quod Paulus ait: Omnia possum in eo qui me confortat. Imo quod Christúsmet dicit, fidem habenti nihil esse impossibile. Item, aduersus Petram fidei, ne portas quidẽ inferi præualere posse. Huc porrò pertinẽt exempla, quorũ tam multa Paulus enumerat in Epistola ad Hebræos. Sancti (inquit) per fidem deuicerunt regna, operati sunt iustitiã, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonũ, extinxerunt impetũ ignis, fortes facti sunt in bello, &c. Etenim fides subministrat homini solatiũ in omni afflictionũ genere. Bona amittit tẽporaria, dicit fides, Thesaurum tuũ habes in cœlo. paupertate premitur, dicit fides, Pater tuus in cœlis nouit, quibus egeas. persecutiones patitur, dicit fides, Tuũ est regnum cœlorũ. moritur, dicit fides. Siue morimur, siue uiuimus, Domini sumus. Hoc pacto fide omnia uincimus. Ideóque uult Petrus, ut diabolo fortes resistamus in fide. Et Paulus, ut scuto fidei omnia tela nequissimi ignea extinguamus. Obserua autem hîc, quàm pulchrè & ordine Iohannes rẽ tradat. Primò nominat filios Dei, aut quod ex Deo natũ est. Secundò, nominat mundũ. Tertiò dicit, utrum ex his duobus fortius sit. Quartò, qua in re ea fortitudo consistat. Quintò, quæ sit fides uincens mũdum. Per Christũ, qui unigenitus est filius Dei, nos efficimur filij Dei. Ob Christum odit nos mundus, ueluti in Iohanne ipse ait.

Fides uera & uiua mundum uincit.
Phil.4.
Mar.9.
Matt.16.
Heb.11.
Fides ut nos in omnibus consoletur.
Matt.6.
Matt.6.
Rom.14.
1.Pet.5.
Ephe.6.
Ioh.15.
Luc.23.

Vt autem nos odit mũdus ob illius nomẽ,ita uincimus mũdum per illum.Et hoc eſt,quod Iohannes deinde dicit,Quis eſt qui uincit mundum,niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei?De hac fide in Chriſtũ loquitur Iohannes hic. Hęc fides in Chriſtũ uincit mundum,& non alia. Quare ſi credis Chriſtũ eſſe iuſtitiam noſtram,non angent te peccata tua. Si credis Chriſtum uitam eſſe,non terrebit te mors. Si credis Chriſtum mundo fortiorem, nõ mouebit te mundi odium. Si credis Chriſtum dominum eſſe cœli & terrę,nullum timebis exilium. Si credis Chriſtum eſſe filium Dei, non extimeſces hominum filios. Quis eſt (inquit Iohannes) qui uincit mundum,niſi qui credit,quoniam Chriſtus eſt filius Dei? Mox ſubiicit, Hic eſt qui uenit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus:non in aqua ſolum : ſed in aqua & ſanguine. Et his uerbis incipit probare, Chriſtum eſſe uerum & unicum Meſsiam ac ſeruatorem, in quo fiduciam noſtram collocare audacter poſſumus. Vtitur autẽ Iohannes hac in parte egregiis & efficacibus argumentis. Primum eſt, quod dicit, Chriſtũ ueniſſe in aqua & ſanguine.Et ita res habet,in aqua & ſanguine uenit:nam baptiſmum inſtituit ad remiſsionem peccatorum, tum ſeipſum Deo patri immolauit in cruce ad propitiationem noſtram.His duabus rebus oppidò egregiè conuincitur,eum eſſe uerũ & unicum ſeruatorem. Baptizatus eſt,ut innocentiã nobis reſtitueret:mori uoluit, ut nobis uiam ad immortalitatem aperiret. Quidam hoc uerbum aliter intelligunt,nimirum hunc in modum.Hic eſt qui uenit per aquam & ſanguinẽ:hoc eſt, populum ad ſe uocauit,pertraxit & congregauit:nam per aquam populi intelliguntur,etiam aliis in locis ſcripturæ.Non ſolũ autem Chriſtus ſic per aquam uenit,populúmq; cõgregauit,uerumetiã per ſanguinem,hoc eſt, populos quos uocauit ad ſe & congregauit,à morte etiam redemit. Hoc itaque nomine Moſen longè antecellit,qui & ipſe quidem uenit in aqua,habẽs populum ſibi adhærentem,nimirũ Iſraëlitas, ſed non ueniebat in ſanguine, ſiquidem populũ,quem coëgerat,ab æterna morte,& ne ab Aegypto quidem ſeu temporali ſeruitute liberare poterat,niſi alieno ſanguine occiſi agni, qui Chriſtum præfigurabat. Alij per aquam & ſanguinem intelligunt duo ſacramenta,baptiſmi ſcilicet & euchariſtiæ, ſeu altaris.Nam & ex eo certiſsimè conuinci poteſt,Chriſtum uerum eſſe Seruatorem mundi, nimirum quòd nõ ſolum fideles

1.Cor.1. *Ioh.14.* *Ioh.16.* *Matt.28.* *1.Ioh.5.*

Chriſtus ut in aqua & ſanguine uenerit.

Cur Chriſtus baptizatus. *Cur mortuus.*

Exod.12.

les suos à peccatis abluit, uerumetiam proprio suo corpore & sanguine pascit. Nonnulli per aquam intelligunt, diuinam cœlestémque doctrinam, quam nobis attulit Christus. Et ea quidem nō immeritò per aquam intelligitur, eò quòd per se pura est, & quòd nos refocillat ac consolatur, & cœlitus defluxit, nec defluere cessat usque ad finem seculi. Et quēadmodum ex aqua propemodum omnia quæ uiuunt, nascũtur, uegetantur, conseruantúrque: sic etiam nos ex hac cœlesti doctrina & uerbo Dei spiritualiter nascimur & conseruamur. Veluti S. Iacobus dicit: Voluntariè genuit nos uerbo ueritatis. Et Christus ipse ex legis codice, Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Venit ergo Christus per aquam, dũ cœlestem nobis doctrinam attulit. Sed uenit etiam per sanguinem, dum tradidit se metipsum pro nobis oblationē & hostiam Deo in odorem suauitatis. Non tantum uenit ceu doctor, sed etiam ceu seruator hominum. Hac parte Mosen lōgè anteit. Fuit hic quidem etiam doctor, diuinam & cœlestem doctrinā tradidit, nimirum legem Dei, sed seruator non fuit: eos quos docebat, à peccatis uindicare non potuit. Quapropter per aquā is solum uenit, & non per sanguinem. Et hoc interest inter Mosen & Christũ: uterq; in aqua uenit, hoc est, cœlesti diuináque doctrina: cæterum solus Christus in aqua pariter & sanguine uenit, hoc est, ceu redemptor & doctor, qui non solum docere, uerũetiam redimere posit. Ad maiorē fidei nostræ confirmationem incipit Iohannes adducere, de iis quæ modò de Christo dicta sunt. Spiritus (inquit) est qui testificatur, quoniam Christus est ueritas. Per spiritũ hunc primò intelligere licet spiritũ sanctũ, qui in sacro Christi uertice, uisibili specie columbę apparuit, quum baptizaretur. Hac enim apparitione spiritus sancti Iohannes plenè certóque admonebatur, hunc Iesum esse uerum Mesiam & filiũ Dei, quemadmodum ipsemet dicit. Nihil uetat, quò min⁹ etiam intelligamus de spiritu sanctificationis, qui Christũ ex mortuis excitauit. Nam & per illum spiritũ (inquit Paulus) declaratus est Christus filius esse Dei. Propriè autem hic spiritus nihil aliud est, quàm occulta & diuina uirtus, quæ in Christo & omni eo, quod faciebat & loquebatur, operabatur, atque ita, ut nemo opus ipsius & institutum præpedire posset, quēadmodum ipsemet ad suos discipulos dicit: Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere o-

Ex Dei uerbo ut nascamur, & uiuamus.
Iaco.1.
Deut.8.
Mat.4.
Ephe.5.
Inter. Mosen & Christum quid intersit.
Matt.3.
Iob 1.
Rom.1.
Spiritus sanctificationis.
Luc.21.

Act.5. mnes aduersarij uestri. Sic & Gamaliel dicebat, Si hoc opus est ex Deo, non poteritis dissoluere. Spiritus iste & efficax diuina uirtus, quæ in Christo eiusque doctrina emicuit, manifestum ac certum argumentum est, ueritatem, & nihil falsi, simulati, fucati, seu dubij in eo esse, sed omnia uera, syncera & infallibilia. Nam in ipso, inquit Paulus, omnia sunt, Amē.

Sequitur, Quoniam tres sunt qui testimoniū dant in cœlo: Pater, uerbum, & spiritus sanctus: & hi tres unū sunt. Moses dicit, In ore duorum uel trium testium stet omne uerbū.
Deut.17. Atqui Christus non solum tres, sed sex habet testes, tres in cœlo, & tres in terra. Pater de ipso testificatur, sic inquiens,
Matt.17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Christus de se ipso testificatus est omnipotenti suo uerbo, quo omnia sua miracula patrauit. Et ideo remittebat aduersarios suos ad miracula quæ gesserat. Si mihi nō uultis credere (inquit) operibus credite, ut cognoscatis &
Ioh.10. credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Et rursus: Ope
Ibidem. ra quæ ego facio, hæc testimonium perhibent de me. Spiri
Matt.3. tus sanctus uerò de Christo testificatus est. Primò, cum uerticí ipsius insideret specie columbæ. Secundò, cum in trans
17. figuratione Christi appareret specie lucidæ nubis. Et tertiò,
Act.2. cum supra sanctos Apostolos sedens appareret in linguis igneis, eósque ita accenderet, ut palàm prędicarent, Christū esse uerum Mesiam, & non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri, pręterquā nomen Iesu. An non hęc magna & fide dignissima testimonia? Et hi tres (inquit Iohannes) unúm sunt, non solū quod ad naturam, sed in eo etiam, quod summo in rebus omnibus consensu de Christo testificantur. Nec tamen his contentus est Iohānes, sed tres insuper alios apponit testes. Et tres sunt (inquit) qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis. Hæc tria testimonia etiam superius recensuit. Sed repetit ea nunc ad maiorem rei confirmationem. Quan-
Christum Deū & hominem quæ testentur. quam nonnulli tria illa priora testimonia ad sanctam diuinitatem, hæc autem tria ad sanctam humanitatem Christi referunt. Testimonia (inquam) patris, sancti spiritus, & omnipotentis uerbi seu operum, quæ per illud omnipotens uerbum facta sunt, egregiè conuincunt, Christum uerum esse Deum. Spiritus uerò, quem Christus in morte sua patri commendauit unà cum aqua & sanguine, quæ è latere illius sanctissimo profluebant, abundè ueram ipsius humanitatem

arguunt. Hæc autem testimonia omnia consentiunt: alioqui enim nihil iis probari posset, si pugnarent. Quare utrobique ponit Iohannes, Et hi tres unum sunt, Pater, uerbum, & spiritus sanctus. testificantur, eum non Deum modò, uerũ etiam hominem esse. Et tali quidem seruatore opus habebamus, qui tanquam uerus homo pro nostris delictis mori, & tanquam uerus Deus ex mortuis se reducem facere, remissionem peccatorum, spiritum sanctum, uitam, iustitiam & salutem conferre posset. At Christus solus est, qui eiusmodi testimonia habet, ideóque solus uerus seruator est, nec est in alio aliquo salus, uti Petrus ait. Atque hîc uide fidei nostræ certitudinem, quoniam nulla alia fides est in terris, tot támque illustribus testimoniis dotata. Quemadmodum autem Christus testimonia habet è cœlo & è terra, se uerum esse seruatorem & Dei filium: sic & nos eadem illa testimonia habemus, unumquemque Christianum adeo filium Dei per Christum esse factum. Testatur hoc enim Deus pater, cum dicit in propheta, Ego ero illis in patrem, & ipsi erunt mihi in filios & filias. Testatur idipsum & Christus, ubi ait, Scit Pater uester in cœlis, quid opus sit uobis. Ad hæc, spiritus sanctus nostro spiritui testimonium præbet, nos esse filios Dei, & facit, ut liberè ad eum dicamus, Pater noster qui es in cœlis, &c. Isthuc ipsum (nimirum nos esse filios Dei) testantur etiam, baptismus, quo in nomine sanctæ Trinitatis loti sumus, sacramentum corporis & sanguinis Christi, quo pascimur, & impulsus spiritus sancti, quem interius sentim⁹. Et quid homine Christiano felicius, qui tot testimonia habet, se filium Dei esse? Sub hæc pergit Iohannes dicere:

Act.4.

Vt singuli sim⁹ filij Dei.

Iere.31. *2.Cor.6.* *Mat.6.* *Rom.8.* *Mat.6.*

Si testimonium hominum accipimus: testimonium Dei maius est. hoc est, si hominibus duobus aut tribus rem quãpiam testantibus fides habetur, qui tamen possunt & falli, uti scriptura dicit, omnes homines esse mendaces, quanto magis Deo fides habenda est, qui ipsa ueritas, & cuius uerbum in æternum manet? Non enim Deus est, qui mẽtiri norit, nec unquam reuertetur ad eum uerbum eius uacuum & absque fructu. Qui itaque in filium Dei credit, Dei testimonium in seipso habet, hoc est, non collocat præsidium suum in incerti alicu⁹ hominis uerbo, sed ĩ infallibili ueritate: nõ fidit homini, sed Deo: denique ædificium suum non concredit arenæ, sed firmæ & immobili petræ. Hinc, arbitror, uidere quiuis facile posset, Christum non absque re dixisse in ho

Deut.6. *Psal.115.* *Esa.40.* *55.* *Mat.7.*

diuina, infortunium, supplicium, & cruciatus in externa uita. Hoc erat & est iudiciũ nostrũ, ac pœna peccatis debita, nũc autem iudicium illud ac pœnã Dominus abstulit. Vnde hoc scitur? Quòd Christus pacem precatus est. Primò pacẽ cordis & conscientiæ. Deinde etiam pacem aduersus Deum. Et hanc geminã pacem habemus profecto ex læta resurrectione Christi. Ad hæc speramus expectamúsque tertiam pacẽ, quæ erit finis omnium malorum. In eandẽ hanc spem quoque nos adducit resurrectio Christi. Nã qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, & configurabit corpori claritatis suæ. Et ut omnes in Adam mortui sumus ac morimur: ita omnes per Christũ reuiuiscemus. Rectè itaque institutum est, quod Propheta in præterito loquitur: non dicit, Dominus auferet iudicium tuum, sed Dominus abstulit iudicium tuum: iam id factum est, pax parta est, pax annuntiata nobis est, pacem conscientiæ & cum Deo iam in opere & re habemus, uti Paulus ait. Pacem & libertatem ab externa molestia omniq; miseria habemus in spe, eáque non incerta (ueluti Petrus dicit) sed uiua spes est. Benedictus Deus & Pater, inquit, Domini nostri Iesu Christi, qui regenerauit nos in spem uiuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, cõseruatam nobis in cœlis, &c. Et hoc alterum est. Tertiò quòd Christus dicit, Accipite Spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. non absimile est illi quod Propheta ait, Dominus auertit inimicos tuos. Et qui sunt inimici nostri, nisi peccata? Qui diligit iniquitatem (inquit Dauid) odit animam suam. At quomodo à nobis auertit Deus inimicos nostros? Per potestatem sanctorum Apostolorum, quæ cumprimis contra eiusmodi hostes, hoc est, peccata, destinata est. Et quæ illorũ potestas est? Prædicare Euãgeliũ, uti Christus in Marco dicit, & peccata remittere, aut etiã retinere, quẽadmodũ hìc in Iohãne ait. Verùm quo modo sancti apostoli peccata remittũt? Per annũtiationẽ diuini uerbi, & administrationẽ sacramẽtorũ. Vnde hãc uirtutẽ sacramẽta sortiũt? Ex uerbo illo, quod Christ⁹ dicit, Accipite Spiri. &c. Qui uerò fit, quòd apostoli hãc potestatẽ soli habẽt? Christ⁹ ait, Sicut misit me Pater, & ego mitto uos. Vide, hoc tertiũ est qđ nobis resurrectio Christi attulit. Inimicos nostros, peccata ꝑ eã à nobis auertit. Nã ꝓpter peccata nostra mortuus est, & ꝓpter iustificationẽ nostrã resurrexit.

Pax duplex Christi resurrectione confecta.

Tertia expectatur.

1. Cor. 5.

Ephe. 2.

1. Pet. 1.

Hostes nostri qui.

Psal. 10.

Marc. 16.

Quartò quòd Christus ultimo dicit, Beati qui non uiderunt, & crediderunt, cum eo cõgruit, quod Propheta habet, Non timebis malum ultrà. Nam ubi beatitudo est, ibi nihil est quod timeatur: ubi uerò adhuc trepidatur, ibi certè syncera & uera felicitas nulla est. Vide, hoc quartum est, quod ex resurrectione Christi habemus. Et huc quid æquius cõpetit, quàm quod Propheta adiungit, atq; adeò præmittit, Lætare & exulta in omni corde filia Ierusalẽ. Hoc pertinet ad eiusmodi annuntiationem, quam propheta Sophonias annuntiauit, & Christus in hodierno Euangelio confirmauit compleuítq;. Etenim his rebus nos Christiani meritò gaudemus. Et quidem hoc uerum & solidum gaudiũ est. Habet & captat mundus suum gaudiũ, sed aliis in rebus, ut in temporariis diuitiis, mundanis honoribus, seu potestate, & carnis uoluptatibus. Vniuersa uanitas (inquit Salomon) quæ fiunt sub sole: intellige de mundi cultoribus: est enim eorum gaudium inane & inutile, quoniam in rebus externis tantum gaudẽt, nõ in corde, neq; in consciẽtia. Imò extrinsecus cantant & saltant, cæterum interius cõscientia eorum inquieta prorsus est, ut mare feruens, sicut Isaias dicit, Quorsum autem attinet, te exterius gaudere, si te cõscientia tua iugiter arrodit & angit? Quid prodest homini (inquit Christus) si mundũ uniuersum lucretur, animæ uerò suæ detrimentum patiatur? Non solum autẽ mundi filiorũ gaudium uanum est & inane, uerumetiam mixtũ: semper adhæret, concurrit, aut certè mox sequitur amaritudo aliqua, ut uidere est in diuitiis & bonis temporariis, quæ mundi filiis quidem gaudium afferunt, sed non absque magna acerbitate admixta, siquidem continua cura, molestia & labore parantur, magno timore cõseruantur, ingenti dolore amittuntur. Thesaurizat (inquit Dauid de unoquoque homine impio) & ignorat cui congregabit ea, &c. Eadem res est cũ gaudio, quod quis capit ex humana laude, aut externa potestate. Mundani honores nũquam uacant dolore, mundana potestas nunquam sine afflictione & ærumnis est. Quale ergo obsecro gaudium est, quod ex his rebus capitur? Haud aliter de gaudio in uoluptate corporis sentiendum est: hæc per se turpis est, semper diluta est, semper plus fellis quàm mellis habet, semper pœnitudinẽ pretiũ secũ fert: denique luctus plerunque extremum illius occupat. Ad hæc mundi gaudium breuissimum est, quoniam spes impij tanquam lanugo

Gaudium uerum. *Gaudium uanum.* *Ecclef. 57.* *Esa. 57.* *Matt. 16.* *Filiorum mundi quale gaudium.* *Psal. 38.* *Sap. 5.*

lanugo est, quæ à uento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus qui à uento diffusus est: & tãquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Quid ergo externũ quęrimus gaudium? Nihil diuturnum in mundo, quæcunque uidentur, temporalia sunt & caduca, ait Paulus. Nam aut res quibus oblectaris, occidũt, aut tumet occidis, & nescis utrum prius perditũ ibit. Quare ne delectare rebus mox perituris, sed si omnino gaudere animus est, iis rebus gaude, quæ æternæ sunt. Is autem est solus Deus. Delectare itaq; in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui. Hoc enim solidius erit gaudium tuũ, quo solidior est is, in quo gaudes. Nam si pecunia tua gaudes, furẽ metuere oportet. Sin in Deo gaudes, non est quòd quenquam extimescas. Nemo enim tibi Deum eripiet, nisi tuipse illum expellas. Quapropter uerum gaudium quæramus, & cum diuo Paulo reliqua omnia arbitremur ut stercora, ut Christum lucrifaciamus. Nostrum gaudium est & esse debet in animo, in conscientia: proficisci debet ex remissione peccatorum & acceptione diuinæ gratiæ. Imò id adeò gaudere debemus quod nos docet Propheta, nimirum, quòd Christus Dominus nostrum iudicium abstulit per sacrã suã passionẽ, hostes nostros in fugam cõuertit per resurrectionem suam, pacem nobis dedit per prædicationem Euangelij, & remissionem nostrorum peccatorũ, & est ipse etiãdũ inter nos. Hæc sunt, quibus nos non solum festiuo hoc Paschæ tempore, uerumetiam per omnem uitæ nostræ ætatẽ gaudere debemus. Ad id autem fidei adminiculo opus habemus: nihil enim eorum oculis cernere possumus. Proinde Iohannes tam magnificè de fide loquitur in hodierna Epistola, nimirum primò, quid sit fides, deinde quàm sit certa, tertiò, quàm sit efficax & multa faciat. Fides nostra est, quòd Iesus cui nos dedidimus, uerus Christus & Messias est. Hæc fides adeò certa est, ut testimonium habeat cùm in cœlo, tum in terra: adeò fortis est, ut etiam mũdum uincat, & quicquid in eo magni est. Sic uincebat Stephanus sua fide mundi sapientiam Fide Dauid omnes afflictiones sui spiritus & animæ uicit. Fide optimi patres omnia mundi desideria uicerunt. Fide sancti Martyres omnem persecutionẽ mundi uicerunt. Tanto minus dubitare possumus de eo, quod modo ex Euangelio & Propheta Sophonia audiuimus, qui utrique tanto maioris gaudij nobis esse authores

2. Cor. 4.

Quibus rebus gaudẽdum sit.

Psal. 36.

Phil. 3.

debent, sic ut Paschæ festis uero & Christiano gaudio finem imponamus. Id enim Isaias ita prædixit: Redempti à Domino, conuertentur, & uenient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Sic faciebat sanctus David, cum ipse gaudio delibutus diceret, Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur in omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu uitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. Sic itaque gaudet David intra seipsum gratia & beneficio Dei. Similiter & alios homines ut faciant monet: Laudate, inquit, pueri Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in seculum. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Ut collocet eum cum principibus populi sui. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Omnia ista Christus generaliter in sua resurrectione compleuit declarauitque. Nam tum incœpit peccatis nostris propitius esse, morbum nostrum sanare, &c. Tum lapsum humanum genus è puluere & cœno erexit, & sterilem gentem fœcundam fecit, &c. Meritò ergo Paschæ nostræ festa, cum gaudio, laude, & gratiarum actione concludimus. Sed adhuc unum restat, ut Paschale istud nostrum gaudium, de quo hodiernum Euangelium dicit, atque etiam fidem nostram: de qua Iohannes loquitur, uita bonísque moribus & conuersatione declaremus conseruemúsque. Hoc nos docet Ecclesia petere & quærere apud Deum in hodierna collecta: neque id iniuria: nam alioqui omne gaudium & fides nostra prorsus inania & inutilia sunt, quando ea uitæ & cõuersationis impietate uitiamus. Hinc opinor perspicuum esse cuiuis posset, hodiernum Euangelium, Epistolam, & Ecclesiæ precationem, per omnia optimè conuenire & ordinata esse. Reliquum est, ut hoc pacto ea simul etiam accipiamus. Deus nos omnes sua donet gratia, Amen.

Esa.51. *Psal.101.* *Psal.112.*

DOIMNICA MISERICORDIAE DOMINI, EVANGELIVM IOANNIS X

EGO ſum Paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius nõ ſunt oues propriæ, uidet lupum uenientem ac deſerit oues, fugítque, & lupus rapit, ac diſpergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & oues non ſunt illi curæ. Ego ſum paſtor ille bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcor à meis. Sicut nouit me Pater, ita & ego noui Patrem, & animã meã pono pro ouibus. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili. Illas quoque oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus paſtor.

EADEM DOMINICA EPISTOLA I. PETRI II.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut inſequeremini ueſtigia ipſius: qui peccatum non fecerat, nec inuentus eſt dolus in ore illius: qui cum maledictis inceſſeretur, non regeſſit maledicta: cum malis afficeretur, non minabatur. Sed tradidit uindictam ei, qui iudicat iuſte, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, quo peccatis mortui, iuſtitiæ uiueremus. Cuius eiuſdem uibice ſanati fuiſtis.

Nam eratis uelut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & curatorem animarum uestrarum.

PRIMVS SERMO DE *Euangelio in genere.*



ODIERNAM concionem ordiri melius haud scio, quàm uerbo illo, à quo olim beatus Gregorius hodiernam suam homeliam exorsus est. Audiuistis, inquit, fratres charissimi, ex Euangelica lectione, eruditionem uestram, audiuistis ex lectione Euāgelica periculū nostrū, &c. Perinde ac si dicat, Si oculos aperire uultis, sat admonitionis habetis è textu istius Euangelij. Similiter & nos meique similes, si animum aduertere uolumus, ex illo textu sat uidere possumus periculum nostrum, idque utrunque in ipso statim Euangelij initio. Etenim prima uox (Ego sum Pastor bonus) docet nos Christianos ex æquo omnes, quid credere nos & facere oporteat. Altera uox (Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis) cumprimis pastoribus animarúmq; curatoribus indicat, quàm periculosum gerant munus. Hæc duo uir ille sanctissimus ex hoc accuratè ponderauit, idque non iniuria, utinam omnes Christiani tanto id studio considerarent. Nam fons omnium malorum, quæ nūc in Ecclesia uidemus, est, quòd nemo satis diligentem sui officij & conditionis rationem habet. Enimuerò uulgus hominū non animaduertit, quàm benignè nobiscum Deus Opt. Max. agat, & iam inde ab initio egerit: nec proceres obseruant, cur aliis hominibus sint prælati, &c. Hæc (inquam) malorum omnium causa est, cùm tamen Christus utrunque summa cum diligentia docuerit, ut non immeritò quis demiretur, unde inter Christianos tanta oscitātia. Par enim erat, ut uerba quæ Christus tanta cum authoritate dixit, & in re tam ardua, diligentius animis nostris insculperemus, si quid modo Christianæ pietatis in nobis resideret. Hortor itaque uos fratres, quando etiam Christus tam consolatoria ad nos loquitur hodie, ut ne uerba tam præcedentia ueluti uento & frustra dicta esse sinamus. Qui ea gratia sapientiæ præditus est, ut omnia retinere queat, is totum sibi proponat Euangelium, & memoriæ mandet. Hoc qui non potest, saltem primū uerbum secum

Gregorius.

Fons malorum omnium.

Christi uerba serio animis affigenda.

secum domum deportet, sic tamen, ut qui ministerio Christianæ Ecclesiæ obstricti sunt, simul etiam considerent, quid Christus Dominus noster cùm de bonis, tum de malis pastoribus dicat. Ego sanè omnia uerba singulatim exponere non possum, ueruntamen ne uacuos uos & sine cibo à me dimittam, breuiter Euangelium hoc in tria diuidam. Primũ docebit nos, quid de Christo credere: Secundum quid facere: Tertium quid rogare & optare oporteat. Hæc tria si hodie discere poterimus, & ita didicerimus, ut ea factis cõprobemus, dicã huic diei satis factum esse. Principio & ante omnia non tam in hoc quàm in reliquis Euãgeliis, ea obseruanda sunt, quæ ad fidem nostram pertinent: est enim fides fundamentum, quo sine nullum spirituale ædificiũ subsistere potest, & quantumcunq; aliàs quis ex hoc Euangelio discit ac retinet, operam tamen ludit, si id quod ad fidem attinet contemnat, quemadmodum Gẽtilibus nonnullis nihil profuit, quòd hinc illinc ex Euangelio uerbũ decerpebãt, & id mordicus tenebãt, quandoquidẽ illud absq; fide fecerũt, Nam Euangeliũ ea maximè de causa prædicatũ & scriptum est, ut aut imperiti fidẽ discãt, aut qui fidem cognitã habẽt, in ea confirmẽtur. Alterutrum horum semper nobis necessariũ erit. Si non opus habes, ut denuò in fide doceare, certè opus habes, ut in fide cõfirmére. Multa audierant sancti Apostoli de fide, & ab omniũ optimo præceptore Christo, quin miracula etiam eius uiderant, nec tamẽ pudebat illos dicere, Domine adauge nobis fidem. Diuus Petrus professus erat, Christũ esse uiuum Dei filiũ, ídque illi neque caro neq; sanguis patefecerat, sed Pater cœlestis, & tamẽ opus habebat, ut Christus pro ipso rogaret, ne fides eius succũberet. Quòd si itaq; diui Apostoli sub præceptore tam perito adauctionẽ fidei suæ rogare necesse habuerunt, & B. Petrus, qui alioqui à cõstãtia fidei nomẽ habebat, perstare in ea non potuit, nisi Christus pro ipso rogasset, cuiq; perspicuũ esse põt, & nobis esse opus, ut in fide quotidie corroboremur. Hoc dico propter eos, qui existimãt rem leuẽ esse fidẽ, & mordent labrũ ad mentionẽ fidei. Habent enim psuasum, se ante abũdè in fide instructos esse, cùm tamen nihil difficilius sit, quàm in rebus afflictis posse credere, ita ut etiam Christus dicat, Filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Siquidem diabolus nihil æquè impugnat, ac fidẽ, & nisi quis probe munitus sit, adeò eum perplexum

Quid credere, Quid agere, Quid precari debeamus.

Fides salutis fundamentũ.

Euangelium cur annunciatum.

Luc. 17.

Luc. 22.

Luc. 18.

Fidem ut impugnet diabolus.

plerum & dubium facit, ut quò se uertat nesciat: quemadmodum norunt illi, qui spirituales tentationes experti sunt. Neminē igitur pigeat, aut molestè ferat, sicubi fidei fit mentio. Sed quid docet nos hoc Euangelium de fide? Ego sum
Ioh.10 (inquit Christus) bonus Pastor, &c. Ego cognosco oues meas, &c. Hæc uerba fidem poscunt, quin etiam fidē docent. Quid, inquis, num res adeò magna, ꝙ Christus pastorem se profitetur? Vtiq; res magna est, imo adeò magna & ardua, ut si toto pectore credis, iam saluus sis. Nam hæc fides auferet tibi peccata tua, tum in morte quoque & cōtra mortem te armabit, deniq; ab inferno liberabit te. Quòd ut uerū esse intelligas, hæc uerba Christi aliquāto fusius exponam Principio noueris, Christū hic non de seculari pastore loqui, sed de pastore quē Deus multis retro seculis dissipato humano generi promiserat Seruatorē, id quod manifestius euadit ex Græco textu, ubi nō simpliciter dicitur, Ego sum Pastor bonus, sed cum adiuncto articulo, Ego sum Pastor ille bonus, quo certū sit, eum de certo quodam pastore loqui, qui sibi secundū non habeat, nec habiturus sit. Simili loquēdi forma usus est & Iohānes, ubi Christū ueluti digito
Ioh.1. demonstrat ac dicit, Ecce hic est agnus Dei: sic enim legitur in Græco. Perinde est ac si dicat, Occiditis quidē quotannis multa millia agnorum, sed eorū nullus à peccatis purgare uos potest nisi hic unus agnus, &c. Eundē in modū etiā hîc loquitur Christus. Quo autē uim & significationem huius uoculæ rectius intelligamus, ea quæ prophetæ de hoc uno pastore prædixerunt, ad uberiorē intelligentiā huc adferre oportet. Cæteris autē nunc omissis, solùm Ezechielem au-
Ezech.34. diemus. Hęc dicit Dominus Deus, qui facti sunt greges mei in rapinā, & oues meæ in deuorationē omnium bestiarum agri, eò ꝙ non esset pastor (neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum: sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant) propterea pastores audite
Ibidem. uerbum Domini, &c. Et iterū, Ecce, ego ipse requirā oues meas, & uisitabo eas. Sicut uisitat pastor gregē suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic uisitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educā eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis hubertimis pascam eas, &

in mon

in montibus excelsis Israël erunt pascua earũ: ibi requiescẽt in herbis uirentibus, & in pascuis pinguibus pascẽtur super montes Israël. Et id genus multa uerba reperis in eo loco, ídq; affatim. Hæc uerba profectò non de brutis ouibus, sed de hominibus, de domo Israël, imo de omnibus electis dicta sunt. Eos diabolus dissipauerat in uarios errores & peccata. Et quanquam Deus per Mosen illos in unũ ouile cogere inceperat, coëgit tamen Israëlitas duntaxat, quos deinde pastores sequentiũ temporũ per suam negligẽtiam in pristinũ discrimen adduxerunt. Atq; hoc illud est, q̃d Deus dicit, Quoniam, inquit, diabolus non cessat prædari, & homines, quos pastores designaui, suo officio & uocationi nõ satisfaciunt, ecce ipse oues meas inuisam, &c. Et hoc diabolus pariter ac homines sentient. Diabolus experietur uires meas contra se satis ualidas: impij pastores intelligẽt, suam indiligentiam mihi penitus displicere. Cæterùm oues meæ sentient, quòd ipsarum nunquam obliuisci uelim: quapropter pastorem illis dabo pro animi mei sententia, imo nullum alium, quàm Dauidem seruum meum, hoc est, Christũ unicè charum filium, cuius typum gessit Dauid, hic erit earum pastor, &c. Vide, hoc erat priscis promissum, & eò respexit Christus, ubi ait, Ego sum pastor bonus. Hunc pastorem optimi patres multo antè expectarunt ac desiderarunt. Sic optabat & rogabat Moses, cùm diceret, Dominus Deus spirituũ omnis carnis prouideat hominem qui sit super multitudinem hanc: & possit exire & intrare ante eos, & educere eos uel introducere, ne sit populus Domini sicut oues absque pastore, &c. Sic orabat Michæas propheta, Pasce Domine populum tuum in uirga tua, &c. Et Dauid, Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruũ tuũ, quia mandata tua nõ sum oblitus, &c Christus autem, Ecce, inquit, adsum quẽ quæritis, Ego sum ille bonus Pastor. Iuxta diuinam naturam pastor sum, qui omnia alo, & omni carni uictum suppedito: cæterùm secundum humanam naturã pastor is sum, qui uobis promissus est: ego sum pastor q uos alere nouit, ego luporũ uiolẽtiæ resistere possum, ego educere uos, sanare & seruare scio. Ego sum Pastor q magnos labores exantlaui, & sumptus feci pro meis ouibus: ego sum bonus pastor ille, qui ouibus meis seruaui fidem, & pro iis curam impendi, nec earũ unquam obliuiscar, nec aliud cogito, q̃ quo pacto saginentur: quicquid facio, id earum facio causa, non mea.

Oues domus Israël.

Dauid typus Christi.

Num. 26.

Mich. 7.

Psal. 118.

Ioh. 10.

Psal. 135.

Christus ut sit pastor bonus.

mea.Ego ſum paſtor bonus, qui mercedem nullam,nullam remunerationem cupio,ſed gratis omne officium exhibeo. ad hæc adeò bonus ſum, adeò fidelem ouibus meis nauaui operam,ut meipſum pro illarum ſalute dilaniari paſſus ſim. Nam cùm lupi me opprimerent, dicebam, Si quæritis me, ſiuite hos abire. Poſtremò,adeò ſum bonus,ut oues meas dinoſcam,ut norint quò eant,ubi ſint,ubi ſtent,ut ſciã quibus opus habeant, quãdo ſit auxiliandi tempus,ídque adeò certo cognitum habeo,quàm certo mihi pater meus notus eſt,& ego uiciſsim illi.Hoc certò uobis de me perſuaſum habete. Nec inuenietis,q ſimiliter facere poſsit,aut eũ uelit. Itaque qui hactenus errauit,me aſpiciat, & qui uulneratus eſt,in me credat,&c.Ego ſum Paſtor ille bonus,uobis à patre cœleſti promiſſus. Videte fratres, hæc omnia in hac una uocula cõprehẽſa ſunt:& quî Euangelion lætius habere poſſemus?Quis nocere nobis uel tantillum poſſet,hæc ſi crederemus? Hoc enim uerbo ſeipſum Chriſtus nobis palàm promittit,quòd uelit nobis cõſulere, auxiliari,nos ducere,ſanare,ſeruare & ſaluos facere, &c. Hoc nomine Deo gratias debemus immortales,qui talem nobis dedit Paſtorem.Hanc uocẽ ſemper memoria tenere debemus,& quicquid aduerſitatũ nobis occurrat, ſiue hæreſis ſit,aut peccatum, ſiue diaboli tentatio, aut infirmitas ac imbecillitas fidei,&c.ſemper ad iſtud uerbũ cõfugere, ac dicere, Domine tu ipſe faſſus es te paſtorẽ uerũ eſſe,en me miſerũ,hęc& illa patior,&c.opitulare mihi,fer ſuppetias,&c.Sic ergo nos docet Euangeliũ iſtud primò ea quæ ad fidem pertinent, nec tamen ea ſola. Adeſt quidem bonus Paſtor, tum etiam paſcua bona ſunt, hoc demũ reliquũ erit, ut nos quoq; boni ſincerique ſimus & efficiamur. Chriſtus Dominus nos ſuas oues appellat,interim tamen etiam nonnullos paſtores nominauit. id autem utrobique re & facto appareat oportet. Tempus eſt(inquit Dauid) faciendi Domine.Non ſatis eſt uerbis iactabundum eſſe Id autem non abs re uos moneo. Siquidem plerunq; in nobis uſuuenit, quod Iſaac in ſuo filio accidit: Vox quidẽ,inquit,uox Iacob eſt:ſed manus,manus ſunt Eſau. Verùm hoc non eſt hominis Chriſtiani.Nam ſi olim Ethnico Philoſopho dedecori dabatur, quòd illi dicebatur,Alia eſt oratio tua,alia uita; quanto idem hoc turpius erit homini Chriſtiano? Quare audiendũ nũc amplius eſt,quas Euangelium iſtud regulas & doctrinam præſcribat omnibus

Vt orandus Deus dum aduerſis premimur.

Fidei facta adſint oportet.

Pſal.118.

Gen.7.

Confitentur ſe noſse Deũ, factis autem negant.

omnibus Christianis in genere, maximè spiritualibus pastoribus. Prima regula & doctrina omniũ in Christum credẽtium est, ut pastorẽ suum cognoscant, hoc est, apud sese confiteantur, quamobrem Christus pastorem se nominet, imò cur pastor factus sit, quanta nostra causa fecerit, & adhuc faciat, &c. Huc pertinet quod dicit: Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Et hoc est contra eos, qui nunquam de Christo cogitant, sed similes sunt equis & mulis, quibus non est intellectus, &c. Altera regula & doctrina pro omnibus Christianis est, ut uocem Christi, sui pastoris, tanta cum diligentia audiant, ut iam certo dinoscant à uocibus luporum, &c. Istud contra eos est, qui nihili planè faciunt uerba Christi: quapropter cum lupi ingruunt, uocem ueri pastoris audire se opinantur, atq; ita seducuntur. Quod tam facile & sæpe non fieret, si uoci ueri sui pastoris assiduè uissent. Tertia regula & doctrina pro omnibus Christianis est, ut se semper pro ouibus agnoscant, hoc est, ut se pro imperitis, infirmis, debilibus, & aliena ope indigẽtibus ducãt, atque hoc pacto diligentius suo pastori adhæreant, illum sequantur, quocunq; etiã ipsos ducat: non enim mihi crede, seducet nos, licet sæpenumero uia nobis uideatur difficilis & aspera. Istud est contra eos, qui suæ ipsorum fortitudini fidunt, auxilio pastoris nihil opus esse arbitrantes, idcirco tã facilè à lupo intercipiũtur. Similiter cõtra eos est, qui tãtisper sequuntur, dũ uia est plana, hoc est, dum illis Euangeliũ arridet: cæterum si quid quod carni aduersum est, doceatur, resiliunt & dicunt: Durus est hic sermo, &c. Quarta regula pro omnibus Christianis est, ut ouis Christi non solum sequatur suũ pastorem, sed etiam in ouili remaneat, nec segreget se à reliquarum ouiũ grege, aut in cuiusuis hæretici caulam diuertat. Nam quemadmodũ non nisi unus pastor est, ita non nisi unum est ouile. Hoc contra eos est, qui tã facilè à Christianæ Ecclesiæ consortio secedunt, & scisma faciunt, &c. Id genus homines facilè quoq; tartareo lupo prędа fiũt.

1. Canon. *Christianis omnibus præscriptus.* *Luc. 19.* *Psal. 31.* *2. Canon.* *Cur quidã facile seducantur.* *3. Canon.* *Nosce teipsum.* *Contra delicatos & molles.* *4. Canon.* *Noli ad hæreticos deflectere.* *Vnus pastor, unum ouile.* *5. Canon.*

Quinta regula & doctrina omnibus Christianis communis est, ut omnes ueræ oues sint, non irati seu inuidi canes, non spurcæ & turpes suũ in morem, nõ rapaces ac uoraces ut lupi, sed simplices, mãsuetę, morigeræ, frugi, ut sunt oues. Istud cõtra eos est, qui nihil Christiani habẽt præter nomẽ, sunt impij in Deũ, carni addicti, iniusti in pximũ, non desinunt cõpilare & opprimere infirmũ pecus, &c. Contra hos

Christiani solo nomine.

Ezech.34. uehementiſsimè loquitur Deus in Ezechiele, Ecce (inquit) ego ipſe iudico inter pecus pingue & macilentũ. Pro eo, ꝙ lateribus, & humeris impingebatis,& carnibus ueſtris uentilabatis omnia infirma pecora, donec diſpergerẽtur foras: ſaluabo gregem meũ,& non erit ultra in rapinã,& iudicabo inter pecus & pecus. Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorẽ unũ, qui paſcat eas,ſeruum meũ Dauid:ipſe paſcet eas,& ipſe erit eis in paſtorẽ.Ego autẽ Dominus ero eis in Deũ:& ſeruus me⁹ Dauid princeps in medio eorũ: ego Dominus locutus ſum, &c. Quale autem illud futurũ ſit iudicium, uidemus in *Matth.25.* Matthęo,nimirũ quòd oues ad dextram,hœdi ad ſiniſtrã ſtatuũtur,&c. Vide,has regulas & doctrinã iſtud euangelium omnibus qui in Chriſtũ credunt proponit.Deinde etiã pecu*Canones paſtorum.* liares quaſdã regulas præſcribit paſtoribus,imò unam regulam generalẽ,quæ cæteras omnes continet: Bonus paſtor (inquit) animam ſuã dat pro ouibus ſuis,&c. Hanc regulã diligenter conſiderabunt omnes ij,qui paſtoris gerunt mu*Dare animam quid ſit.* nus.Dare autẽ animam ſuam pro ouibus, eſt mortẽ obire ut Chriſtus fecit.Aut dare animã ſuam, eſt omnia impendere ad procurandam ouiũ ſalutem. Atqui anima triplicẽ uir*Triplex animæ facultas.* tutẽ habet,rationalẽ,iraſcibilem, & concupiſcibilẽ uirtutẽ, id omne impendere paſtoris eſt.Rationabilem uirtutem,ut oues inſtruat:Iraſcibilẽ,ut probatę uitę exẽpla prębeat:Cõcupiſcibilẽ autẽ uirtutem, ut liberaliter & exuberanter ſuis ouibus proſpiciat,in diſpenſando diuinũ uerbũ & Sacramẽtum,& ſi res poſtulet,etiã temporali ope ſuccurrendo. Hãc regulam & doctrinam dat euangeliũ iſtud paſtoribus: quod contra eos eſt,qui rem leuiculã ducunt paſtorem ſeu animarũ curatorem agere:unde fit ut ipſi ſeſe ſolum ob temporale compendiũ ingerant, nihilq; minus faciant quàm quòd ſuarum ouium earúmque ſalutis curam gerant.Rebus ſecundis potenter regunt & imperant,cæterũ rebus afflictis nihil penitus auxiliantur,imò primi fugam capeſſunt:ſunt uerè conductitij ſerui, quanquã uerũ paſtorale pedũ & perã habere uidentur.In ſumma,neq; diligentiã in doctrina,neq; temperãtiam in uita ſua declarãt,neq; in externis officiis auxiliiſque.Et quot horũ ſunt modò in eccleſia? Siquidem omnes *Ezech.13.* præclara in eccleſia munia dignitatéſq; captamus,cæterum nemo eſt,qui ſe murũ opponat pro domo Iſraël: nemo eſt, qui doleat miſerabilẽ tot animarũ interitum: ſunt haud dubiè duri,immiſericordes homines, qui abhinc iã tot annos eccleſiã

ecclesiam in summo discrimine deseruerunt, nec illā etiámdum sua ope fulciunt. Quòd si spiritu Christi præditi essent, iam pridē non solū bona sua tēporaria, uerū etiam propriū suum corpus pro ecclesia impendissent. Quare fratres, oculos aperiamus, siquidē ingens ex ea re nobis imminet periculū. Si impius (dicit Dominus) in iniquitate sua per te morietur, sanguinem eius de manu tua requirā, &c. Sic itaque hactenus audiuimus, quid euangeliū istud nos doceat, ut faciamus. Dehinc tertio uidebimus, quid optandum præterea rogādúmq; nobis sit. Id autē uno nobis uerbo indicat Christus: Erit unus pastor & unum ouile, &c. Hoc optare & impensè rogare debemus, Piissime Domine Iesu collige disiectas tuas oues, &c. Fuit quidē uerus pastor multis ante secu lis, sed nondū illum omnes agnoscebant pro uero pastore: tum etiā pridem unū ouile factum est, & murus dirutus, qui Iudæos & gentes discernebat, sed nondū omnes in hoc oui li sunt, imò quod miserandum magis est, uidemus multos quotidie extra hu' ouilis septa excedere, &c. Quam ob rem assiduè Deus orandus est, ut & illos, qui à nobis abscessere defecerúntq; reducat, & qui nondū in hoc ouili fuerunt, effi ciat ut ingrediantur. Nihil rogare melius possumus. Ad hāc rē omnes adiutores esse possumus, alius doctrina, alius cōsilio, alius oratione, &c. Vide, hæc sunt, quæ nos euangeliū istud docet. Credere debemus, Christum esse pastorem nostrum, illum diligēter ut oues imitari, orare pro iis, qui Christum nondum agnouêre, &c.

Ezech. 3. 33.

Vt multi ad hæreticos deficiant.

SECVNDVS SERMO DOCET, CVR *Euangelium istud in Paschæ festis legatur cum expositione primorum uerborum* Euangelij.



NON absque singulari causa institutum est, ut mox sub paschæ festa euangelium istud legatur prædicetúrque. Principio nanq;, quoniam circa hoc tempus omnia iudicia & negotia forensia, quæ aliquandiu intermissa fuêre, repetuntur, non immeritò hodie omnibus iudicibus proponitur bonus pastor Christus, quo discant etiam ex illo exemplo, ne priuati commodi, sed aliorū hominū profectus & emolumenti rationē habeant, quin etiam animarū suarum ac uitę, si ad eum res redeat locum, ob iustitiā dispendiū facere nō dubitent. In hunc adeo finē illis quoq; in hodierni sacri nes

Iudicib' quod exemplum propositum.

missę initio proponitur misericordia Dei plenam esse omnẽ terram, ut ne & ipsi in iudiciis suis misericordiæ obliuiscantur, quemadmodum Deus in suo iudicio misericordia & iustitia, cum primis autẽ misericordia, nihil antiquius habet.

1.Pet.2. Ad hæc in hodierna Epist. proprię suæ infirmitatis cõmonefiunt, maximè in eo uerbo, ubi Petrus ait: Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorẽ & episcopũ animarũ uestrarum. Hoc, inquam, iudicibus & magistratui prælegitur, ut & ipsi hinc discant aliorũ hominũ errata miserari.

Secundò legitur istud Euangelium de bono pastore mox sub paschæ festo, ea etiam de causa, quo pastores omnes & animarũ curatores maiorem adhibeant diligentiã, posteaquam nobis Christianis circa hocce temp⁹ periculũ omniũ maximum impendet. Nã tametsi nunquam fit sine periculo, ubi peccatur, nunquam tamen periculosius est, quàm quando post acceptã gratiam mox ad pristina flagitia recurritur. Quapropter ut eò diligentius pastores uigilent & obsistãt, Christus illis proponitur exẽplum, ídq; non simpliciter, sed in opere omniũ maximo, in quo nihil prætermisit, quod ad recuperandas asserendásque perditas oues facere possit. Et quo pacto sui officij admoneri seuerius possunt, quàm tali exemplo Christi? In eo ipso uidere possunt, quæ sit muneris illorum ratio, & quod periculum eos maneat, si per negligẽtiam ipsorum animæ perditum eant, ob quas Christus mortem oppetiit. Tertiò, eam quoq; ob rem hodiernũ Euangelium mox à Paschæ festis legitur, quo ij, qui in priorem uitæ turpitudinem recurrere meditantur, quíq; monitorẽ nullum audiunt, saltem Christum audiant, ubi inquit: Ego sum pastor bonus. Nã hoc uerbo eos admonet sui amoris, solicitudinis & multi laboris, quem nostra causa exhibuit & declarauit, perinde ac si dicat. En homo, ego sum pastor bon⁹, qui tam diligenter te quęsiui, tã graues pro te subij labores, tantíq; te redemi. Hoc animo tecũ reputes, nec amoris mei & beneficiorũ ita facilè obliuiscare, ne te iterũ in pristinum periculum conijcias. Nam ego pro certo tibi affirmo & annuntio, te simul atq; à me recesseris, tartarei lupi fauces nõ euasurum. Etenim ego solus sum pastor, qui te seruare potest, &c. Et eiusmodi homines quî acrius admoneri possent? Sic itaq; manifestũ fit hoc uno & breui Euangelio, primũ Iudices, deinde pastores & qui animarũ curam gerunt, deniq; etiã oẽs Christianos in cõmune doceri ac instrui: id quod clarius

Peccata quæ plus habeant discriminis.

Pastoribus quod obiectũ exemplum.

Contra eos, qui in uitia recidunt.

Peccantium amentia.

clarius uidebit, qui uerba quibus hîc utitur Christus, ordine disquirit & considerat. Quod ut cognoscatis, principiũ seu primã partem huius euangelij breuiter uobis exponam, omninò sperans, id nobis undiquaq; ad bonũ inseruiturũ. Et primò uidemus in hoc euangelio, quàm Deus malũ, quod impij homines patrant, pulchrè norit destinare & uertere in fideliũ suorũ utilitatẽ & cõmodũ. Nã ad hæc prolixa & pulcherrima uerba, quæ Christus ab initio decimi capitis in Iohanne, usq; ad hodiernũ euangeliũ locutus est, unicũ phari sæorũ factũ illi occasionẽ dedit, quod cæcũ natum iniquè è synagoga eiecerant. Nã sub hæc Christus mox cœpit loqui de bonis & malis pastorib⁹. Verissimũ itaq; cõperitur, quod Paulus dicit, Scimus quoniã diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonũ. Sic enim etiã pharisæorum nobis ad hoc profuit malitia, quòd Christus tã multa insignia & consolatoria uerba elocutus est. Dehinc obserua circa istud Euangeliũ, quod qui prius uiuã seu scaturientẽ aquam, panẽ uitę, & lucẽ mundi appellarat, nunc alio nomine sese nobis proponat & innotescat, uocans se pastorẽ. Ideò autem sibi ipse tot tribuit nomina, quo nos omnes uidere melius possim⁹, quanta in illo & per illũ bona habeamus, & ut conscientiæ nostræ tantò confidentius in illũ credant, in morte & omni afflictionũ tempestate. Obserua tertiò, quòd Christus nullũ sibi indat nomen, ad quod homo terreri possit. Enimuerò seipsum iurè potuisset uocare Iudicẽ, Dominũ, fortẽ Deum & Zeloten, &c. Sed ad hæc nomina expauescimus nos mortales. Quare eiusmodi sunt illi nomina pleraq; omnia, quæ ad ipsum nos pellicere & pertrahere possunt. Atq; hîc perspicuũ fit, quid intersit inter legẽ Moysi & Euangeliũ Christi. Lex hominẽ terret & cõpellit minis, Euangelium uerò inuitat nos & ducit promissis. Et sic quidẽ Deus in Osea recce perat: In funiculis Adam trahã eos (inquit) hoc est, beneficiis & promissis, quibus homines haud ægrè pelliciuntur. Hunc in modũ fidei nostræ incredibile solatiũ præbetur, dũ Christus pastorẽ se uocat. Meritò autẽ Christus pastorem se nominauit. Nã secũdũ diuinitatẽ suã is est, qui dat escam omni carni, in quẽ oculi omniũ sperant, ut qui dat escã illorum in tempore opportuno, imò qui aperit manum suam: & implet omne animal benedictione. Secundò quoq; iuxta humanam naturam pastor est, nam illi grex Dei potissimum omniũ concreditus est. Suscitabo (inquit) super oues meas

Vt malis etiã bene Deus utatur.

Ioh. 9.

Rom. 8.

Ioh. 4. 6. 9.

Exod. 20. 34.

Inter Moseos & Christi legem discrimen quodnam.

Osee. 11.

Pastor ut sit Christus.

Psal. 135. 144.

Ezech. 34.

pastorem unum, qui pascat eas, seruum meum Dauid, &c. Id autē de Christo omnino dictū est, qui è Dauidis genere nasciturus erat. Nā Dauid ante multos annos in fata concesserat, quàm hæc uerba scriberentur. Hinc fit, quòd Petr⁹ Christum uocat Principem Pastorum, Paul⁹ magnum pastorem.

1. Pet. 5.
Heb. 13.

Vocat igitur se Christus pastorem, ut sciamus, quòd sit is, qui omnia alit & pascit. Etenim hæc uox Pastoris, originem suam trahit à pascendo. Sic Christus filius Dei populum suū pauit in deserto manna. Moysen & Eliam pręter naturę morem pauit & sustentauit quadraginta dies & noctes, absque omni naturalis cibi adminiculo. Omnia quæ uiuūt animantia suo naturali pascit & conseruat pabulo, etiam dum pascit omnes homines tam malos quàm bonos, morigeros & immorigeros, neminem à naturali cibo arcet, sed solem suum patitur oriri cum bonis, tum malis, & pluuiā mittit in usum bonorum & improborū, haud secus ac olim Ioseph suos fratres pascebat, licet nequaquā meritos, imo quos ulcisci iure potuisset. Cumprimis autē Christus pascit suos fideles cibo spirituali, hoc est, diuino suo uerbo & Sacramentis. Secundò Christus uoce illa, ubi pastorem se nominat, ostendere uult, quantā curam pro nobis agat. Munus enim pastoris curam & laborem desiderat, ueiut Iacobus dicit. Proinde spōdet nobis Christus hoc pastoris cognomine se pro nobis curaturū, id quod meritò nobis gaudium & solatium & afferre debet, quandoquidē maius nihil optare possumus. At enim Deus & in aliis locis eadem promisit, ut cùm in Zacharia ait, se fore murū igneum in circuitu populi sui. Et in Isaia, se nihilo magis obliturū, quàm mater sui infantis obliuiscitur. Eiusmodi uerò curam & solicitudinē, quam Deus pro suis gerit & habet, prædicat Dauid magnificis uerbis cōpluribus in Psalmis. Velut ubi ait, Dominus regit me, seu pastor meus est, & nihil mihi deerit, &c. Et rursus, Dominus illuminatio mea & salus mea, quē timebo? &c. Itē, Auxilium meū à Domino q fecit cœlū & terrā, neq; dormiet q custodit me, &c. Si ergo te agnoscis ouē, cui multa instāt pericula, si times lupū, si cibum tuū & alimentū cupis, ad Christū curre: Ego sum pastor bonus, inqt. Tertiò hac uoce nos quoq; cōmonefacit omnis laboris, quē pro nobis sustinuit, perinde ac si dicat, Reuoca in memoriā ô homo, quāto labore te quæsierim, quāto pretio redemerim, nimirū nō corruptibilib⁹ auro uel argēto, sed proprio meo sanguine, &c.

Exod. 16.
Deute. 9.
2. Reg. 19.
Matth. 5.
Gen. 50.
Curæ ut simus Deus.
Gen. 31.
Zach. 2.
Esa. 49.
Psalm. 22. 26. & 120.
1. Pet. 1.

Ideo au

Ideo autem nobis in memoriam Christus redigit laborem, quẽ pro nobis fecit, quo cognoscere melius possimus peccatorũ grauitatẽ, & magnitudinẽ amoris ipsi⁹, & ob id nos erga illũ gratitudinẽ maiorẽ declaremus, diligẽtiúsq; nobis posthac à peccatis caueamus, uti Paulus hortat̃, ubi inquit, Empti estis pretio magno. Glorificate & portate Deũ ĩ corpore uestro. Quartò indicat Christ⁹ cognomine pastoris, se eũ esse qui nostræ stultitiæ seu inscitiæ, atq; etiã inertię nostræ medeatur. Nam quod pastor est ouibus, hoc nobis est Christus: & ut omnis profectus & felix status ouiũ in pastore cõsistit (alioqui enim facile dãno afficerẽt̃) ita omnis nostra salus à Christo pẽdet. Tãtò maiores Deo gratias debemus, q talẽ nobis pastorẽ ꝓcurauit. Postremò, ideo quoq; Christ' pastorẽ se nominauit, ut suis apostolis eorúmq; posteris ostẽderet, ipsorũ functionẽ nõ imperio, sed ministerio pagi debere, & nõ otiosos, sed inexhausti laboris homines postulare. Huius illos admonet hac uoce. Interim tamẽ obserua, ꝙ Christus nõ simpliciter pastorẽ, sed bonũ pastorẽ se appellat, queẽadmodũ liqdo cernere est in Ezechiele, & deinde etiã in isto Euãgelio indicatũ est. Meritò autem se Christus bonum dicit pastorẽ. Etenim bonus natura est, ueluti ipsemet ait, Nemo bonus, nisi unus Deus. Secũdò bon⁹ est gratia, uti sapiẽs dicit, Quàm bon⁹ Domine spirit⁹ tuus? Tertiò bonus est ĩ pastorali suo officio, sicuti postea demõstratur. Hinc ꝓspicis, quãta nobis in hoc primo uerbo data sint & dẽtur. Hunc pastorẽ exoptat Moses, cùm inquit, Prouideat Dominus Deus spirituũ omnis carnis, hominẽ q sit super multitudinẽ hãc: & possit exire & intrare ante eos, & educere eos uel introducere, ne sit populus Domini sicut oues absq; pastore. Sed nũc aduerte, quẽadmodum se Christus probet pro bono pastore: Bonus pastor, inquit, animã suam dat pro ouibus suis: aut alium in modum, animã suam dat pro ouibus suis, hoc est, tã ardẽti eas amore prosequitur, ut non solum sua, uerum etiam seipsum, imò si qua fieri possit, cor suum & animam cum ipsis partiri cupiat. Hisce utrisq; modis Christus uerè animã suam pro ouibus suis impendit, siquidẽ mortuus est pro suis fidelibus. Imo hoc æquius boni pastoris nomen in illũ competit, quòd pro eis mortuus est, cùm adhuc peccatores & inimici ipsius essent. In hoc, inquit Paulus, cõmẽdat charitatẽ suã Deus in nobis, quoniã cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis

Agnosce Christi laborem, et uita peccatũ.

1. Cor. 6.

Christus cur se uocet bonũ pastorem.

Ezech. 34.

Luca 18.

Sap. 12.

Num. 27.

Animam ponere pro ouibus quid sit.

Rom. 5.

mortuus est. Potuisset quidem Christus eiusmodi suam boni tatem & amorem aliis ac maioribus rebus testari. Nam cùm in forma Dei esset, semetipsum pro nobis exinaniuit, serui formam accipiens: atque etiã cùm adhuc haberet nonaginta nouem oues, hoc est omnem angelorũ multitudinẽ, relictis tamen illis, unicam ouem humanum genus secutus est. Hisce, inquam, rebus Christus suam demonstrare bonitatẽ potuisset, sed in tali exẽplo eum imitari nemo quiuisset. Bonus pastor, inquit, animã suã dat pro ouibus suis. Hoc exẽplum bonus quisque, qui spiritum charitatis habet, sequi potest, & id quidẽ alacris ac lubens, quẽadmodum beatus Paulus dicit. Ego libentissimè impendã, & superimpendar ipse pro animabus uestris. Secũdò nulla alia re Christus pro germano se pastore probare uoluit, quàm sua morte, ideo uidelicet ꝙ dilectio esse nulla maior possit, quàm si qs animam suã pro amicis suis tradat. Tertiò propterea etiã Christus mortis suæ mẽtionẽ facit, quo doceat, neminẽ in ecclesia sua nomine pastoris dignũ esse, nisi omni momento paratus sit nõ solũ facultates suas, uerũetiã uitã ꝓ suis ouib᷑ impendere. Vnde & Christus ait, Si quis uenit ad me & nõ odit patrem suum & matrẽ, & uxorẽ & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animã suã, nõ potest meus esse discipulus. Sic unũquemq; uidere posse arbitror, quantũ bonus Christianus circa prima huius Euangelij uerba considerare habeat. Restat, ut id ita in rẽ conferamus. Deus nos omnes sua dignetur gratia, Amen.

Phil. 2. *Luc. 15.* *2. Cor. 12.* *Ioh. 5.* *Luc. 14.*

TERTIVS SERMO DE RELIquis hodierni *Euangelij uerbis.*



IN hodierno isto Euangelio clarè deprehenditur Paulus rectè & uerè dixisse, ubi ad Corinthios suos scribit, Quia in Dei sapiẽtia nõ cognouit mũdus ꝑ sapiẽtiã Deũ: placuit Deo ꝑ stultitiã prædicationis, saluos facere credẽtes. Dictu istud Pauli planè in hodierno Euãgelio cõprobatur, id quod nemini obscurũ esse potest. Quid maiorẽ opinionẽ habet sapiẽtiæ & sciẽtiæ, quàm quod Ethnici philosophi scripserũt docuerũtq;? Verũtamẽ nemo illorũ ꝑ eiusmodi ingenij sui aciẽ & sapiẽtiã Dei cognitionẽ assequi potuit. E diuerso qd simplicius, humilius & in speciẽ abiectius corã mũdo, quàm Christi adeò doctrina? Nónne magna simplicitas, ne di

1. Cor. 2.

Philosophorũ scripta cũ Christi doctrina cõponuntur.

ne dicã stultitia & ineptia uideř, quòd Christ⁹ in hoc Euangelio nihil aliud loquitur, quàm de pastorib⁹ & ouibus? Attamē si rē probè reputemus, Christus eiusmodi suis simplicibus, & mũdo stultis prædicationibus plus ꝓfecit, quàm Philosophi suis rationibus, artib⁹, sapiētia, & ingeniorũ acumine: oēs mortales ad Dei agnitionē deduxit, & quotidiè adhuc suos fideles ad salutē ꝑducit, quod illi præstare minimè potuerũt. Quãobrē doctrina Christi nemini ꝓpterea despicatui esse debet, quòd simplex & humilis apparet, multò uerò magis illi gratiã habere cõuenit, quòd nobis suã uolũtatē talibus uerbis ꝓposuit & explicuit, quæ intelligere possumus. Atqui nemo nescit qd sit pastor & uocetur. Quàm uerò res ingētes nobis Christus eiuscemodi uerbis aperuerit ostēderitq;, in ꝓximo sermone dictũ est. Cũ reliquis huius Euãgelij uerbis rē eodē modo habere cõperiemus, ideóq; illa disqremus etiã. Sic seqtur in Euãgelio. Mercenarius autē & q nõ est pastor, cuius nõ sunt oues ꝓpriæ, uidet lupũ uenietē, & dimittit oues, & fugit, &c. Primis uerbis decimi capitis in Iohãne, Christus bonũ & malũ pastorē descripsit. Nũc hoc uerbo aliud gen⁹ hominũ designat, nõ omniũ pessimũ, nõ enim sunt fures neq; latrones, qa ꝑ ostiũ ingrediũtur & rectè docēt. Nec tamē omniũ optimi sunt, qa seipsos plus quærũt & amãt, quàm oues earúmq; salutē. Hæc in genere de mercenario. Mox indicat Christ⁹ uerã eiusmodi hominis cõditionē, atq; eæ cõplures sunt. Primò (inqt) talis mercenarius nõ est pastor, imò ne nomine qdē dign⁹ est, quãdoquidē seipsum plus quærit & amat, quàm oues, quãquã hoc uerbo aliud insuꝑ genus hominũ indicatũ est, nēpe eorum hominũ, q titulo & nomine dũtaxat pastores sunt: fures & latrones qdē nõ sunt, sed nec pastores dici possunt: imò nec mercenarij sunt, siquidē nihil prorsus laborãt, sed illi sunt, de qbus Deus in Zacharia loqᷣ, Ecce ego suscitabo pastorē in terra, q derelicta nõ uisitabit, &c. Erũt itaque hoc pacto quinq; hominũ genera, q præsunt Ecclesiæ. Qui nõ intrat ꝑ ostiũ, fur est: q priuato cõmodo studet, mercenarius est: q falso & ꝑperã docet, latro est & lupus: q solũ & summo studio hominũ quærit salutē, is bonus pastor est: cæterũ q nihil pastore dignũ habet, præter nomē pastoris, idolũ est pastoris, uti eũ Zacharias uocat. Secũda cõditio mercenarij est, quòd oues nõ sunt illius ꝓpriæ: nã in corde suo neq; spiritũ neq; animũ pastoris habet, sic ut nemini mi-

Christi doctrina ob simplicitatem minimè contemnenda.

Ioh.10.

Mercenarius depingitur.

Zach.11.

Fur.

Mercenarius.

Latro.

Pastor bonus.

Idolum.

Zach.11.

rum uideri debeat, si ea fide ouiũ curã nõ gerat, quẽadmodum in Isaia & Ezechiele de Christo uero pastore ostensum est. Tertia conditio mercenarij est, uidet lupũ uenientem, hoc est, uidet ingruere periculũ, scit q̃d falsa doctrina damni ferat, scit nõnullos capitaliter peccare, &c. hęc omnia cognita sunt mercenario, attamẽ tacet. Et idcircò omnis illi prætextus adeptus est. Verum peculiarẽ emphasin habet, quod Christ' dicit, Videt lupũ uenientẽ: p̃inde ac si dicat, Lup' nõdum adest, abest adhuc p̃cul, necdũ mercenarius dãnũ aut periculũ sensit, & tamẽ sibi cõsulit & fugã adornat, & quod magis est, oues in discrimine relinquit. Oues nõ fugiũt ab illo, nec enim causam habẽt, cur uocẽ ipsius nõ audiãt, commerciũ ipsius uitẽt, aut lac suũ & lanã illi denegẽt, sed ipse ab illis fugit eásq; deserit. Atq; hìc obserua, mercenariũ nõ ideo malè audire, quòd prædat' sit, mactarit & p̃diderit, sed solùm quòd periculũ uidẽs in pedes se cõiiciat, nec apud oues maneat, sed relinquat eas in periculo, hoc est, quòd substrahat illis uerbũ admonitionis, ueritus ne si lupo resistat, tẽporale aliquod dispendiũ patiatur, amittátq; quod quærit & amat: idcirco fugit. Et quid cõsequitur, sicubi nõ germani pastores, sed mercenarij, hoc est, priuati quęstus studiosi pastores, prædicatores, ac duces habẽtur, qui in necessitate & periculo nõ perstãt? Lupus (inquit Christus) rapit quãtũ potest, & dispergit oues. Hisce uerbis indoles & ingeniũ diaboli egregiè depicta est. Primò namq; lupus est, quãtumuis blandũ sese exhibeat. Tum autem dilaniat tartareus iste lupus oues, quãdo eas per falsam doctrinã, per peccatũ, scãdalum & mortem lædit ac perdit, imò quando eas abducit à Deo in suũ regnũ. Quas autẽ arripere hoc pacto & occidere non potest, eas dissipat, & in errores agit, ut ubi tutæ sint, nesciant. In culpa est mercenarius, quòd fugit. Quocirca tametsi oues ipse nõ iugulat & interimit, attamẽ quia fuga sua lupo in man' tradit, interitus illarũ omniũ corã Deo reus est, & sanguis etiã earum à manibus ipsius requiretur. Mercenarius (inquit Christus) fugit. Fugit nonnunquam & fidelis pastor, imo si persecutio ad se solum spectet, fugit quidem, sed nõ deserit oues, nec omittit suũ munus & prædicationem. Hoc modo etiam Christus aliquãdo fugit, similiter & Paulus, nõ tamen oues deseruerũt, aut à prædicandi munere destiterũt. Cęterũ mercenarius ita fugit, ut suã prouinciam penitus omittat, & solicitudinẽ pro ouibus prorsus ex ani

Fugit mercenarius uiso lupo.

Diabolus ut sit lupus.

Ezech. 3.

Vt etiam uer' pastor interdum fugiat.

Ioh. 6.

Act. 9.

ex animo eiiciat. Est enim mercenarius (inquit Christus) & oues nō sunt eius propriæ: hoc est, suū tantū cōmodū quærit, nec illi sunt cordi oues. Hæ sunt cogitationes mercenarij. Sed quid dicit Christus? Ego sum pastor bonus. hoc secūdo repetit, ut intelligamus, eū prioris populi simul, & eorū qui nūc credūt, pastorē fuisse, & adhuc esse. Dehinc etiam bis se pastorē appellauit, quo altius animis nostris insideat, posteaquam, ut superius dictum, homini credēti incredibile solatium in iis Christi uerbis datur. Tertiò propterea toties bonū pastorē se nominauit, ut palàm fieret, ipsum in culpa nō esse, si in peccatis nos mori & perire contingat, perinde ac si dicat, Quod ad me attinet, paratus sum auxiliari, regere & pascere: si quis perit, suo ipsius uitio perit: siquidem argumentum est, eum obsequundare noluisse. Posthac demōstrat Christus, quomodo quáue ratione sit bonus pastor. Ego (inquit) cognosco oues meas. Hoc uerbo primū terrorem incutit iis, qui quidē ouium uestibus induti sunt, sedent in ouili, nihil tamen sunt aliud, quàm lupi, qui suo tempore iterum expellentur, perinde ac si dicat, Tu hypocrita & fucate Christiane non mihi uerba dabis mentita tua specie: noui ego oues meas, imo non sunt omnes oues, quæ sunt in ouili. Eundē in modum & alibi dicit, Non de omnibus uobis dico: ego scio quos elegerim. Et in Matthęo, Nō omnis qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cœlorum. Dicit item Paulus, Deū cognouisse qui eius sunt. Quod sanè falsos & fictitios Christianos merito terrere debet, quādoquidē scimus omnes eos, qui in supremo die pro ouibus Christi nō agnoscentur, sententiam illam audituros, Discedite maledicti in ignem æternum. Secūdò Christus hoc uerbo omnibus bonis exuberātissimū solatiū præbuit, quādoquidē homini nihil accidere lætius potest, quàm quū audit & uidet, Deum pro ipso curā gerere, quēadmodum è diuerso nihil tristius obtingere homini potest, quàm ubi animaduertit, se Deo curæ nō esse, sed ita eū se gerere, ac si nihil ad ipsum attineat, id quod cumprimis diuus Iob sensit, cuius animum nullum solatium relaxare poterat, quandiu intelligebat à se aduersum Deum, ueluti etiam Christus omnis suæ passionis oblitus, querebatur solum magna uoce, se à Deo derelictum. Contra huiusmodi tentationem dicit hîc Christus, Ego cognosco oues meas. Nō dicit simpliciter, amo eas, sed cognosco eas, quod nō paulo plus est & excellen

Suo quisq; uitio in peccatis perit.

Matth. 7.

Ioh. 13.
Math. 7.
2. Tim. 2.

Matth. 25.

Ioh. 30.

Mat. 27.

Cognoscat uti Christus oues suas. excellentius. Vox enim hæc cognoscere, nõ solùm amorẽ, sed etiam cõpatientiam arguit, perinde ac si Christus dicat, Non solùm ex animo illas diligo, uerum etiã ubi sint obseruo, quid illis desit, quid patiantur. In hanc ipsam quoq; sententiã ait Dauid, Cognouit Dominus figmentũ nostrũ. Sic Deus dicebat ad Mosen, Noui te ex nomine. Sic etiã Deus nouerat Iob, Nunquid considerasti (inquit) seruũ meũ Iob, ꝙ non sit ei similis in terra? &c. Sic nouerat Deus septẽ millia uirorũ in populo Israëlitico, qui genua nondũ curuauerant corã Baal. Sic Deus nouerat Dauidem inter omnes fratres ipsius, Prouidi (inquit) mihi regẽ ex filijs Isai. qđ & ipse Dauid fatetur, Domine (inquiens) probasti me & cognouisti me: tu cognouisti sessionẽ meam & resurrectionẽ meã. Sic Christus agnoscebat Nathanaëlẽ, Ecce, inquit, uerè Israëlita, in quo nõ est dolus. Sed aduerte ꝙ Christus porrò dicat, Et cognoscũt me meæ. His uerbis tangit Christus primò eos, qui dixerant, Hunc nescimus unde sit. Est ergo perinde, ac si ad illos dicat, Quid est igitur, quòd non uultis me nosse? tamen cognoscunt me oues meæ: imo quando me nosse uobis non libet, nec ego uos noui inter meas oues. Nam qui ignorat ignorabitur, & quẽ mei pudet corã hominibus, illius etiam pudebit filium hominis, quum uenerit in maiestate sua.

Psal. 102. *Exod. 33.* *Iob 1.* *3. Reg. 19.* *1. Reg. 16.* *Psal. 138.* *Ioh. 1.* *Iohan. 9.* *1. Cor. 14.* *Luce 9.*

Christum qui cognoscent. Secũdò Christus hoc uerbo naturã & ingenium bonorum expressit. Cognoscunt (inquit) me meæ. Hi autẽ cognoscũt Christũ, non qui nomen ipsius uel etiã uerba & opera memoria tenẽt, sed qui in illũ credunt eúmque sequuntur, ueluti scriptura de iis etiã qui neq; credunt neq; obedientes sunt, dicit, ꝙ non nouerunt Deum, uti Pharao dicebat, Nescio Dominũ, & Israël non dimittam. Cæterùm qui ex ouibus Christi sunt, norunt illum, quia habẽt spiritũ sanctũ, per quem ipsum & uocẽ ipsius agnoscunt. At sic illũ agnoscunt, ut credant eum esse uerũ suum pastorem & seruatorem. Et hoc quidẽ est, ꝙ Deus in Hieremia ait: Omnes cognoscẽt me à minimo eorum usque ad maximum. Et in Osea dicunt fideles: Viuemus in conspectu tuo, cognoscemus & sequemur te. Pergit Christus dicere, Sicut nouit me Pater, & ego agnosco patrẽ. Hoc uerbo indicat, quomodo cognoscat oues suas. Non est uulgaris cognitio (inquit) sicuti etiã improbos cognosco, sed sicut me Pater nouit, & ego illũ. Atqui pater Christũ ita cognoscit, ut illũ tenerrime diligat, & Christus uicissim. Hinc itaq; sequitur, etiã cognitionem,

Titum 1. *Exod. 5.* *Hie. 31.* *Osee 6.* *Christus ut cognoscat suos.*

tionem, qua suos electos cognoscit, cum charitate coniunctam esse. O felices illos, quos Christus sic agnoscit, ut illos pariter summè diligat. Sed cōtra ô térq; quatérq; miseros, quos solùm nouit, sed prorsus alienus ab illis est, & ad quos demũ dicturus est, nescio uos. Secundò subindicat Christus, etiã nostram agnitionẽ, qua Christũ & Deum agnoscimus, cum charitate coniunctã esse oportere, hoc est, Christum ita oportet agnoscere, ut illum simul etiam amemus. Tertiò quoq; Christus ostẽdit in hisce duobus uerbis, Ego cognosco oues meas, & cognoscũt me meæ, se utraq; charitatis præcepta adimplesse, sine quibus nemo unquã uerus pastor est & esse potest. Præcipuũ ac maximũ præceptũ est de dilectiōe Dei, & hoc in eo intelligitur qđ Christus dicit, Ego agnosco Patrẽ. Alterũ huic simile est, Dilige proximũ tuũ sicut te ipsum, & hoc in eo intelligitur, ꝙ Christus dicit, Ego cognosco oues meas. Quòd autem Christus prius ait, cognosco meas oues, quàm, sicut ego agnosco patrẽ, ideò fit, ꝙ per charitatẽ proximi ascẽditur ad charitatẽ Dei. Qui enim nō diligit fratrẽ suum quẽ uidet, Deum quẽ non uidet quomodo potest diligere? Sequitur, Et alias oues habeo q̃ nō sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere. Hoc propterea Christus addit, ne qs fortè putet, promissiones Dei solis Iudæis factas esse, perinde ac si dicat, Non moueat te, ꝙ Deus hactenus Iudæorũ tantùm Deus fuit, & ꝙ solùm ad ꝑditas oues domus Israël ueni, eísque solis ꝑdicaui: habeo & alias etiam oues, &c. Sic quoq; Deus in Dauide dicit ad Christũ, Postula à me, & dabo tibi Gẽtes hęreditatẽ tuã, &c. Et in Isaia, Dedi te in lucẽ Gentiũ, ut sis sal⁹ mea usq; ad extremũ terræ. Et Christus ipse in Malachia, Ab ortu solis usq; ad occasum, magnũ est nomen meũ in Gentibus. Et rursus, Multi ab Oriẽte & Occidente uenient, & recũbent cum Abrahã, & Isaac, & Iacob in regno cœlorũ, &c. Verùm obserua hìc, horũ uerborũ, q̃ Christus hìc loquitur, unumquodq; arcanũ quiddã & peculiare in se habere. Etenim primò quã quàm Ethnica natio nondũ uocata erat, dicit tamẽ Christus se iam illã habere, significãs eam ab æterno ad felicitatẽ destinatã esse, quemadmodũ S. Paulus ad Ephe. ait, Deus elegit nos in Christo ante mundi cōstitutionẽ. Secũdò uocat Christus Gẽtes oues suas, q̃ tamẽ peccatis adhuc obnoxiæ erãt, necdum suum pastorem nouerãt, nobis ad doctrinã, ne quẽquam dãnemus ob statum in quo nũc est, quoniam

Matth. 25.

Christum ut cognoscere debeamus.

Luc. 10.

Psal. 2.

Esa. 42.

Mala. 1.

Matt. 8.

Ephe. 1.

latet

latet nos, qd de ipso factur' sit. Tertiò, inqt, nõ sunt ex hoc
Rom. 3. ouili, hoc est, ex populo Iudaico. Hoc uerbo oĩbus, q ex Gẽtib' ad meliorẽ mẽtẽ redeũt, spes data est. Nã ex hoc tẽpore Deus nõ Iudæorũ tãtũ est Deus, sed & Gẽtiũ. Tũ ẽt Euã-
Rom. 1. geliũ est uirtus Dei in salutẽ omni credenti, Iudæo primũ &
1. Cor. 3. Græco. Quartò dicit Christ', Et illas oportet me adducere. tametsi enim Ethnici p Apostolos uocati sunt, attamẽ Christi factũ est uirtute, ꝙ crediderint: nã possunt qdẽ Apostoli serere & plãtare, sed incremẽtũ dat unus Deus. Porrò quòd Christus dicit, Gẽtes adduci oportere, indicio est, nõ sat esse, nos oues esse Christi, nisi in Ecclesiæ cõsortio remaneamus. Peculiariter uerò Christus ait, oportet me illas adducere, ut ostẽdat, suũ & apostolorũ esse officiũ, hoĩes ad Deum
Pastor quibus mederi debeat. adducere. Quare euãgelicus doctor nihil habet tẽporis qd det otio reliquũ. Etenim qdã licet in ouili sint, multa tamen adhuc cura opus habẽt. Nõnulli extra ouilis septa sunt, ij adducẽdi sunt & attrahendi. Aliq ex parte intra, ex parte extra ecclesiã sunt, dũ aut in fide, aut in Christiana uita defectu laborãt. His oĩbus mederi est Euãgelici pastoris. Pergit Christus, Et uocẽ meã audiẽt. Hoc uerbo indicat, se non ui aliquã externa, sed uerbo suo attracturũ eas. Errãt igiť q opinãtur, se coactos à Deo trahi. Vocẽ meã audient (inqt Christus) Verbũ Christi est ductus: hũc ductũ sequũtur oues, nec
Iohan. 6. aliũ ductũ expectãt, sed dicũt cũ Petro, Domine, ad quẽ ibimus? uerba uitæ æternæ habes. Postremò dicit Christus, Et fiet unũ ouile & unus pastor. Ex hoc uerbo nõnulli inferre & dicere uoluerũt, fore, ut post extremũ diẽ tã boni q̃ mali hoĩes in unũ locũ æternæ beatitudinis recipiãtur: id qd sanè
Ouile unũ cuiusmodi erit. falcissimũ est. Nõ enim dixit Christus oẽs hoĩes in unũ ouile uẽturos, sed futurũ esse, ut unũ ouile fiat: cæterũ in ouile ptinẽt nõ canes, nõ hœdi, neq; sues, sed oues tãtũ. Est itaq; certũ, Christũ nõ de malis loqui, sed de bonis dũtaxat, q o-
Matt. 25. uibus cõparãtur. Huc ptinet, ꝙ Christus ipsemet dicit, se in extremo iudicio separaturũ hœdos ab ouib', & in singulos greges peculiarẽ & planè disparẽ sententiã pronũtiaturum.
1. Cor. 6. Quî ergo in unũ ouile trãsire possent? Sic ait etiam Paulus, neq; fornicarios, neq; auaros regnũ Dei possessuros. Dicit
Apoc. 22. item Io. canes & ueneficos, &c. foris mãsuros. Quî igitur boni pariter & mali in unũ ouile cõgregarẽtur? Noueris itaq; Christũ hîc loqui de Ethnicis: hi nõ erãt ex ouili Iudæorũ, non enim erant ex progenie archipatrũ, alieni reputabãtur

à mun

à municipio Iſraëlis,imo abſq; Deo erãt,neq; promiſſa,neque ſpẽ habẽtes. Quapropter Chriſtus hoc uerbo nihil uult aliud,quã ut murus inimicitiarũ,q̃ hactenus Iudæos & Gẽtes diſcreuerat,deiiciatur,& poſthac oĩm fidelium,ſiue ii eſſent Iudæi,ſiue Gẽtes, una eccleſia ſit,& ob id etiã Chriſtus lapis angularis uocatur, qui utrunq; hũc populũ,Iudæos & Gẽtes,tãquam duos muros cõprehẽderet & cõglutinaret. Quoniã ergo ſancti Apoſtoli ſimulatq; Spiritũ accepiſſent, Gẽtes uocare cœperũt,certũ eſt,hoc uerbũ Chriſti iam pridem cõpletum eſſe,& in dies adhuc cõpleri. Quare non eſt ꝙ quiſquã expectet, aut etiã ſperet,malos etiã tandẽ in ouile receptũ iri, quãdoquidẽ Chriſtus palàm dicit,ituros eos in gehennã. Porrò ꝙ omniũ electorum,ſiue ſint Iudæi,ſiue Gẽtes,nõ niſi una eccleſia eſt, non ita eſt accipiẽdũ, ꝙ oẽs electos in uno loco eſſe neceſſe ſit in hac uita,ſed ideò ſolũ unũ ouile ſeu eccleſia uocatur, nẽpe propter unitatẽ fidei, ſpei,& charitatis,q̃ in ea eſt. Eſt enim illa unicũ corpus Chriſti,ꝙ ab uno capite Chriſto regitur, ab uno Spiritu ſancto uiuificatur,uno fonte lauatur purgatúrq;, uno cibo fouẽ, una lege ordinatur, & ad unã patriã ꝓficiſcitur, ac feſtinat. Idcircò ex hoc uerbo multa bona depromi poſſunt. Primò, ꝙ nemo ſaluẽ,niſi in hoc ouili eccleſiæ ĩueniatur: ſicuti nemo diluuiũ effugere poterat, niſi qui in arca Noë mãſiſſet. Secũdò cõſequitur ex hoc uerbo Chriſti,non ſatis eſſe, aliquem corpore eſſe in ſancta Chriſtianitate, niſi ouis ſit, & agnoſcat ſuum uerum paſtorẽ Chriſtum. Tertiò ſequitur ex hoc uerbo Chriſti, complures nunc eſſe in eccleſia corpore quidem,qui tamen in iſtas caulas nõ pertinent,ſed tandem eiiciendi ſint. E diuerſo multi nondum eccleſiam Dei ingreſsi ſunt, qui tamen ad extremum intrabunt. Tanto minus alios temere iudicare,tãto magis uerò nos in metu uerſari debem⁹, uti Paulus docet, Qui ſe exiſtimat ſtare, uideat ne cadat. Deus nobis omnibus det ſuam gratiam, Amen.

Ephe. 2. *Ibidem:* *Pſalm. 117.* *Eſa. 28.* *Matt. 7.* *Eccleſia cur unum uocetur ouile.* *Extra eccleſiam non eſt ſalus.* *Gen. 7.* *1. Cor. 10.*

QVARTVS SERMO DE *uſu iſtius Euangelij.*



SI quis adhuc neſciat, quæ illa res ſit,qua nunc tẽporis nos Chriſtianos gaudere,pro qua gratias agere,quam optare rogaréq;, quinetiam deplorare,metuere & fugere oporteat, uel ex hoc Euangelio quamlibet breui, & ex uerbis

quæ loquitur Christus, desumere ac discere queat. Id quod uobis breuiter exponā. Principio enim, ꝙ Christus statim in principio dicit, Ego sum pastor bonus, docet nos, quare nunc gaudere debeamus, nimirum quòd aliquādo eramus sicut oues errātes, nunc autem conuersi sumus ad pastorem & episcopum animarum nostrarū. Dictu quidē procliue est, Ego sum pastor bonus, sed multa hoc uerbi in se habet. Nā in Ezechiele dicit Deus inter alia uerba, Quia dispersæ sunt oues meæ, & factæ sunt in deuorationem omniū bestiarum agri, eò quòd non esset pastor (neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores seipsos) ecce primum malæ fidei pastores pœnam mihi pēdent, deinde ego ipse requiram oues meas, & uisitabo eas. Imo suscitabo super eas pastorem unum secundum cor meum, qui pascat eas, seruum meū Dauid, hoc est Christum filiū meū. ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorē. Ego autem Dominus ero eis in Deū: & seruus meus Dauid, hoc est Christus princeps in medio eorū. Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciā bestias pessimas de terra. Et nō erunt ultra in rapinā in Gētibus, neq; bestiæ terræ deuorabūt eos: sed habitabūt cōfidenter absq; ullo terrore. Et sciēt quia ego Dominus Deus eorū cum eis, & ipsi populus meus domus Israël, ait dominus Deus. Vos aūt greges mei, greges pascuæ meæ hoīes estis: & ego dominus Deus uester, dicit domin⁹ Deus. Vide, hoc promissum erat, ídq; ad solatium singulare populo fideli, & id summo desiderio expectabāt. Nemo nō expetebat pastorē. Prouideat dominus Deus spiritūū omnis carnis, inquit Moses, hominē qui sit super multitudinē hāc: & possit exire & intrare ante eos, & educere eos, uel introducere, ne sit populus domini sicut oues absque pastore. Et Micheas: Pasce domine populū tuū in uirga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes solos in saltu, pascētur in mōtibus Israël iuxta dies antiquos. Dabis ueritatē Iacob, misericordiam Abraham, quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis. Et diuus Psaltes: Erraui domine sicut ouis quæ periit, quære seruū tuum. Hunc in modū patres olim promissum pastorē suspirabāt. Dicit autem Christus in hoc Euangelio, Adsum, quē quæritis & desideratis: ego sum pastor ille bonus quem uobis Deus promisit, & qui uenturus erat: ego uos pascere possum, ego scio quò uos commodè ducā: ego lupo resistere, ego uos sanare & seruare possum: ego sum pastor

Vnde gaudendum. — *1. Pet. 2.* — *Ezec. 34.* — *Num. 27.* — *Mich. 7.* — *Psal. 118.* — *Christus cuiusmodi pastor.*

pastor qui ouibus meis fidē, curā, amorē exhibui: ego sum pastor bonus, qui nil aliud cogito, quàm ut oues meæ sagi- nentur, illísq; prospectū sit, nullā mercedē aut commodū ca pto, sed gratis facio omnia, ego sum pastor bonus, id quod mea declarant opera: siquidē ego non mea causa ueni, sed ouiū causa, quæ perierant: apud has etiā ita me gessi, ut pastorē decet, & officiū illius postulat, idq; tanta fide & charitate, ut à lupis dilaniari me passus sim, ut saltē oues effugere & immunes euadere possent. Nō solùm autē pastor bonus fui, sed mansurus ille sum, usq; ad consummationē seculi. Et quanquā me oues meæ non uident, cognosco tamē eas, & quàm certò me nouit pater meus cœlestis, & imò quàm pater meus mei non obliuiscitur, tam ego non obliuiscar ouiū mearū. Ego ero cū illis usq; ad finē mūdi, defendā eas, pascā & regā, curam earū gerā, & omnē defectū illis sarciam, nec in his omnibus cessabo, donec eas oēs in unū ouile coëgero, ubi neq; lupū neq; periculū aliquod timebūt, &c. Vide, hoc nobis promittit Christus in hoc euāgelio. Et hoc est, q̄ gaudere nunc & iugiter, atq; etiā gratias agere debemus: Et quidē meritò id facimus. Ecquis nō gaudeat, quum talia audit & animo recolit? Quid securius in terris, quàm Deū ipsū pro pastore habere? Dominus regit me, inquit Dauid, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquā refectionis educauit me, animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suū. Nam etsi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecū es. Quia ergo id nō ex merito aliquo nostro, sed ex mera & gratuita beneficētia fit, meritò laudes & gratiarū actio sequi debet. Et cōsiderare habemus circa primū uerbū huius Euangelij. Pergit dicere Christus: Pastor bonus animā suam dat pro ouib⁹ suis. Et sub finē: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere. In his uerbis optimus quisq; uidet, quid nobis Christianis, & hac maximè ætate optandū rogandūq; sit, nimirū, ut Deus ecclesiæ suæ tales pastores procuret, qui oues suas cognoscant, quibúsq; mos geratur: itē tales pastores, qui parati sint, etiā uitam suā pro ouibus tradere, & qui non cōquiescāt, donec omnes ad Deū adducant, imo qui cū beato Paulo dicere queant, Nō quæro quæ uestra sunt: sed uos. Et iterum, Testis est mihi Deus, quomodo cupiam uos omnes in uisceribus Iesu Christi. Et hoc oro, ut charitas uestra magis

Matth. 2. *Psal. 20.* *Orandū quid sit.* *2. Cor. 12.* *Phil. 1.*

ac magis abundet in scientia & in omni sensu, ut sitis syncœri & sine offensa in diem Christi, &c. Et rursus: Vos scitis, inquit, à prima die qua ingressus sum in Asiã, qualiter uobiscũ per omne tempus fuerim, seruiens domiuo, quomodo nihil subtraxerim utiliũ, quo minus annuntiarẽ uobis, & docerẽ uos publicè & per domos, testificans Iudæis atq; Gentilib⁹ in Deũ pœnitentiã, & fidem in Dominũ nostrũ Iesum Christum. Quapropter contestor uos hodierna die, quia mund⁹ sum à sanguine omniũ. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarẽ omne cõsilium Dei uobis, &c. Et post: Et nunc fratres, commendo uos Deo, & uerbo gratiæ ipsius, qui potẽs est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Argentũ & aurum, aut uestem nullius concupiui. Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrarunt manus istæ. Omnia ostendi uobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse uerbi Domini Iesu, quoniã ipse dixit: Beati⁹ est magis dare quàm accipere: Hoc (inquam) unũ est, quod circa istud Euangeliũ orare & optare debemus, nimirũ ut tales Deus nobis pastores procuret. Secundò cõmunibus uotis optare debem⁹, ut sub unum pastorẽ & in unũ ouile redeamus, & omnis error, dissidiũ, cõtentio, æmulatio, repugnãdi libido, & schisma è sancta Christianitate tollatur: contra uerò pax, amor & concordia in eorũ locum substituatur, & nos oẽs uerũ nostrum pastorẽ agnoscamus, & nostro à Deo dato Magistratui, ac præsulibus pareamus obsequamúrq;, & nos ita geramus inter nos, tanquã qui in unũ ouile pertineant, & unam fidẽ, unũ baptisma, unũ Deum, unũ Christũ, unũ Euangeliũ, unam spẽ nostræ uocationis habeant. Hoc (inquã) optare & rogare quiuis debet, quando circa euangeliũ istud audit, nõ nisi unum pastorem & ouile esse, & esse posse. Diabolus quidẽ semper manibus & pedibus eiusmodi concordiã interturbare nititur, sed tanto magis nostrũ est illi obsistere, & dicere, ueluti angelus dicebat in Zacharia, Increpet Dominus in te Satan: & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalẽ. Consideremus fratres, quantũ gaudij, felicitatis, & securitatis secuturũ sit, si Deo annuẽte pastores simul & oues reformarentur, & in pristinũ locum redigerentur. Et hoc circa alterũ uerbũ huius euangelij cõsiderare habemus. Pergit Christus dicere: Mercenarius autẽ & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupũ uenientẽ, & dimittit

Act. 20.

Præsulibus mos gerendus.

Ephe. 4.

Discordia sator diabolus.

Zach. 3.

Mercenarij multi.

rit oues, & fugit. Circa hæc uerba uidem⁹, quid ecclesia nũc omniũ maximè deplorare posit, nimirũ quòd tam paucos pastores, sed plurimos mercenarios, paucos fideles, sed infinitos priuati cõmodi studiosos ministros habet, qui se ipsos tantùm quærunt, qui lac & lanã accipiunt, sed nullã ouiũ curam agunt, pingues an macilentæ, mundę an scabiosæ sint, non cõsiderant. Hoc (inquã) meritò deplorat ecclesia & deflet. Et hoc illi etiã maximũ intulit damnũ, ꝙ non bona fide cũ ea pastores egerũt. Faxit Deus, ut uel semel ex mercenariis uel pastores fiant: alioqui haud boni quippiã sperãdum est. Nã mercenarius non pro ouibus solicitus est, sed solum pro se ipso. Tum etiam oues ante omnia opus habent fideli pastore, alioqui facile fit, ut in errorẽ abeant, nec possint à lupo se tueri. Vtinã omnes pastores & curatores animarum in hoc Euangelio se contẽplarentur, utinã solum considerarent, qđ pientissimus Bernardus circa illud dicit: Tribus uerbis (inquit) & in tribus personis proponit nobis istud Euãgeliũ totam multitudinẽ prælatorũ & ministrorum ecclesiæ ob oculos: dicit de pastore bono, de mercenario, & de lupo seu fure. Si estis boni pastores, gaudete quia merces uestra copiosa est in cœlis: si estis auari mercenarij, timete uobis, quia periculũ uestrũ magnum est in terris. Sin estis lupi & fures, ingemiscite, quia paratus est uobis locus in inferno, &c. Et hoc est tertiũ, quod circa Euangeliũ istud faciendũ est, nimirũ plorare & queri de magna infidorum pastorũ & curatorum animarum multitudine. Pergit Christus dicere: Et lupus rapit, & dispergit oues. Et hoc est, quod summopere timere & fugere oportet, nimirum ne in lupi manus incidamus. Id autẽ tum fit, quando uerum nostrum pastorẽ agnoscimus, audimus & sequimur. Mox enim ut à Christo fugimus, lupo præda sumus. Sic itaque, opinor, quiuis uidere facilè possit ex hoc Euãgelio, quid gaudere, quid optare, quid queri & metuere oporteat. Reliquũ erit, ut id ĩ rẽ cõferam⁹.

Ezech. 34.

Matth. 5.

Quid formidãdum.

Videbimus nunc, quomodo hodierna Epistola cũ modo dicto Euangelio congruat. Fratres (inquit Petrus) Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplũ, ut sequamini uestigia eius, &c. Hæc uerba Petri magnã cum hodierno Euangelio affinitatẽ habẽt, imò sunt ueluti explanatio illi⁹. Tria dicit Christus in hoc Euãgelio, quę Petrus pulchrè exponit. Primò nominat se Christus bonũ pastorem. Quid autem sibi uelit, indicat Petrus eo uerbo, ubi inquit: Eratis si-

1. Pet. 2.

cut oues errantes: sed conuersi estis nunc ad pastorē, & episcopū animarū uestrarum, perinde acsi dicat, Non pro re leui æstimare debetis, quòd Christus pastorē se nominat: animo uobiscum recolite, quid uos aliquando fueritis, & quid nunc sitis, uidebitis rē esse oppidò magnā. Quid exitio magis uicinum, quàm ouis in sylua palans? E diuerso autē, quid tutius, quàm ouis sub fido pastore? Atqui nos olim eramus ueluti oues errabundæ, & exitio proximi, cæterum nunc pastorem habemus, qui nō solū extrinsecus defendere nos potest, sed etiā speculator est animarū nostrarum. Secundò dicit Christus, bonum pastorē dare & exponere animā ac uitā suam pro ouibus suis. Hoc Petrus ad Christum ipsum refert, dicens eum in propria persona illud cōpleuisse. Peccata nostra (inquit) ipse pertulit in corpore suo super lignū: ut peccatis mortui, iustitiæ uiuamus, cuius liuore sanati sumus. Hic audis quòd Christus ipse animā suam pro nobis impendit, & quì res ea gesta sit, & quā ob rem. Tertio repetit Christus & secundò dicit, se bonum pastorem esse, daturúmq; se animā seu uitā suā pro ouibus suis. Ideo autem id bis dicit, ut intelligamus, eum duas ob causas passum esse. Primò ut nos redimeret, & secundò, ut daret nobis exēplum. Et hoc etiā Petrus declarat: Christus (inquit) passus est pro nobis, hic primum habes: Et reliquit exēplum, ut sequamini uestigia eius, hic habes alterū. Sed quid passus est Christus? Tria, contumeliā, flagra & mortē. Et quamobrē passus est? Num factum est merito ipsius? Minimè sanè, nā nullum peccatum fecit, nec est inuētus dolus in ore eius, sed pro nobis passus est. Et quì se gessit in sua passione? Cum malediceretur, nō maledicebat: cum pateretur, non cōminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè: summa tolerantia & silentio omnia uicit. In hoc nobis exēplum parauit. Et est profectò memorabile exēplum. Quiuisset nobis alia patientiæ exēpla Petrus indicare, utpote de sancto Ioseph, Dauide, Iob, alíisque, qui multa & ingētia passi sunt, & summa cum tolerantia: attamē Christi exemplum reliqua omnia antecellit. Quis enim queretur de sua passione, quum cogitat Christum multo indigniora passum esse, nec tamen ad ea mutuisse? En, hunc in modū hodierna Epistola iā dictū Euāgeliū exponit. Vtrobique res expedit paucis uerbis, sed lōgè efficacissimis. Hoc magis æquū est, ut bonus Christian⁹ ea in intimos animi recessus transmittat. Deus nos sua dignetur gratia, Amen.

Isai. 35.

Ibidem.

Christus duas ob causas passus.
1. ut redimeret.
2. ut exemplū praberet.
Christus tria perpessus.

Christum passum cogita, & leuius feres.

QVINTVS SERMO QVINque in hoc Euangelio similitudines ostendit.


VAM est hodiernum Euangeliũ breue in uerbis, tam uberẽ pio homini cogitãdi materiam suggerit, ídq; faciunt præcipuè quintuplices similitudines, quibus in eo Christus utitur: primò de bono pastore, deinde de mercenario, tertiò de fure, quartò de lupo, & quintò de ouibus. Hę quinque similitudines (inquam) adeò latè diducunt Euangeliũ istud, ut uel de unaqualibet multi faciendi sint sermones, si quis accuratè de rebus istis dicere, & ad unguẽ omnia indicare uelit. Etenim in prima similitudine Christũ, quãtus quãtus est, propositũ habemus, quid pro nobis fecerit, & adhuc faciat, & supra hæc porrò, quales suos Apostolos eorũmq; posteros esse uelit. In altera similitudine habemus totam cateruam ambitiosorum, pecuniarum cupidorum, priuati cõmodi studiosorum ministrorum ecclesię, hi sunt mercenarii. In tertia similitudine uera indoles & ingeniũ hæreticorum depingitur, hi sunt fures & latrones, qui nihil aliud agunt, quàm quod diripiant & iugulent. In quarta similitudine uidemus sanguinarium & crudelem diaboli animum, hic lupus est, qui dilaniat oues quas potest, cęteras dissipat. In quinta similitudine habemus uerã naturam hominis Christiani. Hic ouis est, de qua tota res agitur, quicquid pastor, mercenarius, fur & lupus unquam fecerunt, & adhuc faciũt. omnes ouem expetunt, sed animo dissimilimo. Christus salutẽ eius cupit, & hunc imitantur omnes fidi pastores. Mercenarius suã quærit mercedẽ in hac oue, hoc est, temporalem honorem, bona & uoluptatem. Fur ouẽ ex oculis educit, lupus totã deuorat. Et quis nõ uidet, quàm multa in his uerbis perbręuibus cõprehensa sint? Imò ea adeò sunt, quibus omnes boni & Deo dilecti Christiani nunc & omni tempore occupati esse debent, nimirum ut exemplo Christi imitatione respondeatur, ut habeantur boni pastores, ut priuati commodi studiosis mercenariis auaritia, perniciosis impostoribus fraudulentia & malitia, truculento hosti sanguinarius animus impediatur, oues Christi seruentur, inobedientes & inquietæ reprimantur, & in ordinem redigantur. His cogitationibus (inquam) nunc omnes Christiani occupati esse debebãt,

Similitudines quinque.

I. *Similitudo quid uelit.*

II.

III.

IIII.

V.

Vt animas diuersi dissimiliter aucupẽtur.

bebant,& maximè capita ecclesię in suis congregationib⁹, Capitulis, Synodis, Conciliis,& uisitationibus. Hinc uniuersæ Christianæ reipub. solatium & utilitas non efferenda proficisci posset. Ac tum quidem Euangelium istud cum fructu auditum esset. Porrò Christus quidem in hoc Euangelio quintuplices similitudines recensuit, cæterum nō nisi unam ex illis explicuit, nimirum primam, reliquas nobis diuinandas relinquit. Ego sum pastor bonus, ego animam & uitam meam pono pro ouibus meis, ego cognosco oues meas, & alias oues habeo, quas oportet me adducere,&c. Hæc primæ similitudinis explanatio est de pastore, hinc autem facile colligere est, quæ sint oues, mercenarij, fur & lupi, licet Christus horum nihil apertè & nominatim expressit. Qui pastorem probè cognoscit, iam scit reliqua omnia. Est autē hæc sententia, oēs norunt & nosse debent, non fuisse Christum ouium pastorē, uti in mundo cōsuenit ab iis, quibus armenta committuntur seruāda in campis. Non, sed hominū curam suscepit, non minus solicitudinis & laboris in hominem contulit, quàm pastor in oues suas, hominibus sese agnoscēdum dedit, hominum commercio interesse uoluit, pro hominibus mortuus est,& ut in pauca contrahā, in nobis hominibus se bonum pastorem probauit. Huc quadrat nō solùm, ꝙ Christus ipsemet in hoc Euangelio dicit, uerū etiā ꝙ Petrus in hodierna Epistola tam pulchrè commemorat, quid erga nos fecerit hic pastor. Christus (inquit) passus est pro uobis, imo peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, atque ita ut liuore illius sanati simus. Et hoc idem nos docet Ecclesia in hodierna sua precatione, docet nos cum gaudio & gratiarum actione cōfiteri & Deū laudare, qui nos per eiusmodi humilitatē dilecti filij sui rursum erexit, cùm in peccatū & æternā mortē prolapsi essemus. Et quis nō uidet, nos id meritò facere? Certè diligenti cōsideratione & summa animi gratitudine dignū est, quod bonus iste pastor in rem nostrā fecit. Simile enim quiddam mūdus nūquā expertus est, quādiu stetit, nec experietur unquam in alio quoquam. Inuenti quidē sunt cōplures, qui se pastores nominarunt, inueniuntur etiādum multi, qui pastorū nomine sese uēdităt. Sed hic nomē obtinet, ut reuera posit dicere, Ego sum pastor bon⁹: alii quādoq; magis sunt mercenarij quàm pastores, nōnulli eorū neq; pastores neq; mercenarij sunt, sed fures, latrones, & lupi, qui ouibus plus damni

Pastor quorū sit Christus.

1. Pet. 2.

Pastorum nomen ut multi sibi uendicēt.

dãni & detrimenti, quàm utilitatis afferunt. Et tametsi aliqui summam adhibent diligētiã, queadmodum inuenti sunt, & adhuc inueniũtur licet rarò, nunquã tamen eorũ quisquam exemplum Christi assequi potuit, neq; quisquam assequetur unquã. Nã quicquid faciũt, hoc sui similibus faciũt, & faciũt officij sui ratione, neq; gratis faciũt: nã pro cura sua & labore hic in terris lac & lanam ex ouibus accipiunt, prætereà etiam æternam uitã in futuro seculo expectant à summo pastore Christo. Qui enim metit, fructũ accipit. Vnde & Paulus cõfidenter dicere poterat, Bonũ certamen certaui, cursum consummaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Verũ quid magni esse potest, si quãdo homo homini seruit, & ea in re, ad quam obstrictus est, & ex qua emolumentũ suũ & mercedẽ integram capit? Sed longè aliter res habet cũ Christo: is erat Deus, sed tamen nobis hominibus ministrauit & in sũmo gradu, quãdoquidẽ maior esse dilectio non potest, quàm ubi quis uitã suã pro altero profundit. Id autẽ Christus fecit, & non pro amicis suis, sed cùm adhuc inimici essemus. Ad hæc nõ erat debitũ, nõ ꝓmerueramus, nec ipse commodum aliquod ex nobis sperare poterat, imò sciebat maiorem partem fore ingratã. Attamen animã & uitã suam pro suis ouibus posuit. Tantò iustius eiusmodi amor & fidum obsequium huius pastoris tam serio nobis considerandũ proponitur, & nõ in Euãgelio solùm, sed (ut superius dictum) etiã in Epistola & Collecta seu Ecclesiæ oratione. Est enim summum solatium quod habemus, & esse æternũ nobis exẽplum debet. Eratis (inquit Petrus) sicut oues errãtes, sed conuersi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarũ uestrarum. Quia itaq; scimus, quis pastor sit, facilè intellectu est, quę sint oues, de quibus Christus loquitur: sunt homines, sed tamen nõ omnes homines, nõ enim in cõmune loquitur de omnibus ouibus, sed de suis ouib⁹, ij sunt fideles ipsius, & nõ solum ex Iudæis, uerũ etiã ex Gẽtibus. Proptereà dicit, & alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocẽ meã audiẽt. Hæ sunt oues, de qbus Christus loqtur, ꝓ his mortuus est, has sacrosancto suo & pretioso sanguine redemit, has pro ꝓpriis habet, has ducit & pascit seipso, has cognoscit oẽs, & non secus, ac patrem suũ & pater ipsum, has conseruat etiã, ita ut è manibus illi eripere eas nemo possit, & tandem etiam illis

[Marginal notes: 1. Pet. 5. — Ioan. 4. — 2. Tim. 4. — Christi charitas erga nos. — Ioh. 15. — Rom. 5. — 1. Pet. 2. — Oues Christi qui sint. — Ioh. 10.]

uitam æternam donabit. Vide, hoc pacto ex prima similitudine de pastore, secundam quoq; similitudinem intelligere possumus de ouibus. Nã si Christus pastor est, utiq; nos oues sumus, nostrũ est operam dare, ut naturam & indolẽ ouiũ erga ipsum tam bene declaremus, quàm ipse naturã & conditionẽ boni pastoris erga nos declarauit. Felices & ter felices esse possemus sub tali pastore, si illũ probè agnosceremus, illũ sequeremur, & apud illũ maneremus. Et hinc quoq; non difficulter coniici potest, quod sit ouile, in quod Christus fideles suos cõgregat. Enimuerò fieri nõ potest, ut omnes fideles in terris corporaliter in unum locum cogantur, nec est locus aliquis in terris tam amplus, qui omnium fidelium sit capax: nec usquã legimus, Christũ externũ ædificium in terris instituisse, in quod omnes fideles cõferre se debeant. Hinc facile uidere est, hoc ouile nõ externam seu corporalẽ, sed spiritualẽ cõgregationẽ fidelium significare. Ea est sancta & uniuersalis Christiana Ecclesia & cœtus omnium fideliũ, quę ab una orbis parte ad aliam usq; protenditur, cõplectitur Iudæos simul & Gentes, omnes homines recipit, quicunq; Christo se dedunt, conseruat eos in unitate fidei, copulat eos uinculo charitatis; ut unũ corpus fiãt, quẽadmodum unum spiritum, unam fidẽ, unũ Deũ, & unã spem suæ uocationis habent. Est igitur hæc tertiæ quoq; similitudinis explanatio. Itẽ, si Christus est bonus pastor, nos oues, & sancta uniuersalis Christiana Ecclesia ouile, nõ potest lupus alium denotare, quàm diabolum, siquidẽ homo non habet alium hostem, quàm diabolum. Hic ab initio homicida & hominũ lanio fuit. Tum etiam in hoc apparuit Christus, ut dissolueret opera diaboli, ueluti Iohannes ait, & ut nos eriperet de potestate tenebrarũ. Petrus dicit, diabolum in hodiernũ usq; diem circumire sicut Leonẽ rugientẽ, & quęrere quem deuoret, idq; re ipsa & facto deprehensum est & adhuc deprehenditur. Christus de seipso dicit, Venit princeps mũdi huius, & in me nõ habet quicquã. Matthæus indicat eundem illũ hostem tentasse Christũ non semel, sed ter. Quod si Christum aggredi ausus fuit, nos haudquaquã intentatos relinquet. Et hæc est quartæ similitudinis de lupo explanatio. Porro si Christus Petro suas oues pascendas cõcredidit, & præterea ad omnes Apostolos in commune, dixit, Sicut misit me Pater, & ego mitto uos. Imo quia etiam Paulus dicit, Christũ ascendisse ad cœlos, & hominibus

Ouile Christi quodnam sit.

Ecclesia toto orbe diffusa.

Ephe. 4.

Lupus quis sit.

Ioh. 8.

1. Ioh. 3.

Colos. 1.

1. Pet. 5.

Ioh. 14.

Mat. 4.

Ioh. 11.

Ioh. 20.

per

per Spiritum sanctum dona largitum esse, & dedisse quosdã Apostolos, quosdã Prophetas, alios uerò Euãgelistas, alios autẽ pastores & doctores, &c. facilè uidere est, qui sint mercenarij aut fures. Nam si Paulus fuit uerus pastor, qui dicit, Non uestra quæro, sed uos. Et ego libẽtißimè impendã & superimpẽdar ipse pro animabus uestris: mercenarius sit oportet, qui suum tantum honorẽ, cõmodũ & emolumentũ quærit, & in afflictione ac persecutione oues deserit, etiãsi nihil mali & falsi doceat. Sin uerò contingat, ut etiã perperã doceat, certè fur & latro est: ducit enim falsa doctrina hominem in æternũ exitium. Atque ita arbitror unũquẽq; uidere posse, in unica parabola seu similitudine de bono pastore, imò in unico uerbo quod dicit Christus, Ego sum pastor bonus, ego cognosco oues meas, ego pono animã & uitã ꝓ illis, reliquas quatuor parabolas de ouib', lupis, mercenariis & furibus expositas quoq; esse. Hoc iam restabit, ut rẽ diligẽter nobiscũ animo ꝑcenseamus, & fido nostro pastori Christo firma fide & sedula imitatione adhærescamus. Is à furibus, latronibus, & lupis facilè nos tutabitur: nũquã nobis deesse patietur bonos pastores & purã doctrinã. In summa, qsquis suæ animæ ac sibi ipsi cõsultũ uolet, meminerit ut apud hũc pastorẽ inueniatur, dicat cũ sancto Dauide, Domine nõ discedimus à te, uiuificabis nos, & nomen tuũ inuocabimus. Deus uirtutum cõuerte nos: & ostẽde faciem tuã, & salui erimus. Et rursus, Hi in currib' & hi in equis, hoc est, humanis uiribus & præsidio fidũt: nos autẽ in nomine Dei nostri inuocabimus. Ipsi obligati sunt & ceciderũt: nos autẽ surreximus & erecti sum'. Felicẽ illũ hominẽ, q tali corde ad Christũ currit & apud Christũ manet. Qui sequitur me (inquit) nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Et rursus, Qui credit in me, in iudiciũ non uenit, sed transiet à morte in uitã. Deus nos omnes sua dignetur gratia, Amen.

Mercenarij. *2. Cor. 12.* *Latrones & fures qui sint.* *Fide & imitatione adhærescas Christo.* *Psal. 79.* *Psal. 19.* *Ioh. 8.* *Ioh. 5.*

SEXTUS SERMO DE ECCLEsiæ ordinatione unà cum Epistola.



ALOMON uir sapiens pro summa stultitia ducit, imò pro singulari pœna diuinitus inflicta, diuitiis & opibus abundare aliquẽ, nec iis tamẽ audere uti, aut frui posse. Est & aliud malum (inquit) quod uidi sub sole, & quidem frequens apud homines, uir cui dedit Deus diuitias, & substan-

Contra auaros. *Ecclес. 6.*

tiam, & honorem, & nihil deest animę suæ ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus uorabit illud. Hoc uanitas, & miseria magna est, & de tali (inquã) Salomon pronũtiat, quòd abortiuus melior sit illo. Frustra enim uenit & pgit ad tenebras, nõ habet distãtiam boni & mali, etiãsi duobus millibus annis uixerit, &c. Hæc sapientis uerba animis nostris cũprimis infigere debemus. Nã tãetsi Salomon hęc uerba peculiariter dixit in auaros & infelicia pecuniarũ mãcipia, qipsi sibi nunquam quietẽ permittunt, cura & labore noctésque diésq; se conficientes, ut saltem bonorũ & argenti plurimũ accumulent, attamen auaritia adeò demẽtati sunt, ut cõtabescere malint, quàm pateis pro necessitate uti. Cõtra hos (inquã) homines, uerba ista peculiariter dicta sunt, nihilominus uerò tamen etiã nos tãgunt, hoc maximè æuo. Nam si pœna est & plaga Dei, in magna opulentia & diuitiis famẽ pati, maius certe supplicium est, si quis spiritualiũ diuitiarũ bonorúmq; Dei uim inæstimabilẽ habeat, nec tamen ullum inde sentiat solatium. Hoc autẽ (proh dolor) in nobis Christianis comperitur, si modo uellemus & possemus credere.

Contra tepidos et desides, qui diuina gratia ingratos sese prabent.

Nam uide obsecro, an nõ Christus ingentes diuitias promeruit & cõparauit nobis sacra sua passione? Nónne in ampla hæreditate collocati sumus, ídq; præter omne nostrum meritum, sed gratuitò planè, uti Paulus aperte testatur, gratiam esse, & nullũ meritum quicquid nobis Deus per Christum dedit? Christus ipse ait, se elegisse nos, & nõ nos illum. Dicit itẽ Iohannes, non nos priores dilexisse illum, sed illũ nos. Sed quid multis opus est? Nemo ditior, beatior & honestior nobis Christianis, dummodo ipsi uolumus, & bonis ac gratia Dei rectè utimur. Gratis, hoc est, citra omne meritum nostrum (inquit Paulus) iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem habemus & accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei, &c. En, hæ sunt diuitiæ, quas nos Christiani habemus. Quot autem inueniuntur, qui hanc gratiam ne sciunt quidem, neque unquam his diuinis bonis gaudent, solem clarissimum non uident quantumuis fulgentem, nec sentiunt boni quicquam quamlibet in proximo positum, & quod his accedit solatium nullum percipiũt, etiam si multos annos aliorũ Christianorũ consuetudine utantur, & quotidie cum ipsis Euangelium

Ephes. 2.

Ioh. 15.

1. Ioh. 4.

gelium Christi audiant. Quid autẽ eiusmodi hominibus infelicius? Quare rectè & Christianè utilitérq;, quinetiã necessariò ita in sancta Christiana Ecclesia ordinatum ac institutum est, ut post prædicationẽ & annuntiationẽ Euãgelij: hoc est, earũ rerum, quas Christus pro nobis fecit & passus est, homines doceãtur instituantúrq;, quo pacto bonis, quę illis Christus defert & largitur, uti debeãt. Illud quidem, hoc est, annũtiatio gratiæ Dei & Christi, meritò ante omnia in sancta Christianitate prædicatur & ꝓclamatur, id quod sancta Christiana Ecclesia hactenus etiã obseruauit. Quia uerò maior Christianorũ pars adeò stupidi sunt & duri, ut nõ intelligãt, aut in iis rebus quæ ad animarum ipsorũ salutẽ spectant, adeò sunt ignaui, ut eiusmodi res nõ curẽt, necessariũ omnino est, eos ab aliis doceri, quis uerus sit usus bonorũ Christi. Et hoc facere Ecclesia hodie incipit. Et huc seruit Euangeliũ istud de pastoribus & ouibus. Etenim si bonorũ Christi fieri participes cupimus, in primis opus est fidis ac integris pastorib⁹ & ducibus, q ea bona fideliter nobis dispensent. Dãda deinde opera est, ut morigeri & obsequẽtes simus. Horũ si uel unũ desit, nihil rectè geritur, quẽadmodũ nostris tẽporib⁹ plus satis exploratũ habemus. Pastorũ nõnulli adeò negligentes sunt & socordes, ut iustius inutiles mercenarij, quàm pastores uocari possint. Alij sunt adeò infideles, ne dicã pnicioſi, ut luporũ, atq; adeò furũ & latronũ magis, quàm pastorũ nomine digni censendi sint. Vicissim ex ouib⁹ alię ita otio sunt deditę, ut res spirituales diuinásq; nullas curẽt: aliæ ita effrenes & petulãtes, ut suos proprios pastores fugiant, spernãt, aures suas obturẽt, & data opera in exitiũ procurrãt, quẽadmodũ id Paulus apertè prædixit & uaticinatus est, nimirũ fore aliquãdo, cùm mũdi cultores sanam doctrinam nõ sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur, &c. Hoc diuus Paulus de ultimis istis nostris temporibus prædixit, quòd & ita comperimus, plus etiam quàm è re nostra est. Quid igitur mirum, si bona Christi multis hominibus pereant, & inutilia sint? Proinde consultè factũ & institutum est, ut mox à festis Paschalibus hodiernum Euangelium istud legatur. Et certè fructum haud pœnitendum allaturum esset & operaturum, si ab utrisque, cùm à pastoribus, tum ab ouibus consideraretur. Siquidem per totum

Vt meritorum Christi participes reddamur.

Pastores desides.

Perniciosi.

Oues otiosæ.

Petulantes.

2. Tim. 4.

Loquimini nobis placentia. Esa. 30.

tùm anni ſpatiũ uix legitur Euangeliũ, in quo tã apertè indicatur, quæ Chriſtiani partes ſint, cuius ſit ſtatus & cõditionis. Hoc (inquã) in iſto Euangelio oſtẽſum, ídq; q̃ breuiſsimè. Quin duobus uerbis oẽs omniũ ſtatuum Chriſtiani doceri poſſunt, quod cuiuſq; officiũ ſit. Primũ uerbum eſt, Paſtor. Alterũ eſt, Quis. Quòd ſi hæc duo tantùm uerba conſideraremus, & factis exhiberemus, iam nũc Chriſtiana Reſp. reformata eſſet. Totus orbis queritur de Eccleſiæ miniſtrorum ordine, neq; id omninò iniuria, ſiquidem negligentia eorũ oppidò magna eſt, nihil duriꝰ dicã. Vnde autẽ id incõmodi, niſi quòd nõ cõſiderãt uocẽ hanc, Paſtor? non meminerunt ſe paſtores eſſe, & quid ad paſtorẽ ptineat, nõ ſciũt, imo ſcire nolũt, ſe nõ ad otium, ſed ad laborẽ uocatos eſſe, prouinciã ſuã pro dominio ducũt, & nõ pro ſeruitio, nõ uenit illis in mentẽ, ꝙ Chriſtus dedita opera ipſos non dominos & ſatrapes, ſed paſtores nominarit, nec animo recolũt, quòd Chriſtus ſeipſum nõ dominũ, ſed paſtorẽ appellarit, & quod Apoſtolis tot in locis affectus & cogitationes de dominio & primatu ex animis eorũ reuelare conatus ſit. Vt cùm aliquãdo rogarẽt illum, quis principẽ locũ teneret inter ipſos, puero in medio illorum cõſtituto, ait, Niſi cõuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, nõ intrabitis in regnum cœlorum. Et flagitantibus duobus filiis Zebedæi primũ regni ipſius locũ, reſpõdit, Scitis quia principes gentiũ dominantur eorũ. & qui maiores ſunt poteſtatẽ exercent in eos. Nõ ita erit inter uos, ſed quicunq; uoluerit inter uos maior fieri, ſit ueſter miniſter: & qui uoluerit inter uos primus eſſe, erit ueſter ſeruus: ſicut filius hominis non uenit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animã ſuã redẽptionem pro multis. Et in Luca, quũ orta eſſet inter diſcipulos quæſtio, quis à morte Chriſti maior futurus eſſet, ſeipſum pro exemplo ſtatuit. Quis maior eſt, inquit, qui recũbit, an qui miniſtrat? Ego autẽ in medio ueſtrũ ſum, ſicut q miniſtrat. Verùm hoc negligẽtes & queſtus auidi paſtores nõ cõſiderant. Nec uidere uolũt, ꝙ Chriſtꝰ nuſquã ad Petrũ dixerit, Tõde aut macta oues meas, ſed paſce. Semel quidẽ ad Petrũ dicebatur, Macta & ueſcere, cæterùm nõ erant oues, ſed ſerpẽtes aliáque quadrupedum genera & noxii uermes. Nõ animas hominũ, ſed peccata & quod malum eſt in illis, hoc eſt, incredulitatẽ, ſuperbiã, auaritiam aliáſq; res impias, Euãgelicus paſtor mactare & occidere debet. Hæc ſunt illa abominanda. Dico

Mali paſtores reprehenduntur.

Mat. 18.

20.

Luc. 21.

Ioh. 21.

Act. 10.

da. Dico ergo, si spirituales pastorales & duces hoc unicum uerbum ad animum reuocarét, & recordarentur pastores se uocari, status ille iam reformatus esset, & querela illa penitus sopita. Idem dicere possum de altero uerbo, Ouis. Nihil apud nos uulgatum magis, quàm quòd alius de alio queritur: pater queritur de filio, præceptor de discipulo, paterfamiliâs de sua familia, dominus de seruo, magistrat⁹ de subditis, uicinus de uicino, &c. Queritur scriptura in genere de nobis hominibus, Nõ esse ueritatem amplius, nõ misericordiam, non scientiam Dei in terra, sed maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, &c. inundasse, atque ita ut peccatum peccato non possit cedere. Et rursus, Sepulchrũ (inquit Dauid) patens est guttur eorũ: linguis suis dolose agebant, uenenum aspidum sub labiis eorum. Quorũ os maledictione & amaritudine plenum est: ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in uiis eorum, & uiam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum. In summa, nemo alteri concedit, nemo alteri parcit, nemo alterum sustinere uult. Vnde autẽ peruersus ille mos & ratio inter nos Christianos, quàm quòd non redit nobis in mentẽ, nos oues, & nõ lupos, canes seu porcos esse debere, hoc est, innoxios, nõ malitiosos, obediẽtes, mãsuetos, frugi & patiẽtes? Olim quidẽ palantes errabamus, sicut oues absq; pastore, at nũc sumus sub bono & fido pastore Christo, de quo certe queri nil possumus. Sed nos in uitio sumus, quòd illũ nõ pro pastore, nec nos pro ouibus agnoscimus & habemus. Qui ergo ille in extremo die pro ouibus nos agnoscet, & inter oues numerabit, si ouiũ naturã ita prorsus exuimus? Quid autẽ infelicius erit, quàm tum inter oues Christi nõ inueniri? Huius nos admonere debet hodiernũ Euangelium. Qui præest & alios moderatur, is pastorẽ se esse cogitet: cui nihil admodũ muneris demandatum est, is nouerit ouem se esse debere. ita uiuere studiat, ut ipsum Christus inter suas oues agnoscat & numeret. At uerò pater agnoscit filium suũ ex sua imagine, Imperator milites suos nouit ex armis, præceptor discipulos suos ex ingenio, pastor oues suas ex suo signo. Sic te etiã Christus pro suo filio agnoscet, cum ipsius in te imaginẽ gesseris & exhibueris, de qua S. Paulus dicit, Induite nouum hominẽ, qui secundũ Deũ creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. Tum Christus te inter suos milites cẽsebit, cum armis

Vt culpam omnem alij in alios reyciunt.

Osee 4.

Psal. 13.

Oues simus.

1. Pet. 2.

Christus quos pro suis agnoscet.

Ephe. 4.

Ephes.6. armis illius fueris indutus, de quibus iterum Paulus ait, Accipite armaturam Dei: ut possitis resistere in die malo. State succincti lumbos uestros in ueritate, & induti loricā iustitię, & calceati pedes in præparationē Euangelij pacis, &c. Tum Christus te pro suo discipulo agnoscet, ubi doctrinā eius re & facto cōpleueris. Tum etiā pro oue sua te agnoscet, si illius signum in te habueris. Quod autē illud signū sit, docet Petrus in hodierna Epist. Fratres, inquit, Christus passus est pro nobis, uobis relinquēs exēplum, ut sequamini uestigia eius. Si quis mihi ministrat (inquit) me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Et rursus, Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suā. Et iterum, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Itē, Vos uocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sū etenim. Si ergo ego laui pedes uestros, Dominus & Magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis. Eundem in modum hîc quoq; loquitur Petrus, uult ut sequamur Christi exēplū, sed duo nominat. Primò, Christus passus est: Secundò. passus est pro nobis. Vtrumq; certū & uerum est. Christus nō solùm cōmunes huius uitæ ærūnas, utpote famē, sitim, æstū, frigus, lassitudinē, &c. uerū etiam odium hominū, cōtumeliā, persecutionē, ignominiā, dolorē, flagra, &c. & deniq; etiā mortē perpessus est. Et hæc omnia nō pro suis propriis, sed pro nostris peccatis passus est: nostra peccata, inquit Petrus, pertulit, & illius liuore sanati sumus. Sic itaque cōperimus Christum nō solùm passum esse, uerum & pro nobis passum esse: imo hoc addam, Christū in hodiernū usq; diē adhuc inter nos pati, & quidē à nobis, imo nos ab illo tolerari & sufferri. Inter nos patitur miseriā & paupertatē in suis mēbris: à nobis patitur ingratitudinem, contemptum, blasphemiā, inobedientiā, &c. Ad hæc, sustinet etiam nostrā imperfectionem. Hæc tecum ipse reputa, mox uidebis, quid etiā tibi faciendum sit, nimirum ut eiusmodi exēplum Christi imitere. Si Christus passus est, & tam patienter, ut cùm malediceretur, nō maledixerit, nec cōminatus sit, cùm in crucem suffigeretur, patere & tu, si quid in te decreuit Deus: non enim seruus maior est domino suo, neq; discipulus supra magistrū. Si Christus semel peccatis te exonerauit, & illa ptulit in corpore suo super lignū, uide posthac, ut in iustitia ambules. Si Christus adhuc patitur in membris suis, cōpatere illis, opitulare illis, cōsolare

Marginal notes: *Christi discipulus quis.* — *Signum ouiū Christi.* — *1. Pet. 2.* — *Ioh 12.* — *Luce 9.* — *Mat. 11.* — *Ioh. 13.* — *Christus quæ perpessus sit.* — *Christus ut hodieq; patiatur.* — *Imitare Christum.* — *Ioh. 13.* — *Matt. 10.*

lare illa,&c.Si te Christus tam diu tolerauit, tolera tu quoque aliorum hominum infirmitatem & defectus, ueluti Paulus docet, Alter alterius onera portate,& sic adimplebitis legem Christi. Vide, hoc uult Petrus,ubi ait, Christus passus est pro nobis,uobis relinquens exemplū,&c. Per hoc enim gratia Christi rectè utemur, eámque usque conseruabimus. Deus sua nos dignetur gratia, Amen.

SEPTIMVS SERMO COMPONIT *Euangelium cum eo, quod olim Ezechiel scripsit.*



QVI unquam Ezechielē prophetā legit, in eo maximè loco,ubi de bonis & malis pastorib⁹, de sanis & morbidis ouib⁹ loquitur & scribit, & cum eo cōponit hodiernū Euang. is nō dubitabit, quin Christus hisce suis uerbis nos ad illud prophetæ cap. remittere uoluerit. Et oīnò res ita habet. Nā utrobiq; idē uideas qđ propheta in illo cap. ꝓmisit, hoc in isto Euág. imꝭ lerū cernimus. Et sentétia prophetæ, nihil certè distat à sentētia Euág. istius. Totū quartū & tricesimū cap. in Ezechiele loquitur de pastoribus & ouibus, sicuti Et istud Euang. Sed Prophetæ mens erat, primò bonos promissis & annunciatione uēturi ueri & boni pastoris cōsolari in uariis afflictionibus & aduersitatibus illorum tēporū, deinde uerò ꝓsenti similitudine de pastoribus & ouibus, unūquéq; sui muneris ac status, suæ uocationis & officij admonere. Eadē hæc hodierni Euág. sentétia est. Verū diligēti cōsideratiōe opus est. Primū & ꝑcipuū in Ezechiele hoc in loco est, ut superi⁹ dixi, miserū, errabūdū dissipatū, & desertum humanū genus hoc solatio erigere, Deū postremis mūdi tēporibus miserturū illius, daturúmq; eis ac missurū uerum pastorē ac regē. Ecce (inquit) uiuo ego, dicit dominus Deus, qa pro eo φ facti sunt greges mei in rapinā,& factæ sunt in deuorationē omnium bestiarū agri, eo φ non esset pastor,(neque enim quæsierūt pastores mei gregē meum,) ego ipse requirā oues meas,& uisitabo eas. Sicut uisitat pastor regē suū in die quādo fuerit in medio ouiū suarū dissipatarū: sic uisitabo oues meas, & liberabo eas de oībus locis, in qb⁹ dispersæ fuerāt in die nubis & caliginis. Et educā eas de populis, & cōgregabo eas de terris, & inducā eas in terrā suā: & pascā eas ī mōtibus Israel. In pascuis uberrimis pascam

Cap. 34.

Promittitur uerus pastor.

pascam eas, & in mõtibus excelsis Israël erunt pascua earũ. Ego pascã oues meas, & ego eas accubare faciã, dicit dominus Deus. Quod perierat, requirã: & quod abiectũ erat, reducã: & quod confractũ fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, cõsolidabo: & quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas in iudicio. Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, seruum meũ Dauid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem dominus ero eis in Deum: & seruus meus Dauid princeps in medio eorũ. Et faciam cum eis pactũ pacis, & cessare faciã bestias pessimas de terra, &c. Et scient, quia ego dominus Deus eorũ cum eis, & ipsi populus meus domus Israël: ait dominus Deus. Hoc propheta Ezechiel in isto capite annũtiauit. Iam uide quàm pulchrè Christus huc cõcinat & ad id alludat. Ego (inquit) sum pastor ille bonus, habet enim articulum hũc Græcus textus: nõ dicit simpliciter, Ego sum pastor bonus, nam hoc rarum nõ esset, fuerũt & alij boni pastores. Abel ouiũ erat pastor, sed adeo bonus & deuotus, ut domino Deo ex grege suo optimũ offerret. Iacob pastor ouiũ erat, sed adeo bonus & integer, ut uerè dicere ad socerũ suum Labã posset, Viginti annis fui tecũ, oues tuæ & capræ steriles nõ fuerunt, arietes gregis tui nõ comedi, nec captũ à bestia ostẽdi tibi, ego damnum omne reddebã: quicquid furtim peribat, à me exigebas: die noctúq; æstu urebar, & gelu, fugiebátq; somnus ab oculis meis, &c. Erat & Moses ad tempus fidelis pastor suo socero Ietro, factus postea pastor & dux populi Israëlitici, adeò diligẽs & fidelis, ut illius fidẽ & integritatẽ Paulus scriptis suis celebrarit. Quin Deus ipse de illo dicit, Quare non timuistis detrahere seruo meò Mosi, qui ĩ omni domo mea fidelissimus est: ore ad os loquor ei. Erat & Dauid adhuc puer pastor ouiũ, creatus postea pastor & rex populi Israëlitici. Similiter ẽt de hoc scriptura dicit, Deus elegit Dauid seruum, & sustulit eũ de gregibus ouiũ, de post fœtãtes accepit eũ, pascere Iacob suũ & Israël hæreditatẽ suã. Et pauit eos ĩ innocẽtia cordis sui, & in intellectib⁹ manuũ suarũ deduxit eos. Fuerũt deniq; sancti Apostoli pastores, ut ex oĩbus eorum scriptis & epistolis cognosci põt. Incipiã, inquit Petrus, uos semp cõmonere: iustũ enim arbitror, quãdiu sũ in hoc tabernaculo, suscitare uos in cõmonitione: certus ꝙ uelox est depositio tabernaculi mei. Dabo aũt operã, & freqũeter habere uos post obitũ meũ, ut horũ memoriã faciatis, &c.

Hæ

Marginal notes: *Christum intellige.* — *Gen. 4.* — *Exod. 2.* — *Hebr. 3.* — *Num. 12.* — *1. Re. 16.* — *Psal. 77.* — *2. Pet. 1.*

Hæc uerba abundè testantur, Petrũ fidelẽ fuisse pastorem. In Diuo Paulo clarius apparet: Sic nos existimet homo (inquit) ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. Cum primis autẽ in œconomis & dispensatoribus requiritur ut fideles sint. Et paulo pòst: Si decẽ millia pædagogorũ habeatis in Christo: sed nõ multos patres. Nã in Christo Iesu, per Euangeliũ ego uos genui. Et rursus: Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? quis scandalizatur & ego non uror? Et iterum: Tanquã si nutrix foueat filios suos: ita desiderantes uos, cupidè uolebamus tradere uobis, nõ solũ Euangelium Dei, sed etiã animas nostras: quoniã charissimi nobis facti estis. Et rursum Cæsareæ dicebat: Quid facitis flentes & affligentes cor meũ? Ego enim nõ solum alligari, sed & mori in Ierusalẽ paratus sum propter nomẽ Domini Iesu. Post sanctos Apostolos multi boni pastores inuenti sunt in orbe Christiano, & quidẽ lõgo tempore. Quocirca nihil esset noui, quod Christus dicit, Ego sum pastor bonus, quandoquidem etiã alij boni pastores fuerunt. Sed maius quiddã nobis indicare uult Christus, dũ non simpliciter dicit, Ego sum pastor bonus, sed, Ego sum ille pastor bonus, utpote quem Deus in Ezechiele promisit. De uno tantũ prodita sunt oracula. Non nisi unus hoc muneris obire potest. Ego sum ille (uult Christus dicere) nec quisquã alius esse potest, id opera mea testantur & cõprobant, nõ mea ipsius, sed ouium mearum causa ueni, quæ perditũ iuerant. His ego feci, quod pastorẽ facere æquum est, idque tanto amore & fide feci, ut exitio sese euoluere possent. Imò non solum bonus pastor fui, sed is ipse manebo usq; ad finẽ mundi. Et quanquam oues meas nõ uideo, cognosco tamẽ eas, imò quam certò me nouit pater meus, tam certo ego illas agnosco, & ut pater mei nõ obliuiscitur, ita nec ego mearũ ouiũ obliuiscar, ego ero cum illis, defendẽs illas, pascẽs, ducens, curãs, omnẽ illis defectũ supplẽs, nec cessaturus, donec omnes cogam in æternum ouile, ubi nõ lupum, nõ periculũ timere necesse habebũt. Vide, hoc sibi uult Christ⁹ uerbo isto, idq; omne propheta prędixit & promisit, omnibus credentibus ad solatiũ, qui tum erant, qui nunc sunt, & qui nos sequentur. Paucos id temporis populus fidelis habebat bonos pastores, tam in sacris quàm prophanis rebus. Pastores sua curabãt, oues ꝓ lubitu uagari sinebãt, nõ curabãt, in recta uia an secus irẽt, Deo an diabolo crederẽt & seruirẽt, nihilominus tamen lac

1. Cor. 4.

1. Cor. 11.

Act. 21.

Cuiusmodi pastorem Christ⁹ se nuncuparit.

& lanā auferebant. Apud nos hoc æuo haud melior rerū cō ditio est plerisq; in locis. Et profectò nisi id nobis solatij reliquū esset, quòd Christus ipse sit bonus pastor & esse uelit, iam pridē desperare nos oportuisset, ob quorundā pastorū negligentiā, quin etiamdum timere & cogitare quis posset, Christianitatem in lōgum durare non posse, quòd pastorū maior pars tam est dissoluta & iners. Cæterū promissa Christi non fallent, & quiuis Christianus hæc uerba nunc & usq; pro solatio ducet, iisq; nitetur in his periculosissimis tēporibus & multiplicibus erroribus, quinimò cū summa fiducia ad Christū orans dicet, Domine Christe dixisti, te bonū esse uelle pastorē tuis ouibus, domine nunc tempus est, ut promissa tua appareant, domine nūc auxiliare, nunc arce diabolū, nunc mitte & suscita nobis bonos pastores, &c. Hæc optimo cuiq; Christiano hodie consideranda sunt, primò ex propheta, deinde ex hodierno Euangelio. Præter hæc sunt & alia plura digna cōsideratu, haud mediocris momenti. Duo horrenda Dei iudicia inter cætera indicata sunt in Propheta, quę neutiquā prętereūda sunt. Alterū est in ignauos & infideles pastores, alterū est in proteruū pecus seu gregē. Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, dicit Deus: nónne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat occidebatis, gregem antē meū non pascebatis. Quod infirmū fuit, non cōsolidastis, & quod ęgrotū, non sanastis, quod confractū est, non alligastis, & quod abiectū est, nō reduxistis, & quod perierat, non quæsiuistis: sed cū austeritate imperabatis eis, & cū potētia. Et dispersæ sunt oues meæ, eò quòd nō esset pastor: & factę sunt in deuorationē omnium bestiarū agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in uniuerso colle excelso: & super omnē faciē terrę dispersi sunt greges mei, & nō erat qui requireret, nō erat, inquā, qui requireret. Hæc actio est quā Deus in hoc Propheta cōtra infideles pastores instituit. Et quæ illorum erit merces? Ego ipse, inquit Deus, super pastores requirā gregem meū de manu eorū, & cessare faciā eos, ut ultra nō pascant gregē, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meū de ore eorum, & nō erit ultrà eis in escā. Quod perinde est, acsi dicat, Posthac neq; nomē, neq; honorem, neq; cōmodum ex ouibus & pastorali officio habebūt, posteaquā non faciunt quæ illos decebat. Quin ego ipse iudicabo eos; & gregem meum

Tempora nostra quàm periculosa.

Cōtra infideles pastores.

meum de manu illorũ requirã,&c. Hæc negligentes pastores sibi dicta existiment, equidẽ non dubito, quin si Caput istud in Ezechiele perlegant,illis non solùm somnus & torpor discutietur,sed etiã crines præ metu stabunt: siquidem horrendũ est,incidere in man⁹ Dei uiuẽtis. *Heb.10.* Mox sub hęc uerba pergit Deus dicere in isto Propheta, Ecce ego iudico inter pecus & pecus,arietũ & hircorum. Nónne satis uobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum uestrarum cõculcastis pedib⁹ uestris: & cum purissimã aquam biberetis,reliquã pedibus uestris turbabatis. Et oues meæ his quæ cõculcata pedibus uestris fuerãt,pascebãtur:& quæ pedes uestri turbauerant,hęc bibebant,&c.Hoc etiã ad promiscuã multitudinẽ pertinet,& ad eos maximè,qui iuxta se neminẽ emergere patiuntur, omnes homines supprimunt quantũ possunt,omnia ad se pertrahere conantur, nullo misericordiæ erga alios tanguntur affectu. Sed quid Deus his mercedis reddet? Audi quid dicat, Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue & macilentũ. Pro eo quod lateribus & humeris impingebatis,& cornibus uestris uentilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras: saluabo gregem meũ,& nõ erit ultrà in rapinã, & iudicabo inter pecus & pecus. Qualis autẽ illa futura esset segregatio, indicat Christ⁹, *Matt.25.* ubi ait, Cum uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo,tunc sedebit super sedẽ maiestatis suę: & cõgregabuntur ante eum oẽs gentes,& separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidẽ à dextris suis,hœdos autẽ à sinistris. Tunc hos qui à dextris eius erunt,in æternũ suũ regnum accipiet, alios uero in gehennã proiiciet. Vide, hoc nos admonet Propheta,eò nos remittit istud Euangeliũ. Nihil itaq; melius, quàm ut pastores simul & oues tantò diligẽtius respiciant ad exẽplũ Christi. *Quid pastoribus.* Cui gubernandi tradita prouincia est, is hodiernum intueatur Euãgeliũ,illic inueniet,quibus in rebus Christũ imitari eum oporteat. *Quid subditis considerandũ.* Qui homo priuatus est, hodiernã consideret Epistolã,inueniet & ille suum exẽplum,quod sequatur,imò in ea Epistola nobis diuus Petrus uerã cõditionẽ hominis Christiani depinxit. *Christianus uerus quis.* Christus (inquit) passus est pro nobis,&c. Peccatũ non fecit,&c. Quum malediceretur, nõ maledicebat,&c. Hæ sunt ueræ cõditiones Christiani, nimirum simplicẽ esse,insontem,nihil mali moliri,cor habere omnis doli nescium,omnibus cõmodare, nemini officere,

patientiā esse, Christum imitari, nō malum pro malo, aut maledicta pro maledictis reponere, cū omnibus pacē habere, & omnia Deo cōmittere, &c. Hæc genuina ouium natura & mores sunt. Nō refert, quód mundi sapiētes uice prouerbij utantur, quum aliquē ceu fatuū ac parum intelligentē significare uolunt, aientes, Ouiū mores habet, ita ut quicquid nō uafrum & uersutū est, & in omni malitiæ genere probè exercitatum, id mundo stultum & non satis sanum sit oporteat. Sed quid Christiani interest quòd mundus eum ꝓ stulto habet? Et Christo hoc ipsum fecit. Si patrē familias Beelzebub uocauerunt, quāto magis domesticos eius, ait Christ⁹ ipse? Multo præstat cum Christo rectè facere, & à mundo derideri, quàm turpiter facere, & à mundo coli ac collaudari. Bono Christiano sufficere debet, quod Petrus dicit: Eratis sicut oues errantes: sed cōuersi estis nunc ad pastorē & episcopum animarum uestrarum. Si itaq; ad Christū conuersi sumus, nō morari debemus, quid mundus dicat aut faciat, sed uidere tantum, ut Christum alacriter sequamur. Si porrò ille est pastor & episcopus animarum nostrarum, facilè nos à mundo eiúsque principe tutabitur, ne quid nobis obsit. Deus nos omnes sua dignetur gratia, Amen.

Matt. 10.

Despicit mundus iustitiæ cultores.

Contemnendus mundus.

OCTAVVS SERMO DOCET,

cur nunc quotidie canatur,

SVRREXIT PASTOR BONVS.



HODIERNVM istud Euāgelium breue quidem est in uerbis, cęterū omnibus in cōmune, & unicuilibet singulatim tantū doctrinæ suppeditat, ut ad cogitandum de ea, una dies uix etiā sufficiat: utinā animum nostrū à talium rerum cōsideratione nihil auocet. Audiuistis (inquit Gregorius super istud Euangeliū) fratres charissimi ex lectione Euangelica eruditionē uestrā, audiuistis ex lectione Euangelica periculū nostrū. Si tibi regēdi prouincia cōcredita est, cogita, cur Christ⁹ ipse se pastorē nominet, & tantū faciat discrimē inter pastorē & mercenariū. Sin tibi nullū peculiare munus est, cogita cur Christus suos fideles oues appellet, sat instructionis & doctrinæ habebis. Sūma, ut sit breue istud Euāgeliū, oīa tamen in se cōtinet, quę Paulus sacræ scripturæ in genere tribuit. Omnis scriptura, inquit, diuinitus inspirata, utilis est ad docendū, ad arguendū, ad corrigendum, ad erudiē-

Gregorius.

2. Tim. 3.

dum

dum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Omnia ista, inquã, habet istud Euangelium. Docet enim & arguit, cõsolatur & monet, idq; omniũ efficacissimę, uti demõstrari nõ difficulter potest. Etenim primò nónne omnibus pastoribus & antistitibus doctrinã prębet, quod Christus dicit, Bonus pastor animã suam ponit ꝓ ouibus suis? Quî melius & breuius illis indicari potuisset, quantum laboris & solicitudinis, quantũ studii, industriæ & uigilãtiæ ipsorũ requirat officiũ, quàm ĩ hoc adeò uerbo? Et qui hinc nõ discit, quid suũ postulet munus, is profectò ex cõposito nescire uult, & Saturnias, quod aiunt, lemas amat. Sic etiã nobis ex ꝓmiscua multitudine doctrinã præbet, quòd Christus nos oues suas uocat, ꝓ quibus sit mortuus: etenim per hoc satis nobis ostẽsum est quid ex nobis ipsis, & quid à Christo habeamus. Si ipse est pastor noster, & nos illius oues, certũ est, nos omnẽ nostrã salutẽ & felicitatẽ, defensionẽ & protectionẽ, illi ascribere debere, imò necesse est, ut illi adhæreamus eúmq; sequamur, eius uocẽ agnoscamus audiamúsq;, sub illius uirga seu imperio maneamus, nec ab ouili ipsius discedamus. Quis autẽ nõ uidet, præcipua hæc capita esse Christianæ doctrinæ? Hoc itaq; pacto Euãgelium istud docet tã eos qui pręsunt, quàm qui sunt subditi. Similiter uerò utrosq; arguit quoq; infideles pastores, dũ Christus tales nõ pastores, sed mercenarios uocat, ut qui seipsos tãtùm quærũt, suum cõmodum procurant, negligunt oues Christi, &c. Nos uerò carpit Euãgelium istud, dũ Christus tã clarè indicat, quid ꝓ nobis fecerit, & quid germanæ ipsius oues cõtrà faciant; quod ipsum tamẽ nonnunquã parũ consideramus, tantùm abest ut faciamus. Nõ solùm autem docet & arguit istud Euãgelium, uerùm cõsolatur etiã, maximè quatuor illis uerbis quæ dicit: Ego sum pastor bonus, ego pono animam meam pro ouibus meis, ego cognosco oues meas, oportet me & alias adducere. In his quatuor uerbis exuberantissimũ nobis solatium datum est, ueluti in aliis sermonibus docui. Hinc fit etiã, ꝙ paschali isto tempore omni die cãtatur, Surrexit pastor bonus, qui posuit animam suã ꝓ ouibus suis, Alleluia. Nemo autem non animaduertit, uerba hæc ex hodierno Euãgelio desumpta esse, quandoquidẽ in eo Christus dicit, se bonum pastorem esse. Porrò ideò cantatur omni die nunc de bono pastore isto, déque illius morte & resurrectione, ut ea res omnium animis penitus insculpatur,

Institutio pastorum.

Institutio subditorum.

Ouis es? sequere pastorẽ tuũ.

Reprehensio pastorum.

Subditorum.

Christum pastorem esse bonum cur identidem

Cur Euangelium hoc tidē Paschali tempore concinatur? tur, idq; uarias ob causas, nimirū ad gloriā lætę resurrectionis Christi, ad memoriā sacrę illius passionis, ad solatium omniū bonorū Christianorum, ad exēplum omniū bonorū pastorum & animarū curatorum, ad pœnā & testimoniū omnium negligentiū antistitū, deniq; ad doctrinā & institutionē rudium: Ad hęc oīa inseruire nobis potest istud uerbum, Surrexit pastor bonus, qui posuit animā suam pro ouibus suis. Hoc Christo æterno honori est, hoc bono cuiq; solatiū præbet, hinc omnes pastores & primates exēplum capere debēt, quod sit ipsorum officiū: hìc metuāt sibi inutiles mercenarij, ex his uerbis quiuis Christianus discat, quid sibi faciendū sit. Quid de Christo melius, maius, & honorificentius dici potest, quàm quòd est bonus pastor, & idipsum re cōprobauit? Quid optimū quemq; Christianū cōsolari magis potest in omni tribulatione, quàm quum cogitat, se talem habere pastorem qui bonus est & solicitus, qui omnia scit, quibus indigeat, qui ipsum ex omni necessitate eripere queat. Vbi melius uideri pōt, quid ad uerū pastorem pertineat, quàm in Christo? Filius hominis (inquit) nō uenit ministrari, sed ministrare, & dare animā suam redēptionē pro multis. Quapropter decet uos similiter facere: qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Et rursum dicit ad suos discipulos, Scitis quid fecerim ego uobis, & cur lauerim pedes uestros? Exēplum dedi uobis, ut quēadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. O q̃ boni euasuri essent pastores, si sępius hoc speculum intuerentur & exēplum Christi considerarent. E diuerso autem, exēplum istud Christi auaris Ecclesiæ ministris omnem præripit excusationē, imo certissima illorum condemnatio est, quòd ouium suarū nullam penitus curam gerant, cùm tamen uideant, Christū pluris eas fecisse quàm seipsum, imò propter illas exinaniuisse se, & formam serui accepisse, inq; ea nō solum seruiisse suis ouibus, uerum etiam pro iis mortuum esse. Quid ergo mercenarius prætexet, quum uictū suū, lanam & lac ab ouibus accipiat, nec tamē in minimo illis sit auxilio & solatio? Quoties clamat & uociferatur scriptura cōtra tales? Quàm graue & horrendū iudicium illis instat? Lege Hieremiam uicesimo tertio, Ezechielem decimo tertio & tricesimo quarto, Amos quarto & sexto, primam Epist. Petri quinto cap. &c. uidebis, quàm periculosa sit ꝓuincia, pastorē agere & præesse, siue in temporalibus, siue spiritualibus, maximè uerò in spiritual

Matth. 20. *Ibidem.* *Ioh. 13.* *Phil. 2.* *Ezech. 34.*

ſpiritualibus. Præterea homo Chriſtianus nuſquam melius uidere poteſt quid ſtatus ſuus & nomen requirat, quàm ſi cogitet, Chriſtũ paſtoré, nos uerò oues illius uocari. Si itaque Chriſtus facto declarauit, ſe noſtrũ eſſe paſtoré, & bonum fidelémq; paſtoré, neceſſe omnino eſt ut nos pro ouibus ipſius facto etiam probemus. Tum approbamus, ubi Chriſtũ agnoſcimus, audimus, eúmq; imitamur, & præterea in ſimplicitate & innocẽtia uiuimus ambulamúsq;. Summa, hodiernũ Euangeliũ ita dictũ eſt & inſtitutũ, ut prudẽs gubernator meritò extimeſcat, quãdo cogitat, tã multa ad ſuum munus pertinere, imò nihil aliud, quàm ſolicitudinem & laborem, & præter hæc etiam ſummã fidem & charitaté, & ut prudens Chriſtianus fateri cogatur, ſatis nobis indicatum eſſe, quàm nos Deus impenſe cupiat. Bonus præſes & gubernator faciat ut paſtor, bonus Chriſtian⁹ uiuat ut ouis, tum utrobiq; diuinæ uoluntati obtẽperatũ eſt. At qs tam ſimplex eſt, qui nõ uideat, quàm res iſta utrobiq; lõgè fallat? Quàm ſunt pauci inter paſtores, q uerè poſsint dicere, & facto demonſtrare, quod Chriſtus dicit, Ego ſum paſtor bonus, ego cognoſco oues meas, & animã meã pono pro illis, tam parũ reperitur in uulgo Chriſtianorũ, quòd Chriſtus de cũctis ſuis fidelibus dicit, Cognoſcũt me oues meę, & ſequuntur me, audiunt uocé meã, alienũ auté nõ ſequuntur, quia non nouerũt uocem alienorũ. Cæterũ Chriſtus nõ nuda uult habere nomina in ſua Eccleſia, & in ſuis fidelibus, ſed opera & energiã. Facilè dictu eſt, iſte hoc uel illud munus gerit, ſed multa in ſe habet, paſtoré eſſe, bonũ eſſe paſtoré, oues ſuas cognoſcere, animã & uitã ſuã impendere. Facilè hoc, inquam, dictu, ſed factu nõ eodé modo. Sic citò dictũ eſt, Ego ſum Chriſtianus, ſed multa ad id deſiderantur & reqrũtur, Chriſtũ agnoſcere, uocẽ illius audire, eúmq; imitari: uã q poſt Chriſtũ uult uenire, ſemetipſum abneget oportet, crucé ſuã tollat, omnia relinquat, &c. Qué in paſtorali ſuo officio laboris piget, ſui muneris pudet: q ſuũ cõmodũ plus quærit, quàm animarũ ſaluté, nec curat qd ſubditos ꝑmat, nec paratus eſt omni hora, nõ ſolùm ſua, ſed etiã ſeipſum pro ouibus ſuis impendere, &c. is uerus paſtor nõ eſt.

Ouis Chriſti quis reuera ſit.

Facta et opera requirit deus, non ſola nomina.

Ad Chriſtianũ quæ pertineãt. Luc. 9.

Quàm igitur diu nunc aliquis quærat, priuſquam uerum paſtoré inueniat? Imò quot inueniuntur, quos ſuæ functionis pudet, qui uel minimo etiam labore grauantur: quæ ſua ſunt tantum quærunt, quid de ouibus fiat parui pendunt,

tantum abest ut corpus pariter & animam pro illis impendat. Ecce mũdus sacerdotibus plenus est (inqebat pius Gregorius suo tẽpore) sed tamẽ in messe Dei rarus ualde inuenitur operator. Messis qdẽ multa, operarij uerò pauci, nomine & honore gaudemus, ꝓuẽtibus, lacte & lana multo gaudemus etiã magis, sed distędet nos laboris. Male qdẽ nos habet, quum ignaui & inutiles pastores dicimur, sed nõ pudet nos, ꝙ uita nostra cũ titulo bis ꝑ omnia pugnat, tãtum abest, ut uel minimũ conemur abrogare & corrigere. Sed age, ad tẽpus hæc cõcedũtur. Verũ lõgè alia est Petri de hac re opinio. Pascite (inquit) q in uobis est gregẽ Christi, prouidentes nõ coactè, sed spõtanee secundũ Deũ, neq; turpis lucri gratia, sed uoluntariè: neq; ut dominãtes in cleris, sed formæ facti gregi ex animo. Et cùm apparuerit princeps pastorũ, ꝑcipietis immarcessibilẽ gloriæ coronã. Hoc sibi promittere potest bonus pastor, nec difficile est inde colligere, qd malo pastori expectãdũ sit, ubi princeps pastorũ uenerit, si bono æterna corona ꝓmissa est, malũ certè æternũ sup-

Ezec. 34. pliciũ & pœna manebit, id quod in Ezechiele expressius positũ est, dũ Deus inertibus & negligẽtibus pastoribus minatur, se sanguinẽ eorũ quos negligũt, de manibus ipsorũ posciturũ. Queadmodũ igitur dixi de pastoribus, ita dico de nobis ex uulgo. Quisquis nõ omnẽ suã spem & fiduciam in Christo collocat, is nõ cognoscit eũ. Cui exẽplũ Christi non est imago, & semper ob oculos uersatur, is Christi imitator nõ est. Cognoscũt me meę oues (inquit Christus) audiũt uo-

Germane Christianum qua declarent. cẽ meã, & sequũtur me. Hæ sunt ueræ notæ, qbus internoscitur Christianus, audire, credere, sequi. Quàm igitur Ecclesię ministros malè decet, si magnos & insignes titulos gerant, uocẽtur patres, episcopi, pastores, prælati, imò reuerẽdissimi & sanctissimi, &c. nec tamẽ faciãt, quod talibus titulis dignũ est: tam malè decet unũquemq;, si Christianũ se nominet, nec tamen norit Christũ, nec audiat, neque illi credat, neq; sequatr eũ. De hoc iam audi, qd dicat Petrus in hodierna Epist. Christus ꝓ nobis passus est, inquit, relinquẽs uobis exẽplũ, ut sequamini uestig. &c. Hæc hodierna fuit Epistola: aptè locũ habet apud modo dictũ Euangeliũ dãs, scilicet nobis generalẽ instructionẽ tã pastoribus quàm ouibus. Di-

1. Cor. 11. Ephes. 4. cit qdẽ Paulus, nõ solũ diuisiones esse gratiarũ, uerũetiã diuisiones ministrationũ, &c. Et Christũ posuisse quosdã Apostolos, quosdã Euangelistas, quosdã Prophetas, pastores & docto-

doctores. Et reipsa cõperimus, nos ob donorũ, gratiarũ & munerũ uarietatẽ inæquales esse. Est enim utiq; discrimẽ inter pastores & oues, inter agricolã & aruũ quod colitur. Cæterum quãdo ad Christũ nos uertimus, omnes paris cõditionis sumus, alius alio nihilo inferior est apud Deũ, nam in Christo nõ est Iudæus neq; Græc⁹, nõ est seruus neq; liber, nõ est masculus neq; fœmina, sed oẽs unũ sumus, ueluti etiã Deus in Ezechiele dicit, Omnes animæ meæ sunt. Vt anima patris, ita & anima filij mea est. Eratis (inquit Petr⁹) sicut oues errãtes, sed cõuersi estis nũc ad pastorẽ & episcopũ animarũ uestrarũ. Omnes fateamur oportet tam magni, quàm parui, opus nos habere pastore. Itaq; etiã nostra omniũ refert, quod Petrus dicit, Christũ passum esse pro nobis & reliquisse nobis exẽplũ, ut sequamur uestigia eius. Rogas, qd ergo passus sit Christus? Respõdetur, ꝙ criminatus, ꝙ uerberatus, ꝙ innocẽs morti adiudicatus & cõdẽnatus, & deniq; crucifixus est. Et quale nobis reliquit exẽplũ? Cùm malediceretur, nõ maledicebat: cùm pateretur, nõ cõminabat: tradebat autẽ iudicãti se iniustè. Ad hæc, peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignũ. Isthuc exẽplũ Christi est. Hæc illius sunt uestigia, qbus ingredi oẽs debemus, oues pariter & pastores, nimirũ ut nos totos dedamus diuinæ uolũtati, nihil aliud quæram⁹, quàm ipsius gloriã & animarũ salũtẽ, ut nos inuicẽ feram⁹ & toleremꝰ, quẽadmodũ & Paulus docet, ut etiã inimicos nostros diligamus, secũdũ doctrinã Christi, & ut omnia cõmittamus Deo, q sibi soli uindctã & pœnã reseruauit. Hoc omniũ Christianorũ officium est, siue sint pastores, siue oues, nemine excepto. Deus opt. max. faxit, ut oẽs pariter ĩ tali imitatione Christi inueniamur, Amẽ.

Galat.3. *Ezech.18.* *Christi uestigijs uti ingrediendebeamus.* *Gal.6.* *Luc.16.* *Deut.23.*

DOMINICA IVBILATE EVANGELIVM

IOHANNIS XVI.

PVSILLVM, & non uidetis me. Et iterum pusillum, & uidebitis me: quia ego uado ad Patrem. Dixerunt ergo quidam ex discipulis eius inter se: Quid est hoc quod dicit nobis,

bis, pusillũ, & non uidebitis me: & rursus, pusillum & uidebitis me, & quia ego uado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, pusillum? Nescimus quid loquatur. Cognouit autem Iesus quòd uellent ipsum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter uos quod dixi: pusillum, & nõ uidebitis me, & iterum pusillum, & uidebitis me. Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos,
Hier. 31. mundus contrà gaudebit. Vos autem mœrore
Iacob. 4. afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudium. Mulier cùm parit, dolorem habet, quia uenit hora eius. Cùm autem peperit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea quòd gaudeat hominem esse natum in mundo. Et uos igitur nũc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis.

EADEM DOMINICA EPISTOLA BEATI PETRI PRIMAE, CAPVT II.

Rom. 1. *Obsecro tanquam aduenas ac peregrinos, abstinete à carnalibus concupiscentiis, quæ militant aduersus animam: & conuersationem uestram habete honestam inter gentes, ut in hoc, quod obtrectant uobis quasi maleficis, ex bonis operibus æstimantes uos, glorificent Deum in die uisitationis.* Proinde *subditi estote cuiuis humanæ creaturæ propter* Dominum, *siue* Regi *tanquam præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur ad uindictam quidem nocentium, laudem uerò rectè agentium,*

quon

quoniam sic est uoluntas Dei,*ut benefaciendo obturetis os hominibus stultis & ignorantibus,tanquam liberi & non ueluti prætextum habentes malitiæ libertatem, sed tanquam serui* Dei.*Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete,Regem honorate. Famuli subditi sint cum timore dominis,non solùm bonis,ac humanis,uerumetiam prauis. Nam hæc est gratia* Dei *in Christo* Iesu Domino *nostro.*

PRIMVS SERMO DE *Euangelio in genere.*



DIXI alio quopiam tempore,plurimum momenti habere ad ueram diuinæ scripturæ intelligentiam,si circunstantiæ temporis, loci, & personarum diligenter considerentur, quo tempore,ad quos homines, & quamobrem quodque dictum sit. Hoc quisquis non facit,aut scripturam penitus non intelliget, aut alioquin alienum & falsum sequetur sensum,atque ita à uera uia deflectet. De his utrisq; exempla habemus in isto Euangelio: nam quod Christus initio dicit,Modicum,& iam non uidebitis me: & iterũ modicum,& uidebitis me,&c.nemo facilè intelliget, quorsum hęc uerba dicta sint,nisi primum aduertat,quo tẽpore Christus ea locutus sit:imò dubitabit,factúmne id sit, an sit adhuc futurum,& dicet tandem cum discipulis, Quid est hoc quod dicit nobis,Modicum?Nescimus,quid dicat,&c. Cæterum qui circunstantiam & temporis rationem expendit, facilè uidebit, primum Modicum ad tempus inter cœnam & resurrectionem Christi pertinere. Etenim post prolata hæc uerba,Christus non diu mansit apud suos discipulos, sed paulò pòst ab illis sublatus,captus, crucifixus, denique sepultus fuit,ut non amplius illius uidendi copia esset. Sed uicissim istud haud longum tempus durauit, sed ad tertium duntaxat usque diem, in quo illum post resurrectionem ipsius uiderũt,& eius præsentia gauisi sunt. Sic itaque uerba hęc melius intelligi possunt,si quis cõsideret,quo tẽpore ea Christus dixerit. È diuerso uidemus in fine huius Euangelij, quod nisi qs obseruet,quid cuiq; in sacra scriptura dictũ sit, facilimè errare possit.Nã ex eo quod Christus dicit, Iterum uideb

Ad intelligentiam scripturarum quid requiratur.

Iohan.16.

Circunstantia Temporis.

Personarum.

Vt faciunt qui solam fidem iactitant.

uidebo uos,&c. etiam impius aliquis & planè sceleratam uitam ducens, sibi salutem & felicitatem promittere posset, si non cōsideret, ad quem hæc uerba dicta sunt, nimirum nō ad leues & temerarios homines, sed ad eos, qui ob Christū perturbati erant, imo qui toti mundo inuisi erant eiúsque iniuriis expositi. Hoc qui secum reputat, facile intelliget, ad leues homines uerba Christi nihil quicquam attinere. Euidens itaq; & manifestum est, considerationem circumstantiarum plurimum facere ad genuinū scripturarum intellectum. Et hoc nostrum etiam fundamentum esse debet, quo iacto solidi aliquid struere possumus. Quamobrem scito, Christū omnia uerba istius Euangelij dixisse in sua uel post suam cœnā, imo in ultima hora, qua iam ad suppliciū iturus erat. Scito deinde porrò, eum hæc uerba ad suos discipulos solùm & fideles locutū esse. Occasioné uerò ad hoc ei dederat summus mœror & pauor, qui discipulorū animos corripuerat, eò ꝙ dixisset se in morté traditum, ipsos uerò dispersum iri, ídq; omne ea ipsa nocte adeò futurum. Hinc protinus palàm fiet, Euangelium istud propriè ad eos pertinere homines, qui in hoc mundo nullum aliud solatium habent, præterquàm Christum, à mundo derelicti sunt, contempti, abiecti, inuisi, nōnunquàm etiá talis eorum fortuna uidetur, perinde ac si ab ipso quoq; Deo sint destituti, nam tales erant id temporis Apostoli, quum Christus hæc ad illos loqueretur. Propter ipsum omnia reliquerāt, & odium mundi sibi cōflauerant, in Christo oīs illorum spes erat posita, & tamen nūc repétè ab illius consortio eos auelli oportebat, & solos in medio hostium relinqui. Quid miri, si tristitia & mœror eos occupauit? Si unum Christum apud se habere licuisset, uidere & audire, omne mūdi infortunium fúsq; déq; laturi fuissent. Sed ita decretum erat, oportebat etiam illos hoc solatio ad tēpus priuari. Idipsum accidit oībus bonis & piis. Mundus antiquum obtinet, & manet, ut à suo principe diabolo regitur, quod suū est quærit, omni uoluptatum generi indulget, fastum suū & pōpam sequitur, odit & persequitur oēs, qui ab ipso dissident. Interea uerò, tametsi Christus spiritualiter cū suis agit & manet usq; ad cōsummationem seculi, quandoq; tamē subducit se illis, ut idé in se ipsis sentiāt & experiātur, qđ Apostoli tū senserūt, quū Christus hæc ad illos diceret uerba. Est aūt hic affectus & argumentum summæ tristitiæ & desolationis, ut nihil aliud q̄ lacrymari &

Christus quos consoletur.

Matth.19.

Matth.28.

Abscondit se interim Christus.

mari & lugere poſsint. His ad ſolatium ſcriptũ eſt iſtud Euã gelium, quéadmodum & Apoſtolis ad ſolatium primum dictum eſt. Atq; utinã omnes qui animo triſti & mœſto ſunt, hæc aliáq; uerba plura, quæ Chriſtus in illa ſua cœna dixit, ad animũ reuocarét. Sunt enim eiuſmodi uerba, ut q̃ Chriſtus ex ſummo amore ad intimos ſuos amicos locutus eſt, quapropter etiã illa nobis impendiò pretioſa eſſe debent. Quia uerò temporis anguſtia prohibet, quo minus ſingula uerba exponere & enarrare poſsim, negotij ſummã tantùm oſtendam, nimirum parabolam de muliere parturiente, in illa enim parabola Euangelij apex conſiſtit. Audi itaq; quid Chriſtus dicat. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia uenit hora eius, &c. Hîc uidemus principiò bonitaté Chriſti, qui nobis, quo intelligamus melius, quid cùm in hac tum in futura uita ſperare, & qua re in aduerſitatibus nos conſolari debeamus, non ſublimia & arguta, ſed unicum exemplum proponit, quod ubique locorum, & omni tempore præ oculis habere poſſumus, imo quòd quiuis quantũlibet ſimplex intelligere poteſt. *Afflicti ut ſe conſolari debeant.* At uerò hîc obſeruandum eſt, Chriſtum nõ ſimpliciter nobis proponere exemplum mulieris, ſed grauidæ mulieris, & partui uicinæ, alioqui ſolenne eſt & frequẽs in ſacra ſcriptura, ut eccleſia in genere, & unaquęq; fidelis anima mulieri comparetur, ut cùm Paulus ait, Chriſtus dilexit Eccleſiã, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illã ſanctificaret, mũdans eã lauacro aquæ in uerbo ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiã, nõ habenté maculã, aut rugã, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. *Ephe. 5.* Et rurſum, Deſpõdi uos uni uiro, uirginé caſtã exhibere Chriſto. *2. Cor. 2.* Et in Oſee dicit Deus ad oẽs fideles, Spõſabo te mihi in fide, &c. *Oſee 2.* Sed hæc iam omitto, quia Chriſtus nobis non quãuis mulieré, ſed mulierem parturientem propoſuit. At enim dices, quid iſtud exẽplũ doctrinæ nobis aut ſolatij dare põt, cùm nihil miſerabilius ſit tali muliere parturiente? *Exẽplum parturientis fœminæ quid habeat energiæ.* Audi, mulier ſimulatq; ſe uterum ferre ſentit, ſpé cõcipit, & gaudiũ haurit de futuro fœtu, & prole naſcitura, attamen multum temporis intercedit, priuſquàm illud ipſius gaudiũ & ſpes perficiatur, imo interea téporis multũ & moleſtiarũ & ærũnarũ ferre eam oportet. Et quanquàm ſpem habet de futuro fructu, ſemper tamen ea ſpes metu diluta eſt, quia uidet ac nouit, nõnullas mulieres ante tẽpus partus mori, ſcit nõnullas abortus ꝑdere, ſcit multos liberos mõſtroſos in membris

nasci, &c. Quia ergo hæc aliis mulieribus obueniunt, ueretur ne & sibi itidē usu ueniat. Quapropter semper inter spē & metum pendet, uerum ubi tempus partus adest, non solùm non leuata est illa cura & metu, sed etiā opprimunt eā de improuiso multi dolores, iísq; omnium maximi & uehemētissimi, imo tales dolores, quos nulla medicina prohibere aut præuertere, sed solus Deus lenire pōt. Et quod oīm grauissimum est, tum primum etiā in discrimen corporis & uitæ suæ uenit, quemadmodum uidemus & experimur non paucas in partu cum infantibus perire. Et quid infelicius tali muliere foret, si perpetuo in tali metu, dolore & periculo uersari deberet? Verūtamē quamlibet multis & magnis periculis talis mulier obnoxia est, oīa tamē cōstāter suffert. Et unde illi hæc constantia in tot tantísque doloribus? Primò inde adeò, quòd scit hanc uiam & modū pariendi omnium mulierum esse communem. Dehinc scit, hos suos dolores non fore diuturnos. Tertio sperat, imo scit secuturam ingētem uoluptatem, & eos ipsos dolores initiū esse sui gaudij. Optaret quidē sibi gaudio nati infantis absque dolore frui licere, sed scit fieri non posse, proinde etiam fortiter per dolores perrumpit ad eiusmodi gaudium. Hoc exemplū Christus nobis proposuit: nam ita res quoque habet cum sancta Christiana Ecclesia in genere pariter, & unoquoque homine pio singulatim. Nam primò, mox ut Euangelium seu uerbum gratiæ audimus, & semen diuini sermonis per fidem accipimus, prægnantes simus, & accipimus Spiritum sanctum. Vnde quàm primū nobis spes oboritur de futuro fructu, uel potius æterno gaudio. Et huc pertinet quod Paulus dicit, Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Et rursus, Ipsi intra nos gemimus, adoptionē filiorum Dei expectantes. Et iterum, Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, &c. Item, Expectamus beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei. Rursum, Vita uestra est abscōdita cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit, uita uestra, tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria. Et diuus Iohānes, Filij Dei sumus, & nondū apparuit, quid erimus, &c. Semine itaq; uerbi hoc modo per fidem accepto, iam ferimus in nobis & habemus fructū æternæ uitæ, quem certo speramus: attamen tempus illius adhuc longè abest, in quo fructus iste apparebit. Interea temporis occurrunt nobis omnia ea, quæ superius de grauida muliere recensuimus, nimirum

Parturientis dolores quæ leniunt.

Pius quisque quando concipiat mysticè.

Ro. 5. 8.

Phili. 3.

Tit. 2.

Coloss. 3.

1. Ioh. 3.

mirum metus, dolores, pericula, & mors ipsa. Et principiò,
quoniam uidemus multos homines Euãgelium audire, sed
rursum ab eo desciscere: accipere semẽ uerbi diuini, sed illud
nõ retinere: feliciter incipere, sed nõ perseuerare in finẽ us-
que, ueluti Sauli, Iudæ, & Israelitis accidit, spes nostra nun- *Metus unde*
quam absq; metu est, qa nõ audemus nobis ipsi fidere, nec *piis oriatur.*
scimus si cõstantes simus mansuri. Et quid multis opus est?
Quando imbecillitatẽ propriæ nostræ carnis, & incõstantiã
animi humani nobiscum consideramus, metũ subterfugere
non possumus, & ita sanè necesse est. Huc spectat quod scri *Prou.28.*
ptura dicit, Beatus homo qui semper est pauidus. Et Paulus, *1.Cor.10.*
Qui se existimat stare, uideat ne cadat. Et iterum, Tu fide *Rom.11.*
stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus *Luc.10.*
ramis nõ pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Et Christus ipse:
Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, &c. No-
lite ergo in hoc gaudere, quia spiritꝰ uobis subiiciũtur, &c.
Quapropter quàm diu in hac lacrymarum ualle degimus,
tam diu res nostræ in tuto non sunt, ita ut semper sit quod
timeamus. Non solùm uerò spes nostra metu diluta est, ue-
rum etiã multis afflictionibus tam interius quàm exterius
læditur, & quidem omnium grauissimis afflictionibus, in
quibus solus Deus auxiliari potest, & quæ etiam ad cor usq;
penetrant. Hinc est quòd Paulus ait, Supra modum grauati *2.Cor.1.*
sumus supra uirtutem, ita ut tæderet nos etiam uiuere, &c. *Psal.68.*
Et quod Dauid clamat, Saluum me fac Deus, quoniam in- *26.*
trauerunt aquæ usque ad animam meam. Et rursus, Pater
meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem as-
sumpsit me, &c. Interea tẽporis gaudet mundus, oĩa illi ꝓ-
sperè succedunt, quę facit, imo dicas etiã Deum illius fauere
partibus. Et hoc bono Christiano dolorẽ & crucẽ condupli
cat, uidẽti improbis omnia bene uertere, se autẽ nullo non
infortunio affligi. Hi sunt dolores mulieris parturiẽtis. Post *Tentationes*
eaquã enim tẽtationes bonorũ uehemẽter graues & mole- *piorum quam*
stæ sunt, nulli meritò dolori ęquiparãtur, quàm fœminarum *acerbæ.*
parturientium. In hanc quoq; sententiam loquitur Hiere-
mias, Tribulatio apprehẽdit nos, dolores ut parturientẽ. Et *Hier.6.*
Ezechias, Dies tribulationis, & increpatiõis, & blasphemiæ *Esa.37.*
dies iste: uenerũt filij usq; ad partum, & uires non habet par
turiens. Hoc est, uenimus in summã anxietatem & extremã
necessitatẽ, nec habemus quo nobis ipsi succurramus, &c.
Similiter accidit omnibus qui in Christum credunt homini-
bus,

bus, attamen alij alio plus uel minus, prout Deus unicuiq; ex suo calice infundit, & pro sua diuina uoluntate infortunium & crucem attribuit. Optaremus quidem omnes, absque cruce & afflictione ad gloriam peruenire nos posse, sed ita fieri & nõ secus oportet. Qui amat animam suam, inquit
Iohan.1. Christus, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mun-
Luc.9. do, in uitã æternam custodit eam Et iterũ, Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suã & sequatur me, &c. Sed dicas hìc, Si nihil aliud & melius in terris expectare licet, quid nobis prodest fides & uerbũ quod suscepimus? imo etiam Christus ipse? Hìc attendendum est exemplum mulieris parturientis, siquidẽ iis ipsis rebus nos ipsi consolemur oportet, quibus talibus mulier ipsa sese cõ-
Afflicti ut sese consolari debeant. solatur. Etenim primò cogitare oportet, non esse aliã uiam ad felicitatem, quàm per crucem & passionem, & per hanc uiam omnes sanctos ad immortalẽ gloriã peruenisse. Quis enim iustior Abrahã fuit? Quis Deo unquam charior, quàm Israël & Iacob? Quis innocentior Ioseph? quis deuotior Dauid? Quis sanctior Helia? &c. Ast uide, quàm longum tempus post acceptum uerbum Dei omnes illos expectare oportuit, donec conceptum uerbum ad maturum fructum peruenit. Et quid de uno aut altero multũ dico? Quanta populus Israëliticus perpessus est, postquã uerbum Dei acceperat? Quàm multa & atrocia passa est Christiana Ecclesia, post acceptũ spiritũ sanctũ. Quare hoc nos cõsolari debet, quòd nos nõ soli aduersa & persecutionẽ patimur, & nihil
Heb.12. nobis noui accidit, nã disciplinæ domini participes fuerunt oẽs, qui illi unquã placuerunt. Si itaq; extra eiusmodi disciplinam domini esse uis, certe nõ es legitimus Dei filius, sed nothus. Deinde nos etiã cõsolari debet, quod omnes tribulationes huius uitæ ad exiguum tẽporis spatium durãt. Ideo etiam Christus hanc uoculã, Modicum, toties repetiit. Hinc
2.Cor.4. item est, quòd Paulus dicit, omnia temporaria esse & leuia,
1.Petr.1. quæ hic patimur. Et Petrus, Modicũ nunc si oportet cõtri-
1.Iohan.2. stari in uariis tẽtationibus, &c. Huc etiã ptinet, quòd diuus Iohãnes ait, unicã tãtum & nouissimam horã esse. Imo quî malum & infortunium huius tẽporis diuturnũ esse poteit,
Iacob.4. quum præsens hæc nostra uita nihil aliud sit, quàm uapor quidam ad breue tempus apparens, mox uerò euanescens? Quid igitur queritamur? Multo iustiorem optimi patres cõquerẽdi causam habuissent, qui quãdoq; noningentos annos


nos

nos miseriæ & calamitati obnoxij fuère, cũ nos uix quinquagesimũ annũ assequimur. Postremò cõsolari nos debet, quòd scimus, certum & æternũ gaudium secuturum: Iterum (inquit Christus) uidebo uos, & gaudebit cor uestrũ: & gaudium uestrũ nemo tollet à uobis, &c. Et hoc maius illud gaudium erit, quo plus persecutionis præcesserit: nã sic olim sanctißimi patres cecinerunt: Transiuimus per ignẽ & aquam: & eduxisti nos in refrigeriũ. Et rursum: Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus uidimus mala, &c. Huc quadrat etiã illud ex Propheta Osee: Venite, & reuertamur ad dominum, quia ipse cepit & sanabit nos. Viuificabit nos post duos dies; in die tertia, hoc est, mox, suscitabit nos. Et in Iob: In sex tribulationibus liberabit te, & in septima, hoc est, in morte, quæ improbis omniũ malorũ author est, nõ tanget te malum, &c. Hęc sunt, quibus cõsolari nos ipsos debemus in rebus afflictis. Sic fecerunt omnes boni ac pij, ideóq; nullũ nõ mali genus uiriliter uicerunt. An uidès iam, quò deniq; exẽplum grauidæ mulieris tendat? Christus hoc exẽplo primũ nobis inculcare uult, nos hîc in terris nullum habere locũ quietis nostræ, sed alibi. Secundò indicare uult, ad uerã quietẽ non esse aliã uiã, quàm per crucẽ & paßionem. Tertiò monet nos, ut ex neceßitate faciamus uirtutẽ. Quartò uult nos cõfirmare, ne despondeamus animum. Et deniq; hoc exẽplo nos certos facit de futura fęlicitate. Quid ergo est, quod querimur? Nónne dicere nos cũ diuo Paulo magis ęquũ est? Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarũ, & Deus totius cõsolationis, qui cõsolatur nos in omni tribulatione nostra: ut poßimus & ipsi cõsolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationẽ qua exhortamur & ipsi à Deo. Et cũ Dauide, Secundũ multitudinẽ dolorum meorum in corde meo, cõsolationes tuæ lętificauerunt animã meã. Quare ô optime Christiane, qui Euangelij uerbũ audiuisti, & uiuum semẽ futuræ gloriæ accepisti, gaude in bonis gratiæ, quæ iã poßides, & in bonis futuræ gloriæ, quã expectas, nec sit tibi ulla mora molesta, adhuc enim modicũ aliquãtulúmq;, qui uenturus est, ueniet, & nõ tardabit. Si quid interea tibi obuenit mali, fer & tolera fortiter, nec ideo animo frangere. sed scito, ita fieri oportere: scito nullã aliã ad felicitatem esse uiã: scito hanc uiam omnes sanctos Dei iuisse: scito tẽpus crucis & paßionis breue esse: scito, te per crucẽ & persecutionem ingressurum in

[Marginal notes: Psalm. 65. / 89. / Ose. 6. / Iob. 5. / I. / II. / III. / IIII. / V. / 2. Cor. 1. / Psal. 93. / Hebr. 10. / Crux iter ad charitatem.]

regnum Dei,&c.Hæc illa sunt,quæ nobis Christus indicare uoluit, curemus nos, ne frustra tot uerbis nobiscum egisse uideri possit,&c.

SECVNDVS SERMO ITIDEM de Euangelio in genere.



ODIERNVM istud Euangeliũ pars est eius prædicationis,quã Christus iã iámq; ad passionẽ suam concessurus, ad discipulos suos fecit, unde quiuis homo pius facilè existimare potest,quanto affectu,amore & indolescẽtia hęc
Ioh. 13. uerba dixerit,quando quidem certum est,eum suos,quos in mundo relinquebat,ad finẽ usq;,hoc est,lõgè perfectissimè & cõstantissimè dilexisse.Iã uerò nemo nescit,quid amor faciat,quàm sese exerat,ostẽdat,offerat & effundat, ubi à charissimis amicis auelli oportet,& maximè , ubi illi in tribulatione relinquuntur,quos impensius amamus. Et quo maior amor est,hoc magis eiusmodi affectus & gestus exhibet. At ubi,aut in quo unquã maior fuit amor,quàm in Christo? Et qui fuerunt unquã magis derelicti,quàm Apostoli in passione Christi? Quãdiu spõsum Christum apud se habebant,tantisper tristari nõ poterant:nã in illo habebant panẽ uitæ, &
Luc.10. aquã seu fontem cõsolationis:uidebant & audiebant,quod nulli prophetarũ uidere cõtigit.Cæterũ nunc illis spõsus auferendus erat,imò pastor percutiendus erat,& dispergendę oues:necessariò itaq; dolor & tristitia comes erat.Hęc quidẽ optimi discipuli nondũ uidebãt,sed Christus omnia præuidebat,quapropter etiã in hac postrema cõcione totũ illis cor suũ aperiebat & perfundebat eos tã larga cõsolatione,
Sermo Christi post cœnã quãta efficacia. ut in hodiernũ etiã diem homo pius,qui hanc domini concionẽ legit uel audit,spirituali gaudio repleatur. Neq; id sanè mirum est,siquidem in illo sermone certum Euãgelium & lætũ nuntiũ continetur, id quod ex prima & ultima uocula testatum fit:nã ita sermo ille incipit, Nõ turbetur cor ue-
Ioh.14. 16. strũ,&c. Vltimũ uerò uerbũ est,Cõfidite,ego uici mundum. Quid autẽ cõsolatoriũ magis audire possumus? Vt igitur initiũ & finis illius cõcionis cõsolatorius est,ita tota cõcio est,
Psal.30. ut quis cũ sancto Dauide nõ immeritò dicat:Quàm magna
2.Cor.1. multitudo dulcedinis tuę domine,&c. Et cum beato Paulo: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarũ,& Deus totius cõsolatiõis,&c.Hoc iã restabit.

bit, ut uerba illa, quæ nobis ad peculiare solatiũ dicta sunt & scripta, cupidis animis acceptem⁹. Deinde ut tales esse studeamus, qui cõsolationis eiusmodi sint capaces. Nã ut sæpe admonui, nõ satis est, hęc uerba scripta & dicta esse, nisi etiã illa animis nostris imprimamus. Tũ clarè ex hoc Euangelio apparet, uerba ista non ad oẽs homines dicta esse. Vos (inquit) plorabitis & flebitis, tristitia uestra uertetur in gaudiũ, &c. Vos iterũ uidebo, &c. Quę omnia indicio sunt maximo, cũ hęc nõ ad mundi filios, sed ad discipulos dicere, quinimò ingens inter illos & mundũ discrimen facit. Est ergo cũ primis necessariũ, ut ambos oculos aperiam⁹: nã altero ad uerba Christi respicere oportet, altero nos ipsos intueri, nũ etiã tales simus, qui ea cõsolatione sint digni. Nõ temerè hoc dico, etenim uulgus hominũ ea tantũ obseruat, quę Christus dominus noster loquitur, nõ quę ipsos facere deceat. Nunquã hoc ueros Christianos dabit, quẽadmodũ id nunc satis experiuntur, qui quæ cõsolatoria sunt duntaxat populo proponũt, ídq; citra omnẽ delectũ tũ bonis, tum improbis, nõ diiudicãtes, cuius sint farinę homines, &c. Sed quorsum attinet, nos per omnẽ uitã Euãgeliũ audire, & tamẽ dimidiatos solum manere Christianos, hoc est, Christianos esse uerbo & nomine, nihil uerò minus, q̃ facto. Nos autẽ Christiani propterea in scholã Christi uenimus, ut absoluti Christiani efficiamur, siquidẽ regnũ Dei nõ in uerbo, sed in facto cõsistit, Quocirca in oĩbus Euãgeliis duo ista cõsiderare oportet. Primò uerba Christi, deinde nos ipsos, num ij simus, ad quos uerba hęc ptinent. Hęc duo hoc loco cõsiderabimus, & primò uerba Christi. Porrò in uerbis hodierni isti⁹ Euãgelij tria perpendenda sunt. Primò, quã ob rẽ Christus in ea adeò prędicatione, qua suos discipulos imprimis consolari uoluit, tã multa de ipsorũ tribulatione dixerit. Secũdo, quomodo de eiusmodi bonorũ afflictione loquatur. Et tertiò, quẽ in modũ eos cõsoletur. Tria hęc necessariò obseruãda sunt in hoc Euãgelio. Et primò uidemus, quod Christ⁹ suos lõgè aliter cõsolatur, quàm solet mundus. nã mundus cõsolaturus aliquẽ, omnia celat, quę animũ illius offendere possunt, & quæ læta sunt tantũ narrat. Christus uerò cõsolatur⁹ suos, studiose illis proponit, quæ tristitiã afferunt, eáq; sępi⁹ iterat aliis uerbis. Nã primò ait, Modicũ, & iã nõ uidebitis me. Secũdò, uado ad patrẽ. Tertiò, uos plorabitis. Quartò, flebitis. Quintò, mundus gaudebit. Sextò, uos tristabimini.

In uerbis Christi quæ duo consideranda.

Contra molliculos dogmatistas.

Christianos quales esse oporteat.

Inter Christi & mundi consolationẽ quãta distantia.

Septimò, indicat exẽplo parturientiũ mulierum, illos semel angore & pauore correptũ iri, &c. mortẽq; ueluti prę oculis uisuros, &c. Est hoc cõsolari, dicat aliquis? Sed hic Dei mos est, ut simul dulce & amarũ pponat, cõsoletur & perterrefa-
1. Reg. 2. ciat, percutiat & sanet, mortificet & uiuificet, deducat ad inferos & reducat. Nõ enim facit, ut hostis diabolus, qui à frõte palpatur, à tergo lædit: nõ facit, ut mundus, qui læta promittit & posteri⁹ ad mortẽ ducit; nec facit ut pseudoprophetæ, qui quæ grata sunt hominibus tantũ loquuntur, qui illis
2. Tim. 4. aures titillant, ut Paulus dicit: cõsuũt eis puluillos sub omni
Ezec. 13. cubito man⁹: & faciũt ceruicalia sub capite, ad capiẽdas animas: semper habent in ore, pax, pax, ubi nõ est pax, atq; ita imponũt hominibus ad credendũ facilius, sic ut uerissimum
Prou. 27. sit, quod scriptura dicit: Meliora sũt uulnera diligẽtis, quàm
Isaia 3. fraudulẽta oscula odiẽtis. Et rursus: Qui te beatũ dicũt, ipsi
Luca 10. te decipiũt. At Christus nõ itidẽ facit, sed infundit uinũ cũ oleo, dulce cũ amaro simul in uulnera nostra. Quare hoc primò obseruandũ, ꝙ Deus suos multò aliter quam mundus suos cõsolatur, imò quòd nõ solũ illos cõsolatur, sed id etiã eis dicit, quod dolet, & plerũq; incipit suã cõsolationẽ à tribulatione, ut uidere est in Iosepho, Dauide & Christo, &c. Quãobrẽ nihil dubitare debemus de Dei benignitate, etiãsi nonunquã rebus aduersis inuoluimur, sed certò persuasum
Contra blandiloquos euangelicos. habere, in rẽ nostrã id fieri, &c. Hic discãt impostores, non sufficere Euãgelico doctori, ut cõsoleẽ, sed ut quãdoq; etiã arguat, & quod carni aduersum est, simul inspergat, ueluti Christus hoc loco facit, &c. Sed audiemus, quomodo Christus de afflictionib⁹ bonorũ loquatur. Plorabitis (inquit) & flebitis uos, &c. Nõ simpliciter dicit, hæc uel illa patiemini, &c. Neq; simpliciter dicit plorabitis, sed addit insuper, flebitis, cõtristabimini, &c. Quib⁹ uerbis indicat, ipsos intrinsec⁹ pariter & extrinsecus passuros esse, & idcirco undiquaq; causam habituros tristãdi, sicuti hoc ipsum in Apostolis cõpletũ est, tẽpore passionis Christi. Haud dubiè enim fleuerũt, cum relinquere illũ cogebãtur. Pręcipuè uerò diuus Petrus fleuit
Matth. 26. post ter abnegatũ dominũ suũ. Sic fleuit & Iohãnes sub cruce, nec abfuisse lacrymas credere par est, quũ cõgregati clã culũ, foribus clausis sederẽt, & prę metu in publicũ prodire nõ auderẽt. Similiter postea etiã, cũ in uniuersũ orbẽ emitterẽtur, haudquaquã illis lacrymãdi defuit occasio, cũ ab oĩb⁹ hominibus reiecti, diris deuoti, uariis persecutionibus iactati, deni

ij, deniq; tanquã cõmmunes & publici hostes neci traderẽtur. Hæc illis Christus prędixit. Veruntamẽ pertinẽt ista uerba non tã ad sanctos Apostolos & discipulos Christi, quàm ad oẽs fideles & pios homines, ut quibus nunquã nõ suppetunt satis multę flendi causæ. Nã principiò, posteaquã in medio luporũ sunt, sustinere quoq; eos oportet direptionẽ suorum bonorũ, &c. Et sic fleuerunt filij Israël in Aegypto. Secũdò, quia inter ueneficas bestias, scorpiones degunt, probra & ignominiã ferre coguntur, ut Propheta Dauid à Semei, &c. Tertiò, quia inter medios hostes sunt, sentiunt undiquaque lętifera tela diaboli. Quartò, quia inter spinas sunt, uarias angustias & tribulationes cordis tolerẽt necesse est. Quintò, quia in regno diaboli sunt, uidere & audire eos oportet Dei contẽptum, cõtumeliã & peccatũ, &c. idq; nõ sine mediocri cordis ipsorũ dolore. Sexto, quia hìc exulãt, ni mirũ in Babylone, nõ possunt canere canticũ domini, neq; in hoc mũdo perfectè gaudere. Postremò, quia mortali adhuc corpore onusti sunt, nunquã sunt sine peccatis, &c. Hęc omnia bono & pio cuiq; homini sat occasionis tristandi lacrymãdiq; prębẽt. Ideoq; Christus meritò dicit, plorabitis & flebitis, imò sanè mirũ est, si homo Christianus nõ perpetuò flet, cum tot causas ad id habeat. In summa, Ecclesia seu cœtus fideliũ est mulier, quæ semper parit, semper tristatur, siquidẽ tartareus draco illi semper insidias struit. Sic in ueteri testamẽto crebro fleuit, donec Christũ enixa est: sępe etiã morti fuit proxima, ut tẽpore Assueri, &c. Sic etiã diuus Paulus plurimũ operæ & laboris insũpsit, priusquã nos Christo genuit. Sic nec nos absq; labore sumus, quoad in hoc mũdo uitã agimus: attamẽ nõ ideo desperare debemus, nã secundum multitudinẽ dolorũ nostrorum. etiã cõsolationes habemus per Christũ. Etenim primò nõ est cõtemnendũ solatiũ, quod nobis Christus de futura afflictionũ tẽpestate prædixit, ob id cogitare oportet, haud aliter fieri posse, quẽadmodũ etiã mulier iã ad partum enitẽs cogitat. Hinc quoq; diuus Paulus dicit: Sicut sumus socij passionum, sic erimus & cõsolationis. Altera cõsolatio est, quòd tribulatio ad breue tẽpus durat, quẽadmodum illud ipsum quoq; beatus Paulus testatur. Vna tantũ hora est, nec illa integra. Quin in hoc breui & exiguo temporis spatio plus recipimus boni, quàm mali, unde etiã omni tẽpore cum diuo Iob dicere debem⁹: Si bona suscepimus à Deo, mala autem cur nõ sustineamus?

Piorum afflictiones. — *2. Reg. 16.* — *Psal. 136.* — *Mulier parturiẽs, Ecclesia. Apocaly. 12.* — *Esther. 4.* — *Galat. 4.* — *2. Cor. 1.* — *Consolationes afflictorum.* — I. — *Ibidem.* — II. — *2. Cor. 4.* — *Iob 2.*

III. Tertiũ solatium est, quòd tristitia nostra uertetur in gaudiũ.
IIII. Nostra, dico, quia mundi tristitia perénis erit. Quartũ sola-
V. tiũ est, quod dicit, iterũ uidebo uos. Quintũ est, quod dicit,
VI. gaudebit cor uestrũ. Sextum, quod gaudiũ istud nemo tollet à nobis, &c. Vide obsecro, quãtum solatium? Et quid nobis felicius esset, si hoc ad animũ reuocarem⁹? Quid mundi gaudium est ad hęc bona? &c. Proinde rectè & uerè dictum
Isa. 65. est à Propheta Isaia: Serui mei comedent, & uos esurietis, &c. Hîc solũ opera danda est, ut ij simus, ad quos illæ ꝓmissiones pertinẽt, siquidẽ non ad omnes homines pertinent. Nã primò mundus penitus est exclusus. Secũdò, loquitur dominus hęc uerba tantum ad suos discipulos. Tertiò, ad eos solum, qui crucis sunt socij. Quis igitur mundus est? Ii sunt, qui mundanum gaudiũ & uoluptatẽ quærunt, carnales cupiditates sequentes, &c. Ad hos nulla Euãgelij pars pertinet, quoniã porci, bruta animãtia sunt, & nõ homines. Qui aũt sunt discipuli Christi? Oẽs ij, qui uerè dicere possunt, Ecce nos reliquimus oĩa, & secuti sumus te, &c. Et qui sunt deniq; flẽtes? Ii sunt, qui signũ habent Thau, gemẽtes & dolẽtes super cũctis abominationibus domus Israël, &c. Ad hos pertinẽt promissiones istę omni solatio plenæ, &c. Quam obrem in se quilibet descendat, & uideat, num etiam talis sit, &c. Imo hîc consideremus, quàm nos istarum rerũ nihil in nobis habeam⁹, nil nisi mũdus sumus, uerbis, factis & cogitationibus, nõ sequimur Christũ, neq; tristamur, & tamen promissorum Christi participes esse uolumus, sed profectò longè fallemur. Faxit Deus, ut rẽ bene ꝑpendamus, Amen.

Mundus quis sit.

Discipuli Christi qui.
Matth. 19.
Ezech. 8.

TERTIVS SERMO DE *Euangelio in genere.*



IN hodierno isto Euãgelio uidemus, Christũ in propria sua persona impleuisse, quod multo antè per Salomonẽ scribi curãuerat: Noli regibus ò Lamuel, noli regibus dare uinum, ne forte bibãt, & obliuiscãtur iudiciorũ, & mutent causam filiorũ pauperis. Date sicerã mœrẽtibus, & uinũ his q amaro sunt animo: bibãt & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui nõ recordẽtur amplius. Verborũ istorum hæc est sententia, quemadmodũ una medicina nõ oẽs curat morbos, & unũ cibi ac potus genus nõ omnibus ęquè utile est; ita hominib⁹, quorũ animi tã diuersi sunt, nõ una doctrina tradi

Prou. 31.

Diuersis diuersa adhibenda institutio.

na tradi debet. Cum superbis & ferocibus, uerbis cõsolatoriis nõ multũ agẽdũ est, ne etiã magis superbiãt & ferociãt, sed metus illis est incutiẽdus. Tristes autem & pusillanimes cõsolãdi sunt, & uinũ illis ac potus quisque fortissimus: hoc est, quicquid spirituale gaudiũ & solatiũ adfert, proponendũ est, ne magis etiã animo deiiciantur, sed ut obliuiscantur miseriarum suarũ, aut eas saltẽ æquius ferãt. Hoc Christus facit in isto Euangelio. Triste aliquot bonorum hominũ collectum contuberniũ ante se habebat, cùm hæc uerba loqueretur. Hi erant illius Apostoli & discipuli, qui non immeritò lugebãt. Quem enim nõ mouisset, quod Christus toties de passione sua & morte loquebatur? Quî fieri potest, ut boni filij nõ mœreant, talẽ patrem amittẽtes? Hãc Apostolorũ tristitiã nouerat Christus. Proindè experti & fidi animarũ medici functus officio, studebat huiusmodi consolatoriis uerbis, eorum pusillanimitati occurrere, & hoc totum illud est, quod in hoc Euangelio agit. Quo magis Apostoli mœrore lãguidi decessum Christi, & secutura ipsorũ pericula imaginabãtur, hoc magis Christus uicissim illis futurã suã resurrectionẽ promittebat, & ex illa etiã nihil nõ solatij & gaudij: & huc rẽdũt omnia uerba, quæ in hoc Euãgelio locutus est, maxime uerò similitudo de muliere parturiente. Et ut illis Christus omnia prædixit, ita reipsa euenit. Nã nõ lõgè pòst capiebat & crucifigebat, unde ingẽs Apostolis mœror oboriebat. E diuerso aũt, mox resurgebat à mortuis, qđ Apostolis & oĩb⁹ fidelib⁹ tãtũ solatij adferebat, ut nulla re amplius pturbarẽtur, ueluti Paulus ait, Nõ solũ gloriamur in spe gloriæ filiorũ Dei, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes ꝙ tribulatio patiẽtiã operatur, patiẽtia autẽ ꝓbationẽ, ꝓbatio uerò spẽ, spes autẽ nõ cõfundit. Et rursum dicit Paulus, Maledicimur, & benedicimus, psecutionẽ patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, &c. Et hæc est summa istius Euangelij, quo ad Apostolos. Quia uerò sancti Apostoli nõ priuatę & ꝓ seipsis tãtũ, sed publicæ fuerũt psonæ, ut quos Christus in hoc uocauit, & Apostolos nominauit, ut in illis, & per illos cunctos mortales doceret, aliquanto accuratius Euangelium istud uestigandum est. Et primò uidemus illic, quid Deus Optimus, Maximus cum suis electis & fidelibus faciat, quemadmodum illos tractet. Apostolos consolatur quidem, sed ita, ut eos prius perterrefaceret. Plorabitis & flebitis uos, inquit: hoc præcedebat. Post

Rom. 5.

1. Cor. 4.

Ut suos electos tractet Deus.

bat. Postea tandem sequitur cõsolatio, tristitia uestra uertetur in gaudiũ. Hoc modo cũ fidelibus suis agit Deus, in in-
1. Reg. 2. fernum deducit eos, & educit, mortificat & uiuificat, quẽ cõ solari uult, hũc in uarias ærũnas prius præcipitat. Quid ita? Nemo diuina cõsolatione dignus est, nisi omni mũdano & carnali solatio prius abdicato. Huc seruit, qđ Deus ĩ Isaia di-
Isa. 66. cit, Ad quẽ respiciam, nisi ad pauperculum, & cõtritũ spiritu,
Psal. 33. & tremẽtẽ sermones meos? Et quod Dauid ait, Iuxtà est Dominus iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salua-
Zac. 13. bit. Et quod Deus iterũ in Zacharia dicit, Cõuertã manum meã ad paruulos, & ducã eos per ignẽ, & urã eos sicut uritur argẽtum, & probabo eos sicut probatur aurũ. Mundus uertit se & manũ suã solũ ad diuites, & q magnę existimationis sunt. Lõgè secus facit Deus: uult ut dona sua magni pendamus, impense illa expetamus, & grati acceptemus. Cæterũ quãdiu aliquid habemus adhuc, & scimus quòd exterius nos iuuat & cõsolatur, nihili facimus diuinã cõsolationem. Verum q tribulationũ undis septus est, nec ullũ externũ cer-
Psal. 68. nit solatiũ, is potest cũ sancto Dauide clamare ac dicere, Sal-
Afflicti oratio. uum me fac Deus, quoniã intrauerunt aquæ usq; ad animã meã. Infixus sum in limo profundi: & nõ est substantia. Veni in altitudinẽ maris: & tempestas demersit me. Laboraui clamans: raucæ sunt factæ fauces meæ: defecerũt oculi mei, dũ spero in Deum meũ. Eripe me Deus de luto, ut nõ infigar, ne me demergat tempestas aquę, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Exaudi me
Domine, quoniã benigna est misericordia tua: secundũ multitudinem miserationum tuarum respice in me. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniã tribulor, velociter exaudi me, &c. Sic tribulatio nos orare docet, id quod fre-
Psal. 6. quẽs est apud Dauidem, ut cùm dicit, Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniã conturbata sunt ossa mea, &c. Talis oratio & clamor ex animo proficiscitur, atque ibi Deus suũ opus recte exequi po-
Quos Deus iustificet. test, ibi etiam cũ gratitudine accipitur, quod largitur Deus. In summa, ut Deus neminem mortalium iustificat, & peccatis liberat, nisi eum, qui ex intimo animo pro peccatore se
Extollat. agnoscit: ita neminem extollit, nisi humilem, nullius misere-
Misereatur. tur, nisi qui seipse calamitosum & miserabilem fatetur, ne-
Euehat. minem euehit, nisi qui sibipsi & coram oculis suis paruus &

nullus

nullus est,&c. Sic neminem cõsolatur, nisi qui desolatus est, *Consoletur.*
atque ita ut faciat opus suum, alienũ est opus eius. Propriũ *Isai.28.*
autem illius opus est parcere, misereri, auxiliari, largiri, iustificare, euehere, & beatitudine donare. Hęc illius opera non desideramus, ni prius nos in omnem miseriam & calamitatem conijciat & pessundet. Sic itaq; alienum opus suscipere necesse habet, si ad suum opus peruenire uelit. Et quid hinc discemus? Ne animum abiiciamus aut desperemus, si quando uidebitur Deus nos deserere, sed tantò ualidius & feruentius ad illum clamemus, & tum quidem suum opus incipere potest. Istud unũ est, quod circa hoc Euangeliũ est obseruandũ. Secundò obserua ex hoc Euãgelio, quòd quanquam apertissimè Christus loquitur de sua passione, tamen scriptum est de Apostolis, eos nihil eorum, quæ dixit, intellexisse. Quid obstabat? Tristitia. Et hoc oppidò quàm diligẽter obserua. Hinc enim seqtur primò, ad uerã scripturarũ & *Ad scripturarum intelligentiam quæ requirantur.*
diuini uerbi intelligentiã nõ sufficere, si audiatur legatúrue, imò nec iudicium rationis nostræ ad eam rem sufficit: citius hoc uideas cõtingere, ut ratio & iudiciũ nos à ueritate abducant sæpenumerò, & genuino diuini uerbi intellectu, & quo quis magis suo ipsius iudicio indulget ac permittit in *O nimis uerũ.*
rebus diuinis, hoc facilius & perniciosius erret. Nõ enim cogitationes meæ, cogitationes uestræ (inquit Deus) neq; uię *Isa. 55.*
meæ, uiæ uestræ, quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt cogitationes meæ à cogitationibus uestris. Quare interna diuina illuminatione opus est, si Dei uerbum & sacras scripturas rectè intelligere uoles. Qua de causa sanctus David ubiq; illuminationem petit à Deo. Vias tuas Domi- *Psalm.24.*
ne, inquit, demonstra mihi: & semitas tuas edoce me. Et rur *118.*
sus, Legem pone mihi Domine uiam iustificationum tuarũ, & exquiram eã semper. Da mihi intellectũ, & scrutabor legem tuã, & custodiã illã in toto corde meo. Deduc me in semita mãdatorum tuorũ: quia ipsam uolui. Inclina cor meũ in testimonia tua, & nõ in auaritiã. Sic orabat Salomon: Da mihi Domine sediũ tuarum assistricem sapientiam, quoniã *Sapien.9.*
homo infirmus sum, & minor ad intellectũ iudicij & legũ. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Mitte ergo illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Quis enim hominum poterit scire cõsilium Dei? aut

quis poterit cogitare quid uelit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantē. Et difficilè æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore. Quæ autē in cœlis sunt, quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? Vide, hoc etiã Salomon fatetur, qui sapientia & ingenio secundum nõ habuit, & sic rogat Dauid ampliorem illuminationem, qui tamen summus & diuinitus illuminatus Propheta erat. Cõtra uerò nos nihil penitus à Deo gratiæ & illuminationis petimus, omnia per nosipsos & rationem nostrã intelligere & indagare conantes. Quid mirum, si tot sectis, erroribus, & heresibus intricamur? Tu Domine iustus es, & tua iudicia iusta sunt. Quare si nolimus errare, nõ solum audire ac legere, uerumetiam petere oportet. Nam petenti dabitur, quærẽs inueniet, pulsanti aperietur. Si potes cũ Dauide ad Deũ dicere, Domine tu es refugium meum à tribulatione, quæ circũdedit me, haud dubiè respõsum accipies: Intellectũ tibi dabo, & instruã te in uia hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Deinde nulla etiam res est, quæ à uero scripturarum & diuini uerbi intellectu nos magis remoratur, quàm affectus, ut uidemus in Apostolis: nec est alia causa, quòd ita discrepam' in intellectu diuinæ scripturę, quàm affectus nostri. Etenim ad quod quisque propensus est, hoc quærit in sacris literis & uerbo Dei, & huc etiã trahit ac torquet scripturã, ut exempli gratia, Est qui captat humanã laudem & gloriam, cupit haberi doctus, ideo semper studet aliquid noui proferre: alius libertatem quærit, & locum prauæ suæ naturæ, & huc inflectit scripturã: alius inuidet alij, quærit itaque illi nocendi modum: alius temporariis bonis inhiat, timet suo quæstui, quapropter reperire laborat, quam auaritiæ suæ prætexat speciem, & ita de reliquis affectibus. Quamobrem si scripturam seu uerbum Dei rectè intelligere cupis, nec hallucinari, sepone affectus tuos. Tertiò, componit & comparat Christus in hoc Euangelio mundum cum Apostolis: Mundus (inquit) gaudebit: Vos autem contristabimini, attamen utrobique particula Modicum addita est. Et quid gaudet mundus? Gaudet, quod meritò lugere debebat, nimirum si illi omnia pro uotis succedunt, nec habet à

2. Paralip. 1. *Cur tot erroribus implicemur.* *Psalm. 118.* *Luc. 11.* *Psal. 31.* *Affectus nostri quam præpediant scripturæ intelligentiam.* *Vt plerique scripturam suis cogant uitijs suffragari.* *Mundi gaudium.*

bet à quo reprehendatur,&c. Quid autem magis & iustius deplorandum est, quàm ubi etiam sceleratæ uitæ adblanditur fortuna,& absque metu peccatur, nemo est cuius timetur uindicta, nec præterea cernitur grauitas peccati? Age, gaude in peccatis tuis, quoad licet secundis utere rebus, increpationem & monita omnia reiice, inuenies tuum accusatorem tamen, quin illum apud te portas. Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos:& si ascenderint usque in cœlum, indè detraham eos. Et si absconditi fuerint in uertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti & mordebit eos,&c. Quanto satius esset, infelices mundi cultores nunc accusationem conscientiæ suæ, & sacræ scripturæ correptionem ac monita audire & acceptare, imo quanto præstaret, si seipsos incusarent damnarentque, quàm quòd inutili gaudio occupati sunt? Quod si nosmetipsos diiudicaremus (inquit Paulus) non utique iudicaremur. Ad sanctos Apostolos dicit Christus, Plorabitis & flebitis uos, sed mox uicissim eos consolatur his sanè uerbis, Tristitia uestra uertetur in gaudium. Gaudium promittit illis, nec id uulgare, sed gaudium cordis, imò æternum gaudium. Et quis non libenter ac patienter toleret aduersa huius temporis, quando audit non longum id fore,& perenne secuturum gaudium? Et unde illud gaudium, quod animos nostros recreat, & quod nemo tollere à nobis potest? Ego (inquit Christus) iterum uidebo uos. Nulla alia de causa tristabantur Apostoli, quàm quòd Christum non amplius præsentem conspiciebant. Sic præsentia Christi illis gaudium reduxit. Itidem apud nos quoque est, ubi Christus conspicuus non est, omnia luctuosa sunt & desperatione plena, ueluti Dauid dicit, Auertisti faciem tuam à me Domine:& factus sum conturbatus. Verum ubi Christus iterum exhibet sese, gaudium cordis redit, quinetiam fortitudo nostra ac solatium, quemadmodum etiam Dauid ait in iam dicto Psalmo, Audiuit Dominus & misertus est mei: Dominus factus adiutor meus: conuertisti planctum meum in gaudium mihi. Iterum uidebo uos, inquit Christus. Istud gaudium est hominis Christiani quòd Deus ipsum uidet,& ipse uidet Deum. Et quis tu (inquit Isaias) ut timeres ab homine mortali, & oblitus es domini factoris tui? An tu rem paruam censes, quòd Deus nos uidet? Videt quidem

Amos 9.
1. Cor. 11.
Gaudium sempiternum.
Psalm. 29.
Gaudiũ Christiani.
Isa. 51.

quidem omnes homines, sed dissimili modo. Oculi Domini (inquit Dauid) super iustos, uultus autem Domini super
Psalm.33. facietes mala. Et est bonis cōspectus Dei nihil aliud, quàm illius miseratio. Sic dicebat ad Mosen, Vidi afflictionem po
Exod.3. puli mei. Sic orabat Hieremias, Vide domine & considera,
Thre. 1. hoc est, miserere nostri. Hanc igitur promissionē habemus, in hodierno Euangelio, quòd Deus nos uidet. Porrò quem uidet, illius non obliuiscetur, nec quidem potest. Ecce (in-
Isa.49. quit in Isaia) in manibus meis descripsi te, quapropter ut mulier non potest obliuisci infantem suum, ita ego nō obliuiscar tui. Cæterùm si quando putamus Deum uidere nolle, aliud remedium habemus, nimirum orationem, qua illum excitemus, nec se excitari ægrè patitur. Inuoca me, in-
Isa. 49. quit, in die tribulationis, & eruam te, &c. Hoc solatij capimus ex isto Euangelio. Deus nos omnes sua dignetur gratia, Amen.

QVARTVS SERMO DE ECclesiæ ordinatione, & prima huius Euangelij parte.

Vt sint in Ecclesia ordinata omnia.



CIRCA hodiernum Euangelium rursum apparet, quanta diligentia optimi patres prospexerint, ut populo fideli in Ecclesia omnia ordine proponerentur, quæ ad Christianismū nostrum pertinent. Nomē quidem obtinet istud totū tēpus, ut paschale tēpus uocetur, & omnia in eo læta sunt. Nihilominus uerò tamē unaquælibet Dominica peculiare quiddā nobis indicat, & nō immeritò. Etenim nō satis est, ut cum Christo in resurrectione ipsius gaudeamus, nisi quoq; in nouitate uitæ ambulemus. At nūc uide, q̄ cōmoda ad id uia perducamur. In sancto paschæ die Christus nobis propositus est, tanquā fortis, imo tanquā unicus uictor mortis simul & inferni. Proxima dominica pòst ostēsum nobis est, qui fructus nobis ex resurrectione Christi prouenerint & orti sint, nimirū gaudiū, pax, sanctus Spiritus, & remis
Non satis est credere. sio peccatorum. Cæterùm ne quis existimaret, satis esse hoc scire & credere, secunda dominica nobis Christus propositus est tāquàm exēplum, cui primum pastores & duces cum spirituales, tum seculares, deinde etiā totus grex populi fidelis sese attemperare debet. Porrò hac tertia dominica, ut ne quid

ne quid prætermittatur, quod ad Christianismū nostrum attinet, docemur quoque cum Christo patientes esse. Huc Pertinet hodiernum Euangelium, quod totum ad passionem Christi directum est. Proinde quatuor nobis ordine consideranda forent. Primò, Christum cognoscere oportet. Secundò per Christum gratiam accipere. Tertiò secundum Christi exemplum gratia rectè uti. Et quartò patienter ferre crucem, siquidem etiam hoc adsit necesse est. Si quis uult post me uenire (inquit Christus) abneget semetipsum, & tollat crucem suam. Atqui homo à cruce & passione natura abhorret, res illi ægra est, quapropter multa adhortatione opus est, donec eò adducatur, ut crucem suscipiat, & multa opus est cōsolatione, ne homo cruci succumbat & animum abiiciat. Huic rei destinatum est hodiernum Euangelium, quod nihil habet præter consolationem pro iis, qui crucem fugiunt & odiunt, & sub cruce animo franguntur. Qua de re uerba istius Euāgelij ordine perscrutabimur, audiemúsq;, qd in eo nobis solatij præbeatur. Et primò certum est, quòd Christus suos discipulos cōsolatur in hoc Euangelio. Cæterùm multo aliter, quàm mundus suam turbam consueuit. Si quem mundus consolatur, suppressis acerbis, ea tantùm dicit quæ læta sunt. Verùm non semper hoc expedit & utile est, ut nihil dicatur, quod aliquem conturbare possit, id quod cum primis in animam agentibus apparet, quorum multis silentium est perniciosum, dum nō audeas illos mortis commonefacere, ne animo consternentur. Christus longè secus facit, hic consolatur quidem, sed periculum interim ostendit, consolationem promittit quidem, sed non dicit se leuaturum nos omnibus, quæ nobis molesta sunt. Sic facit hoc loco. Discipulos consolari illi animus erat, sed quod sermonis initium capit? Annuntiat illis id, quod omnium ægerrimè audiebant, & quod omniū maximè eorum animos perturbabat: Modicum, inquit, & iam non uidebitis me. His uerbis annuntiat illis, se mox ipsorum oculis auferēdum esse, & moriturum. Et quāquàm id apertè dicere potuisset, utitur tamē obscuris uerbis, quo illis interrogandi daret occasionem, id quod factum est. Hac ipsa de causa, sanctus spiritus aliis quoque in locis sacræ scripturæ & sæpenumero obscurè planè & rectè locutus est, quo inertiam nobis discuteret & occasionē præberet uestigādi, quærendi, & petendi. Primum porrò uerbum nobis

Quatuor consideranda.
I.
II.
III.
IIII.
Luc. 9.
Mundi consolatio fallax.
Christi fida cōnsolatio
Ioan. 16.

nobis etiam dictum esto, quoties tēpus gratiæ negligimus, aut fortuna tam benigna in terris utimur. Tum (inquit) perinde nobis uideri debet, ac si Christus ad nos dicat, Breue tempus est, quòd me non uidebitis, quare nolite negligere tempus gratiæ, quin dum tempus habetis, benefacite, nec nimium credite externæ felicitati. Hunc in modū loquitur

Iohan.12. Christus etiā alibi: Adhuc modicū lumē in uobis est, ambulate dum lucem habetis, ut non uos tenebræ cōprehendant. Dum lucē habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Quod autem Christus mox subiicit, Et iterum modicū, & uidebitis me, indicat se propediem ex mortuis iterum resurrecturū, eísq; conspicuum fore. Atq; hîc obserua, quòd duo ista coniungit, mortem & resurrectionē, tristitiam & consolationē. Non uidebitis me, intellige post mortē meā: & iterum me uidebitis, intellige post resurrectionē meā. Sic enim Deus agit cum suis electis, nunc gaudio, nunc mœrore afficiens

Vt erga electos se gerat Deus. eos. Si quem igitur terret uerbum quod Christus dicit, Modicum, & iam nō uidebitis me, is sibi ipse solatiū hauriat ex altero uerbo, ubi ait, Et iterum modicū & uidebitis me: siquidem utrumq; uerbum nobis quoque dictum est. Idcircò nō est, quòd quisquam Christianus animū despōdeat, etiāsi Christum ad tēpus non uidet, quādoquidem audit, quod Christus sui conspectū iterum reddet. In eandē sententiā loqui-

Isa.54. tur Deus in Isaia: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscōdi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redēptor tuus dominus, &c. Et rursus dicit Deus in Isaia: Vade populus me*,

Isa.26. intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicū ad momētum, donec pertranseat indignatio. Ecce enim dominus egredietur de loco suo, ut uisitet iniquitatē habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra sanguinem suum, & nō aperiet ultra interfectos suos. Et hoc primū est, quo Christus suos discipulos consolatur, dum illis non solùm suam mortem & passionem, uerumetiam secuturam resurrectionem suam annuntiat, quod ipsum quoque no-

In Christo duplex natura. strum est solatium, quòd Christus nobis post breuem tribulationem, redemptionem & gaudium promittit. Alterum solatium, quod Christus discipulis suis in hoc præstat Euangelio est, quòd dicit: Quia uado ad patrem. Quod ita intelligēdum est, Christus quia naturalis est filius Dei, semper apud

patrem

patrem fuit& mansit,nec ab eo unquàm recessit, ueluti in Iohanne dicit, filium hominis esse in cœlo, & unigenitum filium Dei esse in sinu patris: nihilominus tamen pro tempore suæ carnis & humanæ naturæ exinaniuit semetipsum, & formam serui suscepit, ut hominem ad Deum traduceret. Nam ex incredibili & summa charitate ac misericordia erga nos, solus esse apud patrem noluit. Quapropter illius abitus ad patrem nihil aliud est, quàm hominem ad Deum traducere, imo per crucem & mortem in gloriam Dei, cum omnibus ipsius electis ingredi, & ueluti ex homine Deum facere. Sed uide, an non res sit admirabilis, crux & mors, per quæ homo tanquàm Deus fit, & ad dexteram Dei ducitur, & tantùm non omnipotens fit. Hinc est, quòd olim sancto Iacob nomen Israël indebatur, quod significat potentem Dei, uel potentem cum Deo. Quoniam si contra Deum fortis fuisti (inquit angelus) quanto magis contra homines præualebis? Eòdem pertinet quod Christus dicit in Euangelio: Omnia possibilia sunt credenti. Hoc ergo sit nostrum solatium in tribulatione, imo huius uerbi etiam memores esse debemus, quoties in itinere salutis, lassi & segnes sumus, aut labor nobis nimius uidetur. Ego uadò ad patrē (inquit Christus) perinde ac si dicat ad nos: Homo cur restitas, & ita socors es in uia salutis tuæ, quum uideas me præcedere, me præparasse tibi uiam, & alios meos fideles summo studio me sequi? Cogitate ad patrē proficisci, imo ad æternam gloriam & non ad interitum, quare non pigeat te laboris. Vtinam hęc uerba in nostris & omniū hominum auribus assiduè resonarēt, indubie omnem nobis laborem leuem factura essent. Porrò discipuli mussitabant inter sese, quid Dominus his uerbis sibi uellet, quin palàm fatebātur, se nescire quid diceret, & apertè illis dixerat, se ire ad patrē, indicarat illis, se nouum regnum instituturum auspicaturumq;, & passionis suæ expertè meminerat, attamē nullus erat, qui uellet intelligere, adeò carnali homini ægrè inculcatur, quicquid de cruce dicitur. Christus autē sentiens, quòd Apostoli haberent in animo percontari se, præuenit illorum interrogationem suo responso, id quod exemplum est ueræ solicitudinis, quam erga illos gerebat Christus, dum illis non interrogatus respondet. Similem curam gerit Deus pro nobis, ueluti quotidie comperimus, quòd non cessat nobis benefacere, etiam prius quàm illum rogemus, hoc cer

Ioh.3. *1.* *Philip.2.* *Gen.35.* *Matth.19.* *Exhortatio torpentium.* *Crucem quàm refugiant carnales.* *Benignitas Dei erga nos.*

hoc certè interrogationem præuenire est. Et sic quidem in Isaia promisit: Eritq; (inquit) antequam clament, ego exaudiam. Deinde quoq; exemplum est humanitatis humilitatísque, quòd Christus discipulos suos nõ repellit à se, propterea, quòd tam crassi & imperiti erant, nec duris aut asperis eos uerbis adoritur, sed humaniter prorsus & mansuetè eos instituit. Quę res nos peculiariter consolari debet. Hoc Dauid magna cum gratitudine secũ ipse reputare poterat: Quomodo miseretur pater filiorũ (inquit) misertus est dominus timentibus se: quoniã ipse cognouit figmentum nostrum. Audi iam uerò quid illis respõdeat. Amen, amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos, mũdus autẽ gaudebit. Rem mirificè exaggerat Christus, quam hîc discipulis dictu*rus* est. Etenim primò nõ sat habet dicere, plorabitis, sed addit & flebitis, significãs hoc pacto, fore, ut intus simul & exterius dolorẽ & tristitiã sentirẽt, & præterea subiũgit, quod multo etiã grauius est, Et mũdus gaudebit. Nam hoc primũ bonis crucẽ intolerabiliorẽ facit, quãdo uident mundo omnia ex sententia succedere. Postremò dicit Christus iterũ, Vos autẽ contristabimini: hoc imprimis urit, quãdo bonus uidet improbos gestire, se uerò affligi, nec reperire solãtiũ. Hæc autẽ omnia Apostolis usu uenêre in passione Christi, idem nunc quoque usu uenit fidelibus: causam eius tristitiæ Christus superius indicauit, Non uidebitis me. Optimi Apostoli putabãt Christum penitus amissum & iuisse perditum, hæc erat causa ipsorum tristitiæ. Idipsum adhuc bono cuiq; uidetur, recessisse à se Deum prorsus. Hinc ipsius tristitia oritur. Atq; hîc uides, quid optimo cuiq; Christiano in mũdo expectandum sit, nimirum, tristitia, lacrymæ, & ploratus. Et sanè etiã si nihil illis aduersi à mũdo accideret, sat tamẽ causæ haberẽt flẽdi. Nam primò lacrymantur & lugent ob sua ipsorũ peccata, ut Dauid ait, Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectũ meum lacrymis meis stratum meũ rigabo. Secũdò, dolẽt & flent propter aliena peccata, quæ alij admittunt, ueluti Paulus dicit, Tristitia mihi magna est, & cõtinuus dolor cordi meo, pro fratribus meis, q sunt cognati mei secundũ carnẽ, &c. Et rursus, Flens dico, ꝙ multi ambulant, sicut inimici crucis Christi, quorũ Deus uenter est, &c. Tertiò, mœrore tenentur & lacrymant, ꝙ tamdiu in his uitæ miseriis agere coguntur, uti Dauid ait: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus

Margin notes: *Isa. 65.* — *Psal. 102.* — *Crucem piorũ quæ exaggerent.* — *Christiano quid in hac uita expectandum.* — *Luctus piorũ.* — *Psalm. 6.* — *Rom. 19.* — *Philip. 3.* — *Psal 119.*

tantibus Cedar. Et sanctus Tobias: Quale mihi gaudiũ erit *Thob.5.*
(inquit) qui in tenebris sedeo, & lumẽ cœli nõ uideo? Quarrò mœrent & plorant, quòd felicitas ipsorũ in tã longum tẽpus differtur, quẽadmodum Paulus dicit: Ipsi intra nos ge- *Rom.8.*
mimus, adoptionẽ filiorum Dei expectantes, redẽptionem corporis nostri. Et Dauid: Quẽadmodum desiderat ceruus *Psalm.41.*
ad fontes aquarũ: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deũ fontẽ uiuum: quando ueniã, & apparebo ante faciẽ Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? &c. Summa, qui secum ipse reputat, quantis mundus malis scateat, is semper maiorẽ lacrymandi materiã, quàm ridẽdi habet, & qui lasciuo gaudio utũtur, hi profectò suã ipsorũ miseriã non uident. Idcirco nõ de bonis, sed de mundo scriptũ est, quòd gaudeant. Hîc rursum admiranda Dei iudicia cõ *Iudicia Dei*
siderare habemus. Nã si rẽ extrinsecus intueare, quòd ad la *abyssus multa.*
crymas bonorũ, & risum improborũ attinet, censeas Deum ab improborum partib⁹ stare, nihil curantẽ bonos, id quod optimos etiã uiros quandoq; mouit. Ita enim dicit Abacuc: *Abac.1.*
Domine quare taces deuorante impio iustiorẽ se? Et Hieremias: Quare uia impiorum prosperatur? Et Dauid: Zelaui super iniquos, pacẽ peccatorũ uidens. Attamen nõ ideo causam habemus Deo ogganniendi. Nam propterea eos Deus extollit ad tẽpus, ut grauius præcipitẽtur, propterea bonos mœrore discruciari ad tẽpus sinit, ut postea eos æternùm so *Cur mundus*
letur. Cæterùm causa, quòd mundus gaudet, est, quòd il- *gaudeat.*
lis omnia prospere cadant, quòd nullũ habeant censorem, quòd sibi uideãtur uictores, quum tamẽ rectius ob istas res flerẽt. Sic quoq; triũphabant & gestiebãt, cùm Christum in crucẽ egissent, ceu uictores, iámq; animo ociosi erant, nihil etiã de uindicta amplius suspicãtes, cùm tamẽ propriũ suũ accusatorẽ & iudicẽ apud sese gestarent. Et quid est, quòd mundus modicum gaudet? Christus redibit, bonos cõsolabitur, malos cõdemnabit. Sic agebatur cũ Iudæis post resurrectionẽ Christi, itidẽ agetur cũ omnibus impiis hominib⁹ in supremo die. E diuerso autẽ dicit Christus ad suos, Tristi *Tristitia quænam in gaudium commutetur.*
tia uestra uertetur in gaudiũ. Hîc obserua, quòd Christ⁹ speciatim dicit, uestra tristitia: nõ enim quæuis tristitia in gaudium uertitur. Tristantur quandoq; & improbi, cæterum tristitia illorum nullis unquã temporibus finitur, sed æternum durat. Verùm qui luctus sui diuinam causam habent, ut cùm

lugent admissa sua, cōtumeliā Dei, damnum proximi, &c. horum tristitia uertitur in gaudiū, & de his dicitur, Beati qui lu-
Matth.5. gent, quoniā ipsi cōsolabuntur. Faxit Deus Opt. Max. ut tristitiam & tribulationē huius mundi patienter feramus, ut æternæ ipsius consolationis & gaudij quod Christus hîc promittit, participes fieri queamus, Amen.

QVINTVS SERMO DE VLTImis hodierni Euangelij uerbis.



HODIERNVM Euangelium me iterū admonet eius uerbi quod proxima dominica in Epi-
1.Pet.2. stola lectum fuit, ubi Petrus dicit: Eratis sicut oues errantes, sed nunc cōuersi estis ad pastorē & episcopū animarum uestrarū. Quis enim nō etiā ex hoc Euangelio uidet, quòd ubiq; Christus uerum
Ezech.34. & fidelē se pastorem exhibet & declarat? Et alioqui quidem suos in agros cōpascuos ducit lōgè omnium pinguissimos, hîc uerò in isto Euangelio, omnia submouet & tollit, quæ
A Christi imitatione multa retrahunt. quo minus se sectentur, eos impedire possunt. Idq; non abs re facit, multa siquidem hominē ab imitatione Christi remorantur, nec rarò fit, ut homo suapte spōte in media uia Dei cōsistat aut pedē referat. Quod ut uerum esse intelligatur, exēplis docebo. Primò, nónne cōplures homines tempo-
Fortuna secunda ut plerisq; imponat. rali felicitate deliniti impediuntur, quo minus procedant in uia Dei? Hunc impediunt bona tēporaria, illum corporalis uoluptas, tertium mundanus honor. Sed quid Christus dicit ad tales homines? Modicū, & iam nō uidebitis me: quasi dicat, Infelices uos Adā filij, quid tēporalium externarum rerum curis distringimini? Num si illa habetis, beatos uos ducitis? Cùm tamen hæc uestra felicitas nō sit futura diuturna, quin breue est, quod uidebitis & experiemini, me non amplius uobis ea cōcessurum. Nihil in mundum intulistis, nihil
1.Tim.6. uobiscum auferetis. Mundus transit & concupiscentia eius.
1.Ioan.2. Cùm moriemini, nō descendet uobiscum gloria uestra, &c.
Psal. 48. Si quis igitur hunc in modū primum istius Euangelij uerbū acciperet intelligerétq;, eum sanè nihil in uia salutis esset im-
Aduersa ut quosdam absterreant. pediturum. Secundò, multi in uia Dei impediuntur per tēporalia incommoda, imò quandoque penitus deterrentur: Sed quid dicit Christus in altero uerbo huius Euangelij? Modicum, & iterum uidebitis me: quod ita intelligere licet, perinde ac si ad illos dicat Christus: Ne grauet uos temporalis

crux

crux & afflictio, quia ad modicum tẽpus durabit, & perẽnis sequetur felicitas. Habet enim diabolus modicum tempus nos affligendi. Et adhuc modicum aliquantulúmque, qui uẽ turus est, ueniet, & nõ tardabit. Nã sic ait ipse: Ecce uenio ci tò: & merces mea mecũ est. Quapropter requiescite adhuc tẽpus modicum, donec compleatur numerus fratrũ uestrorum, tum æternum exultabitis, modicum si nũc oportet cõtristari in uariis tentationibus. Si quis ergo alterum istud in hodierno euangelio uerbum eodem referat, is utique nullis malorum iniuriis in uia Dei impediretur. Tertium, quod nos in uia Dei impedit, est labor. Omnes amãt & sectantur otium, fugiunt & horrent laborẽ. Id uerò inde fit, quòd ad præsentia tantùm respicimus, & nõ ad futura. Et ab hoc affectu quoq; Christus nos abducere nititur reliqua huius Euangelij parte, & maximè exemplo mulieris parturientis. Atque hîc denuò apparet, quàm Christus fidelem agat doctorem. Etenim primò, non solùm nobis monstrat uiam ad patrem, sed etiam custodit nos, ne impingamus aut cursum reflectamus. Deinde nõ solùm simplicibus uerbis nos docet, ne in tribulationibus animum despondeamus, uerumetiã exẽplis idipsum nobis proponit, ut & tanto efficaci⁹ in animos nostros descendat, sed totum id eò spectat, ne dubitemus, quin tribulationes nobis sint obuẽturæ, ne quis pòst dicat, Nõ putassem: itémque propterea, ut robur & uires nostras periclitemur prius, an laborem talem ferre possimus, quemadmodum Christus illud ipsum quoque alio in loco duabus perquàm insignibus parabolis ostendit & docet. In hanc sententiam nobis Christus etiam exemplum & similitudinẽ parturiẽtis mulieris proposuit, perinde ac si dicat, Talis mulier cuperet quidem prolem habere absque dolore, sed fieri nõ potest: est enim sententia lata in mulierem, ut cum dolore pariat. Si uult uoluptatem capere ex prole, doloris discrimen subeat necesse est, scit sibi præfixam horam, hanc præterire nequit, attamen dolorem illi lenit & tolerabiliorem facit, quòd scit dolorem nõ esse diuturnum, & quòd magnam lætitiam sperat ex prole, quam paritura est. Sic (uult Christus dicere) & uos mei discipuli pateremini fortasse, uobis regnum meum, gloriam, gratiam sancti spiritus, & quicquid uobis promisi, absque mea morte & mei orbitate, contingere posse: sed hoc esse nequit, non potest alio modo fieri, quàm per mortem meam. Nam sententia lata est, pastorem

Apoc.12. *Hebr.10.* *Apoc.22.* *Apoc.6.* *1.Pet.1.*

Labor quos deterreat.

Luc.14.

Gen.3.

Zach.13.

percuti,& oues dispergi oportet. Hæc hora iam adest, eam transilire non possumus, quare forti animo tolerandum, quod uitari non potest. His duabus rebus firmandus est animus, primò quòd hora ista non diu durabit, secundò quòd ingens fructus & gaudium sequetur. Hęc similitudinis istius sententia est, quod ad Apostolos attinet. Deinde possumus hanc parabolam quoque ad uniuersam Christianitatẽ in commune, & ad unumquemque Christianum speciatim referre, quandoquidem scripturæ, maximè ueteris testamenti ualde familiare est, ut tribulationes fidelium comparẽtur dolori parturientis mulieris. Vt quod Michęas dicit: Dole & satage filia Sion quasi parturiens, quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & uenies usque ad Babylonem, &c. Et Isaias: Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus à facie tua domine, concepimus & parturiuimus, &c. Et Ezechias: Venerunt filij usque ad partum, & uirtus non est pariendi, &c. Sunt quidem sæpenumero etiam aliorum hominum magni dolores, uerũtamen tribulatiò bonorum nulli dolori melius & aptius comparatur, quàm dolori mulieris parturientis. Nam eiusmodi mulieris dolor magnus est & uehemens, & nõ procul à morte, quem nemo mortalium medicari aut prohibere potest, & præter omnem dolorem angit & discruciat talem mulierem etiam metus: nescit enim, utrum partus ille ad uitam an ad mortem cessurus sit: quanquam autem dolor ille pœna peccati est, est tamen initium quoq; uitę & gaudij, & quo dolor intensior est in partu, hoc gaudium maius fit prole edita in lucem. Sic quoque res habet cùm bonis & filiis Dei, afflictiones eorum non paruæ sunt, sed immensæ, & quidem omnium maximę, siquidem nulli non malo obnoxij sunt, atque ita, ut sæpe nõ longè absint à desperatione. Quemadmodum Paulus dicit: Tribulatione in Asia supra modũ grauati sumus supra uirtũtem, ita ut tæderet nos etiam uiuere, sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus. Et alio in loco: Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus, &c. Et sanctus Dauid: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me, &c. Hoc ipsum quoque boni in rebus externis comperiũt. Ad hæc solicitat & angit eos etiam infirmitas carnis, & inconstan

Mich. 4. *Isa. 26.* *4. Reg. 19.* *Isa. 37.* *Piorum afflictio cui rectissime comparetur.* *Electi quàm dire patiantur.* *2. Cor. 10.* *1. Cor. 4.* *Psalm. 26.*

constantia ingenij humani, siquidem nondum ipsi sciunt, si in bono perseuerabunt nécne, idcirco semper in metu hærent, orantes Deum. Veruntamen, quanquam hæc crux & tribulatio homini ob peccatum imposita est, est ea tamen bonis & fidelib⁹ certum initium & ingressus ad uitam, imò quo grauior & infestior tribulatio est, hoc maius sequetur gaudium. Propterea beati æternum cantabunt, Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium, *Psal.65.* quemadmodum de Babylone, hoc est, de mundo, contrarium dicitur: Quantum in delitiis fuit, tantum date illi tormentum. *Apoc.18.* Propterea ergo nos Propheta his uerbis alloquitur: Venite, & reuertamur ad dominum: uiuificabit nos *Ose.6.* post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Quoniam enim Christus in tertiam usque diem passus fuit & sepultus, omnis fidelium tribulatio per tres istos dies intelligitur, non quòd *Tres dies.* tribus tantum diebus duret, sed quòd per fidem in Christum de futura redemptione certi simus. Nam si uerè credimus, crucem & pasionem nostram, esse tres illos dies Christi, certò quoque secuturam diem resurrectionis sperare licebit. Ideóque in libro Iob scriptum est, iustum in sex tribu- *Iob 5.* lationibus liberari, & in septima nullo tangi malo. Per sex tribulationes, intelligit omnes afflictiones mundi, quem *Septem tribulationes.* sex diebus condidit. Per septimam autem, mortem, in qua improbos triplex malum torquet, ut est, terror malignorum *Triplex malū impiorum.* spirituum, metus & pudor comparēdi coram tribunali Dei, & dolor æternæ condemnationis. Horum nullum tanget bonos: nam non est quòd diabolum formident, quandoquidem apud ipsos est Christus, qui diabolum & omnia deuicit. Coram iudicio Dei parere non est quòd uereantur, quia Christum aduocatum habēt, nec sentient dolorem cōdemnationis, postquam Christum habent redemptorem. *1.Ioh.2.* Et hoc sibi uult similitudo de muliere parturiente, id quod Christus sequentibus uerbis prolixius exponit. Et uos igitur (inquit) nunc quidem tristitiam habetis. Vocula, Nunc, ad pasionem Christi respicit. Potest autem deinde etiam referri ad totum præsentis huius uitæ tempus, quod ad futuram uitam uix momentum censendum est. Istud autem ipsum est, unde solatium capere nos æquum est, quòd Christus tempus persecutionis & tribulationis antea horam nominauit, nunc ceu momentum appellat, sicuti & Isaias 54. *Isa.54.* *1.Pet.1.* Diuus Petrus uocat Modicum quid, Iohannes in sua Epi- *1.Ioh.2.*

 stola

ſtola nouiſsimam horam nuncupat. Interea uerò nobis indicatum eſt, quod quamdiu, Nunc, uocatur, periculum expectare oporteat, neque hìc ſperanda ſit aliqua ſecuritas. At quando triſtitia noſtra finem ſortietur? Iterum uidebo uos, inquit Chriſtus. Mali (ut ſuperius dictum) gaudent, quando ab ipſis digreditur Chriſtus, boni uerò quando Chriſtus ad ipſos uenit. Tum autem Chriſtus ſuos Apoſtolos & diſcipulos iterum uidit, cùm poſt reſurrectionem ſuam in medio illorum conſiſteret ac diceret, Pax uobis, ac tum animum receperunt, uti Iohannes ait, Gauiſi ſunt diſcipuli uiſo domino. Tum autem nos quoque uidet Chriſtus, quando nobis ſpiritum ſanctum mittit, & illo tanquam arrabone corda noſtra obſignat, ut nunquã non illius gaudio fruamur. Et iſtud eſt quoque Chriſtianorum gaudium, quòd ipſos Deus uidet, & ipſi uiciſsim Deum. Videt quidẽ Deus etiam improbos, ſed ſolùm ut præcipites agat, & pœnã illis irroget, uti legimus de Aegyptiis Deum reſpexiſſe ſuper caſtra eorum, ſed mox ſecutum exterminiũ. E contrà uerò, reſpicit Deus ſuos, ut opituletur illis, ueluti in Iſraëlitis uidemus, de quibus Deus dicit: Vidi afflictionẽ eorum, ſed ueni, & mittam te, ut educas eos. Iterum uidebo uos, gaudebit cor ueſtrũ. Hoc inde conſequitur. Hìc diſcrimen habes inter mundi & Chriſtianorum gaudium. Mundus gaudet ineptiis, cęterùm Chriſtianus gaudet cognitione & cõſpectu Dei, imo gratia illius & miſericordia. Secũdò gaudet mundus ſolùm extrinſecus, ſed intrinſecus nullum ſentit cor ipſius ſyncerum gaudium, quin aliud nihil niſi perennem crucem & morſum, nã non eſt pax impiis, & etiam ſi nõnunquàm diſsimulat, nec conſcientiæ perturbationem ſemper ſentit, ſuo tamen tempore ita ſentiet, ut diutius non poſsit celare. Sed quodnam illud eſſe gaudium poteſt, ubi cor inquietum eſt? Contrà autem gaudent fideles intus in animis ſuis, quibus gaudio perfuſis, nulla illis externa calamitas officit. Quapropter legimus de ſanctis Apoſtolis, lætos eos è concilio Iudaico diſceſsiſſe, gauiſos, quòd digni habiti fuerint ut propter nomen Chriſti paterentur. Hinc proindè fit, quòd ueri fideles, etiamnum hodie lætantes contra ſuos perſecutores dicant & canant, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Domin⁹ q in altis habitat, irridebit eos, &c.

Ioh. 20. *Videt Deus bonos.* *Malos.* *Exo. 14.* *Exod. 3.* *Inter mundi & Chriſtiani gaudium quid interſit.* *Iſa. 48. 57.* *Act. 5.* *Pſal. 2.*

Tertiò, mundi gaudium paulo momento perit, ideóque pulueri aſsimilatur, quem huc illuc proiicit uentus & diſsipat,

pat, quum mundi gaudij extremum plerunque luctus occu *Prouerb. 15.*
pat. Cæterum gaudium filiorum Dei finē nescit, quia in rebus afflictis æquè perstat, atque in secundis, nec illud potest ullus mortalium, ullus diabolus, ulla tribulationis procella ab iis tollere. Atq; hic tu mihi cōsidera hominis Christiani diuitias. Quæ igitur (malū) inscitia, ne dicam insania est, nos fluxas opes & gaudium tantum sequi, & interea negligere quod certū & æternum est, cùm tamen Christus apertè moneat doceátq;, ne thesauros nostros in terris, sed in *Matth. 6.*
cœlo quæramus deponamúsq;, ubi eos neq; ærugo, neque tinea demoliri, neq; fures inuolare possunt? Atque hoc unū promissum, ubi Christus inquit, Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrū nemo tollet à uobis, omnem nobis laborem dolorémq; leuem facere posset. Nā si agricolis, nautis & negotiatoribus leuem ac tolerabilem reddit laborem spes prouentus & lucri, quo tamen sæpè frustrantur, cur nos igitur laboris pigeat qbus tam ampla præmia promissa sunt? Quidam hæc ultima uerba Christi, Iterū uidebo uos, &c. referunt ad extremum aduentum Christi, in quo plenè suos exhilarabit, sicuti in Euangelio dicit, His fie *Luc. 21.*
ri incipientibus, respicite, & leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Illud uerò gaudium nemo tollet ab eis, quemadmodū Isaias prædixit, Gaudium & læ- *Isa. 35.*
titiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Et Iohannes, *Apoc. 7.*
Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorū, &c. Atq; hoc pacto Christus nobis ex animis nostris eximere uoluit, quicquid in uia Dei, nobis impedimento esse potest. Reliquum est, ut ea uerba diligenter animo nobiscum uoluamus. Deus nos omnes sua dignetur gratia, Amen.

SEXTUS SERMO DE EVANgelio simul & Epistola in genere.



HABEMUS in isto Euangelio duo contraria, & quę uehemēter dissonāt. Etenim in initio & primis uerbis, annūtiat Christ⁹ se sequētibus tātū mali & calamitatis, ídq; adeò amplificat & exaggerat toties repetitis uerbis, ut infirmū facilè possit deterrere ab imitatiōe sui. Modicū (inqt) & iā nō uidebitis me. Secūdò, uado ad Patrē. Tertiò, uos cōtristabimini. Quartò, plorabitis. Quintò, flebitis. Sextò, eritis ī anxietatib⁹, dolorib⁹, periculis morti uicini, tāq̄ mu-

lier parturiens, & in his omnibus mundus prospera utetur fortuna, ridebit, & gaudebit. En hæc sunt, quæ Christus iam abitũ parans suis intimis amicis annũtiauit: & qui illos perterrefacere magis potuisset? Quî porro etiã omniũ improbissimis hominib' in terris maior metus incuti posset? Quis igitur Christũ nõ refugiat, si nihil aliud expectandũ sit, præter tantam rerum afflictionem? Cæterum Christus his mox subiicit tantam bonorũ copiam, ut qui antehac Christianus nõ fuisset, uel per hoc solũ ad Christianismum pertrahi possit. Modicum (inquit Christus) & uidebitis me. Secundò, uado nõ in exitiũ, sed ad Patrem. Tertiò, iterum uidebo uos. Quartò, tristitia uestra uertetur in gaudiũ. Quintò, gaudebit cor uestrũ. Sextò, gaudiũ uestrum nemo tollet à uobis. Vide, hæc omnia Christus suis imitatoribus promisit. Et quî eos solari melius potuisset? Habet itaq; istud Euangeliũ ueluti duo cõtraria, quæ tamen utraq; sanctis Apostolis utilia & necessaria æquè sunt. Nam quo pacto alioqui in tot támq; grauibus tribulationib' perstare potuissent, nisi præmoniti fuissent? Hæc locutus sum uobis (inquit Christus) ne scandalizemini. Et rursus, Hæc locutus sum uobis, ut cùm uenerit hora, eorum reminiscamini. Nec tamen suffecisset, illos crucem & afflictionem præsciisse antè, nisi addidisset insuper Christus consolationem. Propterea ergo hæc duo illis proposuit simul. Fideliter eos præmonuit, nec quicquam reticuit, quod illis euenturum mali esset, sed uicissim eis tantũ solatij dedit, ut nec grauiora mala eis nocere potuerint. Quia ergo Christus suis discipulis tam diuersa dixit, mirum nõ est, eos diuersimodè quoq; affectos fuisse, quum hæc audiuerunt. Satis enimuerò Euangelistæ ostendunt, quid ante hæc uerba & post, animi habuerint. Cum illis Christus toties passionis & mortis suæ mentionem iteraret, & sese modicum temporis affuturum illis, in metu erant, in passione Christi tristabantur, etenim uenerat illorum hora Post resurrectionẽ Christi exhilarabãtur, sed nondũ plenè, cæterum nũc & æternũ pleno & perpetuo fruuntur gaudio. Hisce nobis indicata est tota cõditio & stat' hominis Christiani, non solum in hac, sed in futura etiam uita. Nam quod diuis Apostolis usu uenit, idem hoc nobis usu uenit quoque. Quisquis uerus Christianus est, hæc tria in se comperit hic in terris, nimirum metum, tristitiam, & gaudium: uerum in futura uita sentit solum gaudium, idque perfectè. Metus homin

Ioh. 16.

Ibidem.

Christiani hominis conditio in præsenti & futura uita.

hominis Christiani hinc oritur, quod Christus dicit, Modicum & nō uidebitis me: hoc est quod nō semper manet, sed interdū ab homine recedit, imò quod à nōnullis ita recedit, ut ad illos nūquā ueniat. Proinde homo Christianus nūquā absq; cura est & metu, ne Christū amittat, quādoquidē scit, se hunc thesaurū in terrestri & fictili uase portare, & in uia lubrica ire, nec ignorat, Christū ab ingratis ultro discedere, scit porrò, hominis à quo abit Christus, nouissima peiora fieri prioribus, scit deniq; quanto gemitu & clamore opus sit, prius quàm amissa gratia recuperetur, uti in Dauide uidere est. Est igitur Christianus semp in metu. sic docet Paulus, Tu fide stas, noli altum sapere, sed time. Et Petrus, In timore, incolat' uestri tēpore cōuersamini, &c. Tristitia Christiani inde nascitur, quòd semper cogitat, ubi fuerit, nimirū in peccatis: ubi deniq; ipsum esse oporteat, uidelicet coram iudicio Dei: ubi nunc sit, nempe in exilio: & ubi nō sit, nimirū in uera sua patria. Hinc Christiano sua oritur tristitia. Cæterum gaudium hominis Christiani in hac uita inde prouenit, quod Christus dicit, Modicū, & iterū uidebitis me, hoc est, quod redit ad suos. Secundò, quòd tempus istud, nō nisi una hora est. Tertiò, quòd scit, tristitiam suam in gaudium uersum iri, ueluti Paulus quoq; ait, Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternū gloriæ pondus operari in nobis, &c. Felicitas autem hominis Christiani in futuro seculo, in eo sita erit, quod Christus dicit, Iterū uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrū nemo tollet à uobis. Atque ita in hoc Euāgelio totus hominis Christiani status ostensus foret, qui est tam in hac quàm in futura uita. Beatus homo, qui semper est pauidus. Beatus qui in hoc seculo tristatur: quæ enim secundū Deum est tristitia, multa bona operatur. Beatus cui datum est experiri gaudium domini sui, nā qui semel expertus est, quàm suauis sit Dominus: is semper curret in odorem talium unguentorū. Omnium autem beatissimus, qui ad cœnam agni admittitur: hic enim uidebit omnia bona domini sui in terra uiuētiū: sed hoc sperare & expectare oportet. Interea temporis crux & uariæ afflictiones undiq; excipiēdæ sunt, quāquā nō est, cur illas molestè feramus, siquidē Christus multiplex nobis solatiū contrà præbet in hoc Euāgelio. Primū est ipsius exēplū, quòd crucē etiā ipsemet & prior portauit. Huc seruit, quod dixit, Modi

Vnde timor Christiano.

Matt. 12.

Rom. 11.

1. Pet. 1.

Cogita ubi fueris.

Vbi eris.

Vbi sis.

Vbi non sis.

Gaudiū Christiani unde.

2. Cor. 4.

Prou. 28.

2. Cor. 7.

Consolationes multiplices afflictorum.

Modicum,& iam non uidebitis me: perinde ac si dicat, De modico adhuc agitur,quod ego crucifigor,occidor, & sepelior.Proinde quilibet Christianus in tribulationibus suis secum cogitare debet:Si pastor hanc uiam iuit, necesse est,ut illum oues isthac sequantur:si medicus ipse acerbam potionem sumpsit,quãto iustius eam bibet ægrotus?Si passus est filius Dei,qui homo & peccator immunis abeat? O ingens solatiũ in rebus tristibus,quòd Christus & omnes electi similia quoque pasi sunt.Huc pertinet,quod Paulus tot exẽpla sanctorum adducit,qui omnes sub cruce laborarunt, sic postremo inquiens,Ideóq; & nos tantam habentes impositam nubem testium,per patientiam curramus ad propositũ nobis certamen,& aspicientes in authorem fidei, consummatorẽ Iesum,qui ꝓposito sibi gaudio,sustinuit crucẽ, &c.

Hebr.11. 12.

Ferenda crux necessario.

Alterum,quo suos Christus cõsolatur,est necessitas,imò uoluntas & prædestinatio diuina,nimirum quod aliter fieri nequeat:etenim patiendum est,aut hîc cum Christo, aut certe in futuro seculo cũ omnibus gehennæ addictis.Huc spectat exemplum de muliere parturiẽte,ea scit haud secus fieri posse.Quapropter facit ex necessitate uirtutem.Enimuero homini laborem & dolorem reddit multo leuiorẽ,quando cogitat, non posse fieri aliter.Propterea & Paulus dicit, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei.

Acto.14.

Tertium,quo Christus consolatur suos in tribulatione, est,quòd Modicum toties iterat:hac enim re uult,ut nos omnes pro certo habeamus , crucem nostram non fore diuturnam . Quis ergo conquerendi nobis locus relictus est?

Gaudiũ piorũ multiplex.

Quartum,quo suos consolatur,est futurum gaudium, id quod multiplex est.Etenim primò illis dat gaudium internũ spiritus & conscientiæ.Secundò, procurat illis etiam quandoq; exterius gaudium & solatium , post ipsorũ tribulationes,ut uidem⁹ in Israëlitis,in Dauide,in Iob & Thobia,&c. Postremò quoque promittit illis æternum gaudium. Istud est quadruplex illud solatium,quod nobis præbet hoc Euangelium. Vt igitur nos Christus Euangelio proximè elapsæ Dominicæ,ad Prophetam Ezechiel relegauit(ueluti tum ostendi)ita proculdubio hodierno isto Euangelio ad Isaiam nos remittit,in quo & per quem multo antè promisit,quod nunc adimpleuit.Quomodo si cui mater blandiatur(inquit in Isaia)ita ego consolabor uos,& in Ierusalem consolabimini.Videbitis & gaudebit cor uestrum, & ossa uestra quasi

Isa. 66.

herba

herba germinabunt, & cognoscetur manus domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis. Omnia hæc uerba in isto Euangelio reipsa cōpleta sunt, id quod cuiq; facile uisu est. Enimuerò mater infantem suū ægrotū blādius solari nō possit quàm Christus suos fideles in hoc Euāgelio solatur. Imò quis adeò omni solatio destitutus est, quem hoc Euangelium nō gaudio afficiat? Quis animo adeò consternatus est, cui sua ossa ex tam dulci alloquio nō uirescāt. Et ubi hęc cōsolatio facta, nisi Hierosolymis? Et quid Christus hac re aliud uoluit, quàm ut benigna Dei manus per id nota fieret erga bonos, indignatio uerò eius erga improbos? Nā q ꝓpius oculos admouet, comperit in eo duo hominū genera memorari. Per discipulos Christi omnes Dei serui intelligūtur, atq; ij sunt quos Christus hoc loco cōsolādos cēset. Ad hos dicit, Tristitia uestra uertetur in gaudiū. Et rursus: Iterū uidebo uos, & gaudebit cor uestrū, & gaudiū uestrū nemo tollet à uobis. Per mundū, q in passione Christi gauisus est, & exultauit, omnes Dei inimici intelliguntur, atq; hi sunt, qbus hic profectò nihil aliud, quàm indignatio annūtiatur. *Duo hominum genera.*

Itaq; duo nobis cōsiderāda sunt in isto Euāgelio, & respicere oportet altero oculo ad amicabilia uerba quę hic Christus loquitur, altero autē ad nosipsos, num etiā ex eorū numero simus, quibus eiuscemodi consolatio annuntiatur. Audimus enimuerò mundum ab eo exclusum esse, & lōgè à uerè fidelibus remotū, unde certò cōsequitur, qui mundi partes sequitur, eum huius Euangelij neutiquàm consortē esse. Quod si uerò in pusillo seruorum Dei grege fuerimus inuenti, hauddubiè omniū istarū cōsolationū participes æquè erimus ac Apostoli, nō refert, quòd nondum uideamus sentiamúsq;. Christus loquitur in futurum, Tristitia uestra uertetur, gaudebit cor uestrū. Imò quo grauior tribulatio est in mundo, hoc certi magis sumus de futura cōsolatione. Si grauida mulier nouæ prolis parens esse gestit, dolorem semel subeundū sibi existimet oportet, & quo propior dolor, hoc uicinior partus est, imò quandiu nullum sentit dolorem, scit nondum pariendi tempus esse. Hoc nobis exemplum Christus considerandum dat in isto Euangelio. Omnes grauidi sumus. Semen diuini uerbi accepimus, maxima & pretiosa promissa nobis donata sunt, ait Petrus, fructus erit uita æterna. Priusquam autem fructum illum conspiciamus, omnigenæ tribulationes, & afflictiones expectandæ nobis sunt, *Diuinæ consolationis expers mundus. Electos Deus consolatur. 2. Pet. 1.*

uer:

uerumtamen certa nobis in iis esse spes debet, id fore initiũ
Rom. 8. gloriæ & felicitatis nostræ. Et hoc est, quod Paulus dicit, Existimo quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ad id
Opus est spe. uerò opus est erecta spe, & longanimi expectatione: spe opus est, quandoquidẽ nondum cernimus quod nobis promissum est: opus est præterea tolerantia, siquidẽ absque af-
Patientia. flictione per mundum transire nõ possumus. Postquam ex scriptura haberi potest Christianũ inter medios lupos age-
Matt. Luc. 10. re, uti Christus dicit, & degere inter scorpiões, ueluti Deus
Ezechielis 2. ad Ezechielẽ dicebat, atq; sedere inter hostes, sentibus intricatũ iacere, captiuũ teneri in Babylone sub diaboli tyrãnide, & aberrare in exilio: nihil itaq; miri, si suis rebus spolietur, si à uirulentis linguis affligatur, ab improbis hoĩbus lędatur, & à diabolo angatur, & propterea crebrò lacrymet & ploret, nec semper quod uelit habere posit. Inter lupos, scorpiones, hostes & uepres, imo in regno diaboli, in Babylone & exilio haud alius mos est. Gratia est illa quidẽ, quòd
Sursum corda. non funditus illic perimus: in patria nostra alia erit ratio, eò posthac mentẽ nostrã erigere, eò gaudium nostrũ differre debemus, atq; istic sanè reperiemus, quapropter pro nihilo putandum est, si quid nobis aduersi & obiter in uia acci-
1. Pet. 2. dat. Hoc ipsum est, ꝙ Petrus etiam ait & docet in hodierna Epistola. Charissimi, inquit, obsecro uos tanquã aduenas & peregrinos, abstinere uos à carnalibus desideriis, quæ mili-
Peregrini sumus. tant aduersus animam, &c. Hæc hodierna fuit Epist. Atque hîc auditis principio, quid homo Christianus de se ipse sentire debeat, dum in terris uersatur & agit, nimirũ quòd hospes est & peregrinus. Atqui nemo nescit, ꝙ inter externos habitat, ei non semꝑ præsto esse, quæ domi suæ habet, nec mirum illi uidetur, si non agnoscitur, neq; immiscet se iurgiis, etiãsi iniuriam patitur, quia scit, à sua parte neminem stare, sed tanto ocyus ad patriã suam festinat, ubi sperat se quicquid est mali, sarcire posse. Idẽ hoc Petrus flagitat à nobis Christianis, cõmodã ostendens uiam, quo quisq; pacto in peregrinatione sua, & inter alienos gerere sese debeat:
Christiani uita cuiusmodi esse debeat. uult ut Christianus omni pietati studeat, Deum timeat, proximum diligat, magistratui pareat, & honorem deferat, & coram mũdo spectatæ sit uitæ. Hæc sunt, quæ Christianum peregrinantẽ ornant, his omniũ optimè saluus euadit, hæc Deo placent, hæc homines prouocant ad bonum & laudes

Dei,

Dei, his possumus malis silentiũ imponere, ne nomẽ nostrũ clàm deferãt & diffamẽt. An nõ autẽ bono cuiq; Christiano hac die dominica satis multa cõsiderãda data forẽt? Vtiq; sanè, modo nos tãtùm otij ad id nobis sumeremus. At qs hoc facit? Paucos inuenias, qui ꝓ peregrinis & aduenis se agnoscũt, & pro talibus habẽt, quos huius uitæ tædiũ cepit, & q toto pectore ad futura anhelãt. Attamẽ oẽs Christiani esse uolumus, & qdẽ multo meliores oĩbus qui ante nos fuerũt. Quin si uerbis res agatur: cæterùm Paulus dicit regnũ Dei non consistere in sermone sed in uirtute. Faxit Deus Opt. Max. ut id diligenter cum animis nostris reputemus, Amen. *Christiani uerbis non re ipsa sumus.* *1. Cor. 4.*

SEPTIMVS SERMO EVANGElium componit cum Epistola & Ecclesiæ oratione.



RVRSVM hodie unà cum Euangelio lecta est Epistola è diuo Petro in hanc sententiam. *1. Pet. 2.* Charissimi obsecro uos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere uos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, &c. Hæc hodierna erat Epistola: ecclesiæ oratio, quæ simul facta est, *Oratio Ecclesiæ.* hæc habet uerba, Deus qui errantibus ut in uiã posſint redire, iustitiæ, ueritatis tuę lumẽ ostendis, da cunctis qui Christiana professione censentur, & illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari, Per dominum nostrum Iesum Christũ, Amẽ. Hunc in modum orauit Ecclesia hodie iuxta Euãgelium modò dictum & Epistolam: aptè omnia cõgruunt, & diligenti quoq; cõsideratione oĩa opus habent. In Euangelio annuntiat Christus suis Apostolis & *Summa Euangelij.* fidelibus, nihil esse quod in mundo & à mundo expectent, præter uarias tribulationes, quæ illis luctum, lacrymas, & eiulatũ sint parituræ. In Epistola causam indicat Petrus, un- *Epistola.* de accidat, quòd filij Dei tam indignè à mundo tractẽtur, & quomodo attẽperare sese debeãt, ut liberè pertrãsire posſint. Porrò hæc omnia hodierna Collecta & Ecclesiæ ora- *Precationes Ecclesiasticæ.* tio docet nusquã quęrẽda esse, nisi apud Deũ. Tria sunt quę bonũ quemq; Christianum hac die & cõsiderando & faciẽdo occupatum reddant. Euangelium fundamentum ponit, Petrus docet superstruere, oratio docet quemadmodum & *A mundo, & à Deo quid expectandum.* quid quærere oporteat, quid nobis in iis rebus desit. Præcipuum quod nobis hodie proponitur & infigitur, est, ut

triduum

triduum illud, quo Christus mortuus, sepultus est, & resurrexit, semper ob oculos habeamus, atq; isthinc discamus, qd à mundo expectare, & à Deo sperare habeamus, nimirum isthuc ipsum, quod Christus in sua passione à mundo expertus est, & in sua resurrectione à Deo accepit. Hoc, inquam, fundamentũ est istius Euãgelij, & præcipuũ, quod hodie animis nostris imprimit. Et ut crassiore Minerua dicã, qcquid Christus in hoc Euangelio dixit, primò intelligendũ est de Triduo passiõis & resurrectionis Christi. Deinde uerò etiã de tẽpore, quo sancti Apostoli Euãgeliũ prędicarũt, Tertio deniq; de toto illo tẽpore, ab aduẽtu & missione sancti Spiritus, usq; ad finẽ mundi, unà cum secutura beatitudine. Hisce tribus modis, inquam, hodiernũ Euangelium intelligendum est, quibus & ipse Christus haud dubie intellexit: nimirum principio, ut Apostolis indicaret, quid essent experturi in ipsius passione & resurrectione. Secũdò, quid illis euẽturum esset in prædicãdo munere. Tertiò, quam spẽ fideles in cõmune oẽs ad unum hìc tẽporaliter, illic æternum habere possent. Et horũ aliud ex alio sequitur. Quod Apostoli senserunt & experti sunt triduo illo passionis & resurrectionis Christi, idipsum quoq; cõperierunt in prædicandi functione, neq; id solùm tribus diebus, sed per omnẽ uitam. Porrò quòd Apostoli per uitæ suæ spatiũ experti sunt, idem hoc in hodiernum usq; diem experitur Christianitas in cõmune, & quilibet Christianus toto peregrinationis suæ tẽpore hìc in terris. Duo annũtiat Christus suis discipulis in hoc Euãgelio, summã tristitiam, & summũ gaudium. Atq; utraque hæc proculdubio Apostoli senserũt tribus illis diebus passionis & resurrectionis Christi. Mors Christi summo mœrore eos afficiebat, cęterùm resurrectio summa lętitia. Illic in passione Christi, non poterãt nisi flere & plorare, postquam Christum, in quo uno omnẽ suam spem collocarãt, nõ uiderent amplius, nec eius copia esset. Ediuerso autẽ, in resurrectione corda eorũ gaudio explebantur, & omnis tristitia euanescebat, posteaquam Christũ iterũ uiderẽt, atq; hoc illorũ gaudiũ postea usque durauit, & quidem perenne erit. In die
Ioh.20. paschæ initium cepit. Gauisi sunt discipuli uiso domino, inquit Ioannes. Non erat autem illud gaudium unius tantùm
Act.1. diei: nequaquam. Per quadraginta dies (inquit Lucas) apparebat eis dominus, cõuescebatur, loquebatur de regno Dei. Videntes deinde eum in cœlum assumi, maiori etiã gaudio afficieb

afficiebãtur. Magno cum gaudio (dicit iterum Lucas) reuersi sunt Hierosolymam, &c. In die Pentecostes, cùm afflarentur diuino spiritu, tum primũ uerè incipiebant gaudere, atq; ita, ut illud celare amplius nõ possent toti mundo id palàm fieri, & notum oportebat usque ad miraculum. Hunc in modum uerba istius Euangelij in sanctis Apostolis completa sunt, tribus illis diebus passionis & resurrectionis Christi. Impleta item deinde in illis sunt, prædicandi munus obeũtibus, cum illis itidem summa tristitia & summum gaudium annuntiaretur. Ecce (inquit Christus) ego mitto uos sicut oues in medio luporum. Et rursus: Venit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et ut illis Christus prædixit, ita re ipsa compererunt, abibãt & in lacrymis seminabant, in exultatione autem redibunt & metent. In secunda prædicatione quam faciebat diuus Petrus, dies parasceues & persecutio illorum incipiebat: nam interim dum adhuc loquerentur ad populum, aderant primores sacerdotum, & iniiciebant in illos manus, &c. Fecerunt hoc idem postea quoq; Ethnici, quin persecutio adeò inualescebat, ut diceret Paulus: Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos stulti maledicimur, esurimus & sitimus, colaphis cædimur, & instabiles sumus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema. Et alio in loco: Propter te domine mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis. Verũ non erat id perpetuũ, quin quàm certo die crucis habebant, tam erat illis certus dies paschæ. In his omnibus inquit Paulus, superamus propter eum qui dilexit nos. Et iterũ: In oĩbus tribulationem patimur, sed nõ angustiamur: aporiamur, sed nõ destituimur: persecutionẽ patimur, sed nõ derelinquimur: deiicimur, sed nõ perimus. Imo eiusmodi gaudium sentiebant etiam hic in terris, & in medio tribulationum ac crucis, cùm illos nulla persecutio, nullæ minæ, nullum tormenti aut supplicij genus, imo ne mors quidem conturbare posset. Læti discesserũt à cõcilio Iudæorum (inquit Lucas) quòd digni habiti fuissent, propter nomen Christi pati. Adeò quoq; in hac uita illis euènit, quod Christus dixit, Gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Quanto magis in altero id seculo experientur, auus omnium maximè Christus illis spem fecit?

Luc. 24. *Act. 2.* *Matt. 10.* *Ioh. 6.* *Psal. 125.* *Act. 4.* *1. Cor. 4.* *Rom. 8.* *Ibidem.* *2. Cor. 4.* *Act. 4.*

In do

Ioh.14. In domo patris mei (inquit) mansiones multæ sunt. Et rur-
Ioh.17. sus, Pater, uolo ut ubi sum ego, & hi sint mecũ, &c. Etenim
si Deus suos in terris non destituit solatio, sed explet corda
illorũ ita gaudio, ut in fame & siti, in passione & morte bo-
no sint animo, quid largiturum illis censemus in patria &
Isa. 64. æterno suo regno? Oculus non uidit (inquiunt Isaias & Pau
1.Cor.2. lus) nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quæ præ-
parauit Deus iis qui diligunt illum. Atque hoc pacto uerba
hodierni Euangelij denuo impleta sunt in Apostolis. Pri-
mum, triduum tantùm durabat illorum tristitia, & hoc erat
illud Modicum, de quo Christus dicebat. In secunda imple-
tione, per omnem ipsorum uitam durabat, sed tamen erat
Modicum ad æternitatem. Et hoc alterum est. Tertiò, hæc
uerba etiam implentur in omnibus Christianis in commu-
ne, & speciatim. Ecclesia habet suam parasceuen & diẽ cru-
cis, sed scit quoque suum diẽ paschalem. Habet hæc simili-
Matt.16. ter quiuis Christianus. Si quis uult post me uenire (inquit
Acto.14. Christus) tollat crucẽ suam. Per multas tribulationes opor-
2.Tim.3. tet nos intrare in regnũ Dei, inquit Paulus. Et rursus, Oẽs
qui piè uiuere uolũt, persecutionẽ patientur: hæc crucis no
Philip.3. stræ dies est. Contra, quod Paulus dicit, Expectamus Salua-
torem Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit
corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis
Colos.3. suæ. Et iterum, Cùm Christus apparuerit uita nostra, tunc &
1.Ioh.3. nos apparebimus cum ipso in gloria. Et Iohannes, Nõdum
apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, si-
Ioh.16. miles ei erimus. Hæc erit paschæ nostræ dies, sed eam asse-
Ioh.12. qui non possumus, nisi dies crucis præcedat. Mulier dolorẽ
patiatur prius necesse est, quàm ex edita prole gaudium sen
2.Cor.1. tiat. Granum frumenti prius moriatur oportet, quàm in au-
ram emergat & fructum afferat. Si fuerimus passionum so-
cij, erimus & cõsolationis, inquit Paulus. Summa, Triduum
illud passionis & resurrectionis Christi in nobis quoq; im-
Rom.8. pleri oportet. Nam quos Deus præsciuit, & prædestinauit
conformes fieri imaginis Filij sui. Christo calix propinatus
Mat.26. erat, hic illi erat ebibendus, contra hoc nullum remedium
Ioh.18. erat. Petrus gladio ꝓhibere uolebat. Sancta & expauefacta
humanitas Christi calicẽ ter ipsa deprecabatur, sed sic opor
tebat fieri: quî potuissent alioqui impleri scripturæ? Verũta-
men nõ erat nisi unus haustus, celeriter expeditus erat, quã
tumlibet acerbus. Mox ut haustũ fecerat, acta trãsacta erant
omnia,

omnia, quæ Deus iã inde ab initio de salute hominis & exal tatione sui filij promiserat. Atq; ea quidẽ de causa passionem suã haustui cõparat, quod ut cito ad finẽ deducta, ita ingentia per eã effecta erant. Aliis in locis, & ea ipsa de causa, cõparat Christus sacrã suã passionem malæ horæ, quæ illi fatalis erat, sed tamen non nisi una hora illa esse debebat, id quod sat indicabat iam morti uicinus, ut cum ait: Pater salui fica me ex hac hora. Et rursus: Sciebat quia uênit hora eius. Et iterũ: Pater, uênit hora, clarifica filiũ tuũ, ut filius tuus clarificet te. In hodierno Euangelio uocat illud, Modicum, nec nisi unam horã durabat, hoc est, breue tẽpus. Nã post paucu los dies ex mortuis Christus resurgebat, ingrediens in gloriam suã, exaltatus supra omnes cœlos, nomẽ sortitus quod est super omne nomen, potestatẽ accipiens in cœlo & in terra. Atq; hęc æternũ retinebit. Nã semel mortuus est, posthac uerò mors nõ ampli⁹ dominabitur ei. Hoc est illud Triduũ Christi, quod & in nobis impleri oportet. Habemus & nos nostrã horam, in qua infractos nos seruemus oportet, atq; in ea hora mundus, diabolus, & improbi homines omnem suã potestatẽ ostendunt, quẽadmodum etiã Christ⁹ ad suos hostes dicebat: Hęc est hora uestra, & potestas tenebrarum. Sic quoque habemus nostrum calicem, quẽ exhaurire nos oportet, atq; hîc nobis mundus egregiè infundit nihil non mali & afflictionũ. Quanquam nõ à mundo, sed tanquam à Deo id accipere debemus, sine quo nobis mundus ne pilũ quidẽ detrahere possit. Calix (inquit Dauid) in manu domini, & inclinauit ex hoc in hoc. Cæterum mundus nomẽ obtinet, quòd bonis infundat, & quidẽ refertam mensuram, & facit sanè quod potest, plura etiam ac maiora libenter facturus. Verum unicus tantũ haustus est. & unius duntaxat horę. Modicũ (inquit Christus) & non uidebitis me: intellige, in passione uestra. Sed modicũ, & post pusillũ temporis iterũ uidebitis me. Nũc tristitia uos habet, sed uertetur illa in gaudium, quin ipse uos reuisam, & gaudebit cor uestrum, &c.

Ioh.19. *Ioh.12.* *Ioh.13.* *Ioh.17.* *Phil.2.* *Matth.28.* *Rom.6.* *Triduũ cuiusmodi in nobis impleri oporteat.*

Vide, hoc nobis hodie inculcatur. Sic Triduum Christi in nobis cõpletur. Quàm Christus certam patiendi horam habuit, tam est nobis quoq; certa hora & tempus. Quàm certò uerò etiam Christus in sua resurrectione omnibus malis exemptus est, tã certò quoq; & nos expectamus nostrã redẽptionem. Hinc cõsolari nos ipsi debem⁹ in cruce nostrã, unicus amarus haustus est & atra hora, deinceps abstergêt *Apoc.21.*

Deus omnē lacrymam ab oculis nostris, &c. Quapropter facilè noscere est causam, cur nō solum Iohannes dicat, ne mi-
1.Ioh. 3. remur, si nos mūdus odio prosequatur, uerum etiam diuus
Iaco. 1. Iacobus, ut pro gaudio ducamus, si quando multæ tentationes nos circumuallent. Cogitet quidem aliquis, quî hoc fa-
Ioh. 21. ctu possibile sit, quandoquidem in scriptura exempla extāt,
Iere. 12. etiam optimos quosque admiratos fuisse sæpenumero, tam
Aba. 1. 1. inæqualem in terris rerum fortunam, & plerumque bonos grauiora pati quàm improbos, & præter naturam est gau-
Heb. 12. dere aliquem posse in tribulatione, ueluti ipse Paulus fatetur. Atqui uerò hi duo Apostoli Iohannes & Iacob⁹ uolūt, ut non solum tribulationē non admiremur, sed in ea etiam exultemus. Euangelium autem istud utrobique nobis causam ostendit. Ideo non debet nos capere admiratio, quando nos odit mundus, quia Christus prædixit, ita futurum, & tā certò, quàm est grauida mulier, ut sine dolore parere non posit. Quid igitur admirabimur? Si Christus uerax est, imò ueritas ipsa, certe euenire quod prædixit necesse est. Quia ergo idem ille Christus quoque dixit & promisit, certum & perenne secuturum gaudium, profectò gratulari magis cruce & passione nobis debemus, quàm illam horrere, siquidē certum initium est æterni gaudij. Quid itaque nocet nobis modica tribulatio, si pro ea reponetur sempiternum gaudium? Si quem igitur initium huius Euāgelij terret, is finem aspiciat. Reliquum fuerit, ut nos pro aduenis & peregrinis in terris agnoscamus, nec mundo ulteriorem nos perse-
1.Pet.1. quendi occasionem demus (id quod Petrus uult in hodierna Epistola) maximè uerò omnium, ut ne in mundo inter peregrinos, & in nostra peregrinatione nostræ patriæ obli-
Opus Dei auxilio habem⁹. uiscamur, sed toto animo ad eam properemus. Ad id autem opus habemus auxilio diuinitus, quod & in hodierna Ecclesiæ precatione quærere docemur apud Deum: is enim est, qui errantibus lumen suæ ueritatis præbet, quo in rectā uiā redire possint: is est qui auferre à nobis potest omne impedimentum, qui dare potest quicquid nos promouet in hoc itinere. Quod autē Christiano nostro nomini aduersum est, id indubie nos remoratur, sicut ediuerso quod illi consentaneum est, nos adiuuat. Quocirca docet nos Ecclesia utraq; hæc à Deo petere, ut det nobis illa respuere, quę Christiano nostro nomini inimica sunt, & ea quæ sunt apta sectari. At enim uult Petrus, ut abstineamus à carnalib⁹ seu mundanis
desiде

desideriis, nec libertate nostra utamur ad prætexendã malitiã. En hæc illa sunt, quæ Christiano nomini sunt inimica. Nã quid Christiano (qui tantũ peregrinus in terris est) cum mundo, cúmq; eius cõcupiscentiis? Quid illi rei cum peccatis, quem Christus à peccatis tãti redemit? Proinde etiam Petrus hæc duo in nobis planè nõ uult, carnales cupiditates, & leuitatẽ uitæ. Cõtrà uerò docet nos bonã uitæ cõsuetudinẽ: in hoc autem bona uitæ cõsuetudo cõsistit, si omnes colamus, neminem offendamus, nos mutuo amemus in Deo, magistratui dicto audientes simus, Deum metuamus. Hæc sunt, quæ Christiano nomini & statui respõdent & cõgruũt. Faxit Deus, ut hæc omnia diligenter consideremus, Amen.

Nomini Christiano quæ inimica.

1. Pet. 2.

Vita bona quæ sit.

Octauum sermonem, in Synodo habitum Anno 1549. inuenies retro in parabola de filio prodigo.

DOMINICA CANTATE EVANGELIVM IOHANNIS XVI.

NVNC autẽ uado ad eum qui misit me, & nemo ex uobis interrogat me, quò uadam. Sed quia hæc locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Si enim non abiero, consolator ille non ueniet ad uos. Sin autem abiero, mittam eum ad uos. Et cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidẽ, quia non credunt in me. De iustitia uerò, quia ad patrẽ uado, & posthac non uidebitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhæc multa habeo quæ uobis

Ioh. 14.

 dicã,


dicam, sed non potestis portare nunc, Cum autem uenerit ille, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit loquetur: & quæ futura sunt annuntiabit uobis.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI IACOBI, CAPITE I.

Omnis donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio. Is destinata uoluntate progenuit nos sermone ueritatis, ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum. Itaque fratres mei dilecti, sit omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram. Nam ira uiri iustitiam Dei non efficit. Quapropter deposita omni immunditia & redundantia malitiæ, cum mansuetudine recipite insitum sermonem, qui potest saluas reddere animas uestras.

Prouerb. 17.

PRIMVS SERMO de Euangelio.



VI Euangelium istud rectè considerat, & singula uerba seorsim expendit, is uidebit uerum esse Salomonis dictum, ubi ait: Fauus mellis composita uerba, dulcedo animæ sanitas ossium. Etenim sententia hæc de nullius profectò hominis sermone intelligi melius potest, quàm de uerbis Christi. Loquitur quidem Salomon in genere, & res ipsa testatur, etiam hominum uerba corpus pariter & animam confirmare, attamen nemo id crebrius fecit, aut melius facere potuit, quàm Christus Dominus noster, id quod de illo testificati sunt, quotquot audierunt eum tam amici quàm inimici. Sic enim dicit ad eum Petrus: Verba uitæ æternæ

Prou. 16.
Gratia sermonũ Christi.
Ioh. 6.

ternæ habes. Sic quoque dicebant ministri Iudæorum: *Ioh.7.*
Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo, &c. Neque sanè hoc mirum est, posteaquam sanctus Dauid multò *Psal. 44.*
ante inter præcipua opera uenturi Messiæ numerat, labia ipsius, gratia prorsus redundatura. Experimur illud nos Christiani quotidie, audimus & uidemus in Euangelio, & præcipuè ubi Christus cum solis discipulis loquitur, maximè autem omnium in prædicatione, quam post ultimam suam cœnam faciebat, ueluti in hoc Euangelio clarè cernimus. An non enim uerba hodierni Euangelij quouis sunt melle dulciora? An non animam penetrant? An non etiam corroborant & confortant ossa? Quis unquam pater suauioribus & blandioribus uerbis suos filios affatus est? Ecquid amplius Christus faceret, quod non fecit? Ita ut certè mirum fuerit, quenquam inter Christianos esse animo abiecto, ne dicam desperato, qui uerba tam consolatoria, imò tot & tam serias acclamationes, easque non ab homine terreno, sed à Christo ipso habet & audit? Cæterum non est *Causa pusillanimitatis ac desperationis nostræ.*
alia causa pusillanimitatis nostræ & desperationis, nisi quòd hæc uerba non diligenter nobiscum reputamus. An uerò existimatis fratres, quòd Christus hæc uerba frustra aut propter solos Apostolos suos dixerit? Nequaquam: nouerat suorum Apostolorum tristitiam, futuram illorum tribulationem, & quid Diabolus contra illos machinaturus esset, nec est propterea ullum dubium, quin in his uerbis, illorum in primis habuerit rationem. Quàm certò autem tristitiam eorum uidebat, tam quoque certò præuidebat quid fideles sui passuri essent usque ad consummationem mundi, ideóque tot usus est uerbis. Videbat bonis multa incommoda & afflictiones occursuras, quapropter etiam consolatione præuertere & illis prospicere uoluit, ut quiuis Christianus cum Dauide dicere cogeretur: Secundum multitudinem *Psal.93.*
dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Et cum beato Paulo: Benedictus *2.Cor.1.*
Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione, &c.

Hæc ideo dicere initio libuit, ne hæc uerba prætermittamus, quasi solis Apostolis dicta: siquidem haud dubiè Christus ad nos quoque ea spectare uoluit, id quod clarissimè patet in precatione eius, ubi ait: Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in *Iohan.17.*
me. Quocirca nobis quoque uerba illa meritò rara & pre-

tiosa esse debent, nam in toto Euangelio magis consolatoria uerba non inuenimus, idcirco nonnihil de iis dicendum arbitror. Primò si rem penitius inspiciamus, deprehendimus, totum istud Euangelium dictum & literis mandatum esse contra scandalum crucis Christi, ne offenderentur Apostoli passione Christi, sed ut scireut ac consuescerent passionem illam, ceu rem magnam, honestam, utilem & necessariam accipere & adamare. Verebantur Apostoli, passionem illam Christo ignominiæ, ipsis uero damno fore, propterea simul ut illius recordantur, animis consternati erant. Sed quid ad hoc Christus dicebat? Non ita agendum est uos mei discipuli, neque ita contemptim de mea passione cogitandum, longè secus res habebit, quàm opinamini. Enimuerò passio mea neque mihi probrum, neque detrimentum conciliabit, quin mihi summam gloriam, & uobis, atque adeo toti mundo summam utilitatem afferet, idque per spiritum sanctum, quem ego uobis mea passione promerebo & consequar. Quare nolite uos mea causa discruciare, quia uado ad patrem, nec quidem opus est, ut pro uobis ipsis perturbati sitis, quoniam è re uestra est, quòd ego patior, &c. Vide, hoc pacto Christus scandalum suæ crucis ex animis suorum discipulorum depellere uoluit, atque hæc summa est hodierni Euangelij, quòd ad Apostolos. Porrò nunc uidebimus, quomodo ad nos illud pertineat. Et principio, non uili pendere oportet, quòd Christus tam cõsolabiliter loquitur hîc de suo ad passionem decessu. Sæpè quidem aliâs iter illud suum ad passionem prædixerat, sed talibus uerbis, quæ Apostolis meram tristitiam afferebant: cæterum hoc loco perquàm magnificè loquitur de sua passione, imò non uocat passionem, sed abitũ ad patrem. Deinde quoque ostendit, eam nobis utilem & conducibilem esse, & postremò enumerat apertè fructus illius suæ passionis, quæ tria nobis haudquaquam contemnenda sunt: nam propter nos scripta sunt, & sunt ea adeò, quibus in omni tribulatione & aduersitate nos consolari possumus ac debemus. Rogas, quo pacto? Audi, nónne oppidò cõsolatorium est, quòd Christus ea ipsa hora, quum ad passionem sese accingeret, dicebat, se trãsire ad patrem suum cœlestẽ, quemadmodũ & antè dixerat, postquam Iudas secesserat & exiuerat, se iamiam clarificatum iri? Et quid his uerbis aliud uoluit, quàm Apostolis & fidelibus indicare, quid in rebus afflictis

Passio Christi quàm sit magni pendenda.

Matth. 20. & 26.

Quæ nos rebus in aduersis continent.

Iohan. 13.

flictis nos facere & sperare debeamus? Probè sciebat tanquam uerus Deus, & expertus erat tanquam homo, quàm esset res molesta crux & grauis, idcirco nobis plurimas consolationes prępatauit. Etenim crux seu paßio, imò unaquęque tribulatio, per seipsa naturæ aduersa est. Nec est q̃squã contemptior in mundo, quàm ij, qui sub cruce iacent & laborant. Nam ut mundus eos pro felicibus & amicis Dei ducit, qui procul à cruce & rebus aduersis sunt, ita eos peccatores censet, à Deo reiectos & inuisos, qui sub cruce laborant. Hoc diuus Iob expertus est summa calamitate oppressus, & idipsum quoque sanctus Dauid expertus est, proinde dicit, Multi dicunt animę meæ, nõ est salus ipsi in Deo eius. Et rursus, Dixerunt inimici mei, Deus dereliquit eum: persequimini & comprehendite eum: quia non est qui eripiat. Sic & diuus Paulus pro homicida habebatur, cùm post factum naufragiũ, uipera in manũ eius insiluisset. Et q̃d multis uerbis opus est? Christus ipse in ligno sanctæ crucis pẽdens audire cogebatur, ut de se diceretur, Confidit in Deo: liberet nunc eum si uult, dixit enim, Quia filius Dei sum, &c. Atque ita crucẽ seu aduersitatem semper iuxta mũdi huius iudiciũ, execratio & probrum comitatur. Quid igitur faciet homo in tali afflictione? Audi quid Christus in simili afflictione dicat, Vado ad eũ qui misit me, &c. Perinde ac si dicat, iudicẽt de me homines quicquid uelint, p̃sequatur me mũdus quantum libuerit, furiat & insaniat diabolus, quoad illi licet, angat & premat me crux seu afflictio, quantumcunq; potest, scio tamen, quòd uado ad patrem, & quod magis est, ad certam gloriam. Et hoc uerbo indicat Christus clarißimè, finem omnis incommodi & miseriæ piorum esse, ad cœlestem patrem uenire. Nec quisquam Christianus in sua tribulatione existimare aliter debet, quàm esse se in uia ad Deũ patrem suum cœlestem. Idem hoc existimabant Apostoli, & lætabantur propterea, si quando persecutionem patiebantur. Vnde & Paulus dicit, Gloriamur in tribulationibus, sciẽtes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uerò spem, spes autẽ non confundit, &c. Et iterum, Ego iam delibor: & tẽpus resolutionis meæ instat, &c. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex, &c. Sic quoq; dicebat diuus Iob: Scio quòd redẽptor meus uiuit, & in nouißimo die de terra surrecturus, &c. Et Dauid, Renuit con-

Mundus quos suspiciat, quos despiciat.

Psal. 3.

Psal. 70.

Actor. 28.

Matth. 27.

Afflicto quid agendum.

Crux iter ad Deum.

Act. 4.

Rom. 5.

2. Tim. 4.

Iob. 19.

Psal. 76.

consolari anima mea, memor fui Dei,& delectatus sum. Et
Psal. 3. rursus, Tu Domine susceptor meus es,nō timebo millia po
puli circundantis me, &c. Et quid etiam adhuc Christianū
hominem pusillanimem facere posit, si semper hoc uerbū
in ore habeat,uado ad Patrem, &c. Atque ita primum istud
uerbum nos omnes pariter consolatur, quin si diligenter
Vocatio nostra quæ sit. perpendimus,ad omne nos bonum extimulat, siquidē nos
admonet nostræ uocationis,quæ nihil aliud est, quàm ut as
siduè in uia ad Deum inueniamur. Et ꝑpterea à nobis abii-
Iohan. 16. ciamus, quicquid nos grauat & impedit,&c. Sed audiemus
& reliqua quæ sequuntur uerba. Sequitur ergo,Ego ueritatem dico uobis,expedit uobis,ut ego uadam,&c. Atq; hoc
iterum ex uerbis,quæ neutiquam prætereūda sunt, unū est:
siquidem non caret sua quoque peculiari cōsolatione,dum
indicat,cui Christ⁹ in sua pasione seruierit. Expedit uobis,
inquit,uestra utilitas me ad hoc cogit ac permouet, uobis
patiar ac moriar,uestra causa profundam meum sanguinē,
& cœlum repetā,&c. Nūquid uides, quàm splendide amor
Christi erga nos in his uerbis exprimat? Istud uerò est,quod
scriptura toties támque illustribus uerbis repetit ac cōme-
Iohan. 3. morat,utpote cùm Christus ait, Sic Deus dilexit mundū,ut
filium suum unigenitum daret:ut omnis qui credit in eū,nō
Ephes. 5. pereat,sed habeat uitam æternā. Et quod Paulus dicit: Chri
Apoc. 1. stus seipsum tradidit pro Ecclesia,ut illam sanctificaret,mun
dans eā lauacro aquæ in uerbo, &c. Et quod Iohannes ait,
Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo,&c. Hæc facito
tecum bene & diligēter cogites optime Christiane, & nun
quam dubitabis de bona uoluntate Christi erga te: nam si
in re tam magna & ardua à nobis stetit, nunquam profecto
nos deseret. Quid autem homini cōsolatorium magis esse
queat,quàm talis cōsideratio diuini erga nos amoris? Huc
Rom. 8. pertinet,quod Paulus de re illa tam magnificè loquitur: Sci
mus(inquit)quoniam diligentibus Deum omnia cooperan
tur in bonū,iis qui secūdū propositū uocati sunt sancti,&c.
Si autē Deus pro nobis,quis contra nos,&c. Et ita per totū
Fructus dominicæ perpes- sionis. caput usq;, Tantum de consolatione istius uerbi. Audiemus nūc porrò, quid Christus de utilitate & fructu suæ pasionis dicat. Atq; hoc loco multifariū fructū introducere potuisset,utpote remisionē peccatorū,pacē,recōciliationē cū
Deo,uitā,beatitudinem,& satisfactionem pro peccatis nostris,&c. Sed nō nisi unū cōmemorat. Si abiero,inquit,mittam ad

tam ad uos paraclêtũ, &c. Hic autem indubiè summus est & maximus fructus, qui reliquos omnes cõtinet: quicquid enim in nobis uel circum nos boni est, id ex Spiritu sancto est, ideóq; illi Christus tot attribuit nomina, uocãs eũ cõsolatorem, Spiritum ueritatis, qui doceat & arguat, atq; etiã Christum clarificet. Et quis mortalium usquam est, qui hoc spiritu non opus habeat? Etenim qui in mundo est, spiritu eget, qui illũ arguat, illustret, eiq; peccatũ ipsius & miseriã indicet: cæterũ qui iam Christianus est, opus habet cõsolatione, institutione, moderamine, præsidio, & conseruatione, &c. Et hæc omnia ubi certius inuenimus, quàm in Spiritu sancto? Et hinc facile noscere est, quî fiat, quòd non solum mundus in incredulitate sua & iniustitia ita obduratus permanet, &c. uerumetiam plerique Christianorum ita pusillanimes sunt, alij ita facilè seducũtur, alij frigidi prorsus sunt & indeuoti. Vnde, inquã, omne istud malũ, nisi ex penuria spiritus diuini? Atqui uerò Christus illũ suũ spiritũ nobis promisit & misit, prædixitq; illũ apud nos mãsurum, est porro ille ipse spiritus nunc perinde fortis ac potẽs ac unquã fuit. Verum nostro uitio fit, quòd non itidẽ in nobis operatur, atq; olim operatus fuit. Alij enim homines adeo fidunt & nituntur proprio suo spiritu, ut ne curẽt quidẽ Spiritũ sanctũ: alij nullũ spiritui sancto in se locũ relinquunt: alij fœdis flagitiis à se ultro eũ expellũt, quoniã nõ habitat in corpore subdito peccatis. Mirũ itaq; nõ est, nos ita pusillanimes esse, errare, & in omni bono succũbere, quinimo saxis duriores fieri. Nostro, inquã, uitio fit, & nõ Dei. Summa, sine graui rerum nostrarũ dispendio spiritu sancto carere nõ possumus. At enim rogas, quorsum nobis Christus Spiritũ sanctũ acquisierit, & miserit? Audi causam, ut arguat, te instituat, te consoletur, & ut tibi Christũ clarificaret. Num tu hæc parua censes? Imò omniũ maximum est, quo opus habemus. Nec abs re Christus hæc quatuor cõiunxit, siquidẽ uera certáq; argumẽta & notæ sunt, quibus Spiritus sanctus ab aliis spiritibus dignoscitur ac discernitur. Atq; utinam hæc signa diligenter cõsideraremus, quandoquidem ignotis & impostoribus spiritibus mũdus nũc plenus est, qui tamen facilè deprehẽdi possent, si obseruaremus ea, quæ hic de Spiritu sancto dicuntur. Nam si Spiritus sancti conditio est, mundum arguere, &c. consequitur hinc, qui illum non arguit incredulitatis ipsius, peccati & iniustitiæ, sed illi blãditur & excusat,

Spiritus sanctus quàm nobis necessarius.

Iohan. 14.

Spiritus sanctus cur non æque in nobis, ac olim operetur.

Sap. 1.

Spiritus sanctus cur nobis detur.

Signa, quibus spiritus sanct. possit dignosci.

eum non loqui ex Spiritu sancto. Itidem quoq; de reliquis Spiritus sancti operibus dicere possum, ut sunt, omnem ueritatem docere, consolari, & Christum clarificare, &c. Atque hoc pacto uidetis, quanti nostra referat, ut hęc opera Spiritus sancti diligenter consideremus, alioqui facilè nobis imponetur. Quæ autem illa sunt opera? Primò arguit mundũ, deinde docet non unam aut alteram, sed omnem ueritatẽ. Ad hæc consolatur internè per suam gratiã, dum nobis remissionem peccatorum confert, dat nobis pacẽ & testimonium, quod sumus filij Dei. Dehinc etiam certos nos reddit de salute nostra, ut ne interim dicã quòd extrinsecus quoq; nos cõsolatur per uerbũ Euãgelij. Postremò clarificat Christum usq; in cordibus nostris, quẽ rectè agnoscere, est Deũ ipsum uidere, quin est uitam æternam habere. De his omnibus prolixius dixi in Iohanne, &c. Videtis itaq; fratres, quid nobis commodi passio & decessus Christi ad Patrẽ attulerit. Hunc spiritum habemus, & semper eius esse nobis copia potest, dummodo ipsi uolemus. Quid igitur nobis felicius? Quid nobis deesse potest, si nobis Spiritus sanctus defectus nostros indicat, docet nos, consolatur, & confirmat nos in agnitione Christi? Hæc consideremus fratres, próq; iis gratias agamus Deo, colligamus quicquid nobis Christus ad solatium nostrum uel dixit uel fecit, atque ea deniq; in rem & usum conferamus, &c.

Opera spiritus sancti. — *Rom. 8.* — *Iohan. 14.* — *Iohan. 17.*

SECVNDVS SERMO DE ECclesiæ ordinatione, & prima parte Euangelij.



IN hodierno isto Euangelio Christus omnẽ propemodum sermonem de Spiritu sancto consumit: quapropter demirari quis possit, quę eius sit cum Paschali tempore similitudo. At qui omnia penitus considerat, is uidebit per omnia quadrare ad hocce tempus. Nam duabus proximè elapsis Dominicis satis perspicue nobis ostẽsum est, hominem Christianum, licet Christus pro nobis mortuus est, & nobis in resurrectione sua pacem, gaudium, remissionẽ peccatorum, & uitam attulit, non tamen idcirco in otio esse aut feriari debere, imò hac quidem de causa mox à Paschæ festis, duabus Dominicis, uitæ simul & passionis Christi admoniti sumus, quò sciat omnis Christianus, sibi posthac itidẽ uiuẽdũ & patiendũ iuxta exẽplũ Christi esse. Quia

Christiano quid agẽdum. — *Imitare Christum.*

uerò hæc duo homini carnali nõ solùm grauia,sed etiã impossibilia sunt,singulari studio factum est, ut istud Euangelium de Spiritu sancto, atq; eius operatione hodie legatur, ut quisquis se imparem exẽplo Christi uita & passione imitando inuenit,ex hodierno Euangelio uideat & discat, ubi gratiã & robur quærere oporteat.Et quî res hæc melius ordinari ac institui potuisset? Quãobrẽ nihil aliud sibi uult Ecclesia cum hodierno Euãgelio,quàm si ad unũquẽq; nostrũ dicat,Vide homo,per mortẽ Christi peccata tua sunt expiata,abolita & conciliata: Cæterum per sanctã resurrectionẽ eius,ad gratiã & uitã rediisti,idq; totũ gratuito tibi cõtigit. Sed iam uicissim Deus aliquid à te flagitat,nimirũ ut per fidem & uitæ pietatem,imaginẽ eius,qui pro te mortuus est, suscipias,primi parentis tui Adæ planè oblitus.Secundò, ut etiam crucem tibi positã patienter feras, sempérq; cogites,sententiam esse latam in omnes Christianos,ut in mundo pressuram & afflictionẽ patiantur.Si uerò tibi hoc graue uidetur,ecce,audis hic de Spiritu sancto , quem Christus in hoc nobis promisit ac dedit,ut imbecillitatẽ nostrã fulciat. Et si propriã tuã infirmitatẽ ac miseriã nõ possis agnoscere, uide,talis est spiritus,qui arguat peccata & mõstret. Si porrò nescias,quomodo Christũ audias,uide, talis est spiritus, qui omnem ueritatem doceat.Deniq; si te etiam crux & passio premit ac grauat,en is ipse spiritus id nominis quoque obtinet,quòd sit consolator. Vide,hac de causa nobis istud Euãgelium prælegitur hodierna Dominica & prædicatur: quiuis uidere facilè potest,de istis omnibus nõ parui nostra referre.Quapropter uerba,quę Christus sic dixit,aliquanto accuratius inuestigabimus & reuocabimus ad animũ. Et primò, haud temere factũ est,quòd Christus in ultima concione post cœnam toties dicat, se ire ad patrẽ. Nã similiter superius dixerat quoq;,Si diligeretis me, gauderetis utique quia uado ad patrẽ.Et rursum,Qui credit in me,opera quæ ego facio & ipse faciet,& maiora horũ faciet,qa ego ad patrem uado.Et in Euãgelio proximè elapsæ Dominicæ:Modicum,& iam non uidebitis me,&c. quia uado ad patrẽ. In initio hodierni Euãgelij,iterum dicit, Vado ad eum qui me misit.Id autem omne Christus propterea fecit, ut pro certo habeamus,nec quicquam dubitemus, quin Deus pater uerbum suum illustre & clarum facturus sit conseruaturúsq;,licet illi, qui id prædicant annuntiántque coram humano iudic

Deus quid reposcat à nobis.
Ephes.4.
Iohan.16.
Rom.8.
Iohan.14.
Ibidem.
Iohan.16.
Tuetur Deus uerbum suũ, catholicamq; doctrinam.
Iohan.11.

iudicio condemnātur & ad morté rapiuntur, quemadmodū Christus à Iudæis ad mortem cōdemnatus iam erat, & iam iam plectendus, attamé non dicit, Vado ad mortem & interitum, sed ad eum qui misit me, perinde ac si dicat, Quantumuis hostibus meis certum est, me & doctrinam meam supprimere, fallentur tamen: nam uado ad eum, qui me ad prædicandum misit, is facilè & me & doctrinam meam tuebitur. Et quanquàm uia difficilis est & aspera, porta uerò

Matth.7. perangusta, per quá eo, finis tamen certus est, quia uado ad certam gloriam. Et licet non expresse dicat, se ad gloriam commigrare, satis tamen id indicatum est in eo uerbo, ubi ait, Vado ad patrem, aut ad eum qui me misit. Etenim quid aliud est ad patrem ire, quàm ad æternam gloriam ingredi?

1.Reg.2. quandoquidem certum est, quòd qui Deum honorificant, eos uicissim ab illo glorificari. Consolari itaq; Christus hoc uerbo suos Apostolos uoluit, & innuere fore, ut & ipsi per crucé & passionem peruenirent ad gloriá. Imo nostrum omnium solatium est ꝙ Christus ad mortem concedens dicit, Vado ad patré: hinc enim discimus morté aliáq; fortunę incōmoda non metuere, ut quæ nos certò ad Deum, & uerum nostrum patrem perducant. Ex hoc fundamento gloriabatur Paulus in tribulatiōe sua: quum iam uitá cum morte commutaturus, confidenter plane apud sese dicebat, In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Sed in hoc primo uerbo meminerit Christianus, uocationem suam esse, ad patrem seu ad Deum ire, & ut omnia ad eam dirigat: Quapropter semper intra sese dicere debet, uado ad patré: alioqui enim quidé semper procedimus & nunquàm subsistimus (nam homo nunquàm in eodé statu permanet) sed non omnes ad Deum pergimus. Nam si omnes ad Deum conarentur, haudquaquàm ita grauaturi se essent temporalibus & terrenis rebus, ut quæ illos ad Deum magis impediunt quàm promouent, multo minus peccatis oneraturi se essent, quibus cùm nemo coram Deo comparare potest uel audet. Verùm ꝙ Christus mox subiicit: Et nemo ex uobis interrogat me, Quò uadis? Id quidá ad ascensioné illius ad cœlum referunt, perinde ac si dicat, Ita palàm ad cœlum proficiscar, ut non sit opus uos percunctari ex me, quò iter paré. Sed mihi magis probatur, ut ad passioné Christi referatur. Et tum hæc est sententia, quasi dicere uoluerit, Adeò atrox erit passio mea, adeo dura & salebrosa erit uia, quam ibo, ut

Marginalia: *Rom.5.* (beside "rum nostrum patrem perducant"); *2.Tim.4.* (beside "te commutaturus"); *Vocatio Christiani quæ.* (beside "reliquo, reposita"); *Iob 14.* (beside "alioqui enim quidé"); *Quæ nos impediant.* (beside "libus & terrenis rebus").

ibo,ut nemo sit interrogaturus,quò eam.Nam metu pérter riti omnes à me diffugietis , & non solùm non sequemini me,sed tam procul aberitis à me,ut ne interrogare quidem me possitis . Aut sic accipiamus istud uerbum licebit, quòd Christus suos discipulos uoluerit per hoc obiurgare,perinde ac si dixisset , Hactenus me multũ & sæpe interrogastis, nunc uerò quoniã semel audiuistis de futura uestra persecutione,adeò animis perplexis estis,ut nõ amplius interrogetis,cùm tamẽ iam tempus sit interrogandi,quomodo futura mala possitis declinare,&c. Sic nos Adæ filij quoque plerunq; facimus:quo maius instat periculum, hoc minus rogamus & prospicimus, cùm tamẽ Christus suos discipulos nũquàm magis ad orationẽ sit adhortatus , quàm tẽpore suæ passionis. Deinde quoq; hoc uerbo filij mundi & cultores increpantur,qui uident Christum cum suis ad cœlum proficisci & festinare, imo per prosperam & aduersam fortunam ad id grassari, ipsi autẽ nihil mouentur , nedum sequuntur, quocirca meritò in exteriores tenebras proijciuntur, cùm Christus cum suis in cœlũ assumitur. Sed uide iam hoc loco,& considera bonitatem Christi. Inceperat suos discipulos obiurgare,eò quòd nõ interrogarent, sed mox desinit, imo incipit & excusat illos ipse , quo uideamus,illum à Iohanne nõ immerito nostrum Aduocatum uocari. Quia hæc locutus sum uobis,tristitia impleuit cor uestrũ : quasi dicat, Scio unde hoc sit , ꝙ nõ interrogatis,non fit ex malitia aut negligẽtia,sed ex tristitia,ea uos remoratur.Atq; hìc obserua ꝙ Christus ante istud Euangeliũ ubi loquitur de peccato Iudæorũ,omnẽ illis præcidit excusationẽ, tantùm abest, ut eos excuset,cæterùm hìc discipulos excusat ipse & ultrò, unde uidemus , Deũ in suis fidelibus quoq; peccata ipsorũ, quatenus ex humana infirmitate proueniant , ferre & sustinere:peccata uerò infideliũ,quæ ex improbitate cõmittuntur,nequaquàm tolerare.Hęc enim sunt peccata ad mortẽ, pro qbus nemo regare debet,ut ait Iohãnes:imo sunt peccata in spiritum sanctũ,quæ neq; hìc neq; illic remittuntur. Sic itaq; Christus missa obiurgatione, iterũ incipit suos discipulos consolari. Ego ueritatem dico uobis,inquit, expedit uobis,ut ego uadã. Sed facit hìc Christus instar fidi amici,qui consulit & facit ei quẽ amat, quod utile est,licet id nõ semper suaue & iucundũ sit. Et huc pertinet etiam quod Salomõ dicit:Meliorẽ esse manifestã correptionem, quàm amorem

Matth.26.

1.Ioh.2.

Ioh.15.

Peccata nostra cuiusmodi ferat Deus.

1.Ioh.5.

Matth.12.

Prou.27.

amorem absconditum, imo meliora esse uulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Sciebat Christus, discipulos ægrè audire de ipsius morte, multò ęgrius uerò de propria ipsorum passione. Non tamē propterea intermittebat: malebat ea dicere aut etiam facere, quæ illis utilia essent ac salutaria, q̄ quibus delectarentur. Expedit, inquit, uobis, ut ego uadā. Quod tamē nō ita accipiendū est, quasi corporalis præsentia Christi nobis obfuerit, aut ad minus nihil profuerit. Siquidē illa nobis nō modò utilis, sed prorsus necessaria fuit: nam per carnē suā & uisibilem præsentiā initiauit nobis uiā nouam & uiuentē, ut iam per sanguinem eius nobis potestas sit introëundi in sancta templi ipsius. Nisi enim Christus in carnē, hoc est, in humanā naturam immisisset se, nō haberemus aditū ad patrē, nōdum enim à peccatis liberati essemus, quæ sola nos à Deo separant & disiungunt. Quare Christus non ideò corporalē suā præsentiam nobis subtraxit, quòd ea nihil nobis profuerit. Nō, sed propterea solùm, ꝙ Apostoli, dum corporeo Christi cōspectu fruebātur, nihil aliud ab illo expectabāt & desiderabāt, quàm terrenum regnū, ueluti in filiis Zebedæi uidemus. Aut alio modo. Vnaquæq; res suo tēpore bona est & utilis. Lac infantibus cōuenit & utile est, adultis autē & prouecta ætate hominibus solidus & robustus cibus magis cōducit. Sic etiā uisibilis præsentia Christi primùm perquàm utilis fuit nobis, nunc uerò magis è re nostra est, nos illius conspectu orbatos esse, alioqui semper externæ illius præsentiæ adhæsissemus, nec unquàm ad sublimiora & diuinas res animos sustulissemus. Est igitur sententia huius uerbi, perinde ac si Christus uoluerit dicere, Nō ideò à uobis discedo, ꝙ me pigeat uobiscum longius esse, imo uestra utilitas me cogit, ut à uobis abeam. Expedit uobis, ut ego patiar, hoc enim pacto satisfecero pro peccatis uestris. Ex usu uestro est, ꝙ ego obeo mortem: nam per meā mortem uestra mors abolebitur. Vobis conducit, quòd ego effundo sanguinem meum: per hoc enim uobis recōciliabo patrem, & propitium reddam Deū. In rem uestrā est, ꝙ ego me ad patrem recipio, ut semper in cōspectu eius agam pro uobis aduocatum: uobis utile est, ut ego uobis spiritum sanctū promereā per passionē meā, nam alioqui omnia uobis excidēt, quæ dixi. Expedit uobis, quòd ego ad cœlum me confero, nam hac re parabo uobis uiam, ut eòdem sequi possitis. Maximè uerò sanctis Apostolis

Christi præsentia corporalis quàm nobis profuerit.
Hebr. 10.
Isa. 59.
Christus cur præsentiam suā corporalē subduxerit.
Matth. 20.
Mors Christi quàm utilis nobis.
Hebr. 9.
Heb. 5.

stolis utile fuit, quòd illis uisibilem suam præsentiam subtraxit. Quamdiu enim corporali eius consuetudine utebantur, omnia illius promissa non nisi carnaliter intelligebant. Nos speramus (inquiebãt) quia ipse esset redempturus Israël. Cæterùm cùm illis Christum uidendi non amplius esset copia, tum demum cognoscebant, illius regnum non esse de hoc mundo: idcircò tẽporariis contẽptis cœlestia solùm & æterna quærebãt. Nec uero in nostrum quoq; emolumentũ nõ cessit, quod Christus corporis sui cõspectum Apostolis subduxit: etenim dum in terris apparebat, paucis quibusdã hominibus præsens erat, postquã uerò in sublime latus est, & similẽ cùm Deo potestatẽ accepit, omnia impleuit, atq; ita, ut posthac cùm omnibus suis bonis apud suos fideles sit & æternũ esse possit. Quapropter etiam nobis profuit, quòd Christus Apostolorũ consortium relinquebat: alioqui enim in terra Iudaica solùm, & à paucis uisus fuisset: at nunc uerò nobis omnibus præsens est, & omnibus in locis, deniq; omni tẽpore. Ecce (inquit) ego uobiscũ sum omnib⁹ diebus, usq; ad consummationẽ seculi. Atq; hîc obserua, quãobrem Deus nõnunquam suos priuat iis rebus, quas temerè amãt, & quibus fidunt, ut sunt liberi, amici, opes, incolumitas, &c. propterea nimirũ hoc facit, quia illis expedit, ut talibus rebus orbẽtur, quò discant in solo Deo suã spẽ ponere, alioqui forsitan iisce rebus secus quàm decet uterentur. Verũtamen peculiarem Christus hoc loco causam ostẽdit, quãobrem, è re Apostolorũ & nostra fuerit, quòd nobis corporis sui præsentiam ademerit. Si enim non abiero, Paraclêtus non ueniet ad uos. Quod tamẽ non ita intelligendum est, quasi corporea & uisibilis præsentia Christi spiritũ sanctum remorata sit. Qui enim corpus Christi spiritum sanctũ impediat, quod ipsemet in corpore purissimæ uirginis formauit ac fecit? Et certum porrò est, Apostolos absq; spiritu sancto nõ fuisse, etiã cùm Christus adhuc corpore illis præsens aderat, alioqui non dixisset ad eos, Mundi estis propter sermonem quem locutus sum uobis. Enimuerò ne nostra quidem corpora spiritui sancto obstaculo sunt, imo Paulus dicit corpora nostra esse tẽplum spiritus sancti: quomodo ergo corpus Christi nullo peccato inquinatũ, spiritum sanctum impediuisset? Attamen non absq; singulari causa factum est, ꝙ Christ⁹ manifestã spiritus sancti missionẽ distulit post mortem suam usq;. Quippe primò propterea factum est, quòd Apost

Luc. 24.
Ioh. 18.
Matth. 28.
Rebus charis cur suos priuet Deus.
Matt. 1.
Ioh. 15.
1. Cor. 3.
Spiritus sancti mißionem cur Christus post mortem usque suã distulerit.

Apostoli Christū adhuc carnaliter & naturali more adamabant. Quo autē amor magis ex carne participabat, hoc susceptioni cœlestis spiritus plus obstabat. Imo nisi faciamus, ut spirituales simus, diuini numinis capaces esse non possumus. Secūdò, homines nōdum idonei erant ad accipiendū spiritum sanctum in plenitudine ipsius, utpote nōdum cum Deo recōciliati, propterea Christo moriendū prius erat. Si non abiero (intellige) in passionem meam & mortem, Paraclêtus ad uos nō ueniet, quia nōdum appositi estis, necesse est, ut uos ante patri recōciliem, quàm uos tali dono ornet. Tertiò, nōdum tempus erat, ut Christus tam sublimia dona impertiret, donec diuinā suam maiestatē rursus suscepisset. Quartò haud æquū erat, mēbra tāto gratiæ munere ornari, priusquam caput esset glorificatū. Ideóq; Iohannes dicit:

Ioh.6. Nōdum erat spiritus datus: quia Iesus nōdum erat glorificatus: si autem abiero (inquit Christus) mittam eum ad uos.

Contra Sacramentarios. Hoc uerbo putant sacramentarij suum se errorē posse defendere & confirmare. Si expediuit & necesse fuit (aiunt) ut corpus Christi ab oculis nostris auferretur, quî potest illud adhuc apud nos esse? Aut si Christus corpore adhuc nobis præsens est, nondum spiritus sanctus uenerit oportet, &c.

Christus qui à nobis abscesserit. Responsum tibi uolo, Modo dictum est, corpus Christi cœlesti spiritui non aduersari, ita ut se inuicem ferre non possint, sed alterum alteri cedere cogatur. Secundò nesciunt eiusmodi homines, aut saltē nescire se simulant, quomodo Christus abierit à nobis: siquidē non ita à nobis discesit, ut prorsus nō sit amplius nobiscū, sed solùm ab oculis nostris

Eph.4. se subduxit ad dextrā & omnipotentem potestatem Dei, ut omnia impleret, & in posterum certius ac præsentius nobis adesset, quàm si corporeis tantùm oculis nostris cōspicuus esset. Quare illius decessus à nobis nihil aliud est, quàm qđ se oculis nostris subtraxit, diuinam adiuit potestatem, per quam posthac semper & æternùm, ut est, apud nos esse posset.

Corpus Christi præsens in Eucharistia. Cæterùm hinc nō sequitur, illius corpus propterea in sacramento esse non posse, sed tantò euidentius inde probatur, sanctissimum illius corpus præsens in sacramento posse esse, quandoquidem scimus Christum in decessu suo in omnipotentiam Dei concessisse. Tertiò quoque homines isti nesciūt, quam ob rem spiritus sanctus uenerit, nimirum nō propterea, ut posthac nihil corporeū in Ecclesia, sed omnia spiritualia esse debeāt. Nam spiritus sanctus non adimit no

mit nobis corpora nostra, nec externũ uerbum tollit ex Ecclesia, quẽadmodum etiã Christo humanitatẽ ipsius nõ abstulit. Sic quoq; nõ submouet nobis corpus Christi è sacramento, sed docet nos tantũ, quid his in rebus quærere debeamus, nimirũ in homine Christo diuinitatẽ, & in corpore ac sanguine Christi uitã & remissionẽ. Est igitur hęc sententia, & hunc in modum dicturus est Christus: si abiero à uobis in passionem & mortẽ meam, mittam uobis paraclêtũ, nam passione mea illum promerebo & adipiscar. Atq; ita quoq; mors Christi nobis spiritũ sanctum cõparauit, & ab eo tempore uocatus est cõsolator, quoniam nõ cuiuis consolator est. Habent quidẽ & improbi spiritus sancti dona quædam, sed nõ ad remissionẽ peccatorum, propterea ergo illis non est cõsolator: cæterum Christus eum nobis ita promittit, ut sit noster cõsolator, hoc est, ut nos per illum habeamus remissionẽ peccatorũ & omnia bona. Tãto maiores Deo debemus gratias, tanto diligentius spiritum sanctum eiúsque consolationem petere nos æquum est, tantò item magis quiuis Christianus ad animum reuocare debet, quid Christus deinceps de hoc spiritu sancto boni & egregij dicat. Id quod alio tempore audiemus.

Spiritus sanctus unde, & quorum consolator.

TERTIVS SERMO DE *altera parte* Euangelij.



VERBA, quæ in hoc Euangelio commemorantur, quanquã locutus est quidem Christus antè suam passionẽ, nimirum in ultima sua cœna, haud tamen immeritò nobis nunc à festo Paschę prælegũtur. Nam illud ipsum in se habẽt & continent, quod Christus post resurrectionem suã omniũ maximè suis Apostolis & fidelibus inculcare uolebat, nimirum, ut solatium suum deinceps non amplius in corporali ipsius præsentia quærerent, sed potius suspicerent & cœlitus solatium quærerent, quod solatium cœlestis spiritus in corda fidelium dat & infundit. Nam quamdiu Christus uisibilis in terris agebat, summum & unicum Apostolorum solatiũ erat, quod illum uidebant, audiebant, & familiarem cũ ipso cõsuetudinẽ habebãt. Quapropter etiam, cum Christus per sacratissimã suam passionem & mortem ab oculis eorum ablatus esset, neq; spẽ, neq; solatiũ amplius habebant, id qđ indicium erat certissimũ, illorum spẽ antea in corporali so-

Cõsolatio ubi quærenda.

lum & uisibili præsentia Christi positam fuisse. Atqui minimum in Christo est, quod corporeis in illo uidetur oculis. Summũ & pręstantissimum quod habet, nimirũ sanctissimã illius diuinitatẽ, his oculis nõ conspicimus. Porrò uerò non sufficit, Christum ceu hominẽ agnosci & amari: agnosci uult
Ioh. 20. & amari tanquã uerus Deus. Ideóq; ad Magdalenã (cũ ipsi corpus post resurrectionẽ uellet tangere) dicebat, Noli me tangere: perinde ac si dicat: Hactenus uestrum habuistis solatium è mea corporali præsentia, posthac uerò necessarium est, ut oculos uestros attollatis ad meã diuinitatẽ. Tu igitur uade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrẽ meum & patrem uestrum, Deũ meum & Deũ uestrum, &c. Hũc in modũ Christus post resurrectionẽ suam animos suorum fideliũ ad spirituales & cœlestes res erexit. Quod ipsum & in isto Euangelio multifariã facit. Primò in eo quod dicit, Vado ad eum qui misit me. Secundò in eo, quòd increpat eos, quòd nõ interrogabant, quò iret. Tertio, quòd illis promittebat,
Sursum corda. se alium cõsolatorem missurũ de cœlo. Hæc omnia (inquã) eò seruiunt, ut corda nostra attollamus ad cœlũ, & quoniam
Ioh. 16. nõ datur amplius Christum in corpore uidere, præsentiã diuinitatis illius tanto ardentius expetamus. Audiemus itaq; & reliqua istius Euangelij uerba. Spiritum sanctum Christus suis discipulis promiserat. Dicit ergo amplius, Cũ uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Hæc uerba triplici modo intelligi possunt. Primò, cũ uenerit, hoc est, prima die apparitionis illius; cognoscet mundus, se in me deliquisse, atque ita accidit in die Pentecostes, cum Petrus diuino iam afflatus numine primã haberet con-
Act. 2. cionem, ut metu & terrore homines obstupefacti dicerent, Quid faciemus uiri fratres? Ad quã interrogationẽ illos Petrus ad pœnitentiam & baptismum remittebat. Secundò, potest hoc uerbũ & sic intelligi: Cum uenerit ille, hoc est, cũ corda uestra perfectè impleuerit, omnẽ inanem metũ inde eiecerit, cõtra uerò ueram libertatem animi, inuictam constantiam, & ardentem charitatem Dei & proximi uobis infuderit, tum incipiet per uos mundum arguere. Tertiò, po-
Euangelium neminem palpat. test hunc quoq; in modũ intelligi: Cum uenerit per prædicationẽ & propagationẽ Euangelij, tum etiam simul audacter
Rom. 3. arguet. Nã Euangelium nemini parcit, omnes mortales pec
Rom. 1. cato subiicit. Reuelatur enim ira Dei in eo, super omnem impietatem & iniustitiam hominum, &c. Arguet mundum (in-

quis

quit Christ⁹) Quòd si enim nosmetipsos diiudicaremus, nõ utiq; diiudicaremur. Verum mundus & eius cultores semetipsos arguere nõ possunt, unde & Hieremias de talibus dicit: Erubescere nescierunt. Et sapiens: Via stulti recta in oculis eius. Itidem quoq; Paulus dicit de Iudęis, uelamen positũ esse super cor eorũ. Et de omnibus impiis in cõmune, habere eos tenebris obscuratũ intellectum. Secundò dicit Christus, Is (Spiritus sanctus) arguet mundum (intellige) pleni⁹ & apertius, quàm ego, quin ita cõuincet eum, ut nisi resipuerit & crediderit Euangelio, nullã penitus sit habiturus excusationẽ. In me quidẽ infirmitas meæ carnis seu humanæ naturæ illis aliquantũ obstitit & eos offendit, ut incredulitatẽ suã tanto melius excusare potuerint, sed cum Spiritu sancto res geretur magnificè & palàm, idcirco nullus excusationi locus relinquetur. Obserua autem, quòd Spiritus sanctus mundũ tantum arguit, nã bonis est cõsolator, & horum alterutrũ senties semper in uerbo Dei: aut enim cõsolabitur te, si uerus es fidelis: aut arguet te, si es impius. Quia ergo supra modũ terribile est, si quando Deus in ira sua loquitur, quẽadmodum id Adã in Paradiso post peccatum expertus est, quisq; Christianus operã nauet pietati, ut dign⁹ inueniatur, ad quem Deus benignus loquatur. Cæterum tria nominat Christus, quamobrẽ Spiritus sanctus mundũ arguit, utpote peccatum, iustitiã, & iudicium. Primò, propterea, quòd mundus plenus est peccato, iniustitia, & temeritate. Secũdò propterea quoq;, quòd in Euangelio simul indicatur, mũdi peccatum, iustitia Christi, & futurum iudicium, in quo bonis pariter & malis merces aut pœna reponetur pro factis, quæ in corpore gessit, siue ea bona siue mala fuerint. Hęc omnia Christus fusius adhuc exponit. Arguet (inquit) mundum de peccato, quia nõ credunt in me. Istud est primũ opus quod facit Spiritus sanctus, ut arguat mundũ peccati. Indicat enim omnes homines esse peccatores, & gloria Dei priuatos: ostendit item, omne id peccatũ esse & malum, quod incredulitate facimus: notã porrò facit multitudinem & grauitatem peccatorum. Nã horum nihil uidemus absq; Spiritu sancto. Verum ubi perfundit cor, ibi omnia ista aperta fiunt & deprehenduntur. Primò autẽ arguit peccata per internam illuminationem. Secundò per externam prædicationẽ: etenim per sanctos Apostolos instat opportunè, importunè, ut resipiscamus, & ueterem hominem deponamus. Tertiò, arguit

1. Cor. 11.
Hier. 6.
Pro. 12.
2. Cor. 3.
Ephe. 4.
Gene. 3.
2. Cor. 5.
Rom. 3.
Rom. 14.
Spiritus sanctus ut arguat peccata.
2. Tim. 4.

mundũ quoq;,per bonã & piam cõuersationẽ bonorũ:quo enim hi sanctius uiuunt,hoc cõspectiora fiunt peccata mũdi. Vnde & Christus dicebat: Viri Niniuitæ, quia pœnitentiã egerunt in prædicatione Ionæ,cæteros omnes condemna-
Matt.12. bunt,qui similiter non fecerunt,quũ tamen maiora habeant præsidia,quàm illi. Aduerte hîc autẽ,quòd Christus in singulari tanquam de uno, & non de multis peccatis loquitur. Nã unum peccatum est quod Spiritus sanctus omnium maximè arguit & prodit,nimirum incredulitas. Ideò subnectit Christus,quia nõ credunt in me.Indicauit quidẽ & lex Mosi priusquam etiam Christus homo fieret,abundè satis adulteriũ,homicidiũ,furtum,peccatum,& quid malum sit, imò ne
Ioh. 16. Ethnicos quidem hoc fugit:uerum nemo pro peccato ducebat, si quis nõ crederet in Christum, imò mundus putabat, Deo singulare præstari obsequiũ,si Christũ & qui illius erãt
Ioh.3. persequeretur. Atqui uerò hoc unicum & maximum peccatum est,imò eiusmodi peccatum,quod hominem certissimè cõdemnat,si in Christũ non credat.Qui enim nõ crediderit
Mar.16. (inquit Christus) condẽnabitur.Et iterũ:Qui nõ credit, iam iudicatus est:quia nõ credidit in nomine unigeniti filij Dei.
Ioh.8. Hoc est autẽ iudicium:quia lux uenit in mundũ,& dilexerũt
Ioh. 12. homines magis tenebras quàm lucẽ.Et rursus: Si nõ credideritis (inquit) quia ego sum,moriemini in peccato uestro. Item alio in loco:Qui nõ credit in me(inquit) ego nõ iudi-
Ioh.1. co eum:sermo quẽ locutus sum, ille iudicabit eũ in nouissimo die. Nemini autẽ mirum uideri debet,quòd nõ credere in Christum,hominẽ cõdemnet. Nam per solum meritum Christi,salui sumus:cæterum eiusce meriti per fidem solam participes sumus. Quemadmodũ Iohannes dicit:Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri,his qui credunt in nomine eius. Deinde arguit Spiritus sanctus etiã propterea potissimum incredulitatẽ: nam ut fides radix est omnis boni:ita incredulitas radix est,principiũ & origo omnium peccatorum. Et ut uera uiua fides in Christum,omnia nostra peccata in abys-
Rom.14. sum demergit ac præcipitat: ita incredulitas etiam id quod speciem boni habet,inuisum reddit.Omne enim quod non est ex fide (ait Paulus) peccatum est. Summa, Spiritus sanctus indicat & docet,non modò externam, spurcam & impiam uitam, quam etiam mundus damnat, peccatum esse, uerum etiam incredulitatem, & reliquam impietatem humani cordis,imo illud atrocissimum omnium peccatum esse. De

se. Dehinc indicat, hominem non exterius solum, sed etiam interius malum, imò prorsus uenundatum sub peccato fore, nisi Christ⁹ nos redemisset. Est ergo istud primum, quod Spiritus sanctus in mundo arguit, nimirum peccatum incredulitatis. Postea uerò (inquit Christus amplius) arguit mũdum de iustitia, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me. Paulo obscurius hoc dictum est: uariis itaque modis intelligitur & explicatur, utpote primò, ut hæc sit sententia, Arguet mundum in commune de iustitia, quam neglexerũt & habuerunt contemptui, siquidem profectò animaduersione dignum est, ubi non quæritur iustitia. Secundò arguet mundum de iustitia & sanctitate Christi, quam neque receperunt neque secuti sunt, cum tamen eos nõ solùm uerbis, sed etiam factis docuerat: uti Lucas ait, Dominum Iesum prius cœpisse facere, quàm docere. Tertiò, arguet mundum de iustitia Sanctorum: quo enim maior illorum laus est, hoc mali erunt damnationi magis obnoxij. Quartò, arguet mundum de iustitia, hoc est, mundi quoque iustitiam condemnabit. Iudæi enim se iustos putabant, si Mosi legem obseruassent. Ethnici iustitiæ opinionem sibi uendicabant, si externam uirtutem & honestatem coluissent. Spiritus uerò sanctus utrorumque, & Iudæorum & gentium iustitiam arguit, non quidem eò, quòd malum fuerit legem Moysi obseruare, & externis moribus uirtutibus operam dare, sed quòd neutrum horum nos potuerit iustificare coram Deo & acceptos facere. Nam si alterutrum horum nos cum Deo in gratiam restituere potuisset, frustrà Christus homo factus fuisset, & pro nobis mortuus. Sic enim infert Paulus: Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Quapropter Christus mox subiicit, Quia ad patrem uado. Ego inquit: hoc est, Mea solius iustitia ad cœlum penetrare potest, & coram Deo subsistere, & non alia iustitia. Ideò Malachias dicit: Veniet Dominus & dominator, & quis stabit ad uidendum eum? Ipse enim quasi ignis conflans. Atqui non quælibet res uim ignis sustinere potest, & sæpenumero in iudicio Dei contortum inuenitur, quod nos rectum censemus. Itaque nostræ iustitiæ fidere haudquaquam possumus. Domine (inquit Dauid) ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens: intellige, ratione propriorum ipsius operum, si illa ad iustitiæ tuæ seueritatem exigantur. Fidem ergo meretur id, quod

Rom. 7. *Iustitiam ut arguit Spiritus sanctus.* *Act. 1.* *Gala. 2.* *Ioh. 2.* *Mal. 3.* *Psal. 142.* *Ioh. 3.*

1.Pet.2. Christus dicit: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, nimirum filius hominis, qui in cœlo est: hoc est, nullius hominis iustitia coram Deo stare potest, præter iu-
Ioh.8. stitiam Christi. Hic enim peccatum non fecit, &c. Imò hîc uerè potuit dicere, Quæ patri placent, facio semper. Hoc post illum dicere nemo mortalium potest, ideóque nullius hominis iustitia per se esse sufficiens potest coram tribunali Dei. Et hunc in modum indicat Spiritus sanctus, mundi iustitiam non esse sufficientem ad salutem. Secundò indicat, unicã & ueram nostram iustitiam coram Deo esse, quòd Christus
Rom.4. ad Deum iuit: hoc est, quòd sola mors & resurrectio Christi coram Deo nos iustificãt. Propter delicta enim nostra Christus mortuus est, & propter iustificationem nostram resurrexit. Restat adhuc unum, propter quod Spiritus sanctus mundum arguit, nimirum iudicium. Nam princeps huius mundi (inquit Christus) iam iudicatus & condemnatus
De iudicio ut arguat mundum Spiritus sanctus. est. Rursum hoc uerbum ualdè obscurè dictum est, quapropter etiam diuersimodè exponitur. Primò, quidam intelligunt in hanc sententiam. Spiritus sanctus arguet mundum de iudicio: intellige, quòd Christum iniquè & immeritò cõ-
Act.2. demnarunt, & in mortem tradiderunt. Quod ipsum & Petrus Iudæis exprobrabat, dicens eos homicidas & proditores esse factos in Christum proprium ipsorum Messiam. Secundò, nonnulli ita intelligunt. Arguet mundum de iudicio: hoc est, indicabit & palàm faciet, illos iure iudicandos & damnandos esse. Tertiò, arguet illos de iudicio, quòd Dei tribunal & futurum iudicium neque considerant, neque timent: neque contra illud sese præmuniunt, neque animo recolunt, quæ Deus iam inde ab initio iudicia, & pœnas in improbos exercuerit. Quartò, & potissimum eos arguet propterea de iudicio, quòd princeps huius mundi iam iudicatus est. Nam tametsi uident uires illius debilitatas, non ta-
Matt.25. men illi resistunt, & licet norint, eum æternis incendiis addictum esse, tamen illi adhærent. Quintò, arguet eos de iudicio, hoc est, do errore illorum, quòd peruerso iudicio & intellectu Deum derelinquunt, & diaboli societatem expetunt, temporaria quærunt, & æterna negligunt. Sextò, arguet illos de iudicio, quòd mundum, & quod in illo est, non iudicant & condemnant, sed laudant & magni faciunt,
Eccl.1. cùm tamen Sapiens dicat, uana esse omnia, quæ sub sole sunt. Postremò quoque arguet illos de iudicio, hoc est, mundi

mundi quoque sapientiam arguet & conuincet, coram Deo eam nihil aliud esse, nisi stultitiam. Mundus plurimum tribuit opibus, honoribus, potentiæ, uoluptatibus: ediuerso autem putat paupertatem, crucem & paßionem, esse maledictionem & rem infelicem. Cæterum falsam hanc & fallacem sapientiam arguit Spiritus sanctus, nobis dat ueram sapientiam, docet mundum & quicquid in eo pulchrum & amœnum est, inane esse & uanum, contrà uerò crucem & paßionem propter Deum & iustitiam, certam esse uiam ad salutem. Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Summa, uera sapientia est, scire, quòd Christus diabolum, peccatum & mortem uicerit. Hoc non monstrat mundus, quantumcunque sibi uideatur sapiens, quapropter etiam sapientia illius condemnatur & arguitur à Spiritu diuino. E diuerso autem docet nos Spiritus sanctus ueram iustitiam & sapientiam. Quisquis ergo in his duobus non uelit hallucinari, huic se dedat magistro, audiat & sequatur illum, nunquã profectò errabit. Deus nos omnes sua dignetur gratia, Amen.

1. Cor. 3.

Mundi quàm cæca iudicia & fallax sapientia.

Act. 14.

QVARTVS SERMO *de ultimis huius Euangelii uerbis.*



IRCA Euangelium proximè præteritæ Dominicæ mirum ei, qui causam nesciat, uideri poßit, quòd cùm Christus ad suos Apostolos tum ita multum & sæpe, necnon tam expreßis uerbis de paßione sua loquebatur, ipsi uerò nihilominus tamen dicerent se nescire quid loqueretur, nec posse se eum intelligere. Circa istud Euangelium aliquem admiratio tenere poßit, quòd Christus suis discipulis de sancta sua paßione tam multa commemorat, cùm tamen non ignorauerit, illis nihil auditu esse molestius, uideréturque eos magis etiam perturbari: imò quo magis illis inuisum hoc erat, hoc idem repetebat sæpius. Enimuerò non aderat propterea, ut, quæ suauia, sed quæ uera & salutaria essent diceret. Non erat tempus, in quo illis multa læta nuntiare poterat. Rem illis, ut erat, denuntiabat, & è re ipsorum erat: nam si crux ipsius tam grauiter illos offendit, & ob eam animo consternati sunt de qua illis toties prædicabat, quid futurum fuisse putamus, si nihil illis prædictum fuisset, &

Ioh. 16.

Cur Christus discipulis post cœnam toties suam paßionẽ cõmemorarit.

Christus præter expectationem ab iis sublatus fuisset, & in crucem suspensus? Iacula præuisa minus feriunt, inquit diuus
Gregorius. Gregorius. Sic etiam quæuis mala minus offendunt, quæ præuideris, & ad quæ animum præparaueris. Non semper ægroto blandiendũ est, nonnunquam præsens illius est exi
Cauendi summopere pseudodoctores. tium, si nolis eum perturbare, & idcirco periculum ipsius sileas ac celes, id quod in spiritualibus rebus præcipuè deprehenditur. Summum periculum est, sicubi homini promitti-
Ezech. 13. tur pax, & nõ est pax: quapropter nos sacra scriptura passim monet, cauendos esse eos, qui blandis adulationibus aures
Isa. 3. nostras deliniunt. Popule meus (inquit Isaias) qui te beatũ
Ezech. 13. dicunt, ipsi te decipiunt. Et Ezechiel, Viuificant animas, quę non uiuunt, & interficiunt animas, hoc est, condemnant &
Rom. 16. minantur mortem, ubi mors nulla est. Et Paulus, Per dulces
Matt. 7. sermones & benedictiones seducunt corda innocẽtium. Et
Sani doctores ut se gerant. ipse Christus, Attẽdite à falsis prophetis, qui ueniũt ad nos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Longè aliter se gerunt ueri Apostoli, & his longè aliud præ
Isa. 58. cepit Deus. Dicit enim ad Isaiam, Clama, ne cesses, & annũ
Isa. 6. tia populo meo scęlera eorum, &c. Et iterum, Vade, & dices populo huic, Audite audientes & nolite intelligere: & uide-
Hier. 2. te uisionem, & nolite cognoscere, &c. Ad Hieremiam dicit, Ecce constitui te, ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissi
Ezec. 3. pes: intellige mala in populo meo. Ad Ezechielẽ ait, Ecce, dedi faciem tuam ualentiorem faciebus eorum, ne timeas
Ion. 3. eos, &c. Ad Ionam dicit Deus, Vade in Niniuen, & prædica in ea peccata eorum & futurã pœnã, &c. Hoc pacto Deus suos Prophetas amandat. Non uult adulatores, qui dicãt solum, quæ grata sunt & iuuant, sed qui ueritatem denuntiẽt, súsque déque ferentes, quo eam animo concipiant homi-
2. Tim. 4. nes. Sic amãdabat Paulus suum discipulum: Insta, inquit, o-
Ioh. 15. portunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, &c. Hæc Christi mens est, ubi inquit, Spiritũ sanctũ arguturum mundum. Indignè quidẽ omnes ferimus nos argui, semper quærimus magistros, qui nos ueluti Herculana scabie pruriẽtes fricent: si non audemus uerbis aper
Isa. 30. tè dicere, ut illi in Isaia dicunt, Loquimini nobis placentia, &c. attamẽ in corde id cogitamus. Quòd si semel nobis hulcus tangitur, non ueremur facere, quod Achab dicebat,
3. Reg. 22. Ego odi eum prophetam, quia nõ prophetat mihi bonum, sed semper malum. Summa, mundus non uult increpari, cæterum

terum Deus & spiritus illius propterea non intermittet. Arguet mundum (inquit Christus) & sic fieri planè necesse est, quare si nolis argui, è mundo te submoueto, agnosce & argue propria tua errata & incredulitatem, ne placeas tibi in tua ipsius iustitia, ne nitare proprio tuo iudicio, ingenio & sapientia, sed scito nos esse omnes peccatores, Christū esse nostram iustitiam, & principem huius mundi iudicatum & condemnatum esse. Hoc docet Spiritus sanctus, hāc docet prædicandi rationem. Quandiu mundus istud non credit, *Ioh.14.* tantisper Spiritus sanctus non cessat illum arguere de peccato, de iustitia, & de iudicio: est etenim Spiritus ueritatis, adulari nescit: est spiritus Dei, nihil probare potest, quicquid mundus cum principe suo instituit. Meæ uiæ (inquit) *Isa.55.* non uiæ uestræ, quærit gloriam Dei & hominis salutē, itaq; nō mellita semper, sed salutaria, certa, & uera uerba promit. *Qua nunc ratione concionandum est.* Eundem quoque in modum Christus fecit in hoc Euangelio, sic etiamdum fieri oportebat, hac præsertim tempestate. Talem in omni statu agimus uitam, ut melioribus non simus digni, quàm acerbis increpationibus, imò ita constituti sumus, ut ex salutiferis prædicationib⁹ usq; reddamur deteriores. Si nec Christus suis discipulis dixit, quæ optassent audire, non debet nobis mirū uideri, si nos Spiritus sanctus increpat uerbo Dei. Habet quidē & alias operationes, sed eas in suos tantum exercet: mūdum arguit, quoad mundus esse pergit. Hac de re in superiori sermone dictum est: nunc porro audiemus, quibus uirtutibus polleat, quidue in suis operetur. Quā rem nobis indicabunt ultima uerba hodierni istius Euangelij, quæ Christus sic incipit, Adhuc multa habeo uobis dicere: sed non potestis portare modo. *Ioh.15.* Hoc uerbum nullo modo pugnat cum eo, quod Christus alibi dicit, Omnia quæcunq; audiui à Patre meo, notá feci uobis. Etenim primò, quod Christus illic dicit, Nota feci uobis, perinde est ac si dicat, nota faciam uobis, quia enim certò futurū erat: ita loquitur, quasi iam factum sit. Atque hoc familiare est sacræ scripturæ, ut rem indicet aliquam factam, quæ fieri adhuc debet. Vt quod Isaias dicit de passione Christi: Ipse *Isa.53.* uulneratus est ꝓpter iniquitates nostras, & tamen post multos id annos fieri debebat, attamen loquitur Propheta de ea re tanquam iam facta, adeò certus erat, aliquando eam futurā. Secundò, nobis Christus indubiè manifestauit, quicquid ad salutem nostram necessarium est, quandoquidem

Euangelium nobis prædicauit, qui est fons omnis ueritatis. Quicquid enim postea Spiritus sanctus suæ Ecclesiæ reuelauit, ex hoc fonte promanauit. Sic ueritas, quam Spiritus sanctus Apostolis in primo ipsorum concilio manifestauit, nimirum, quòd circuncisio & lex Mosi in nouo testaméto nó amplius ad salutẽ necessaria sit, non aliúde profluxit, quàm ex Euangelio, in quo Christus manifestè indicat, nobis salutem & felicitatem per fidem in ipsum contingere, & non ex lege. Qui credit in me (inquit) etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Sic ueritas, quæ in concilio Niceno aduersus Arrium sese proferebat ostendebátq;, nimirũ, quòd Christus filius Dei secundum diuinam suam naturam eiusdem diuinæ sit essentiæ cum patre, non aliunde promanauit, quàm ex Euangelio. Nam tametsi uox, ὁμόουσ, hoc est consubstantialis, nusquam aperte in scripturis reperitur, sunt tamen alia inibi uerba commemorata, quæ tantũdem ualent, ut cùm Christus dicit, Ego & Pater unum sumus. Et qui uidet me, uidet & Patrem. Eundem in modum & de aliis rebus dicam licet, proinde rectè dixit Christus, omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci uobis. Nihilominus tamen & illud uerum est, quod hìc dicit, Adhuc multa habeo uobis dicere: multa enim Apostoli erant obliti, multa itẽ non intellexerãt, multa illis Christus ueluti per inuolucra obscurius indicauerat, quæ alius aliò posset referre ac torquere, quàm ipse intellexerat. Quapropter opus habebãt Spiritu sancto, qui illis in memoriam redigeret, quod obliti erant, & illis manifestaret quod minus intellexerant: & qui illis explanaret, quod obscurius & simplicius dictum erat. Possemus itaque hoc uerbum ad totum Euangelium referre, perinde acsi dicat, Quanquam sat uobis indicaui, quid uobis ad salutem necessarium sit, ampliori tamẽ indigetis doctrina & institutione, hac quidem de causa, qua dixi modo. Atque hìc palàm fit, diuinas literas & externum uerbum Dei neque utile esse, neque rectè intelligi posse, nisi spiritus cœlestis accedat. Item, non sufficere, uerbum Dei semel audire aut legere, nisi sæpius audiatur & legatur. Sic sancti Apostoli Christum sæpè, imò totum triennium prædicantem audierant, & tamen dicit ad illos, Adhuc multa habeo uobis dicere. Quamobrem haud obesse nobis potest, si sermonem Dei crebro auditũ, iterum audiuerimus. Secundò, hoc uerbum Christi ad ea quoq; referri potest, de quibus impræsentiarũ loquitur, nimirum

Act. 15.

Ioh. 11.

Ioh. 10.

Ioh. 14.

Spiritus sanctus ut docuerit Apostolos.

Verbum Dei quibus nihil prosit.

mirum de Spiritu sancto eiúsq; operibus. Sancti Apostoli longo tempore Christũ audierant docentẽ: nec tamen adhuc sciebãt, regnum illius spirituale regnũ fore: nõ sciebãt, Euangelium in omnes orbis nationes prædicandum esse: non sciebant, crucem & passionem uiam esse ad æternam gloriam: non sciebant fidem in Christum nostram iustitiam, incredulitatem uerum peccatum, & mundi sapientiam uerã stultitiam esse, &c. Nec tenebant adhuc, quì aut qua de causa, quo item certaminis genere princeps huius mundi uictus, iudicatus & damnatus esset. Adhuc multa (inquit Christus) haberem uobis his de rebus dicere, sed non potestis portare modo. Etenim primò, nondum renouati estis per Spiritum sanctũ, & noui homines facti. Mea autẽ doctrina nouos homines requirit, ut nouum uinũ nouos utres & uasa. Secundò, pleni nunc tristitia estis, quę intellectũ uestrum mirum in modũ torpere facit. Hac re docet Christus, Euangelicum doctorẽ nõ modo uidere oportere, quid dicat, sed etiam ad quẽ, quo quidq; tempore dicat. Est enim tẽpus loquendi, & tempus tacendi. Et ubi aures non præbentur, silendum est. Sequitur, Cùm autẽ uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatẽ, &c. Hic incipit Christus commemorare quid Spiritus sanctus peculiariter apud fideles faciat. Atq; hoc loco obserua, quòd Christus passim, ubi de Spiritu sancto loquitur, insignes illi tribuit titulos, imò eiusmodi titulos & nomina, ex q̃bus cognosci potest, Spiritũ quoq; sanctũ Deũ esse. Siquidẽ solus Deus perfectè consolari & intrinsecus docere potest. Quapropter & nos Spiritũ sanctũ plurimi pẽdere assuescere debemus, ut quo maximè opus habemus. Is docebit uos (inquit Christus) etenim tũ magis idonei eritis illius doctrinę, quàm nũc. Et ita quoque accidit. Christo hæc uerba loquẽte, mœrore pleni erãt, at ueniẽte Spiritu sancto, omnẽ eiecerãt tristitiã, postquam Christũ uiderãt ascẽdere in cœlũ, ideóq; tãto magis idonei erãt doctrinæ Spiritus sancti. Ad hæc à cæterorũ hominum cõsortio seiũcti erant, & perseuerabãt in oratione. At enim hæc ipsa sunt, ꝑ quæ appositi sumus ad doctrinã Spiritus sancti. Docebit uos, inquit, nõ externo sono uerborũ, sed occulto afflatu. Sed docebit uos ueritatẽ, & omnẽ ueritatem. Non uti impostores, qui aliquam tantum ueritatẽ indicant, reliquam uerò, quam scire non paulò minoris referebat, reticent. Is autem omnẽ ueritatẽ docuit, qui scit quid credere & fa

Matth.9.
Ecclesi.3.
Eccle.32.
Spiritus sancti peculiare opus.
Act.1.
Pseudodoctores taxantur.

& facere, sperare & timere oporteat, neutra enim horũ absque alterutris sufficiũt. Pergit Christus dicere: Nõ loquetur à semetipso. Hoc addit Christus, ne quis existimaret, spiritũ sanctum Christo maiorem esse, quia plura in cordibus hominũ præstitit. Secundò, ne cui ueniret in mentẽ, spiritũ sanctum nouæ fidei authorẽ fore. Et tertiò, quo liquidius constaret, eum esse spiritũ ueritatis. Nam quisquis ex seipso loquitur, non est spiritus ueritatis, sed mẽdacij. Hãc ob causã dicit Christus, Non loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur, hoc est. quæ uolet pater, ut uobis palàm fiát, ea uobis reuelabit: & quæcunque audiet, hoc est, quæ certa & uera sunt. & fundamẽto subnixa, nihil comminiscetur aut deprauabit, & quæ uentura sunt annuntiabit uobis, hoc est, futura præmia fidelium. Hinc rursus testatũ fit, spiritum sanctum esse Deũ, quandoquidẽ nouit & denuntiat, quę uentura sunt, quod uni Deo proprium est. Sequitur porrò, Ille me clarificabit. Istud summum & præcipuũ opus est spiritus sancti, ad quod reliqua omnia destinantur, quò Christus áb omnibus mortalibus agnoscatur colatúrq; ceu unus & uerus seruator, & quòd non sit aliud nomen sub sole, in quo nos oporteat saluos fieri, &c. Ille clarificabit me, inquit Christ⁹, in cordibus fidelium, ut me pro tali agnoscant & accipiant: clarificabit me per uestrã prædicationẽ, & in uniuerso orbe terrarũ proclamabit meam præclarã uictoriam & triumphũ aduersus peccatum, mortem & diabolum, quinetiã in mundum clarificabit me illustribus miraculis, quæ per uos meo nomine edet. Ex his cuncti mortales uidebunt & agnoscẽt, mihi datam esse potestatem in cœlo & in terra. Et plurimũ quoque nostra refert, imo omnis salus nostra & felicitas in hoc pendet, ut egregiè de Christo sentiamus, & omnia ab illo expectemus. Quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis. De meo, quia ego sum uerbũ Dei: aut de meo, hoc est, ex eo quod in Lege, in Prophetis & Psalmis de me scriptum est, ut cùm ait, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, &c. Hæc aliáque uobis indicabit, & mẽtem uobis aperiet, ut scripturam intelligere posſitis.

Credas & facies. *Iohan. 7.* *Mat. 28.* *De meo accipiet.* *Psal. 2.*

QVINTVS SERMO INDICAT
quomodo & quibus de rebus Spiritus sanctus arguat mundum.

HOD

ODIERNVM istud Euangelium pars est ultimæ prædicationis, quam Christus ante sacram suã passioné post cœnam fecit: Proinde certum est, illud magni quid in se habere, debétq; ab uno quolibet Christiano tanto diligentius ad animũ reuocari, & tanto cupidius accipi, præsertim cùm etiã nobis ea consuetudo sit, ut illa, quę diligentissimè obseruata uelimus, postremò omnium mandemus, & præterea ratio ueræ amicitię hoc habeat, ut earũ rerum difficulter nos capiat obliuio, quas boni amici nobis in digressu committunt. Quocirca Euãgelium istud duplici nomine nobis esse pretiosum & rarum debet. Primò, quòd Christus ipse omnia in eo uerba locutus est. Secundò, quòd in ultimo suo abitu ea est locutus. Si itaq; ueri sumus Christiani, haud pro re leui & contemnenda ducere debemus, quod Sapientia Dei, filius Dei in humana natura dixit. Siquidem diuinus Psaltes non abs re de illo cecinit, diffusam esse gratiam in labiis ipsius. Nec temerè Isaias dixisse cẽsendus est, speciosos esse pedes annuntiantis pacem. Quisquis porrò uerus amicus est Christi, illi cũprimis cordi esse debet, quòd Christus in ultimo discessu locutus est. Hoc enim certũ est, Christũ in omnibus suis prædicationibus nunquàm ita aperuisse animum suum, ut in hac postrema prædicatione. Humaniter quidem ubiq; locutus est, sed nunquam humanius, quàm in suo abitu, quod ad amicos eius attinebat. Nam alioqui, quẽadmodum etiam aliis in locis satis seuerè, ita in hoc Euangelio non admodũ leuiter & blande sonat, quod in Euangelio dicit, Spiritum sanctum argututum mundum, nec de una aliqua re, sed de tribus, imo nec de hoc solùm, quod omniũ calculis dãnatur, sed etiã de eo, quod mundus iudicat bonũ. Et his ego uerbis, quãq̃ non ita iucunda sunt, hac uice immorabor: digna sunt, quæ diligẽter præuestigentur, nec quidem ignauum inuestigatorẽ uolunt. Etenim aliquanto obscurius dicta sunt, nec uno modo exponuntur. Multi docti uiri iam inde ab initio in iis elaborarunt, quisq; pro sua uirili, & tametsi non per omnia concinunt, nec eandem interpretationẽ dant, in hoc tamen rectę insistunt uię, ꝙ non dissentiunt à scriptura. Quia ergo Christus ad suos discipulos dicit: Qui non est aduersum uos, pro uobis est: nulla temerè interpretatio reiicienda est, quæ cum scriptura non pugnat, tametsi quandoque fit, ut alia textui magis respon

Sermo postremus Christi quanti faciendus.

Psal. 44.

Isa. 52.

Luc. 9.

respondeat, quàm alia. Cæterùm tempus non patitur, ut omnium de his Christi uerbis opiniones & interpretamenta recēseam, uerũtamen (ut dixi) suam cuiq; sententiā saluā relinquā. Bono cuiq; Christiano nullũ esse dubiũ debet, quũ uerba hæc magni momēti sint, posteaquàm Christus illa tā perspicuè extulit, nec tamē idcirco quisquam temerario ausu irruere debet, & pro suo ingenio uelle ea interpretari,
Ioan.16. posteaquàm Christus ad suos etiā Apostolos dicit, nō posse ipsos modo intelligere & portare. Haud temere hoc dico: nam si Apostoli id tēporis ea capere nō potuerunt, indicium certè datur sacras literas nō ita intellectu esse faciles, ut quidā autumant, & sibi ipsi persuadent. Quapropter timidè in iis uersandũ est. Nemo unquā hallucinatus est in scriptura, nisi qui uidetur sibi omnia intelligere. Quid ita? Deus superbis resistit, abscondit mysteria sua à sapientibus & prudentibus huius mundi. Nemo genuinũ scripturæ intellectũ citius attingit, quàm qui in metu & humilitate eam tractare decreuerunt: humilibus enim dat gratiam, & paruulis reuelat sua mysteria, & spiritum suũ requiescere facit super humiles, & qui ad uerba istius cōtremiscunt. Ipse solus habet claues, & cuicũq; ille aperuerit, huic nemo scripturā occludet: cæterùm cui scripturam occludit, ei nemo aperiet. Hinc factum est, ut iam olim, & iam inde ab initio sæpenumero magni & eruditi uiri uidere non potuerint, quæ quandoq; miseri homũculi & idiotæ uiderũt. Quare admonitos nos uelim, ne temerè cùm scriptura agamus, ne nimiũ nostro iudicio credamus, memores illius Dauidici: Dirige me Domine in ueritate tua, & doce me, &c. Et rursum: Da mi Domine intellectũ: & scrutabor legem tuam, & custodiā illam in toto corde meo. Quo igitur propius ad uerũ intellectũ horũ uerborũ Christi peruenire possimus, obseruare oportet, Christum hìc tria recensere. Nimirũ peccatum, iustitiā, & iudiciũ: hæc spiritus sanctus hìc manifestare, in lucem proferre, indicaréq; debet, & mundum de illis arguere. Verbo peccati, nos designat: Verbo iustitiæ, Christum: Verbo iudicij, Principem huius mundi. Nam ubi peccata magis deprehenduntur, quàm in nobis hominibus? Vbi iustitia inuenitur melius, quàm in Christo? ad quem porrò iudicium iustius pertinet, quàm ad diabolum principem huius mundi? Verùm hìc opus est labore, hìc spiritui sancto negotium datur, ut credat mũdus, nos omnes peccatores esse, solùm Christum iustum

Scripturas haud facile intelligi.

Iacob.4. *Mat.11.*

Isa.66. *Apoc.3.*

Non temere tractāda scriptura.

Peccata. *Iustitia.* *Iudicium.*

iustum esse, diabolum iudicatum esse & condemnatum, maior pars hominum nondum etiam credit, quantumcunque ea de re scribatur prædiceturq;. Quæ causa? Quia opus est, quòd solus spiritus cœlestis efficere potest: nisi ipse illud persuadeat & cordibus inscribat, nunquàm rectè creditur. At uerò non parum refert, ut hæc tria, peccatum, iustitiam, & iudicium, hoc est, nos ipsos, Christum, & diabolum probè cognoscamus. Verùm non hæc in mundo discuntur, sed in schola Christi, imo mundus cum omni sua cyclopædia, horum ne unum quidem docere potest. Vide, propterea nobis Christus misit Spiritum sanctum, is dicit & suggerit tibi, docétque per externum uerbum Dei, Homo, fac cogites te nihil aliud esse & habere, præter peccatum: crede Christum nobis sua iustitia aperuisse cœlum: ne dubita, uenturum iudicium in improbos, quia iam in illorum principe cœptum est. Dicat nunc aliquis, Ego uerò quidem te hoc dicere audio, sed ubi demonstratio? Age, demonstrationem audi. Primò, nos omnes esse peccatores, imo nihil aliud quàm peccatum, aut ut Paulus ait, uenundatos sub peccato, ex eo indubiè conuincitur, quòd tam profundè in incredulitate immersi hæremus, natura nihil de Deo scientes, nihil Deum curantes, sanctum illius uerbum, & quicquid diuinum est, tam flocci pendentes. Et hoc est, quòd Christus dicit: Spiritus sanctus arguet mundum, quia non crediderunt in me: etenim ubi incredulitas est & contemptus uerbi diuini, ibi haud dubiè nulla non scelerum & flagitiorum sequuntur genera. Hæc radix melius quippiam non fert. Ex hac incredulitatis radice primum peccatum ortum est. Simulatque enim Adam & Eua Deum & uerbum ipsius ex oculis suis submouebant, & in dubium uocabant, aderat tẽtator, qui eos in peccatum illiciebat. Ex hac radice in hodiernum usque diem pullulat omnis uitæ impietas. Non credunt in me (inquit Christus) Populo huic factum est cor incredulum, ait Hieremias. Domine quis credidit auditui, hoc est, prædicationi nostræ? dicit Isaias. Summa, non curant uerbum meum. Est in hodiernum usque diem peccatum mundi, imo ut Christus alio in loco dicit, condemnatio mundi, quòd lux uenit in mundum, & in mundo lucet, & tamen homines plus diligunt tenebras, quàm lucẽ. Nulla res tã æstimatur uili, q̃ uerbum Dei: nulla iactura minus deploratur, quàm neglectus diuini uerbi & prædicationis:

Rom. 7. *Gen. 3.* *Hier. 5.* *Isa. 53.* *Iohan. 3.*

Verbum Dei quam uilipendatur hodie.

nullum

nullum studium adeò penitus iacet in omnibus Academiis, ut Theologicū: nullū munus est in ecclesia, quod minus curatur, quod minus expetitur, imo quod omnes magis uitāt & refugiūt, cui minor impenditur cura, & cui malignius detur stipendium, quàm pastorali seu prædicandi muneri: aliis íisq; uilibus officiis in Ecclesia meliori salario prouisum est, quin etiam subulci sæpenumero de sua mercede certiores sunt, quàm pastores & qui animarum curam gerunt: nulla res est, cuius habeatur minor ratio in testamentis diuitum, aliísq; fundationibus, quàm ut pastorum conditio tolerabilior fiat, & idonei pastores populo præficiantur. Et quid hoc aliud est, quàm indiciū incredulitatis in nobis, & quòd uerbum Dei prorsus neglectui habeamus? Quia igitur hæc radix altissimè nobis infixa est, mirum non est, si omnia peccati & impietatis genera concurrant. Quid ergo etiam spiritus sanctus aliud faceret, quàm ut mūdum peccati arguat, & maximè peccati, q̄ non credit in Christum? Hoc incredulitatis peccatū ponit Christus peculiariter, & est quoq; aliquid noui & peculiare: alioqui enim mirū non esset, spiritū sanctum arguere peccata. Nemo non scit, iniquè agere, animaduersione dignū esse. Lex naturæ hoc dictat (ut ait Paulus) q̄ in impiis hominibus etiam cogitationes inter se inuicem accusant. Sensit hoc Adam post primum peccatū in Paradiso, id quod inde coniici potest, q̄ uolens se à Deo absconderat. Quum itaq; nemo ignoret uel ex ipsa natura, malè agentem reprehensionem mereri, nihil esset noui, quòd Christus dicit, Spiritum sanctum arguturum mundum peccati. Intereà uerò obseruandum quoque, Christum non de externis & crassis peccatis loqui: quid enim opus fuisset, Spiritum sanctum de cœlo uenire, ad conuincenda illa peccata, quæ etiam mundus pro peccatis agnoscit & pœnis ulciscitur? Quāquam (proh dolor) in his exulceratis & ultimis temporibus ad eum res rediit locum, ut & illa externa, impia & nefaria uita & mores plerisque in locis pro peccatis minime ducantur, tantùm abest, ut puniantur. Verùm quomodo hoc cum isto Euangelio cōcordet, quiuis secum existimare potest. Nam si uera conditio spiritus sancti est, ut peccata arguat, profectò nō sanctus sit ille oportet, qui nūc nobis peccata tam leuia facit, & nobis habenam remittit ad omnem leuitatem. Videat quisque, cui spiritui fidem habeat: Ego de spiritu sancto loquor, hic arguit nō solùm externa

Pastorū quàm uile stipendiū.

Rom. 2.

Ioh. 3.

Temporum horum malitia.

Contra pseudodoctores qui uitiis laxant habenas.

terna & crassa peccata. uerũ etiam peccata cordis, & maxime incredulitatẽ. Quapropter, licet nõ sis adulter, ebriosus, homicida, nihilominus tamen cõuincit te Spiritus sanctus peccati, si nõ credis in Christum. Summa, priusquã Spiritus sanctus effusus est, nemo poterat recte peccatũ agnoscere: nã Ethnici multa pro peccatis nõ ducebant, quæ tamẽ peccata erant. Iudæi cogitationes & prauas animi cupiditates ꝓ peccatis prorsus nõ habebant, sed externũ solũ opus, quemadmodum illis Christus in Matthæo abunde indicat. Atq; ita neq; Iudæi neq; Ethnici peccatũ cognoscere rectè potuerunt, imò neq; ratio neq; lex Moysi ad plenũ ostendere quiuerũt, quid esset peccatũ. Idcirco opus erat nobis Spiritu sancto, atq; hic nobis indicauit, nõ modò peccatũ esse, si quid extrinsecus designatur mali, aut in corde cogitatur, sed esse etiã, & quidẽ maximum peccatũ nõ credere in Christum, & Deo in Christo non fidere. Et hoc unum opus est, quod Spiritus sanctus in mundo facit. Quid autem docet amplius? nihilne aliud negotij habet in mundo, quàm ut peccata arguat? Imò profectò: quorsum enim alioqui attineret, si nos peccati tantùm argueret, & nõ simul doceret nos, ubi iustitiã inuenire possimus? Vide, propterea secundũ hoc est, quod Spiritus sanctus nos docet, nimirũ, Christum esse nostrã iustitiã. Quàm enim certò peccatũ in nobis inuenimus, quod ad infernum nos ducit, tã certò inuenimus in Christo ueram iustitiã, quæ nobis cœlum recludit. Vnde hoc scitur? Vado ad patrem, inquit Christ⁹: nemo mortalium per suam solius iustitiam ad cœlum peruenire potuit, extra unũ Christum. Et hoc dicit ipse ad Nicodemũ: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Itidem quoq; dicit Paulus, Qui descendit, ipse est & qui ascendit. Hoc utique satis apertè declarat, ipsius iustitiam & meritum solum coram Deo subsistere posse. Istud itaq; Spiritus sanctus mundum docuit, eíque denuntiauit, docet & denuntiat idem nobis etiamdum. Homo, inquit, quando in te ipso nihil aliud inuenis, preter peccatum & cõdemnationem, ad Christum te cõuerte, illic inuenis iustitiam, qua ad cœlum penetrare potes. An non autem uidetur tibi talis doctrina magnum momentum habere? Vt miseriam nostram agnoscamus, parum refert, ni Christum quoque interim uideamus, & meritum illius seu iustitiam. Gratias ergo Deo age, qui talem nobis spiritum largitus est & dat, & caue, su-

Ethnici. *Iudæi.* *Mat. 23.* *Iohan. 3.* *Ephe. 2.*

per aliud quiddam ædifices, quàm ſuper meritum & iuſtitiã Chriſti, alioqui futurũ eſt, ut Spiritus ſanctus de iuſtitia quoque arguat te & condemnet. Non ut propterea otio te de-

Luc.17. das, ſed ut Deo gloriam deferas, & etiamſi omnia feceris, quæ tibi præcepta ſunt, ſeruum tamẽ inutilem te iudices, &

Pſal.142. cum Dauide dicas, Domine ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Atque hoc alterum eſt, quod nos Spiritus ſanctus edocet.

Sed quomodo hoc accipit mundus? Itidem ut primum: ut non concedit, nos omnes peccatores eſſe: ita nihilo magis credit, Chriſtum eſſe noſtram iuſtitiam, atque huius rei ſunt indicia plurima. Iudæi ſuam iuſtitiã quærebant in lege Moyſi, Ethnici in uirtutibus ſuis moralibus: inuenias adhuc qui aliam uiam faciunt ad cœlum, porrò inueniuntur & inter illos qui Chriſtum prędicant, qui mala fide ſuam functionem

Contra fidei ſolius buccinatores. obeunt, docent nõ niſi dimidiatum Chriſtum, iactitant quidem meritum Chriſti, ſed ſubticent illius exemplum, cum tamen utraque hæc Chriſtus coniuncta uelit. In his omnibus arguit Spiritus ſanctus mundum de iuſtitia. Tertiò docet & denuntiat Spiritus ſanctus futurum iudicium. Rogas, quibus id argumentis deprehẽdi poſſit? Reſpõdeo, ex eo quod Chriſtus dicit, Principem huius mundi iam iudicatũ & condemnatum eſſe. Quòd ſi Deus tali creaturæ nõ pepercit, nõ parcet profectò iis, quibus ſuæ gratiæ beneficiũ obtulit. Si princeps huius mundi iudicatus eſt, iudicati ſimul cum illo ſunt omnes qui ei adhærent. Quemadmodum autem mundus nõ credit, uſqueadeò nihil boni in nobis eſſe, & Chriſtũ ſolum noſtram eſſe iuſtitiã debere: ita quoq; nõ credit, diabolum cum ſuo grege iam iudicatum & cõdemnatum ad gehennam eſſe, & generale ſecuturũ iudicium, alioqui metueret, ne cum ſuo principe præcipitaretur. Vide, hæc ſunt illa tria, quæ Spiritus ſanctus ſemper inter fideles docet, nimirum ut nobis ipſis nihil niſi peccatum, Chriſto Ieſu domino noſtro omne bonum, diabolo autem cum eius omnibus aſſeclis certiſsimam damnationem & iudicium aſſcribamus. Quia uerò mundus horum nihil credit, ſed peccata eleuat, iuſtitiam ſuam & ſapientiam magni facit, ridet quicquid de uenturo iudicio dicitur, argui eum aſsiduè oportet à Spiritu ſancto, quòd peccatũ ſuum nõ agnoſcit, & tamen incredulitatis ſibi cõſcius eſt, quòd merita & iuſtitiam Chriſti nõ curat, & ſcit tamen, Chriſtum ad cœlum aſcendiſſe, & quòd

iudicium

iudicium Dei nõ timet, cum tamen audiat, principem huius mundi iam iudicatum esse. Hoc ex Euangelio isto discamus. Talia sunt, ut quæ magnum momentũ habeant. Etenim qui sua peccata nõ agnoscit, nunquã gratiam quæret. Qui Christum nõ apprehendit iustitia ipsius & meritis, nunquam ad cœlum perueniet. Vt autem quis hæc duo maximè habeat, & agnoscat, & tamen nihilominus diabolo adhæret, cúmq; sequitur, periculum is quoq; subeat necesse est, ne unà cum illo præcipitetur. Quare humiles simus, Christo adhærescamus, ita uiuamus uersemúrq;, ne iudiciũ Dei metuere necesse habeamus. Deus nobis omnibus suam donet gratiam. *Vides non sufficere ut credas.*

SEXTVS SERMO DOCET
quibus rebus spiritus sanctus ab alijs spiritibus dignosci queat.



CIRCA hodiernum istud Euangelium optimus quisq; Christianus multa quidẽ haberet consideranda, imò circa unumquodlibet uerbum, quoddam peculiare, eáq; tamen omnia utilia & necessaria. Quippe Euangeliũ istud latè patet in intellectu, & qui illud probè & exactè explicare uellet, multo opus esset habiturus tempore: Veruntamen, mea quidem sententia, hoc in eo cum primis obseruandum est, quod Christus tam exertè indicat, quis spiritus, quem suis fidelibus daturus erat, imò ipsius Spiritus, Spiritus sanctus, in se habiturus esset cõditiones, & quibus notis certissimè ab alijs spiritibus dignosci & discerni posset. Hoc Christus in primis effecit in hoc Euangelio, & quidem nõ sine singulari causa. Principio enim summum periculum est, cùm quis opinatur, se habere & audire spiritum sanctum, cùm tamen non Spiritus sanctus sit, sed spiritus mendacij. Huius rei nobis meritò Achab & Zedechias exemplo esse debebant, qui uterq; à falsis spiritibus decepti sunt, cùm tamen arbitrarentur se habere & audire Spiritũ sanctũ. Habebat Achab quadringentos prophetas, qui illi omnes cõsulebant, ut contra Syrios arma sumeret, persuadebant ei, uoluntaté hanc esse & iussa Dei, & certã ei deniq; uictoriã pollicebantur, sed omnes erant falsi prophetæ, spiritus mendacij ex illis loquebatur, hic uana spe lactans Achab, in uitæ discrimẽ adduxit. Vnus Micheas diuino afflatus erat numine, hic regẽ dehor- *Quanti discrimínis non internoscere spíritus.* *3.Reg.22.*

tabatur à suscip iédo hac uice bello, Marté iniquũ & pœnam illi denuntians. Sed nemo illũ audiebat, spiritus médacij plu res habebat fautores, priores ferebat, cęterũ euentus rei do cebat illũ spiritum médacij fuisse. Similiter & Zedechiæ usu uenit: nullũ optimi Hieremiæ consiliũ quãlibet fidele apud

Ierem. 38. illũ locum habebat. Rex (inquit) audi quæso uocé domini, quam ego loquor ad te, & bene tibi erit, & uiuet anima tua, seduxerunt te, & præualuerunt aduersum te uiri pacifici tui, demerserũt in cœno & in lubrico pedes tuos, & recesserunt à te. Sententia lata est in ciuitaté Hierosolymã, & ne tu iam aliud cogita. Si profectus exieris ad principes regis Babylo nis, uiuet anima tua, & ciuitas hæc nõ succendetur igni: & sal uus eris tu, & domus tua. Si auté nõ exieris ad principes re- gis Babylonis, tradetur ciuitas hęc in manus Chaldæorum, & succendent eã igni: & tu nõ effugies de manu eorũ. Hoc Hieremias cõsulebat isti regi, sed à nemine audiebatur. Se- dechias habebat alios prophetas, qui ei persuadebãt regem Babylonis nõ uenturũ, non passurum Deũ, ut ciuitas sua & téplum aboleretur, &c. His fidé habebat, & hi illũ in exitium induxerunt. Tantũ est periculum, si quis opinetur se audire Deũ spiritumq; eius, cùm tamen spiritus sit nõnunquam lõ gé diuersissimus. Atq; istud periculũ multò maius est in spiri tualibus rebus. Nouerat auté Christus, multos spiritus im postores exorituros, Spirit⁹ sancti titulũ ementitos, quem- admodũ sancta Ecclesia & Christianitas iam inde ab initio sæpe experta est, & magno suo malo experitur ac sétit etiã- dum, quare omnino necessariũ fuit, ut nobis Christus indica ret, quibus indicijs spiritus ipsius nosci posset, alioqui uix fie ri posset, ut nõ per falsos & mendaces spiritus deciperemur, adeò potéter, gregatim & multipliciter usq; sese ingesserũt, tã in ueteri, quàm in nouo testamento, ut nemo satis potue- rit prohibere & monendo obsistere. Et hoc præcipuè circa istud Euangeliũ dictum esto. Proinde si nolis tibi imponi, si scire cupias, quando te Spiritus sanctus, aut alius quispiã spi ritus agat, aduerte, quid Christ⁹ hoc loco de Spiritu sancto dicat.

Fallaces spiritus ut se pro uero spiritu uenditent etiã hodie.

Et primò aliquid esse puta, quòd Christus non nisi de uno spiritu loquitur, qué suis fidelibus daturus erat: non dicit, in hac regione, & hoc tempore hunc spiritum dabo, in alia auté regione & alio tépore aliũ spiritum dabo. Non: de uno tantùm spiritu loquitur, nec possunt in sancta uniuersa-

Vnus idémq; spiritus Ecclesiam moderatur toto orbe.

Ephe. 4. li Christiana Ecclesia plures esse spiritus uno, quéadmodum

non

nō plures, quàm una fides, unū baptiſma, un⁹ Chriſtus, unū Euangeliū eſt & eſſe poteſt. Et ubi quis ſuum ſpiritum, ſuum caput & iudicium ſequitur, ibi profectò nō eſt ſpiritus Chriſti. is enim unus eſt ſpiritus in omnibus uerè credentibus, facit, ut idē credant, loquantur & agant, atq; adeò in rebus ſpiritualibus ac diuinis per omnia idē ſentiant, etiamſi nōnunquam eos lōgum locorum interuallum corpore diſiungat, alio in Oriente, alio in Occidente degēte, & quandoq; ali⁹ alium temporis ratione multo pòſt ſequatur. Nam qui ſpiritum Chriſti habet, is credit, ſperat, loquitur & facit itidem, ut alij Chriſtiani, qui in longinquis regionibus ſunt, imò qui ab exordio fuerunt. Quapropter ſi noſſe cupis, num ſpiritus qui te agit, & tibi hoc uel illud ſuggerit, uerus ſit, uide ſi ſpiritui reſpōdeat, qui in aliis omnibus uerè fidelibus iam inde ab initio fuit & operatus eſt. Si te ad id impellit, quod alij ueri Chriſtiani crediderunt, & adhuc credunt: ſi te docet quod alios uerè credentes docuit, probus eſt. Sin hoc nō facit, ſed aliam tibi uiā monſtrat, quàm omnes filij Dei iuerunt, ſanè nō eſt uerus ſpiritus Dei, is enim nō aliter operatur nec facit & docet aliter, quàm quēadmodū ſemper operatus eſt, docuit ac fecit. Atq; hoc nonnullis noſtræ tempeſtatis hominibus erroneis meritò cōſiderandū eſt, qui quandoq; putāt ſe diuino agi ſpiritu, & nō uident hunc ipſorum ſpiritum aliter docere, quàm ſpiritus docet, quem omnes fideles ab initio habuerunt uſq; adhuc. Itaq;, ut dixi, obſerua ex hoc Euāgelio primum, & ante omnia, non eſſe plures ſpiritus uno, nec eſſe plures poſſe in Eccleſia, & hunc ſpiritum Chriſtus ſuis fidelibus & Eccleſiæ iam inde ab initio dedit, nō in uno loco, ſed in uniuerſo orbe terrarum. Vt autem illū ipſum ſpiritum probè diſcas noſcere, attende, quid Chriſtus de illo dicat. Spiritus (inquit) quē ego dabo & mittam uobis, arguet mundū, uobis autē conſolator erit, docebit uos omnē ueritatē, & me clarificabit. Vide, hæc ſunt potiſsima ſigna, quibus ſpiritus Chriſti cognoſcitur: arguit, cōſolatur, docet, clarificat Chriſtum. Quid ergo coarguit? Peccatū, ſed nō uti mundus, aut etiam lex Moyſi facit, ſed condēnat quoque & reprehendit illud, quod mundus nō pro peccato ducit, imò quod mundus bonum & ſummam ſapiētiam iudicat, omnē illius probitatem & iuſtitiam infringit, & omnem illius ſapiētiam in ſtultitiam uertit. Rogas, quìnam? Videmus, quòd mundus incredulitatem, diffidentiam erga Deum, impium

Non ſic hæretici.

Vnde uerum agnoſcas ſpiritum.

Contra nouos dogmatiſtas.

cor hominis, quod seipsum tantùm quærit, suo ipsius præsidio nititur, Deum nihil curat, &c. pro nullo peccato habeat, quod arguere debebat: cæterùm Spiritus sanctus hoc pro atrocissimo peccato reputat: non solùm in homine arguit externos fructus peccati, uerum etiam cor & radicem, unde illi mali fructus fruticantur. Indicat & docet, neminem esse sine peccato posse, nisi qui in Christũ credit, imò hominem nihil esse, præterquam peccatum, quandiu nõ credit in Christum, & illius nititur præsidio. Deinde porrò coarguit Spiritus sanctus nostram quoq; iustitiam. Indicat eã corã Deo subsistere non posse, quantumcunque enitamur, sed ueram iustitiã nobis inde obtingere, quòd Christus pro nobis mortuus est, & ad cœlum ascendit, ut ibi compareret in conspe-

Heb. 9. ctu Dei pro nobis. Tertiò, arguit quoque iste Spiritus nostrum iudiciũ: non patitur, ut nostra ratione nitamur in rebus diuinis, imo uult ut intellectu nostro omninò posito & ueluti uincto, id solum sequamur, quod ille nos docet & inspirat. Summa, tribus in rebus mundus ipse sese fallit. Primò, q peccatum suum nimium eleuat. Secundò, q probitatem suam plus æquo extollit. Et tertiò, quòd propriæ suæ sapientiæ immodicè fidit. Verùm hoc spiritus sanctus non patitur, cõuincit nos peccatores esse, tametsi nihil extrinsecus sit, quod mũdus in nobis culpare possit. Et etiãsi omnibus moralibus uirtutibus essemus conspicui, & in omnes quod rectum & æquũ est faceremus, non tamen spiritus sanctus pro uera iustitia agnoscit, nisi meritum Christi nobis imputetur cõmunicetúrq;. Et ut maximè in cæteris rebus omnibus simus oculati, & sanè de rebus iudicare queamus, non tamen Spiritus sanctus nos pro sapientibus habet, nisi rerum diuinarum gnari simus. Hinc intelligere quiuis facilè potest, ubi uerus aut non uerus spiritus sit: qui seipsum non arguit, condemnat, & pro mero peccato ducit, qui sibi ipsi bene placet in bono quod facit, qui proprio suo iudicio innititur & pertinaciter inhæret, nõ obstante, quòd scriptura aliter habet, is profectò Spiritu Christi non est afflatus, imò quia Christus dicit, Spiritum sanctũ arguere mundũ, certò inde consequitur, quòd quisquis mundo adulatur, &

Iacob. 4. amicitiam eius ambit, non ex Spiritu sancto loquatur, &

1. Iohan. 2. agat. Amicitia enim huius seculi inimica est Deo. Si quis di-

Cõtra eos qui ligit mundum (inquit Iohannes) nõ est charitas Dei in eo.

uitia fouent. Secundò quia Christus dicit, Spiritum sanctũ arguere peccatum,

catum, certũ est, homines eos non ex Spiritu sancto loqui, qui malum & peccatum promouent, defendunt, excusant, prætexunt, ut olim falsi prophetæ faciebant, qui assentatione sua sub omni cubito puluillos consuebant, ut in iis peccatores molliter, & absque omni conscientiæ morsu cubare & inquiescere possent. Tertiò, si coarguit Spiritus sanctus mundum de iustitia (intellige) qui eam negligunt, consequitur indè, quòd ij, qui aliis segnitiei, negligentiæ, & pigritię authores sunt ad bonum, aut ab eo totos abstrahunt, & ad malitiam pelliciunt, Spiritu sancto nequaquam prædi tos esse. Siquidem Spiritus sanctus aliter docet per Sapientem, Noli prohibere benefacere eum qui potest: si uales, & ipse benefac, inquit Salomon. Tum Paulus uult, ut nos inuicem extimulemus quotidie, & prouocemus ad boni studium, hymnis & canticis spiritualibus. Quartò, si Spiritus sanctus etiã arguit mundum de iudicio (intellige) quòd nõ timet, certè non ex Spiritu sancto sermonem promunt ij, q̃ iudicium Dei ita leue faciũt, cum homo pius nunquam nõ iudiciũ Dei extimescat, uti Dauid rogabat, ne Deus intraret cum ipso in iudicium suum. Et alio in loco dicebat, Domine ne in furore tuo arguas me. Quintò, si Spiritus sanctus consolator est, ut eum uocat Christus, longè absit ab iis Spiritus sanctus oportet, qui hominem ad desperationẽ adigunt, ueluti Dauid sæpe in suis Psalmis de talibus hominibus queritur, quòd dicerent ad eum, ubi est Deus tuus? Et nõ est ipsi salus in Deo eius. Sextò, si est Spiritus sanctus ut illum nominat Christus, Spiritus ueritatis, & non mendacij seu uanitatis, eundem illum spiritum nõ habere eos necesse est, qui nobis meras nugas & incerta ꝓponunt, quẽadmodum illi in Iob dicebãt, Quis est Omnipotens, ut seruiamus ei? & quid nobis prodest si orauerimus illum? &c. Et in libro Sapiẽtiæ, Venite, & fruamur bonis quæ sunt, &c. Septimò, si docet nos Spiritus sanctus omnem ueritatem, & puram ueritatem, non habẽt profectò hæretici hunc Spiritum, posteaquam erroribus & mendaciis omnia miscent, quibus & sibi & aliis perniciem consciscunt. Octauò, si Spiritus sanctus non loquitur ex se ipso, haudquaquam ex Spiritu sancto sunt, qui se ultrò ingerunt, currunt, priusquam mittuntur à Deo, loquũtur iniussu Dei, ueluti in Hieremia id indicatum est. Nonò, si loquitur Spiritus sanctus omnia, quæcunque audit, certè non ex Spiritu sancto ij loquantur

Ezech. 13.

Id faciunt fidei solius buccinatores operum contemptores.

Prouerb. 3.

Colos. 3.

Psal. 142.

Psal. 6.

Psal. 41. 3.

Iob 21.

Sap. 2.

Hier. 23.

oportet, qui homines aliquid celant, quod ad felicitatem facit, quemadmodum nonnulli faciunt, qui diuitibus & potentibus nunquam apertè contradicunt, timent, ne offendant illos, & inuidiam sibi conflent, itaque nihil loquuntur, nisi quod gratū esse sciūt. De talibus loquitur & præmonet nos
Isa. 3. Isaias, Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Decimò, si est & illa conditionum una Spiritus sancti, ut denuntiet ea, quæ uentura sunt, rursum inde consequitur, nullum ibi adesse Spiritū sanctum, ubi sine omni cura, solicitudine, metu & præmeditatione rerū futurarū uiuitur, ut erāt illi, qui in Isaia dicebant, Edamus & bibamus, cras enim mo
Isa. 22. riemur. Vndecimò, si cōditionū Spiritus sancti una quoque est, atq; adeò præcipua, ut Christū clarificet, non potest Spiritus sanctus in iis profectò esse, qui gloriā quæ Christi est, aut idolis (ut Gentes) aut propriis suis meritis transcribunt, ut hypocritæ faciūt. Huc pertinet, quod Paulus dicit, Nemo
1. Cor. 12. in Spiritu Dei loquēs, dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Ex his omnibus nemo non perspicit, quàm pulchrè nos Euangeliū istud doceat, Spiritum sanctū differēter dignoscere ab unoquolibet alio spiritu. Hæc si crederemus, haud ita temerè cuiuis
1. Ioh. 4. spiritui fidem essemus habituri, contra Iohannis iussum, sed probaturi prius essemus, spiritus ex Deo sint nécne. Dictu quidem facile est, Spiritum sanctum habeo, sed specimen illius editurus longe falleris quandoq;. Paulus hoc dono ue-
1. Cor. 7. rè gloriari poterat, Puto (inquit) quòd ego spiritum Dei ha-
2. Cor. 13. beam, idq; re ipsa declaraturum se promittebat, An experimentum quæritis eius qui in me loquitur? Sed hoc nō quiuis probare potest, ut Paulus. Quare diligenter cauere oportet, ne fallamur. Ac meritò considerandum est, quod diuus
Iacob. 1. Iacobus in hodierna Epistola docet & monet, Omne datū optimum (inquit) & omne donum perfectū, de sursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio, &c. Hæc Epistola liquidò ostendit, nos uerum spiritum, & omnium bonorum affluentiam non aliundè habere, quàm cœlitus, nec quærere uspiam alibi debemus, quàm apud Deum. Indicat nobis, eiusmodi dona nō ex meritis nostris, sed gratuitò planè nobis dari: medium nominat, per quod recipimus, uerbū ueritatis: hortatur nos, ut ueloces simus, nō ad loquēdū, sed ad audiendū: docet nos quomodo omnia Dei bona recipere

debeamus, nimirum in mansuetudine, patientia, & puritate uitæ: promittit nobis per eiusmodi spiritum & bona Dei, uitam & æternam salutem. Sanè pulchrior Epistola iam dicto Euágelio assignari nõ potuisset. Si in uero & sancto Spiritu tantum momenti nobis situm est, tanto magis attendendũ est, ubi quærere illũ, quo pacto recipere, atq; etiã conseruare nos oporteat, ne pro uero spiritu, erroneũ, mendacémq; spiritũ accipiamus, uel etiam Spiritum sanctũ in nobisipsis per peccatum impediamus. Deus Optimus Maximus faxit, ut id cũ diligẽtia consideremus, & factis cõpleamus, Amen.

SEPTIMVS SERMO DE VTIlitate ex missione sancti Spiritus nobis orta.



HODIERNVM Euangeliũ pio homini duplici uia ad bonam, Christianam & utilẽ cõsiderationem inseruire potest. Iterum nobis indicat, & non paulò clarius, quàm superiora Euágelia necessitatẽ mortis Christi, ut ex qua nihil nõ boni nobis prouenerit, præterea excitat quoq; animos nostros ad instãs festũ Ascẽsionis Christi, ut quæ in nobis etiã aliquãdo implebitur. Hæc autẽ duo sunt, quæ quilibet Christianus semp in recẽti memoria habere debet, ne unquã obliuiscatur, unde sibi omnia bona uenerint, & quò tãdẽ uocatus sit. Atqui ex hoc Euágelio duorũ istorũ se ipse admonere potest. Etenim primò, unde omnia bona adepti sumus? Quis nos spiritualiter denuò genuit? Quis nos facit filios Dei? Quis mundat nos à peccatis? Quis fidẽ nobis dat? Quis nos Christianæ Ecclesiæ iungit, & facit nos illius mẽbra? Quis nos capaces & participes reddit meritorũ Christi? Quis nos docet in nostra ignorãtia? Quis iuuat nos in nostra infirmitate? Quis cõsolatur nos in afflictionibus? Spiritus sanctus. Et unde habemus illũ Spiritũ sanctum? Ex morte Christi. Expedit nobis (inquit) ut ego uadã, si enim nõ abiero, Paraclẽtus nõ ueniet ad uos: si autẽ abiero, mittã eum ad uos. Videntur quidẽ hæc uerba dicta de Ascensione Christi, quãdo quidẽ Christus in sua Ascensione Spiritum sanctũ quoq; promittebat, sicuti in isto Euágelio, Præcepit eis (inquit Lucas) ab Hierosolymis ne discederẽt, sed expectarent promissionem Patris: quia Iohannes (inquit) baptizauit aqua, uos autẽ baptizabimini Spiritu sancto nõ post multos hos dies. Quia ergo Christus in sua Ascensione Spi

Ioh. 16.

Act. 1.

ne Spiritum sanctũ promisit, & effusio illius sancti Spiritus mox post ascẽsionẽ facta est, cogitare quis posset, Christũ etiã in hoc Euãgelio de sua ascẽsione fuisse locutũ. Verũ si quis circunstantias uerborum istorũ hoc loco rectè cõsideret, comperit Christũ in hoc Euangelio nõ de suá ascensione, sed de sua passione & morte dixisse, id quod ex eo colligi potest, quod prius dixit, se in hoc suo discessu rogaturum patrẽ, ut tum illis alium consolatorẽ mitteret, &c. Hoc autẽ nõ potest intelligi de ipsius ascensione, quòd id temporis pro nobis rogauerit. Nõ, in ascẽsione Christi pater iã exoratus erat, & Spiritus sanctus impetratus. In cuius rei argu-
Ioh.20. mentũ statim post resurrectionem suã dicebat, Accipite Spiritum sanctum. Si itaq; Spiritum sanctũ etiã ante ascẽsionẽ suã dedit, sequitur quòd Spiritus sanctus impetratus iam fuerit, & non nunc primũ in ascensione impetrare illũ necesse
Heb.5. habuerit. Nequaquã, in diebus carnis suę, hoc est, in passione sua cum clamore ualido & lacrymis Deũ deprecatus est. Vt igitur in cœlo iã primũ orare nõ habuit necesse, ut à miseria sua liberetur, quia id iam factũ erat in cruce: ita nec in cœlo nũc primũ impetrãdus erat Spiritus sanctus, qa iã factũ erat. In cruce petiit Spiritũ sanctũ tãquã homo, è cœlo dedit Spiritũ sanctũ tãquã uerus Deus. In primo suo discẽs-
Ioh.14. su ad crucẽ & passionẽ dicebat, Ego rogabo patrẽ, & alium paraclẽtũ dabit uobis: in altero discessu uersus cœlũ dice-
Luc.24. bat, Ego mittã promissum patris mei in uos. Quapropter uerbum etiã istud, Expedit uobis ut ego uadã, &c. de primo Christi discessu intelligendum est: alioqui enim certum est, nec ascensionem Christi nobis potuisse prodesse, ni prius
Ioh. 12. mortuus fuisset, quemadmodũ ipse dicit, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: quin propterea quòd Christus in mortem concessit, & oppetiit, datus est nobis Spiritus sanctus, ad remissionem peccatorum & ueram consolationem. Id autem nunquam accidisset, si Christus nõ pro nobis omnibus mortuus fuisset, & sacrosancto suo sanguine chirographum nostrę condemnationis deleuisset, sustulissétque: nec per ullum aliud medium quàm per sanguinem Christi reconciliationẽ cum Deo & Spiritu sancto accepimus, q est uera & certa remis-
Gal. 3. sio peccatorum. Summa, in morte Christi baptizati sumus,
Apoc.1. & sanguine suo lauit nos à peccatis nostris. Proinde quod dicit, Si nõ abiero, Paraclẽtus nõ ueniet ad uos, nihil aliud est, quàm

est, quàm si dixisset, Nisi ego in mortem traditus fuero, nõ potest uobis uera consolatio, hoc est, remissio contingere. Atq; hoc unũ est, quod circa Euangelium illud considerandum est, nimirũ, ut ex eo discamus necessitatem & utilitatem passionis Christi. Necessaria nobis fuit, alioqui enim non fuissemus redẽpti: utilis nobis fuit, nam per eam Spiritus sanctus nobis acquisitus est, atq; is est, ut initio dixi, q omnia bona in nobis operatur. is est, qui Christũ, passionẽ ipsius pariter & Euangeliũ utile nobis facit. Et ubi hic Spiritus sanctus non est, ibi neq; Christus seu passio ipsius, neque Euangeliũ nobis cõferunt. Quare uerbum hoc magni æstimare debemus, ubi Christus ait, Ego ueritatẽ uobis dico, expedit uobis, ut ego uadã: est enim perinde ac si dicat, Filioli, nescitis adhuc, quid desit uobis. at ego scio, quãdiu corporaliter uobiscũ sum & ago, solatiũ uestrũ nunquã erit plenum. Quid ita? Vos tantum pendetis à uisibili mea præsentia, quam cùm uidetis, acquiescitis. cùm non uidetis amplius, mox tristitia & metus adest. Adhęc, quàm diu me corporaliter in terris conspicitis, quæritis & speratis à me nihil aliud, quàm temporariũ putatis regnum meũ fore mundanum regnũ, putatis me in terris & in hoc mundo regnaturum, & uobis temporaria bona, honores & potentiam & gaudium procuraturum daturúmq; Sed nimiũ malignè hoc pacto de me sentitis, etenim ueni uobis & omnibus credituris multo plura & maiora dare. Est quippe filioli uoluntas patris mei dare uobis æternum regnum, & ut uideatis claritatẽ, quã dedit mihi ante constitutionem mũdi. Quàm diu hoc nõ habetis aut uidetis, gaudium uestrũ & solatiũ perfectũ esse nõ potest, quinimò tristitia & metus semper adsint oportet. Alio lumine cœlitus uobis opus est, is est Spiritus sanctus: hunc autem habere & accipere non potestis, nisi prius abeam in passionem meam & crucem. Primò nãq;, talium maximorum summorúmq; donorũ Dei capaces, aut iis digni esse nõ potestis, nisi prius cum Deo recõciliati sitis, nam amicis solum & filiis Dei hoc donum ad salutẽ datur. Dehinc nõ decet, ut tam ingentia & diuina dona impertiam, antequã pristinã diuinã maiestatem meam iterum assumã. Postremò quoq; haud conuenit, mẽbra mea tali gratia ornari, nisi ego ipsorũ caput ingrediar in meã gloriã: nõ est enim discipul⁹ supra magistrũ. Quocirca ueritatẽ ego dico uobis, expedit uobis, ut ego uadã: nõ ideo id fit, ut uos omnino

Necessitas & utilitas dominicæ passionis.

Christus præsentia cur Apostolis obfuerit.

Luc. 12.

Ioh. 17.

Matth. 10.

Christus cur discipulis præsentiam suam subduxerit.

omninò relinquam, sed ut plenius & euidentius uos consoler: non propterea discedo à uobis, quòd nolim amplius apud uos esse, sed ut posthac uerè apud uos esse possim, trahit me uestra utilitas: non sat mihi est, ut uideatis corpus meum, quod etiam malis nunc uidere datur, in posterũ ego uobis reuelabo & ostendã, quæ corporeis oculis uideri nõ possunt, & quorũ impius cõsors non est. Quare expedit uobis, ut paruum subtrahã uobis, quo id quod maius est cõsequi possitis: utile uobis est, ut ego patiar, sic enim satisfecero pro uestris peccatis: è re uestra est, ut ego moriar, siquidem mea mors uestrã mortem extinguet, ut est in Osea: ex usu uestro est, ut ego effundam sanguinem meum, per hoc nanque lauabimini à peccatis uestris: expedit uobis, ut ego ad patrem uadam, ut semper in illius conspectu pro uobis compaream: uestra utilitas est, ut passione mea spiritum sanctum uobis impetrem, alioqui enim gloriam meã uisuri nũquam essetis: Vobis cõducit, ut ego cœlum repetã, per hoc enim uobis uiam æternam, aperiam & monstrabo, quæ certò uos ad gloriam Dei ducet. Summa, expedit uobis, ut ego uadam, & gloriam meam iterũ usurpem, quò apud omnes fideles simul esse possim. Quãdiu enim in hoc mortali corpore uobiscum dego, in uno solummodo conspicior loco, cæterùm ubi diuinæ meæ potestati restitutus fuero, omnia implebo, tum cum omnibus fidelibus omnibus in locis & ęternũ esse potero, &c. Atq; hic uidetis, cuiusmodi nobis solatiũ hoc uno uerbo deẽ, imo in hoc uno uerbo uidemus, quid Christus in aliis huius Euãgelij uerbis omnibus quæsierit, nẽpe aliud nihil, quàm utilitatem nostrã. Nobis profuit, & prodest adhuc, quod tantùm de sua morte, & spiritu sancto locutus est. Horũ tum sancti Apostoli nihil intelligebãt, nil nisi tristitiam eis afferebat, quicquid Christus de sua morte ac passione dicebat. Et quanquam illis aliũ consolatorẽ promittebat, non tamẽ ea res illis gaudium afferebat, posteaquã nullum solatium desiderabant præter Christum: nondũ sciebant sacram & salutiferam mortem Christi cum ipsis, tum omnibus fidelibus necessariã esse, idcircò etiam de illa nec audire sustinebant: nec sciebant se spiritu sancto tantopere opus habere, propterea illum ne petebant quidem. Verùm Christus nouerat illos his duobus cum primis opus esse, nam absq; ipsius morte ad Deum peruenire non poterant, nec citra spiritũ sanctum efficere quicquã poterãt in terris.

in terris. Cœlum cunctis mortalibus clausum erat, Christum aperire illud oportebat sua morte: homo totus perditus erat in sua natura, per spiritũ sanctũ illum restaurari necesse erat. Hoc nondum sciebant Apostoli, sibi tantum adhuc deesse: haud cogitabant, uiam ad cœlũ nondum paratam, portam nondũ apertam, Deum nondum reconciliatum, & Adæ peccatum nõdum expiatum esse, multo minus agnoscebãt suam ipsorũ infirmitatem: ęgrotus nescit quid sibi desit, itaque sæpe noxia petit, fugit & uitat salutaria, medicus utrũq; nouit, ppterea ergo non respicit, qd ægrotus appetat aut horreat, sed quid illius ualetudini reparãdæ maximè conducat & utile sit. Itidem quoq; Christus hìc facit. Ego ueritatẽ dico uobis (inquit) expedit uobis, ut ego uadã, &c. perinde ac si dicat, Duo uobis desunt. Cœlum nondum apertũ est, nec estis adhuc idonei, ut illud ingrediamini: mea passione utrunque hoc uobis efficiã, aperiam cœlũ, & uobis per spiritum sanctũ auxilium & gratiam è supernis mittã. Hoc nobis quoq; considerandũ est: firmiter credere & palàm confiteri oportet, quòd mors Christi cœlum nobis aperuit, & spiritũ sanctũ promeruit & impetrauit, qui solus nos idoneos facit, & sine quo nunquã ad cœlum peruenire possemus. Et enim primò certum est, nihil coinquinatũ aut abominationem faciens intrare in regnum Dei. Vt maximè autẽ aliquis purus sit, cæterùm non nouit uiam quæ ad cœlum ducit, aut debilior est, quàm ut hanc uiam conficere possit, aut in uia succumbit, nec is quidem intrabit. Atqui nos ex nobis ipsis omnes inquinati sumus & pleni peccatis, itaq; opus habemus mundatione. Ignorantes sumus, infirmi, mutabiles, incõstantes, nihil ex nobis ipsis possumus, ne cogitare quidem aliquid boni, idcircò opus habemus doctrina, cõsolatione, cõfirmatione. Hæc autẽ omnia operatur & facit spiritus sanctus: mundat, docet, consolatur, confirmat, alioqui semper impuri maneremus, ignorãtes, imperfecti, infirmi & desolati, quales Apostoli erant in passione Christi, & ante aduentum spiritus sancti. Quapropter nihil Deus nobis maius magisue necessariũ dare potuit, quàm spiritum sanctũ. Nam si ex Adæ filiis, Dei filij fieri deberemus, spiritum sanctum habere nos oportet. Qui enim spiritum sanctum non habet, hic non est Dei. Porrò si uidere debemus, quid credendũ, quidq; faciẽdũ sit, rursum opus habemus spiritu sancto, qui nos doceat. Si facere debem9, quod ex fide scimus, rursum

rursum opus habemus gratia & ductu, imo impulsu spiritus sancti. Si in tribulationibus persistere debemus, & non animum despondere, ipsius cōsolatione opus habemus. Si in bono permanere usq; ad finem, confirmatione illius opus nobis est. Vide tot in rebus Spiritu sancto opus habemus. Atqui uerò spiritū sanctū habere non possumus, nisi eū nobis det Deus. Si uerò talis thesaurus in terras uenire debebat, recōciliationē prius inter Deū atq; homines fieri oportebat: eramus enim omnes filij iræ. Atq nemo nos cū Deo in gratiā reducere poterat, præterquā unus filius Dei, & id quidē fecit per mortē suā & passionē. Vide, hoc nobis profuit, quod Christus in mortē cōcedebat. Ego ueritatē uobis dico (inquit) expedit uobis ut ego uadā. &c. Proinde plurimum refert, ut hoc uerbū diligenter cōsideremus. Apostoli putabant hoc certū suū exitiū esse, cùm uiderēt Christū pati ac mori. Pòst tandē cōpererūt, cùm ipsorū tum nostrā summā utilitatē fuisse, eo modo quo nūc dixi. Huius nos quoq; admonet diuus Iacobus in hodierna Epistola, ut oculos attollamus cōsideremúsq;, quid ex supernis accepimus. Omne datū optimū (inquit) & omne donū perfectū desursū est. In hac Epistola loquitur quidē beatus Iacobus in genere, unde nobis sint omnia dona, & quo pacto iis uti debeamus. Ecclesia autē id refert ad promissionē, quā fecit Christus de spiritu sancto. Et is uerè est datū optimū, & donum perfectū. Mūdus quidē nō magnopere curat spiritū sanctū, eò quòd arguit illū, & nō solùm peccata eorū, uerum etiā fictam & simulatā illorū iustitiā, necnon fraudulentam eorum sapientiā & iudiciū, hoc mundus ægrè fert, ideóq; spiritum sanctum non curat, suo spiritu contentus. Nos uerò scimus summum esse donum Dei, scimus nos per spiritum sanctum renatos esse, & illum ipsum spiritum sanctum etiamdum operari in uerbo Dei & sacratissimis sacramentis. Sunt enim hæc illius instrumenta, per quæ sua opera perficit, docendo, consolando, confirmando, &c. Tantò itaque diligentius audire nos uerbum conuenit, & Christianis uti sacramentis, eáque accipere, imo tanto maiori studio omnem immunditiam & abundantiam malitiæ (uti Iacobus nominat) abiicere debemus, ne spiritum sanctum à nobis pellamus, néue diuina ipsius operatione & salutari beatáque consuetudine indignos nos faciamus. Deus nobis omnibus suam largiatur gratiam, Amen.

OCTAVVS SERMO TEMPORE

Synodi dominica Cantate, habitus, super Euangelio eiusdem dominicæ. Ioan. 16.



N hodierno Euangelio & ipsius explicatione eūdē mihi proponā & obseruabo modū, quē in proximo Euāgelio à me obseruari uidistis. Nimirū indicabo uobis, cur patres Euangeliū istud huic Dominicæ attribuerint, deinde quis huius Euangelij genuinusque sensus sit & intellectus, postremo quid unusquisque ex primatibus non solùm in synodis, sed apud se ipsum, & in sua Ecclesia ac administratione cōsiderare & instituere debeat, quod ad cōmunis Ecclesiæ & orbis Christiani reformationē utile sit & cōducibile. Hæc ordine de p̄senti Euāg. dicā, etenim horū triū nihil silētio p̄terire cōmodè possum. Plurimū q̄dē momēti sitū est ī historica Euāgelij enarratione, idq; semp primū ac p̄cipuū esse debet, sed plura accedūt obiecta. Ab una parte uideo diabolū nō cessare, ut quos possit, ab Ecclesia ipsiúsq; ordinatione auertat: hic omnes neruos intēdendos mihi puto, & uelim quidem quantū pro uirili possem, libēter laborare, ut hosti tam infesto obsistatur, simplices autē homines eò deducātur, ut discāt Ecclesiā ipsiúsq; ordinationes maiori habere in pretio. Ab altera parte mouet me synodus, quæ etiādū celebratur, mouet me laudabile p̄positū tot p̄clarorū uirorū cùm pietate tùm eruditione p̄ditorum, qui Ecclesiā restaurare & manu tenere magnoperè cupiūt. Quocirca urgere & cohortari libenter uelim, quò negotium illud tāntò succedat expeditius. Ob hāc & nō aliā causam tria illa, quorū superius memini, circa hodiernū Euāgeliū declarare decreui, sperās non infrugiferū fore, si eo animo, quo ego dico, accipiatur. Et primò quidē nō ignoratis, eam mihi antiquā esse cōsuetudinem, ut plerunque aperiam causam, cur unumquodq; siue cātetur siue legatur in Ecclesia, institutum sit, ac ordinatum. Quod eò libentius & diligētius facio, quāto plus animaduerto, multitudinem per alios ab hoc abstractam & alienatam esse. Alius rem eam superuacaneā miniméque necessariam iudicare potest. At ego experior, & Ecclesia magno suo malo experta est, eum qui errare incipit, primùm à minimis incipere plerunque, & à minimis in maximos deuolui errores. Cùm superioribus annis cæremoniæ Eccle-

siæ rid

siæ rideri & negligi inciperét, nemo suspicabatur sacramenta & missæ sacrificiú, ac ipsam deniq; Ecclesiam in talem cõtemptum unquàm uenturam. Ne ipsi quidem authores huius schismatis, tum in animo habebant tam latè grassari. Verùm diabolus, ubi semel principium consecutus est, non amplius ociatur: ubi serpens infernalis caput immisit, toto corpore deinde facilè illabitur. Si persuadere nobis potest, ut alterũ pedem extra Ecclesiam efferamus, plura certè nobis persuadebit. Tutissimus itaq; tum erit bonus quisq; & simplex Christianus, si non abduci se patietur ab iis quæ ab Ecclesia tradũtur, & diligenter disquirat ac perscrutetur rationes, ob quas unaquęq; res introducta sit. Quod si fecerit seriò, nũquàm profectò Ecclesiæ ordinationes cõtẽnet, nisi Ecclesiá simul ipsam odisse uelit, quemadmodũ hæretici ac schismatici à natura cõsueuerũt, ut nihil sibi placere sinant, quod in Ecclesia antiquũ est, quoniá ipsius Ecclesiæ hostes sunt & oppugnatores. Age, animum aduerte nunc, & tribus uerbis accipe, qd homo pietati addictus colligere hinc possit, quòd Euangeliũ istud hodiernæ Dominicæ assignatũ sit in Ecclesia. Hodierna dominica in medio posita est, inter festum Paschatis & Ascẽsionis Christi, licet proximior aliquãto sit huic postremo, q̃ alteri priori. Verùm enimuerò resurrectio Christi diuturna memoria repetẽda est, ueluti Paulus
2.Tim.2. ad suũ ait discipulũ: Memor esto dominũ Iesum Christũ resurrexisse à mortuis, &c. Porrò ascẽsio Christi quoq; diligenti cura prospiciẽda est, sicuti Christus multo ante, q̃ ascẽderet, tale futurũ Mariæ Magdalenæ p̃dicebat. Vade (inquit) ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem uestrũ, Deũ meum & Deũ uestrũ. Quæ oĩa eò spectãt, ne homo Christianus unq̃ obliuioni tradat, & memoria ei excidat, unde tot beneficia támq; admirãda bona acceperit, quocircà semp mẽte recolere p̃teritá passionẽ & resurrectionẽ Christi, nec interim tamẽ obliuisci futurorũ, & ad quid uocatus sit, sed cõtinuò ascensionem quoque præmeditari debet. Hæc (inquàm) animis nostris obuersari debent, quandiu inter utrunque festum agimus, hoc est, inter iustificationem nostram & glorificationem. Id uerò durat per totum tempus iam inde à regeneratione nostra, usque ad uitæ nostræ terminum. Baptismus & regeneratio, nostrũ
2.Cor.5. Pascha est, & spiritalis resurrectio, Mors autem Ascensio nostra. Nam si terrestris domus nostra huius habitationis

tionis dissoluatur, scimus quòd ędificationem ex Deo habemus, domum nō manufactam, æternam in cœlis, &c. Quandiu itaque in terris degimus à Baptismo ad mortem usque, nunquam non in memoria habere debemus, unde bona omnia consecuti, & ad quid uocati simus. Verùm quomodo hæc ambo simul melius & breuius nobis proponi potuissent, quàm per hodiernum Euangelium? Primò nanq; unde tantam bonorū uim habemus? Quis gratia, uita & regeneratione nos impertit? Quis nos facit filios Dei? Quis mundat & lauat nos à peccatis? Quis fidē nobis infundit? Quis nos facit membra spiritualis corporis Christi & Ecclesiæ? Quis meritorum Christi participes nos facit? Quis docet nos rudes & ignorantes? Quis infirmitatem nostram fulcit? Quis consolatur nos in omni tribulatione? Spiritus sanctus. Et unde Spiritum sanctum habemus? Ex passione & resurrectione Christi. Expedit (inquit Christus) uobis, ut ego uadam. Si enim non abiero, Paracletus non ueniet ad uos, &c. En hoc pacto maiores nostri Euāgelio isto in nobis memoriam passionis & resurrectionis Christi cōseruare uoluerunt. Rogitas nunc, quomodo igitur Euāgelium hoc nos admoneat futuræ nostræ glorificationis? Vado (inquit Christus) ad eū, qui misit me. Quæ sanè uerba rectissimè accommodari possunt passioni Christi, quam transitum suum ad patrē uocat. Huic pulchrè concinit id, quod Christus ad Magdalenam loquitur, Ascendo ad patrem meum & patrem uestrū, &c. Vult planè, ut pôsthac oculos, animos, & cogitationes nostras erigamus ad cœlestia, ubi Christus est in dextera Dei sedēs, omnémq; adhibeamus operam, quò Christum sequi possimus. Hac ratione Euangelium istud ad ea, quę præterita, & ad ea, quæ futura sunt, nobis inseruire potest, admonens nos acceptæ iustificationis & futuræ glorificationis. Quod igitur illi aptius tempus totius anni deligi potuisset, quàm quod est inter duo illa festa Paschatis & Ascensionis? Quis iam adeò cæcus est, qui in hoc Euangelio cernere nequeat? quis tam peruicax & refractarius est, qui inficias ire audeat, Ecclesiæ ordinationes summo studio excogitatas, & procul dubio per Spiritum sanctū traditas esse? Inaudita igitur temeritas sit oportet, si ex propria animi libidine & præsumptione tales ordinationes ab omni iusta causa infringantur abrogentúrq;, uel etiā simplices ab iis alienentur. Tantū de hoc dictū sit. Eadē Christi in hoc Euangelio sententia est,

Iohan.16. *Iohan.15.* *Iohan.20.* *Colos.3.*

quæ fuit proxima Dominica. Volebat nimirũ Christus hoc pacto ex animis suorũ scandalũ crucis eximere. Videbatur illis, si Christus esset passurus, & potissimũ in cruce, & in ea tã ignominiosam mortẽ oppetiturus, quòd non solùm ipse sibi infamiæ notã esset cõciliaturus, sed eos quoq; damnum irrecuperabile mansurũ esset. Haud aliter tũ de cruce Christi sentire poterant, quocirca etiã difficillimè percipiebant, quicquid illis Christus de ea diceret & prędicaret. Duo sunt, quæ hodierno adhuc tẽpore crucem nostram grauẽ nobis, & penè importabilẽ reddunt. Arbitramur, si multa ferre debeamus probro id nobis esse, & nos rerum nostrarũ dispendiũ non mediocre facere. Aduersus eiusmodi affectus Euangeliũ istud destinatũ est, quod ita intelligi debet, ac si Christus dicere uoluisset, Nõ sic charissimi filij, nõ sic de mea cruce conuenit ut sentiatis. Nõ probrũ aut ignominiã, sed honorẽ inde cõsequar maximũ: nam per passionem & crucem migro ad patrem. Nec ea res uobis damnũ aliquod, sed utilitatẽ ingentem adferet. Vbi enim à uobis ad crucẽ concessero, paracletũ spiritum sanctũ uobis cõparabo, qui uos uoti cõpotes reddet, & dabit id, quod hactenus in me quæsistis, & nunc ueremini, ne per passionẽ ac mortem meã cogamini amittere. Is cõsolabitur uos & docebit, mundũ quoq; & principem eius conuincet iniuriarum & scelerũ, quæ in me patrarunt: ita sese geret, ut nõ solum uos, sed uniuersus orbis honorẽ meum & gloriam uisurus sit, & intellecturus incredulitatẽ, iniustitiam, iudicium & cõdemnationẽ sui principis &c. Hic fructus ad uos redit ex mea passione, &c. Sic uult Christus suam passionẽ & mortẽ considerari & accipi, quòd ad ipsius laudẽ & ad nostrã salutem pertineat. Ita nos quoq; nostrã crucẽ æstimare debemus, ut qua laudem maximã consequimur, quoniã transitus est ad patrẽ, ut quę adfert nobis utilitatẽ incredibilem, quoniam humiles nos facit, & spiritui sancto ac ipsius cõsolationi habiles & idoneos nos reddit. Hæc præcipua istius Euangelij sentẽtia est & intellectus, ad quẽ etiã omnia uerba directa sunt. Quomodo autẽ crux Christi nobis scandalo esse possit, & nostra crux nos grauare, si tali animo eã aspiciamus? Dictum hoc sit de altera parte, quæ ad Euangelij cõsiderationem pertinet. De tertia parte dicere iã nos quoq; oportet, quid optimus quisque procerum, nõ modò apud alios in cõmuni synodo, sed etiã apud se in ꝓpriæ diœceseos administratione, attamẽ ad commu

cõmunis Christianæ Reip. utilitaté & cõmodũ, ex hoc Euãgelio instituere & proponere debeat. Varia hoc loco cõmemorare possem pro Euangelij huius amplitudine, sed unicũ tantũ excutiendũ dabo, quod mea quidé sententia omnium præcipuum est, & maximè cõducere uidetur ad præsentem synodũ, népe quod Christus in hoc Euangelio occupatissimus sit cũ suis Apostolis, quos in futurũ tempus ad Euangelij prędicãdi munus ordinaret, & emittere cõstituerat, quàm nullã omnino intermittat diligentiam in illis instruendis & ablegandis, & præcipuè quòd ad hoc munus & opus spiritũ illis sanctũ promittat, eúmq; exactè describat depingátque suis operationibus, quas erga Ecclesiã & fideles declaraturus esset docendo, cõsolando, arguendo & explicando. Omnium (inquam) bonorum procerum est hoc, fideli mente pertractare tã in cõmuni, quàm priuatim, si modò nomini & officio suo respõdere uelint, & pro ueris pastorib⁹ ac animarum curatoribus corã Deo & mundo haberi cupiãt. Paruuli petunt panẽ Viri spectatissimi Ecclesia eget doctrina & cõsolatione, nec non digna in homines carni addictos animaduersione. Videte ne in uos recidat id quod sequitur: Et non erat qui frangeret eis. Defectus hic, proh dolor, iam inualuit. Plurimis in locis atrocissimã famẽ populus patitur, neminẽ habent, qui ipsis panẽ uerbi diuini frangat ac distribuat, aut fame interire eos oportet, aut aliũ quęrere cibum, qui tamen lethalis illis est & pestiferus. Quas, Deum immortalẽ, dabunt pœnas, qui rei sunt istius mali? Quo patrocinio unquam causam suã tutari poterunt corã tribunali Dei, si si hos ipsi⁹, quos magno emit, sanguine scilicet pretiosissimo sui proprij, quósq; illorũ curæ diligentissimè commisit, fame perire sinãt? Aut quî se cõtinere Ecclesia potest, ut nõ clamorem ad sydera usq; tollat, crudelissimos istos animarum trucidatores accusans? Simõ Iohãnis (inquit Christus) amas me? Pasce oues meas. Ter Petro oues suas cõmendabat, ter eũ de amore rogabat. Nã qui Christum nõ ex intimis affectibus diligit, nunquã rectè Christi oues curabit. Fili hominis (inquit Deus ad Ezechielẽ) speculatorẽ dedi te Domui Israël: Si me dicente ad impiũ, Impie, morte morieris, nõ fueris locutus, ut se custodiat impius à uia sua: ipse impius in iniquitate morietur, sanguinẽ autẽ eius de manu tua requirã. Væ mihi (inquit Paulus) si nõ euangelizauero, si uolens hoc ago, mercedẽ habeo: si autẽ inuitus, dispensatio mihi credita est.

Thren. I. — *I. Petr. I.* — *Iohan. 21.* — *Ibidem.* — *Ezech. 33.* — *I. Cor. 9.*

ta est. Hoc (inquam) dicebat Paulus, cùm in optimo cursu
Act.20. sui muneris esset. Postquam uerò iam metã propemodũ & finem suæ uitæ ac dispensationis esset cõsecutus, testabatur & Deũ & homines, se mundũ esse à sanguine omnium, quoniã conscientia illi dictitabat, ipsum nihil prætermisisse, quod munus ipsius postulasset. Idem quoq; Moyses factita-
Deut.30. bat antequam è uiuis excederet. Christus in terris nihil tam gnauiter executus est, quàm munus prędicandi, nec illi res
Iohan. 4. ulla tantoperè cordi fuit. Meus (inquit) cibus est, ut faciã uo luntatem patris mei. Quapropter nõ in una perpetuò sede morabatur, sed huc illuc migrabat, nec in uno se detineri lo
Luce 4. co patiebatur. Aliis etiã ciuitatibus oportet me euangelizare (inquit) quia ideo missus sum. Idque unicè in extremis, priusquã mundũ relinqueret, gloriabatur. Pater (inquit) cla-
Iohan.17. rificaui te super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciã, manifestaui nomen tuũ hominibus, quos dedisti mihi. Et paulò pòst: Quos dedisti mihi, ego custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur. O felicem & piã iactantiã! O beatos illos omnes, qui
Tob.13. tali cõscientia discedũt! Benedicti (inquiebat olim Tobias) ô Ierusalẽ, qui ædificant te, & qui gaudent super pace tua. Quod quamuis de terrestri Ierusalẽ dictũ sit, de spirituali tamen Ierusalem, hoc est, de sancta Christiana Rep. sub figura prænotata intelligere debemus. At pauci sunt, qui exẽpla
Ezech. 34. ista imitantur. Errauerunt (ait Deus in Ezechiele) greges mei in cunctis mõtibus, & nõ erat qui requireret, & (eandẽ
Philip.2. uocẽ iterans inquit) nemo erat, qui requireret. Omnes quę sua sunt (ait Paulus) quærunt. Quærunt nõ Dei honorẽ, nõ animarum salutem, nõ communis Ecclesiæ, & Christiani orbis utilitatem, sed quæ sua sunt. Verbum pascere, nemo rectè intelligere uult. Mallemus id semper ad dominium transferre, quàm ad ministerium, quamuis nullum sit dubium, nec quisquam negare potest, quin pastor quoddam etiam dominium & potestatẽ in suas oues habeat: oportet enim nõnunquam eum suam authoritatem ostendere, non solum ut lupum profliget & arceat, sed etiã ut uirgis & baculis oues suas cogat & cõtineat. plura tamẽ sunt quæ in pastore desiderantur. Inueniuntur quidem, qui gubernandi modum optimè tenẽt, sedulò faciũt omnia, quę ex potestate fieri debẽt, oues suas in officio seruant, diligẽter cauẽt, ne lupus in eas irrũpat & impetũ faciat: sed pascere, quod pręcipuũ erat,

regli

negligitur. Quorsum enim attinet, oues in ouili unà cõseruari, & à lupis undiq; defendi, si fame deinde pereant? Quin imo quo pacto lupi & hæretici melius abigi possunt, quàm uerbo Dei? Nã ferro illis profectò nõ semper resisti potest, clàm enim irrepunt. Et ubi semel uenenũ suum ponunt, id instar cancri latius serpit & absumit. Quãobrem non solũ gubernatione opus est, uerumetiã pastu, nõ defensione tantũ contra lupos, sed medela quoq;, si quis damnum accepit. Quid auté famé sedare melius potest, morbóq; nostro mederi, quàm uerbũ Dei? Domine (inquit Petrus fame spirituali laborans) ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes. Et alius: Neq; herba, neq; malagma sanauit eos, sed tuus domine sermo. Atq; istud est, super quo Christus suos discipulos tam instructos reddidit. Istud est, super quo illis ac Ecclesiæ suæ spem certissimã dedit, se missurum & daturũ eis Spiritũ sanctum, qui èdocturus esset eos omné ueritaté, nec absque consolatione unquam relicturus. Istud etiã est, quod unusquisq; Christianorũ procerum præcipuè, & absq; mora cogitare debet. Nulla re Ecclesia minus carere potest, quàm pastorali & prædicationis officio, quo tamen nihil cõtemptius iã apud homines. At aliis in rebus omnibus maior cura, maiórq; diligentia adhibetur, ita ut quis non immerito admirari possit, unde tã execrabilis neglig̃étia proueniat: quid Ecclesiæ proceres tandé cogitent. Quòd si uineã quis habet, uineatorem quærit, qui eã colere possit, nec dubitat augere mercedé, si eã colat diligenter. Si quis sibi uestem nouam parari uult, is de sartore circunspicit, qui eã possit concinnè & artificiosè parare, &c. Et ut crassius exéplum proferam, Si quis gregé porcorũ habeat, nemini eum cõcredit, nisi illum sciat gregis curam gerere posse. Quot uerò inueniuntur Ecclesiastici pastores, qui aliquando uiginti, triginta, quinquaginta, centũ, mille animas curandas habent, nec tamé tantũ soliciti sunt, quomodo illis cibo spirituali prospectũ sit, quãtũ operæ & laboris impendũt in uineis colendis, domibus extruendis, uestibus parãdis, & pecoribus alendis? Verbis quidé nonnunquã animi nostri testamur dolorem ita uolétes nos excusare, quòd magna personarum sit inopia, quòd nemo aliquid operæ cõferre uelit, & quòd iuuentus Ecclesiastica tã in collegiis, quàm monasteriis nostro seculo à studiis abhorreat, præsertim theologico, &c. Quod sanè uerissimũ est, personarum laboratur penuria, hoc uidet & nouit

2. Timo. 2.

Iohan. 6.

Sap. 16.

Iohan. 14.

uniuersus mund⁹. Sed quorũ id culpa sit? Eorũ haud dubiè, qui primò omnia studia collabi patiuntur, secũdò tot præclara ingenia & dociles pueros corrumpi sinunt, & apud quos eruditus nullus emergere potest, aut prærogatiuã aliquã habet, & qui nondũ etiã aduertunt, ut studia restaurentur manúq; teneantur, pueri uerò ad ea adducantur, & doctis meriti honores ac stipẽdia præbeantur. Horũ (inquam) culpa fit, quòd petentibus panẽ pueris nemo sit, qui frãgat ac distribuat. *Thre. 1.* Ius nostrũ canonicũ uult ac præcipit, ut præter generalia studia in singulis collegiis etiã & monasteriis magister habeatur, qui clericis ac aliis prælegat. *Extra. de Magistris lib. 5.* Clericis habetur in textu, ídq; primò. Cathedralis autẽ seu metropolis Ecclesia doctorẽ habere debet, qui sacerdotibus sacrã paginã interpretetur. Et hic sacerdotes primò memorantur. Sancitũ præterea est, ut tali doctori ꝑbenda assignetur. Atq; ita antiquitus obseruatũ est, qđ uestigia adhuc testãtur, testatur idipsũ nomen scholastici, qualis est in singulis collegiis, testatur emancipatio, quòd à scholastico qs se redimere debeat. Hoc (inquàm) euidens argumentũ est, iuniores canonicos olim sub scholastico fuisse, nõ disciplinæ tãtùm, sed studij quoq; gratia. Iam uerò ex nimia & detestanda negligentia prælatorum, qui abhinc multis annis in Ecclesia fuêre, eò peruẽtum est, ut non solùm magistri nulli, ex quibus iuniores clerici suas artes perdiscere, non solùm Doctores nulli habeantur, ex quibus sacerdotes Theologiã suam audire possint, sed scholasticus quoq; nil præter nomen siue re obtineat. Primum semper est, ut quis sese ab iis redimat, tunc iunioribus cõcessum est otiari, & quãdoq; per omnem uitã sine omni scientia permanere. Quid igitur mirum, si tanta doctorum uirorum inopia sit? Nemo nascitur artifex, nec est, quòd in cœlũ suspiciamus expectemúsq; Christum nos omnia per spiritũ suũ uno momento docturũ. Minimè gentium. Studium, diligentia, & labor nobis eruditionem parere debent, Dei tamen accedente gratia. Hoc uerũ medium est, per quod Deus scientiã largitur. Qui igitur nunc temporis potest, & penes quem facultas est, nec tamen omnẽ adhibet diligentiam, ut reformentur studia & iuuentus ad ea assuefiat, quantum quidẽ in ipso est, is coram Deo reus agetur omnium eorum qui propter eiusmodi defectum impediti sunt. Istud unum est. Secundò rei sunt talis interitionis animarum omnes ij, qui in Ecclesia sunt & Ecclesiæ

fructibus aluntur, cùm nō solum ingenio & natura, uerum etiā singulari gratia ad bonas literas præditi sint, tamen malunt in peccatis & otio uitam transigere, quàm moribus & literis bonis imbui, malunt equos & canes tractare, quàm libros, malunt mundo, quàm Ecclesiæ seruire, at interim nutriri uolūt Ecclesiæ bonis, &c. Hi omnes rei sunt pditionis tot animarum. Quocirca Ezechiel æternum promittit sup- *Ezech.34.*
pliciū illis, qui lac & lanam ab ouibus capiūt, oues uerò famelicas relinquūt. Munus & status noster sciētiā & erudi tionē postulat. Nō enim ut otiū agamus in Ecclesiā uocati sumus, sed ut fructū afferamus (inquit Christus.) Nec in so- *Iohan.15.*
lis ceremoniis acta trāsacta omnia, sed ut populo doctrina & admonitionibus præsimus. Cuius rei indicia in sacris literis uaria habemus. In lege Moysi gestabat summus pōtifex *Exod.28.*
in suis uestimētis & in pectore duodecim lapides ptiosos, quibus insculpta erant nomina duodecim tribuum Israëlitici populi, quo significabatur, quòd sacerdos uniuersam populi multitudinem animo cōplecti, & semper ob oculos habere deberet, omniq; tempore pro ea curam gerere. In rationali, quod etiam ex ornamentis sacerdotalibus unum erat, scriptum erat, Doctrina & ueritas: ad indicandū, quòd *Ibidem.*
sacerdos non ignorare deberet ueritatē uerbi diuini. Deorsum ad pedes tunicæ sacerdotalis aurea tintinnabula & mala punica appensa erant, ad ostendendū, quòd sacerdos sono prædicationis & odore boni uestimenti in Ecclesia uersari deberet. In arca Dei semper erāt duo uectes, quibus *Exod.37.*
portabatur, ne si quando mouēda erat, immittere tum demū necesse esset: ad innuendū uidelicet, quòd sacerdotes q arcam Christū, in mundum portare debent, parati esse cogantur perpetuò, ut unicuiq; qui modò petit, suæ fidei rationē reddant, sicut Petrus ait, & nō discāt tum primū, quā- *1.Pet.3.*
do rogātur. Moyses & Aaron nūquā discedebāt à tabernaculo Dei, eam proculdubio ob causam, quòd primò discerēt ac sciscitarent à Deo, quod postea populo pponere possent. Dauid prius accipiebat donū Prophetiæ, quàm ad regnū ueniret. Ieremiæ Deus dedit uerba in ore, antequā in- *Ierem.1.*
ciperet euellere malū, & plātare bonū. Vnus ex Seraphim Isaiæ mūdabat labia calculo, quem forcipe tulerat de altari, *Isa.6.*
priusquā ad prædicādū eū emitteret. Salomō statim ab initio sui regni sapiētiā à Deo flagitabat, quò rectè administra- *3.Reg.3.*
re regnū posset. Christ⁹ ī tēplo īter legisperitos īueniri prius *Lucæ 2.*

uolebat, eósq; interrogare & audire, quàm prędicandi munus auſpicaretur, nec ſuos ad prædicandũ à ſe dimittebat,
Lucæ 24. donec bene eos inſtituiſſet. Intellectũ illis aperiebat, ut in-
Matt. 28. telligerent ſcripturas antequam ad eos diceret: Euntes do-
Iohan. 6. cete omnes gentes, &c. Sic etiam cùm populum paſceret in deſerto, frãgebat primò quinq; panes, ac tum demum porrigebat diſcipulis, ut diſtribuerẽt eos. Paulus uult ſuum Ti-
I. Tim. 4. motheum omnino attendere lectioni. Omnia iſta exempla demonſtrant officium noſtrum ſacerdotale exigere ſcien-
Malac. 2. tiam & intellectum ſcripturarum. In Malachia expreſſe habetur, à ſacerdotibus legem requirendam eſſe. Atq; hæc omnia in noſtris decretalibus compreheſa ſunt. Illiteratos
Diſtin. 36. non eſſe promouendos habemus diſtinc. 36. Literis enim carens ſacris nõ poteſt aptus eſſe officiis, & ita decretũ eſt in
Diſtin. 38. concilio Gaugrenſi. Ad hæc Papa Leo dicit, inſcitiã in ſacerdote nec excuſatione nec uenia dignam eſſe. Quamobrẽ nemini, cuiuſcunq; etiã conditionis aut dignitatis ſit, in Eccleſia otiari conceſſum eſt, beneficiũ datur propter officiũ. Quod uerò noſtrũ officium ſit, antè dictum eſt. Porrò primariarũ partium eſt inſtare, urgere & impellere. Nec quẽquam pudere debet literarum & ſtudij, de quocunq; natum genere. Artes & uirtutes nobilitati nihil adferũt detrimẽti, quinimò uera nobilitatis ornamenta ſunt, & inſignia. Qui nobilitatem ſuam artibus, uirtutibus & præclaris factis nõ melius poteſt probare & ſibi aſſerere, haud magnæ apud uiros prudentes exiſtimationis eſt. Hic itaq; uideat unuſquiſ-
Matt. 25. que, quomodo talentum gratiam à Deo ſibi concreditam uſurpet, num in terram defodiat, an uſurariã faciat, ſtatim animaduertet quid ſperandũ ſibi, quídue metuẽdum fuerit. Atque hoc alterum eſt, quod hac in re expendi debet. Sed unum adhuc adiiciendum eſt, quod obſeruari debebat, ut ij qui literis gnauiter incumbunt, & qui eruditionem aſſecuti ſunt aut aſſecuturi, in Eccleſia quoq; meritos honores & uitæ neceſſaria habeant. Qua in re hactenus non parũ neglectum eſt. Nõ deeſſent Marones, ſi eſſent Mœcenates. Inuenirẽtur adhuc, quos ſtudij non pigeret, nec laborem in Eccleſia detrectarẽt, niſi tãta hominũ eſſet ingratitudo. Aduerſarij noſtri hac in parte nos lõgè ſuperant, q nullis parcunt ſumptib9, ut ſaltẽ uiros doctos habeãt. Noſtã humaniter uiros doctos tractam9, ut ferè null9 ſit, q ſtudiorũ amore amplius teneat. Quod paſtoribus, uerbi diuini præconibus, doctoribus,

ctoribus, magistris qui legunt, aliísque uiris eruditis dãdũ est, id nos totos perdit, & ad extremam inopiam redigit, at aliis in rebus omnibus plus æquo liberales, ne dicã profusi sumus. Quid igit mirũ, si omnes æquè laborẽ fugiũt? Quis suo stipendio militet? Quis laboret in uinea, si nõ cõcessum esset sibi de uuis comedere, &c. Mercenarius dignus est mercede sua, inquit Christus. Quin Deus in ueteri testamẽto noluit, ut boui trituranti os obturaretũr, quo minus frui posset fructibus, quos ipse excutere cogebatur. In hoc iam proceres optimi animos uestros intendite, & omnes, qui potestis, aut ratione officij tenemini, in mediũ cõsulite. Facite ne affect⁹ uestros auaritia expugnet & uincat, ne proprij cõmodi studiũ uobis ansam præbeat, quò Ecclesia bonis pastoribus, & doctis cõcionatoribus orbata esse cogatur. In hos si Ecclesię bona cõferuntur, optimè collata sunt, & in hũc usum potissimũ data sunt, hoc spectat ad honorẽ Dei, ad Ecclesię utilitatem, & ad animarũ salutem. Ad hãc rem hodiernum Euangeliũ cuique Christiano primati occasionem præbere deberet in eo, quòd docet, quanta Christus diligentia suos Apostolos tanquam futuros pastores uniuersæ Christianæ multitudinis instruxerit, & præterea quibus uerbis usus sit, eisque Spiritum sanctũ cœlitus promiserit, ac dederit, ne in Ecclesia saltẽ fideles pastores desiderari possent. Quod & ego hoc loco indicare uolui bono animo, postquam occasionẽ mihi dedit synodus nostra, in qua nunc alioquin de talibus rebus agitur. Spero quoq; sapientem nullum hoc meũ factũ in malam partem interpretaturum. Sum etenim cum aliis in cõmuni Ecclesiæ naui, uelim equidem libenter, ut nauis in hac grandi tempestate sine damno in terrã subduceretur. Si uiribus præstare nihil possum & auxiliari, concessum tamen mihi & cuiuis est, iis qui ad remos sedent ac laborant, acclamare, ut omnes neruos intendant, postquam penes illos solos auxiliandi facultas est: nõ tamẽ hoc conor, ut quẽquam doceã, sed ut optimos proceres cohorter, quò id quod iãpridẽ agũt, maiore studio agant & ex animo. Quãquam enim equus currens monitione opus nõ habeat, celerius tamen progreditur, si calcar interdũ addatur. Noui quosdã iãdudũ in cursu esse, uideo aliquos tanta cum seueritate rẽ agere, ut mihi nõ solũ gaudiũ, sed spem præbeat maximã fore, ut alij aut sequi cogantur, aut corã Deo & mũdo in odiũ & ignominiã perpetuam

1. Corin. 9.

Matth. 10.

Deuter. 25.

tuam sint uenturi. Deus Opt. Max. confirmet pium animum, quem aliquibus pridē indidit, & suam gratiam largiatur, ut & alij iisdem uestigiis ingrediãtur, idq; totú ut fiat in ipsius honorem, necnō ad utilitatē & emendationē suæ sanctißimæ Christianæ Ecclesiæ. Nos uerò pro nostra parte hoc ipsum iuuabimus, in cōmuni, fundendo ad Deū preces ardentißimas. Et tum ea, quæ extrinsecus instituūtur, prosperiorē successum habere possunt. Quãobrem rogabimus nūc & omni tēpore pro omnib' iis, penes quos summa potestas in Ecclesia, quiq; eam administrant, & ei præsunt, ut eis Deus spiritū suū det & conseruet, per quē Ecclesiã collapsam restaurare poßint, & illis cordi sit tale opus quò ipsius nomen sanctißimum ubiq; & apud omnes Christianos perpetuò colatur ac prædicetur, Amen.

DOMINICA VOCEM IOCVNDITATIS, EVANGELIVM IOHANNIS XVI.

Matth. 21. DIxit Iesus discipulis suis, Amen amen dico uobis: Quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hactenus non petiistis quicquam in nomine meo. Petite, & ac-
Mar. 13. cipietis, ut gaudium uestrum sit perfectū. Hæc per prouerbia locutus sum uobis: ueniet tempus, cùm iam nō per prouerbia loquar uobis, sed palàm de patre meo annuntiabo uobis, in illo die in nomine meo petetis. Et nō dico uobis quòd ego rogaturus sum patrē pro uobis.
Iohan. 14. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quòd à Deo exiuerim. Exiui à patre, & ueni in mundū: iterū relinquo mundum, & uado ad patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc apertè loqueris, nec prouerbium

bium ullum dicis: Nunc ſcimus quòd ſcis omnia, nec opus eſt tibi ut quis te interroget. Per hoc credimus quòd à Deo exiſti.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI IACOBI APOSTOLI, CAP. I.

Sitis autem effectores ſermonis, & non auditores tantùm, fallentes uoſmetipſos. Quoniam ſi quis audiat ſermonem, nec eum factis exprimat, hic ſimilis eſt uiro conſideranti faciem natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſeipſum, & abijt, & cõtinuò oblitus eſt qualis eſſet. At qui perſpexerit in legem perfectam, quæ eſt libertatis, & permanſerit: hic cùm non ſit auditor obliuioſus, ſed effector operis, beatus facto ſuo erit. Si quis uidetur religioſus eſſe inter uos, qui non frænat linguam ſuam, ſed aberrare ſinit cor ſuum, huius uana eſt religio. Religio pura & immaculata apud Deum, & patrem hæc eſt, inuiſere orphanos, & uiduas in afflictione ſua, immaculatum ſeipſum ſeruare à mundo.

Rom. 2.

1. Pet. 3.

PRIMVS SERMO DE Eccleſiæ ordinatione.

HODIERNVM iſtud Euangelium quanquam in ultima cœna à Chriſto enunciatum & dictum eſt, attamen in ſancta Chriſtianitate multis de cauſis, ut hac quinta Dominica poſt Paſcha legatur ac prædicetur, ordinatum eſt. Primò enim, quoniam hactenus nobis ordine propoſitum eſt, quid Chriſtus noſtra cauſa fecerit ac paſſus ſit, imò etiam quid docuerit, Euangelium iſtud annexum eſt ueluti epilogus omnium earum rerum, poſtquam

quam Christus in eo dicit: Hæc in prouerbiis locutus sum uobis. Venit hora cùm palàm de Patre enuntiabo uobis. Et sub hæc mox dicebant discipuli quoq;, Ecce nunc palàm loqueris,& prouerbiũ nullum dicis,&c. Idẽ hoc nos quoq; fateri oportet,atq; utinã uerba quæ sequũtur uerè etiã dicere possemus, nunc scimus quia scis omnia, in hoc credimus quia à Deo existi.& esset hic uerus epilogus eorum,quæ de Christo audiuimus. Secundò,quia iam ad finẽ peruenimus temporis paschalis, siquidem quadraginta dies penè exacti sunt, quibus Christus post resurrectionẽ suã in terris uisus est, rursum Euangeliũ istud cum hac Dominica pulchrè congruit:docet enim nos,quo pacto gaudiũ paschale perpetuo in nobis cõseruare posimus. Vsq; modo (inquit Christus) nõ petistis quicquã in nomine meo. Petite, & accipietis:ut gaudiũ uestrũ sit plenũ.quod perinde est,ac si dixisset: Hactenus uerũ gaudium non quæsistis, non itaque mirum est, pascha uestrum iam præteriisse.Si autẽ uultis,ut illud sit uobis perpetuũ,quærite uestrũ gaudium nõ in terris, sed è supernis petite,sic futurũ est, ut gaudiũ uestrum nõ solùm maneat,uerum etiã plenum & perfectum fiat. Tertiò, quoniã integra hęc septimana iam antiquitus oratiõi destinata est, & ab oratione nomen ea habet,uocatur enim ragationum seu crucis Dominica, primum locum meritò obtinet istùd Euangeliũ,quo uidemus, nõ hominis alicuius cõmentum, sed Dei edictũ esse,ut oremus,atq; interim etiam intelligamus,ad quod fundamentũ cõmunia uota & processiones, quas Ecclesia hac septimana obseruat, destinatæ sint,nimirum,ad promisionẽ Christi, quam in isto Euangelio facit, dum dicit & sanctè affirmat,si quid petierimus in suo nomine,hoc patrẽ daturum nobis.Hoc promissum in Euangelio isto primũ locum obtinet:quid igitur miri,si Ecclesia hac septimana talibus promisis freta aliquãto feruentius orationi incũbat, quàm aliis tẽporibus, cũ quiuis Christianus ad omnia Dei promissa preces fundere debeat, ut quã citisime effectũ sortiãtur? Quartò, quoniam festum ascensionis Christi proximè præ foribus est, meritò istud Euangelium præcedit,ueluti uiã nobis sternit ad illud festum, docet nos quid sit ascẽsio Christi.Exiui(inquit Christus)à patre,& ueni in mundum,iterum relinquo mundum,& uado ad patrẽ. Hoc uerbo nobis Ecclesia considerandum dat, quid in illo festo potisimum ad animũ reuocare debeamus, nimirum

quòd

quòd Christus mundum reliquit, ad terrorem improborũ, & quòd ad patrem iuit, bonis ad solatium. Quintò, quia ultima hæc Dominica monet nos, Christũ quoque apud nos ad breue tempus fore, & iam ultimum esse tempus, & mortem in dies propius nobis imminere, utique tanto diligentius circunspicere oportet, quibus rebus occupari debeamus, dum adhuc nobiscum est dominus, dum tẽpus gratiæ durat, & anteq̃ mors nos ĩuadat. Id auté perelegãter nobis in hoc Euangelio indicatum est. Petite (inquit Christus) & accipietis. Simile est illi quod Isaias dicit, Quærite dominũ dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Sextò, quia Christus proxima præterita Dominica suis fidelibus spiritum sanctũ promisit, rectè istud Euangelium sequitur, in eo quod docet nos, unde spiritus sanctus nobis expectãdus sit, & quibus eum mediis acquirere possimus, nimirum cœlitus & per orationẽ. Postremò, Euangeliũ istud ea quoque de causa circa hoc tempus legitur, quòd ferè circa hanc anni partem maxima pericula ingruere solent, fructuũ calamitas, & bellorum metus, tantò plus causæ ad orandum habemus, ad quod nos impellit Euangeliũ istud. Atq; ita, opinor, quiuis uidere facilè potest, Euangeliũ istud singulari studio huic Dominicæ consecratum esse, non dicã nunc, etiam reliquas quinque Dominicas post Pascha, unà cum Euangeliis ipsarum, ita ordinatas esse, ut unumquodlibet eorum peculiare quiddam nobis indicet, quod ad Christianismũ nostrũ requiritur. Etenim primò Pascha fidem nos docuit, ea in hoc maximè consistit, quòd Christus à morte resurrexit, uti Paulus dicit: Si confitearis in ore tuo dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Et alio in loco per contrarium: Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides uestra. Prima Dominica post Pascha, docet, & ostendit nobis fructus fidei, quo uideremus, nos non frustra credere in Christum, & fidem nostram non esse rem inanẽ & cassam. Secũda Dominica, imaginẽ Christianæ uitæ nobis proposuit, per exemplum boni pastoris, & morigeræ ouis, quo intelligeremus, nudam fidem non sufficere. Tertia Dominica, ad tolerantiam passionis & crucis nos hortata est, quo cognosceremus, non solùm benefacere, uerumetiam malum patienter ferre, hominis esse Christiani. Quarta Dominica monstrauit nobis, unde fortitudinem habeamus, fa-

ciendi

ciendi simul & ferendi, quod nobis imponit Deus, nimirũ à spiritu sancto, qui docet nos, consolatur & confirmat. Hodierna ista & ultima Dominica ante ascensionẽ Christi, docet nos, & indicat nobis uerum medium, spiritum sanctum acquirendi, siquidem per nos ipsi ascendere in cœlum non possumus, & spiritum sanctũ deducere, ueruntamen aliquid habemus, quod ad cœlum transmittere possumus, & quod certò ad cœlum peruenit, & omnia à Deo impetrat. Ea est oratio, præsertim si ex corde humiliato proficiscitur, sicut sapiẽs dicit, talem deprecationẽ hominis humiliantis sese usque ad nubes propinquare. Atq; hoc nos docet illud Euangelium, ad hoc nos hortatur hodierna Dominica. Hinc rursum, opinor, quilibet uidere posset, Euangelium istud peculiari diligentia in hanc Dominicam selectum esse & ordinatum. Idem cum hodierna Epistola & Collecta seu precatione Ecclesiæ factum uideas, quod utraq; hæc prudenti consilio hodierno Euangelio assignata sint. Epistolæ uerba hæc sunt: Charissimi (inquit diuus Iacobus) estote factores uerbi, & non auditores tantùm, &c. Hæc Epistola nihil quidem dicit de precatione, non tamen abs re hodierno Euangelio attributa est. Oratio, qua Ecclesia hodie utitur iuxta Euãgelium simul & Epistolam, sic habet, Deus à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirãte quæ recta sunt, & te gubernante eadẽ faciamus, per Christum Dominum nostrum. Hunc in modũ & hisce uerbis docet nos hodie Ecclesia orare circa iam dictũ Euangelium & Epistolam, quæ tria optimè cõgruunt. Euãgelium primũ ac præcipuum est, imo fundamentũ, ad quod reliqua duo diriguntur. Christus suis Apostolis & discipulis prolixe cõcionatus fuerat, post ultimã suam cœnam, uariisq; modis illos consolatus erat ad futurã tribulationem: oratione illam cõcionem cõclusit, haud aliam sanè ob causam, quàm ut ostẽderet, homini Christiano in tribulationibus cõstituto, orationem ultimum refugiũ, & quod aiunt, sacram anchoram esse, quemadmodum olim rex Iosaphat expressis uerbis id testatus est. Cùm ignoremus (inquit) quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Istud ipsum uult Christus quoque in hoc Euangelio, propterea prolixam suam paracleticam concionem concludit cum exhortatione ad orationem, imo semet orabat coram discipulis suis, perinde acsi uoluerit dicere, Si uos oĩa in tri

in tri

in tribulationibus uestris frustrabuntur, nec ullum uos solatium iuuat, optimum & certissimum medium uobis restat, ut confidenter ad Deum accedere possitis, ut qui uobis posthac per me inque meam gratiam, ex iusto iudice benignus pater factus est, & maxime uobis, qui me tanquàm illius filium unigenitum agnouistis & recepistis. Et possum ego uobis affirmare, quòd daturus est uobis, quicquid meo nomine petieritis. Diligit enim uos, quia me dilexistis, & credidistis quòd à patre exiuerim. Antehac quidem non sensistis aut experti estis, nec opus adhuc habuistis, sed nũc tribulatio incipiet, imo à me incipiet, pastorem primùm percuti oportet, & deinde dispergi oues, à me ad uos deuoluetur, etenim seruus non est maior domino suo. Si me persequuti sunt, & uos persequentur. Hic opus habebitis auxilio è supernis, & illud iam uobis paratum est, saltem ut illud petatis, & petatis in nomine meo, & tali fiducia ac fide, ut filius suum patrem orat. Hæc summa est huius Euangelij, ut in tribulatione oremus, & ut in rebus afflictis oratio sit ultimum nostrum refugium, ea scilicet oratio, quæ ad Deum fit, & in nomine Christi. Ad hoc fundamentum hodierna Epistola & Ecclesiæ precatio destinata est, quinimo ad hoc fundamentum tota septimana peculiariter, & præ cæteris temporibus ordinata est. Tria autem pertinent ad orationem, si modo uera, pia & nobis utilis esse debet. Primò fides adsit oportet, & bona spes, quæ ad orationem nos trahat. Nam ubi nihil boni speratur, ibi orare piget. Quomodo inuocabunt (inquit Paulus) eum, in quem non crediderunt? Secundò, forma & modus in orando seruandus est: is in eo consistit, ne petamus quod Deo aduersum est, & nobis perniciosum. Tertiò, qui orat, ita constitutus esse debet, ne ipse sibi in mora sit. Hæc autem tria docemur hodierna Dominica. In Euangelio indicatum est, qua re fides nostra niti debeat, & quàm certa spes ac fiducia de oratione sit concipienda. Epistola docet, quomodo is qui orat apud seipsum esse constitutus debeat. Collecta seu Ecclesiæ oratio dat nobis formã, eámq; optimã orãdi. Quę autem res meliorem & certiorem seu firmiorem spem nobis dare potest in nostra oratione erga Deum, quàm q̃d Christus dicit, Deum esse patrem, qui nos diligat, nec negaturum nobis quicquàm, si quid petierimus uerbis Christi? Enimuerò tria sunt uerba, quorum unum quodq; per se, & so

& solum, fidem nostram ac spem confirmare potest. Nam si Deus est pater, nihil filiis suis recusabit: si eos amat, rursum nihil denegabit: si denique illis promisit, multò minus repulsam patientur. Ad primum, illum mouet natura ipsius. Ad secundum, misericordia eius. Ad tertium, ueritas illius. Si uos (inquit Christus) cum sitis mali, nostis bona data dare filiis uestris: quanto magis pater uester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? Nullus pater tam immiti ingenio est, qui filium suum in necessitate deserat. Nullus pater tam iniquus est, quando eum filius panem, ouum, piscem petit, ut illi pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ouo scorpionem porrigat. Qui ergo Deus suos deserat? Si parentum naturæ inseuit, ut diligant suos liberos, & pro illis curam gerant, multò maiori suos filios amore prosequetur. Nec est quod dubitemus, posteaquàm id Christus tam apertè dixit. Cœlum & terra (inquit alibi) transibunt: uerba autem mea non transibunt. Manebunt igitur & hæc uerba, quòd Deus pater noster est, quòd nos diligit, & ꝙ daturus est nobis quicquid petiuerimus. Hoc unum est. Quomodo autem deinde uidere melius possumus, quo quisque pacto esse constitutus debeat in oratione ad Deũ, quàm in iis uerbis, ubi Iacobus dicit in hodierna Epistola, nos non auditores tantùm, sed etiam factores uerbi esse debere? Quid nos magis remoratur in oratione nostra, quàm quòd auditores tantùm, & non factores sumus eorum, quæ in uerbo Dei audimus: uolumus ut Deus nos audiat, & nos illum audire detrectamus: multa à Deo poscimus, & nos proximo nihil impartimur? Estote factores uerbi (inquit sanctus Iacobus) & non auditores. Hoc etiam ad orationem pertinet, & est secundum. Denique meliorem orandi formam quî habere possumus, quàm ut illuminatos oculos rogemus ad uidendum, quæ bona sunt, & promptam uoluntatẽ ad faciendũ illud? Istud autẽ nos docet Ecclesia in hodierna sua precatiõe, & meritò. Etenim quãdiu nõ rogamus, ut bonũ uidere possimus aut agnoscere, & illud sectari, orãdo operã ludim⁹. Hinc manifestũ euadit, quæ causa sit, quãobrẽ aut nihil penitus oramus, aut etiã si oremus, ita prorsus nõ assequimur quod petimus. Nõ reputamus nobiscũ, quid nobis Christus in hoc Euãgelio promiserit, ideo tam tardi & segnes sumus ad orãdũ. Tum temporaria solùm petimus, nemo rogat ut quod bonũ est possit agnoscere

agnoscere ac facere. Quid igitur mirũ, si nihil impetramus? Quare magni interest, utrum oratione uero modo & forma utamur, iuxta illud: Quærite primũ regnũ Dei & iustitiã ei⁹. Item, Petite ut gaudiũ uestrũ sit plenũ. Quì autẽ gaudiũ nostrum fieri plenũ potest, si tẽporaria solum quęramus? Quì uel omnia tẽporaria animas nostras (qui spiritus sunt) exhilarare possunt? Quî porrò etiam plenum gaudiũ dici potest, cum corpus solũ gaudet, anima uerò tristatur? Quid animã exhilarare aliud potest, quàm Deus? Quì autẽ Deus reseruari potest, ubi quod bonũ est, neq; uidetur neq; fit? Si igitur petere iubemur, ut gaudiũ nostrũ plenũ fiat, non solũ tẽporaria petere oportet, sed etiã spiritualia, & ea quidem in primis. Hinc, arbitror, cuiuis perspicuũ esse potest, etiam hodiernã Epistolã, & Ecclesiæ precationẽ singulari studio iã dicto Euangelio attributã esse. Hæc est sentẽtia, quẽ orare piget, aut adeò pusillanimis est ac uecors, ut putet se ad Deum accedere nõ audere, indignũ esse, qui Deum aliquid roget, hoc inspiciat Euangeliũ. Si quis deinde petere uult, quod sibi utilissimũ, & Deo gratissimũ est, ad hodiernã Ecclesię precationẽ animũ aduertat. Qui deniq; assequi cupit, quod petit, hodiernã consideret Epistolã: uideat, ut nõ solũ auditor, sed etiam factor sit uerbi diuini: operam det, ut uerus minister Dei sit, & ut religionẽ suam ac cultum diuinum, non solum uerbis, uerum etiam factis declaret. Deus nobis omnibus suam det gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO
de oratione.



SI quem lateret, quamobrem Christus suã doctrinam Euangeliũ, hoc est lętum nuntium, appellarit, ex hoc unico Euangelio id uidere ac discere posset. Multos & superciliosos doctores habuit mundus iam antiquitus, nullus tamen inter illos omnes inuentus est, qui doctrinam suam Euágelium nominare fuerit ausus, præter unum Christum. Enimuerò sanctus Moyses suam doctrinã & scripturam nõ Euangeliũ uocauit, aut etiã uocare potuit, sed simpliciter legẽ. Nec prophetæ suas scripturas nominarunt Euangelium, sed aut uisiones, ut Isaias & Abdias: aut onera, ut Nahum & Abacuc: aut simpliciter uerbũ domini, ut Hieremias & alij. Sic Ethnici suos libros uariis titulis inscripserunt, cæterum

unus Christus suā doctrinā Euangelium, hoc est, lætum nuntium appellauit, idq; meritò fecit, nō ob id solū, quòd Isaias de illo scripsit, mitti eū ad annuntiandū pauperibus Euāgelium, uerum etiā & potissimū propterea, quòd omnia quæ locutus est, bonis iucunda, amœna, læta & cōsolatoria sunt. Cuius rei exēpla & indicia in hoc Euāgelio extant plurima.

Etenim primò, nónne lætum nuntium est, quod Christ⁹ dicit ac promittit, quinetiā deierat patrem daturum nobis, si quid in nomine suo petierim⁹: lætius adhuc est, quòd nos impellit & iubet petere, quo gaudiū nostrum fiat plenū, hoc est, ut penitus & euidenter perspiciamus, quàm Deus sit bonus: nā qui nunquā precibus Deū solicitauit, is de bonitate illius haudquaquam dicere potest: uerū qui uel semel Deū deprecatus est & exauditus, is cū sancto Dauide dicere potest: Cōfitemini domino, quoniam bonus, quoniā in secula misericordia eius. Et iterū: Iste pauper Dauid clamauit, & dominus exaudiuit eū: & de omnibus tribulationib⁹ eius saluauit eū. Accedite ergo ad eū, & illuminanimi: & facies uestræ nō confundentur. Gustate & uidete quoniā suauis est dominus, beatus uir qui sperat in eo. Omniū uerò lætissimum est in hoc Euangelio, quod Christus dicit, Ipse pater amat uos. & addit causam, quia uos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exiui: nā hęc duo ubi sunt, fides & charitas erga Christum, certū est, talē hominē quoq; à Deo amari. Iam uerò considera, qualis sapientia sit, scire, quomodo aduersus Deū te gerere debeas. Secundò, quanta sit dignitas in homine Christiano, ut solus præ cunctis aliis mortalibus ad Deū accedere ausit, ausit illum patrē suum appellare. & certus scit, se à Deo amari. Tertiò, quantus thesaurus & diuitiæ sint, scire Deum nos exauditurum. Atqui hæc omnia nobis promittit Christus. Qur igitur doctrinā suam nō meritò Euangelium appellet? Si cognouisses tu (dicebat super ciuitatē Hierosolymam) Vtinā & nos eiusmodi nostrā dignitatē & libertatē cognoscere possemus. Vtinā istud Euāgelium apud nos & omnes Christianos tantū operaretur, quantū primitus in sanctis Apostolis, & deinceps in aliis Christianis, qui ante nos fuerunt, operatum est, fructus haud pœnitendus secuturus esset, nō minus, quàm in Apostolis, & in aliis maioribus nostris. Christus prolixam Apostolis à cœna faciebat concionē, sed eā non perindè aures illorū recipiebant, ac uerba ista: quicquid alioqui tum dicebat ad illos, prorsus nō capiebant,

bant, semper inutilibus, & ad rē nihil pertinentibus interrogationibus sermonē Christi interrūpentes. Vt cum dicebat, Quò ego uado scitis, & uiam scitis: mox interloquitur Thomas, Nescimus quò uadis, & quomodo possumus uiam scire? Deinde dicenti, Si cognouissetis me, & patrē meū utique cognouissetis, & amodò cognoscetis eū, & uidistis eū: obturbabat Philippus, inquiēs: Domine, ostende nobis patrē, & sufficit nobis. Postea dicentē, Qui diligit me, manifestabo ei meipsum: Iudas Thaddæ' importune rogabat, Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum? Postremò cum dicebat, Modicum, & iam nō uidebitis me, &c. omnes pariter perplexi animis erant. Nescimus (inquiebāt) quid loquitur. Verū cum hæc uerba ꝓferret, ut nūc auditis, illa demū animis attētis excipiebāt, tū dicebāt. Nūc palàm loqueris, & prouerbiū nullum dicis, &c. in hoc credimus quia à Deo existi. Vide, hoc Euangelium istud in Sanctis Apostolis operatū fuit, ut etiā in summo suo mœrore, in quo erant, eo quòd Christus ab ipsis discedere uellet, tale solatiū & gaudium haurirent, ut fidē suam in Christum palàm profiterentur. Apud maiores nostros Euangeliū istud haud suo quoque caruit fructu, uestigia adhuc illud testantur. Nullum anni tempus est, quo magis & feruentius institerunt orationi, quàm hac adeo septimana. Et quid ad id aliud eos mouit, quàm quod Christus ipse in hoc Euāgelio de oratione prædicat, & omnes fideles suos magnis & eximiis promissis ad eam pellicit & inuitat? Facilè quidem concesserim, alias insuper causas fuisse, quamobrē maiores nostri hoc tēpore, orationibus plus uacarunt, quàm reliquis anni tēporibus, quippe quòd fructus terræ nunc omnium maxime periclitētur, & circa hoc tēpus ut plurimum erumpat, si quid bellorū aut infortunij uspiam lateat. Hos & similes casus haud dubiè aliquid ad rē fecisse credibile est, ut crucis & rogationū Dominica tanto religiosius sit obseruata apud maiores, præcipuè uerò illos incitasse hoc Euangeliū credere par est. Calamitatis & periculi metus impellere quidē eos potuit, hoc uerò illos traxit, & meritò. Quem enim non trahat, quod Christ' nos petere iubet, per suam fidem nobis promittit, nos exauditum iri, ait patrem ipsum amare nos, facile itaque exorandum esse? Sunt sanè iucunda uerba, etiamsi solis Apostolis dicta essent: multò iucundiora fiunt, si ea ad nos quoque referamus, ut qui cum sanctis Apostolis in una nauicula sumus,

mus,quibus idem iter conficiendum est,quod ipsi confecerunt,& idem periculum subeundum,quod illi subierũt. Admirandum itaque merito est, imò deplorandum, ne dicam commiserandum, Apostolos atque etiam maiores nostros ex iam dicto Euangelio tam egregios habuisse profectus,& nos ita nullos planè habere. Omnes boni Christiani ex hoc Euangelio semper occasionem cepêre, tanto alacrius, tanto confidentius, quin etiam tanto feruentius orandi. Apud nos uero,quo magis & clarius Euangelium audimus, hoc minus oramus,imò ad eum res deuenit locum,ut apud plerosque oratio obliuioni penitus tradatur, ut aliqui aut non orent prorsus,aut uix semel per septimanam orationis recordentur. At quid dico de una septimana?Quàm multos inuenias,qui toto mense,imò toto anno nõ unam orationem Dominicam ad finem usque dicant, adeò illis oratio ignota & obsoleta facta est, adeóque inuisa, perinde ac si desierint esse Christiani.Imò eò res deuenit,ut nonnulli orationem pro inutili & re nihili ducant, quando illis persuasum est,quod fit,sic fieri oportere:hinc postea concludunt, siue oremus siue non oremus,nihilo tamẽ secius fieri,quod fieri debet.Aliqui horrent orationem,& refugiunt, putãtes eam non posse esse bonam,posteaquam in nouis libellis legunt,opera nostra nihil facere coram Deo,nõ pertinere ad cœlum,operum pietatem esse blasphemiam in Deum, & imminutionem meritorum Christi, iustitiam operum pertinere ad infernum,orare,ieiunare,& corpus castigare,esse actũ agere,& etiam si orauimus,ieiunauimus,& eleemosynas erogauimus,conscientiam argui:hoc dic,opera ista esse mala & cõdemnata,nec quicquam ualere coram Deo. Hæc & id genus uerba leguntur in quibusdam nouis libellis, deinde quoque ab ineptis quibusdam concionatoribus similia audiuntur,condemnantibus publicam Ecclesiæ orationẽ,irridentibus priuatam orationẽ fidelium, reiicientibus omnes orationũ libellos absque discrimine,excerpẽtibus ex Euangelio ea quæ Christus contra Pharisæorum & Samaritanorum orationem dixit,clamantibus ex Psalmo,fore ut oratio eorum fiat in peccatum. Hæc cum imperita multitudo audit, mox infert, omnem orationem esse inanem, horrere eam incipit,simpliciter arbitratur hypocriseos esse opus, si alium uidet adhuc orantem,ridet eum, digitis notat, sinistrè hoc illi interpretatur,Papistam illum uocat,& talem censet,
quasi

quasi qui externis adhuc operibus inhæreat, ponens suam fiduciam in operibus suis, probus fieri studens per opera, operibus Deo cœlum expugnaturus, &c. Vnde fit, ut plerisque in locis bonus Christianus non bene ausit in publico templo orare, cogatúrque domi suæ & occultè suas preces perficere, ne nouum istum mundum offendat. Is enim apud nos Christianos mos nunc temporis penè inoleuit, ut orando posis Christianum offendere: quod anteà honori dabatur, nunc probrosum est: quod erat laudabile, nunc est ridiculum: quod serium erat, nunc ludus iocúsque est: quod apud omnes notum & usitatum erat, nobis nunc alienum factum est. Quàm res est contemptibilis modò, si quis orationi deuotos addat gestus! Quàm stultum nunc habetur, si quis genibus flexis oret! Quàm ineptum censetur, si quis in orando manus expandat! Quàm res uidetur insolita, si quis caput inclinet, pectus tundat! &c. Hæc tempora in nos inciderunt Christianos, hi fructus deprehenduntur in nouo sancto populo, sic nunc audimus Euangelium. An non autem res est miseranda, opus istud inter Christianos ita cadere, quod tamen semper apud omnes homines, non solum apud Christianos, uerum etiam apud Iudæos, Ethnicos, & Turcas & hæreticos in summo pretio fuit, & tamen nemo est, qui certiora promissa in oratione, atque etiam incitaméta maiora & plura exempla ad orationem habeat, quàm nos Christiani? Quapropter rem recta reputemus uia, qui simus, & ubi simus. Christiani sumus, & non Turcæ, in sancta Christiana Ecclesia sumus, & non in gentiũ cœtu. Agè ergo, agamus, ut in Ecclesia decet, & ut omnes Christiani huc usq; fecerunt. Sancta & uniuersalis Christiana Ecclesia iam inde ab initio nihil diligentius obseruauit & execuit, quàm orationem, & facit id etiamdum, semper orat, intermittit hoc opus ne unum quidem diem aut noctem.
Quotiescunque congregatur, primum omnium est semper oratio, omnia sua officia ab oratione auspicatur, & oratione concludit. Orare est Ecclesiæ proprium opus, optimum illius decus & ornamentum, summum illius solatium, absque oratione ne uiuit quidem. Hoc exemplum sequamur, gaudet Deus sua benedictione è supernis nos respicere. Inuoca (inquit) me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Volupe nobis sit, oratione nostra suspicere. Si hic mundi cursus tibi obturbat in ea, & impe-

dit te, istud tibi propone Euangelium, ibi certus redderis, orationem opus esse bonum, quippe quod Christus ipse docet, nihil enim mali aut uani docet, sed solum quod conducit. Ibi uides, orationem ad cœlum & ad Deum penetrare, quia ipse uult exaudire. Ibi audis, Deum respicere orationem nostram, & pensare uelle, id tibi certò hic promissum est. Reliquum fuerit, ut rectè oremus. Vide, hoc uerò nos quoque Christus docet, dicit ut in suo nomine petamus: id quod non temerè aut abs re addidit, est enim partium, quæ ad orationem pertinent, præcipua. Nam nisi nomen Christi ad patrem deferamus, frustra uenimus, uacuis nos manibus abire iterum oportet, qua de causa etiam Iudæi & Ethnici frustra & sine omni fructu orant, quandoquidem nomen Christi non habent, sed oderunt. Nos Christiani propterea orare patrem debemus, quòd id Christus nobis iussit, cui obstricti sumus morem gerere, qui etiam patrem nouit, & scit eum non irasci, quotiescunque etiam illum interpellemus. Quis enim mortalium alioqui, tam frõtis esset perfrictæ, qui ad Deum accedere auderet & dicere, Pater noster qui es in cœlis, &c. nisi ita nos Christus docuisset, nobis præcepisset, imo nomen nobis Dei reuelasset, uiam ad patrem fecisset, & nos omni metu ac formidine liberasset? Sed quia id nobis iniunxit Christus, alacriter accedere audemus, ac tanto libentius nobis pater dat, si uerba filij sui in oratione nostra audit. Secundò, nulli alii rei fidere debemus, quàm nomini Iesu, hoc est, passioni eius, morti ac meritis: nam ab ea sola admittimur & exaudimur. Absque hoc nomine nulla prodest oratio, omnia languent, absque hoc nomine Deus neque orationem nostram neq; opera nostra recipit: unde fit quoque, ut Ecclesia omnes suas precationes in nomine Christi ad cœlum transmittat. Hoc exemplum nos quoque sequamur, non seducet nos, non mentietur nobis Christus. Hęc dicere modò uolui pro exhortatione, & his uobis crucis ac rogationum septimanam denuntio Orationi uacemus fratres, quandoquidem nobis Christus tam ampla promittit, & præterea totus orbis Christianus nobiscum unà orat. Nõ est tibi cordi, quòd Christus tam humaniter loquitur? non te mouet, quòd tibi Ecclesia quotidiana exempla proponit? saltem te moueat summa miseria, calamitas & periculum, in quo uniuersa Christianitas nunc uersatur, & nosipsi quoque. Quo autem

tem nostra deprecatio sit efficacior coram Deo, nostræ vo
cationis nos etiá meminisse oportet. Nam ut Christus no-
uus est doctor, ita quoque nouum populum requirit, atque
ideo non immeritò apud istud consolatorium Euangelium
legitur, quod diuus Iacobus de Christiana uita & conuersa
tione docet. Quatuor in hodierna Epistola indicat, quæ o-
mnia ad hoc faciũt, ut oratio nostra tanto citius à Deo ex-
audiatur. Primò enim si uolumus ut Deus nos audiat in o-
ratione nostra, audiamus illum nos quoque in eius præce-
ptis necesse est, eáque faciamus: nam non auditores tan-
tum, sed & factores uult sui uerbi. Secundò, docet diuus Ia-
cobus, ut linguam nostram refrenemus, ne ex uno ore Deũ
oremus & blasphememus. Tertiò, ut nos misericordes &
benefici quoque simus, si Dei erga nos misericordiam &
beneficentiam experiri cupimus. Religio munda & imma-
culata, inquit, apud Deum & patrem hæc est, uisitare pupil-
los & uiduas in tribulatione eorum. Quartò denique im-
maculatos nos etiam custodiamus oportet ab hoc seculo:
nõ enim exaudit Deus peccatores, sed odit. Is nobis omni-
bus largiatur suam gratiam, Amen.

TERTIUS SERMO DE EVAN- *gelio in genere, ab ipso huius operis authore Latinè scriptus.*



IRCA hoc Euangelium iterum dico, quod
suprà quoque dixi. Tam insignia, iucunda, &
consolatoria sunt omnia uerba ipsius, ut quis-
que hæc audiens meritò in genua procidere,
oculos & manus in cœlum leuare deberet, ac
dicere, Cõfiteor tibi pater domine cœli & terræ qa abscõdi
sti hæc à sapiẽtib⁹ & prudẽtib⁹, & reuelasti ea paruulis, &c.
Dicit Salo. Verba oris sapiẽtis, gratia: & labia insipiẽtis pręe
cipitabũt eũ. Et Iesus Syrach, Sapiẽs in uerbis seipsum ama
bilẽ facit, &c. Vbi autẽ hęc melius uidentur, quàm ĩ ultimo illo
sermone Christi, unde desumptum est Euãgeliũ hoc? An nõ
Christ⁹ illic uerbis suis amabilẽ se facit? An nõ iucũda sunt,
quæcũq; illic dicit, imò nihil nisi mera gratia? Quis unquã
similia locutus est? Quis nõ libẽter audiret Euãgeliũ? Quis
nõ libẽter sequeretur Christũ? Quis unquã afflictos sic cõsola
ri potuit, ut Christ⁹? Prędixerat hoc diu antè Salomon. Noli
(inqt) ò Lamuel Christe ĩ quo De⁹ est, uinũ dare regib⁹, &c.

Date ſiceram mœrētibus,& uinum his qui amaro ſunt animo:bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui nō recordentur amplius.An nō autem Chriſtus hæc impleuit? Quid triſtius Apoſtolis erat, cùm à Chriſto ſeiungendi eſſent?Quid afflictius etiam nunc eo homine, qui ex animo Chriſtum ſequitur? At Chriſtus talem potum & illis & nobis prouidit,ut qui eum guſtauerit omnium malorū obliuiſcatur, talémq; conſolationem poſt ſe reliquit, ut qui eam legit,audit,aut cogitat,cogatur dicere, Ecce Domine, nūc palàm loqueris,& prouerbium nullum dicis, nunc ſcimus quia ſcis omnia,& non opus eſt tibi ut quis te interroget, in hoc credimus quia à Deo exiſti, &c. Atque hic etiā eſſet uerus fructus,qui ſequi deberet ex hoc Euangelio.Si enim tantum diſcere poſſemus,facile inde ſequeretur,ut quilibet ſecum diceret,Eia Domine Deus, ad quantam gratiam uocatus ſum,ut tam conſolatoria audiam? Quot ſunt homines in mundo,qui de hac conſolatione nihil ſciunt? Quot fuerunt reges & prophetæ,qui cupiebant hæc audire,& nō audierunt? Quàm felix ego ſum, qui quotidiè hæc audire poſſum? Sit nomen tuum in ſecula, &c. In hunc modū Dauid audiebat Euangelium,hoc eſt,promiſsiones Dei p Nathan.Statim enim egreſſo Propheta intrauit in tabernaculum Dei,ac primò uerba ipſa ſecum ruminabat, deinde mirabatur bonitatem Dei. Tertiò confitebatur ſuam indignitatem.Quartò,laudabat Deum.Quintò,ſeipſum in ſeruitiū Dei addicebat,& poſtremò orabat, ut Deus ſuā promiſsionē implere inciperet. Domine Deus(inquit) qs ſum ego,& quæ domus mea, quia adduxiſti me huc uſque? &c. Nunc ergo Domine Deus fac ſicut locutus es, &c. En, hic rectè ſciebat audire Euangelium. Bone Deus ſi nos etiam noſtrum Euangelium ita audiremus,quàm longè aliam faciem haberet Eccleſia? Verùm non attendimus nec cogitamus quanta bona ſecum adferat Euangeliū,alioqui impoſſibile eſſet,ut tam frigidi & indeuoti permaneremus. Ideo iterum admonitos nos eſſe oportet. Attēdamus ad ea,quæ nobis proponuntur,ſi non poſſumus omnia retinere, quæ Chriſtus docuit,ſaltem ultimum illum ſermonem cordi inſcribamus.Quòd ſi etiam ille nimium prolixus uidetur,ſaltem hoc Euangelium memoriæ commendemus, ſic enim nec ſine conſolatione,nec ſine doctrina ad propria redibimus.Quod ut uerum appareat, ſaltem aliquorū uerborum

uos ad

uos admonebo. Nam alioqui Euangeliũ hoc non opus habet multa expositione, cùm per se clarum sit. indiget autem admonitione, ne temerè transeamus quæ illic dicuntur.

Exordium igitur Euangelij huius dicit de oratione, & ad orationem nos admonet, non tamen nudis præceptis, sed magnis & certissimis promissis. Atq; hoc etiam præcipuum huius Euangelij est, sed tale, quod non audire tantum, uerũetiam ad ipsum opus perducere necesse est, idq; nõ semel tantum in anno, sed quotidiè, maximè autẽ cùm hoc Euangelium legitur in Ecclesia. Et sic etiã fecerunt patres nostri, quemadmodũ adhuc non obscura uestigia habemus in Ecclesia. Adeò enim Euangelium hoc imprimebãt cordibus, ut tota septimana nihil aliud quàm orarent, idque non priuatim pro se quisq;, sed in communi: seruabant enim & indicebãt solennes stationes & processiones, per hoc palàm ostẽdẽtes se & præceptis Christi obedire, & promissis eius credere. Nullus eorũ uolebat excludi à cõmuni illa oratione, quilibet cupiebat particeps esse promissionum Christi, sicq; probabant se & ueros Christianos & ueros auditores uerbi Dei. Quid autẽ tale in nobis uidetur? Idẽ quidẽ Euangeliũ audimus, at non idẽ fructus in nobis seqtur, imò grauatè eò usq; permanemus, ut semel post auditũ Euangeliũ oremus, tantum abest, ut per totam septimanam hoc faciamus. Quid autem prodest audire, quòd Christus in nomine suo petentibus omnia bona pollicetur, si nos nunquã oremus? Num putamus satis esse, si Euangeliũ audiamus? Imò an non hoc est Christum simul cum Euangelio suo irridere, si neque præceptis, neq; promissis eius moueamur? An non meritò irascitur, & irrideri se putat dominus quisq;, si se iubente nemo seruorum obediat, aut pater aliquis, si se dare uolẽte filij accipere nolint? Si hoc tibi dolet de seruis & filiis tuis, scito etiam Deum non æquo animo ferre tãtũ sui contemptum, cum scilicet nec ipso iubente obedimus, nec ipso promittente oramus. Et quid aliud contemptoribus huiusmodi expectandum est, quàm quod sapiẽtia Dei dicit, Vocaui & renuistis: extendi manum meam, & nõ fuit qui aspiceret, &c. Ego quoq; in interitu uestro ridebo, & subsannabo, cùm uobis id quod timebatis aduenerit, &c. Aperiamus igitur oculos fratres, tempus enim est, non semper patietur se Deus ita impunè contemni. Omnia autẽ hæc eò adduxi, ut discamus nõ tantũ audire Euãgeliũ hoc,

ſed etiam operi demãdare. Hoc enim nunc uel maximè necessarium est resistere conatibus Turcarum tyrannidis. Nostra enim uirtute sola nihil efficiemus. Non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo dicit Dominus, cõfringi oportet aduerſarium meum. Nihil hic efficient minacia uerba, impiæ blaſphemiæ, ſed oratio pia ex corde pio nihil nõ efficere poſſet. Oratione ſiquidẽ Moyſes uicit Amalechitas, oratione Ioſaphat ſuos armabat in prœlium, oratione Ezechias hoſtes ab obſidione Hieroſolymę deturbauit. Sic Dauid iturus ad prælia, prius dominũ cõſulere ſolitus erat. Idẽ faciebat Saül rex impius, faciebant hoc Romani, facit hoc Turca ipſe. Soli nos ita agimus, quaſi Deo nihil indigeamus. Incipiamus igitur uel nunc orare, quãdoquidẽ Euangelium hoc tam inſigniter nos admonet. Hoc enim niſi fecerimus, nihil agemus externis præſidiis. Nam uerisſimè dixit Salomon, Melior eſt ſapientia quàm arma bellica. Vera autem ſapiẽtia eſt agnoſcere Deum & eius uoluntatẽ, Deo adhærere, in ipſo ſolo confidere, ipſum inuocare in omnibus, omnia ab ipſo ſperare. Sed audiamus quid Christus de oratione doceat. Primò, nõ ſine cauſa poſt concionẽ crucis incœpit & de oratione docere. Sic enim fieri oportet. Niſi enim in cruce præſto ſit oratio, nemo crucẽ feret. Oratio unicum illud medium eſt, quo & conſcientiam in cruce, & liberationẽ à cruce impetramus. Ideo Christus etſi multa conſolatoria Apoſtolis dixiſſet, finaliter tamen ipſos ad orationem direxit. Petite (inquit) & accipietis, quaſi dicat, Nihil proderunt uerba audita, niſi ſimul oraueritis. Atque hoc eſt quod ſuprà dixi, nempe ea quæ hic dicuntur de oratione, non audienda ſolum eſſe, ſed etiam operi demandanda. Hoc idem & ex aliis locis ſcripturæ palàm eſt. Nam Christus frequenter ad orationem ſuos adhortatus eſt, ut Matth. ſexto & uigeſimoſexto, Luc. 11. & 18.

Poſſet quidem Deus quæcunque neceſſaria nobis ſunt, citra orationem noſtram dare, quẽadmodum & poſſet nos citra ulla opera noſtra ſaluare, utrũque tamen exigit, orationem ſcilicet & opera. Orationem, inquam, exigit, non ut hinc diſcat primùm, quid nobis deſit, ſed ut nos per hoc diſcamus omnia à Deo ſperare, & in ipſo ſolo cõfidere. Opera autem exigit, non quòd ipſe eorum indigeat, aut quòd Christi meritum non ſufficiat, ſed ut gratos nos & obedientes oſtendamus, & per hoc ampliora mereamur accipere.

Haben

Habenti enim & bene utenti dabitur, ei autē qui nō habet, & quod uidetur habere auferetur ab eo. Itaq; si Christianus es, & dici gaudes, scito quòd post fidē & oratio & bona opera tibi necessaria sunt. Hoc igitur primū ex hoc Euāgelio attēdendū est. Deinde obseruādū & illud, quòd Christus oraturos ad Deū dirigit, quem tamen admodū dulci nomine, népe patris exprimit & cōmendat, imò hoc nomen patris sexies in hoc Euāgelio nominat, idque nō ob aliā causam, quàm ut cōfidentius ad Deū accedere audeamus: nam alioqui quis ad eū accedere, imò corā ipso cōparere auderet, nisi sciremus ipsum esse patrē? Moyses siquidē Dei seruus fidelis erat, tamen audiit: Ne appropinques huc, locus enim in quo stas, terra sancta est. Sic Israëlitæ etsi trib' diebus se sanctificassent in aduentū Domini, tamē ad Moysen dicitur: Vade cōtestare eos ne propius accedāt. Sic Abrahā etsi summus Dei amicus esset, tamen trepidabat etiā corā angelo astare, ac subinde dicebat, Ne irascat' domin' meus, quòd loquor ad te cùm sim puluis & cinis. Et quid multis opus? cùm Moyses planè dixerit, Deus noster ignis consumens est. id quod etiam multis terribilibus iudiciis cōprobatū fuit in ueteri lege. Hæc autē possent aliquē ab oratione absterrere: præ se ferunt enim, quasi Deus tam terribilis & seuer' esset, ut nemo ad eū accedere auderet. Hoc igitur præuenire uoluit Christus in eo quòd toties patrē nominat Deū, imò nō alio nomine ipsum hìc nominat, quàm patris. Vult enim hoc nomine summè nobis inculcatū esse, ut planè nobis de Deo psuadeamus, quòd pater sit. Multū enim refert sic de Deo sentire & credere. In omni siqdē tētatione cōsolatur, præseruat à desperatione incitat ad omne bonū. Interim tamē Christus ideo etiā Deū patrē nominat, ut sciamus, cui acceptū hoc ferre debeam', unde & subdit, Exiui à patre, & ueni in mūdū: iterū relinquo mūdum, & uado ad patrem, &c Et iterum Ipse pater amat uos, quia uos me amastis &c. quasi diceret, Ex me & ppter me habetis Deū patrē. Christo igitur domino hoc acceptū ferre debemus, propter ipsum Deum placatū habemus. Nihil enim gratius Deo facere possum', quàm filiū eius honorare & ipsi credere. Qui nō honorificat, inquit, filium, nō honorificat patrē. Non igitur opus est multa disputare num prędestinatus sis. Crede in filiū Dei, ama ipsum, & certò Deū placatū habes. Vide autē ut rectè credas, & nō fictè diligas. Et hæc igiť de

nomine

nomine patris obseruanda sunt. Tertio loco considera insi gnem promisſionem, qua Christus dicit, Amen, amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, &c. Hanc promisſionem addidit Christus, ut tanto promptiores simus ad orandum. Quis enim non libenter oret, cum scit certò se exaudiendū. Hîc autem audis, quòd Deus dare uult, & audis ab eo qui fallere & mētiri nō potest, imo qui omnem patris uoluntatē scit, & ideo in mundum uenit, ut eam nobis manifestaret. Oportet igitur uel omninò cæcos esse, ut propria mala non uideant, uel omninò atheos, nec Deum nec animas suas curantes, qui ad auditum tantæ promisſionis non orant. Et quis non miretur hîc insignem hominum peruersitatem, quòd ita abhorrent ab oratione? Quid enim in ea pertimescis & fugis miser? Primò enim nō dedecori, sed summo honori est, posse & audere Deum accedere. Deinde null⁹ labor in oratione est, qui corpus atterat. Præterea orare nulli non licet, & omni tēpore, & ubiq;, in omnibus locis. Nullus enim Tyrānus, imo nec diabolus ipse hoc prohibere potest. Potuerūt Tyrāni Ananiam cum sociis in ignem deiicere, Danielem in lacum leonū, Susan-
Mach. 9. nam ad mortē condemnare, Machabæis linguas præcidere, & Stephanum lapidare, &c. non tamen potuerunt prohibere, quo minus orarent ad Deum. An non autē ingens cōsolatio est, quòd omni tempore, & omnibus locis Deū inuenire & interpellare posſumus inuitis & mundo & omnibus dæmonibus? Quàm cōmendata igitur nobis debet esse oratio: Quandiu enim orare posſumus, nondum periimus, quantumcunq; etiam in magnis periculis uersemur. Et hæc quidem de promisſione illa admonuisse sufficiat. Restat ut hoc quoq; consideremus, quòd Christus tam diligenter iubet, ut in nomine suo petamus. Et hoc enim multum ad rem pertinet. Qui enim non in nomine Christi petit, ut Iudæi & Pagani faciunt, nihil impetrant. Nam sicut Iudæi in solo tēplo Hierosolymitano certā promisſionem habebāt, se exaudiendos, ita nos in solo Christo exaudimur. Hîc habemus certā promisſionem exauditionis, & nusquam alibi. Ipse est ostiū Iohā. x. ipse uia ad patrem, ipse mediator, &c. Quid autem sit in nomine Christi petere, uel ex duobus illis uidere licet, pharisæo scilicet & publicano, quorū ille quidē frustra orabat, quia in nomine proprio, hoc est, propriis operibus & iustitia cōfisus orabat. Hic autē iustificatus abiit in domū suam,

ſuam, quia non in proprio nomine, id eſt, non in ſua iuſtitia aut ſe ipſo confiſus, ſed in ſola Dei miſericordia orabat. Nomé igitur Chriſti eſt ipſius meritũ, paſsio, mors, promiſsio, dilectio, &c. In nomine igitur Chriſti petit, qui propter meritum, &c. Chriſti ſe exaudiendum cõfidit. Sic legimus & ueteres nõ oraſſe in proprio nomine, ſed in nomine domini. Deus (inquit Dauid) in nomine tuo ſaluũ me fac. Et iterum: In iuſtitia tua libera me domine. Item: Propter nomen tuũ domine propitiaberis peccato meo: multũ eſt enim. Et rurſus: Propter gloriã nominis tui domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuũ, &c. Et propheta Daniel: Nõ in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciẽ tuam domine, ſed in miſerationibus tuis multis. Et Moyſes: Recordare Abrahã, Iſaac, & Iſraël ſeruorum tuorũ, quibus iuraſti per temetipſum, dicẽs, &c. Quare ſi cũ fructu & utilitate orare uis, ora in nomine Chriſti, &c. Pſal. 24.

QVARTVS SERMO EVANGElium componit cum Epiſtola.



HODIERNO Euangelio (ut uidere quiuis facilè poteſt) Chriſtus ultimũ ſuum ſermonẽ cõcluſit. Sed eſt epilogus impendio lætus, qui multa & ingentia promiſſa cõplectitur. Verũtamen aliquid à nobis etiã poſtulat, quanquã id perexiguum, & ſi cũ promiſsis cõferatur, imo tale, quod neminem grauat. Petite (inquit Chriſtus) & accipietis: hoc à nobis flagitat Chriſtus. Gratiã Dei ꝓmittit nobis, ſed uult ut eã petamus. Quid facilius à nobis requirere poſſet? Qui animo præditus eſt pio, is profectò nõ ſolùm nõ grauabitur præcepto tali, uerũ etiã gratias aget, quòd uideat quomodo agere cum Deo oporteat. Attamẽ dubium mihi nullum eſt, quin pigri logochriſtiani, qui omnia in nuda fide ponũt, hoc quoq; pro grauamine ducẽt, quòd gratiam Dei petere iam primũ debeant: nam illorum animus eſt ſemper audire, & nunquam facere. Chriſtus autẽ in illorum gratiã ſua uerba & ſententiã nõ mutabit. Quod ſemel dixit, dictũ æternũ manebit. Si Chriſtum uis audire in promiſsionibus ipſius, in præceptis quoq; illũ audias oportet. Indicauit tibi, omnia apud Deũ in procinctu, promerita & parata eſſe, ſed ſi ea habere uoles, petere neceſſe eſt. Hoc ubi nõ facis, illa aſſequi nõ poteris. Quòd ſi Dei iuſſa contẽnis, promiſſorum

sorum illius particeps nō fies. Aut totum, aut nihil. Quibus Christus suas promissiones fecit, his sua pręcepta dedit. Hic noster Samaritanus semper oleo & uino simul utitur, fides & opera, promissiones & præcepta, consolatio & obiurgatio semper coniuncta sint oportet. Christus pariter & simul ea docuit, nostrum est ea itidem simul acceptare, & hac de causa hodie Euangelio (quod insignibus promissis refertū est) talis Epistola assignata est, quæ præcepta doctrinam & exhortationem ad bona opera continet, quo quiuis uideat & intelligat, utraque hæc coniuncta esse oportere. Verùm hæc iam ordine audiemus. Verba hodierni Euāgelij ita instituta sunt, ut nemo non fateri cogatur, uerba esse humanitatis plena: attamen non omnes sentiunt, quid hæc uerba gaudij in animis adferant. Vnde fit postea, ut pauci secundū illa agant, quo sane defectu haud mediocriter laboramus hac tempestate. At quorsum attinet multa consolatoria audire, & tamen nullum gaudium in corde sentire, nec unquā ad meliorem frugē peruenire? Diuus Iohannes sciebat hoc Euangelium recte & utiliter audire, id quod ex uerbis apparet, quæ in sua Epistola scribit. Patres & maiores quoque nostri audire illud utiliter sciebant, id quod opera eorum testantur. In prima Epistola, quam scripsit, habet hæc uerba: Hæc scribo uobis, ut sciatis quoniam uitam habetis æternam qui creditis in nomine filij Dei. Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus secūdum uoluntatē eius, audit nos. Et scimus quia audit nos, quicquid petierimus, scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Hæc uerba Iohannes scribit, unde autem illum habuisse aut accepisse ea putamus? Vtique ex hoc Euāgelio. Qui alioqui de re uerba facere tam certò potuisset, & tam cōfidenter sibi alijsq; orationis fructū polliceri, nisi fundamento certo fuisset nixus? Nixus autem fuit Euāgelio, ac proinde clarissimè ex his illius uerbis uidem⁹, quomodo uerba Christi audierit, acceperit, & crediderit, & quid gaudij ex eis perceperit. Hæc est fiducia quā habemus ad eum, quia quodcunque petierimus secundū uoluntatem eius, audit nos. Et rursum: Scimus quia audit nos quicquid petierimus. Et tertiò: Scimus quoniā habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Et quartò: Qui scit fratrē suū peccare peccatū nō ad mortem, petat, & dabitur ei uita. Enimuerò hoc est de re certò dicere, hoc est sanè rē summoperè prædica

prædicare, hoc animũ indubiè gaudio afficit, hoc in sancto Apostolo non solùm diligentem & quotidianã, uerumetiã seriam prorsus, feruentẽ & flagrantem orationem excitasse credere par est. Quis non gaudeat, quãdo non solùm sperat & credit, sed etiam nouit se habere liberũ accessum ad Deũ? Scimus, inquit Iohãnes. Quis non libenter oret, quãdo scit, orationẽ suam certo exaudiri, & consecuturũ acceptorúmq; se quicquid à Deo petierit? Quis igitur orationẽ nõ pro maximo thesauro ducat, quando audit se nõ solùm sibi ipsi, sed etiã alij, imo peccatori gratiam per eam impetrare posse? Si uides fratrẽ tuum peccare (inquit) ora pro illo, quin si peccatũ illius non est ad mortem, hoc est, si ipse sibi non obstat, pertinaciter, sine pœnitentia, & ultrò in peccatis permanendo: nam talis etiãsi pro se ipse oret, inanem sumit operam, multò minus alius ei auxilio esse potest: est enim peccatum eius ad mortem, nihil habere uult, se ipsum impedit, & in suis peccatis perire decreuit. Verũ etiãsi quis peccat, & tamẽ cor suum non obdurat per impœnitentiam, huic etiam alius uitam impetrare potest sua oratione. Hoc scribit Iohannes, sumpsitque id haud dubiè ex uerbis, ubi Christus ait, Amen, amẽ dico uobis, si quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Petite & accipietis: ut gaudiũ uestrum sit plenum. Deprehendimus hoc idem in aliis quoque Apostolis. Petrus ad omnes Christianos scribit, ut sint prudentes & uigilent in orationibus. Paulus passim urget in suis Epistolis, ut instemus orationi, quin etiam annumerat orationem inter præcipuas partes iustificationis hominis, imo à fide secundum ei tribuit locum. Omnis (inquit) quicunque inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. Quomodo inuocabunt in quẽ non crediderunt? perinde ac si dicat, Vbi nõ fides, nec oratio esse potest. Cæterùm ubi fides est, oratio certò sequitur. Diuus Iacobus expresſis uerbis dicit, ut si quis sapiẽtia indigeat, postulet eam à Deo. Antiqui nostri Ecclesiæ doctores egregia multa scripserunt de oratione. De primis Christianis præcipuũ est, quod Lucas scribit, & quod mũdus ueheméter admirabatur, quòd quotidie uersarẽtur in tẽplo pseuerantes in oratione. Vel procesſiones adhuc indicant, quid maiores nostri de oratione senserint. Et unde id omne ꝓfluxit, nisi ex diligẽti cõsideratione hodierni Euangelij? Non solùm audiuerũt, sed accurate ꝑpenderunt, quid quæq; uox in se habeat, quanta sit gratia, quòd

quod Deus nos audire uelit, quãtum præbeat solatij, quod ubi necessitas postulat, Deum implorare ausimus. Hoc impellit ad orationem, hoc implet cor gaudio, id nuda uerba non faciunt. Audimus hoc Euangeliũ æquè ac alij, sed mente id nobiscũ nõ reuoluimus, non ad animum reuocamus, ideóque in opere non deprehenditur, nulla res minus curatur, quàm oratio, ridetur qui diligenter orat, blasphemia in Deum inualescit, oratio exolescit: tempus, dies, horæ ab Ecclesia orationi destinatæ, negliguntur, cõmunes orationes intermittũtur, aut certè cõtemptim obseruãtur, domus orationis fit dicacitatis domus: sic audimus nostrũ Euangeliũ: sic imitamur maiores nostros: sic consideramus nostrã miseriã & calamitatẽ: sic gratiã habemus Deo, qui ipse ultro daturũ nobis se offert: sic gratiã referimus Deo, q̃ gratiã nobis promeruit. Quî autẽ hoc Deo placere põt? aut quî hæc res in homine Christiano excusari & defendi potest? Omni affectu careat homo ille oportet, qui non exhilaretur, quũ audit Deum dare uelle: porrò negligens Christianus sit necesse est, qui ad tam certa promissa, quæ Christus filius Dei nobis facit, tamẽ non orat, imo omni animaduersione digna ingratitudo est, & certa irrisio Christi eiúsque Euangelij, si neq; illius præceptis neq; promissis mouemur. Nam uide, an nõ est hoc irridere patrẽfamiliâs, quũ seruis suis hoc uel illud iniungit, ipsi uerò nihil agunt? An non est hoc irridere patrem, quum filiis suis dare uult, iubet illos uenire & accipere, ipsi uerò accipere recusant? Te ipsum roga, ut tibi placeat, quũ hæc sentis in tuis seruis & liberis, uidebis quãtoperè Deo placere possit, quũ Deus promittat dare, accersat nos & iubeat petere, nos autẽ perinde agamus, ac si illũ non audiamus, nec illo habeamus opus. In prouerbiis Salomonis quæ sit tandẽ futura merces describitur: uocaui (inquit sapientia Dei) & renuistis: extendi manum meã, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne cõsiliũ meũ, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu uestro ridebo, & subsannabo, cũ uobis id quod timebatis aduenerit. Hæc uerba lõgè aliud sonãt, quàm hodiernũ Euangeliũ: in altero loco mera gratia est, in altero seuerissimũ iudicium Dei: quàm diu nos Deus audit, scimus nos habere uitã, ut supra ex Iohãne ostẽsum est. Cæterùm ubi Deus aures suas auertit, ibi certus interitus est. An nõ autẽ uidetur tibi Deus nũc minas illas suas in nobis cõplere, & nostram ingratitudinem

dinē egregiè remunerare? Nunquid uidetur, quòd nos irrideat temporibus istis calamitosissimis, ubi afflictos subinde noua mala excipiunt, & timendū est, ne grauiora incurrant, & tamen huic rei mederi facilè possemus ex hoc Euangelio. Vsq; modo nō petistis quicquā in nomine meo, inquit Christus. Petite, & accipietis, subiicit. Hoc uno remedio succurri posset huic malo: Deus abundè diues est ad dandū nobis omnia, quibus opus habemus ad corpus & animā, tēporaria, corporalia, spiritualia & ęterna: & Christus satis certus est in suis promissis. Nos tantū in uitio sumus, pigri, inertes, tardi, negligentes sumus, ut neq; nostrā ipsorum miseriā agnoscamus, neq; cōsideremus, quid præ cæteris hominibus cōmoditatis habeamus. Quapropter initio dixi, nō sat nobis esse debere, quòd nobis Christus tanta bona promisit, sed præstare simul ea, quæ à nobis poscit, promissa & præcepta unà apprehendere oportere. Primū illud haud uulgariter habemus in hodierno Euangelio: alterū urget diuus Iacobus in hodierna Epistola, præter fidē in promissa Dei per Christū etiam bona opera exigens, & uitę pietatē. Idq; agit per totā Epistolā, tanta cū seueritate, ut nouis logochristianis parum arrideat, imò totā Epistolā iampridē reprobarūt, stramineā eam uocantes Epistolā, & indignā Apostolico & catholico nomine, eò quòd eorū amentiæ non concinat & suffragetur: nā quod ipsi minimè necessariū iudicant, hoc diuus Iacobus summè necessariū existimat. Atqui Epistola diui Iacobi hactenus apud omnes Catholicos mansit, mansuráq; est ad finē usq; mūdi, ídq; omnes portæ & potestas inferorū prohibere nō poterunt. Multos hęreticos & erronea capita tēporis lōginquitate uicit, uincet & deinceps omnes. Nihil bonū Christianū offendat, quòd diuus Iacobus apud fideles tantopere urgeat bona opera, nō is solus est, qui hoc facit. Quinimò bonus Christianus nouit, nō solū Moysen & prophetas, sed etiā Christū ipsum & omnes Apostolos id fecisse. Id quod facile ex hodierna Epistola demōstrari potest.

Etenim primò, quod diuus Iacobus uult, nō auditores tātum, sed etiā factores uerbi diuini nos esse debere, idipsum Dauid quoq; dicit haud obscuris uerbis, Misericordia domini (inquit) ab æterno & usq; in æternū super timentes eum, seruātes testamentū eius, & memores mandatorū ipsius ad faciendum ea. Hic audis, cui promissa sit misericordia Dei. Hoc clari⁹ adhuc uides in Ezechiele, qui multis indicat, quibus

bus hominibus Deus uitā polliceatur aut renuat. Vtrobique bona aut mala opera memorantur. Qui hoc fecerit (inquit) uita uiuet & nō morietur, qui autē fecerit cōtrariū, eius anima extirpabitur è populo Israël. Secundò, quod sanctus Iacobus exēplo cōtemplantis sese in speculo ostendit & demōstrat, nō sufficere, audire uerbum Dei, nisi manu & opere attingatur: quēadmodum nihil prodest, si quis maculas suas seu næuos in speculo cernat, nisi eos aqua eluat. Idem hoc quoq; Christus apertis uerbis dicit, Nō omnis (inquit) qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnū cœlorum, sed qui facit uoluntatē patris mei. Tertiò, quod diuus Iacob⁹ dicit, hominē sibi ipsi imponere, qui credat satis esse, audire uerbū Dei & credere. istud ipsum Christ⁹ dicit claris uerbis, Omnis (inquit) qui audit uerba mea, & non facit ea, similis erit uiro stulto, qui ædificauit domū suā super arenā, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domū illam, & cecidit. Quartò, haud perperam dictū est, quòd Iacobus doctrinā & Euangeliū Christi legem nominat (quanquam quidem nō simpliciter legem, sed legem perfectæ libertatis uocat) siquidē & Isaias doctrinam Christi legē appellauit. De Siō (inquit) exibit lex, & uerbum domini de Ierusalē. quinetiā Christū νομοθέτην, id est legislatorem nostrū uocat. Dominus (inquit) rex noster & legifer: ipse saluabit nos. Paulus doctrinā Christi itidē legem uocat. Alter alterius onera portate (inquit) & sic adimplebitis legē Christi. Postremò, quod sanctus Iacobus hominē illū saluum dicit, nō qui legē & uerbū Dei audit, sed qui facit illud, & opere cōplet, fecit hoc ipsum & Dauid in suo primo Psalmo, & Paulus in Epistola ad Romanos. Et Christus ipse: Si hæc scitis (inquit) beati eritis si feceritis ea. Hæc si temerarij nostri cōsiderassent, Epistolā S. Iacobi nō tam leuiter & uecorditer irrisissent cōdemnassentque. Sed hæc missa facio. Nos Christiani scimus, in uinea Dei uocatos nos esse ad laborem, & nos Christo ueræ uiti esse insertos ad ferendum fructū, imò nemo nescit, puerū suo parenti amorē & honorē, seruū domino suo honorē, timorē, & obediētiā debere.

Hoc cum primis curandū est, ut opera bona nō hypocritico more, sed uerè aggrediamur. Inuenias enim, qui quandoq; aliquid quidē faciunt, sed negligunt & intermittunt, quod fecisse præstiterat, obolum ꝑ eleemosyna erogant, aureum interim furātur, &c. Sed quid S. Iacob⁹ ad hęc dicit? Si

quis putat se religiosum esse, nõ refrẽnans linguã suã, huius uana est religio. De sola quidẽ loquitur lingua, sed per eam intelligit reliqua omnia mẽbra. Quæ autem uera genuináq; opera sint, tandẽ quoq; idẽ indicat. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est, uisitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Hunc in modum loquitur Paulus de bonis operibus, & eiusmodi opera potissimum requiruntur, sicubi utiliter orare uoles. Faxit Deus, ut id consideremus, réque ipsa prẽstemus, Amen.

QVINTVS SERMO DE PRIma parte hodierni *Euangelij*.



SVPER hodiernum Euangelium hac uice meliorem interpretationẽ me dare posse non uideo, aut etiã exhortationẽ, quàm ut uobis omnibus dicã quod S. Iacobus in initio hodiernæ Epistolæ dicit, Charissimi, estote factores uerbi, & nõ auditores tantũ, &c. Si uultis, ut hoc uobis Euãgelium sit utile, & uestris rebus bene cõsulere cupitis, facite ut in opus cõferatis, quod Christus hîc docet. Hæc nõ solũ esset optima exhortatio, uerumetiã expeditissima enarratio istius Euangelij. At uerò audiuimus, quod Christus nos iubeat orare, certò nobis promittit, orationẽ nostrã nõ infrugiferam aut inutilem fore, hoc, inquã, audimus. Sed non sufficit: nõ tantũ auditores huius uerbi, sed etiã factores esse nos oportet, alioqui perinde esset, ac si in speculo nos ipsos cõtemplemur, quod tantisper prodest, quàm diu speculum inspicimus, simul atq; recessimus, omnium obliti sum⁹, quæ in eo uidimus: ita Euangeliũ istud nullã penitus nobis affert utilitatẽ, si tantum audimus illud, & nõ in opus cõferamus.

Deus per filium suum nobis uult dare quicquid utile est nobis ac necessarium tam ad corpus quàm ad animam, gratis uult nobis dare, ex mera beneficentia & misericordia. Hoc uerum est, & uerum manet æternum. Cæterum qui nobis hanc benignam suam uoluntatem per filium suum denuntiauit, is quoque ostendit media, per quæ dare uelit. Petite (inquit) & accipietis. Hoc medium est, per quod quærere & auferre oportet, quod Deus nobis dare stipulatus est: quod si omiseris hoc medium, nihil à Deo accipis: si petere grauaris, iam Deus desinit tibi esse obligatus. nam

qui dixit, illum daturũ, is ipse iussit quoq; , ut petamus, atq; iis solis dare promisit, qui prius ab ipso petãt. Quare bonum Christianũ circa hoc Euangeliũ nõ solum considerare oportet, quid à Deo habeat, & impetrare possit, uerumetiã quomodo accipere illud debeat. Si igitur tibi gaudio est, qđ te Deus exaudire uelit in tua oratione, te ornare suis donis, & ueluti tibi morẽ gerere, & plane parentis animũ ostendere, obsequere & tu illius uoluntati, rogãs illũ gratiã & dona ipsius, hoc illi defer honoris, ut supplicẽ te illi præbeas, declara uerbis & factis, te nihil nõ boni expectare ab illo, quẽadmodũ filius à suo patre. Hoc demũ esset, Estote factores uerbi, quin hoc esset Euangeliũ istud utiliter audiuisse. Atq; hoc nõ ab re dico, uulgus enim solo auditu cõtentũ, sibi ipsi placet, quando ad speculũ astat, uidet & audit, quàm Christ⁹ humaniter loquatur, & quòd Deus tã sit bonus, mox autem ut à speculo recessit, & concio finita est, nihil scit amplius, neq; afficitur quicquã, neq; gaudet. Hæc præfari in hoc sermone libuit, quo omnes intelligant, quo pacto istud aliáq; Euangelia utiliter & cũ fructu audire debeant. Proinde uerba quæ hic Christus loquitur, aliquanto latius disquirem⁹: Amen, amen dico uobis (inquit) si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hisce uerbis cõcludit Christus quod ante multis uerbis de uentura tribulatione Apostolorum dixerat, perinde acsi uno uerbo dicat, quid multis opus est? Si nullũ uobis aliud restaret solatiũ, satis tamẽ uobis solatij esset, quòd Deũ habetis patrẽ, qui omnia potest, quem alacriter implorare audetis, & qui uos certò exaudiet: nihil enim amicis meis & in nomine meo petentibus denegabit aut denegare potest. Eadem hæc quoq; Christus ante istud Euangeliũ promisit, nõ semel tantũ, ut cum dicit ad suos discipulos: Qui credit ĩ me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet, & quodcunq; petieritis in nomine meo, hoc faciã. Et rursum: Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcũq; uolueritis, petetis, & fiet uobis. Nunc autem repetit Christus id promissum. Primò, ut ostendat, Deũ deprecari in tribulatione, homini fideli summum & unicũ esse perfugiũ, quẽadmodũ optimus Iosaphat in suo angore dicebat, Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solũ habemus residui, ut oculos nostros dirigam⁹ ad te. Secundò, ob id Christus hanc promissionẽ repetiit, quod paulò antè de Spiritu sancto locutus erat, qui nos ante omn

tě omnia ad orationem cõpellit, quoniã is clamat in cordibus nostris gemitibus inenarrabilibus ad Deũ, Abba pater: siquidem oratio nõ est minimum donorum Spiritus sancti. Ideóque dicebat Deus olim per Zachariã: Effundã super domum Dauid spiritũ gratiæ & precũ. Postremò, propterea Christus hoc uerbũ toties iterauit, quoniã oratio graues sæpe patitur tentationes. Etenim primò nemo est, qui nobis in oratione nostra respõdeat. Tum exauditio quoq; in longum tẽpus protrahitur. Deniq; nõ rarò cõtrariũ nobis obtingit eius rei, quã petiuimus. Hę autem tales sunt tentationes, ut quæ alicui in oratione facilè fastidiũ pariant. Proinde multis & cumulatis promissionib' opus habemus, ne ob hæc impedimenta ab oratione desistamus. Habet autẽ unaquæq; uocula peculiare quiddã in se. Nam primò, loquitur nõ de ꝓlixa loquacitate, & uerborũ multitudine, sed de uera oratione cordis, quæ sola ad nubes propinquat. Ob id dicit, si quid petieritis. nã petere, est necessitatẽ suam significare, ut Dauid ait: Effundo in conspectu eius orationẽ meã, & tribulationem meã ante ipsum pronuntio. Est enim lõgè aliud orare, & multa uerba facere. Hoc quiuis potest, illud uerò magnũ est, quod perpauci homines possunt. Secundò, nõ dicit Christus, si hoc uel illud petieritis, sed in cõmune loquitur, nihil excipiens. Si quid petieritis, inquit. Sic & Dauid Deũ uocat suũ refugium nõ in una, sed in omni sua tribulatione, quæ ipsum circundat: atq; hinc sequitur, semper habere nos, quod petamus, quoniam nunquã sine tribulatione sumus. Docet porrò uerbũ istud, quid petere debeamus, nimirum quod sit aliquid: quapropter nihil mali petendũ. nam quod peccatũ & malum est, nihil est. nec deniq; temporaria petenda sunt, siquidẽ & illa inania sunt & nihil. Si quid petieritis (inquit Christus) intellige, quod aliquid est & petitione dignũ, quod bonum, firmũ, & salutare est: nã hoc unũ à Deo petendum est. Tertiò addit, si patrẽ petieritis. Et hoc uerbo nos ad orationẽ inuitat, perinde acsi dicat: Nõ est iudex aut carnifex, nec tyrannus, sed pater, proinde alacriter & cõfidenter accedere ad eum potestis. nam si uos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis uestris: quãto magis pater uester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? Quartò, addit quoq;, in nomine meo: nõ enim in proprio nomine petere oportet, hoc est, propter merita nostra, ueluti etiã Daniel dicit: Non in iustificationibus nostris prosternimus

preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Docet igitur nos hæc uox, quàm sit efficax nomen Christi, ut qui omnia largitur & affert, si modò inuocetur. Dehinc uidemus ex hoc uerbo, fidem necessariò ad orationem pertinere, imò nulla oratio efficax & frugifera est, nisi ex fide profecta. Quemadmodum Sanctus Iacobus dicit. Atqui uerò fides certa esse nō potest, nisi promissum certum habeat. Christus autem omnium certissima promissio est. Nam in illo omnes promissiones sunt Amen. Quamobrem in ipsius nomine petere oportet, nomen uerò non est uox illa, quæ literis scribitur, sed nomen eius est, incarnatio illius, passio illius, mors illius, meritum illius, &c. quicquid in hoc nomine, hoc est, propter passionem, mortem, meritum & iustitiam Christi petimus, hoc accipiemus: cæterum qui sui tantum meriti & iustitiæ nomine petit, is haud dubiè uacua manu recedet, ut Pharisæus ille in Euangelio. Quicquid enim à Deo accipimus, siue id fiat per hominum, siue per angelorum orationem, Christi nomine datur, nam de plenitudine eius accipimus omnes. Et ob id nobis Christus in hac uocula nihil aliud indicare uult, quàm quòd ipse sit uerus & unus mediator inter Deum & nos, sine quo ad Deum peruenire nemo potest. Quintò (inquit Christus) quicquid hoc modo petierimus, patrem daturum nobis: Atque his nobis promittit exauditionem nostræ orationis. Ne autem quis de ea re dubitet, confirmat eam iuramento, & quidem duplici, Amen, amen, inquit. Sic enim Deus aliis quoque in locis per se ipsum iurare solet, quo hæredibus gratiæ Dei indicet melius immobilitatem consilij sui. Quòd si ergo etiam homini habetur fides, si iuret, & per iusiurandum omnis lis & controuersia apud homines sedatur, quanto magis Deo fides habenda est? Quinimò homo Christianus, qui ad hunc modum, ut nunc dictum est, ad Deum orat, nō dubitare debet, quin oratio ipsius exaudita sit, & suo tempore experietur, licet nunc non statim sentiat. Nam hoc pacto quoque oratio Tobiæ multo ante exaudita erat, quàm extrinsecus apparebat. Atq; hæc omnia ad orationem nos inuitare debent. Hæc autem Apostoli ad hoc usque tempus nondum sciuerant, ob id Christus dicebat ad illos, Vsq; modo non petistis quicquam in nomine meo. Non tamen simpliciter dicit, hactenus non orastis, aut à Deo petistis. Nam quì fuissent Apostoli tam indiligentes aut impij, ut

nihil

nihil orassent prorsus, cùm tamen uiderent Christum totam quandoque noctem orare? Imò palàm ex Euãgelio cõstat, eos orasse. alioqui haud dicturi fuissent ad Christum, Domine, doce nos orare. Quare Christus hîc loquitur cum discrimine, usque modo non petistis quicquam in nomine meo. Nondum enim sciebant, nobis omnia per Christum dari à Deo. Secundò, toti adhuc pẽdebant à corporali præsentia Christi, & quacunque re opus habebant, eam ab ipso petebant, ut cùm dicerent, Domine, salua nos, perimus. Et iterum, Domine, adauge nobis fidé. Verùm corporali præsentia Christi illis subducta, oculos ad cœlum attollere cogebantur. Per hoc nobis indicatum est, quòd sæpe id, cuius immodico tenemur amore, & cui confidimus, nobis auferatur, ut ueluti coacti apud Deum auxilium quæramus speremúsque. Tertiò, hunc etiam in modum intelligamus licebit, quod Christus dicit, Vsque modo nõ petistis quicquam in nomine meo. Nõdum enim Spiritus sanctus datus erat, qui in cordibus nostris clamat, Abba pater, necdum Euangelium manifestatum fuerat, in quo discimus, Deum nobis per Christum patrem esse factum, & exauditorem nostræ precationis. Nam lex, quæ nobis peccata monstrat, & iram Dei denuntiat, deterret nos ab oratione, & facit, ut refugiamus Deum: at Euangelium, quod gratiam nobis & amorem Dei annunciat, pellicit & attrahit nos iterum, ut petere non uereamur, imò ducit nos per Christum ad Deum patrem. Quod autem Christus hîc suis discipulis dicit, posset & deberet meritò omnibus pigris Christianis probri uice obiici, Vsque modo non petistis quicquam, &c. Vt sit hęc sententia: Tanto tempore ô socordes Christiani fuistis sub Euangelio, tot tantáque uobis promisi, tam multa præclara uobis de patre meo dixi, & tamen nondum accurritis, petitis, & accipere uultis, &c. Proin monet ac præcipit, dicens, Petite, & accipietis: atque hoc uerbo indicat, aditum & uiam ad patrem iam nobis patere, & non aliunde fieri, si bona Dei non cumulatim nobis affluant, quàm quòd non petimus. Deus quidem posset nobis omnia citra orationem nostram dare, ut multa quotidie dat, quæ tamen non petimus, ueruntamen rogari à nobis amat, quo per hoc testificemur, illum esse fontem & originem omnis boni, & omnia nos habere ab illo, & non à nobisipsis, nostram orationem postulat, ut etiam opera nostra: nam qui creauit

& redemit nos sine nobis, non iustificabit nos sine nobis.

Quòd si igitur uerbum istud ad nos, ut nunc cōstituti sumus, referre lubet, uidemus in eo mirificam Dei bonitatē, quàm non faciat & retribuat nobis secundum peccata nostra. Nam si secundum iustitiæ suæ rigorem ageret, meritò ita diceret, Quia hactenus nō petistis, nec accipere uoluistis, clamabitis posthac, & nemo uos audiet, imò ridebo uestrum interitum. At Christus nō sic dicit, sed, Petite, & accipietis: perinde acsi dicat, Antehac omisistis, adhuc incipite, uel nunc etiā tempus est, nondum clausa est manus mea. Et quomodo amicabilius loqui posset? Quid facilius præcipere posset? Quisquis igitur post hæc pauper adhuc est, & spiritualium & diuinorum bonorū penuria laborat, is in Deum culpam trāsferre nō potest. Sed aut suæ ipsius superbiæ, aut negligentiæ imputandum est. Aduerte quid Christus dicat, Accipietis. Etenim profectò, qui rectè petit à Deo, aliquid accipit, etiamsi non semper id impetrat, quod petit, uacuis manibus Deus nullū uerū adoratorem ab sese dimittit, aut dat illi quod petit, aut dat quiddam præstantius: scit enim quid nobis utilissimum sit. Porrò quod addit, ut gaudiū uestrum sit plenum, duobus modis intelligi potest, primò in hanc sententiam, Suprà uobis dixi, fore, ut corda uestra impleantur gaudio: id autem tum fiet, ubi dona Dei acceperitis, quæ uobis ꝓmisit & dare uult. Proin rogate, ut ea quàm citissimè accipiatis, quo gaudium uestrū fiat plenum. Nam cùm diuina bona uobis promisi, incœpit gaudium uestrū, simul atq; autem acceperitis illa, gaudium uestrum plenum erit. Aut alio modo, quasi dicat, Iussi uos orare, & promisi uobis simul, orationem uestram exauditum iri, sed nondū dixi uobis, quid petere debeatis, istud nunc dico, petite nō solùm temporaria, sed ut gaudium uestrum fiat plenū. Tum autem incipit gaudium uestrum, quum pacem & quietē uestris conscientiis fueritis nacti, in futuro autem seculo gaudium uestrum fit plenum, quum Deum uideritis, sicuti est, quemadmodum & Dauid dicit, Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Vult itaque Christus, ut ea petamus, quæ hic ad pacem conscientiæ nostræ, atque illic ad cōsequendā æternam uitam, & felicem Dei conspectū facere possunt. Istud gaudium est, quod quærere debemus: atque his interim indicatum est, mundum nullo perfecto gaudio frui, sed illud solum esse perfectum gaudium, quod Deus per Christum

hîc in conſcientia dat,& illic daturus eſt æternum. Hoc agitè rogemus, hic inſtemus, hic nemo cunctetur, quod ſi fuerimus conſecuti, iam omnium rerum potimur. Deus nobis ſuam largiatur gratiam, Amen.

SEXTVS SERMO DE ALTEra parte huius Euangelij.



QVOD ſi propius nos Chriſtiani hoc Euangelium inſpiceremus, conſideraremúsque ſimul, quantum ſtudium & deuotioné maiores noſtri iam antiquitus circa illud declararint, non dubito, quin noſipſos accuſaturi eſſemus, & omni animaduerſione dignos iudicaturi, quòd ſimilis feruor & deuotio in nobis ita penitus nō deprehéditur: quòd tam multa bona audimus, & illa ita prorſus nō facimus: & quòd tot ꝓmiſsiones habemus, ſed illarū fructū ita omnino nobis perire ſinimus. At quid audimus in iſto Euágelio, niſi omnia bona? Quid aliud habemus in eo, quàm mera promiſſa, eáque magna & eximia? Imò eiuſmodi promiſſa, pro quibus meritò compoſitis manibus gratias Deo agere debebamus. Sanctus Dauid dicit in ſuo Paſchali carmine ſeu Pſalmo non ſemel, ſed quater continuè, Deum eſſe bonum, & miſericordiam eius permanere in ſeculum, hortatur itaque omnes ad laudem Dei. Et quid aliud uidemus in hoc Euangelio, quàm quòd Deus ſit bonus, & miſericordia eius finem neſciat? Huiúſne argumentum cupis? Ipſe pater amat uos, inquit Chriſtus, Hic tecum reputa, quis pater ſit, qui nos ſimus, qualis ſit amor, quàm non ſimus promeriti, &c. dicere cogeris, Bonus eſt Deus, & in ſeculum miſericordia eius. Num huiuſce rei aliud inſuper argumentum deſideras? Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, inquit Chriſtus: & iubet ob id nos cōfidenter petere, ait nos accepturos, quod ad perfectum & æternum gaudium nobis inſeruire poteſt, idque omne nobis promittit per ſuam fidé & ueritatem, Amen, amen dico uobis, inquit. Denique ne uſpiam quid deſit, docet ipſemet, quomodo petédū ſit, uerba ueluti in os nobis inſerens. Sic (inquit) orabitis, Pater noſter qui es in cœlis, &c. Et quid in his omnibus uidemus aliud, quàm quòd Deus eſt bonus, & miſericordia eius manet in ſeculum? Cogita optime Chriſtiane, quanta ſit gratia & beneficiū, quòd nos, nos, in-

quam, Christiani præ cæteris omnibus hominibus Deũ accedere audemus, audemus illum patrem nostrũ appellare, certi sumus nos ab illo amari, & daturũ eũ nobis, quicquid in nomine filij sui petiuerimus. Nónne pro talibus promissis (ut denuò dicã) extẽsis manibus nos Deo gratias agere par est? Nónne talẽ patrẽ semper præ oculis habeamus, tantò libentius ad eũ curramus, & tantò feruentius illũ precibus fatigemus, quando illum nobis tot bonorũ authorem scimus, tótq; ab illo promissiones habemus? At nũc contrà uide, quo pacto gratia illa utamur. Quid seculo isti nũc nostro insolitum magis, quàm orare? Quot homines sunt, q nunquam orãt? Quot sunt quos orare pudet? Quot sunt, quos pœnitet, quòd aliquãdo tantũ orauerint? Quot sunt, qui orare nesciunt? Quot sunt, qui alios ab oratione abstrahũt, alios homines qui adhuc orãt, rident? Atq; hoc iam annis hisce aliquot, tempore nuper nati Euangelij didicimus, ut oratio, unà cum aliis bonis exercitiis, propemodũ ex Ecclesia prædicãdo sit eliminata & explosa, ut quæ non aliter reputetur, quàm hypocritica & idololatrica res. Verùm non iste mos fuit ante nostrã memoriã in sancta Christianitate, imò quãdiu stetit, nihil uulgatius fuit apud eam, quàm oratio, & apud omnes Christianos. Nam ita Christus quoq; iussit, ita prædixit. In illo die, inquit, intellige, ubi uobis Spiritum sanctũ dedero, petetis, tum demũ uidebitis, quis usus sit orationis. Et sic quidẽ factũ est, simul ut Spiritu sancto afflati erant (inquit Lucas) perseuerabãt in orationibus, &c. Apostolos imitati sunt posteri Christiani, cuius rei extant adhuc indicia satis multa, præsertim in hac septimana; quotidiana processio, communes preces, satis arguunt, quo pacto maiores nostri hoc Euangelium ad animũ reuocarint. Ipsum opus testatur, illos uerbis Christi fidem habuisse, nõ sat illis erat, ut quisq; pro se oraret, sed conueniebant, cõmunibus uotis deprecantes, intercessionem sanctorũ iungentes simul, quò oratio efficacior fieret, & quemadmodũ Paulus dicit, per multos gratiæ multæ agerentur, hinc exclusum se esse nemo uolebat, quisq; taliũ promissorum Christi particeps fieri cupiebat, neq; id iniuria: nam quis non libenter eorũ esse cõsors uelit? Tãto magis etiã nos istud Euangeliũ ad orationis studiũ impellere debet, nũc enim si aliàs unquam opus habemus Deo: tãto tẽpore iã pax & cõcordia à nobis expectata est, sed uidemus expectationẽ nostrã frustr

frustrari. Seges in agris ostēdit quidē sese, sed tanta cœli intemperies est, ut ad frugē peruenire nō possit. Deus utrinq; ostēdit nobis, se pacem & alimentū dare posse, & daturum esse, & utraque habet in manu sua, ostēdit ea nobis, quemadmodum puero pomū ostenditur, quo inuitatur, ut ueniat & petat illud. Attamen non deferimus illi tantum honoris, nec nobis ipsi tantū bene uolumus, ut illū rogemus, nullā curantes admonitionem & exempla. Quid ergo miri est, si nihil nobis fortunet? Cui mirum uideretur, si Deus manum suam à nobis in totum auertat? &c. Age de oratione, ad quā nos Christus in primis huius Euangelij uerbis adhortatur & pellicit, abundè dictum est, audiemus nūc & reliqua quæ in Euangelio sequuntur uerba. Hunc in modum Christus pergit dicere, Hęc in prouerbiis locutus sum uobis, hoc est, obscurius & ueluti per ænigma. Verissimum est, siquidem Christus multis similitudinibus usus est, nostræ imbecillitati in hoc concedens. Id sanctos Apostolos hoc loco admonet, quo discerent & ipsi aliorum hominum imbecillitati morē gerere. Quanquam non solùm parabolæ, quas Christus loquebatur, quandoq; obscuræ erant, sed etiā alia pleraque eius uerba, imò hominibus qui Spiritū cœlestem nō habent, omnia sunt obscura & inuoluta, quæ Christus dixit. Ob id etiam Paulus dicit, Euangelium nostrum esse mysterium non agnitum filiis hominum. Nam si mundus sciret & intelligeret, quātum in nostro Euāgelio boni lateat, haudquaquam iam inde ab initio tam furiosè contra illud debacchatus fuisset. Veluti Paulus iterum dicit, Si cognouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent. Alioqui si in genere loquamur, posset hoc uerbum de toto tempore ueteris testamenti intelligi, perinde quasi dicere uoluerit: Hactenus nihil aliud habuistis præter figuras & umbras, nūc tempus est, quo proferatur ueritas, & manifestū fiat quid in figurarum inuolucris latuerit. Atque in huius rei argumentum, scissum est uelum templi, Christo in cruce pendente. 1. Cor. 2.

Venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar uobis, sed palàm de Patre annuntiabo uobis. Hæc uerba intelligunt nonnulli de futura felicitate, in qua Deum uidebimus non tanquam in speculo & ænigmate, ut nunc, sed de facie ad faciem. Satius autem est, ut intelligamus hoc uerbū de pentecoste, quando Spiritus sanctus uenit, & datus est, qui Euangeliū manifestauit, in quo cognoscimus, per Christum

Deum

Deum nobis patrem, & nos illius filios esse factos, itē nos à Deo omnia bona expectare debere, ac posse. Et hoc est palàm de patre annuntiare, ídque fit ab hac hora usque ad finem mundi. In illo die (inquit Christus) in nomine meo petetis. Ex hoc uerbo cognoscere datur uerbum præcedens non de futura uita intelligendum esse, nam illic nulla oratione opus erit: est igitur hæc sententia, In illo die reuelatæ gratiæ, atque adeò in die salutis, & temporis acceptabilis, quum uos spiritus sanctus omnem ueritatem docuerit, petetis in nomine meo: tum enim uerè cognoscetis, quòd ego in patre sum, & pater in me. Sic legimus quoque diuos Apostolos alíosque fideles, posteaquam spiritum sanctum accepissent, continuè in oratione perseuerasse: imò adhuc hodie, ubi spiritus sanctus est, & dies salutis ac gratiæ, ibi indubiè etiam est oratio in asiduo usu. Cæterùm ubi nulla oratio est aut fit, ibi sanè spiritus sanctus non est.

Pergit Christus, Et non dico uobis, quia ego rogabo patrem de uobis. Videtur hoc uerbum contrarium illi, quod Christus alibi dixit, Ego rogabo patrem, & alium paraclêtum dabit uobis, &c. Sed responsum in procliui est. Primò, hæc duo uerba conciliari possunt in hanc sententiam, Hactenus ego solus pro uobis rogaui, in posterum uerò non rogabo ego solus, sed uos etiam & unà mecum. Proinde non excludit Christus per hoc suam orationem, sed recipit nos simul in sui communionem, ut fratres illius cohæredes & membra, quin etiam reges & sacerdotes in illo simus. Secundò, potest & hæc esse sententia, In hoc die pasionis meæ & humilitatis, rogabo patrem pro uobis, & Spiritum sanctum uobis impetrabo. Verùm in illo die reuelatæ gratiæ nō amplius pro uobis rogabo, etenim nō opus erit amplius corporali aliqua oratione, nec opus erit noua aliqua oratione, nec opus erit noua aliqua reconciliatione: in conspectu Dei quidem pro uobis stabo & interpellabo, uerùm id non fiet oratione quæ fit motione labiorum, sed repræsentatione solummodo pasionis meæ. Ipse enim pater amat uos (pergit dicere) atq; hoc uerbū est uere & supra modum pretiosum, omnique acceptione dignum, ita ut bono Christiano cor præ gaudio meritò exiliat. Quid enim quæso maius accidere nobis potuisset? Mundus pro re uehementer magna ducit, si quis à principe diligitur: sed dicit Dauid & dissuadet nobis, ne in principibus confidamus.

Beatus

Beatus autem ille est, quem Deus amat, unica uerò causa eiusmodi Dei erga nos amoris est, quòd Christũ amamus, & in illum credimus. Non enim probitatis nostræ aut meritorũ nostrorum gratia nos diligit Deus. Hinc itaq; liquet, Deo patri nullum æquè obsequium gratum esse, quàm si unicum filium ipsius toto animo complectimur, exosculamur, & in illum credimus. Si ergo hác solam ob causam nos amat Deus, consequitur inde, quòd qui Christum nó amãt, & in illum credunt, à Deo quoque non amari. Pergit Christus, inquiens: Exiui à patre, & ueni in mundum, &c. Duas uias Christus iuit, alteram è cœlo in mundum, atque in hac uia cernimus ineffabilem ipsius charitatem. Alteram uiam iuit ex mundo per crucem ad Deum patrem, & in hac uia summa illius & perfectissima cognoscitur obedientia. Vtranque hanc uiam nos quoque ire oportet, primam ad proximum nostrum per charitatem. Alteram, ad Deum per obedientiam. Obserua autem, quòd nos Christus hoc loco incarnationis suæ pariter & passionis admonet. Siquidem merito utile & salutare est, ut hæc duo diligentissimè considerentur. Sed unum porrò ex his uerbis obserua, Christum non ita exiuisse à patre, quasi patrem reliquerit. Non, à patre ille nunquam seiungitur, atque ob id licet iam in terris ageret, se tamẽ in cœlo & in sinu Dei esse dicebat. Eundem in modum non ita reliquit mundum, ut iam non amplius sit in mundo: nam quomodo è mundo excedere sic posset, qui sua uirtute & omnipotentia omnia cõseruat? Quin si ita mundum reliquisset, ut in eo non esset amplius, mundus post ascensionem eius ad cœlum mox perisset scilicet, & fuisset collapsus. Quapropter uerba hæc sic intelligenda sunt, Exiui à patre, hoc est, exinaniui me formam serui accipiens, atque hoc modo ueni, ut instaurarem mundum: itaque etiam uias duras confeci. Nunc uerò mundum relinquo, iugum seruitutis depono, & ad patrem redeo, ut illic propter passionem meam gloria & honore coroner. Ad hæc Christi uerba dicebant Apostoli, Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Hæc loquebantur ex proprio ipsorum iudicio, arbitrantes se intelligere uerba Christi, cùm longè diuersum postea euentus comprobarit, quemadmodum etiam nos interdum uidemur nobis probè intelligere uerbum Dei, nec falli posse, mox autem ut ingruit procella, dubitare incipimus. Verùm quod dicunt

Christum

Christū nunc palàm loqui & apertè, utiq; uerum est, siquidē nullis amplius figuris utitur, ut in ueteri testamento, nec ad unum solummodò populum loquitur, ut tum tēporis, nec ad paucos quosdā homines, sed ad oēs mortales, quinetiā ad miseros peccatores. Sic uerissimū quoq; est, Christū scire omnia, ueluti hìc fatētur Apostoli. Scimus, inquiunt, quia scis omnia: est enim ille sapiētia Dei, quæ attingit à fine usq; ad finē fortiter, & disponit oīa suauiter. Christo autē omnia perspecta esse, arguit, quòd sæpe ad illorū cogitationes animi occultas respondebat, antequàm rogatus esset. Proinde quoque dicebant, Et nō opus est tibi, ut quis te interroget. Hoc, inquam, certū est argumentū, illi omnia nota esse: nā quis doctor ita expeditus est, qui ad omnes interrogationes suorū auditorū respōdere posſit, ne dicā ad cogitationes? Christus autē ut ad docendū erat paratissimus, ita potenter animos hominū habebat in sua manu, ut sciret quid cuiq; deesset, quandoquidē oēs illorū cogitationes exploratas habebat. Erat & hæc rursum præsumptio & arrogātia quædam in Apostolis, quod dicebant: Nūc scimus quia scis omnia. itidē & nos ante tribulationē arbitramur nos satis audisse & legisse, & abūde munitos ac animatos cōtra imminentem tēpestatem esse, at ubi iam in eam incidimus, nihil nobis satisfacit, quinimo ne uniuersa quidem Biblia nos cōsolari possunt. Sic fuit quoque præsumptio in Apostolis, quòd uidebātur sibi credere. In hoc credimus (inquiebant) quia à Deo existi. uerum suspicio magis ea erat, quàm certa fides, eáq; de causa non persistebat inualescente tribulatione. Postea uerò, quàm spiritū sanctū accepissent, omnia ista uerba uerè dicere poterant, nō ex se ipsis, sed ex uirtute & operatione eius qui in ipsis habitabat: etenim ubi Spiritus sanctus est & docet, ibi Christus cognosci uerè potest, ibi in illum credere, eíque adhærescere perseueranter possumus, nostrapte id uirtute facere non ualemus: tātomagis orandum nobis est, ut Deus nos suo diuino spiritu donet, &c.

SEPTIMVS SERMO DE EVANgelio & Epistola.



CIRCA hodiernum Euangelium iterum dico, quòd duabus proximè elapsis Dominicis dixi, pars est ultimæ prędicationis, quam Christus in terris fecit ante suam passionem, quæ duobus

duobus potissimũ nominibus chara nobis & pretiosa esse debet. Primò, quòd eam Christus ipse elocutus est. secũdò, quòd in ultimo suo discessu est locutus: iam uerò nõ sumus nescij, animum Christi erga nos bonum fuisse, tum etiã non ignoramus, hominem eum mundo inuisum esse, cui non curæ est, quod ex amicis suis hinc decedentibus audit, maximè si ea in re commodum ipsius quæritur. Quod si igitur etiam mundus hũc pro degenere & malæ indolis filio ducit, qui patris sui uoluntatem & iussum non ad animum reuocat, quantò magis in nobis culpabile fuerit, qui spiritũ Dei habere debemus, sempérq; scire & considerare, quid nobis à Deo datum sit, & maximè, quando certum est quoq;, qui Christum diligit, eum præcepta & sermonem illius seruare, & qui uerbum Dei non audit, eum ex Deo non esse. Si quis autẽ dubitet, num Christus nobis bene uelit, is audiat beatum Iohãnem: Cùm dilexisset suos qui erant in mũdo, in finem dilexit eos. imò audi Christũ ipsummet dicentẽ: Eum qui uenit ad me non eiiciam foras. Et iterum: Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, quin animam & uitam meam pono pro illis. Et rursum: Ego pro eis rogo, non pro mundo, pater sancte serua eos, sanctifico meipsum ac immolo, & uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut uideant claritatem meam, &c. Ex his & consimilibus uerbis quiuis uidere potest, Christũ nobis optimè uelle. An nõ autẽ Christianum hominem moueat, cõsoletur, exhilaret, & in amore Dei incẽdat penitus & inflammet, quando considerat ac nouit, se Deum habere beneuolũ & fautorẽ, ueluti in hodierno Euangelio cernere est? Quis enim pater unquam cum suo filio tam leniter & humaniter locutus est? Non est uerbum in hoc Euangelio, ne unum quidem, quod hominem uel semidesperatum consolari non possit, quin etiam iam cum morte luctantem in uita cõseruare, si diligẽter cõsideretur. Præcipuè uerò in hoc Euãgelio obseruandum, quòd Christus tantis promissis ad orationem adhortatur. Vnde perspicuũ fit, orationẽ earum rerũ unam esse, quæ necessariò ad Christianismũ pertinẽt: etenim reputa tecũ, quis hæc uerba dixerit, ad quẽ, quo tẽpore, & qua de causa, uidebis rẽ esse seriã. Christus ipse uerba ista locutus est, idq; in suo ultimo discessu, ad suos Apostolos unicè charos, & tempore summæ ipsorum tribulationis. Et quo pacto oratio commendari magis posset, quàm hic commendatur? Quo item modo

modo maiori cum grauitate eam proponere Christus potuisset? Quippè omnia indicauit, quæ hominem ad rem aliquam amplectendam permouét. Enimuerò primò ostédit, orationé esse rem honestam, cuius neminé pudere debeat, quamlibet magnũ, diuitem, potentem: non enim rogamus hominem, sed Deum, & id facimus in oratione, quod Deus præcepit, & quod omnes electi, quin etiá magni prophetæ & reges fecerũt. Secundò, est oratio nõ solùm honesta, uerumetiá iucunda & amœna res. nam in oratione sermoné cum Deo miscemus, experimur & sentimus bonitaté Dei. Ideóque Dauid nos iubet ad eum ire & gustare, quàm sit suauis. Et Paulus: Adeamus ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur. Tertiò, oratio non modò honesta res est, & iucunda, sed etiam utilis, siquidem omnia à Deo impetrat, utpote certissimis promissis fulta, non solùm huius Euangelij, & noui testamenti, sed etiá ueteris testamenti. Inuoca me (inquit Deus) in die tribulationis, & eruá te, & honorificabis me. Et in Dauide: Clamauit ad me, & exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum. Quartò, oratio nõ solùm honesta, iucunda & utilis est res, uerumetiam necessaria, qua carere nunquam possumus, ob quotidianas tribulationes, quæ aut premunt iam nos, aut nobis imminét. Quapropter etiá Christus alio in loco suos discipulos monet, ut orent, ne incidant in tentationé. Ad hæc omnia, oratio non nuper in usu esse cœpit, aut inuéta est, sed antiquitus, imò iam inde ab humani generis exordio, semper diligentissimè & feruentissimè usurpata fuit. Postremò, nihil graue est, & quod multũ requirat laboris, imò quid factu facilius, quàm suam necessitaté exponere? Nec opus habet oratio peculiaribus aut studio selectis uerbis, præterea ubiuis ea fieri potest, nõ est necesse, ut magno negotio simul & impendiis huc illuc discurretur, porrò pauperi æquè factu procliue est, ac diuiti. Summa, Deus ubique locorũ est, & est Deus omnium hominum, & esse uult, nemine excepto, quocirca nusquam nõ inuenitur, non Hierosolymis tantùm, ut Iudæi putabant, nec solùm in monte Samariæ, ut Samaritani persuasum habebant, sed in omni loco dominationis eius. Hæc auté talia omnia sunt, quæ nos meritò ad orationem cõpellere & pertrahere debent, maximè cùm nunc illud tempus sit, quo nobis palàm de patre in cœlo prædicatur, & nos certi simus, nos à patre amari

amari ob filiũ ipsius. Reliquum erit, ut donorũ Dei partici pes fieri studeamus: nã ita bonus & paratus est ad dandum, tum etiã oratio & promissa nõ fallent nos, uidendũ est saltẽ, ut persona, quæ aliquid à Deo petit, sit etiã bona, tũ autem bona est & omnib⁹ Dei bonis digna, quum Deum colit: nã quales nos erga Deũ declaramus, talẽ se declarat erga nos: si honoramus illũ, honorat & ille nos: si morẽ illi gerimus, morem gerit uicissim ille nobis. Atq; hæc orationis cõditio una præcipua est, siquidem nõ mediocris ars est, rectè & fructuosè orare, imò ars est nõ omnibus nota. Oratio si uera & utilis esse debet, in spiritu & ueritate fiat oportet, hoc est, ex intimo cordis nostri recessu proficiscatur necesse est, ueluti Dauid quoq; orabat. Secundò, in fide fiat oportet, ne dubitemus Deũ esse patrem nostrũ, uidere & perspectã habere necessitatẽ nostram, audire orationẽ nostram, & aliquãdo exauditurum eã, daturúmq; quod petimus. Et hoc qui non credit, is ne cogitet quidẽ se impetraturum à Deo aliquid. Tertiò, fieri debet oratio ac institui, nõ secundum nostram, sed Dei uoluntatẽ, iuxta illud, Pater nõ mea, sed tua fiat uoluntas. Quartò, petẽdũ est in Christi nomine: nam hoc uno authore Deum beneficũ habemus, & quicquid nobis dat, id omne facit propter illũ, qui pro nobis mortẽ oppetiit. Ipse pater (inquit Christus) amat uos, quia uos me amastis, & credidistis in me. Quintò, oratio quoq; in iustitia fiat necesse est: peccatores enim Deus nõ audit, imò Deus odit peccatores, ut ait sapiens. Quamobrẽ, quo oratio nostra efficaci⁹ sursum feratur, quidã ex priscis doctoribus Ecclesiæ duas illi addiderunt alas, hoc est, cõtemptum mũdi, & carnis castigationẽ. Angelus in Tobia orationi ieiuniũ & eleemosynã attribuit. Alij hæc duo illi assignant, peccanti condonare, & egeno largiri. Et hoc esset in iustitia orare. Ad hãc iustitiam, ut quæ ad orationẽ requiritur, peculiariter hodierna Epistola destinata est, in qua S. Iacobus dicit: Estote factores uerbi fratres, & nõ auditores tantũ, fallentes uosmetipsos. Quia si quis auditor est uerbi, & nõ factor, hic cõparabitur uiro cõsideranti uultum natiuitatis suæ in speculo, &c. Hæc hodierna fuit Epistola, atq; hic uides, quo pacto hodiernum & reliqua omnia Euãgelia audire oporteat. Diuus Iacobus cõparat uerbũ Dei speculo, & quidẽ pulchra est & apposita similitudo. Nã ut speculum nõ in hoc inuentum est, ut cõtemplemur nos solum in eo, sed ut iuxta illud uultum nostrum com

ponamus formemúsq;,& si quid speculum maculę seu næui nobis ostendit, eluamus: sic quoq; est uerbũ Dei seu diuina scriptura, maximè uerò lex. Nusquã uidere melius possumus faciem primę nostræ natiuitatis, hoc est, peccatum nostrum, miseriam & cõdemnationem, quàm in sacra scriptura, null⁹ Cicero conditioнẽ nostram melius & clarius uerbis eloqui, nullus Apelles aut Zeusis uiuidius & intelligibilius depingere potuisset. Num autem sacra scriptura propterea solum nobis data est, ut in ea nos cõtemplemur? Minimè sane. Sed ut faciem nostram, hoc est, uitam nostram ac mores iuxta illius normã instituamus. Ob id enim speculum istud mõstrat tibi labem tuam, nõ ut uideas tantum, sed abstergendæ illi tantò maiorem diligentiam adhibeas. Et ob id quoq; ostẽdit tibi decus uirtutis ac pietatis, nõ ut cõspiceris solum, & illud admireris, sed ut apprehendas, & omnibus modis honestis studiis incumbas. Hinc liquido apparet, quomodo importuni quidã nostro ęuo mundum miserrimè seducant, docentes, legem & præcepta Dei ad nihil aliud data esse, quàm ut peccata ex iis discamus cognoscere, hũc unicũ esse usum legis, posteaquam Paulus dixit, Per legem cognitio peccati. Quanquam Paulus rectè & bene scripsit, si uerba illius ritè & sanè uelis intelligere ô cor prauum. Vtique per legem cognoscitur peccatum. Ideóne autem legis nullus alius usus erit? Verissimè uidemus in speculo maculas & tubera faciei nostræ, sed num speculum in hoc tantum inuentum est, ut cõtemplemur nos, & non potius, ut eluamus quod faciem nostram deturpat? Quis illum non stultum & delirum iudicet, qui sæpe ad speculum cõtemplatur sese, nec unquam tamen formæ uitia emendat? Sic etiam profectò res est ridicula & reprehensione graui digna, aliquem sacram scripturam & uerbum Dei frequenter legere & audire, nec tamen cogitare unquam de uita & moribus mutandis. Proinde, si legere potes in beato Paulo, per legem cognosci peccatum, lege quoque quod Dauid dicit: Domine mandasti mandata tua custodiri nimis. Lege quod diuus Iacobus in hodierna Epistola dicit: Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si tibi non satis facit Sanctus Iacobus, audi quid ipse Christus dicat: Si hæc scitis (inquit) beati eritis si feceritis ea. Et rursum: Omnis qui audit uerba mea hæc, & facit ea, assimilabitur uiro sapienti, qui

ti, qui ædificauit domum suam supra petram, &c. Rursus: Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. nam quorsum alioqui attinet, si cibum sumas, nec possis illum concoquere? Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi, ait diuus Iacobus. Seruus qui cognouit uoluntatem domini sui, uapulabit multis, dicit Christus. Reuelatur ira Dei de cœlo, super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui ueritatem Dei in iniustitia detinent, hoc est, qui sciunt & non faciunt, inquit Sanctus Paulus. Summa, Iacobus uult, ut non modò in speculum diuinarum scripturarum inspiciamus, uerumetiam faciem nostram ad illius normam instituamus componamúsque, hoc est, uult ut non simus obliuiosi auditores, sed factores seduli: nam ad eos tantum Christus uenit, qui ipsum diligunt, & sermonem eius seruant, nec consistit regnum Dei in uerbis, sed in uirtute. Itaque uidere quiuis potest facile, Sanctum Iacobum in hac Epistola ingens discrimen statuere inter ueros & falsos Christianos. Audire & credere possunt etiam improbi, quin diabolus credit & contremiscit: audire, credere, & facere genuinæ sunt conditiones hominis pij. Et ob id quoque uerbum Dei nobis datum est, non solum ut audiamus illud, legamus, sciamus, credamúsque, sed etiam ut faciamus. Huc quadrat primò, quod Sanctus Iacobus paulo supra hodiernam Epistolam dicit, uerbum Dei nobis insitum esse, dans nobis exemplum de bono ramo, qui nonnunquam agresti & infrugiferæ arbori inseritur, antequam id fit, radix illa nullos fert bonos fructus, sed ubi bonus ramus inseritur illi, tum bonos ferre fructus incipit. Sic res quoque nobiscum habet. Abiicite (inquit Sanctus Iacobus) immunditiam & abundantiam malitiæ. hæc est infrugifera illa arbor, praua nostra natura, quæ non nisi malos gignit fructus, nec aliud potest, sed uenit Deus uerus ille colonus, & inserit malæ nostræ naturæ diuinum suum uerbum, sed facit id non ob aliud, quàm ut natura nostra per hoc uirtute & succo irrigata pulchros edat fructus. Et ita quidem uerbum Dei accipiendum est, imò nisi quis ita accipit, nescit quamobrem nobis uerbum Dei datum sit. Enimuerò non satis est frater, ut uerbum Dei in ore, auribus, intellectu, memoria, aut etiam in manicis gestes, quin sic habet Iacob', Estote factores uerbi: nō ideo beatus es, quòd sis auditor uerbi Dei, sed ubi factor simul

 fieri

fieri cœperis, nec es propterea pulcher coram Deo, quòd teipsum in lege illius contemplere, nisi næuis quos tibi indicat lex, emendatis. Et postremò uerus Dei seruus nō es, nisi linguá & cor tuum à malo custodias, exerceas te in operibus charitatis & misericordiæ, & ab omni huius mundi cōtagio immunem serues. Si quis putat se religiosum esse, nō refrenans linguā suā, huius uana est religio. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hęc est, uisitare pupillos & uiduas in tribulatione eorū: & immaculatū se custodire ab hoc seculo. Deus bone, quàm hæc apud nos Christianos nō cōsiderantur. Diuus Apostolus tā acriter calamum stringere aduersus logochristianos nō potuit, quàm id necessitas postulauit. Quin etiamdū hęc quidē Epistola, quoniā etiam de operibus & nō de mera fide & gratia loquitur, huius temporis mentito Euangelico gregi haud probatur, unde & iampridē è Bibliis eā eradere & exterminare conati sunt. Sed ita eraditur statim, quicquid nobis nō arridet. Nō clàm est bono quoq; Christiano, quòd nō solū hic, sed etiā omnes alij Apostoli, imò Christus ipsemet, & ante eū omnes Prophetę, post fidē etiā bona opera promouent. Et hoc est demum in iustitia orare, ubi bonis actionibus incumbitur, nec à Deo petitur solū, uerumetiā cōsideratur, quid ipse à nobis requirat. Sic etiam fit, ut oratio tanto citius exaudiatur. Det nobis Deus omnibus suam gratiam, Amen.

OCTAVVS SERMO DE ORAtione alijsq; rebus pluribus.



CIRCA hodiernum Euangelium tria nobis cōsiderāda sunt. Primò quamobrē illud huic Dominicæ sit cōsecratum. Secundò, quid Christ⁹ potissimum in eo cōsiderauerit: Et tertiò, quomodo illud ad reformationem emēdationēq; Ecclesiæ nobis inseruire queat. Primum illud nunc mitto, nam in alio quodam sermone abundè indicaui, Euāgelium istud quatuor de causis hodiernæ Dominicę assignatū esse. Ex his præcipua est, quòd hanc Dominicam rogationum septimana cōtinuò sequitur, in qua singulis penè diebus communes processiones & uota fiunt. Idq; principio originem suam hinc adeò habet. Mamercus Episcopus Viennensis in Galliis rogationes istas hu⁹ septimanæ primus instituit,

non

nō superstitione aliqua ductus, sed magna necessitate coactus. Videbat maximam & insolitā plagam, qua populus affligebatur, ut homines etiam in uicis & ciuitatibus tuti esse nō possent à lupis & feris. His enim belluis punit Deus belluinā uitam hominum. Optimus pastor cura & solicitudine distinebatur pro suis ouibus, uerū cum nō aliud remedium sciret, uiderétq;, uocabat suos ad crucē Christi & orationē. Hoc primum fuit initium istius processionis, accidit hoc Imperatore Zenone. Secuti sunt postmodum hoc exēplum & alii, considerantes, nos circa hanc anni partem oratione omnium maximè opus habere: nam sicubi bella oriri debēt, hoc ut plurimū gliscunt tempore, deinde nec seges nunc tenerrima est, & calamitati maximè obnoxia. Hîc autē oratione opus est, ut Deus nobis pacem donet, faciátque ut feliciter prouenientibus in agris fructibus perfrui liceat. Atq; hic mos in uniuersa Occidentali Ecclesia receptus est, & ueluti in cōmunē legem abiit, ut tribus proximè sequentibus diebus cōmunes precationes fiant. Vestigia adhuc extāt in Ecclesia, si tātùm pristinus feruor & deuotio adesset. Huic Euāgelio priores partes datæ sunt, nec aliud melius ad hoc tempus & ad hoc opus ordinari potuisset. Quis enim tam desidiosus est, quem Euangelium istud ad orationem nō excitet & compellat? Quando Christus dicit, Petite, & accipietis: & præterea per seipsum iurat, hoc est, per ueritatem, quicquid petierimus, hoc patrem nobis daturum? Quis uerò tā est hebetis ingenij, qui nō uideat, quomodo & quid petendū sit, quum Christus palàm dicat, nos in nomine ipsius orare debere, ut gaudium nostrum plenum fiat? Quis porrò tā uecors est, cui nō etiam animum addat ad orationem, quando audit quod Christus dicit, Pater ipse uos amat? Imò quis tam negligens & incogitans est, quem nō pudeat, & qui nō nefas ducat, si nō assiduè oret, quando audit Deum tot tantáq; offerre? Vide, in hoc Euāgelium istud pro parte hodiernæ Dominicæ datum est. Et quis hanc ordinationem iure damnabit aut reprehendet, si rectè seruetur? id quod tamen nostro seculo longissimè abest, ut postea audiemus. Nec tamen ideo Ecclesiæ ordinatio aspernanda erat, sed potius abrogandum malum, & relinquendum bonum. Verùm de hoc aliàs commodius. Quid Christus in hoc Euangelio sibi uoluerit, quiuis facilè uidebit, qui initium & finem sermonis, unde Euangelium hoc desumptum est, inspexerit cō-

ſideraueritque. Non turbetur (inquit Christus in initio) cor ueſtrum. In fine concludit his uerbis, Hæc locutus ſum uobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego uici mundum. Ex his uerbis palàm fit, Chriſtum totam hanc prolixam concionem poſt cœnam eò deſtinaſſe, & propterea feciſſe, ut conſolaretur ſuos, ne cruce ipſius offenderentur, neu ſua ipſorum cruce grauarentur. Sentiat ſanè mundus (uult dicere) de me quàm poteſt peſſimè, omnem ſuam in me poteſtatem oſtendat licet, attamen ego in tanta ſum authoritate apud Deum, ut uobis atque adeo omnibus hominibus nihil ſit denegaturus in nomine meo petentibus, ſed omnes amet, qui me amant, imò ego is ſum, qui à Deo profectus ſum, & nunc ad patrem redeo, & ueniet tempus, quum hæc omnia experiemini & uidebitis. Quare crux mea nihil uos debet offendere, multo minus ueſtra cruce grauari debetis, aut animum in ea deſpondere. Vt enim malignè mundus de uobis ſentiat, hoc ego tamen uobis pro certo affirmo, patrem amare uos, & daturum uobis, quicquid petieritis eum, & opus habueritis in tribulatione ueſtra & neceſsitate, quatenus in nomine meo petieritis. Quid igitur mundi odium uobis obeſſe poteſt, ſi uos diligit Deus? Quid uobis mundus auferre poteſt, quod uobis talis pater, nempe Deus, non poſsit reſarcire? In me habebitis pacem, ſemper ego uobiſcum ero in omnibus procellis, imò per me quoque habebitis patrem à ueſtra parte, & pro animi ueſtri ſententia ac uotis, per me conſequemini, quicquid petieritis, &c. Hæc Chriſti ſententia eſt in hoc Euangelio. Quem uerba iſta non exhilarent? Quis non merito cum Chriſto dicat, Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, quòd Prophetæ & reges uoluerunt uidere & audire hæc, & non uiderunt neque audierunt? Quot adhuc hodie homines ſunt, qui hoc ſolatium penitus ignorant? Nobis uerò id manifeſtauit Deus per uerbum ſuum. Quapropter meritò dicimus cum Iob: Sit nomen Domini benedictum. Hæc breuiter dicta ſint de eo, quod Chriſtus in hoc Euangelio ſenſit. Nunc porrò audiemus, quid ex hoc Euangelio in Eccleſia corrigendum ſit: ea eſt oratio adeò, de qua Chriſtus tam magnificè in Euangelio iſto loquitur, quæ ſi in priſtinum ſuum ſtatum reſtitui poſſet, haud medioccris in Chriſtiani-
tate

tate pars reformata esset & emendata. Non quidem id fiet citra laborem, attamen periculum faciendum est & tentandum: etenim non parum momenti in oratione situm est Ecclesiæ, optimus illius thesaurus est & præsidium. Ab oratione Christianitas inchoata est, primum fuit, quod primi Christiani post ascensionem Christi faciebant, cum oratione adoleuit, ut in Actibus Apostolorum inuenimus, per orationem omnibus sese necessitatibus expediuit, per orationem adhuc conseruari eam oportet, & ubi oratio nulla est, ibi neque Ecclesia profectò Christiana est. Per orationem autem non eam intelligo, quæ ore recensetur, sed in primis affectus & suspiria cordis, quæ demum uera est oratio, quámque Deus potissimum respicit & exaudit. Per orationem item intelligo gratiarum actionem & laudem Dei, & si quid est aliud, quod lingua coram Deo expedire possumus. Hi sunt uituli labiorum nostrorum, quos Oseas ferre iubet, & Deo Domino nostro litare, orare, gratias agere & Dei prædicare laudes. Sanctus Dauid hæc tria in uno uersu suorum Psalmorum complexus est: Inuoca me (inquit Deus) hîc habes orationem: honorificabis me, si eruero te: hîc habes gratiam actionem: immola Deo sacrificium laudis, &c. hîc habes tertium, nimirum laudem Dei. Oratio fieri nunquam melius potest, quàm in necessitate. Nam cui nil desit, is orare non potest. Saluum me fac Deus (inquit Dauid) quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam. Domine salua nos, perimus (dicebant Apostoli in aquæ periculo) Pater saluifica me ex hac hora, inquiebat Christus. Hîc erat necessitas, tantò quoque feruentior fundebatur oratio. Gratiarum actio sequitur accepta beneficia, ut cùm Dauid ait, Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu uitam tuã: qui coronat te in misericordia & miserationibus. Laus Dei proficiscitur ac oritur in homine ex consideratione, admiratione, & summa æstimatione diuinæ maiestatis, sapientiæ, bonitatis, & omnipotentiæ, ut cùm Dauid dicit, Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Et rursus, Domine Deus meus magnificatus es uehemẽter, cõfessionem & decôrem induisti.

Ego hac uice omnia illa tria in uoce, Oratio, complectar. Et quoties orationē nomino, reliqua duo simul intelligere semper debetis. Itaque triplicē orationem habemus in sancta Christianitate. Prima est priuata & occulta oratio, gratiarum actio & laus, quam quiuis Christianus intra sese facit. Est secūdò cōmunis oratio, gratiarū actio & laus, quam Christiani pariter & unà faciunt. Tertiò est, quotidiana & publica Ecclesiæ oratio, gratiarum actio & laus, imò externus Dei cultus, quē horas canonicas uocamus, quas ij, qui ad id uocati sunt, absoluunt. Triplex illa oratio omnis ad Ecclesiam pertinet seu Christianitatē. & omnis iam inde ab initio in ea usitata fuit, utpote scripturæ fundamento subnixa. Etenim principiò de priuata oratione scripturas habes & mandata, Matthæi 6. & Lucæ 11. ubi Christus orandi modum docet. Lucæ 18. Matthæi 26. Iohannis 16. Vbi Christus iubet orare. Lucæ 3. & 22. Iohannis 8. & 17. Matthæi 26. & 28. cap. ubi Christus ipsemet orauit. In prima Epistola Petri 5. ad Philippenses 4. ad Ephesios 3. ubi Apostoli cunctos mortales ad orationem adhortati sunt. In actis Apostolorum primo, & ferè in omnibus capitibus uniuersim, ubi uidemus, quàm sancti Apostoli & primi Christiani feruenter & intentè orationi uacauerint, ut interim omittam exempla ueteris testamēti, quorum tamen passim plurima sunt. De cōmuni oratione & laude Dei fidelium habes 2. Paralipo. 20. de Iosaphat Exodi 15. ubi uniuersa Israëlis multitudo Deum laudabat, Ioëlis 2. ubi Propheta omnes homines iuuenésque senésque ad orationem uocabat. Ionæ 3. 3. Regum 8. 2. Esræ 9. &c. Habet & quotidiana oratio figuram suam & exemplum in sacris literis, ut 1. Paral. 25. Vbi Dauid cantores in templo instituebat. 2. Paral. 5. 29. 35. ubi Salomon, Ezechias, & Iosias cantores in templo ad cantandum instituebant. Præfinitum orationis tempus & hora similiter quoque exempla sua habet in diuinis scripturis, in Dauide, in Daniele, in lege, necnon in sanctis nostris Apostolis. In Dauide, cùm ait, se in die septies laudasse Deum. Et ubi dicit de matutina, & uespertina, & pomeridiana oratione, & ubi loquitur de anteiucana precatione. In Daniele similia exempla extant, is quoque diem in tria tempora orationi destinata partiebatur. In lege Moysi matutinum & uespertinum sacrificiū præceptum erat. In Actis Apostolorum Petrus & Iohannes hora nona ad orationem suam concedebant in templum,

templũ, alio in loco orabat Paulus sexta hora. Sic, inquam, triplex ista oratio, priuata, communis, atq; etiam quotidiana Ecclesiæ oratio passim fundamẽtũ suum habet & exempla in scripturis, & hic mos antiquus est, atque tum quidem florentissimus Christiani orbis status erat, cùm hæc tria in assiduo usu essent, cùm quisq; Christianus homo priuatim oraret, die uerò Dominica & feriis dicata, & cùm uocati essent, uniuersus cœtus ad communem orationem & laudem Dei uenirent, & præter hæc etiam sacerdotes & Ecclesiæ ministri pro uniuersa communitate preces funderent. Tum, inquam, res bene habebat in Ecclesia. At nunc nusquam non defectum uideas, priuata oratio penitus iacet, ad communem orationem & cultum diuinum diebus dominicis & festiuis tanto rapimur feruore, ut semper nostrûm plures in foro, ad Rhenum, & in taberna, quàm in Ecclesia, in re diuina & concione inueniantur. Quo pacto uerò cantus Ecclesiæ & oratio peragatur, qualiter accurratur & excurratur, quid in ea quæratur, quid interea fiat, quanta nõnunquam leuitas, immodestia, & nugæ interim exerceantur tractentúrq;, etiam pueri in plateis canere ac dicere norunt. Ita ut propemodum uereri quis possit, Deum tali cantu perinde delectari, ac cùm dicebat, Populus iste ore suo & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me. Summa, nusquam non oratio laborat. Nostrûm omnium est sedulo adiutare, quo oratio iterũ instauretur. Principio omniũ pastorũ & prædicatorum est, gnauiter operam dare, ut oratio in uulgus redeat. Dehinc cuiusuis patrisfamilias est, liberos suos & familiam ad orationem assuefacere & compellere, Adhæc quiuis Christianus, præterquam quòd cor in Deum semper intentum habere debet, nullum diẽ debet praetermittere, in quo non etiam ore Deum precetur, maximè mane & uesperi, ante & post cibum, quinetiã ante & post laborem, quo omnis labor ipsius Deo auspicante inchoëtur, & Deo fauente finiatur. Porrò Magistratus diligenter curare, quo uulgus diebus dominicis & festiuis ad communem orationem, & cultũ diuinũ & cõcionem ueniat, nec ullo modo pati, ut id temporis in foro & plateis otiosus stet, & tempus inaniter conterat, multò minus, ut eo tempore quis in œnopoliis aliisque locis crapulæ & flagitiis indulgeat. Hoc inquam, Magistratus prohibere debet, ídque ratione officij. Denique primores Collegiorum & monasteriorum ad-

uertere debent, ut externus diuinus cultus, cantus & Ecclesiæ oratio tanta cum seueritate peragatur, quo Deus uerè laudetur, Ecclesia emendetur, atq; etiam simplices ad orationem, deuotionem & laudem Dei adducantur: nullā leuitatem & nugas eo tēpore ferre debent, non permittere, ut eo tēpore aliud agatur, non cōcedere, ut quis absque iusta causa inde se subducat, omnia ab oculis dimouere, quæ orationem impediunt, aut cogitationes orantis aliò distrahūt. Et id certè ut faciant, officium eorum illos monet. Vide, hoc pacto nobis omnibus sat negotij datum esset, donec orationē instaurassemus, quemadmodum nostra omnium culpa factum est, & pariter omnes authores fuimus, quòd oratio ita penitus sit collapsa, quanquam alius alio plus ansæ dederit. Et quid Ecclesia felicius, si oratio in pristinū suū statū rediret, & quilibet omni die apud sese oraret, diebus dominicis & festis omnes summa diligentia ad orationem & Dei cultum uenirent, & Ecclesiæ oratio debita grauitate, feruore ac deuotione obseruaretur peragereturq;. Nihil tum certè nobis deesse posset, siquidē certum est, dominū prope omnibus uerè inuocantibus eū. Prętcr hęc omnia igitur quis Christo hòc addictior esse debet, quò pluris nostra omnium & uniuersæ Christianitatis interest, quod ad orationē attinet. Quid enim habem', quod nō accepimus? Imò quid aliud habemus, quo erga Deū agere possumus, nostram illi queri necessitatem, & responsum illius seu solatium expectare, quàm orationem? Quid refugij nobis reliquum est, si omnia nos frustrātur, quàm oratio? Et quid porrò aliud Deo nostro retribuere ac reponere possumus pro innumerabilibus beneficiis, quàm ut illi uitulos, labia nostra immolemus, ueluti Osee dicit, & nomen inuocemus cū sancto Dauide? Quid multis opus est? Nulla res est, quæ nobis crebrius & diligentius in sacra scriptura uerbis & exemplis ꝓponitur, quàm oratio, nec est quicquam nobis æquè necessarium, & quo minus carere possumus, atque oratio. Etenim ex nobisipsis quid habemus? Quis sibi ipse sufficit? Quis dicet se Deo eiúsque gratia non opus habere? Quis est, cui omnia suppetant, nec quicquam desit? Quis adeò potens est, qui sibi ipse opem ferre semper possit? Quis tam felix est, cui ab infortunio securitas certa sit? Ingens ergo solatium est, quod tot bona nobis scriptura de oratione dicit. Quid omnibus Dei filiis unquam tam necessarium

rium

rium fuit,aut qua re tantoperè usi sunt, ac oratione? Quid per orationem non sunt consecuti? Quid illis unquam tam aduersi accidere potuit,unde orationis præsidio se non explicuerint? Est adhuc in hodiernum usque diem optimus noster thesaurus in Ecclesia,nostra sacra anchora, summa & maxima ars, scire, quo pacto cum Deo & erga Deum agendum sit: summus honor & dignitas est, nos solos ad Deum accedere audere, eum patrem nostrum nominare, atque illius in nos amoris certos esse. Summum nostrum bonum & diuitiæ sunt,scire, Deũ nos exaudire uelle. Quur ergo non libenter oremus? Quur non libenter communẽ iungamus operam,quo oratio in Ecclesia restauretur, & in pristinum suum statum redigatur? Cuius rei nos pigere minus possit? Quæ res magis ex usu nostro esset? Apud Romanos aliósque Ethnicos cùm erat ad bellum eundum, noui quid inchoandum,uxor ducenda,hæreditas adeunda,prouincia aliqua acceptanda, per mare nauigandum, in peregrinas terras proficiscendum, de republica consultandum, aut alioqui coram plebe dicendum ac faciendum aliquid, tot erant superstitiones & religiones inanes, nimirum tot omina,auspicia,auguria,oracula, expiationes, procurationes,& aliæ diabolicę præstigiæ.Nos omnia deuota oratione expedire possumus,imò multò melius & certius, quàm illi cum sua quamlibet magna superstitione, tantum ut nos ueras conditiones orationis obseruemus, quas nobis Christus in hodierno Euangelio præscripsit,nimirum ut orationem nostram ad Deum dirigamus,in nomine Christi petamus,& ea petamus,quæ Deum dare, & nos accipere optimè decet,denique uerò etiam ita constituti simus, ne diuinis donis indigni uideamur. Deus Optimus Maximus nobis suam omnibus largiatur gratiam, Amen.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI EVANGELIVM MARCI XVI.

Recumbentibus illis undecim apparuit,& exprobrauit illis incredulitatem suam, & cordis duritiem,quòd his qui ipsum uidissent resu

resuscitatum nō credidissent. Et dicebat eis: Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur. Porrò signa eos qui crediderint, hæc subsequentur, Per nomen meum dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si letale quid biberint, nō nocebit eis. Super ægrotos manus imponēt, & bene habebunt. Itaque dominus quidem postquam locutus fuisset eis, receptus est in cœlū, & consedit à dextris Dei. Illi uerò egressi, prædicauerunt ubique domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.

Matth. 27.

EADEM DIE EPISTOLA ACTVVM I. CAP.

Iohan. 12. *SVperiore quidē uolumine diximus Theophile de omnibus quæ cœpit Iesus tum facere, tum docere, ad eum usque diem, quo postquam impartitus in hoc ipsum spiritum sanctum, mandata dedisset quos delegerat Apostolis, sursum assumptus est: quibus etiam seipsum exhibuerat uiuentem, posteaquam supplicio fuisset affectus, idq́; compluribus argumentis, dum per dies quadraginta conspicitur ab illis, ac loquitur eis de regno Dei. Et congregans illos in idem loci, præcepit eis ne discederent ab Hierosolymis, sed ut expectarent promissum patris, de quo, inquit, audistis ex me, quoniam Iohannes baptizauit quidem aqua, uos autem baptizabimini Spiritu sancto post dies hosce*

Marc. 14.

non multos. Illi igitur ubi conuenissent, percontabantur illum, dicentes: Domine, num in tempore hoc restitues regnum Israeli? Dixit autem ad illos: Non est uestrum nosse tempora, & articulos temporũ, quos pater in sua ipsius constituit potestate, sed accipietis uirtutem, posteaquam Spiritus sanctus aduenerit super uos: & eritis mihi testes, non solùm Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samariaq́;, denique usque ad extrema terræ. Atque hæc locutus, uidentibus ijsdem in altum sublatus est, & nubes subduxit illum ab oculis eorum. Dumq́; essent defixis in cœlum oculis, eunte illo, ecce uiri duo astiterunt illis, amicti uestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis intuentes in cœlum: hic Iesus qui assumptus est à nobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum. Matth. 24.

PRIMVS SERMO AB ipso huius operis authore Latine scriptus.



TERVM ad finem peruenimus paschalis temporis. Nam hodie quadraginta illi dies, quibus Christus etiam post resurrectionem discipulos suos corporali & uisibili præsentia consolatus est, completi sunt. Faxit Deus, ut cum fructu tempus illud deduxerimus, quandoquidem multiplicem & temporis & obiectorum opportunitatem habuimus. Apostolis quidem opus erat, ut Christus per aliquot dies post resurrectionem suam se uisibilem præberet, ut corda eorum iterum confirmarentur, quæ præcedens passio & crux penè ad desperationem adegerat. Atq; ob eam etiam causam Christus ascensionem suam tam diu distulit in quadgragesimum usque diem, interim autem sæpe illis apparuit, ut omnem ex cordibus eorum dubitationem euelleret, id quod & factum. Crebris enim illis apparitionibus in tantum confirmati fuerunt, ut præcedentis

tis scandali omnino obliuiscerentur, iámque pro certissimo haberent, Christum uerè resurrexisse, imò uerum filium Dei esse, quo factum est, ut postea in ipsius ascensione non
Luc. 2. amplius turbarētur, ut prius fecerant, sed ut Lucas ait, procidentes adorarent eum, rediréntque cum magno gaudio, ac deinde semper in templo essent, laudantes Deum & benedicentes. Hoc igitur didicerant Apostoli illis 40. diebus, nimirum ut scirent ascensionem Domini piè celebrare. Atqui etiam nos quadraginta illos dies habuimus, imò easdē etiam de resurrectione domini consolationes quas Apostoli habuerunt. Nihil aliud enim totis his quadraginta diebus Ecclesia nobis proposuit. Quòd si ea sic cordi impresserimus ut Apostoli, non opus esset hodie speciali admonitione. Quod enim Apostoli fecerunt domino ascendente, hoc quilibet pro se faceret: in cœlum enim oculos leuaret, Christi gloriæ congauderet, deinde etiam in genua procidens diceret, O rex gloriæ domine uirtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum patris in nos, spiritum ueritatis, Alleluia, &c. In hunc modum ascensionem domini celebrarunt Apostoli. Idem fecerunt & sequentes Christiani, quemadmodum & in eorum scriptis & historiis uideri potest. Hoc idem adhuc facit Ecclesia: & quid melius posset homo in terra cōstitutus? Si singula peruestiganda essent, quæ in hac ascensione contigerunt, qua scilicet gloria Christus in regnum suum intrauerit, quanto cum gaudio susceptus sit, &c. ne uerbis quidem ea exprimere nec ratione capere quis posset. Vnde & nullus Euangelistarum ea scribere ausus fuit. Apostoli quidem in cœlum suspiciebant ac oculis
Acto. 1. Christum sequebantur, nec dubium, quin libenter uidissent finem eius spectaculi, uerum nubes Christum ab oculis eorum suscipiebat, & insuper duo angeli dicebant, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Quasi diceret, uidistis eum ascendentem in cœlum, quid amplius quæritis? Hoc seruate, hoc credite, reliqua enim oculis corporeis uidere non potestis, hoc præsertim tempore. Olim autem & ea uidebitis, hic enim Iesus qui nunc assumptus est, iterū ueniet
Iohan. 17. & assumet uos ad seipsum, ut uideatis gloriam quam habuit ante constitutionem mundi: Hac interim spe uiuite, ac curate, ut rediens inter suos uos agnoscat. Ex his angelorum uerbis

uerbis satis innuitur, quid Christianus homo circa ascensionem domini cogitare debeat. Credere oportet Christum ascendisse, & eundem ad iudicium rediturum. Gaudendum itaque quòd caput nostrum iam in cœlis est, simúlque curandum, ut nos membra eius maneamus. Hæc, inquam, duo obseruatu necessaria sunt, ideò committere non possum, quin & hodie nonnihil dicam de hoc festo. Etsi enim superioribus annis satis dixerim, quid & Christus de sua ascensione dixerit, & Euangelistæ scripserint, itémque & Apostoli docuerint, tot tamen insignes Psalmi hodie leguntur de gloria Christi domini, ut uitio mihi dandum timeré, nisi uel ex his aliquid de glorificatione Christi in medium afferrem. Quod ut nemini mirum aut nouum uideatur, obseruandum est quòd Christus ipse dicit, in Psalmis de se scriptum esse, & aliquos etiam Psalmos tanquam de se scriptos nominatim recenset, ut Psalmum 8. & 117. Item Psalmum 109. Quod idem & Paulus frequenter facit, ut Romanorum 15. Hebræorum 1.2.5. & 5. Item Actuum 13. Et quid multis opus? Nihil tam paruum de Christo tradunt Euangelistæ, quod non in Psalmis itidem prædictum fuerit. Verùm hæc omittamus. De sola enim ascensione, hoc est, gloria Christi hodie nobis negotium est & esse debet. Iam qui Psalterium diligenter inuestigauerit, inueniet non unum tantùm, sed multos Psalmos gloriam Christi prædicare, idque tam claré, ut ne Apostoli quidem potuissent clarius. Hoc qui credere dubitat, legat Psalmum uigesimum, uigesimũtertium, uigesimumquartum, quadragesimumsextũ. 67. 88. 92. 96. 98. 109. 117. 131. &c. & fateri cogetur Dauidem potius Euangelistam, quàm prophetam dici posse. Quamuis autem omnes iam dicti Psalmi gloriam ascensionis Christi manifesté prædicent, tres tamen inter eos sunt, qui meo iudicio satis ostendunt & docent, quid Christiano homini circa ascensionem domini & cogitanda & facienda sint. Hi auté sunt Psalmi 92. 96. & 98. qui oés idẽ habẽt principiũ, licet quisq; speciale quiddã nobis proponat circa ascensionem domini cogitandum. Primus enim simpliciter de gloria Christi loquitur, qualis ea sit in se. Secundus sermonem uertit ad pios, & docet, quomodo Ascensione Domini uti, imò frui debeant. Tertius contra impios loquitur, & ostendit, quid etiam ipsis gloria Christi comminetur. Hæc autem sunt,

Luc 24. *Matt. 21.* *Matt. 22.*

sunt, quæ circa ascensionem Domini cõsideratu necessaria
Psalm.98. sunt. Ideò Dauid nõ semel, sed tertiò dicit, Dominus regna
uit, semper tamen cum nouo additamento. Nam primò di-
cit, Dominus regnauit, decorem induit. In secundò dicit,
Dominus regnauit, exultet terra. In tertio, Dominus regna
uit, irascantur populi. De singulis igitur aliquid dicam, sed
ea tantum, quæ ad præsens festum faciunt. Primò igitur sa-
nè intelligendum est, quòd Dauid toties dicit, Dominũ re-
gnasse. Longè enim aliud est, quàm quod in libris Regum
frequenter dicitur, hic uel ille rex tot annis regnauit, &c. Nã
illi regnauerunt in præterito, regna autẽ eorum finem acce
Dan. 7. perunt, Christi autem regnum in æternum manet. Regnum
Luca 1. enim eius & potestas æterna, &c. Vnde & Gabriel dixit: Re
gnabit in domo Iacob in æternũ. Quòd igitur hîc dicitur,
Dominus regnauit in præterito, non sic accipiẽdum, quòd
regnum Christi iam transierit, sed hoc uult Dauid, ac si di-
xisset, Dominus regnũ accepit, uel regnare incœpit, uel rex
declaratus & in regnũ suum inauguratus est. Christus enim
dominus morte deuicta, cui se sua uoluntate subiecerat, a-
Iohan. 3. scendit in cœlum, unde prius descenderat, clarificatus est ea
Iohan. 17. claritate, quam apud patrem habuerat priusquam mundus
fieret, accepit potestatem omnis carnis, ut omnibus credẽ
Ephes. 1. tibus det uitam æternam, sedet à dextris Dei exaltatus su-
Phili. 2. per omnem principatum, & potestatem, &c. Omnia sibi
Mat. 28. subiecta habet, Psalmo 8. Itémque nomen accepit quod est
super omne nomen, &c. Philippen. 2. Denique potestatem
habet in cœlo & in terra. Omnia hæc in eo uerbo includun
tur quo Dauid dicit, Dominus regnauit: Et ea ipsa etiã inclu
Marc. 20. dũtur in uerbis Marci, Dominus Iesus postquã locutus est,
assumptus est in cœlũ, & sedet à dextris Dei. Et hæc quidẽ
in genere dicta sunt de gloria Christi. Dauid tamen etiam
specialiter & nominatim quædam exprimit ad gloriã Chri-
Psal. 92. sti pertinentia. Non simpliciter enim dicit: Dominus regna-
Philip. 2. uit, sed addit, decorem indutus est. Quęris quid hoc sit? An-
Heb. 2. tea pro nobis susceperat habitũ serui, & in similitudine in-
Heb. 4. uentus ut homo, imò per omnia fratribus se assimilauerat,
Luca 22. tẽtatus etiam pro similitudine absque tamẽ peccato, adeò,
inquam, se humiliauerat, ut inter discipulos esset & uersa-
Psal. 21. retur non ut dominus, sed ut minister. Postremò etiam
factus fuerat opprobrium hominum & abiectio plebis, imò
uermis

uermis & nõ homo. Nunc autem deposito habitu serui, glo *Psalm.108.*
ria & honore circundatus est, & cõscisso sacco mortalitatis,
stola perpetuæ immortalitatis uestitus est. Sic igitur alij reges auro & purpura se induunt, rex auté noster decôrem indutus est. Nõ tantũ, inquã, decôré assumpsit, sed decôré induit, quo uerbo scriptura abundantiã & plenitudiné solet si *Psalm.34.*
gnificare, ut cũ de impiis dicitur, induãtur sicut diploide cõ *Psalm.34.*
fusione sua, itémq; induantur pudore & reuerentia, qui quæ *Psal.108.*
runt mala mihi. Et iterũ: Induet maledictioné sicut uestiméntum hoc, undiq; & ex omni parte, & ad summũ, cõfusionem & maledictionem sentiant. Ecõtrà de Iustis dicitur; Sacer *Psalm.131.*
dotes tui induantur iustitia. Et de Apostolis, uos sedete in ci *Luca 24.*
uitate, donec induamini uirtute ex alto, hoc est, donec perfectè & plenissimè roboremini è cœlis. Sic & Christus dicitur decôrem induisse, hoc est, perfectissimè & abundantissimè & ex omni parte decorũ, speciosum, gloriosum, & honorabilé esse. Vides hic qualé habeamus regé. Sed audi etiã *Psalm.92.*
alia. Induit, inquit, dominus fortitudiné. Antea enim cum in forma Dei esset, se ipsum exinaniuit factus obediẽs usq; ad *Philip.2.*
morté, & sicut ouis ad occisioné ductus est, adeò insuper in- *Isa.53.*
firmus apparuit, ut & in horto opus haberet confortatione *Luca 22.*
angelica, & in cruce clamaret, Deus meus ut quid me dere- *Mat.27.*
liquisti? Nunc auté abiit ab eo omnis infirmitas, induítq; pro infirmitate fortitudiné, fortem nunc Deum se monstrans in cœlis, qui prius se hominé infirmum propter nos exhibuerat in terris. Hìc igitur uides regé nostrum nõ tantum gloriosum esse, sed etiã fortem, imò fortitudine ex omni parte indutum, eo scilicet modo, quo supra de decôre diximus. Sed audi adhuc alia. Nedũ decôrem & fortitudiné induit, *Psal.92.*
sed insuper etiã præcinxit se, hoc est, præparauit se ad pugnã cõtra diabolũ, paratus est suos à tyrannide diaboli asserere, protegere, &c. quéadmodum uir pugnator sese accingit gladio, ut cõtra hosté pugnet. Sic Dauid alibi precatur, Accingere gladio tuo super femur tuum ô potentissime. Et ite *Psal.44.*
rum: Deus in adiutorium meũ intende, Domine ad adiuuan *Psal.69.*
dum me festina. Hic autem dicit hoc iam impletum esse, præcinxit se, stat paratus ad adiuuandum nos. ideò & Stephanus uidit eum stantem à dextris Dei quasi paratum adiuuare. uel *Actо.7.*
aliter, præcinxit se secundum consuetudinem eorum, qui aliquid operari uolunt, qui se pręcingendo componunt, ut expediti esse possint ad laborem, nec patiantur impedimen-

tum. Sic Christus in regnum suum subleuatus magnum quid molitur, nempe Ecclesiam quasi nouum orbem ædificare. Iamq; ad opus præcinxit se, imò iamdudum incœpit, fundamenta iecit. Et quemadmodum ab exordio orbem terræ ita firmauit, ut nõ commoueatur, ita nũc Ecclesiam suam supra

Matth. 16. firmam petram posuit, cõtra quam ne inferorum quidẽ portæ quicquã præualere possunt. Pertinet igitur & hoc ad gloriam Christi, quòd nedum gloriosus & fortis est, sed insuper paratus adiuuare. Quid amplius quæris? Sed audi summam.

Psal. 92. Parata sedes tua ex tunc. Ex eo, inquit, tempore, quando tu regnum deuicta morte accepisti, &c. paratum est tibi soliũ gloriæ, thronus regius & iudiciarius tibi secundum humanitatis formam in cœlum cum uictoria redeunti ad dextrã patris est cõstitutus, ut tanquam patri coæqualis sederes in il-

Psal. 109. lius dextera. Et tũc dixit tibi De' pater, Sede à dextris meis,

Acto. 10. &c. Ex tunc Iudicem te constituit uiuorum & mortuorum,

Psalm. 2. dans tibi gentes in hæreditatem, &c. Neque mirum si ad tantam dignitatem sis prouectus, quoniam quidem secundum deitatem patri es coæternus ab initio & ante secula cum ipso permanẽs ante omnem creaturam. Hic audis Christum nedum regem, sed etiam Deum esse. An non igitur Dauid exactè gloriam Christi descripsit? Et quidem mundus cum suo principe hanc eius gloriam omnibus modis impedire moliebatur, uerũ frustra, id quod Dauid multis uerbis, imò pulchra exaggeratione uerborum ostendit. Cõtra regnum & gloriam Christi, inquit, eleuauerunt se flumina, gens scili-

Iohan. 1. cet Iudaica. In propria enim uenit, & sui eum non receperunt, imò persecuti sunt. Deinde eleuauerunt flumina uocem suam, cum scilicet e blasphemo ore clamarent, Nolumus hunc regnare super nos. &, Nos non habemus regem

Luca 19. nisi Cæsarem. Postremò eleuauerunt etiam fluctus suos i-

Iohã. 19. psum submergendo & occidendo. Post Iudæorum impetum etiam aquæ multæ, id est, populi multi gentilium contra Christum uoces suas leuauerunt. Imò totum mare, id est, totus mundus insurrexit contra Christum, idque mirum in modum. Nunquam enim antea uisum est totum mũdum contra unum aliquem insurgere. Mirabiles igitur fuerunt elationes maris, sed econtrà mirabilis in altis dominus, qui omnes mundi impetus uicit & repressit: manet enim rex &

Psalm. 92. manebit in æternum. Testimonia enim eius credibilia facta sunt nimis. Ipsa enim miracula quæ per se & discipulos fe-

cit,

eit, imo ipsa eius ascensio gloriosa satis declarant regnare & regnaturum in æternum. Vide igitur quàm clare Dauid Christi gloriam descripserit. Sed nunquid satis est hoc scire? Nequaquam. Sed insuper etiam cogitandum est, qualiter hac eius gloria rectè utamur. Quæris igitur quomodo hoc fiat? Audi Dauidem in alio Psalmo loquentem. Dominus, inquit, regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. *Psal.96.* & meritò quidem sic fieri oportebat, ut omnis terra & omnes insulæ de gloria Christi exultarent, omnesque gentes (ut in alio Psalmo dicitur) plauderent manibus. Gloria enim Christi omnibus hominibus prodesse posset, uerum mundus hoc non curat aut credit. Ideo Dauid in fine Psalmi se ad pios conuertit, monens, ut uel ipsi in & de ascensione Christi exultent. Lætamini (inquit) iusti in domino, & confitemini memoriæ sanctificationis eius. Additque in eodem Psalmo causam cur meritò Christiani gaudere debent. Quoniam, inquit, dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus est super omnes deos. Insuper ut uideamus, quàm iustè de gloria & exaltatione Christi nobis gaudendum sit, enumerat quatuor fructus, qui inde nobis profluxerunt. Horum primus est, quòd in cœlo aduocatum pro nobis agit apud patrem. Vnde & Paulus, Introiuit, inquit, in cœlum, ut appareat uultui Dei pro nobis. *1.Ioh.cu.2.* *Hebr.9.* Hoc exprimit Dauid his uerbis, Custodit, inquit, dominus animas seruorum suorum, interpellando scilicet pro eis apud patrem. Secundus fructus est, quòd sua ascensione spem nobis dedit perfectæ liberationis ab omni malo, imò æternæ saluationis & gloriæ. Vbi enim caput est, eò peruentura sunt & membra, ubi corpus est, *Matt.24.* illic congregantur & aquilæ. Volo, inquit, pater ut ubi ego sum, & illi sint mecum. Et iterum, Vado parare uobis locum, & assumam uos ad meipsum, &c. *Iohan.17.* *Iohan.14.* Et hoc est quod etiam Dauid hìc dicit, De manu peccatoris liberabit eos.

Tertius fructus est, quod Christus sua ascensione nos docuit, quò tendere debeamus, quid quærere, imò ad quid etiam creati & redempti simus, nempe non ad regnum terrenum, sed cœleste. Si surrexistis, inquit Paulus, cum Christo, *Coloss.3.* quæ sursum sunt quærite, &c. Et iterum: Nostra conuersatio *Philip.3.* in cœlis est, unde etiam expectamus Saluatorem dominum nostrum Iesum Christum. Et rursus: Thesaurizate thesauros *Matth.6.* nõ in terra, sed in cœlo, &c. Hoc, inquam, nos docuit Christus

ſtus ſua aſcenſione ut ſurſum corda habeamus. Ideo Dauid
Luc. 10. ſubdit, Lux orta eſt iuſto, ea ſcilicet lux, qua uidemus, quod
1. Cor. 2. priora tēpora ignorauerunt, quod nullus princeps huius ſeculi cognouit, nempè quod & genus & ſpem & patriam & ſedem & dignitatem noſtram in cœlis habemus. An non ingens lux hoc ſcire? Quartus fructus eſt, quòd Chriſtus in ſua aſcenſione magnis promiſsis & dulciſsimis uerbis nos
Iohan. 20. cōſolatus eſt. Aſcendo, inquit, ad patrē meum & patrem ueſtrum. Quid his uerbis magis cōſolatorium uel cogitari poteſt? Hic enim Chriſtus apertiſsimè Deum nominat patrem noſtrum & Deum noſtrum. Patris eſt pro filiis curare, ipſos fouerę, exaudire, & hæreditatem illis cōgregare. Dei autem eſt ſuos potenter à malis eripere. Si igitur dubitas, nū Deus uelit adiuuare, ſaluare, &c. cogita quòd pater eſt. Si dubitas num poſsit, cogita quòd Deus eſt. Sic igitur ex aſcenſione Chriſti nō ſolum iuſtis lux orta eſt, ſed etiā rectis corde lætitia. An nō igitur merito Dauid monet ut exultemus & lætemur de gloria regni Chriſti? Ne quis tamen putet ſatis eſſe, ut inde gaudeamus, ſimul etiā docet Dauid quid ſub tanto rege agere debeamus. Qui diligitis (inquit) dominum, odi-
Pſal. 96. te malū, &c. Honor enim regis noſtri (ut in alio Pſalmo dici
Pſal. 98. tur) iudiciū diligit, exigit enim à nobis iuſtitiam. Sic enim &
Leui. 19. in lege dicit, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Et in Euā
Matt. 5. gelio, Eſtote perfecti, ſicut & pater ueſter cœleſtis perfectus eſt. Deinde idē honor regis noſtri exigit etiam, ut illi cū iudicio & cum magna diſcretione ſeruiamus & attentione, non ut uili alicui aut plebeio domino ſeruiri ſolet, ſed cū magno timore & tremore, cum magna alacritate & diligentia, ſoli-
Pſal. 2. citudine & reuerentia, tanquā illi, qui eſt omnium rex ſupremus, & quo nullus eſt celſior. In eandē ſententiam & Paul⁹
1. Cor. 11. uult ut corpus Chriſti manducemus cum iudicio. Nō ſine cauſa autem hoc monet Dauid, ut cum iudicio regi noſtro ſeruiamus. Nam multi quidem externe uidētur ſeruire Deo, ſed nō cum iudicio: non enim qua oportet reuerentia, non qua oportet alacritate, & promptitudine uoluntatis, non qua oportet integritate bonę intentionis, non qua oportet ſedulitate bonæ operationis, ſed cum pigritia, torpore, faſtidio, ſimulatione, tanquam ſi alicui terreno domino pro mercede paucula ſeruirent, imò multò etiam minori fidelitate, quàm hominibus. Veros autem Dei ſeruos oportet cū magno iudicio ſuæ ſeruitutis obſequia præſtare, uigilantiſsimè

ſcilicet

ſcilicet diſcernentes & attentiſsimè iudicantes, quanto hic dominus omnibus aliis ſuperemineat, quanto hic rex ſit omnibus mundi regibus excelſior, quanto hic Deus ſit ſuper omnes Deos in immenſum eleuatus, quãto ſit omnibus potentibus potẽtior, quanto omnibus terribilibus poteſtatib⁹ terribilior, quãto deniq; omnibus amabilibus amabilior ſit. Omnino enim hoc iudiciũ exigit à nobis Dei honor & magnificentia, quẽadmodum & Moſes Iſraëlitis dixit: Non eſt alia natio quæ habeat Deos appropinquãtes ſibi ſicut Deus noſter adeſt nobis. In hũc igitur modum Dauid nobis Chriſtianis cõcionatus eſt de aſcenſione & gloria Chriſti, ut ſcilicet inde gaudeamus & ſub regno Chriſti iuſtè uiuamus. *Deut. 4.*

Reſtat, ut etiam audiamus, quid de eadẽ Chriſti potentia & gloria impiis denuntiet. Dominus, inquit, regnauit, iraſcãtur populi, &c. Hoc eſt dicere, Dominus noſter Chriſtus regnum & imperium tenet, iraſcantur, indignentur, cõmoueãtur ut uoluerint increduli & impij, uelint nolint ferre cogẽtur eius imperiũ, & quantumcunq; reluctentur, pedibus tamen eius ſubiiciendi ſunt in malum ſui ipſorũ: id quod etiã ex parabola illa oſtenditur, in qua de his qui dixerant, Nolumus hunc regnare ſuper nos: ſubditur, Veruntamen inimicos meos qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc & interficite, ante me. Hinc & aliqui ex Hebræo uerſum hũc Pſalmi ſic transferunt, Dominus regnauit, cõtremiſcant populi, & ſubdit cauſam, Dominus enim in Sion magnus, &c. Noménq; eius nedum ſanctũ, ſed etiã terribile eſt. Denique ad ipſum etiã pertinet iudiciaria poteſtas. Omne enim iudicium pater dedit filio, nec quicquam aliud reſtat poſt aſcenſionẽ Chriſti, niſi iudicium, unde & angeli ſtatim idipſum annuntiarunt. Hic Ieſus, inquiunt, qui aſſumptus eſt à uobis in cœlũ, ſic ueniet, quẽadmodum uidiſtis eũ eũtem in cœlum. Hæc igitur impiis dicta ſunt. Si nolunt Ieſum agnoſcere regem glorioſum & gratioſum, cogẽtur eũ agnoſcere regem terribilem & Iudicem iuſtum. Nos igitur hæc ſcientes ſponte nos Chriſto ſubiiciamus, & iuſtè in regno eius uiuamus: ſic enim ſecuri eũ iudicem uẽturum intueri poterimus, &c. *Pſalm. 98.* *Luc. 19.* *Pſalm. 98.* *Iohan. 5.* *Acto. 1.*

SECVNDVS SERMO, DOMINVS *Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedit à dextris Dei, &c.* Mar. 16.


VANGELIVM hodierni diei paucis qdē pertexitur uerbis, cæterum multas in se historias continet, quæ tamen non uno omnes die acciderūt. Nam quod initio dicitur, Christum recumbētibus undecim discipulis apparuisse, & exprobrasse illis incredulitatē eorum, si ordinem historiæ & consensum Euangelistarum attendimus, uidetur id omnino accidisse die resurrectionis Christi, siquidem ex Luca cōpertum habemus, eum tum tēporis increpasse incredulitatē illorum. Quid turbati estis (inquit) & cogitationes ascēdunt in corda uestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & uidete, quia spiritus carnem & ossa nō habet, sicut me uidetis habere, &c. Ex diuo Iohanne autem, eo ipso uespere præcepisse illis, ut Euangelium prædicarent: Sicut, inquit, misit me pater, & ego mitto uos. Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittū tur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Apparet itaque principium Euangelij illo ipso die factum esse, super qua re tamen ego non disceptabo: fieri id enim potest, ut ultimo die simile quiddā fecerit & dixerit, quemadmodum ueteres nostri patres & Ecclesiæ doctores senserunt. Porrò de fine Euangelij, ubi Marcus Euangelista dicit: Illi profecti prædicauerunt ubiq;, &c. id hodie factū proculdubio non est, sed post missionē sancti spiritus. Nam cœlū Christus repetens, mandabat discipulis, Hierosolymis ne discederent, sed expectarent ibi promissa patris sui cœlestis, & ne Hierosolymis prædicarent, ni prius spiritum sanctum accepissent. Atque hoc pacto principium pariter & finis huius Euangelij historiam suam separatim habet, attamen unū inter cętera commemoratur, quod citra controuersiam hodie gestum est, nimirum quòd Marcus Euāgelista dicit, Assumptus est in cœlum, & sedit à dextris Dei. Etenim ex Actibus Apostolorum habemus, Christum nō amplius quadraginta diebus à resurrectione sua uisum esse in terris. Atqui hodiernus quadragesimus dies est ab resurrectione eius, quocirca hinc sequitur, Christum hodie ascendisse, proinde mirum nō est, Christianam Ecclesiā, populum fidelē aut (ut Dauid dicit) filiā Sion, hodie denuo gaudere cum suo rege: hodie enim Christus perfecte clarificatus est, hodie illum Deus exaltauit, & nomen illi donauit, quod est super omne nomen. Nam ex hoc die in omnia secula usq; in nomine eius flectitur omne genu cœl

nu cœlestium,terrestrium, & infernorũ, quia in ascensione primum uerè probatus & declaratus est dominus omnium: antea cùm adhuc in terris prædicaret,miraculis suis satis cõprobauit se dominũ maris & terræ,& omniũ quæ in eis aut super ea sunt,siquidẽ mare illi pro semita subiecit sese,& ad illius uoluntatẽ sese cohibuit & penitus cõquieuit, & illius iussu ingentem præbebat multitudinem piscium Apostolis, & ad illius uerbum terra defunctum Lazarum reddebat, & contremiscebat in morte ipsius. Ad hæc in suo descensu ad inferos,demõstrauerat se dominũ esse earũ rerũ, quæ subtus terram sunt,posteaquam illic fortẽ & armatũ in suo regno adoriebatur,uincebat,ligabat, spolium auferebat, ferreos uectes cõstringebat,portas æreas cõterebat, captiuos educebat,ut etiã iam ante ascensionẽ, illorũ genua corã illo flecterentur,qui super & subtus terrã erant. Sed de cœlestibus id nondum manifestum erat,tum enim nõdũ palàm erat,illum etiã dominũ aëris & cœli esse, id uerò hodie innotuit,posteaquam in cœlũ receptus est, imò posteaquam eleuatis manibus propria uirtute ferebatur in cœlũ,ut posthac nemo dubitare amplius possit, Dominũ nostrũ Iesum Christum esse in gloria Dei patris sui cœlestis,atq; adeò cũ patre & spiritu sancto esse dominũ omniũ rerũ. Huc pertinet hodiernum festũ, huc pertinent tot tãmq; læti cantus, tam multę deuotæ precationes ad Deũ,quibus Ecclesia hodie utitur,imò huc pertinent tot pulchri & insignes Psalmi, quos Dauid multò ante de hoc festo cecinit & cõposuit,tot item piæ meditationes, qbus Christianus populus hoc diẽ olim uacauit,ita ut copiosam quis de hoc festo dicẽdi materiam habeat,attamen ob temporis breuitatẽ nõ nisi unicũ uerbum,quo sermonẽ hunc orditus sum,explanabo,quippe cùm uerbum illud abundè docere nos possit, quid nobis hodie considerandũ sit & faciẽdũ.Dominus Iesus assumptus est in cœlum,& sedit à dextris Dei,&c.Hoc fundamentum est,quo festũ istud nititur,imò super hoc uerbũ in fidei nostræ symbolo habemus articulum in quo palàm & confidenter cõfitemur & firmiter credimus, Iesum Christum assumptum esse in cœlum, & sedere à dextris Dei. Hoc (inquam)confitemur ore,& credimus corde,compluribus testimoniis sacræ scripturæ subnixum & munitum. Nam & Lucas Euangelista hanc historiam ascensionis Domini duobus in locis indicat. Et in Iohanne dicit Christus,

Matth.8.
Ioh.21.
Ioh.11.
Matt.27.

Iohan.20. Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, ad Deum
Ephes.4. meum & Deum uestrum. Et beatus Paulus, Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Et rursus: Christus introiuit in cœlum, ut compareret pro nobis in conspectu Dei. Et Dauid, Ascendit Deus in iubilo, Dominus in uoce tubę. Et iterum, Ascendisti in altum, cepisti captiuitaté, accepisti dona in hominibus. Et propheta Micheas, Saluator seu redemptor ascendet pandens iter ante eos, &c. Similiter quoque diuina scriptura testatur etiã in locis pluribus, ut de ascẽsione Christi dubitare nemo possit. Quid autem ascensio hæc Christi fuit aliud, quàm plena illius clarificatio? Hæc eius clarificatio cœpta quidẽ erat in resurrectione, atque ita ut etiam Thomas unus ex duodecim discipulis eius clamare ac dicere præ summa admira-
Ioh.20. tione cogeretur, Dominus meus & Deus meus. uerũtamen eiusmodi clarificationi hodie in ascensione ipsius coronis addita est, ut iam amplius de diuinitate eius non dubitarẽt, sed alacres reuerterentur Hierosolymam, & deinceps nihil facerent aliud, quàm quòd in tẽplo orationi uacabant, Deũ laudabant & benedicebant: quo enim certius illis constabat, Christum in cœlis esse, hoc maiori cum fiducia orationem suam dirigebant ad ipsum. Hanc suam clarificationem Christus quidem sæpe coram promiscua multitudine prædixerat, sed tamen obscuris uerbis, uti cùm ait, Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor, &c. Item, Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, &c. Verum coram discipulis suis apertè uaticinatus est clarificationem suam, & maximè cùm iam tempus passionis eius instaret: Venit hora (inquit) ut clarificetur fi-
Ioh.13. lius hominis. Et in cœna: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, &c. Et post cœnam, Pater, uenit hora, clarifica filium tuũ, ut filius tuus clarificet te, &c.

Hæc omnia in resurrectione cœperunt, sed hodie demũ completa sunt, quapropter tria homini Christiano hîc considerãda sunt. Primò, gloria Christi, quam humanitas illius in ascensione consecuta est. Deinde quam consolationem eius gloria nobis attulerit, & adhuc adferat. Postremò, quomodo illa uti debeamus. Primò, Marcus Euangelista
Mar.16. gloriam Domini nostri Iesu Christi in sua ascensione, uno uerbo complexus est, ubi ait, Assumptus est in cœlum, & sedit à

ſedit à dextris Dei. Legimus quidem etiam ſanctum Enoch à Deo raptum eſſe in Paradiſum, & Eliam igneo curru, & igneis equis in aëra ſubductum, attamen nihil id omne eſt, ſi cum aſcenſione Chriſti conferatur, nec de horum quoquam dicitur quòd dexter aſsideat Deo, unus Chriſtus eſt, cui gloria iſta debetur & idonea eſt. Dixit Domin⁹ (inquit) non cuiuis mortali, non Eliæ, nõ Enoch, ſed Domino meo Chriſto, ſede à dextris meis, &c. Quæ autem illa ſit gloria, nempe ſedere à dextris Dei, Chriſtus ipſe oſtẽdit: Data eſt mihi (inquit) omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et Paulus, Conſtituit illum (inquit) ad dextram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem & uirtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Itémque Petrus, Conſtitutus (inquit) eſt à Deo iudex uiuorum & mortuorum. Et Dauid, Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarum: & omnia (inquit) ſubieciſti ſub pedibus eius. At qui dixit, omnia ſubiecta eſſe illi, ſine dubio nihil excepit præter unum illum, qui ei omnia ſubiecit. Eaipſa de gloria Chriſti loquitur Dauid etiam in alio Pſalmo, Domine in uirtute tua lætabitur rex: & ſuper ſalutare tuum exultabit uehementer. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & uoluntate labiorum eius non fraudaſti eum. Et rurſus, Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, uirga directionis uirga regni tui. Item, Locutus eſt Dominus in uiſione ſanctis ſuis, & dixit, Poſui adiutorium in potente, &c. Exaltaui electum de plebe mea, &c. Vide locum illũ ad longum. Et iterum, Dominus regnauit, decôrem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur, &c. Rurſus, Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulę multę. Et paulò pòſt, Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Adorate eum omnes angeli eius, &c. Quoniam tu Dominus altiſsimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes deos, &c. Vide, quàm eximiè quámque in multis locis ſcriptura loquatur de gloria Chriſti. Hæc uerò omnia comprehendit Marcus unico uerbo, cùm dicit, Chriſtum ſedere à dextris Dei. Quinetiam noſ ipſi comprehendimus iſta omnia, quum in Symbolo noſtro Apoſtolico confitemur ac dicimus, Aſcendit ad cœlos, ſedet à dextris Dei, &c. Quamobrem uidebimus nunc &

Matt. 28.

Mar. 16.

considerabimus, quàm longè Christus seruator noster cæteros omnes reges gloria, maiestate, & potentia præcellat. Aliorum regum & potentium gloria & potestas, nihil aliud est, quàm flos agri, qui facilè decidit, imò nihil aliud est, quàm mera uanitas, cæterum gloria Christi perpetua est.

Psalm.10. Ipsi (inquit Dauid) nimirum cœlũ & terra peribunt, & quicquid in illis continetur, peribit, tu autem permanes, &c. Proinde necessum est, ut confidenter in Christũ credamus, & non animo dubio in illius potestatem nos dedamus. Restat adhuc unum disquirẽdum, quid nobis hæc gloria Christi gaudij & solatij præbeat & adferat. Sic Dauid, ubi de illa gloria quoque Christi loquitur, non solum iubet nos corde gaudere, uerumetiam manibus plaudere. Et in alio Psalmo uult, ut terra & insulæ exultent, cùm prædicari audiunt gloriam Christi. Et Christus ipse, discipulos nuntio oppidò

Iohan.20. læto recreaturus, dicit: Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum, ad Deum

Iohan.14. meum & Deum uestrum, &c. Et alio in loco: Si diligeretis me, gauderetis utique, quia uado ad patrem, quia pater maior me est, &c. Et iterum, Ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam, &c. Hæc omnia satis ostendunt, bonis ac piis ingens solatium in ascensione & gloria Christi seruatum esse, ut manifestò deprehendere est ex oratio-

Iohan.13. ne, quam Christus à cœna dixit, Pater (inquit) uénit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis uitam æternam. Hinc clarissimè liquet, quamobrem Christus ad tantæ gloriæ fastigium & usque ad dexteram Dei euectus, & dominus rerum omnium constitutus sit, nimirum non ut perdat, sed ut seruet nos, & ab omni malo protegat. Huc pertinet quod postea dicit, Tui erant, sed mihi eos dedisti, &c. Et quod dicit, Hæc est uoluntas eius qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die, &c. Huc item pertinet, quod alibi dicit, Si exaltatus fuero à terra (non ait) omnia perdam & uastabo (sed) omnia ad meipsum traham. Quare non debemus ad potestatem Christi expauescere, sed ex animo illa gaudere. Nam quid times? tamen audis, te Christi esse, & illum tibi dominum constitutum, non ut te perdat amittátue, sed ut seruet te: nec animo te consternare debet imbecillitas tua & sors humilis,

quip

quippe cùm audias, Christo potestatem datam in omnem carnem, & constitutum eum esse non super magna opera Dei solùm, sed simpliciter super opera manuum Dei, siquidem dominus est super omne, quod pro opere Dei censetur, siue illud sit infirmum, egenum, uile: siue potens, diues & uenerabile. Rex est, non qui secundum personæ opinionem regit, sed quicquid creatura est Dei, id agnoscit pro suo, absque discrimine. Quocirca gaudere meritò potes homo Christiane, & quiuis qui te opus Dei agnoscis. Dicuntur hæc etiam ad solatium haud mediocre & fiduciam, si rectè credas, Christum super omnia dominum esse constitutum. Cùm enim hostes tui aduersum te consilia ineunt, contra quem quæso belligerantur? Contra téne an contra Christum? Et in illius potestate sunt hostes tui æquè atque tu, idcirco ne time tibi, quippe cùm illìc & hìc præsens sit, uidet quid aduersum te conentur, & curam pro te longè maiorem gerit, quàm tu pro te ipse. Num putas rem possessam, quæ ab alio habetur, pro seipsa maiorem gerere solicitudinem posse, quàm possessor gerit? Quid cogitat & curat aurum in arca aut crumena pro seipso, nónne patrisfamiliâs est arcam custodire, & omni hora occultas latronum furúmque insidias obseruare? Aurum utrum sibipsi, an possessori eripitur? Vtri fur perniciem maiorem affert? Auro, an possessori? Si malè habet auarum, cum bonis spoliatur, Christus non ægrè ferret, si fideles ipsius contumelia afficiantur? Nónne is est, qui dicit, Qui tetigerit uos, tangit pupillam oculi mei. Et rursus, Quandiu fecistis unì ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Et iterum, Saule, Saule, quid me persequeris? Væ itaque incredulitati nostræ, quæ causa est, quo minus hoc maximum solatium intelligere queamus. Non deest defensor & possessor, sed deest nobis fides, quæ nos certos faciat, nos esse possessionem illius. Vehementer, inquis, timeo, ne me dominus meus perdat & condemnet, posteaquam peccator sum maximus, nec de illo meritus sum, ut tantæ felicitatis hæreditate me donet méque possideat. Non perdet te aut repellet, si fueris confessus te illius esse, & illum esse tuum dominum, etenim illius sunt cum sancti, tum peccatores, & omnia opera manuum Dei: Omnis lingua (inquit diuus Paulus) confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Et iterum, Si confitearis in ore

Matth. 25.

Act. 9.

Rom. 10.

ore tuo dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris, &c. Hos multo citius condemnabit, qui tametsi illius sunt, nolunt tamen illum pro domino suo agnoscere. Sic dicit & in Luca: Veruntamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. quia enim nolunt, uel inuiti ei subiecti esse coguntur, at nos regem habemus non impulsorem, sed seruatorem. Idcirco si peccas & cadis, noli protinus de Christo desperare, non enim ex regno illius excides, nisi desieris eius esse opus. Huc congruit quod Sapiens dicit: Si peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinẽ tuam. Et beatus Paulus: Siue uiuimus, siue morimur, domini sumus. In summa, Christus agnoscit te pro possessione sua, si tu illum pro tuo domino agnoscas, nec aliud de nobis conqueritur, quàm quod illum pro
Isa. 1. domino nostro agnoscere nolumus, &c. Cognouit bos (inquit in Isaia) possessorem suum, & asinus præsepe domini: Israel autem me non cognouit. Huc item quadrat, quod Christus de se ipso ad patrem suum dicit: Dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis ui-
Ioh. 17. tam æternam. Propterea dicit postea, Tui erant & dedisti illos mihi. Et paulo post iterum: Rogo pro his, quia tui sunt. Et mox sub hæc: Pater, uolo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum quos dedisti mihi, ut uideant claritatem meã quam dedisti mihi, &c. Nunquid iam uides, qualem regem habeamus? Vides quantum solatij nobis gloria Christi afferat? Itaque meritò per sanctum Dauidem monemur, ut omnes pariter manibus plaudentes hymnos dicamus Deo:
Psal. 46. Psallite (inquit) Deo nostro: Psallite regi nostro, &c. Veruntamen monet nos sub finem, ut psallamus sapienter, nimirum ut hac gratia, hoc solatio, hoc læto nuntio rectè utamur. Atque hoc tertium est, quo uti hodie nos oportet, ne nobis ipsis persuadeamus, Christum egisse & transegisse omnia, & idcircò otio ac segnitiei, imò carnalibus cupiditatibus nos dedamus: id quod multi homines faciunt, qui ex audito Euãgelio & uerbo Dei nihil depromũt aliud, quàm occasionem bona opera deridendi, quin etiam pro omni libidine uitam tanto licentius traducendi. Hunc autẽ in modum prisci Christiani ascensione Christi usi non sunt. Sanctissimus Propheta Dauid ascensionem domini multo ante prædixit & meditatus est, nec mediocre inde solatiũ sensit,

num ideo ignauior fact' est ad bona opera? Nequaquã. scribit quidem & canit magnificè de ascensione Christi: Attollite (inquit) portas principes uestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Interim uerò etiam indicat, quales eos esse oporteat, qui cum Christo eò aspirant: Quis (inquit) ascendet in montem domini? aut quis stabit in loco sancto eius? líne erunt, qui omni cura uacui, carnis uoluptates sequuntur? Minimè sanè, sed innocentes manibus & mundo corde. Sic dicit & in alio Psalmo: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Facient id inertes & otiosi Christiani, qui opera bona contemnunt? Nihil minus, sed qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur ueritatẽ in corde suo. Sic optimi Apostoli ex ascensione domini nõ in falsam & inanem fiduciam inducti sunt, sed tantò strenue magis in bonis operibus sese exercuerunt. Hi omnes (inquit Lucas) perseuerabant jn oratione. Et iterum: Regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno: & erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum, &c. Vide, hoc pacto uti ascensione domini debemus, nimirum ut hoc ardentius & diligentius oremus, omníque pietati operã magis nauemus, quo certiores sumus Christũ asidere ad dexteram Dei patris sui cœlestis. Eundem in modum quoque facit Ecclesia: Oramus (inquit) domine conditor inclyte: deuotos famulos respice protegens, ne nos liuor edax dæmonis obruat: demergat uel in inferos. Et iterum: O rex gloriose domine uirtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti: ne derelinquas nos orphanos: sed mitte promissum patris in nos, spiritum ueritatis. Atqui nõ satis est orare, nisi in ueræ pietatis operibus nos quoque exerceamus: Qui diligitis dominum (inquit Dauid) odite malum, quia rex noster diligit iustitiam, & odit iniquitatẽ, alioqui sequi Christum ad cœlum non possumus. Qua etiã de re Christus anteaquam clarificari à patre cuperet, dicebat: Ego te clarificaui super terram, opus cõsummaui quod dedisti mihi ut faciam, &c. quòd si igitur tu unà cum Christo clarificari cupis, fac ut Deum super terram clarifices & perficias opus, quod à te poscit. In summa, ut cum diuo Bernardo concludam, Christus sedet ad dexteram Dei, habens in dextera misericordiam, in sinistra iudicium, & misericordiã multam nimis, & iudicium multũ nimis: in dextera aquam,

in sinistra ignem immobilem tenens. Et quidem corroborauit misericordiam suam super timentes se, secundum altitudinem cœli à terra, similiter & in reprobis terribilis est iustitia super filios hominum, & utrinque stat fixa sententia æternitatis. Quare diligenter uide, ut dexteram Christi prehendas, ne in iudicium eius incidas: nam seuerus iudex omnium mortalium reuertetur, qui nunc mansuetus assumptus est in cœlum, &c.

TERTIVS SERMO, AB IPSO *huius operis authore Latinè scriptus.*

1. Reg. 15. N hoc festo re ipsa uidemus uerum esse, quod Samuel olim Sauli dixit, meliorem scilicet esse obedientiam, quàm uictimas. Nolle autem obedire esse quasi scelus idololatriæ. Hoc aút tum uel maximè patebit, si ascensionem Christi cum deiectione Saulis conferamus. Quid enim Christũ ad tantam gloriam euexit, nisi obedientia? (loquor autem
Philip. 2. nunc de humanitate Christi) Factus est, inquit, obediẽs usque ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum, &c. E-
1. Reg. 15. contra, quid Saulé è regno deiecit, nisi inobedientia? Quia (inquit) abiecisti uerbum domini, abiecit te dominus ne sis rex. Et quidem non dubium est, Saulem etiam alia habuisse peccata. Samuel tamẽ unum hoc illi obiicit. Quare (inquit) non audisti uocé domini? &c. Vt omnes sciamus, quantum Deo displiceat, præceptum ipsius negligere. Econtra nõ dubium, quin Christus omnibus uirtutibus plenus fuerit, nihil tamen crebrius in ipso commendatur, quàm eius mira &
Gen. 22. prompta obedientia, quæ & primò in Isaac offerente se ad
Gen. 37. mortem, deinde in Ioseph pergente ad fratres sibi inuidentes præfigurata est. Hic Christus ipse: Meus (inquit) cibus
Iohã. 6. est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me. Item, descendi
Iob 14. de cœlo non ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem
Mat. 26. eius qui misit me, &c. Item, Sicut mandatum dedit mihi pa-
Ioh. 18. ter, sic facio. Item, Non mea, sed tua uoluntas fiat. Rursum, Calicem quem dedit mihi pater, non uis ut bibam illum? Itẽ,
Ioh. 17. Opus consummaui quod dedisti mihi ut facerẽ. Hanc Christi obediẽtiam Paulus multis exaggerat uerbis. Cùm esset,
Phili. 2. inquit, in forma Dei, exinaniuit semetipsum. Sic Isaias: O-
Isa. 53. mnes nos sicut oues errauimus, & dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Sic igitur oblatus est, non tamen

tamen coactus, sed quia ipse uoluit, &c. Vnde & in Psalmo dicit: Holocaustum & sacrificium noluisti, tunc dixi, ecce uenio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam: & hoc quidem uolo & appeto, &c. Ideo autē scriptura tam frequenter obedientiam Christi commendat, ut sciamus nihil æquè placere Deo, ac obtemperare iussis eius. Quàm meritò igitur ex deiectione & reprobatione Saulis terreri debemus, & ex eius inobediētia qua hoc meruit, admoneri: tam meritò nos exhilarare debet exaltatio Christi eiúsque obedientia, qua ad tātam gloriam peruenit, perpetuum nobis exemplum esse. Iustum igitur uidetur etiam nunc paucula quædam de hoc festo dicere. Solis tamen his duobus immorabor, quid scilicet sit ascēsio Christi, & quid ex ea nobis discendum sit. Hæc si hodie diligenter consideremus, satis pro uno die fecisse nos pronuntiabo. De gloriosa igitur ascensione Christi scriptura in multis locis loquitur, in uno tamē loco clarius quàm in alio. Lucas ipsam historiam breuissimè scribit. Et factum, inquit, est postquā locutus fuerat eis, eduxit eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus benedicebat eis, & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis & ferebatur in cœlum. Hæc habet Lucas de ascensione domini, pauciora quidem quàm oportebat pro dignitate rei: tantùm enim deducit Christum ad nubes usque & cœlum, nihil interim de ipsius æterno regno & gloria ostendens. Veruntamen non paruam pio cuilibet præstat ansam maiora cogitandi. In his enim paucissimis uerbis tria quædam ostendit, primò quòd Christus non alieno adminiculo, sed propria uirtute ascenderit. Non enim in curru igneo raptus fuit ut olim Helias: nec per angelos transportatus fuit, ut olim Abacuc: nec denique trāslatus, ut Enoch: nec raptus, ut Paulus: sed ferebatur, inquit, in cœlum, propria scilicet uirtute. Deinde in uerbis Lucę ostenditur quòd nubes ei deseruierit ut domino: postremò quòd & cœlum ipsum se illi obtulit, quod nulli unquam ante ipsum factum fuerat, quæ omnia satis indicant plus aliquid fuisse in Christo, imò irrefragabiliter ex his euincitur, Christum & aëris & cœli dominum esse. Hoc sua ascensione manifestè ostendere uoluit, ut & discipuli & alij credētes perpetuam inde consolationem haberent. Prius nanq; cum adhuc in terra esset, ostenderat se dominum esse & potestatem habere super terram & mare, & super omnes morbos,

Psalm. 39. Luc. 24. 4. Reg. 2. Dan. 14. Gene. 5. 2. Cor. 12.

bos, ſuper mortem & ſuper diabolũ ipſum. Cùm enim di-
Ioh. 11. ceret, Lazare ueni foras, ſtatim terra reddidit mortuũ quẽ
ſuſceperat. Dicebat mari, tace & obmuteſce, & ſtatim mare
quieuit à feruore ſuo. Dicebat, Adoleſcens, tibi dico ſurge,
Mar. 4. & ſtatim mors aufugit, uita rediit. Dicebat, Surde & mute
Luca 9. ſpirit', ego tibi præcipio, exi ab homine iſto, & ſtatim exiit.
Mar. 9. Dicebat, Effeta, & continuò ſurdus & mutus ſanatus fuit.

Hæc igitur ſatis probant, ipſum eſſe dominum ſuper terram, mare, morbos, mortem & diabolum. Reſtabat ut ſe etiam dominum aëris & cœli probaret, quo conſolatio noſtra perfecta eſſet, nec quiſquam dubitare poſſet, ipſum habere poteſtatem omnium. Hoc autem hodie fecit, & hoc nobis Lucas cogitandum proponit, imò de hoc hodie gaudet Eccleſia, & gaudere debet oĩs Chriſtianus. Ex hoc ipſo enim quod ſcimus Chriſtum eſſe dominum omnium, ſecuriores eſſe poſſumus in periculis, fortiores in morbis, confidẽtiores in tentationibus, imò eò minus timere habemus mortem, eò minus terrere nos poteſt diabolus, denique eò certiores ſumus adipiſcendi regni cœlorum. Vbi enim caput eſt, illuc congregabuntur & membra. Hinc igitur robur & confidentiam hauſerunt omnes pij in omnibus aduerſis. Sic Apoſtoli euntes prædicabant Euangelium in uniuerſo mũdo, pergẽtes per ciuitates & deſerta, per tela, per ignes, per beſtias & beſtiis crudeliores homines, & tamen intrepidi erant. Vnde autem tantum ipſis robur? Non aliunde certè, quàm quòd ſciebant, Chriſtum eſſe dominum orbis
Pſal. 23. terrarum, ideo cùm Dauide dicere poterant, Domini eſt terra & plenitudo eius, &c. Sic Paulus ex eo quòd ſciebat Chriſtum eſſe dominum maris, ſecurus & lætus erat etiã in ſummo periculo, ita ut aliis deſperantibus, ſolus ipſe omnes cõ
Act. 27. fortaret. Sic Stephanus ex eo quòd ſciebat Chriſtũ eſſe do
Actio. 7. minum mortis & uitæ, lætus & gaudens ibat ad mortẽ. Ecce, inquit, uideo cœlos apertos, &c. Sic ex eo quòd Chri-
Ioh. 12. ſtus dixerat, Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius
Luc. 10. mundi eiicietur foras. Itemq;, Ecce dedi uobis poteſtatem calcandi ſuper omnẽ uirtutẽ inimici. Apoſtoli adeò nihil timebant diabolũ, ut oẽs etiã alios animarent ad reſiſtendũ illi. Sic Iacobus, Reſiſtite diabolo & fugiet. Sic Paulus, In o-
Iaco. 4. mnibus apprehendite ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia
Ephe. 6. tela nequiſsimi ignea extinguere. Sic Paulus ex eo quòd ſciebat Chriſtum eſſe dominum cœli, confidenter dicebat:

Scimus

Scimus quoniam si terrestris domus nostra dissoluitur, ędificationem habemus in cœlo, &c. Item, Iam nō estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum. Et rursus: Nostra cōuersatio in cœlis est. Et iterum: In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Nō minus roboris etiam hodie pius quisque sibi acquirere posset ex ascensione domini, si diligenter cogitaret ipsum ascendisse ut dominum terræ ac cœli: Nec aliundè uenit, quòd nos in aduersis tam pusillanimes sum⁹, in morbis tam deiecti animi, in tentationibus tam desperabūdi, item quòd ita timemus mortem, quòd tam facile nos terret diabolus. Nō aliundè, inquam, hoc uenit, quàm quòd nō arripimus scutum fidei nostræ, ut Paulus monet, nec cogitamus potentiam ac gratiam Christi, quo nihil esset efficacius cōtra omnes tentationes. Nō enim sine causa Iohānes dixit, fidem nostram esse uictoriam mundi, & eum uincere posse mundum qui credit quòd Iesus est filius Dei. unde & Christus ipse clamat, Cōfidite, ego uici mundum, in me habebitis pacem, etiamsi in mundo pressuram habeatis. Nullam igitur Christianus homo desperandi causam habet, quādoquidem & Deus fidelis est, seipsum negare nō potens. Et Christus est pastor ille bonus adeò solicitus ꝓ oībus suis, ut nemo possit illas rapere de manu eius. Vides igitur quantum cōsolationis & roboris præstet cōsideratio ascensionis Christi. Et ob hāc causam articulus hic toties & tam insigniter proponitur in scriptura. Lucas quidem, ut dictum est, simpliciter dixit Christum ascendisse in cœlum. At in Iohanne Christus nōnihil clarius de sua ascensione loquitur. Vade, inquit, dic fratribus meis, Ascendo ad patrem meū & patrem uestrum, &c. Hoc quid sibi uelit alibi planius exponit. Nō turbetur cor uestrum, creditis in Deum, & in me credite: in domo patris mei multæ mansiones sunt, uado parare uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, &c. Et in alio loco, Pater, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Hoc igitur est, quod dicit se ascendere ad patrem suum & nostrum, quasi diceret: Nō solus possidere uolo cœlum, nō soli mihi paratur hæc ascensio, præcedo, uos sequemini. Hinc Paulus ait, Cōuiuificauit nos cum Christo, & consedere fecit in cœlestibus, &c. Vides igitur hîc quantum cōsolationis adferat ascēsio Christi. Verum Marcus adhuc aliud quiddam addit: Et sedet, inquit, à dextris Dei. Hoc quid sit, Christus ipse in Matthæo exponit. Data est, inquit, mihi potestas

2. Cor. 5. Ephe. 2. Phil. 3. 2. Tim. 4. Ephe. 6. 1. Ioh. 5. Ioh 16. 2. Tim. 2. Ioh. 10. Luca 24. Ioh. 20. Ioh. 14. Ioh. 7. Matt. 28.

Philip.2. testas in cœlo & in terra. Et Paulus: Dedit, inquit, illi nomen
Ephes.1. super omne nomen, &c. Et adhuc clarius: Sedere ipsum fecit ad dexteram suã super omnẽ principatum, potestatẽ, dominationem, & super omne quod nominatur in cœlo & in terra. Et adhuc clarius, Sedet, inquit, à dextris Dei tanto ma
Heb.1. ior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomẽ hæreditauit. Cui enim aliquando angelorũ dixit, filius meus es tu, &c. Vides quàm insigniter Apostoli omnes loquantur de ascensione Christi. Nec mirum, cum ante ipsos idẽ fecerint & ueteres illi prophetæ. Dauid cũ primis, qui in multis Psalmis hanc ascensionem, gloriã & regnum Christi decãtat. Ex his aliquos anno superiori proposui, uidelicet 92.96.& 98 Quod si nec hi tibi satis aperte ascensionem Christi describere
Psal.109. bere uidentur, audi quid idem Dauid in alio loco dicat, Dixit dominus domino meo, sede à Dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, &c. En in hũc modum Dauid etiam in hoc Psalmo de ascensione Christi locutus est, & quis Euangelistarum clarius de ea loqui potuisset? Hic enim primò audis, quòd Dauid ipse Christum nominat dominum suum, quem tamen ex se nasci expectabat. Secũdò, quòd Deus ipse ab æterno decreuit, ut hic fili' Dauidis ad dextram suam sederet, hoc est, in æquali potentia & gloria. Tertiò quòd nihil illi obfuturũ sit, etiamsi multos hostes habeat. Quartò quòd omnes hostes illius tandẽ scabellũ pedum ei' futuri sint. Quintò, quòd sceptrum & regnum eius exire deberet è Sion uel Ierusalem in omnẽ terram. Sextò, quòd nedum super eos regnaturus esset, qui spõte se illi subiiciunt, sed etiam in medio inimicorum suorum, uelint nolint. Septimò quòd suos illos nedum ut rex defendere, sed etiã ut sacerdos coram Deo reconciliare posset, & quòd Deus hoc ipsum decreuisset & iurasset, & ita iurasset, ut nunquam pœniteret eũ. Postremò, quòd Deus huic Christo semper à dextris futurus esset confracturus hostes illius, &c. Omnia hæc etiam Dauid de Christo nostro scripsit, atq; hæc sunt, unde hodie gaudemus. Putas autem & Apostolos & Prophetas frustra tot uerba insumpsisse circa articulũ hunc? Nequaquam. Cur igitur factum est? Nimirũ ut eò fortiores efficeremur in fide, eò cõfidentiores in spe, eóq; firmius Christo adhæreamus, & deniq; ut eo ardentius etiã in cœlum suspiciamus & suspiremus, ubi Christus est in gloria Dei patris, & ubi nos cum ipso futuri sumus in æternũ. Hinc

Paulus

Paulus dicit: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, &c. Sic enim necesse est, ut hunc agnum sequamur quocunque ierit. Oportet, inquã, ut cum ipso moriamur peccatis, ut cum ipso resurgam⁹ in nouitatem uitæ: ut cum ipso ascendamus quoque in cœlum, si non corpore, saltem corde & desiderio. Hinc arguuntur Apostoli, quòd otiosi starent & in cœlum intuerentur. Viri Galilæi, inquiunt duo illi uiri, quid statis aspiciẽtes in cœlum? &c. Quasi dicerent, Nescitis uos esse Galileos, id est, transmigratores? nescitis Christum ideo ascendisse, ut panderet uobis iter? Nescitis quòd reuersurus sit, ut assumat uos ad se? quid igitur statis? quid cessatis? cur non festinatis? cur ad ascensum uos non præparatis? cur non sequimini? Hęc nobis quoque dicta putemus. Coloss.3. Rom.6. Actor.1. Mich.2. Ioh.14.

Non enim satis est cogitare, quòd Christus ascenderit, sed hoc quoque agendum & curandũ, quomodo nos sequamur. Verùm hoc opus, hic labor est: nam & multa impediũt, & filij Adam rarò ueram ascendendi uiam apprehendunt. Sunt qui fugiunt laborem ascẽdendi, miseri scilicet qui propter temporalia nihil laboris fugiunt, propter cœlestia autẽ etiam in minimis grauantur. Contra hos Propheta clamat: Quare appenditis argẽtum & laborẽ uestrum in his rebus, quæ uos saturare non possunt? cum minori labore & pretio possetis acquirere uera illa bona, &c. Sunt alij, qui timent se nõ posse perseuerare etiamsi incipiant, ideò malunt perpetuò manere in terra, cum tamen in externis etiamsi decies uno die ceciderint, statim resurgant ę luto, tantum è peccatis surgere nolumus, cum sit ibi maius periculũ & maior defœdatio. Sunt qui nimium se onerant temporalibus, ut ascẽdere nequeant, imò tantum humi repant: ubi enim thesaur⁹ eorum, ibi & cor eorum est. Sunt qui peccatorum uinculis ligati ascendere nequeunt, cum tamen facile possent ipsa uincula euadere, si uellent. Sic igitur pauci Christum sequuntur ascendentem, & impletur uerbum illud Christi, Arcta est uia & angusta est porta ad uitã, & pauci incedunt per eam. An non autem commiseranda res, quòd Christus tanto labore uiam nobis ad cœlum aperuit, & tam pauci eam apprehendunt? Attendamus hæc fratres, uideamus ut ueram ascendendi uiam apprehẽdamus. Hîc enim multi errãt, cum tamẽ oẽs ascendere cupiãt. Ascendere uolebat angelus, sed malè: nã æqualitatem diuinę potẽtiæ appetebat, ideo deiect⁹ est, & ex angelo diabolus factus. Ascendere uolebat & homo, Isa.55. Matth.16. Matth.17. Isa.14.

ſed nõ recta uia, quia ſcientiam appetebat, ideo & ipſe cecidit. Vtroſque uidemus cecidiſſe affectando potentiã & ſciẽtiam, & tamen adhuc maior pars hominũ eos ſequitur. Chriſtus autem ueram aſcẽdendi uiam docuit, & ut poſſet, prior
Ephes. 4. deſcendit, pòſt aſcendit. Vis ſcire quomodo Chriſtus aſcen
Matt. 17. derit? Aſcendit in montem ut transfiguraretur, aſcendit in
Matth. 5. mõtem ut doceret, aſcendit in montem ut oraret, aſcendit
Matth. 8. ſuper aſellum, aſcendit in crucem, aſcendit in cœlum. Hi ſunt
Iohan. 12. gradus ueræ aſcenſionis: oportet nos primum contemplari gloriã futuræ beatitudinis: deinde oportet nos diſcere uiã qua ad eam gloriam peruenitur: tertiò oportet nos orare, ut poſsimus: quartò opprimere beſtiales motus, qui nos impediunt: quintò oportet nos aſcendere in crucem, & inde omnia mundana contemnere, ut dicere poſsimus: Mihi mũ
Galat. 6. dus crucifixus eſt, & ego mundo. Hæc ſi fecerimus, ſuo tempore etiam aſcendemus in cœlum, &c.

QVARTVS SERMO.



EMINEM ingenio uſq; adeò Bœotico eſſe arbitror, qui nõ ex iã dicto Euangelio aliiſque cantibus & cæremoniis, quibus hodie Chriſtiana Eccleſia utitur, ſine negotio uidere poſſit, quorſum hodiernum feſtum ſpectet. Quapropter etiã ſuperuacaneum duco, cauſam docere, cur illud inſtitutum ſit. Vel ipſum nomen id abundè commõſtrat. nomen eſt aſcenſio Chriſti. Porrò, ex hoc Euangelio liquet, nõ ſimplicem eſſe aſcenſionem, ſed aſcẽſionem in cœlum, atq; adeò ad dexterã uſq; Dei. Quocirca exordium huic ſermoni accõmodatius reperire nõ poſſum, quàm ut clamem cũ Eccleſia: Summi triumphum regis proſequamur laude, qui cœli, qui terræ regit ſceptra inferni iure domito. Qui ſeſe ꝓ nobis redimendis permagnũ dedit pretium. Quiq; ſaltum de cœlo dedit in uirginalẽ uentrem, inde in pelagus ſeculi, &c.

Huic noſtro regi ante paucos quoq; dies triumphũ ſuum celebrauimus, nimirum in die Paſchæ, cum primum ex prælio glorioſus uictor reuerteretur, quinimò tum illum læti uidimus & excepimus, tanquam uictorem mortis & inferni: at hodie illi alium decernimus triumphum, & uidemus eum læti ad cœlum ferri, quin unà cum ipſo gaudemus, ut qui ſimul dominus eſt cœli & angelorum. Neq; uerò nos ſoli ſumus, qui illi triumphũ hunc celebramus. Sancti Apoſtoli, redem-

pti

pti patres ex inferno, tũ angeli etiã in cœlis similiter quoq; fecerunt. Legimus de Apostolis, quòd posteaquam uiderunt ascensionem Christi, Hierosolymam reuersi sunt magno cum gaudio, &c. De redemptis patribus per Christum dicitur in Dauide: Currus Dei decẽ millibus multiplex, millia lætantium: dominus in eis in Sinai in sancto. Ascẽdisti in altum, cẽpisti captiuitatẽ: accepisti dona in hominibus, &c. Viderunt ingressus tuos Deus; ingressus Dei mei, regis mei qui est in Sancto. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarũ, &c. Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Principes Iudę duces eorũm: principes Zabûlõ, principes Nephthali, &c. Hunc in modum redempti Christo suum triumphum celebrârũt, nec de angelis quidem dubium est. Quî enim illi non gauderent ob gloriam sui regis, qui gaudẽt etiam super peccatore pœnitentiam agente? Gauisi itaque hodie sunt Apostoli, ob gloriam Christi, patres ob propriam suam redemptionem, angeli uerò, quòd numerus eorum rursus cõpleri debebat. Et quis huic gaudio nõ libenter intersit, ubi angeli & homines simul gaudent? Atqui in nobis situm est, si uolumus, licebit nobis interesse huic gaudio. Sumus quidem adhuc in terris, nec gloriam Christi corporeis conspicamur oculis, sed si uolumus, mente, spe, & cupiditate ad cœlum ascendere possumus, & oculis fidei omnia, quæ ibi aguntur, perspicere.

An non existimas Sanctos patres in cœlo fuisse, & gloriã Christi uidisse, qui tam multa læta hoc de festo scripserunt? Idcirco & nos animos nostros ad cœlum attollere debemus. Si in futurum tempus ad cœlum peruenire cupimus, animos nostros nunc eôdem defixos habere nos oportet. Si ueri Christiani sumus, gloria Christi gaudere debemus, ut quæ nobis incredibile dat solatium & affert. Quò enim maiorem in Christo gloriam uidemus, hòc fortior est nostra fides: & quò sublimiora Christus loca petiit, hòc minus causæ habemus desperandi. Atqui hodiernum Euangelium dicit, Christum non solum secundum diuinitatem suam ascendisse, ubi prius erat, uerum etiam secundum humanitatem assumptum esse supra omnes cœlos, usque ad dexteram Dei omnipotentis, ita ut illa ascensio eius, omnium maximè cõuincat & probet, eum dominum esse omnium creaturarum. Demonstrauerat quidem & antea, se esse dominum earum rerum, quæ sub cœlo sunt; nam illo iubente etiam

terra Lazarum uita defunctum reddere cogebatur, mare ceu solidum elementum conculcabatur, dæmones eiiciebãtur, morbi cedebant, denique tartara ab illo quoque spoliabantur. Vnum adhuc supererat, ut ostenderet, se dominum quoque esse aëris, cœlorum, & angelorum, quo fides nostra perfecta fieret, omnésque uiderent, quòd is esset, coram quo non immeritò omne genu flecti deberet, cœlestium, terrestrium & infernorum, &c. omnísque lingua cõfiteri, quia est in gloria Dei patris, &c. Hoc autem hodie in ascensione sua comprobauit. Hinc uidere quiuis facile potest, quantum in hoc festo nobis solatij resideat, siquidem res nulla est, quæ nobis potestatem, potentiam, gloriam & diuinitatem Christi clarius exhibeat, quàm hoc adeo festum. Quam etiam ob rem committere non possum, quin paulo plura de illo dicã. Quia uerò superioribus annis, copiosè satis de hoc dixi, tria tantùm uobis hac uice proponam consideranda. Primò, quid Christus dominus sua ascẽsione effecerit. Dehinc quid ante & post ascensionem uel dictum uel factum sit. Postremò, quomodo etiam ueteres de ascensione Christi locuti sint. Hæc tria qui probe considerat, uno die sat negotij habebit. Quãtum ad primũ attinet, multa hic indicari possent, quę Christus per suã ascensioné effecit: ut quod per eam, tanquam pontifex noster in sancta introiuit, item quòd ad pristinã suam dignitatem rediit, itẽ quòd naturam nostrã per eam in cœlum subduxit, & quòd se dominum hac ratione declarauit omniũ rerum, & cœlum patefecit, spémq; nobis ac modum eôdem perueniendi dedit. Verùm his omnibus omissis, illud duntaxat indicabo, quod diuus Paulus ponit, Ascendit, inquit, ut impleret omnia. Cæterum quid sit Omnia, quid item Implere, hoc alibi exponit, ubi ait, Placuit Deo per Christum omnia instaurare, quæ in cœlis & quæ in terra sunt. Vtrobique enim instauratione opus est: cœlis diabolus maximum damnum intulerat, numerum cœlestium ciuium minuerat, & seipsum cum multis aliis diis detraxerat. Præuiderat hoc quidem Deus iam inde ab initio, & iam decreuerat casum illum per filium suum sarcire, quin ea ipsa de causa hominem creauit. Vnde diabolus mox odio & liuore contra hominem permotus, coniiciebat etiam illum in peccatum & condemnationem, attamen Dei propositum remorari non poterat.

Coloss.1.

Venit

Venit enim filius Dei, & primò sua incarnatione, prædicatione, miraculis, pasione, & resurrectione reparauit, quod in terris erat, hoc est, hominis casum. Hodie autem ideo cum suis redemptis ad cœlum recepit sese, quo etiam restituere inciperet quod erat in cœlis, hoc est, casum Angelorum.

Quid igitur mirum, si hodierno die simul gaudeant homines & angeli? Etenim quantum damni diabolus utrinque attulit, tantum illis boni Christus reduxit. Et quemadmodum diabolus cùm angelis tum hominibus ad casum dedit occasionem: ita utrisque Christus causa & author fuit & adhuc est gaudij: ille cœlum pro parte nudauit, Christus id rursus impleuit nouis symphoniacis & laudum cantoribus. Imò non solùm cœlum in sua ascensione gaudio compleuit, sed etiam uniuersum orbem terrarum. Siquidem duplicem tum gaudendi causam habeamus & adhuc habemus. Primò, quòd naturam nostram in Christo supra omnia exaltatam uidemus. Secundò, quòd scimus fratrum nostrorum plurimos iam nunc in cœlo esse. Vnde nihil addubitamus, quin eòdem quoque nobis pateat accessus. Huc pertinet quod Propheta dicit, Ascendit pandens iter ante eos. Et Christus ipse, Vado uobis parare locum in cœlo. Et iterum, Vbicunque fuerit corpus, *Matth. 24.* illic congregabuntur & aquilæ, &c. Hæc illa sunt, quæ Christus per ascensionem suam expediuit, sed ea omnia talia sunt, quæ nos in omni tribulatione posint ac debeant consolari. Hinc fit, quòd Ecclesia hodie toties sublatis oculis ad cœlum clamat, Oramus Domine conditor inclyte, deuotos famulos respice protegens, ne nos liuor edax dæmonis obruat, demergat uel ad inferos. Et in alio hymno, Iesu nostra redemptio, amor & desiderium, Deus creator omnium, homo in fine temporum. Quæ te uicit clementia, ut ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens, ut nos à morte tolleres. Inferni claustra penetrans, tuos captiuos redimens, uictor triumpho nobili, ad dexteram patris residens. Ipsa te cogat pietas, ut mala nostra superes parcendo, & uoti compotes nos tuo uultu saties. Gloria tibi Domine, qui scandis super sydera, cum patre & sancto spiritu, in sempiterna secula, Amen. Atque hoc primum est, quod hodie considerare oportet. Secundò reputandum quoque est, quid Christus ante ascensionem & iam

abitum parans uel dixerit uel fecerit, posteaquam certū est & indubitatum, illum propter nos omnia fecisse. Nihil temere neque dixit neque fecit, ut nos solemus, sed antea omnia destinauit ad utilitatem & nostram salutem, ideóque multis egregiis usus est uerbis in suo discessu. Inter hæc primum est, quòd taxat illorum incredulitatem. Qua re significauit, nihil sibi tantopere displicere, ac incredulitatem, contrà docens nos omnibus rationibus fidem nostram constabilire. Alterum uerbum est, Euntes docete omnes gẽtes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui uobis. His uerbis illis delegat primùm prædicationis prouinciam, deinde etiam administrationem sacramentorum: uult autẽ ut non solum doceant quod fidem cõfirmat, sed etiã quod ad diuinorum præceptorum obseruationẽ inseruit. Tertium uerbum est, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. Istud est Euangelium, & uerè lætum nuntium. Verum caue hoc de infrugifera fide, & solum de externa tinctura intelligas, &c. Quartum uerbum, Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, &c. Ex quibusdam signis suos agnosci uoluit. Atque hęc signa Apostoli corporaliter quoque exhibuerunt, à nobis autem spiritualiter ea fieri debẽt. Primum signum est, ut dęmonia, hoc est, peccata eiiciamus. Secundum, ut nouis linguis loquamur, per confessionẽ admissorum laudémque Dei. Tertium, ut serpentes, hoc est, occultas & insidiosas suasiones diaboli è pectorib⁹ nostris abigamus. Quartũ, ut tametsi letale quid bibimus, hoc est, tametsi forte interdum cadimus, in peccatis tamen nó permaneamus. Et quintum, ut infirmis & ægrotis manus nostras exponamus, hoc est, ut & aliis hominibus prodesse studeamus. Hæc signa sunt, quæ fides in electis operatur, &c. Ea latius explanare potes. Quintum uerbum, ne ab Hierosolymis discederent, donec Spiritũ sanctũ accepissent, &c. A pace & concordia Christianæ Ecclesiæ recedendum non est, &c. Sextum, ut omnibus curis mundanorum negotiorum omissis, hoc unum agerent, ut digni essent spiritu cœlesti, &c. Nouissimum uerbum fuit illius benedictio, qua est proculdubio omnia fausta precatus est & bona: nam si hoc Moyses legislator fecit, quanto idem iustius fecit Christus? Omnia hæc uerba homini Christiano diligentia non mediocri consideranda sunt, &c. Est autem & illud nobis consideran

Mar. 16.
Matth. 28.
Marc. 16.
Ibidem.

ſiderandum, nimirũ quid Chriſtus ante aſcenſionem ſuam fecerit, ſiquidem id docebit nos, quomodo & nos ad cœlum peruenire poſsimus. Chriſtus primum ante aſcenſionem ſuam deſcendit & humiliauit ſeſe, quo damnatur ſpiritus & arrogantia noſtra, qui ſemper aſcendere contendimus, cùm tamen nunquam nos demiſimus. Secundò, paſſus eſt ante aſcenſionem ſuam, quo culpatur noſtra impatientia, qui abſque omni afflictione cœlum nos obtinere poſſe arbitramur. Tertiò, ante aſcenſionem ſuam reſurrexit, quo noſtra redarguitur præſumptio, qui mercedem ante obitum laborem poſcimus. Quartò, diſcipulos ſuos ante aſcenſionem ſuam Hieroſolymis eduxit, quo ſtultitia noſtra notatur, qui in medio mundo iacemus, & beatos nos fore ſperamus, &c. Quintò, diſcipulos ſuos ante aſcenſionem ſuam in montem ſubduxit, quo uituperatur noſtra carnalitas, qui nunquam corda noſtra erigimus, & tamen cœlum deſideramus. Quin ſic dictum eſt, ſurſum corda, &c. Hæc diligenter perpendenda ſunt. Poſtremò uidere quoque oportet, quomodo prophetę de aſcenſione Chriſti loquantur. Quia uerò temporis ſpatium anguſtum eſt, duo tãtum loca è Pſalmorum libro indicabo. Primum eſt, quod propheta Dauid dicit, Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius, &c. Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. Quoniam iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit, æquitatem uidit uultus eius. Alter locus eſt, ubi Dauid dicit, Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Nubes & caligo in circuitu eius: iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: uidit & commota eſt terra. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra. Annuntiauerunt cœli iuſtitiam eius, & uiderunt omnes populi gloriam eius. Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Adorate eum omnes angeli eius: audiuit, & læta eſt Sion. Et exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine. Quoniam tu Dominus altiſsimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes deos. Qui diligitis

Luca 24.

Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos. Lux orta est iusto; & rectis corde lætitia. Lætamini iusti in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius, &c. Hi duo Psalmi satis indicant, quid boni iuxtà ac improbi ex ascensione Christi sperare aut timere habeant. Id autem exponere nunc ob temporis angustiam nequeo. Bonus quisque Christianus utrunque Psalmũ secum ipse latius expendat. Deus gratiam suam det omnibus nobis, Amen.

QVINTVS SERMO.

Tempus est ut reuertar ad eum qui me misit: uos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius, &c. Tobiæ XII.



I sanctis Apostolis ac martyribus annuos statuimus honores, diésque qua possumus festiuitate celebramus, quibus uitam suam piè finierunt, quanto magis hic dies nobis celebris esse debet & solennis, in quo Christus Dominus peregrinationem suam confecit: quicquid enim hisce in rebus consideramus, siue sit persona, siue peregrinatio, uel etiam ultimus actus, multò hæc omnia maiora & eximia magis inueniuntur in Christo, quàm in Apostolis, aut alioqui in cæteris sanctis. Res magna quidem & præclara est, quòd diuus Paulus ante obitũ suum ad discipulos suos scribebat: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, &c. at longè magnificentius est, quod de Christi consummatis muniis literis proditum est. Etenim sic legimus in diuo Marco: Et Dominus Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedit à dextris
Luc.24. Dei, &c. Et in Luca, Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Similiter & in Actis Apostolorum scriptum reperimus: Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, &c. An non autem hæc insignis catastrophe est? Sed hanc rem aliquanto, ut æquum est, accuratius inuestigabimus. Nam hac de causa quoque uerba Raphaëlis angeli in manus sumpsi, quanquam illa quidem in Euangelio non habentur, nec angelus ea in persona Christi locutus est, attamen inuenimus

smus Christum eadem, aut similia uerba extulisse. Proinde uerba illa nonnihil latius diducere uisum est. Ex his autem duo desumere possumus, nimirum discessum Christi, & supremam eius uoluntatem seu precationem. Atque hæc duo quidem hodierno festo consideranda omniuo sunt. Quantum igitur ad discessum illius seu ascensionem illius attinet, tria spectanda sunt, quando, quomodo, quò ascenderit.

Primò, quando ascendit? Non ante tempus, non prius neque serius quàm decuit. Audi quid Angelus dicat, Tempus est, ut reuertar, &c. Eundem in modum & Christus dixit, Pater, uenit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te, &c. Quo indicio intelligitur, tempus & horam adfuisse, eius clarificationis? Accipe, quæ sequuntur: Ego te clarificaui super terram: opus consummaui quod dedisti mihi ut faciam. Sunt qui ex hoc mortali corpore & perituro mundo, transire in alterum mundum nolunt, etiamsi tempus & constituta meta iam adest. Sunt alij, qui ascendere uolunt ante completam Dei uoluntatem, cæterum Christus primum suum opus perfecit, quo facto, in terris amplius commoratus non est, quo suis significaret, ne ubi Dei imperata fecissent, rerum terrenarum curis distinerentur longius, sed æternam & ueram patriam suspirarent. Habes ergo hoc modo uerum & opportunum tempus ascensionis Christi. Nũc porrò audi, quomodo & qua ratione ascenderit. Tempus est (inquit Angelus) ut reuertar ad eum qui misit me, &c. Similiter legimus, Christum quoque dixisse: Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem, &c. At quomodo à Deo patre suo exiuit? Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse, se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autẽ crucis, &c. Quomodo autem mundo relicto ad patrem remigrauit? Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, &c. Idcirco ascensio Christi meritò & aptè dicitur reuersio seu regresio ad patrem, quia propterea etiam complectitur primò descensionem illius. nisi enim prius descendisset, ascendere quî potuisset? Quòd ascendit, inquit Paulus, quid est, nisi quia & descen-

descendit primùm in inferiores partes terræ? Quod si igitur ascendere cupis, primùm descende. Secundò legimus, Christum ante crebrò ascendisse, quàm cœlum repetiit: nam assumptis, Petro, Iacobo, & Iohanne, subduxit eos in montẽ uehementer excelsum, qui appellabatur Thabor, & transfi-
Matt. 5. gurabatur istic coram illis. Conscendebat item montẽ, cùm densam hominũ multitudinẽ uideret, docens illic eos ac dicens: Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnũ cœlorũ, &c. Sic sæpe solus montem sublimẽ petebat, ut oraret. Deniq; etiã in crucẽ ascendit, & post hæc omnia tandẽ cœli fastigiũ superauit. Verùm quid his omnibus docuit aliud, q̃ uerum modũ ad cœlum ascendendi? Enimuerò insipientes per hoc docuit, paruulos traxit, infirmos duxit, atque eam ob rem quasi positis uestigiis de uirtute in uirtutem procedebat, donec nos eò perduceret, ut Deum omnium deorũ
Mat. 17. uidere possemus. Nam primò, dum montẽ ascendit transfiguraturus sese, factum est id nobis ad doctrinam, ut etiam nos ante omnia cogitationibus nostris ascendamus, ad futuram gloriam in nobis manifestandam, atque hic primus gradus est ascensionis nostræ. O hominem beatum, qui hũc montem ascendit! nam quid talis in hoc nefario mũdo desiderare potest, si oculi eius intenti solum sint in bona do-
Rom. 8. mini in terra uiuentiũ? quid tali homini graue esse potest in terris, qui semper animo secum cogitat, passiones huius tẽporis non cõdignas esse, ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis? &c. In hoc monte Dauid frequenter inueniebatur, uti cùm ait: Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam domine requiram, &c. Et iterum: Quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te, &c. Item: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Hæc recordatus sum, & effudi in me animã meã, &c. Rursum cùm dicit: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: & uolabo & requiescam, &c. Itẽ: Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum, &c. Rursus: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus, &c. Et quid opus est tot hisce testimoniis, cùm unicus iste Dauid nos pariter omnes corripiat, quòd in hunc montem non ascendimus: Filij hominum, inquit, usquequo graui corde? ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Sed quorsum attinet, scire, quò eundũ sit, nisi sciatur quoq;, quã sit eundum?

Quapro

Quapropter necessum est, ut alterum conscendas mõtem, in quo Christum audias prædicanté & docentem. Quid autem docet in illo loco? Nemo ascẽdit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo, &c. Vide quà eundũ sit, nimirum per Iesum Christum huic incorporari te oportet, si modo in cœlum ascẽdere cupias. Deinde habet Christus in hoc monte scalam, quæ cœlum attingit: Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cœlorum, &c. Et postremò: Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, &c. Vide, hic alter gradus est ad cœlum. Nec tamẽ hoc sufficit, nisi montem quoq; subeas ad orandum: quis enim perficeret hoc absq; præsidio Dei? Quare necessarium est, ut cum Heliseo à Deo petamus rogemúsq;, ut duplex spiritus Christi in nos deueniat, hoc est, ut conscientiam consoletur remissione peccatorum, & corroboret nos, ut Christum sequi ualeamus. Quia uerò mortale corpus animam grauat, & terrenũ domicilium deprimit intellectum multa cogitantem, necessum planè est, ut & tu in crucem ascẽdas, carnem unà cum prauis cupiditatibus perimens. Nam nisi eam tu necaueris, certè illa te necabit. Atq; hic quartus gradus est. His omnibus peractis, unà cum Christo in cœlum ascendere deinde potes. O hominem beatũ, qui hanc ascẽsionem ita in corde suo instituit in ualle lacrymarum! nam is haud dubiè de uirtute in uirtutẽ progredietur, donec peruenìat in Sion, ubi Deum perpetuò intuebitur. Habes itaq; iam formã & modum ascensionis Christi. Tertiò porrò considera, quò ascenderit: Ad eum (inquit Angelus) qui misit me, &c. Eadẽ hęc uerba Christus quoque dixit: Et hoc caput est in ascensione Christi, ut reputemus nobiscum, quò ascẽderit, siquidem in hoc omnis spes nostra & solatium situm est. Itaque audi de hac ascensione articulum nostræ fidei: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei, &c. Est autẽ hæc ascensio nihil aliud, quàm quòd exaltatus est supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomẽ quod nominatur, &c. Item, quòd illi data est potestas in cœlo & in terra. Item, quòd illi donatum est nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum, &c. Item quòd est rex constitutus à Deo super Sion montem sanctum eius, &c. Hęc omnia in uerbo hoc cõprehendũtur,

Sedet

Iohan. 3. *Matth. 5.* *Philip. 2.*

Sedet à dextris Dei,&c.In tali ueiò dignitate se ipsum non collocauit,quemadmodum Lucifer id conabatur,neque ab hominibus eo promotus est,sed à Deo:Dixit dominus domino meo(inquit Dauid) sede à dextris meis, donec ponã inimicos scabellũ pedũ tuorum,&c.Hoc,inquam,summum nostrum solatium est,quòd is,in quẽ credimus,quem sequimur,tantæ uirtutis sit & potentiæ,&c. Hoc in omnibus casibus,& rebus afflictis cõsiderare debemus,maximè mortis urgente necessitate, &c. Habes itaq; hoc pacto breuiter & summatim,quid de passione Christi cogitare oporteat.Sed quid etiã faciẽdum circa eam est? Vos autẽ benedicite eum & narrate omnia mirabilia eius, &c. Iure sanè & meritò id facimus,nec aliud quod faciamus superest.Quid retribuam domino (inquit Dauid) pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicẽ salutaris accipiã, & nomen domini inuocabo. Secũdò,Narrate mirabilia eius,&c.Quę mirabilia eius?Nempe, quomodo nos suo amore & benignitate præuerterit,& ad nos uenerit,subsidiũ & opem nobis afferens, & quomodo sublimis illa maiestas mortẽ subire uoluerit, quo uitam habere nos possemus: seruire paratus, ut nos dominaremur: in exilium abiens, ut nos patriæ restitueremur: ad seruilia opera sese submittens, ut nos super omnia sua opera constitueret,&c.Hæc mirabilia narrare debemus. sic quippe faciebat Thobias:Magnus es domine in æternũ(inquit)& in omnia secula regnum tuum:quoniam tu flagellas,& saluas: deducis ad inferos,& reducis, & non est qui effugiat manũ tuam. Confitemini domino filij Israël,& in conspectu gentium laudate eum: quoniam sic dispersit uos inter Gentes, quæ ignorant eum,ut uos enarretis mirabilia eius,& faciatis scire eos,quia non est alius Deus omnipotẽs præter eũ. Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras,& ipse saluabit nos propter misericordiã suam. Aspicite ergo quæ fecit nobiscũ,& cum timore & tremore confitemini illi:regémque seculorum exaltate in operibus uestris. Ego autẽ in terra captiuitatis meæ confitebor illi:quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem. Conuertimini itaque peccatores, & facite iustitiam coram Deo,credentes quòd faciat uobiscum misericordiã suam. Ego autẽ & anima mea lætabimur. Benedicite dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ,& confitemini illi. Ierusalem ciuitas Dei, castigauit te dominus in operibus manuum tuarum. Confitere domino

domino in bonis tuis, & benedic Deũ ſeculorum, ut reædificet in tabernaculum ſuum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia ſecula ſeculorum. Luce ſplendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te uenient: & munera deferentes, adorabunt in te dominũ, & terram tuam in ſanctificationem habebũt. Nomen enim magnum inuocabunt in te. Maledicti erunt qui contempſerint te: & cõdemnati erunt omnes, qui blaſphemauerint te: benedictiq; erunt qui ædificauerint te. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniã omnes benedicentur, & congregabuntur ad dominum. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua. Anima mea benedic dominum, quoniã liberauit Ieruſalem ciuitatem ſuam à cũctis tribulationibus eius: Dominus Deus noſter. Beatus ero ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad uidendam claritatem Ieruſalem. Portæ Ieruſalem ex Sapphiro & Smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorũ eius. Ex lapide cãdido, & mundo omnes plateæ eius ſternentur: & per uicos eius halleluia cantabitur. Benedictus dominus, qui exaltauit eam, ut ſit regnum eius in ſecula ſeculorum ſuper eã, &c. Digna hæc laus eſſet hodierno feſto, & præterea uerè Chriſtiana meditatio, de cœleſti Hieroſolyma futura noſtra patria, in quam hodie Chriſtus introiuit, & in quam nos tandem perueniemus. Hæc quiſque ſecum latius perpendat. Deus nos ſua omnes dignetur gratia, Amen.

SEXTVS SERMO DOCET, IN *quem uſum aſcenſio Chriſti nobis inſeruiat.*

INTER multa alia quæ ad huius feſti celebritatem pertinẽt, non abs re uiſum eſt, quòd hodie tam multiplices adhortationes in Eccleſia uſurpantur, ad excitãdos omnes Chriſtianos, ne quis lætam aſcenſionem Chriſti negligentia prætereat, ſeque ipſum ſolatio fraudet, quod ex ea capere poſſumus. Feſtum nunc celebrare, magnáque gaudia, cõpellunt animos carmina promere, cùm Chriſtus ſolium ſcãdit ad arduum, cœlorum pius arbiter. Summi triumphum regis proſequamur laude, qui cœli, qui terræ regit ſceptra, inferni iure domito. Qui ſeſe pro nobis redimendis permagnum dedit pretium. Sic hodie cantatum eſt, quo Eccleſia filios ſuos excitauit, quod genus & illud eſt ex Dauide: Omnes


Omnes gētes plaudite manibus: iubilate Deo in uoce exul tationis. Quoniā dominus excelsus, terribilis, rex magnus super oēm terram. Hæ & id genus adhortationes, ut dixi, omnes eò tendūt, ut ne cui imprudēti aut dormitanti læta ascensio Christi elabatur. Verūtamē spes haud mediocris me habet, eum qui proximè præteritę dominicæ Euangelium probè considerauit, hodie monitore non ita magnopere opus habere, uerbis illū, quæ istic Christus loquitur, iampridem excitatū, & ad hoc festū paratum & idoneū esse factū reor. Exiui à patre (inquit) & ueni in mundum: iterum relinquo mundū, & uado ad patrem. Hæc erāt uerba, quibus Ecclesia tum nos ad hodiernū festum pręparare & ueluti deducere uolebat. Quæ si ita accepissemus, haud dubiè uel citra omnes alias admonitiones iam prouoluti, corde, manibus & oculis in cœlū sublatis, Christo capiti nostro ac domino totis animis ac plena uoce acclamaremus, inquiētes: O rex gloriæ domine uirtutū, qui triūphator hodie super omnes cœlos ascendisti: ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum patris in nos spiritū ueritatis. Sub hæc mox etiā patrem imploraturi essemus ac dicturi: Concede quęsumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die unigenitum tuum redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Tali in opere & exercitio nos Christiani inueniri hodie debebamus. Ad hoc ex proximè elapsa dominica paratos nos & accinctos esse oportebat. Isthuc demum hodiernū festum uerè & Christiane celebrare esset, si ex hoc tēpore omnium terrenarum rerum obliti, cor nostrum, cogitationes, uoluntatem, amorē, spē & fiduciam eò solùm dirigeremus, ubi Christus ad dexteram sedet Dei patris. Sic (inquam) hodiernū festum à nobis Christianis seruari par erat. Si Christus nostrum est solatium, uti paschali tempore antehac cecinimus, certè cor nostrum illic esse cum primis decebat, ubi hic noster thesaurus est. Quid igitur in posterū Christianus in terris quærit, non ignorans caput suū esse in cœlis? Vbicūque corpus est, illic cōgregabuntur & aquilæ. Sanctus Dauid non solùm in terris nihil, sed ne in cœlis quidem aliud quęrebat quicquā præter Deū. Domine quid mihi est in cœlo? & à te quid uolui super terrā? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Hoc dicit Dauid in ueteri testamēto, & nos Christiani in reb⁹ terrenis toti erimus, Dei & cœli eius penitus obliti?

Ioh. 16. *Matt. 24.* *Psalm. 72.*

Longè abſit à nobis fratres dilecti. Etenim iudicium hoc eſſet, nos nondum credere, Chriſtum aſcendiſſe in cœlum.

Nam qui ſic prorſus terrenis bonis addictus eſt, ut æternorum non recordetur, is nondum profectò credit, nos hìc ſtabilem manſionem non habere, & conuerſationem ſeu municipium noſtrum eſſe in cœlis: & tametſi uerbis id loquitur ac confitetur, factis tamen negat. At quid tali homine infelicius, qui id ſolum cogitat, ubi manendi non datur poteſtas, oblitus eius, ubi perpetuo permanendũ erat? Itaq; ſine cauſa haud factum eſt quòd hodie tam uariæ adhortationes fieri conſueuerunt. Magno uſui nobis Chriſtianis eſt aſcenſio Chriſti. Eam quiſquis rectè conſiderarit, is non ſolum cum gaudio cordis ſui illinc abſcedet, ſicut de Apoſtolis legimus, uerum etiam per omnem uitam incitamentum habebit, cor ſuum, rationem & affectus tanto ſolennius ad cœlum erigendi. Proinde facere non poſſum, quin in gratiã ſimplicium aliquantò plus de hoc feſto dicam, uerum hiſtoriam primum commemorabo, ut Euangeliſtæ de hac aſcenſione Chriſti ſcribunt, ſumpturus iſthinc poſtea, quæ ad ſpirituale gaudium & omnem pietatem inſeruire nobis poſſunt. Principiò duos habemus Euangeliſtas, qui de aſcenſione Chriſti ſcripſerunt, Marcum ſcilicet & Lucam. Reliqui duo Matthæus & Iohannes ultra reſurrectionem non progrediuntur, nihil ſcribentes aliud niſi quòd Chriſtus à morte reſurrexit, ſed ita, ut qui paulo oculatior eſt, ſimul ex iis aſcenſionem Chriſti abundè intelligere poſſit. Nam in Iohanne dicit Chriſtus ſtatim primo reſurrectionis ſuæ die, Aſcendo ad patrem meum, & patrem ueſtrum. In Matthæo autem ſic loquitur: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quibus uterq; Euangeliſta quid aliud innuit, quàm quòd etiam reſurrectio Chriſti, glorificatio & exaltatio ipſiꝰ fuerit? Atque eam ob rem hìc cõquierunt, & Euangelio ſuo finem impoſuerunt. Veruntamen quia Chriſtus nõ ſolum inuiſibili ratione in reſurrectione ſua exaltatus & glorificatus eſt, ſed etiam quadrageſimo poſt die, uiſibilis coram diſcipulis ſuis in cœlum aſcendere uoluit, ipſis & omnibus credentibus ad perenne ſolatium, & maiorem cõfirmationem fidei illorum, reliqui duo Euangeliſtæ, Marcus & Lucas operæ pretium duxerunt, eiuſmodi opera ſpeciatim & expreſſe literis mandare. Siquidem magis ſimplicem res uiſa, quàm audita ſolùm afficit. Quẽadmodum proculdubio apud Apoſtolos

Iohan. 20.



stolos plus effecit, cum oculis corporeis Christum ad cœlũ ferri uiderent: plus, inquam, hoc apud eos effecisse credere par est, quàm omnia quæ Christus ante de sua gloria & exaltatione dixisset. In Marco unũ duntaxat uerbum extat de ascensione Christi: Dominus Iesus (inquit) postquam locutus est discipulis suis, assumptus est in cœlum, & sedit à dextris Dei. Lucas duobus in locis eius meminit, in Euangelio suo his usus uerbis: Dominus Iesus eduxit discipulos suos foras in Bethaniã: & eleuatis manib⁹ benedixit eis. Et factũ est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et ipsi adorãtes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno. Porrò in actibus Apostolorũ scribit hunc in modũ: Christus post resurrectionem suã Apostolis suis præbuit se ipsum uiuum in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et cõuescens, pręcepit eis, ab Ierosolymis ne discederẽt, sed expectarẽt promissionem patris, &c. Vt in hodierna Epistola indicatũ est. Hoc opus illud est, ad quod bon⁹ Christianus meditationes suas referre debet. Hæc historia est, ex qua cibum pro animabus nostris petere debemus, quem quidem inuenimus indidem optimum, & modis omnibus. Hæc historia nobis fidem firmare potest, spem augere, charitatem & deuotionẽ excitare, pigros impellere, cõscientiam nostram cõsolari, effręnes reprimere & cõtinere. Hæc omnia potest ista historia, si rectè cõsideretur. Et quis nõ uidet, ea ipsa esse, quibus omniũ maximè opus habemus? Quis est, cui horum unũ seu plura non desunt? Interim hostis perplexos nos in fide facere conatur, interim pusillanimitas nobis oboritur, nunc consciẽtia afflictatur, nunc solicitat nos externa tribulatio: iã ad bonum remollescimus & torpemus, iam ad mala plus nimio effundimur, &c. Tanto quidem libentius & diligentius hac historia esse occupati debemus, quæ nobis tot modis & ad tam multa bona inseruire potest. Hæc itaque ordine audiemus, & uidebimus primò, quomodo fidem nostram per ea confirmare posimus, nõ tã contra Iudæos & gentes, quàm contra diabolum ipsummet. Iudæi & gentes fortiter negant, Christum filium Dei esse posse, utpote mortuum tanquam hominem, arbitrantes ob id fidem nostrã falsam esse, & nullo certo fundamento subnixam. E diuerso diabolus cognitũ habet, Christum Deũ esse, sensit nimirũ diuinã eius uim ac potestatem, at nihilo secius tamen omnem adhibet operam,

Marc. 16.
Luc. 24.
Acto. 1.

operam, ut nos aut penitus à Christo abstrahat, aut ad minus in fide dubios & scrupulosos faciat: scit enim omnes suas uires & conatus in nos iacere, nec posse quicquam, quàm diu in hac petra stamus, aduersus quā (ut inquit Christus) inferorum portæ ne tantillum quidem ualent. Vnde autem euidentius habemus argumētum fidei nostræ, & quòd Christus uerus Deus est, quàm ex ipsius resurrectione & ascensione? Quis unquam propria uirtute ac uiribus ex morte sese eripere potuit, præter unum Christum? Quis unquam suapte uirtute in sublime ferri potuit, præter unum Christum? Et hinc quid aliud apparet, quàm quòd sit dominus uitæ, & mortis, aëris & omnium creaturarum, imò rex cœli & terræ? Vnde profectò sequitur, eum non solum hominem, sed etiam Deum esse oportere. Est enim hoc nomen unius Dei, ut dicatur dominus uniuersorum. Atqui mundus eandem quoque potentiam in Christo expertus est ac uidit, nimirum cum dicebat ad leprosum: Mundare, & confestim mundata est lepra eius. Dicebat ad cæcum: Respice, & confestim uidit. Dicebat ad defunctum adolescentem: Tibi dico surge, & resedit qui erat mortuus. Dicebat ad mutum: Epheta, & subitò loquebatur & audiebat. Imperabat uentis, & conquiescebant. Imperabat dæmonio, & cedere cogebatur. Aquam siccis pedibus calcabat, & subseruiebat illi. Imò in cruce pendebat, & tristabantur unà cum eo omnes creaturæ, tanquam cum suo domino. Vtique satis per hæc probatum est in terris, illum dominum esse rerum omnium, dominum (inquam) omnium morborum, mortis, diaboli, terrę, maris & omnium elementorum.

Matt. 9.
Matt. 9.

Præter hæc omnia proficiscitur in cœlum, ubi illi quoque ministrant, aër, nubes & angeli. Aër uiam illi præbet, & portat eum: nubes illum excipiunt: angeli honorant eum: cœlum ad illius aduentum sese aperit. Nónne etiam his argumentis satis liquet, eum esse dominum aëris, nubium, cœli & angelorum? Quod si ergo dominus est omnium rerum in cœlo & in terra, utique Deus est. Si Deus est, diuini certè illi debentur honores. Atque hos ab æterno habuit: Pater (inquit) uenit hora, clarifica filium tuum, claritate quam habui apud te ante constitutionem mundi. Ab æterno (inquam) eos habuit apud patrem: nunc autem post peractum humanæ redemptionis negotium, poscit hos honores sibi fieri et ab hominib⁹. Qua etiam de causa dicit, patrem dedisse *Ioh. 17.*

ſibi omne iudicium, ut omnes honorificent filium Dei, ſicut honorificant patrem. Hoc noſtrum fundamentum eſt, clypeus & gladius contra Iudæos & gentes: qui ſi nobis poſſunt obiicere, Chriſtum quem adoramus mortuũ eſſe & crucifixum, nos contra dicere poſſumus, eum reſurrexiſſe & aſcendiſſe in cœlũ. Hoc pacto reſurrectio & aſcenſio Chriſti nobis fidem noſtram confirmat, aduerſus omnes calumnias, ſiue Iudæorum ſiue gentilium. Porrò ſi diabolus nos ad fidei defectionem ſolicitat, aut in ea nos dubios facere adlaborat, an tuto Chriſto fidere poſsimus, & is nobis in omnibus auxiliari ualeat Cui hoſtis tales ſuggerit cogitationes, is audacter & magno animo dicat: Credo Chriſtum reſurrexiſſe & aſcendiſſe in cœlum, quæ res mihi ſatis efficaci argumento eſt Deum illum eſſe, omnémque poteſtatem habere: tu hoſtis & diabole primum id expertus es, & magis etiam experieris, quum te tuúmque gregem in abyſſum inferni præcipitabit. Hoc modo contra letales tentationes & ſuggeſtiones diaboli aſcenſione Chriſti ſeſe in ſua fide confirmare poteſt Hoc unum eſt, ad quod nobis aſcenſio Chriſti inſeruire debet, nimirum ad cõfirmationem fidei noſtræ. Hunc articulum mordicus tene, nulla tibi creatura tuam fidem infringet aut labefactabit. Similiter & ſpem iſthinc augere poſſumus: Spe ſalui facti ſumus, inquit Paulus. Res noſtra in ſpe ſita eſt modo, non in habendo aut uidendo. Sed quæ ſpes noſtra eſt? Nolite timere puſillus grex (inquit Chriſtus) quia complacuit patri ueſtro dare uobis regnum. Hæc noſtra ſpes eſt, in mundo parum eſt quod ſperemus, imo ſi ſpes noſtra mundo niteretur, infeliciores cunctis aliis mortalibus eſſemus. Non enim nos nouit mundus, quatenus uere Chriſtiani ſumus: Si de mundo fuiſſetis (inquit Chriſtus)
Ioh.15. mundus quod ſuum erat diligeret. At conuerſatio noſtra eſt in cœlis. Sed quid nobis hanc ſpem conſeruare melius & augere poteſt, quàm ſi cogitemus, Chriſtum caput noſtrum iã æternum regnum poſſediſſe pro ſe, próque nobis? Imò naturam noſtram iam in illo exaltatam eſſe uſque ad dexterã Patris. Si itaque caput noſtrum in cœlis eſt, tanto melius ſperare poſſumus, etiam nos membra eius eò peruenturos, ſiquidem caput & membra coniuncta eſſe oportet, ſi modo
Ioh.17. integrum corpus dici debeat Et Chriſtus ipſe dixit, ubi fuerit ipſe, nos quoque fore. Si natura noſtra ad id loci in Chriſto peruenit, dubitandum non eſt, quin eòdem nos etiam
perue

peruenire posſimus. Eſt ergo hæc noſtra ſpes, ut ex conſideratione aſcenſionis Chriſti, læti cum diuo Iob queamus dicere: Scio quòd redemptor meus uiuit: & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circundabor pelle mea. & in carne mea uidebo Deum Quem uiſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Et cum beato Paulo: Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd æternam domum habemus in cœlis, &c. Et cum Sancto Petro: Chriſtus regenerauit nos in hæreditatem incorruptibilem, &c. Et rurſus: Cum Chriſtus apparuerit uita noſtra, tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria. Et iterum: Saluatorem noſtrum expectamus de cœlis, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Atque hac ratione aſcenſio Chriſti ſpem nobis adauget. Cui rei alioqui fideremus? Aut quî fieri poſsit, quenquam noſtrum in cœlum uenire? Quid enim execrabilius homine poſt peccatum? Vis ſcire, quæ noſtra natura ſit? Puluis es (inquit Deus) & in puluerem reuertêris. Et Dauid: Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, imò iumentis multò inſipientior. Cognoſcit enim bos dominum ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, quin hirundo aliæque aues cuſtodierunt tempus aduentus ſui: at homo non cognoſcit Deum. Eáque de cauſa Salomon iubet nos à formicis prouidentiam diſcere, quæ colligunt in æſtate, & in hyemem ſibi prouident, ſed homo futuram hyemem non proſpicit, non dicam nunc, lapidibus nos quandoque minus ſenſuum habere. Quam etiam ob rem Micheas lapides pro teſtibus allegat contra homines: Audiant (inquit) fortia fundamenta terræ, quia iudicium domini cum populo ſuo. Sic natura conſtituti ſumus, & præter hæc omnia filij iræ ſumus. Attamen hæc noſtra natura adeò contemptibilis, adeò infirma, &c. hodie in Chriſto ſupra omnes cœlos & angelos exaltata eſt. Adeo bonus eſt Deus. Olim iracundia ita in genus humanum incenſus erat, ut etiam indignum cenſeret, quod terram incoleret. Delebo (inquit) hominem quem creaui, à facie terræ, hodie uero nobis cum Chriſto cœlum habitandum dedit. Hoc alterum eſt, ad quod nobis aſcenſio Chriſti commodat, nimirum ut per eam, ſpem noſtram conſeruemus augeamúſque. Charitatem & deuotionem

Iob 19.

2. Cor. 5.

Gen. 3.

Iſa. 1.

quoque excitare per eam possumus. Imò quis non totus inflammetur amore erga Deum, si diligenter secum reputet, ad quantam sublimitatem nos exaltauerit Deus? Conuiuificauit nos Christo (inquit Paulus) & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus, &c. Quis autem non omnia libenter faciat patiatúrque, si consideret secum, non temporariam nobis & corruptibilem, sed æternam coronam propositam esse? Vide, sic nos ascensio Christi ad charitatem quoque & deuotioné, quinetiam ad patientiam impellere posset. Porrò conscientiam nostram ea cõsolari quoque possumus & pacare, si quando nos prærodit & angit ob peccata nostra. Paulus enim apertè dicit, Christum propterea tanquam Põtificem in æternum suum tabernaculum introiuisse, ut aspectui Dei illic pro nobis appareret. Et ob id, ueluti Iohannes dicit, etiamsi peccemus, non debemus de-

1. Ioh. 2. sperare, quoniam aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Sed quid diabolus, & inquieta conscientia, sua accusatione & testimonio efficeret coram Deo, Christo nobis patrocinante? Si Deus pro nobis (inquit Paulus) quis

Rom. 8. contra nos? Deus nos iustificat, quis est qui condemnet? Christus interpellat pro nobis, quis accusabit? Hoc pacto ascensio Christi, si rectè consideretur, etiam conscientiam nostram sedare & tranquillam reddere potest, alioqui semper nos accusat, nunquam acquiescit, nisi suspiciamus ad eum, qui pretioso suo sanguine peccata nostra expiauit, & chirographum condemnationis nostræ in crucem suffixit. Hoc quartum est. Ad hæc, ascensio Christi in omni quoque tribulatione consolari nos potest. Ideo enim ascendit,

Colos. 2. ut omnia impleret. Cûm in terris ageret, in uno tantum lo-

Ephes. 4. co uidebatur, at nunc postquam in gloriam suam introiuit, omnia complet, ubique locorum est, &c. Est in cœlo & in terra, ab uno angulo ad extremos orbis fines pertingens. Atque hæc illius sessio est ad dextram Dei, quòd plenam & æqualem potestaté habet cum patre, omnibus est in locis, uidet & nouit omnia, ubique & omnibus in rebus auxiliari potest. Hoc Petro sua uincula, Act. duodecimo. Paulo suas crebras profectiones, secundæ Corinthiorum undecimo. Apostolis in commune suas persecutiones, Act. quarto. Sancto item Stephano suam mortem leuem faciebat, quòd Christum uidebant sciebántque, eum Deo considere

ad dex

ad dextram, ad eum modum quo nunc dictum est, atq; hac *Act. 7.*
spe per omnia tribulationum discrimina perruperunt. Propter te (inquit Paulus) mortificamur tota die, sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Proinde nos hoc quoque consolari debet, quòd dominum habemus, qui omnia perspecta habet ac potest, & qui nouit cōpati nobis. Hoc quintum est. Sextò, docet nos ascensio Christi simul ueram uiam & rationem ascendendi, inquiente Paulo, Qui descendit, ipse est & qui ascendit. Porrò scimus quoque, quid Christus in suo descensu fecerit, nimirum clarificauit patrem suum, discipulos suos docuit & consolatus est, obediens fuit usque ad mortem crucis, atque hoc pacto ex mortuis resurrexit, in cœlum ascendit, & in gloriam suam ingressus est. Hæc uera uia est in cœlum, & si quam aliam quæris, erras uidelicet. Si ad cœlum contendis, exemplum Christi sequere, uide ut prius descendas. Qui enim se humiliat exaltabitur. Vide secundò, ut Deum obedientia tua clarifices, honorificésque, proximo tuo præluceas, & patienter crucem tibi à Deo impositam portes. Hoc nos etiam docet ascensio Christi. & est sextum. Postremò, reprimit nos, quum præter modum effrænes & petulci esse incipimus in peccatis. Quo enim maior Christi potentia est, hoc magis pro uoluntate sui contemptores & inimicos ulcisci potest. Huc pertinet, quòd duo angeli mox sub ascensionem Christi, secundum illius aduentum ad iudicium annunciarunt, probis ad solatium, improbis ad terrorem. Quod si igitur uerus Christianus es, tanto solertius in omne bonum incumbes, quandoquidem audis, Christum reuersurum, & suos assumpturum secum in æternum suum regnum. Verum si lentus es & oscitabundus, atque uerbis tantùm Christianus, est quod timeas tibi, utpote audiens, rediturum illum, & tanquam iustum iudicem. Ex his omnibus uidere unumquenque existimo, quantum momenti nobis situm sit in ascēsione Christi, quantūq; boni ex ea homo possit depromere. Hoc unū reliquum fuerit, ut rem ita cōsideremus usurpemúsq;, alioqui parum isthinc capietur fructus, etiamsi hodiernū festū, quàm possumus celeberrimè instituamus. Laude quidem dignum est, nos gaudiū nostrū extrinsecus etiā ostendere, sed nondum satis, nisi uideamus quoq;, id ex animæ usu esse. Deus nobis omnibus suā largiri dignetur gratiā, Amen.

Ephes. 4. *Act. 1.*

SEPTIMVS SERMO.



VANGELIVM hodierni festi, in quo Christus ante ascensioně suam Apostolis suis præcepit, Euangelium omnibus totius orbis nationibus prædicare, commonefacit me historiæ de Elia, qui fermè idĕ faciebat, priusquam in aëra rapiebatur. Imò quod tum in Elia adumbratũ fuit, hoc Christus in isto Euangelio exhibuit. Vtrobique prædicatores constituebantur. Elias in suum locum sufficiebat Eliseum prophetã, qui loqueretur & clamaret contra idololatriam regum Israëlis. Christus suam uicĕ Apostolis demandabat, ad prædicandum Euangelium. Vtrinque id usus magnoperè poscebat. Elias suis defunct' erat partibus, tĕpus aderat, quo illũ Deus igneo curru erat sublaturus, quapropter necesse erat, ut alius in eius locũ surrogaretur, qui gladio diuini uerbi contra simulacrorum cultores decertaret, ne malorum agmine inualescente, uera fides funditus extingueretur. Similiter & Christus suum munus & officiũ executus fuerat, & iam hora uenerat, ut in cœlum sese reciperet: Pater (inquit) uenit hora, clarifica filium tuũ: idcircò opus erat, ut Apostolos substitueret, ut quod ipse incœperat, illi perficerent, imò ut in uniuerso orbe proclamarent id quod mũdi causa fecerat. Quorsum alioqui retulisset, Eliam in uita sua summum adhibuisse studiũ & industriam in prędicando, si cum ipso simul cessasset, nec illum alius secutus fuisset? Quorsum etiam attinuisset, Christum propter humanum genus mortuum fuisse, gratiam & uitam illis impetrasse, nisi idipsum proclamari & denuntiari curasset? Vtrinque Dei gratia apparet. Primò in eo, quòd mundo prædicatores deesse nunquam passus est, sed omnibus seculis aliquos excitauit conseruauitque, per quos etiam alios homines ad sui cognitionem adduceret, iam inde usque ab Abel. Secũdò in eo, quod eiusmodi prædicatoribus semper liberalissimè per spiritum suum subministrauit, quod muneris ipsorum ratio postularet, quemadmodum & Elias pallium suum super Eliseum proiiciebat, significans spiritũ sanctum etiam super ipsum uenturum. Similiter cùm iam Elias auferendus erat, iubebat Eliseum quicquid uellet postulare, antequam tolleretur: petiit, ut spiritus Eliæ duplex in se fieret. Quod & accidit: nã ex eo die operabatur Deus

tam

tam mirifica per Elisęum, ut omnes mortales uiderent & animaduerterent, Eliæ spiritu illum correptum esse. Eundē in modum quoque Paulus apertè dicit, Christum in cœlum ascendisse, & dedisse dona hominibus. Summa, quemadmodum raptus Eliç, quòd igneo curru in aëra est abreptus, figura fuit ascēsionis Christi, ita quòd ante suum discessum Elisęum in suum locum suffecit Prophetā, figura fuit, quòd Christus ante ascensionem suā discipulis suis Euangelii prędicandi functionem esset legaturus. Et ut Elisęus in raptu Eliæ, spiritu diuino donatus est & imbutus: ita per hoc prę figuratum est fore, ut Christus similiter Apostolis Spiritum sanctum promitteret, & paulò pòst copiosè omnibus donis & gratiis eos impartiret. Hæc pro initio huius sermonis libuit dicere, ut uideamus, quàm omnia mysteria Christi pulchrè figuris suis ueteris testamenti respondeant. Hoc ni mirū est, quod Amos dicit, Non faciet Dominus Deus uerbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas. Atq; hoc uerissimè apparet in iis rebus, quas per Christum operatus est ac effecit. Nā hic nihil tam exile est, quod non sit præfiguratum in ueteri testamento, & prædictum à ueteribus prophetis. Quomodo igitur summum hoc & admirabile opus, ascēsio Christi, quale in terris nunquam accidit, & in quo omnium credentium spes ac solatium positum est, ueteres latuisset? Nequaquam, meliora scimus. Lege uigesimumnonum, quadragesimūsextū, nonagesimum sextum, centesimūnonum Psalmum, uidebis, Dauidē opus istud ascensionis Christi tam clarè descripsisse, ut illum non Prophetam, sed Euangelistam fuisse dicas. An nō enim planè & perspicuè de ascēsione Christi dictum est, ubi inquit, Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me, &c. Et rursum, Ascendit Deus in iubilo, Dominus in uoce tubæ. Itē, Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Et iterum, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Hos omnes Psalmos quis aliò referet, quàm ad Christum? Vel ipsi Iudæi eos de Messia intelligunt, quanquam illi uenturum adhuc opinantur, nec uidere possunt, iamdudum impleta omnia esse, & quotidie impleri. Exaltatus est, in cœlum ascendit cum gaudio, regnauit, qua re totus orbis gaudet: & sedet à dextris Dei, indignentur licet inimici eius quoad uelint, & illis permis-

ſum fuerit, poſtremùm tamen fient ſcabellum pedum eius. Quia ergo uidemus, etiã ueteribus in figura Enoch & Eliç, quinetiam in reductione arcæ, aſcenſionem Chriſti præfiguratam, atque illis tam lætè de ea prædicatum eſſe: nos autem illum aſcẽſionis diem hodie habeamus celebremúsq;, æquum eſt, ut nos eam non minus conſideremus, quàm illi fecerunt, nec aſcenſione tali minus gaudeamus, quàm illi, poſteaquam id noſtra duntaxat cauſa factum eſt, & quemadmodum Chriſtus nobis natus ac datus eſt: ſic nobis mortuus, reſurrexit, & in cœlum aſcendit. Quocirca paulò longius de hoc feſto dicam, quo maior uobis detur occaſio, hunc diem Chriſtianè piéque tranſigendi. Et primò, cuilibet Chriſtiano obſeruandum eſt, hodiernum feſtum duos articulos fidei noſtræ nobis proponere, non minimos, ſed quorum uterq; magnus eſt & inſignis, quíque bono Chriſtiano multa eaque ualde conſolatoria conſideranda præbent. Sed cõtinetur interim in iis quoque, ad quod impius homo meritò horreſcere poteſt. Alter articulus habetur in

Mar.16. Euangelio hodierno, ubi Marcus ait, Ieſus aſſumptus eſt in cœlũ, & ſedit à dextris Dei. Alter in hodierna Epiſtola con-

Acto.1. tinetur ſeu hiſtoria, quæ loco Epiſtolæ legitur: Hic Ieſus (dicebant angeli) qui aſſumptus eſt à uobis in cœlum, ſic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum. In confeſsione fidei noſtræ utrunque articulũ ſic efferimus: Aſcendit ad cœlos, & ſedet ad dexteram Dei, inde uenturus iudicare uiuos & mortuos. Eadem utriuſque loci ſententia eſt, licet uerba nonnihil mutata ſint. Nam quod Marcus dicit, Aſſumptus eſt in cœlum, id nos hoc modo enuntiamus, Aſcendit ad cœlos. Nec tamen inanis mutatio eſt, ſimplicibus per hoc inſeruitur, cogitaturis alioqui, Chriſtum alieno pręſidio aſſumptum fuiſſe, ueluti Elias, Enoch, & Maria, & non propria uirtute aſcendiſſe. Idcirco ſimplices ſic dicere docẽtur: Aſcẽdit ad cœlos, clariſsimè illis articulus proponitur, ne aut illis dubium aliquod oboriatur, aut falſum inuehant intellectum. Et habet hoc æquè ſuum fundamentum, atque, Aſſumptus ſeu exaltatus eſt. Id inuenis in 46. Michææ ſecundo capite, & ad Epheſios quarto capite, ubi habetur uerbum, Aſcendit. Porrò Chriſtus ipſe dicit, ſe iturum ad patrem, imò expreſsis uerbis inquit, Aſcendo ad patrem meum, & patrem ueſtrum, &c. Quapropter mirum uideri nemini debet, nos uerba hæc aliter habere, atque in Mar-

eo: fit hoc nimirum propter simplices, quo minus in errorem inducantur. Sic quandoque mutatio incidit uerborum in altero articulo. Angeli simpliciter dicunt, Veniet quemadmodum uidistis eum euntem, nos uerò in confessione fidei nostræ paulò dilucidius idem dicimus: De cœlis uenturus iudicare uiuos & mortuos. Ne hæc quidem superuacanea mutatio est, id eò fit, ut simplices uideant & norint causam quamobrem Christus rediturus sit, arbitraturi alioqui, eum denuò nasci oportere, pati & prædicare. Non, sed (dicit fides nostra) uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Vide, hi duo articuli fundamentum suum habent ex isto festo, atque hic bonus quisque Christianus satis amplam meditandi materiam habet, quod exercitium hodiernum festum cum primis decet absque quo frustra spiritualiter gaudere iubemur. Quisquis autem hunc articulum rectè intelligit, non opus habet impulsore aut monitore: ultro enim sequetur gaudium. Quod ut uerum intelligamus, paucis commonstrabo, ídque pro simplicibus, quibus quæ ad fidem nostram pertinent, non possunt satis inculcari, nec tamen diabolus non inuenit sua diuerticula, per quæ illos à recta semita abducat. Proin obserua primò, ambos articulos breui uerborum periodo comprehendi, sed tamen multa complecti. Idcirco non sat est, uerbis posse eloqui & confiteri, causa quoque eiusmodi nostræ fidei assignanda est, uti Petrus docet. Quod abs re haud dico. Non mediocriter Christianitas hac in parte nûc præsertim temporis laborat. Inuenias qui uiginti, triginta annos in Christianitate commorati sunt, necdum tamen quæ fides eorum sit norunt, & quamobrem Christiani uocentur: & tametsi uerba suę fidei enumerare possunt, tamen haud tenent, quo pacto gaudium aut solatium inde capere possint. Id inde fit, quod parentes liberos instituere quandoque negligunt, quippe cùm ipsimet non raro quid inter fidem & incredulitatem intersit nesciant. Tum puerorum prędicatio multis in locis intermittitur, decalogi, orationis Dominicę & Symboli Apostolici nulla fit amplius mentio, ad hæc pastores nonnunquam ita constituti sunt, ut pudeat eos de his uulgaribus Christianæ doctrinæ partibus uerba facere: sublimi oratione ingrediuntur, quisque sibi singulare quiddam proponit, populum rerum nouarum cupidum suspensum tenent, rebus utilioribus omissis.

Post

Pòst anni spatio decurso multas quidem conciones audiuimus, sed nondum de capitibus fidei nostræ scimus quicquã. At quorsum attinet, etiam si tota Biblia ad amussim memoria teneas, nec noueris tamen quæ tua fides sit, quidue in se cõtineat? Plurimũ certè momenti fides nostra habet. Quæ enim esset uita nostra? Quam spẽ haberemus, si Christum in cœlum ascendisse ignoraremus? Et quemadmodum Paulus dicit: Exaltatum supra omnem principatum, uirtutem ac potestatem, &c. Et rediturum ut accipiat nos ad seipsum? E diuerso quid consolari nos melius potest in omni malorum afflictione, quæ in terris uidemus & experimur? Imò quomodo homo animũ abiicere seu desperare possit, qui hos duos articulos ad animũ rectè reuocet. Scire uis, qd in se habeat illud quod dicimus, Christus in cœlũ ascendit, & sedet ad dexteram Dei. Verba attende, & singula separatum tibi propone, uidebis quid Symbolum fidei super hisce articulis solatii præbeat ac adferat. Quatuor uerba habet iste articulus. Primum, ascendit. In hoc uerbo uidemus Christũ unũ illum esse, qui cùm primo angelo tum homine multis nominibus superior est. Angelus locum excelsum affectabat, nimirũ cum Deo æqualem, sed frustrabatur. Nõ is erat, qui ex se ipso maior fieri debebat aut poterat, altiúsq; ascendere, eam ob causam etiã præceps agebatur, & hoc magis humiliabatur, quo præsumptuosior fuerat. Homo persuasus similiter ad sublimiora contendebat, quàm ipsum decebat, sed talis eum mãsit exitus, qualis superbum angelum, quãquam clementior. Etenim angelus id proprio faciebat ausu, idcircò irrecuperabiliter & absque omni spe gratiæ reiectus ceu fulgur de cœlo cecidit. Verùm homo alteri' suasu seductus est, propterea hoc celerius illi gratia cõtigit. Sic igitur utrunq; ascensus fefellit. Christus autẽ uerè dicere potuit: Ascendo. Quid ita? Prius descendit: qui descẽdit (inquit Paulus) is est qui ascendit. Secundò, non ipsemet se ad hoc honoris ingessit, aut in eo se collocauit, sed Deus ad illum dixit: Sede à dextris meis, &c. Tertiò, longe maius nomen habet, non modo super omnes homines, uerumetiam super omnes angelos. Nam ad quem angelum Deus unquam dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Itaq; iuxta hoc primum uerbum, Christum tutò sequi possumus. In illo uno ascendere possumus: & ille solus uia est, qua ad patrem uenimus. Extra Christũ, quo quis ad altiora aspirat, hoc grauius cadit.

Gene. 3. — *Eph. 4.* — *Ioh. 14.*

cadit. De hoc uno uerissimè dici pôt, Ascédit: oportet eum crescere, inquit Io. Nõ solùm aũt fides nostra habet, ꝙ ascéderit, sed simul addit, in cœlum. Hoc uerbũ nobis exponit Paulus: Christus, inquit, introiuit in Sácta ꝑ propriũ sanguinem, æterna redéptione inuẽta. Et rursum: Christus introiuit in cœlũ ut appareat uultui Dei pro nobis. Itẽ: Habem⁹ põtificẽ, qui cõsedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, Sanctorũ minister, & tabernaculi ueri. Et iterũ: Christus eo quòd maneat in æternum, sempiternũ habet sacerdotiũ. Vnde & saluare in perpetuum pôt accedẽtes ꝑ semetipsum ad ad Deum, semper uiuẽs ad interpellandũ pro nobis. Habes hic quid cœlũ sit, ad quod ꝓfectus est Christus, & quam ob rem in cœlũ ascẽderit, & quid inde solatij cõsequamur. Vnde uerbũ istud hoc nobis solatij præbet, ꝙ Christum habemus posthac sempiternũ sacerdotem apud Deũ, qui pro nobis interpellat. Proinde alacriter dicere possum⁹: Aduocatũ habemus apud patrẽ, Iesum Christũ iustũ, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non ut hoc liberius peccemus, sed ne in peccatis desperemus. Tertiũ huius articuli uerbũ est: Et sedet. Nõ est hoc carnaliter intelligendũ, quasi in cœlo sedili insideat iuxta patrẽ. Nã, sedere, quãdoq; usurpatur pro quiescere & contentũ esse, uti cùm ait propheta: Et sedebit uir subtus uineã suam, & subtus ficum suã. In hanc sententiam sedet quoq; Christus, iam nunc cõtentus est, & acquiescit: nam peracto suo negotio, non est necesse, ut quoti die de cœlo ueniat, & denuò cum morte & diabolo confligat. Nã uno sacrificio omnia executus est. Et nunc pacẽ habet ab hostibus suis. Nã tametsi superstites adhuc sunt, nocere tamẽ illi nõ possunt, princeps huius mundi iam iudicatus est, nec mors amplius dominabitur Christo. Hæc una significatio est uerbi, Et sedet. Secũdò autẽ accipitur interdum hæc uox pro iudicare & regere, ut cùm Isaias de Christo dicit: Super solium Dauid sedebit. Et angelus: Dabit illi Deus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ. Hunc in modũ sedet Christus tanquã rex & iudex: Ego (inquit in Psalmo) cõstitutus sum à Deo rex super Siõ montem sanctũ eius. Et rursus: Pater nõ iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit filio. Sic eum Iohãnes uidit in sua Apocalypsi in equo albo cum multis in capite diadematis, & in uestimento eius scriptũ, Rex regũ, & dominus dominantiũ. Hoc solatiũ nobis præbet tertia uox. Id manifestius fit ex

Iohan. 3. *Hebr. 9.* *Ibidem.* *Heb. 7.* *1. Ioh. 2.* *Ioh. 16.* *Rom. 6.* *Luca 1.*

fit ex quarto uerbo,ubi dicimus:Sedet ad dexterã Dei, cõposito hoc rursum additũ est.confiteri nos oportet Christũ non infra Deũ nõ supra Deũ, non ad læuam,sed ad dexterã Dei sedere,hoc est,in ęqualitate diuinę potestatis ac omni-
Heb. 4. potentiæ. Age tãtum hic articulus in se habet. Primò,quòd Christus suapte potẽtia ac uirtute cœlũ penetrare potuit.Secundò,ꝙ ascẽsio eius nihil aliud est,q̃ quod potestatẽ super
Eph. 4. omnia accepit. Tertiò,ꝙ ideo in cœlum ascendit,ut omnia impleret. Dum enim in terris uisibili specie degeret,in uno dũtaxat loco cõspicuus erat,uerùm posteaquã iam in omni potentia Dei collocatus est,esse ubiq; pôt. Quartò, habet iste articulus,quòd Christus agit aduocatũ in cœlis pro nobis. Et postremò,ꝙ nobis etiã cœlum reclusit, & æternã in eo habitationem parauit. Ecquid amplius & maius cupere aut optare possumus? Si Christus in cœlũ ascẽdit,certũ est, eum non hominẽ tantũ, sed etiam Deum esse, nec sibi soli, uerum etiã nobis cœlum aperuisse.Si porrò omnis illi data est potestas in cœlo & in terra, neq; diabolus neq; mundus nobis timẽdus est,satis utriq; fortis est. Si iudex noster est, non est quod condemnationem aliquam uereamur, qua-
Ioh.3. tenus in illum credimus. Dicit enim: Deum misisse filium suum in mundũ,non ut iudicet mundum & condẽnet, sed ut mundus per eum saluus fiat: Et qui in filium crediderit, inquit,non iudicatur.Denique si mediator noster est & aduocatus,cõsuletur etiã peccatis nostris, ne animũ despondeamus.Hoc tecũ considera quum tentaris, solatium indubiè inuenies. At uide postea ut gratus sis, & immobili fide ad Christũ adhærescas, nec unquã ab illo auellare. Cogita quàm calamitosæ creaturæ essemus, ni tam potentẽ seruatorem haberemus:inuoca eũ in omni necesitate, ne dubita,quin posit,uelit opitulari,& auxiliũ sit præstaturus. Memineris,te manentẽ locũ habere non posse, nisi ubi caput tuum est:attolle cor & cogitationes tuas eò,ubi æternũ mãsurus eris.Cura tertiò,uita etiã tua spectata ut sit. Quam ob rem uitæ tuæ rationẽ ita instituе, ut ad Christũ in regnum eius uenire posis,& æternũ manere. Hoc demũ uerè cõfiteri & credere est,Christum in cœlũ ascendisse, & ad dexteram Dei sedere. Tantum de primo articulo. Obserua deinde fidem nostram quoq; habere, quemadmodũ angeli annunciarunt,Christum rediturum, & non redditurũ solùm,sed etiam iudicaturũ, & eundem illum Christum,qui antea tan-

quam

quam maleficus omniũ perniciosissimus ab hominibus ad crucem cõdemnatus est. Atq; hic considera mirificam commutationem. Vidimus eum (inquit Isaias) & non erat aspectus: despectũ & nouissimũ uirorum reputauimus eum, &c. At contrà quid dicit Christus, cùm adhuc in humilitate sua esset: Videbitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli. Si non esset hic malefactor (dicebant Iudæi ad Pilatũ) non tibi tradidissemus eum. Nunc autem Deus non modò innocentiam illius in lucem protulit, sed etiam constituit eum iudicem uiuorum & mortuorum, & summa illum donauit gloria. Hoc gaude, cùm iniuria afficeris à mundo: cogita non fore perpetuum, sed contumeliam mundi tibi immortali honori & gloriæ futuram: Iterum uenturus est (dicit symbolum nostræ fidei) & unde uenturus? De cœlo, à dextra patris, ubi sedet nunc & regit in æquali potestate cum Deo patre, ita ut in illius manus omnia sint data, quanquam non ita manifestè apparet, illi cuncta subiecta esse. Multi enim adhuc sese Christo opponunt, his conniuet, silet, egregiè illos incursare sinit. Verùm quomodo dicit in Psalmo: Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Et rursus: Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore, gladium meum stringam, & occidam eos manu mea, imò ignis succendetur in furore meo, & ardebit usq; ad inferni nouissima. Videtur quidé nobis Deus nimis longam moram trahere, & huc pertinent multiplices querelæ, quibus optimi etiam interdũ uiri suam sortem conquesti sunt. Vti cùm Dauid dicit: Exurge, quare obdormis domine, & obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ? Et Propheta Abacuc: Quare domine taces conculcante iniquo iustiorem se? Sed tempus auxiliãdi ipse nouit, ueniet omnino. Hoc solatiũ habent boni, idque non solùm Prophetæ, uerũ etiam Sancti Apostoli semper credenti populo inculcauerunt, Veniet & non tardabit. Nulla enim res est, quę improbos magis terreat, & bonis solatium uberius afferat. Hic reditus Christi bonorũ erit certa redẽptio, malorũ uerò certa cõdẽnatio: ueniet iudicare, iustitiã ꝓsequuturus. Sed quid est iustitia? ubi cuiq; qđ suũ est tribuitur. Ad quẽ omnia bona iustius redeunt, quàm ad filios Dei? Et ad quẽ omnia mala iustius pertinent, quàm ad malos? Sed in mundo contrarium plerunque uideas. Mali nulla non felicitate fruuntur, boni omnibus iniuriis exagitantur. At quid symbo

Acto. 1.
Isa. 53.
Deut. 32.

ſymbolum noſtræ fidei dicit: Venturus eſt iudicare. Iudiciũ eſt domino cum habitatoribus terræ, inquit Oſeas. Et Chri-
Matth. 25. ſtus ipſe: Filius hominis uenturus eſt in gloria patris ſui cũ omnibus angelis, & tunc reddet unicuique ſecundum ope-
Rom. 2. ra eius. Et Paulus: Tribulatio & anguſtia in omnẽ animam hominis operantis malum, &c. Chriſtus uenturus eſt iudicare & iuſtitiam tutari, quæ interdũ apud homines tota penè iacet, ut Iſaias conqueritur. Venturus item eſt uindicare & ulciſci nõ modò contumeliam in ſe, uerum etiam in ſuos admiſſam, quemadmodũ in Iſaia dicit: Ecce ſcriptum eſt coram me, non tacebo, &c. Hinc ſequetur id quod Dauid dicit: Lætabitur iuſtus, cùm uiderit uindictam, &c. Et iterum: Videbunt iuſti interitũ impij, & ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorẽ ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, &c. Chriſtus uẽturus iterum eſt iudicare uiuos & mortuos, hoc eſt, cũctos mortales. Non ſaluabitur ex eis qui fugerit, uti Amos ait: Non abſcondetur mortuus. Generale iudicium erit, & nõ in homines aliquos ſpeciales, ut nunc fieri quandoq; conſueuit. Vide, hoc credimus & confitemur de ſecundo aduentu Chriſti. Quiſquis igitur uerè Chriſtianus fuerit, huic erit gaudio, miſeræ huius & calamitoſæ uitæ fabulam peractam aliquando iri, Deóque propterea gratias aget. Secundò, tãto magis omnibus bonis rebus ſtudebit, poſteaquam intelligit, apud futurum iudicẽ Chriſtum certa præmia conſtituta fore. Tertiò ſeipſum ſimul ulciſcetur, quandoquidem audit, Deum ulturum in malis, quicquid in bonos deliquerũt. Quartò, nemini nocebit, quippe cùm audiat, Deum ipſummet iudicem fore. Poſtremò, Deum gratiam rogabit ita uiuendi, ut ſecundum aduentum timere neceſſe non habeat. Hoc pacto articulus iſte rectè & utiliter conſideratus eſſet. Deus det nos omnibus ſuam gratiam, Amen.

OCTAVVS SERMO, DE *uerbis duorum angelorum.*



HODIERNVM iſtum ſermonem ordiri me poſſe meli⁹ haud uideo, quàm iis uerbis, quibus in Eccleſia hodie ſacrum incœptũ eſt. Atque ea ipſa uerba ſunt, quibus ſancti angeli Apoſtolos reliquúmque credentium numerum alloquebantur, cum magna eum admiratione, gaudio & gra

& gratiarũ actione Christum euntẽ in cœlum defixis oculis prosequebantur: Viri Galilæi (inquiebant) quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodũ uidistis eum euntem in cœlũ. Hæc erant uerba angelorũ. Quin prima hęc erat prędicatio, quæ post ascensionẽ Christi, de eiusmodi ascensione illius facta est in terris. Haud absq; singulari ratione ita à Deo ꝓuisum est, ut nõ homines, sed angeli primũ sermonẽ de hodierno festo haberẽt, imò à quo iustius habitus fuisset quàm ab angelis, quum illi etiã de resurrectione Christi primã cõcionẽ fecerint? Et quis de his utrisq; rebus disertè magis loqui posset? Quid homines de tã immensis Dei operibus prędicassent, præsertim ut tum erant cõstituti? Nõ quidẽ multis angeli uerbis in utroq; utuntur, sed tamen cõprehendunt paucis illis suis uerbis, quicquid postea Sãcti Apostoli iis de rebus uel prædicauerunt uel scripserũt. Quod ut ita habere cognoscamus, sermones eorũ ambos, de resurrectione atq; ascensione conferemus audiemúsq;. In die Paschæ, angelus dicebat ad mulieres, Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenũ crucifixũ: surrexit, nõ est hîc, ecce locus ubi posuerũt eũ. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia ꝓcedit uos in Galilæã, ibi eũ uidebitis, sicut dixit uobis. Hic erat angelorum sermo in die Paschæ, satis breuis in uerbis. Sed legat quis quid alij qui secuti sunt prædicatores, Apostoli eorũq; posteri ex his uerbis sumpserint, uidebit hunc uerè efficacẽ sermonẽ fuisse, in quo nihil prætermissum est, quod ad concionẽ paschalẽ pertineat. Vtpote primò, facile quidẽ dictu est: Nolite expauescere. Quàm multa autẽ bona Paulus inde colligit, ubi ait: Si Deus ꝓ nobis, quis cõtra nos? Deus nos iustificat, quis est qui cõdemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, interpellat ꝓ nobis, quis nos accusabit? Imò Deus ꝓprio filio nõ pepercit, sed ꝓ nobis omnibus tradidit illũ, quomodo non etiã cum illo omnia nobis donauit? Quis ergo nos separabit à charitate Christi? &c. Certus sum, quia neque mors, neque uita, neq; angeli, neq; principatus, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Vide, hæc omnia in angusto isto uerbo cõprehensa sunt, Nolite expauescere. Secũdò, breuiter quoq; dictũ est: Surrexit, nõ est hîc. Paulus uerò prolixè ea de re concionatur. Optat & precatur, ut Deus omnibus credentibus det per spiritũ suum illuminatos ocu-

Act. 1.

Marc. 16.

Rom. 8.

los cordis eorum, quo possint intelligere supereminentem magnitudinẽ uirtutis eius, & operationem potentiæ, quam operatus est in Christo, suscitans illũ à mortuis, & constituẽs illũ ad dexteram suam in cœlestibus, &c. Hic uide amabo, quàm latè diduxerit Paulus istud angeli uerbum, Surrexit.

Et tertium uerbum simili breuitate simplicitatéq; dictum est, quod angelus eos iubet in Galilæã ire, uisuros illic Christum. Quam uerò pulchrè ueteres nostri ecclesiæ doctores, imò Apostoli ipsimet Galilæam, spiritualem transmigrationem interpretari sciuerunt? Saltem quis audiat Paulum loquentẽ: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Consepulti sum⁹ cum Christo per baptismum, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitę ambulemus, &c. & sic per totum illud caput. Hoc est in Galilæam ire, ibi dominus præbet se conspiciendum. Quandiu in ueteri nostro loco manemus, non uidemus dominũ, non proderit nobis eũ resurrexisse, extra nos ipsos eamus oportet, & digrediamur in nouam uitã. Hoc tot uerbis indicare uolui pro exemplo, quo palàm fieret, hunc angelum paucis suis uerbis, quæ ad mulieres loquitur, omnib⁹ secuturis prædicatoribus formã & modum dedisse de resurrectione Christi dicendi. Quia ergo Sancti angeli etiam primum sermonem de ascensione Christi fecerunt, nemo dubitare debet, quin alii quoque de hoc articulo prædicandi modũ tradere per hoc uoluerint. Atque hæc etiam causa est, quamobrẽ hunc sermonem uerbis angelorum exorsus sim, ad quæ totam hanc concionem dirigam. Arbitror, si hæc paucula uerba ad animum reuocare possemus, sat nos prędicationis habere de ascensione Christi. Atqui propterea hic sumus, ut Christo triumphum suum concelebremus, imò laude illum prosequamur, annuntiemus proclamemúsque, quemadmodum hodie nos ipsi mutuo in sequentia cohortati sumus. Eam ob rem (inquam) nunc adsumus, stamus & cum Apostolis suspicimus in cœlum: admiramur nouum & prius inauditum opus, lætamur cum Christo, imò cum nobis ipsis, & expectamus promissionem, quam nobis pollicit⁹ est. Quid igitur iustius post hæc sequitur, quàm prædicatio angelorũ? Quod si illum sermonem ut decet, audiremus, secuturum indubiè in nobis esset, quod Lucas mox subiicit, Tũc reuersi sunt discipuli Hierosolymã cum magno gaudio, & perseuerab

uerabant unanimiter in oratione, &c. Hoc faciebant Apostoli ad auditũ duorũ angelorum sermonẽ, quæ certè sola ascensionis Cristi uera est celebratio. At si idem in nobis sequi debet, angelicam quoq; cõcionem audire nos oportet. Paucissimis eam ego uobis enarrabo, præbiturus occasionem longius cogitandi. Primò, nemini mirũ uideri debet, aut res superuacanea, quod non solũ Apostoli & Euangelistæ uerbis & scriptis ascensionem Christi in mundo annunciarint proclamarintq;, uerumetiã Sancti angeli nobis hominibus eam prædicauerint, imo primò omniũ has duas res, resurrectionẽ & ascensionem Christi nõ minus ad se spectare, quàm ad reliquos homines existimabant. Nõ abs re hoc in sacris literis indicatum est. Quid ni gloria sui regis gauderent? Certè scriptum est, Adorabunt eũ omnes angeli Dei. Hoc Paulus peculiariter refert ad Christum, docens & commonstrans Christum hòc angelis maiorẽ esse, quò excellentius & distinctius nomen præ illis accepit. Quia ergo Christus tã est dominus angelorũ quàm hominum, cur nõ etiam gloriam ipsius adiuuent, eáque gaudeant? Secundò, quomodo nõ salus nostra illis uoluptati sit, cùm non lateat eos, numerum ipsorum ex nobis complendum esse, & nos cum illis æternæ felicitatis cõsortes fore? utiq; eorũ etiam id interest. Paulus quidẽ dicit, Christum non angelos, sed semen Abrahæ apprehendisse, attamen & ipsi participes sunt gaudiorum quæ ex seruatore Christo habemus. *Heb. 2.* Etenim primò certũ est hominem cũ omnibus creaturis aliquid cõmune habere, non solũ cum corporeis, sed etiã incorporeis: habet enim eandẽ substantiã cum lapidibus, uitam & accremẽtum cũ arboribus, sensum cũ brutis animantibus, & rationẽ cum angelis. Quoniã ergo filius Dei humanã naturã assumpsit, & homo factus est, certè & angelos gaudio affectos oportuit esse, quòd is, qui supra eos cõditor ipsorũ est, etiam cũ illis creatura facta est, quia lõgè infra angelos sese humiliauit. Secundò, quãquã homo secundũ corpus, ex quatuor elemẽtis cõposit' est, attamẽ iuxta aĩam rationalis est & immortalis haud secus atq; angeli, idẽ discrimẽ est inter hominẽ, secundum animã, & Deũ, quod est inter angelicam & diuinam naturam. Quia itaque illi tanta propinquitate uncti sumus iuxta animam, haud mirum est, illos gaudere, & primos fuisse, qui ascensionẽ Christi nobis exposuerunt. Cæterum quod in albis uestibus apparuerũt, ne id quidem sine

causa factũ est. Enimuerò albæ uestes prȩter gaudiũ significare nil possunt. Quanquam tales uestes etiã alia ratione diuos Apostolos decebant. sunt enim illi neq; peccato, neque imbecillitati, neq; morti obnoxij, idcirco omnia apud illos sunt pulchra, nitida, clara, & pura. Sed aliter res nobiscũ habet, quandiu hìc sumus, tã candidas uestes habere nõ possumus, quia in medio peccatorum, infirmitatis ac mortis immersi iacemus, ueruntamen ea nobis relicta spes est, quòd suo tẽpore etiam Christum in albis uestibus sequemur, nempe si pannos nostros hìc in sanguine illius lauerimus, eũque fuerimus imitati tolerando crucẽ. Sed hæc missa facio, uerba Angelorũ audiemus: hoc enim orationis meȩ propositũ est, atq; hoc omniũ maximè ex usu nostro est. Verba autem quatuor sunt, & quidẽ omnia magna & egregia. Primum est, Viri Galilȩi. sic eos appellat angel⁹. Erat hic tũ titulus humilis corã mundo, potuisset eos aliter uocasse, & honorificentiori cõpellasse nomine. Quin uerò hoc adeo ipsum nomen erat, quo potissimũ mundo erãt risui. A Galilȩo potest aliquid boni esse, inquit Nathanael? Nicodemo itidẽ ignominiæ loco exprobrabatur, Nunquid & tu Galilȩus es? Sic postea Ethnici faciebãt, & in primis desertor ac perfidus Imperator Iulianus, qui etiã Christum, cuius fidem abnegauerat, nõ aliter nominat, quàm Galilȩũ. Ne itaq; quis sannas istas moretur, utuntur & angeli eodẽ illo uerbo, perinde ac si dicant: Mundus hoc nomine uos deridet, sed id mouere uos nõ debet, nec est quòd eius nominis uos pudeat, quandoquidẽ uidetis, hunc Iesum Galilȩũ nunc in cœlum profectum. Si illi nihil obfuit, quòd eũ mundus contumeliȩ causa sic nominauit, nec uobis oberit. Nõ refert, siue ex India aut Aethiopia, siue ex Roma aut Hierosolyma quis oriũdus sit, cuicunq; patet cœlum, is nõ opus habet amplo genere. Proinde sinite mundũ loqui pro arbitrio, sinite uituperare, execrari, calumniari, ridere, quoad uelit, hoc uestrum sit solatiũ, quòd Iesus, à quo Galilȩi uocamini, in cœlis sedet, uiuit, & cuncta gubernat, &c. Vide, hoc nos docent angeli per primum uerbum. Dehinc pergunt dicere, Quid statis aspiciẽtes in cœlum? Verba hȩc rursum multa in se cõprehendunt. Primò sentẽtia hȩc est, Quid statis admirabundi? Nónne antea prȩdixit nobis: uidebitis filiũ hominis ascendentem, ubi erat pri⁹? Nónne in cœna sȩpe dixit, se redire uelle ad patrẽ? Nónne in die paschæ ad Magdalenã dixit: Ascẽdo ad patrẽ meum

meũ & patrẽ ueſtrũ? Nónne alia ab illo fieri miracula uidi- *Iohan.20.*
ſtis, quæ certius oſtẽdunt, eũ non ſolum hominẽ, ſed etiam
Deũ eſſe? Nónne ipſi profeſsi eſtis, eũ eſſe filiũ Dei uiuẽtis? *Matth.16.*
Et poſtremò, nónne uocem de cœlo audiuiſtis: Hic eſt filius *Matth.17.*
meus dilectus? Si homo tantùm eſſet, res eſſet admiratione
digna, quia uerò etiã Deus eſt, nihil miri eſt. Secũdò, quid
admiramini aſpicientes in cœlũ? Rectè quidẽ facitis quòd in
cœlũ ſuſpicitis, tãquã in ueram ueſtrã patriã. Hactenus quidem inauditũ eſt, hominẽ ſuapte uirtute aſcendere in cœlũ.
Iacob quidẽ uidebat angelos aſcendentes & deſcẽdentes,
ſed nõ hominẽ. De Enoch legimus, quòd ſit raptus & ablatus, ſed nõ additũ eſt, quod ſimiliter de Elia habemus. quòd
ſit abreptus, ſed ignei currus adminiculo opus habuit, alioqui ſuo Marte ſeſe attollere haud potuiſſet, quanquã nec in
cœlũ, ſed in aëra raptus eſt, quò illũ uoluit Deus. Etenim ante Chriſtũ uenire in cœlũ nemini licuit: Nemo (inquit) aſcẽdit in cœlũ, niſi qui deſcendit de cœlo. Hic nobis uiã pręparauit. Summa, cœlũ ad hoc uſq; tẽpus omnibꝰ clauſum erat. *Ioh.3.*
Iam uerò mirũ amplius nõ eſt, etiã hominibus cœlũ patere.
Si filius Dei potuit aſcendere, poſſunt quoq; cũ illo homines aſcendere. Vt erat impoſsibile & incredibile, hominem
in cœlum aſcenſurũ: ita incredibile erat, filiũ Dei aſcenſurũ.
Atqui hoc factũ eſt, ergo & illud fieri poteſt. Quid admiramini igitur? Tertiò, an non legiſtis Prophetas, qui aſcẽſionẽ
hãc, & exaltationẽ Chriſti apertè prædixerũt annũtiarũtq;?
ut in aliis ſermonibus oſtenſum eſt, quid admiramini? Admirentur Ethnici, qui de Prophetis nihil ſciuerant: admirentur
Iudæi, qui fidẽ prophetis derogant. Vos qui hæc ſcitis & creditis, non admirari, ſed gaudere, & Deũ collaudare debetis.
Quinimò ut Pſalmiſta monet, manibꝰ plaudere, quoniã dominus excelſus, terribilis, rex magnus ſuper omnem terram.

Quartò, quid quæritis, quid cupitis amplius? Nõ ſat habetis ad confirmationẽ fidei ueſtræ, quòd illũ aſcendentẽ uidiſtis? Quod certius uobis ſignũ dari poſſet? Antea probauit
ſe dominum terræ, maris, & uentorum, &c. nunc declarat ſe
dominum aëris & cœli. Quid ſtatis ergo? quid admiramini
quęſo? Poſthac non eſt ueſtrũ cõſiſtere ac dubitare, ſed firmiter credere, & Chriſtum alacriter ſequi, quicquid etiam
mundus dicat. Tertium uerbum angelorum eſt, Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis in cœlum. Nunc primũ ad hodiernũ feſtum uerè deuenimus. Hic habemus perſonã eius,

qui ascendit, hic Iesus. Hîc ascensionem per se ipsam habemus, Assumptus est. Quur hic Iesus adeò, & non alius? Qui
Ephes. 4. descendit, ipse est & qui ascendit. Quomodo descendit? Cũ
Philip. 2. in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, &c. Quomodo ascendit? Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, &c. Hic Iesus est, & non alius. Hoc tu obserua Christiane. Hic lapis est, quem reprobauerunt ædificantes, qui factus est in caput an
1. Pet. 2. guli. Hic est, quem Deus cõstituit, ut iudicet uiuos & mor-
Acto. 4. tuos. Huic perhibent testimonium omnes Prophetæ, remissionem peccatorũ accipere per nomen eius omnes qui
Act. 10. credunt in eum: Hoc nobis denunciant angeli in tertio uerbo. Postremò, dicunt Christum rediturum. Conuenienter hoc additum est, hoc primum ornat totum opus, hoc primũ præbet uerũ solatiũ, alioqui cogitare quis posset, Christum separasse sese penitus à nobis. Non, inquiunt angeli, redibit. Ad quod Christus ipsemet dixit: Iterum uenio, & accipiã uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Hoc enim nobis impetrauit in sua passione: Pater (inquit) quos dedisti mi
Iohan. 17. hi, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, &c. Hoc angeli denunciant omnibus bonis hominibus, ne animo impatienti sint, sed cum fiducia ejusmodi aduentũ expectent. E diuersò autem hoc uerbò improbos terrere uoluerũt: nã & illis quoque uenturus est Christus, uerum non ut seruator, sed ut iudex. His peculiariter dictũ est, Sic ueniet. Tum enim implebitur, quod Isaias dicit: Domine, exaltetur manus tua, & non uideant, intellige, gloriam tuam. Etenim gloriam, hoc est, diuinitatem Christi non uidebunt, alioqui & ipsi beati essent, nam Deum uidere, hæc est beatitudo & æterna uita: sed uidebunt solùm humanitatem Christi, quam spreuerũt, illuserunt, crucifixerunt, & occiderunt. Ea de causa addit Propheta, Videbunt & confundentur. Quid uerò probrum hoc secuturum sit, mox subiicit: Et ignis hostes tuos deuorabit. Tum etiam angeli & qui Euangelica munera gerunt, expauescent, uti Petrus ait, ubi Behemoth diabolus, qui ita creatus est, ut neminẽ timeat, imò qui rex est super omnes filios iniquitatis, coram uniuersis hominibus præcipitabitur ab hoc hominis filio. Sed ubi tum remanebunt impij? Hoc sancti angeli etiam hostibus Christi nuntiare uoluerunt. Atque huc pertinet, quod Dauid dicit: Ascendit Deus in iubilo, propter bonos: & in uoce tubæ propter impro-

bos,

bos, quibus repente ultimum iudicium & æterna condemnatio denuntiata est. Quisquis igitur animo Christiano præditus est, is consoletur se hoc uerbo in omni rerum afflictione, & dicat: Christus quidem in cœlum ascendit, ut iam mihi illius uidendi non detur potestas, sed tamen redibit: at qui in Christum deliquit, ille seriò secum reputet, quod angelus dicit, Sic redibit. Nunc quidem tacet, sed nõ semper tacebit. Veluti agnus passus est, Iohannes autem uidit eum ceu Leonem. Postremò, cuique Christiano uerbum istud incitamento esse debet, ut tanto industrius magis sit in sua uocatione, posteaquam audiuimus Christum reuersurum, tanto magis uigilandum cuique est, ut tanquã Christianum illum inueniat, tanto diligentiùs considerandum illi est, quo pacto rationem reddere uelit, & an cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum uigintimillibus uenit. Vide, hæc sanctorum angelorum prima concio fuit super hodierno festo. Atque equidem opinor id nobis sat concionis esse posse, si rem expendere nobis animus esset. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

NONVS SERMO.



HABET Euangelium diei huius, extrema sui parte, sententiam quandam, eámque breuem admodum, qua nobis hodiernæ solennitatis ratio significatur: Dominus quidem Iesus, ait Marcus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlũ, & sedet à dextris Dei. Ista, inquã, sẽtẽtia pręsentis festi rationẽ ponit ob oculos: éstque ea sanè nõ minimi põderis: quam si qs ꝓ eo atq; decet exactè studioséq; pensitare uelit, nę is haudquaquam admirabitur festũ nos hodie diẽ agere, sepositisq; cęteris reb⁹ oĩb⁹, solã Christi ascẽsionẽ cãtionibus, cõcionibus ꝓsequi ac celebrare: neq; iis tamen cõtẽtos esse, sed quoad eius fieri possit, insuper operã dare, ut ad uiuũ eam repræsentemus, planéq; ob oculos statuam⁹. Possit id sanè admirationi esse eius penit⁹ ignaro, uel causam minimè ꝑspicięti. Nos uerò quotquot ẽ religione Christiani sumus, planè ꝑsuasũ habebim⁹ Christi ascẽsionẽ plurimũ è re nostra esse. Eruditionẽ præstãtes uiri de naturis rerũ mira quædã scriptis cõmẽdarũt, quę sit cuiusq; rei natura & efficiẽtia. Alij magno studio qcqd unq̃ ĩ terris admiratiõe dignũ gestũ sit, ꝑqrere & annotare nõ dubitarũt.

Atqui scripta diuina eiusmodi rebus admirabilibus uel maximè abundant, eásque longè optime ac certissimè posteris legẽdas tradiderunt. Nec tamen in iis omnibus quicquam æquè nouum, inusitatum, admirãdum, imò nec insignè adeò & præclarum cõmemoratur, atq; illud est, quod Marcus refert, Christum assumptum esse in cœlũ, & sedere à dextris Dei. Nihil eiuscemodi apud ullos fert historiographos: nulla id unquam potuit creatura iam inde ab orbe cõdito: nihil tale quisquam unquam uel oculis uel auribus assecutus est. Inter ea omnia, quæ admirari q̃s possit, istud sibi facilè primas uendicat. Ecquis igitur nõ sit huius uidendi cupidus? Ecquis non libenter ad hoc spectaculum properet? An ne Christiani omnes libentibus animis rem istã sermone, cantione, concionandi studio, cogitatione denique prosequemur? Maximè quando passim diuina promũt scripta, quid gratiæ & cõsolationis ea nobis attulerit olim, hodiéque adferat. Prisci illi patres maiorésq; nostri quàm nõ oscitanter negligentérque circa eam uersati sint, satis supérque declarant tot præclaræ egregiæque cõciones, pia cantica, preces, meditationésque illorum opera confectæ, eiúsq; causa ab illis ipsis usurpatæ: quæ sanè etiãnum quoties siue commemorantur, siue leguntur, siue audiũtur, gaudio, pietate ac deuotione animos afficiunt. Estque id certissimo argumento, Christi ascensionem præcipuè illis consolationi fuisse. Deinde externæ testantur ceremoniæ studio illis fuisse, ut animis omnium, etiam simplicium, imò etiam puerorum eam penitissimè imprimerent: atque ea re non uerbis duntaxat, sed factis etiam utendum sibi statuerunt. Huc pertinet hodierna processio ut uocãt: atque inde profectum est, ut quibusdam locis Christi ascensio pueris uiua quadam repræsentatione ob oculos proponatur. Quod licet apud plerosque hodie pro re ludicra ac planè puerili habeatur, dubium tamen non est, plus inde utilitatis redire ad homines ætate iuuenes, atque ex aliis quibusdam spectaculis uel picturis, ex quibus illi parum pietatis, deuotionis, timorisque diuini, imò uerò nihil nisi animi leuitatem, petulantiam, proteruiam haurire solent. Recepto nimirum more & consuetudine, quæ pro re ioculari aut histrionica haberi non debet, præter Dei uerbum etiam alia quædam adhibentur, quibus uulgares & simplices quique ad bonũ prouorentur, & in Dei timore ac religione seruentur. Moueamus

mus certè lapidem omnem, nec sic tamen facilè iunctus ad pietatem adduci, in eáque contineri poterit: nec quisquam quantumuis alioqui peritus & prudens solis concionibus id apud quoslibet efficere ualebit. Res proh dolor in aperto est, posteaquam uulgi oculis ceremoniarū usus subductus est, eos iam deinceps neque cōciones magno in pretio habere. Est ergo etiam infirmorum habenda ratio frater, est etiam simplicibus, idiotis & pueris consulendum. Si tu satis habes quippiam uel legisse uel audiuisse, at alij ita sunt constituti, ut non solum uerbis indicari, sed etiam re ipsa ob oculos pleraque illis exhiberi necesse sit: tametsi etiam hoc pacto ægrè queant capessere aut permoueri. Quod equidem propterea commemorauerim, ut posit animaduerti maiores nostros ubi ad aliquem nostræ persuasionis articulum uentum esset, diligētissimè eum perscrutatos esse, suisque animis altissimè affixisse. Inter ipsos autem fidei articulos cum primariis numerari solet etiam iste Christi ascensionem exprimens: eóque maior debet adhiberi cura, ut quibuslibet ille inculcetur, atque à quibuscunque nō credatur duntaxat, sed etiam probè capiatur. Quò enim rectius fuerit intellectus, eò plus consolationis aduehet. Imò si quis eum rite assecutus non sit, periculum est ne illi offendiculo sit. Quemadmodum nostro hoc æuo cernere est in iis, qui admittere nolūt, Christū in eucharistia corporaliter & substantialiter coràm adesse. Quibus tamen erroris sui ansam non minimā præbuit articuli huius malesanus intellectus. Christus, aiunt, in cœlos ascendit, & sedet à dextris Dei: nō potest igitur esse in sacramēto. Vnde uerò eius farinæ proficiscuntur argutationes, præterquam ex carnali quadam intelligentia, qua non rectè illi capiunt quo pacto Christus in cœlum ascenderit? Itaque operæpretium fuerit, in simplicium gratiam paulò fusius de hac solennitate agere, quò illic fiat perspectius, quantum è re nostra sit articulum hunc bene cognitum habere, eúmque tantò sibi altius infigant, & eò religione maiori utantur. Principio igitur quòd Marcus dicit Christum assumptum esse, nō sic debet accipi, tanquam Christus non suapte uirtute ascenderit, sed alienæ opis fuerit indigus. Enimuero longè alia ratio est ascensionis Christi, atque Enoch, Eliæ, Pauli & nostræ denique. De Enoch habet scriptura, quòd tulerit eum Deus. Elias curru igneo subuectus est in cœlum: Paulus raptus est: Lazarus ab

Genes. 5. angelis portatus est in sinũ Abrahæ. Apostolis ait Christus,
4. Reg 2. Iterum ueniã & accipiam nos ad meipsum. Postremò de no
2. Cor. 12. bis ait Paulus, Rapiemur in nubib⁹ obuiã Domino in aëra.
Luce 17. Atque ut paucis agam, ex hominum genere quisquis cœlos
1. Thes. 4. scandere uelit, alieno eget adminiculo. Christus solus propria uirtute ascendit. Quod licet Marcus obscurius exprimat, ast aliis locis luculenter id explicatũ est, puta ubi Chri-
Ioh. 10. stus ipse dicit, Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrũ.
16. Itémque, Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Atq; hoc ex fidei nostræ fundamentis unum est, quòd Christus sua ipsius facultate cœlũ conscenderit. Nam sanè alioqui parum nobis consolationis allaturum sit, si uel angelico, uel nubium, uel curruS adminiculo perinde ut Elias & cæteri habuisset opus. Ea uerò nobis consolationis ingens materia est, quod Christus suis uiribus sursum ierit. Inde nãque perspicuum fit, plus eũ atque purum hominem esse necessariò oportere: atque adeò plus etiam posse eum quàm Enoch, Eliam, Paulum, & nos omnes: denique certò eum esse filium Dei, & Deum ipsum. Quò fit, ut illi fidentius innitamur, nec quicquam ambigamus, quin posit etiam nos ad Deũ in regnum suum perducere. Atque hæc omnia ille fidei nostræ articulus, quo credimus Christum in cœlum ascendisse, complectitur. Neque uerò ita dicimus, Assumptus est, subuectus & raptus est: nihil enim horum suffecerit nobis: posit enim inde colligere quispiam, Christum Enoch, Elia, Paulo nihilo præstantiorẽ fuisse. Ecquid uerò contulisset nobis, si Christi facultas, & dignitas non alia atque horum foret? Quo tandem pacto ille nos in cœlum subueheret, si alienæ ipsius in cœlum ascensurus opis fuisset indigus? Frustrati profectò essemus omni spe nostra. Non ergo Marci duntaxat uerba pensitãda sunt, dicentis Christum esse in cœlũ, sed ipsius potius Christi, ubi
Mar. 16. Ioh. 20. ait, Ascendo ad patrem meum, & patrẽ uestrum, &c. Quod illa minus habent, ista sarciunt. Et tamen utraque ueritate subnixa sunt. Nam iuxta humanitatẽm Christus assumptus est, iuxta diuinitatem ascendit. Itaq; unũ hoc est ex iis quæ in Christi ascensione cogitanda sint, ipsúmque adeò fundamentum, quo cætera nitantur. Deinde etiam illa duo uerba, Ascendit, & sedet, non sunt uulgari more intelligenda. Nobis enim ascẽdere modũ localẽ significat, ut cùm dicimus, Imperatorem Colonia Spiram profectũ esse, id uolu-

mus

mus accipi, alio relicto loco ad alium eum cõmigrasse: non enim potest simul utrobique esse, sed si uelit ad alium pertin gere, ab alio discedat oportet. Ea ratione Christi ascensionem absit ut interpretemur. Nam quamuis ille è cœlo descenderit, non tamen propterea cœlum deseruit. Imò cùm iam corpore uersaretur in terris, non dubitauit dicere, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. *Ioh.3.* En ut Christus in terra loquatur, & tamen simul dicat se esse in cœlo. Eum in modum ascendit ille quidem in cœlum, at non relinquit terrám: atque in ipsa adeò sua ascẽsione discipulis eum dixisse legimus: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. *Mat.19.* Non habet Deus opus motu locali perinde ut nos, cùm sit ubique: Cœlum & terram, ait apud Hieremiam, ego impleo. *Hier.23.* Et apud Isaiam, Cœlum, inquit, mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. *Esa.66.* Vbi animaduertas, non sic eum dicere, Portio quædam cœli uel terræ, sed cœlum totum mihi sedes est, & terra tota scabellum pedum meorum. Inde est etiam illud apud Dauidem, Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. *Psal.138.* Et in Act. Apo. Deus non longè est ab unoquoq; nostrûm. *Actо.17.* In ipso enim uiuimus, mouemur, & sumus. Iam superius dictũ est, Christum nõ hominẽ modò, sed etiam Deũ esse. Id quod mira ille potentia declarauit, cùm in cœlum ascenderet. Cùm sit igitur Deus, nimirũ nõ ea ille ratione ascendit in cœlum, ut iam deinceps nõ sit in terris, sed in cœlis duntaxat. Vide obsecro uti ille è cœlo demigrarit in mũdũ, & uidebis quo pacto ascenderit. Habes in Iohãne, uenisse eum è cœlo in mundum, idque Christus ipse affirmat, nec tamen hæc ea mente dicta sunt, quòd antea in mundo non fuerit. *Ioh.16.* In mundo erat, ait Iohannes, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. *Ioh.2.* Sic planè etiam hac die mundum reliquit, non quòd deinceps in mundo non esset, sed quòd mundo præsentiam uisibilem subtraxerit. Vt ergo aduentus eius in mundum non aliud fuit, quàm quòd uisibilẽ se prębuit, q antea erat in mundo inuisibilis: ita eius ex mũdo recessus nihil tibi uult aliud, quàm quòd conspicuam præsentiam suam nobis subduxerit, tametsi nihilo minùs in mundo sit & permaneat, mundúmque seruet ac moderetur, quàm unquam antea. Atque ut eius è cœlis descensio nihil est aliud, quàm quòd cum *Philip.2.*

in for

in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit,&c.ita eius ascẽsionem nihil debemus interpretari aliud, quàm quòd in gloriam Dei patris sese receperit, humiliq; serui forma interim quasi posita, præpotentem Deum se declararit, qualis ex omni semper æternitate fuit. Quamobrem ascensio illius, q̃d ad diuinitatem pertinet, non aliud est, quàm illius glorificatio. Secundum humanitatẽ autem nihil aliud sibi uult, quàm eandẽ ipsius humanitatem supra omnem principatũ, & potestatem, & uirtutem & dominationẽ exaltatam esse, ipsiq; datam esse potestatem in cœlo & in terra, noménq; quod sit supra omne nomen, adeo ut ipsi etiam humanitati ob diuinitatis unionem omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. Hic iam uos ipsi uobiscum considere tis obsecro dilectissimi, quàm magna nobis unica illa dictio, Ascendit in cœlum, si discutiatur, insinuet. Idem quoq; sentiendũ est de eo quod subiungitur, Sedet à dextris Dei. Vbi proculdubio carnalis omnis cogitatio facessat oportet, ne quo pacto in animũ inducamus, corp⁹ habere Deũ, aut dextram uel sinistram, aut sedere eum in throno aliquo, Christúmq; illi à dextris assidere. Ista, inquã, prorsus abscedant oportet ab animo. Spiritus est Deus, & neque corpus illi est, neq; dextra, neque sinistra manus. Quòd autem scriptura humano more de Deo loquitur, facit id non quòd sic
Ephes.1. se res habeat, sed ob nostram ruditatem, qui nihil de Deo
Phil.4. possimus capere, nisi sub earum rerũ formis nobis proponatur, quarum iam usum habemus, quásque quotidie cernimus, audimus, attrectamus. Alioqui sane lõge alia ratio est sessionis ac dexteræ Dei. Sedere illius hoc sibi uult iudicem eum esse & dominum mortalium & creaturarũ omnium. Dextera illius omnipotens uirtus eius est. Audi scripturam:
Psal.117. Nónne manus mea fecit hæc omnia? Et alibi: Dextera do-
Luc.2. mini fecit uirtutem. Itémq; beatissimam Mariam in suo Cãtico, Fecit potentiam in brachio suo. Atq; ad Israëlitas dominum ipsum dicentem: Educam uos in brachio extento. Itaque quatenus sese porriget omnipotens Dei uirtus, eatenus quoque dextera illius. Vbi ergo dicimus Christum sedere à dextris Dei, perinde est ac si dicamus, eiusdem cum Patre eum esse authoritatis & potestatis, & quàm late patet Dei imperium & dominatus, tantam quoque esse Christi potestatem & authoritatem: quod etiam eius humanitati rectè tribuetur, ut quæ coniuncta diuinitati, ubique domi-
nio pot

tio potiatur in cœlis, in terra, in mari, in morte, & apud inferos. Atque hoc est sedere Christum à dextris Dei. Vbi ergo ea nunc est ratiocinatio, Christus à dextris Dei sedet, non pōt igitur esse in sacramento? Vides hic nihil eam esse aliud quàm carnalem intelligentiam, imò uerò crassam ac imperitam ignorationē articuli huius. Equidem plane diuersum mihi sumens, ea de causa uel maximè Christum in sacramento adesse confirmo, quòd sedeat à dextris Dei. Nec certius aliquod huius documentum habemus. Cùm enim, ut dictum est, dextera Dei eius omnipotentiam referat, Christúsque etiam secundum humanitatem in eius omnipotente uirtute collocatus sit, potest ille certo certius etiā in sacramento adesse: imò nisi ille hac ratione sederet à dextris Dei, non posset esse in sacramento, quemadmodum neq; mortalium quisquam potest simul diuersis in locis adesse. Possétque hinc, ut equidē sentio, quilibet animaduertere, ecquídnam sit Christi ascensio, & quantam illa nobis consolationis materiā pariat. Quisquis enim rectè credit Christum cœlos conscendisse, & à dextris sedere Dei, uti iam diximus, credit is etiam primo quidem Christum uerum esse Deum, quandoquidem suapte facultate potuerit cœlos scādere. Secundò, omnem illi potestatem collatam esse, quòd à dextris dei sedeat. Tertiò, omnium rerum dominio potitum eum esse, quando etiā aër & nubes inseruire illi debuerunt. Quartò, nostrum eum redemptorem esse, quòd naturam nostram in seipso in cœlos transtulerit. Quintò, aduocatum & intercessorem eum esse nobis apud patrem, quādoquidem consummato sacrificio in templum suum sempiternum ingressus est, uel in sancta sanctorum, non per sanguinem irrationalium pecudū, sed suæ sacratissimæ perpessionis meritū. Postremò, nos quoq; olim ad cœlum peruenturos, cùm certi simus caput nostrum iam cœlos obtinere. *Hebr. 5.* Ista nimirum omnia nos credimus, dum hunc articulū profitemur, eáque Christus sua ascensione declarauit. Ecquid igitur possit homini maiorem adferre consolationem, atq; fidem istam? Quid uerò possit Christiano deesse? Ecquid eiusmodi fide prædito officere queat? Quid oro tantum animi quibuslibet rebus in aduersis Paulo Apostolo conciliarit, quàm quòd certò ille dicere potuit, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui & est ad dexteram *Rom. 8.*

teram Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus, qui iustificat? Vnde uerò idem Apostolus tantam est spei rectitudinem adeptus, ut fidentis-
2. Cor. 5. simè dixerit, Scimus quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationẽ ex Deo habemus, domum non manufactã, æternã in cœlis. Et rursus:
2. Tim. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Domi-
Isa. 64. nus in illa die, iustus iudex. Et cum Isaia propheta: A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non uidit Deus absque te, quę præparasti expectantibus te. Vnde, inquam, tam recta Paulo spes affulsit, nisi quòd ex sontentia
Phili. 1. depromere potuit, Deus qui diues est in misericordia, conuiuificauit nos Christo, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu, &c. Ecquid tantopere moriendi, imò Christi causa patiendi cupidũ eum effecit, quàm quòd libera fron-
Phili. 2. te dicere poterat, Viuere mihi Christus est, & mori lucrum?
2. Cor. 1. Itémq; Si compatimur, & conregnabimus. En quantũ nobis bonorum cumulum ex hoc uno articulo, modò uelimus charissimi, cõparare queamus. Vix fieri posset ut quicquam eiusmodi in terris homini eueniat, quod illum mœrore afficere, uel perterrere queat, qui tamen uera posit proferre fide, credere se Christum ascendisse in cœlum, & sedere à Dextris Dei. Consolatio quidem nobis non deest, sed hoc unum duntaxat, quòd præstita nobis bona non curamus, non perquirimus, non animo & cogitatione uersamus. Atque hactenus de ascẽsionis Christi articulo, & quis inde ad nos fructus redierit, quísque in posterum sperandus sit, egimus. Vbi in primis fides adsit oportet, nec illa tamen sola, sed Christi ascensio etiam exemplo nobis esse debebit. Si quæras, qua tandem ratione? Non alia sane, nisi ut si quidẽ cum Christo uelimus penetrare cœlos, ita nos eò accommodemus, ut ille. Age igitur Euangelij paginas percurre, disce quid Christus ante ascensionem in terris egerit, & qua ille uia in suam gloriam & regnum ingressus sit. Primò, ni-
Acto. 1. mirũ Lucas cœpisse eum ait facere & docere. Testatur hoc
Ioh. 17. ipse de se Christus: Manifestaui, inquit, nomen tuum hominibus. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam. En habes hic initio, quod iter cœlum uersus ingressurus agas. Si cum Christo libet abire ad superos, uide prius Dei opus absoluas & exequaris, in eóque ad finem usque perseueres. Facit huc, quòd Chri-
stus

ctus discipulos suos Bethaniam, id est, inobedientiæ domũ *Luca 24.*
abduxit; unde nobis ad cœlos abeundum est. Hic iam nullo negotio perspici licet, ecquid nobis deficiat. Sumus quidé auidi omnes peruenien di ad regnum cœlorum, sed nolumus diuinæ parere uoluntati, imò uitiis omnibus addicti iacemus, &c. Neque tamen sumus nescij dixisse Christum: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in re *Matt. 7.*
gnum cœlorum: sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Est igitur hoc primum. Deinde secundò discimus ex Euangelio Christum prius quàm ascenderet, multa perpessum, crucem deportasse, atque adeò in cruce spiritum reddidisse. Petrus cum ne pateretur dehortari instituens, audiuit: Vade retro me sata- *Matt. 16.*
na: non enim sapis quæ Dei sunt. En habes & alterum: Si cũ Christo patimur, etiam regnabimus cum illo. Quisquis non *2. Cor. 1.*
accipit crucem suam & Christum sequitur, non pertinget ad Christi gloriam, imò nec dignus est Christo. Vos estis, *Matth. 10.*
ait ipse ad Apostolos, qui permansistis mecum in tentatio- *Luc. 22.*
nibus meis, & ego dispono uobis regnum, &c. Tertiò tametsi Christus Dei fecisset uoluntatem, prætereáque crucé mortémque perpessus esset, eóque nomine de sua gloria certus foret, at nihilo minus pro ea precatus est. Pater, in- *Ioh. 17.*
quit, uenit hora, clarifica filium tuum. Quis iam dubitet iure meritóque nos etiam pro illa obtinenda Deo preces offerre debere, & dicere, Libera nos Pater à malo, & adueniat *Matt. 6.*
regnum tuum? Certè nostra hic rursus castigatur incuria & negligentia, qui tam certò nobis cœlum pollicemur, ut nullis nos precibus habere opus arbitremur, cùm tamen Christus eius causa orauerit. Quartò, memorat Lucas Christum *Acto. 1.*
cùm discipulis ante ascensionem cibum sumpsisse. Qua re quid ille uoluit significare aliud quàm erga proximos charitatem? Plurimum sanè in cœlũ ascensuros promouet charitatis & misericordiæ operibus studuisse. Facite uobis ami *Luc. 16.*
cos (Christus dicit) ex mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Qui seminat *2. Cor. 9.*
in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Beati mi *Matt. 5.*
sericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Qui Christum in miseris egenísque membris eius non agnoscit, & consolatur, nec illorum curam agit, nunquam ille cœlum obtinebit, sed cum tota dæmonum turba in tartara relegabitur. Hoc nimirum subindicare uoluit Dominus,

cùm di

cùm discipulos educeret in montem Oliueti, atque inde cœ
Matt. 25. los peteret. Volebat ut contemplatio olei ipsos præstandæ
Luca 24. misericordiæ & charitatis, qua ille suos in finem dilexit, cô-
Iohan. 13. monefaceret: atque inde similiter faciendi caperent exem-
Actu. 1. plum. Aliud denique Lucas refert, Christum suis discipulis iam iámque ascensurum demandasse, uti ne ab Hierosolymis discederent, sed inibi expectarent promissum à Patre Spiritum sanctum. Quod etiam nobis dictum putemus, pla néque persuasum habeamus, si quidem dum adhuc in terris degimus, Spiritum sanctum capere, & post obitum cum Christo in cœlum proficisci uelimus, curandum nobis esse, uti in catholica Christi Ecclesia permaneamus: extra quam nullus est Spiritus sanctus, nullum iter ad beatitudinem. Nemo ascendit in cœlum præter Christum. Atqui Christus & Ecclesia eius unum sunt corpus. Huius corporis quisquis uel minimum fuerit membrum, certò ad cœlum quandoq; perueniet: contra uerò quicunque ab hoc corpore defecerit, nunquam cœlo perfruiturum se norit. Quæ igitur proh pudor amentia est, tam facilè nos ab Ecclesia desciscere, propterea quòd zizania pleraque in ea sese nobis offerant? Enimuerò in factis, in institutionibus, in cultu diuino
Matth. 13. superstitiones quædam, abusus in ceremoniis & ecclesiasticis institutis, improba uiuēdi ratio, infelix illud loliū sunt, quod per totum sese agrum diffudit. Ecquid uerò agendum nobis est? Non potest totum simul extirpari. Faciat quisque quod potest, reliquum sinat crescere usque ad messem: nec tamen idcirco ab agro discedat, sed nitatur ipse bonum seminare triticum: interim pias ad Dominum querelas deferat, dicat cum Apostolis, Domine num tempore hoc restitues regnum Israël? Dicebant hoc Apostoli ex quadā imperitia: at nos bona fide id dicimus, certi uidelicet ab omni æternitate uoluisse Deum quandoq; instaurare omnia, atq; adeò partim instaurasse. Primò nanq; angelicorum spirituū numerum restituit: tum uerò regnum Israëliticum uel Dei ea ratione in terris constituit, ut toto orbe Dei honor cultúsque propagatus fuerit. At nunc ruinam quandam fecisse uidemus: tanto ergo magis rogandus est Christus, ut illud restituat ac instauret. Ista nimirum sunt, quibus hodierno die uacare debeat, seséque occupare quilibet è religione Christianus. Deus omnibus nobis suam aspiret gratiam, Amen.

SERM

SERMO DECIMVS.



CVM Euangelio hodierno, in quo Marcus honorificæ ascensionis Christi, licet succinctè meminit, simul etiã Epistolæ loco nobis lectũ est hodie, quid Lucas de eadẽ perscripsit. His dein de eiusmodi Ecclesia orationem addit: Concede quæsumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die unigenitum tuũ redẽptorem nostrũ ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoq; mente in cœlestibus habitemus. Hoc modo Ecclesia iuxta gloriosam ac triũphalẽ Domini ascensionẽ nos precari docet hodie. Si quis igitur hæc tria, Euangelium, Epistolam & Ecclesiæ orationẽ simul cõiunxerit, hic sanè quod hodie meditetur & faciat, habebit abundè, utrunq; magno suo commodo. Neq; uerò lætius iucundiúsq; quicquam uel cogitare possumus, quàm Christũ ascendisse ad cœlos, & ad dexterã sedere Dei patris. Tum nec utilius quicquam precari possumus, nisi ut & nos mente atq; affectu in cœlis habitemus, dum mortali hoc corpore induti, necessariò hìc in terris circumagimur. Testãtur Esras & Nehemias magno olim desiderio Iudæorum gentẽ, quę aliquandiu in Babylonica captiuitate tenebatur, erga terrenã Ierusalẽ, patriã nimirum suã affectã fuisse, & tandẽ manumissos ingẽti pietate ac turmatim eãdẽ repetiisse, ibi multa instaurasse, quę ad gloriã illius urbis pertinere uidebantur, nec quicquã ita primùm habuisse. Quãto magis igitur nos decet circa cœlestẽ Ierusalẽ affici, præcipuè uerò & maximè hoc die. Illuc enim hæc solẽnitas quasi digito monstrãs respicere monet. Quin etiam propterea uisibilis atq; oculis suorũ conspicuus cœlos Christus ascẽdit, ut quò animi dirigendi deinceps essent intelligerent. Et ipsi quidẽ stantes in cœlũ conuersis oculis, aspiciebãt periucũdum spectaculũ, sed nõ diuturnũ contuebãtur. Nubes enim eũ suscepit ab oculis eorũ. Corporeis ad cœlũ suspicere oculis, nihil aut parũ ad rẽ facit: sed animum cogitationésq; cœlis inferre, hoc tandem utile est, consolatur, desideriũ excitat, à terrenis omnibus abstrahit. Id quod Paulus docẽs ait: Si cum Christo surrexistis, quę sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Idẽ & Ecclesia precari hodie docet, nec immeritò. Vbi enim thesaurus noster est, ibi est & cor nostrũ: Vbi caput, eò suspirãt & reliqua mẽbra: Sed hoc pręstare, precib⁹ à Deo obtinẽdũ erit.

Marc. 16. *Actor. 1.* *Acto. 1.* *Colos. 3.* *Matth. 6.*

Sap.9. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, deprimitque sensus:eóq; cœlesti nobis auxilio opus est, sine quo
Cant.1. nunquã à terrenis his auellimur. Trahe me post te (alibi dilecta diligénsq; anima loquitur) curremus in odore ungué-
Psal.54. torum tuorũ. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uo-
Psal.26. labo, & requiescam? Dauid ait: Vnam petij à Domino, hanc requirã, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus ui-
Psal.38. tæ meæ. Quàm dilecta tabernacula tua Domine, Domine uirtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Idipsum ergo, animis in cœlestibus habitare est. Dauid uerò apud Deum, ut id posset, exorauit: Vnde ipsum sequamur æquissimum est. Sitq; hoc in genere dictũ, ut quid hodie facto opus sit, intelligant omnes. Prudentibus quidem dixisse me sufficeret, sed necesse est fusius Christi ascensionem pertractem, atq; ueluti coloribus suis depingã, ut simplices eò studiosius hodie pietati incumbant, festamq; dié hanc, ut æquum est, sanctius peragant. Est enim in præcipuis anni festiuitatibus hæc celebris, & fidei articulus est Christi ascensio, eiusmodi planè, qui si iusta cõsideratione examinetur, permultum cõsolationis & spei adferat. Aliquid ergo ea de re dicẽdum mihi est. Nã & superioribus annis, ut æquum erat, nonnihil in eadé materia laboraui. Vtinã hunc ipsum aliósque fidei nostræ articulos sæpius ac maiori diligentia meditaremur. Essent enim uita morésq; nostri magis pij, & Christianæ puritati cõiunctiores, quàm nunc sunt. Sed hæc missa facio, & quid de Ascensione Christi sentiendum sit, peruesti
Mar.16. gabo. Sic Marcus habet: Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlũ, & sedet à dextris Dei. Hic fidei ille articulus, Christus est qui ascẽdit, & ipse quidé
Eph. 4. solus potuit. Qui descendit, inquit Paulus, ipse est qui ascen
Ioh. 3. dit. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo, ipso teste qui ascendit. Fuerunt quidam qui idé conati sunt, sed infelicissimè illis alea cecidit, grauius lapsi, terribiliúsq; precipitati: Angelus quidem è cœlo ad inferni abyssum, homo è Paradiso in uallem lacrymarũ. De solo Christo dici potest, extensis in cœlum ascendisse brachiis. In qua sanè Ascensione tria cõsideranda sunt, nempe quò ascẽdit, & quare, tum etiam quo tempore: quorum primum gloriam clarificationis Christi, secundum utilitatem & fructus inde nascentes, tertium uerò qua ratione nos præparabimus ad cœlestem uiam transeũdam docebit.

Et hæc

Et hæc omnia diligentem indagationẽ requirunt. Quod ad primum, iã nunc audiuistis duobus testantib' Euangelistis, quò ascenderit. Marcus enim assumptũ esse cõmemorat, Lucas uerò eleuatum esse, tum in Euangelio suo recessisse testatur. Vbiq; uerò cœli fit mentio. Marcus etiã dexterã Dei addit: id quod multo excellẽtius est quàm cœlum. Paulus sanè multis in locis hæc omnia tradit: ut cùm ait, Deus exaltauit illũ, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestriũ & infernorum. Ecce hoc est sedere à dextris Dei, exaltatum esse super omnia, nomen habere quod sit super omne nomen, & in sua potentia continere, quicquid in cœlo, & in terra, & subtus terra est: & quòd omnis lingua cõfiteatur quòd dominus Iesus in gloria Dei est patris. Idem in ea, quam ad Ephesios scripsit, Epistola eadem ferè, licet uerbis nonnihil mutatis, asserit dicens: Constituens eum Deus ad dexteram suam in cœlestibus supra omnẽ principatum, & potestatem, & uirtutẽ, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiã in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ad Hebręos scribens, ait: Sedet (Christus) ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. His aliísq; id genus scripturæ locis intelligere licet quid significemus, cùm dicimus: Christ' sedet à dextris Dei. Complectitur enim in se summam atque omnipotentem Dei uirtutem. A dextris enim sedere, etiam apud homines locus honoratior est: sed apud Deum est æquali diuinæ uirtutis omnipotentia, imperio & regno præesse. Quid ergo honorificentius de Christo dici potest, nisi sedere eum à dextris Dei in cœlestibus? Quid iocundius nobis dici posset? quid obtingere lætius? Quò enim ille sedet sublimius, eò fit maior nostra fides est, eo spes atque fiducia nostra maior est, eò commodius & melius nobis auxilio esse potest, eò etiã audentius eũ inuocamus; O rex gloriæ, qui triumphator hodie super oẽs cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte ꝓmissum patris in nos spiritũ ueritatis. Est ergo hoc primũ, quod in Christi hodie cõsiderandũ est Ascensione, nẽpe ꝙ ad cœlos ascẽderit, in quo glorificatiõis ipsi' magnitudo cõmẽdat. Deĩde uerò hoc cogitãdũ est, cur ascẽderit, id est, q̃s ascẽsionis ei' fructus sit. Et huius rei duas rationes Apostolus tradit. Prima, ut adĩpleret oĩa: Altera, ut appa

Marc. 16.
Act. 1.
Luc. 24.
Philip. 2.
Ephe. 1.
Heb. 1.
Eph. 4.

appareret apud patrem pro nobis. His rebus Ascensio eius commodauit, imò etiãnum commodat. Primò, ut dictũ est, adimpleuit omnia. Nam per hãc declarauit potestatẽ habere se omniũ, terrę, maris, omniũ infirmitatũ atque morborum, spirituum nequã: nec horũ solùm, uerũetiam aëris, atq; adeo ipsius cœli. Hoc sensu omnia adimpleuisse dicitur. Sed & hoc ostẽdit sua Ascẽsione, quòd credẽtibus uelit posśitq; adesse simul omnibus. Si enim in terris hic hæsisset, uno tantùm in loco uideretur præsens. Quia uerò cœlos ascendit, atq; à dextris Dei sedet, ubiq; simul adest eadẽ uicinitate omnibus: & sic implet omnia. Præterea etiã alio sensu hoc potest intelligi. Priusquã cœlos ascendisset dominus, terrę hic orbis mortalibus habitabatur tantũ: nũc porrò fit, ut ipsum etiam cœlum impleatur hominibus. Estq; hic primus Christi ascẽsionis fructus. Alter uerò fructus est, quòd apud Patrem nos defendit, ipsúm que pro nobis interpellat. Et hunc fructũ idem ille Paulus docet, ostendens ascendentẽ Christũ summi sacerdotis uerè implesse officiũ. Lege enim præceptum

Leui. 16. erat, ut summus sacerdos quotãnis semel, ipso nimirũ expiationis festo sanctuariũ, siue sanctum sanctorũ tabernaculi dom' Dei, assumptis thuribulo ac immolati uituli sanguine Deum deprecaturus intraret. Erántq; hæc futurorũ & uerorum figura tantũ. Paulus hęc sanè in Christũ interpretari nõ ueretur. Ipse enim est, qui ipsa sua ascẽsione perfectiśsimo modo adimpleuit. Intrauit in sanctuariũ tẽpli sui, ut Paulus ait, in ipsum cœlũ quasi templi Domini secretiorem locum.

Heb. 9. Et ipsum Apostolus confert cũ Iudaico tẽplo, quod ita ædificatũ erat, ut diuideretur uelo. Anteriore ueli parte stabant altare, candelabrũ & mensa, & panes propositionũ. Huc ergo quotidie sacerdotes intrabãt sacrificaturi. In altera uerò parte, quę diuisa erat uelo, arca Dei, & in ipsa, uirga Aaron, tabulæ Mosi & manna: supra arcam duo Cherubim, extensis alis propitiatoriũ, quod in medio ipsorũ erat tegentes, erãt. Et huc nemini, præter solũ sacerdotẽ summum, nec semper, sed semel tantũ quotannis introire licuit. Eodẽ modo Christi etiã diuiditur tẽplum. Ecclesia enim Christianorũ adhuc in terris militans, prior pars tẽpli est. Hic cãdelabrum, quod est Spiritus sanctus cum septiformi munere. Hic mensa cum diuini uerbi sacramentorúmq; panibus. Hic altare, in quo

Isa. 11. quotidie preces ac uota Deo offerimus. Altera templi pars ipsum cœlum est. Illic arca Dei, duo Cherubim, & propitiatorium,

rium, imò omnia quæcunque Deus arca, propitiatorio, & Cherubim significare uoluit. Sed nôdum nobis illuc introire licet, uelum obest. Oportet prius corpus hoc corruptibile induere incorruptionem. Christus penetrauit, eámq; templi sui partem introiit, adferens secum in conspectu Dei optimum thymiama, pretiosas thurificationes, nimirum preces & gemitus, quos nostri causa in terris Deo obtulit. Tũ etiam sanctum, magníque pretij sanguinem sacrificij sui assumpsit. hoc est, totam passionem suam patris præsentauit oculis. Inque infallibile huius rei signum, in ipso etiam iam glorificato corpore clauorum fixuras & crucis obtinuit, ut passionis meritiq; sui sempiterni nunquàm delêdum essent memoriale. Et hoc Paulus uult, cùm ait: Non in manufacta sancta Iesus introiit, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc uultui Dei pro nobis. Et quid uel desiderare uel optare magis consolatorium possumus? Quid timebimus, quibus tam potens, tam acceptus corã Deo patronus adstat? Quanta uerò iucunditate hac de re Paulus Apostolus loquitur? Habentes ergo talẽ pontificẽ, inquit, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ cõfessionem. Adeamus cũ fiducia ad thronũ gratiæ eius, ut misericordiã cõsequamur, & gratiã inueniam⁹ in auxilio opportuno. Et deinde adhuc clarius: Habentes ergo fiduciam in introitu sanctorũ in sanguine Christi, quam initiauit nobis uiam nouã & uiuentem, per uelamen, id est, carnẽ suam, & sacerdotẽ magnum super domum Dei, accedamus cum uero corde in plenitudine fidei, &c. Idipsum etiam ecclesia uult, cùm Psalmistæ nos uerbis hortatur dicens: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis. Est ergo hoc secundũ, quod piè nunc cõsiderare licet. Iam uerò quod restat tertium explicemus, nempe tempus quo Christus cœlos ascendit. Illud uerò ipse indicat, dicens: Venit hora, clarifica filiũ tuũ. Hæc uerò in cœna nouissima iam trigesimumtertium agens annũ, cum triennio prædicasset, ouémq; perditã multo sudore requisierat, cum nouissimũ quod restabat opus aggrederetur, ipsam nimirũ mortem propediẽ subiturus. Tempus aduenerat, ut à patre Deo clarificaretur in terris. Illic enim uerè dicere potuit: Ego te pater clarificaui super terrã, manifestaui nomen tuum hominibus: opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam. Et hoc nobis dictum arbitremur. Suo enim præfinito tempore cœlum petendum est. Potuisset quid

[Margin notes: 1. Cor. 15. — Heb. 9. — Heb. 14. — Heb. 10. — Psal. 46. — Ioh. 17.]

quidem primo quoque die cœlum repetere Christus, sed noluit, donec plenissimè opus suum expleret. In nostro numero inuenias, qui omnino cœlos scandere, hoc est, mori, & mundum, etiam præsente hora definita, relinquere nolint. Rursus uideas alios cœlos petere, sed ante iustum tempus: hoc est, ipsi sibi cœlum promittunt, priusquam opera Dei consummare incipiant. Sed frustrà id tentant, sine temporis respectu. Stultè brabeum postulant, antequam in hoc stadio cursum complent. Paulus uerò iustum diem & ordinē
1. Cor. 9. obseruat. Bonum certamen certaui, inquit, cursum consummaui, fidem seruaui. Hoc prius est, cui mox addit: Reposita
2. Tim. 4. est mihi corona iustitiæ. Idem illud discipulum suum erudiens docet, Labora, inquit, sicut bonus miles Iesu. Nam qui certat in agone, non coronabitur nisi legitimè certauerit. Simile quid & duobus illis fratribus Christus loquitur: Nesci
2. Tim. 2. tis, inquit, quid petatis. Potestis bibere calicem, quē ego bi-
Matt. 20. biturus sum? Tum uerò ascendēdi tempus adest iustum, ubi Dei opus consummaueris. Tunc certam licet sperare salu-
Ioh. 14. tem, ubi cum Christo dicere potes: Sicut mandatum dedit
Ioh. 6. mihi pater, sic facio. Et, Non ueni ut faciam uoluntatē meā, sed eius qui misit me patris. Et iterum: Non mea, sed tua uo-
Mat. 26. luntas fiat. Et cum Dauid: Viam mandatorū tuorum cucurri. Et cum Paulo: Nihil subtraxi utilium, quò annuntiarem & docerem, quæ sit uoluntas Dei. Et cum Martino: Domine si
Psal. 118. adhuc sum populo tuo necessarius, nō recuso laborem, fiat uoluntas tua. Hic inquam, commodum & iustum tēpus est petendis cœlis. Christus tandem nouissimò ascendit. Ascen
Act. 20. dit quidem & prius, sed non in cœlos: sed in montē, ubi docebat, orabat, & clarificabatur, & cruci affigebatur. Hæc, inquam, omnia prius quàm cœlos ascenderet, fecit. Idipsum in nobis quæritur, quemadmodum in alio quodam sermone dixi fusius. Et hæc illa sunt, quæ digna consideratione hodie pensanda ueniunt: nempe, quàm ille in ascensione sua clarificatus sit, quæ utilitas, qui fructus nobis illinc prodierint, & quomodo nos tandem aliquando illuc, ubi Christus est in gloria Dei sedens, peruenire possimus. Idipsum iam considerare, est hanc festiuitatem digna cum
Colos. 3. pietate celebrare. Gratia Dei omnibus nobis, Amen.

DOMINICA EXAVDI.

EVANGELIVM IOHANNIS XV. & XVI.

CVM autem uenerit paracletus, quē ego mittam uobis à patre ſpiritum ueritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Quin & uos teſtes eſtis, quia ab initio mecum eſtis. Hæc locutus ſum uobis, ut ne quid offendamini. Alienos à ſynagogis facient uos. Sed ueniet tempus, ut quiſquis interficiat uos, uideatur cultum præſtare Deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem neque me. Sed hæc locutus ſum uobis: ut cùm uenerit tempus illud, reminiſcamini eorum, quòd ego dixerim uobis. Cap.16.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PETRI I. CAP. IIII.

Sitis igitur ſobrij, & uigilantes ad orandum. Ante omnia uerò charitatem inter uos uehementem habentes. Nam charitas operiet multitudinem peccatorum. Hoſpitales eſtote erga uos inuicem ſine murmurationibus, ut quiſque accepit donum, ita alius in alium illud miniſtrantes, ut boni diſpenſatores uariæ gratiæ Dei. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia* Dei : *ſi quis miniſtrat, miniſtret tanquam ex uirtute, quam ſuppeditat* Deus, *ut in omnibus glorificetur* Deus *per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum,* Amen. Prou.10.

PRIMVS SERMO de Ecclesiæ ordinatione.



OMINICA hodierna cadit inter duo festa, ascensionis Domini, & missionis Spiritus sancti, ideóq; partim ad præcedens festũ, partim ad consequens ea destinata est, dans nobis tempus, locum & causam ad utraque illa consideranda, quid in ascensionis die boni acceperimus, & quid in festo Pentecostes accepturi simus. Cùm uenerit paraclêtus (inquit Christus) quem ego mittã uobis à patre, spiritum ueritatis qui à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me. Hæc uerba ad pentecosten respiciũt, ubi primum & pfectè impleta sunt. Verum quòd in Euangelio mox sequitur, Hæc locutus sum uobis ut nõ scandalizemini. Absq; synagogis faciẽt uos, &c. hoc nos ad ea uerba remittit, quæ Christ⁹ postremùm locutus est ante ascensionẽ suã, ubi ait, Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Optimos Apostolos & discipulos inter ascẽsionem & pentecosten nũc hoc nũc illud cogitasse coniicere licet. Sciebant enim unũ Christum utraque hæc locutũ: qui illis Spiritũ sanctũ promiserat ad honorificè munus obeundum ipsis delegatũ, idem quoq; illis denũtiabat uarias psecutiones, quas essent perpessuri in prædicatione Euãgelij. Alterum illis gaudium, alterũ metum indubiè attulit. Quia enim Christũ nõ amplius corporaliter uidebant, nec tamẽ Spiritus sanctus, quem ipsis promiserat, adhuc uenerat, ipsi uerò sciebãt sibi bonum & malum, lęta & tristia promissa & prædicta esse, ut in hoc Euãgelio uidere est, quod initio nõ nisi mera promissa habet de Spiritu sancto, in fine autẽ nihil aliud quàm uaticinia de magna persecutione, dubiũ nõ est, quin gaudium & mœrorem, spem & metum senserint. Nam quando secum reputabant, quòd Christus in conspectu ipsorũ tam potẽter ad cœli regiam fuerat latus, & quòd ipsis antea nõ semel, sed sæpe promiserat Spiritum sanctũ, & postremò quoq; angeli illis spem fecerãt Christi ad ipsos redituri, fieri non potest, quin corda illorum gaudio delibuta exultauerint, & ora illorum laude & gratiarũ actione fuerint plena. Contrà autem, quãdo illis in mentem uenit, se summo suo solatio orbatos esse, nimirũ corporea præsentia Christi, ut Christũ amplius uidere nõ possent, q unus illorum

lorum in omni necessitate perfugiũ erat, & Spiritũ sanctũ, quẽ Christus ipsis in sui locũ cõsolatorẽ promiserat, nõdũ uenisse, se uerò nihilo secius in medio hostiũ agere, nõ potest fieri, quin pusillanimitas & metus aliquis eorũ animos corripuerit. Atq; hęc erit causa una, quãobrẽ Euãgeliũ istud sup hodiernã Dominicã ordinatũ sit: omnia nobis inseruiũt ad cõsolationẽ, ne mox animũ despõdeamus, si res ꝓ uotis nostris nõ semper succedat. Quod si Apostolis contingere nõ potuit, nec nos id uelle debemus. Deus scit ad qd cõducat: medicus scit, cur ægroto nõ semp morẽ gerat: quod ad Apostolos attinet, maluissent Christũ semp de Spiritu sancto & gratia sua uerba facere, sed id fieri nõ poterat, erãt & alia audiẽda, nõ quòd Christus cõsolationẽ illis inuideret, sed quòd nõdũ præmoniti essent & muniti aduersus imminentẽ tẽpestatẽ. Quorsum attinet alioqui ad tẽpus frui solatio, nec scire tamen flammã fumo proximã esse? Age, Christus nihil nos celauit, neq; bonũ neq; malum, spem iuxta ac metũ in nobis esse uult, quò p alterũ discamus, quę nobis à Deo, p alterũ uerò, quæ à mundo & principe eius esse spes possit. Ex usu certè esset omniũ Christianorũ, si ea pariter ita cõsiderarẽt cõiũctim. Sed plurimum nobis Adæ filiis in utrisq; desit. Vbi nihil boni impetrari potest, ibi bonũ speramus: cæterũ ubi omniũ bonorũ abũdãtia haberi posset, ibi nihil speramus. Quid itaq; mirũ, si utrinq; fallimur, si nõ cõsequimur in mũdo quod speramus & quęrimus, cõtrà uerò si nosipsos priuamus eo, quod certò Dei munere habere possemus, & Christus tamen hæc utraq; pulchrè & distinctè locutus est, Cùm uenerit paraclêtus, &c. Vide, hìc habes quid à Deo sperãdũ sit. Absq; synagogis faciẽt uos, hìc habes, quid à mũdo expectare possumus. Mũdus infidelis est, plerũq; malã reponit mercedẽ, Deus autẽ fidelis est & uerax, seipsum negare nõ potẽs. Deus dat optimũ quod habet, nẽpe Spiritũ sanctũ, mũdus quantũ potest pessimè nobis facit, attamen magis mũdo quàm Deo adhęrescimus & Deũ malumus quàm mundũ relinquere. Quid autẽ amentius, maximè in homine Christiano, qui hoc & alia Euangelia habet, audit, & præterea quotidie legit? Agite fratres, nõ pro nihilo ducamus quòd Christus tam præclaris & grauibus uerbis dicit, Cùm uenerit paraclêtus, quem ego mittã uobis à patre, Spiritũ ueritatis qui à patre ꝓcedit, ille testimoniũ perhibebit de me, &c. Quid nobis maius, melius & *Ioh. 15. 16.*

necessarium magis promittere potuisset? Quis tam doctus est, qui diuina institutione nō opus habeat? Quis animo tā fidēti & infracto est, qui diuina cōfirmatione nō egeat? Atqui Christus hic nobis promittit suū spiritū, q nos cōsolari, docere & confirmare debet, ut nō modò nominis ipsius & professionis nos nō pudeat, sed etiā palàm de illo testificemur, quātūuis mūdus rideat, minetur & psequat nos. Hunc spiritū nobis mittere uult à patre, significās nobis ea re, patrē eiusdē cū ipso erga nos esse animi. Et ut secūdò dicā, qd nobis melius pmittere potuisset? Quid habet mūdus, quod hoc æquet? Quis te pturbare potest, quādo te Deus spiritu suo cōsolatur? Quis te seducere potest, quādo te Deus Spiritu suo docet? Quid deniq; mūdus cū suo principe aduersum te posset, quādo te Deus spiritu suo cōfirmat animátque? E diuerso, det tibi sanè mūdus quod habet optimū, benefaciat tibi quo potest studio, nihil tamē id omne est, si cōsolatione, doctrina & robore orbat' sis, quod tibi Deus p spiritū suū largit. Quāobrē iterū dico, si Christian' es, plurimū apud te ualeat, qđ tibi De' Domin' tu' pmisit, ac dedit, pmittit ac dat etiā dū suū spiritū, cōsolātē te, docētē te & confirmātē te, siqdē uerissimū est, qđ Ecclesia de Spiritu sancto canit, extra illius gratiā, auxiliū, & cōsolationē nihil in homine esse, prę́ter peccatū & miseriā. Si interea īdignè cōtumelia & psecutione à mūdo afficeris, memineris quod Christus dicit, Hæc faciēt uobis, qa nō nouerūt patrē neq;
Ioh. 16. me. Quòd si mūdus Deū nouisset, & oēs credētes p Dei filius haberet, citius sibi ipse (quod aiunt) oculū attrectaturus esset, potius incōmodū & dānū ipse pateretur, quàm ut uel minimū ex filiis Dei læderet. At mūdus Deū nō nouit, multò minus nouit eius filios, quapropter neq; Deū, neq; cre-
Luc. 23. dentes in eū curat qcquam. Pater (inquit Christus) dimitte
1. Cor. 2. illis, nō enim sciūt, quid faciūt. Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Si de mūdo fuissetis (inquit
Ioh. 15. Christus iterū) mūdus quod suū est diligeret, &c. Si me persequuti sunt, & uos persequentur. Si patrēfamiliás Beelzebub uocauerūt, quātò magis domesticos eius? Hoc solatij capimus ex isto Euāgelio, si mundus meliora sciret, faceret meliora. Hac spe freti optimi martyres suas tribulationes sustinuerūt, eadē spe & nos niti debemus, & maximè, quia nobis Christus in initio huius Euāgelij Spiritū sanctū promittit. Sed hoc iam omitto, in sequētibus sermonibus plura de

ra de eo dicentur. Propositũ meũ erat hoc loco indicare solum, cur Euãgeliũ istud inter hæc duo festa, ascensionis & pẽtecostes ordinatũ sit, nimirũ primò, quòd ad utraq; festa inseruire nobis potest, ad eũ modũ, quo superius dictũ est. Deinde, ut ex eo uideri possit, quid animi sanctis Apostolis interea tẽporis fuerit, cúm uisibilẽ præsentiã Christi amisissent, Spiritũ uerò sanctũ, q̃ illis pmissus erat, nõdũ recepissent. Et profectò qui Euãgeliũ istud rectè cõsiderat, unà cũ illius epistola, Ecclesiæ cãtibus, & orationibus, is facilè uidebit, omnia eò spectare, quò nobis repræsentet Christus, & ueluti ob oculos ponatur, quis Apostolorũ & credentiũ eo illo tẽpore, ab ascensione Christi, usq; ad missionẽ Spiritus sancti, status fuerit, quid sperauerint & expectauerint, quid itẽ metuerint ac ueriti sint, qd deniq; cogitauerint ac fecerint, quò etiã nos uidere melius possimus, quid nobis hoc tẽpore sperandũ, metuendũ, faciendúmq; sit. Nã quod illi post ascẽsionẽ sperauerũt, idẽ sperare & nos possumus, ac debem', quod illi timuerũt, idipsum timere & nos oportet, quod porrò illi fecerũt, idẽ nos quoq; facere debemus. Idcirco ob oculos nobis ponitur, qs fuerit illorũ circa hoc tempus status, & sup hoc, ut dixi, nõ solum Euãgeliũ istud, sed etiã Epistola aliæque Ecclesiæ precationes & cantus ordinati sunt. Quod ut uerum comperiamus, uidebimus quid sacra scriptura de sanctis Apostolis dicat. Et primò indicant Euangelistæ, Christũ ultimũ suis Apostolis mãdatũ dedisse, ubi ait, Euntes in mundũ uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Hic nihil aliud expectare potuerunt, quàm omnẽ cõtumeliam, infidelitatẽ, & persecutionẽ ab improbo mũdo, quẽadmodũ in Christo etiã uiderant & experti erãt. Atq; hoc nõ minimũ fuisse putandum est, quo optimi Apŏstoli occupati fuerunt, propterea hodie legitur Euangelium, in quo illis & omnibus credentibus talis persecutio denuntiatur. Hoc unũ est. Secũdò dicit Lucas, Christum quoque hæc uerba in suo discessu locutum esse: Vos autẽ sedete in ciuitate, quoad usq; induamini uirtute ex alto. Et in Actis Apostolorum, Præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederẽt, sed expectarẽt promissionẽ patris, quam audistis (inquit) per os meum, quia Iohãnes quidẽ baptizauit aqua, uos autem baptizabimini Spiritu sancto nõ post multos hos dies. Hoc alterũ est, quo tum tẽporis sancti Apostoli impliciti fuerũt, ut omni momento expectauerint. quãdo Christus

Matth. 28.
Marc. 16.
Luc. 24.
Act. 1.

Christus promissionem suam esset impleturus, & missurus ipsis spiritum sanctũ. Eaq; de causa hodie legitur Euangeliũ illud, in quo Christus tam magnificè spiritum suis fidelibus promittit. Tertiò dicit Lucas, sanctos Apostolos mox post ascensionẽ Christi Hierosolymã reuersos esse, ibiq; pseuerasse unanimiter in oratione, donec super illos in die Pẽtecostes spiritus sanctus ueniebat. Vide, hoc tertiũ est, ꝙ Apostoli hoc tẽpore fecerunt, in hoc ordinatum est, ut hodie etiam sacrũ pulchra oratione ex Psal. Dauidis incipiatur, docens unumquenq; Christianum cum Dauide dicere: Exaudi domine uocẽ meam, qua clamaui ad te. Tibi dixit cor meũ, exquisiuit te facies mea, faciem tuam domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Huc quadrat hodierna Epistola, in qua diuus Petrus oẽs Christianos ad orationem hortatur. Estote prudẽtes (inquit) & uigilate in orationibus. Ante omnia autẽ mutuam in uobismetipsis charitatẽ continuam habẽtes: quia charitas operit multitudinẽ peccatorum, &c. Hæc Epistola haud dubiè propterea hodiernæ dominicæ assignata est, quo uidere melius queamus, quid hoc tẽpore facere nos deceat. Nam certè nos quoq; in improbo mundo sumus, & inter medios hostes: at uerò ex nobis ipsis ignorãtes sumus, imbecilles ad bonũ, & inconstantes in tribulatione & cruce, ideò sanè etiã opus habemus spiritu sancto, primò ut testimoniũ nobis perhibeat de Christo in cordibus nostris, ne uacillemus in fide. Secũdò, ut gratiã & fortitudinẽ nobis subministret, fidem nostrã uerbis simul & factis cõfitendi. Tertiò ut cõstantiam nobis det, ut inuicti in tribulatione persistamus. Quia igitur spiritu sancto oẽs opus habeamus, eumq; solum de supernis expectamus, facere profectò nos itidẽ oportet, ut modo de sanctis Apostolis dictum est, cogitare oportet ubi simus, & quid occurrere quotidie nobis possit. Secundò quid Christus solatij nobis promiserit, quod quærendũ est deuota precatione. Et hoc est quod Petrus uult, ubi inquit, Estote prudẽtes, hoc est, cogitate qui sitis, & ubi sitis, quid uobis boni promissum & denuntiatũ sit. Hæc uera est prudẽtia & ꝑspicacitas, id cogitare. Petrus uerò non contentus prudẽtia, duo insuper adhuc addit, nimirũ, uigilate in orationibus, & mutuã in uobismet ipsis charitatẽ cõtinuã habete. Hęc aũt tria sunt, qbus sancti Apostoli hoc tẽpore usi sunt, & qbus adhuc uti nos oportet,

ret; nimirũ prudẽtia in oratiõe & intellectu, oratione ĩ ore, & charitate in corde, ꝑterea uerò etiã ſtudio & ſeueritate ĩ opere. Tales ubi fuerimus inuẽti, nõ præteribit nos ſpiritus ſanctus, ſed etiã nos ſua gratia inuiſet, illuminabit, docebit, cõſolabitur, & corroborabit. De⁹ nos oẽs eiuſcemodi operationis ſpiritus ſancti capaces & conſortes faciat, Amen.

SECVNDVS SERMO DOCET, *quam ob rem Christus Spiritum ſanctum & crucẽ Apoſtolorũ cõiunxerit.*


VO hodiernũ iſtud Euãgeliũ commemorat, primò, de ſpiritu ſancto eiúſq; conſolatione, deinde uerò ac cõtinẽter de cruce ac multiplici pſecutione ſanctorũ Apoſtolorũ & omniũ credẽtiũ. Hæc autẽ duo cõtraria ſunt, nam alterũ optimũ eſt eorũ q̃ à cœlo unquã profecta ſunt: alterũ peſsimũ, quod in terris nobis accidere põt. Nõ itaq; immeritò demirari quis poſsit, quomodo Chriſtus duo tã diſsimilia in unũ ſermonẽ coẽgerit & cõplexus ſit. Quid Deus melius dare cœlitus põt, q̃ ſanctũ ſuum & uiuificũ ſpiritũ? Quid homini obtingere melius põt, quã gratia ſpiritus ſancti? In hoc apparuit charitas Dei (inquit Iohãnes) quoniã de ſpiritu ſuo dedit nobis. Ecquid mũdus peius homini facere põt, q̃ odiſſe illũ, perſequi, fugare & occidere? nam certe ubi hoc perfecit, amplius quiddã haudquaquã poteſt. Idcircò etiã Chriſtus alio in loco ſuos fideles docet ac monet, ne illos *Luc.12.* timeant, qui corpus ſolùm occidũt, nec aliud præterea poſſunt. Cæterùm ut ſermo de Deo eiuſq; gratia ac donis iucũdus eſt, ita triſte eſt, ſicubi de cruce & tribulatiõe fit mẽtio. Illud appetimus ex æquo oẽs, nimirũ gratiam & cõſolationem ſancti ſpiritus. Hoc uerò fugimus & horremus, nempe crucẽ. Atqui Chriſtus illa in hoc Euãgelio cõiũxit & copulauit, eáq; ſanctis Apoſtolis denũtiauit, experturos illos utraque, optimũ qđ Deus dat, & peſsimũ qđ facere mũdus põt, & ut eſſent certò accepturi ſpiritũ ſanctũ, ſic alterũ quoque eos certò expectare oportere. Ego mittã uobis cõſolatorẽ *Ioh.15.* (inquit Chriſtus) & mittã eũ uobis à Patre, & nõ uulgarẽ cõſolatorẽ, ſed ſpiritũ ueritatis, q à patre ꝓcedit, & teſtimoniũ phibet de me. Cõtra mũdus uos odent, eiiciet, interni- *Ioh.16.* ciet, putabítq; ſe Deo p hoc gratificari. Hoc autẽ non ſolis Apoſtolis, ſed oĩbus Chriſtianis dictũ eſt. Etenim primò dicit Paulus

Rom. 8. cit Paulus in cõe & de uniuersis Christianis, Si quis spiritũ Christi nõ habet, hic non est eius. E diuerso aũt dicit idẽ ille
2. Tim. 3. Paulus, Omnes qui piè uolũt uiuere, persequutionẽ patientur. Hæc duo Deus suis filijs deputauit, hæc duo (inquam) simul, & neutrũ sine altero. Qui dulce concupiscit de cœlo, amarum in terris pariter expectet oportet, hoc qui nõ uult, illo dignus nõ est. In bono Christiano seu pio homine ostẽdit sese Deus & mundus, pro ut horum utrumuis constitutum est. Nihil Deus tã boni habet in cœlo, quin id impartiat filijs suis. Mũdus nihil tã praui habet, qđ bono nõ ausit exhibere. Charissimum qđ Deus in terris habet, sunt filij eius; his bono mũdũ cõdidit: his bono mũdus tam diu durat: his bono solis & lunę splendore mũdũ illustrat, facit ut arbores folia, cãpi gramina proferant, & omnia animantiũ genera multiplicẽtur. Quid de solis dico creaturis, quas Deus suorũ filiorũ utilitati creauit ordinauitq;, quin seipsum dedit illis bono, Deus pater in creatione, Deus filius in redemptione, & Deus spiritus sanctus in distributione donorũ ac munerũ suorũ. Ex aduersum aũt mundus nihil minus ferre põt, amare ac pati, quàm filios Dei. Sic itaq; hæc duo cõtraria inueniũtur in hodiernũ usq; diẽ in quouis homine Christiano, quæ Deus uarias ob causas coniunxit. Nã primò suis fidelibus ideò dulcia amaris semp miscere solet, ut in recta uia cõseruẽtur. Etenim si dulcia tãtũ, hoc est, merã cõsolationẽ & gaudiũ illis daret, nimiũ feroces & petulci euaderẽt, obliti suæ peregrinationis. Sin omnia acerba, hoc est, merã crucem & tribulationẽ eis immitteret, animo plus æquo deiicerẽtur. Hæc itaq; duo miscet & temperat, nõ dat illis mera dulcia, ne insolescãt, nec amara semper, ne desperẽt. Secundò, hæc duo propterea etiã cõiũgit, ut sit discrimẽ inter præsentẽ & futurã uitã. In altero sæculo aut gaudiũ erit merum, aut dolor merus. Qui ad gaudiũ admittẽtur, his Deus ipse absterget lacrymas ab oculis eorum, ut nulla mors, nullus dolor apud illos in æternum sit futurus. Cæterũ qui gehẽnæ addicentur, his ne minima quidẽ cõsolatio cõtingere poterit, ut est uidere in diuite, cui nec guttulæ aquæ copia concedebatur. At hic bonũ malo, gaudiũ dolori mistũ est. Secũdũ
Luc. 16. multitudinẽ dolorũ meorũ in corde meo (inquit Dauid) cõsolationes tuæ ô domine Deus lætificauerũt animã meã. Si in terris nihil aliud haberemus, præterquã ea, quæ nos exhilarãt & cõsolãtur, iã pridẽ essemus in beatitudine. Sin autẽ

nil

nil haberem⁹ pręter crucē, dolorē & tristitiā, iādudū in infer no & cōdēnatione essemus. Bono Christiano hæc mixtura diuinæ cōsolationis, & mundanæ persecutionis ad plurima cōducit. Alterū enim, uidelicet persecutio à mūdo, inuisam illi quodā modo reddit hāc præsentē uitā: alterū, nēpe diuina cōsolatio cupiditatē & desideriū in eo excitat futurę uitę. Alterū eū in humilitate cohibet, alterū fortitudinē illi submi nistrat, alterū facit, ut à peccato immunes nos seruemus: alterū facit, ut omni bono studeamus. Qui multū afflictionis perpetitur, hūc tāto min⁹ iuuat peccare: q gratiā & cōsolationē spiritus sancti sentit, hic tātò alacrior est ad omne bonū. Proindè meritò Deo gratias agim⁹, ꝙ nobis spiritū suū largit⁹ est ac largitur, nec tamē est qđ q̄ramur de illo, ꝙ interim crucē & afflictionē nobis in mūdo imponit, quandoquidē audimus & illud è re nostra esse. Tertiò, propterea etiā Christus spiritū sanctū cōiūxit in hoc Euāgelio, docēs, per crucē euidēter probari & manifestū fieri, sit spiritus sanctus in nobis nécne, & idcircò etiā, ut per spiritū sanctū sub cruce cōfirmemur: nemo enim in cruce & tribulatione persistere pōt, nisi spiritū sanctū habeat. E diuerso certissimū signū est, nō adesse spiritū sanctū, qñ in cruce & tribulatione succūbimus. Eaq; ꝓpter uolebat Christus, ut prædicādi munus auspicarentur, priusquàm confirmarentur è supernis, alioqui nihilo magis perstitissent, quàm in passione Christi perstiterunt, imò multò minus. Nam si persistere non potuerunt, cum crux & afflictio in solum Christum desæuiret, quî perstitissent in sua ipsorum cruce? Tria incommoda affert & relinquit crux seu afflictio in anima hominis. Nā ea si est præsens & iam in hominem incumbit, dolorem affert & tristitiam, ueluti etiam Paulus dicit: uentura, affert metum ac terrorem, cæterū ubi iam præteriit, relinquit in homine stomachū seu odiū, uidelicet in ꝑsecutorē. Cōtra omnia eiusmodi incōmoda non est certius mediū, quàm spiritus sanctus. Is enim lenit dolorē sua gratia. In huius rei indiciū apparebat supra Christū, cū de sua passione cū Mose & Helia loqueretur in nube lucida. Scđo, minuit spirit⁹ sanct⁹ quoq; metū futuræ tēpestatis, in cui⁹ rei argumētū apparuit supra Apostolos in igne: Vt enim ignis lutea uasa indurat, ita etiā spirit⁹ sanct⁹ aīos credētiū solidat, & infractos facit aduers⁹ passionē, quēadmodū in Pau. uidem⁹, ubi inqt, Quid facitis flētes & affligētes cor meū? Ego nō solū alligari, sed & mori paratus

Matt. 17. Act. 2. Act. 21.

paratus sum ꝓpter nomen domini. Tertiò, spiritus sanctus
Matt.3. omnē indignationē, odiū, irā eximit ex animis nostris, ī cu-
Ioh. 1. ius rei indiciū apparuit in specie colūbæ q̄ bile caret. Igitur
ubi spiritus sanctus in homine est, nihil obesse pōt quantū-
cunq; etiā crucis & tribulationis incidat, ut ex hoc Euāge-
lio clarissimè uidere est: nā quāquā hic Christus suis discipu
lis & fidelibus uarias afflictionū ꝓcellas denūtiat, q̄a uerò
illis spiritū sanctū simul ꝓmittit, ita loquitur de tribulatiōe,
ut eā adire magis iuuaret, q̄ horrere. Graue quidē & durum
est, odiū, ꝑsecutionē, exiliū, mortē deniq; ipsam sustinere, at
q̄ spiritu sancto afflatus est, ei nihil officere pōt. Quid enim
magni est, etiāsi mūdus unū Christianū & Dei filiū despe-
ctui habeat, reiiciat & ꝑsequatur? Quòd uespertiliones lu-
mē uidere nequeūt, non id officit lumini. Bonus odor non
ideò ingratior est, ꝙ eū serpentes ferre non possunt. Sic ne
que colori decedit quicquā, quod cæcus de illo ꝑperā iudi-
cat. Quēadmodū nec medico aliquid in sua arte derogatur,
quòd illū suspiciosus aut alius quispiā homo nō sanæ mētis
Ephe.5. cōtēnit. Atqui uerò homo Christianus lux est in domino, ut
Paulus dicit: q̄d igitur illi nocet, si eū uespertiliōes, hoc est,
homines, qui tenebris assueuerūt, odio ꝑsequūtur? Homo
credēs bonus odor est Christi, ueluti etiā diuus Paulus ait.
2. Co.2. mirū itaq; nō est, si illū uenenati serpētes, hoc est, homines
peccatores, & uiperarū progenies (ut eos Iohānes uocat)
Matt.3. ferre nō possunt. Homo credēs omniū optimos in se colo-
res habet, qui etiā Deo potissimū arrident, utpote niueum
colorē puritatis & innocētiæ, rubrū colorē igneæ charita-
tis, nigrū colorē humilitatis, cæruleū colorē cœlestis cōtē-
plationis, uiridē colorē spectatæ uitæ. Quocirca nihil illi de
cedit, licet mundus aliter de illo iudicet & sentiat. Existima-
2. Cor.6. mur tāquā seductores (inquit Paulus) & tamen sumus uera-
ces, sicut q̄ ignoti & cogniti: quasi moriētes, & ecce uiuim⁹:
ut castigati & nō mortificati: quasi tristes, semper autē gau-
dētes: sicut egētes, multos autē locupletātes: tanquam nihil
habētes, & oīa possidētes. Et alio in loco: Mihi pro minimo
est, ut à uobis iudicer, aut ab humano die, sed neq; meipsū
1. Cor.4. iudico, qui autē iudicat me, dominus est, q̄ huic ꝓbatur, is
demū laudatus est. Summa, homo Christianus medicus est,
cui nihil decedit, etiāsi ab insano mūdo spernatur & ꝑsecu-
tionē patiatur. Quin etiam si mūdus illum extinguat, quid
damni illi affert? Vis dicam? Demolitur illi terream domum,

aliàs

aliâs collapſurā aliquando,& introducit eũ in aureā & ęternā domum:deſtruit illi carcerē corporis eius,in quo captiu⁹ detinetur,& ducit eũ in cœleſtē regiā:diſcindit illi ſaccũ quo tegitur,& induit eũ aurea ueſte,hoc eſt,glorificato corpore: aufert illi putidũ mortale corpus,& reddit immortale. Hinc uides,homini ſpiritũ ſanctũ habenti nihil obeſſe ,quib⁹etiā cunq; illũ mũdus afficiat malis. Hāc ob rē Chriſtus duos ſermones de Spiritu ſancto & cruce connexuit,quo optim⁹ quiſq; Chriſtianus ex iis diſcat, tanto feruentius Spiritũ ſanctum rogare,quātò grauiores illi tribulationes inſtant.Quare ſi te terret crux,quam Chriſtus ſuis diſcipulis in hoc Euangelio denunciat,conſolari uiciſsim te debet, quòd Chriſtus etiā Spiritũ ſanctũ promiſerit,imò prius, quàm de cruce loquatur,hunc apprehende, & omnis tibi crux leuis fiet : nihil enim tā eſt acerbũ,quod Spiritus ſanctus nō ſuaue aut leue reddere queat. Itaq; nō eſt quod queramur de multitudine & grauitate crucis , quādo Chriſt⁹ ipſe nobis opē & ſolatiũ pollicet,& tale ſolatiũ.Hoc uno uitio laboramus,quod mala tātum quæ ꝑpetimur,cōſideramus,& nō etiā ſolatiũ,quo interim fruimur.id quod Paul⁹ in ſuis Hebręis,imò in oībus Chriſtianis culpat,idq; multis uerbis. Nōdũ uſq; ad ſanguinē reſtitiſtis,& obliti eſtis cōſolationis, quæ uobis tāquam filiis loquitur,&c.Quapropter coniunctim utraq; accipiēda ſunt,& alterum cum altero cōferendum. Si tibi graue & iniquum uidetur , bonum Chriſtianũ cęteris hominibus atrociora pati,redeat tibi in mentē , illũ plus etiā conſolationis & cōmoditatis habere pię aliis hominibus... Super his nos Eccleſia egregiè admonet in hodierna Epiſtola, in qua nobis diuus Petrus optimā & certiſsimā uiā indicat,quā ire debemus inter tribulationē , quā nobis mundus, & ſolatium, quod Deus nobis parat & prębet,quò ſentire hoc poſsim⁹, illud uerò moderati⁹ ferre. Tria cōmemorat Petrus , primò prudentiā,qua pręditi eſſe debem⁹,ſecũdò orationē, quam erga Deũ,& tertiò charitatē,quā erga proximum declarare cōuenit.Hiſce tribus carere neutiquā poſſumus. Etenim primò,quia bona à Deo,& malũ à mundo expectare habem⁹, rectè docemur prudētes eſſe ac ꝓuidi,& hinc atq; hic circũſpicere,ut ſciamus quid nobis datum ſit,inquit Paulus. Pluri mũ enim noſtra refert ſcire,quid cũ à Deo,tũ à mundo expectari poſsit: qui utrũuis nouerit, alterum nō terrebit eũ:qui nō utroq; reſpicit,facilè eò deuenire poteſt , ut aut plus ni-

Heb.12.

mio fiat animosus, aut præter modũ aío frangatur. Proinde necessaria admonitio est, qđ Petrus dicit, Estote prudentes: perinde ac si dicat: Haud temerè factũ est, quòd Christus uobis crucẽ à mundo, & cõsolationẽ Spiritus sancti simul denuntiauit. Vtrũq; diligẽter cõsiderate, quid uobis boni deferatur, & quid mali impendeat: hęc uera est prudẽtia, uigilare & ꝓspicere. Nã quod homini uigilãti accidit, nõ perinde illũ terret, ac si in somnis, & præter expectationẽ eum opprimeret. Quisquis igitur à mundo non uult penitus supprimi, aut nimiũ animo cõsternari, is prudens sit & prouidus. Porrò qui diuinę cõsolationis capax esse cupit & fieri, oratione eã quærat oportet. Vigilate in orationibus, inquit Petrus: est enim istud uerũ & certum mediũ per qđ Dei gratiã & auxilium cõsequimur. Cęterum nõ simpliciter uult Petrus ut oremus, sed ut uigilemus in orationib⁹: nã frigida, somniculosa indeuota oratio nõ penetrat ad cœlũ. ꝙ si orationi adiũgimus charitatẽ, tãtò magis ꝓspectum nobis est, ne possit nobis mundus nocere, & certi sum⁹, Deũ nõ deserturum nos: nec tamẽ uulgarẽ orationẽ eã esse oportet, sed duabus hisce ꝓprietatibus insignitã, ut sit uidelicet mutua & cõtinua. Primo, ut nos mutuò diligamus, sicuti Iohãnes docet, & Christus ipse, Ioh. 15. Secundò, ut honore inuicẽ pręueniamus, ut Paulus docet. Tertiò, ut nobis inuicẽ auxiliemur: nã frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Quartò, ut mutuis officiis nobis inuicẽ ministremus, prout quisq; accepit gratiã à Deo, ueluti Petr⁹ docet. Quintò, ut nos inuicẽ in charitate corripiamus, ut Christus docet. Sextò, ut ꝓ inuicẽ oremus, secundũ Iacobi doctrinã. Hæc est mutua charitas, quæ
Rom. 10. à me ad aliũ cõmeat, & ab alio ad me redit. Sed hanc continuã quoq; esse oportet, ne ad tẽpus tãtùm duret, sed ut sit assidua & sempiterna. Hęc gratiã & cõsolationẽ Spiritus S. in nobis cõseruat, hęc nobis oĩa leuia facit, quę alioqui grauia & intolerabilia essent. Hãc charitatẽ ubi habuerimus, consolatio Spiritus S. nunquã nobis deerit. Est enim fidelis Deus, nec sinit tẽtari nos supra uires nostras, sed ꝑ tribulationẽ nostrã quoq; ꝓcurat utilitatẽ nostrã & liberationẽ. Hęc bono Christiano circa hodiernũ Euangeliũ & Epistolã cõsiderãda sunt, maximè his prauissimis tẽporibus, qbus nihil nõ malorũ in dies magis ac magis inerudescit. Hoc studiosius ex sacris literis remedium diuinæ cõsolationis quęrere debem⁹, quinimò tãtò ꝓuidẽtius agere debemus, tãtò ardẽtius orare, tam

re, tanto firmius in charitate persistere. Deus Opt. Max. nobis omnibus suam largiatur gratiam, Amen.

TERTIVS SERMO DE *prima parte hodierni Euangelij.*



HODIERNVM istud Euãgeliũ, si ordinẽ aspiciemus iuxta Iohãnis narrationẽ, pręcedit Euãgelia, quæ tribus ꝓximè elapsis dominicis habuimus: cęterũ peculiari de causa in hãc ultimã dominicã reseruatũ & decretũ est, eã maximè ob rē, ut sit pręparatorium ad futurum festũ Spiritus S. Nam ultima ꝓmissio quã Christus ante ascẽsionẽ fecit, est de Spiritu S. Accipietis uirtutẽ superuenientis Spiritus S. in uos, &c.

Hęc, inquã, est ultima ꝓmissio Christi, imò hæc etiã ultima illius fuerunt uerba in terris. Et quẽadmodũ ꝓmisit, ita quoq; ĩ die pẽtecostes adĩpleuit. Quia uerò ꝓmissio illa nõ parum nostra refert, & Christianus orbis nihil maius nihilq; melius unquã accepit, quàm cũ ꝓmissio hęc cõpleta est: potest ꝓfectò Christian⁹ homo hodierna Dominica (quę inter ꝓmissionẽ & missionẽ Spiritus S. incurrit) nihil meli⁹ facere, q̃ ut illã ꝓmissionem de Spiritu S. denuò sibi ꝓponat & cõsideret. Hinc enim futurum est, ut ubi audierit ꝓmissionẽ impletã, tãtò magis admiretur, tãtò pleni⁹ gaudeat, & Deo tãtò humilius gratias agat. Hunc in finẽ Euangelium illud ĩ hodiernã ultimã dominicam reseruatum est. Siquidem illud promissionem de Spiritu sancto magnificè admodum indicat & denuntiat, maximè in principio, ubi Christus sic ait, Cum uenerit Paraclẽtus, quem ego mittam uobis à Patre, Spiritum ueritatis, qui à Patre procedit: ille testimonium perhibebit de me. Hũc in modum loquitur hìc Christus de Spiritu sancto. Atque hæc uerba aliquanto accuratius uestigabimus. *Ioh. 15.* Principiò certum est, Christum hæc & similia cõsolatoria uerba propterea dixisse, ne sancti Apostoli nimiũ exanimarentur ad uerba, quæ iã partim dixerat, partim adhuc dicturus erat de illorum persecutione futura. Nã ut De⁹ credentibus suis, si quid effuse nimis gaudent, tẽperat tristibus, ne effręnes nimiũ & insolentes fiant: ita si quid præter modum triste habẽt, lætis tẽperat, ne desperẽt: natura enim nostra neutrũ horũ ferre potest, neq; lęta nimis, neq; nimis tristia. In lætis, animo nimiũ efferimur, in tristibus autem nimiũ deiicimur. Quod autem Christus Spiritus sancti toties

meminit, id factũ est propterea, quòd illo plurimis in rebus opus habemus. Sed quòd etiã hoc loco, ubi de persecutione Apostolorũ loquitur, Spiritus sancti mẽtionẽ facit, ideò fit, quòd tẽpore afflictionis Spiritu sancto omnium maximè indigemus. Alioqui enim sustinere nõ possemus, quia fortitudo nostra nõ est lapidũ fortitudo, ut Iob loquitur. unde & Christus ad Petrũ dicit, antequã Spiritũ sanctum accepisset, Non potes me modò sequi. Ea ipsa de causa pręcipiebat Christ⁹ suis discipulis Hierosolymis ne discederẽt, donec de supernis confirmati essent. Cognouit hoc multo ante Dauid, ubi

Acto. 1. inquit: De⁹ refugiũ meũ & uirtus, adiutor in tribulationib⁹.

Luc. 24. Secũdò propterea quoq; Spiritus sancti hoc loco fit mẽtio, Apostolis ad solatiũ, in ipsorũ munere prædicandi, alioqui dicere potuissent: Si tua uerba, ô domine, quæ prorsus ignea sunt, & cor penetrant, mundũ eiúsq; filios nõ permouerũt, quo pacto nos frigidis nostris uerbis illos permouebimus & cõuertemus? Et si tu tantis miraculis nõ potuisti illis persuadere, quomodo nos uerbis nudis persuadebimus? Quorsum igitur attinet nos ad prędicandũ amandari? Vide, propterea promittit illis Spiritũ sanctũ, ut qui uerba illorũ ignea facturus, & eorũ doctrinã ꝓdigiis esset cõfirmaturus.

Tertiò, ꝙ Christus simul atq; cõtra ingratitudinẽ Iudęorũ dixerat, Spiritus sancti meminit, manifestò arguit, Dei bonitatẽ malitia humana lõgè maiorẽ esse, & Iudęorũ incredulitatẽ nostrã salutẽ nõ potuisse impedire. Quid enim (inquit

Rom. 3. Paulus) si quidã illorũ non crediderũt? Nũquid incredulitas illorũ fidẽ Dei euacuauit? In hodiernũ usque diẽ cõperimus, quorundã hominũ malitiã non impedire charitatẽ, qua De⁹ suos fideles ꝓsequitur. Aduerte autem, q̃ sapiẽter æterna sapiẽtia Dei Christus, hoc loco loquat. Etenim primò priusquã de testimonio Spiritus sancti dicat, illius describit personã, ne quis testimoniũ huius spiritus uilipẽdere posset; nam quãdo personã illius intuemur, à Deo exit & est Deus. Rogas, nũ etiã satis locuples sit testis? inquit Christus, eum esse spiritũ ueritatis, Veritas autem mẽtiri nõ potest, aut fallere. Rogas, quã illius testimoniũ habeat uim ac efficaciã? Est cõsolator (inquit Christus) hoc est, nõ in aurẽ, sed in cor loquitur: eius testimoniũ nõ consistit in uerbis, sed in uirtute. Ad hęc quoq; nõ mediocre argumentũ illud est diuinę sapiẽtię in Christo, ꝙ singulis prope uerbis hęresim seu errorẽ iugulat & ꝓsteruit. Nã primò, dũ dicit, Paraclętus, quẽ ego mit-

tū uobis à Patre, clarissimè indicat, Spiritū sanctū non solū à Patre, uerū etiā à filio procedere, cōtra errorē Græcorum. Secūdò, quod dicit, Ego mittā eū uobis, rursus palàm ostendit, eū eiusdē esse substātiæ cū Patre, cōtra Arrium: nā quod ex Deo ꝓficiscitur, hoc ipsum Deus est, cæterū creaturę non sunt ex substātia & natura Dei, sed ex nihilo factæ. Obserua autē, Christū, ubi de Spiritu sancto loquitur, aliter multò uerba sua ponere, quàm ubi de seipso loquit. De seipso enim dicit, Exiui à Patre, & ueni in mundum, in pręterito: de Spiritu sancto uerò loquitur in præsenti: nō dicit, exiuit à Patre, sed exit à Patre. Nō abs re autē modo tam dissimili loquitur. Nā cum hęc uerba diceret, iā processerat tanquā spōsus de thalamo suo, factus homo uisibilis, qui antea inuisibilis erat Deus: at Spiritus sanctus nondū datus erat, nōdū enim clarificatus erat Iesus. Nūc uerò appropinquāte passione Christi, tēpus erat, ut etiā Spiritus sanctus à Deo exiret. Ego rogabo patrē (inquit) & aliū Paraclētum dabit uobis. Secundo, Christus filius Dei iādudū exiuerat & uenerat ad domū & tēplū Ecclesiæ ædificandū. Hunc in modū nō nisi semel exiuit. Spiritus sctūs prioribus tēporibus exiuit, exit etiādū, & exibit usq; ad finē mundi ad domū Ecclesię sanctificandā, & illuminandā ornandāq;, quò Deus in ea habitare possit. Tertiò, quia Deus oīa uno tēpore & simul creauit per uerbū suū, & in posterum nihil amplius noui creat seu facit, meritò de filio dicitur ī præterito, eū à Patre exiuisse. Spiritus sanctus autē semper & omni tēpore it in creaturas ratione imbutas: nā absq; quotidiani illius egressu, imbecillitas humanę naturę subsistere nō posset, quēadmodū nec Luna absq; solis lumine nō splendet. Et quāquā honesta & beata societas sctōrum angelorū, semper est instar plenæ lunę, ita ut nec augeatur nec imminuatur: at ecclesia & Christianitas huius tēporis, nō in eodē semper statu permanet, sed interdū bonis contēplationibus attollitur, & splēdet in morē plenę lunę, interdū autē tribulationū & afflictionū nubibus obscuratur, & debiliter admodū splēdet. Hactenus de persona Spir. sctī. Sub hęc ꝓgit Christus dicere: Spir. sanctus testimoniū phibebit de me: intellige, ꝙ ego uerus Messias seu Christus & filius Dei sum. Hoc primū uobis & oībus credentibus cordibus inscribet. Deinde etiā signis manifestis toti orbi indicabit & palā faciet. Etenim primò, uobis qui nunc omnino meticulosi estis & trepidatis, inuictū robur indet:

Ioh. 16.

Ioh. 7.

Spiritus sancti perpetuus exitus.

Vt spiritus sanctus testimonium sit perhibiturus de Christo.

uobis qui mō indocti & idiotę eſtis exactā dabit cognitionē ſcripturarū:uobis q in una duntaxat lingua educati eſtis, dabit loqui oībus linguis:uobis qui eſtis homines,uirtutem

Act.1. impartiet diuina edēdi miracula. Hunc in modū Spiritus ſanct' uniuerſo orbi teſtimoniū de me perhibebit,ut nemo dubitare poſsit,quin Dei ſint opera, & ego ſim unicus Meſſias ſeu Chriſtus. Adhęc,oīa,quæ ego uel dixi,uel feci declarabit,unde clariſsime in lucē ueniet mea bonitas, & mundi ingratitudo,quin etiā obſtinata illius malitia. Poſtremò,docebit quoq; & indicabit,nihil in me factum eſſe, qđ ueteres

Obſeruanda I. Prophetæ nō apertè pđixerint. At hic obſerua,qđ quēadmodum Spiritus S.cū in cordibus credētium, tū corā mundo teſtificatus eſt,& adhuc teſtificatur de Chriſto,ad eū modum.quo nunc dictū eſt,ita etiā nobis internè teſtificat,nos

Rom.8. Dei filios eſſe, extimè uerò ēt teſtimoniū nobis perhibet p ſpectatā uitæ cōuerſationē, dominū Deū uerè in nobis degere. Atq; hic interim nobis oſtenſum eſt, ꝙ tametſi uerba & opera Chriſti grauia de ipſo teſtimonia ꝑhibēt,eſt tamen ſpiritus S.efficaciſsimus & certiſsimus teſtis de ipſo:nā abſ-

Spiritus ſanctus efficaciſſimus teſtis Chriſti. que ſpiritu S.nos neq; uerba neq; opera permouerent,imò abſq; illo nemo neq; verba neq; opera Chriſti ꝓ dignitate æſtimare pōt. Sed qui ſpiritū ſanctū habent,ij uerbū Dei ſimul & opus magnifacere norūt, quēadmodū in Petro uidemus,ubi ait,Domine quò ibimus?uerba uitę æternę habes.

Ioh.6. Præterea certa eſt confirmatio,& incōcuſſum fundamentū noſtrę fidei,ꝙ filius hominis.Chriſtus in quem credimus,tā

1.Ioh.5. illuſtria habet teſtimonia. Quoniā tres ſunt qui teſtimoniū dāt in cœlo:Pater,uerbū & ſpiritus S.Pater operibus, filius uerbis,ſpiritus ſanctus diſtributione omnium donorum ac gratiæ. Ob hæc gloriari de fide alacriter poſſumus,ob hæc ſpes noſtra cōfidēter ſeſe erigere debet,noſtra charitas ue-

Obſeruanda II. rò his rebus gaudere. Sed unū adhuc obſerua, ꝙ quēadmodum hæc præclara & manifeſta teſtimonia de Chriſto, nos p oīa exhilarāt & cōfirmāt, ita etiā incredulis oēm excuſa-

In incredulos. tionē adimūt:qđ enim īcredulitati ſuæ prætexēt?uerbū Dei audiuerūt,& adhuc audiūt. Opera Dei uiderūt, & uidēt adhuc,ſpiritū S.manifeſtè ſenſerunt,& etiādum ſentiunt. Qui enim apoſtoli tā ingētia præſtare & facere potuiſſent?Quo pacto ſancta Eccleſia tā diu ſubſiſtere potuiſſet i tā multiplici pſecutione & errore,quē diabolus iā inde ab initio cōtra eā excitauit,niſi p ſpiritum S.cōſeruata cōfirmatáq; fuiſſet?

Quap

Quapropter mũdus cũ suis nullo colore sese excusare poterit. Si nõ uenissem (inqt Christus) imò si opera nõ fecissem in eis quæ nemo alius fecit, haberẽt quod prætexerẽt, nunc aũt excusationẽ nõ habẽt, qa uiderũt & oderũt. Pergit Christus dicere ĩ hodierno Euãgelio: Et uos phibebitis testimoniũ. Hoc addit, ne qs sibi ipse psuadeat, se spiritũ S. habere citra externũ Dei uerbũ. Secũdò p hoc docet spiritũ S p externũ uerbũ prædicationis tãq̃ p uerũ suũ mediũ dona sua partiri, & exequi in nobis sua opera. Tertiò ĩdicat nobis p hoc, nos quoq; nostris fungi partib⁹ oportere ad salutẽ nostrã: nõ enim spiritus S. opera sua in nobis pficit, sed cooperari nos simul oportet, & nõ otiari. Quod autẽ Christus tã exertè dicit de suis apostolis, illos fore ipsius testes, ĩnuere p id uoluit, eos p spiritũ S. immutatũ iri: nã talia alioqui facere quî potuissent? Voluit deinde etiã p hoc docere, quomodo cõstituti apud seipsos esse deberẽt. Multa siquidẽ ptinẽt ad testem. Nimirum primò, ut sciat & nõ opinetur: Secundò, ut ueritatẽ cõstãter pfiteatur: Tertiò, ne ob uitę notã reprobari possit. Atq; his apostolos tacitè monuit, ut diligenter aduerterent, quò postea certius testimonium dare possent. Hæc omnia nobis pariter dicta sunt, & maximè q prædicãt, ij certa doctrinæ suæ decreta habere debent. Et quod certo sciunt hoc intrepidè testari debẽt, neminẽ uerentes, interim uerò ita etiã uiuere, ut eorum prædicatio & testimonium ob uitã illorum sceleratam reiici nõ possit, qa ab initio mecum estis (inquit Christus ultimo) atq; hoc asserit apostolis ipsorum authoritatem & existimationẽ contra eos, q dicunt, apostolos homines fuisse. Secundum naturam utiq; homines fuerunt, & homines mãserunt, cæterum suo uerbo Christus illos fortes ac potentes fecit. Tum etiam ab initio apud Christum fuerunt. Ideò cõfidenter dicere potuerunt, Quod audiuimus, quod uidimus, & quod manus nostræ contrectauerunt, annuntiamus uobis, &c. Et iterum, Manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Et rursus, Non indoctas fabulas secuti, notam fecimus uobis Domini nostri Iesu Christi uirtutem & præscientiam, sed speculatores facti illius magnitudinis, cùm acciperet à Deo patre honorẽ & gloriã, uoce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria, &c. Tãtò securius possumus sanctis apostolis fidẽ habere in ipsorum testimoniis de Christo: Deus det nobis omnibus suã gratiã. Amen.

Ioh. 15.

Vos perhibebitis testimoniũ, quare additũ.

Cooperari nos oportet cum spiritu sancto.

Prædicatorũ munus.

1. Ioh. 1.

Acto. 10.

2. Pet. 1.

QVARTVS SERMO DOCET, *cur Christus Spiritum sanctum toties promiserit.*



IN hodierno Euágelio Christus rursus loquitur de Spiritu sancto, promittens eum suis discipulis denuò, & nouũ opus illis denuntiãs, quod is apud illos executurus esset. Apprimè obseruandũ, quòd Christus in ultimo suo sermone toties de spiritu sancto dicat: est enim præcipuũ hoc, quo suos discipulos cõsolatur. Vtpote primò dicit ad illos,
Ibidem. Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo patrẽ, & aliũ paraclétũ dabit uobis, ut maneat uobiscũ in æternũ.
Ioh. 16. Paulò post iterũ dicit, Paraclêtus, spiritus sanctus quẽ mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, &c. In se-
Ioh. 15. quẽti cap. dicit, Si nõ abiero, paraclêtus nõ ueniet ad uos. Hic dicit, Cùm uenerit paraclêtus, quẽ ego mittã uobis à patre, spiritũ ueritatis q à patre ꝓcedit: ille testimoniũ ꝑhibebit de me. Aliis in locis, & pręter hunc ultimũ sermonẽ, spiritũ sanctũ quoq; ꝓmisit, quãquã tectis uerbis, ut cũ ad mulierẽ Samaritanã diceret, Qui biberit ex aqua quã ego
Iohan. 4. dabo ei, nõ sitiet in æternũ. Hic indubiè de spiritu sancto locutus est. Sic ubi ait, Si quis sitit, ueniat ad me & bibat, in-
Iohan. 7. quit Iohãnes. Hoc dixit de spiritu quẽ accepturi erant credẽtes in eũ. In ascẽsione similiter ultima uerba erãt quę dicebat, Accipietis uirtutem superuenientis spiritus sancti in uos &c. Vide, toties Christus de spiritu S. prædicauit, eúmq; promisit, id quod haud temerè factũ erit. Nã ubi Christus
Actor. 1. Dei uirtus & sapientia loquitur, nõ agitur de nihilo. Rogas itaq; quę fuerit causa, ꝙ Christus in ultimo adeo sermone toties & ꝓpè ab initio ad finẽ usq; de spiritu S. locutus sit.

Causæ cur Christus in ultimo sermone toties de spiritu sãcto dicat.

I. Primũ, id ideo factũ est. Deus in Prophetis multifariã ꝓmiserat, & pręcipuè in Ezechiele & Iohele, se effusurũ spiritũ S. sup homines. Hoc Iohãnes de Christo interpretatus erat, attamẽ nõ ꝓprio iudicio, sed ex diuina reuelatione. Qui mi-
Eze. 36. sit me baptizare (inqt) ille mihi dixit, Sup quẽuideris spiritũ
Ioel. 2. descẽdentẽ & manentẽ sup eũ, hic est, qui baptizat in spiri-
Ioh. 2 tu S. Et iterũ: Ego in aqua baptizo, hoc est, baptismus me*,

Differentia Iohannis et Christi. prędicatio & negotiũ meũ est aqua, frigidũ & tepidũ, nõ habẽs uim aliquã aut energiã, sed speciẽ dũtaxat. Sed hic, nẽpe Christus rẽ aliter geret: is est agnus Dei qui tollit peccata mundi

ta mũdi, is baptizabit uos in spiritu S.& igni:apud illũ merus spiritus & ignis,mera potestas & uis erit atq; efficacia. Hoc Iohãnes de Christo dicit ĩ ipso statim ĩitio. Apostoli aũt nihil tale adhuc uiderãt. Si itaq; hoc pacto ab illis discessisset, nullã faciẽs spũs S.mẽtionẽ,dubiũ suboriri potuisset, is esset nécne,de quo pphetæ oracula pdiderãt,qnimò cogitare qs potuisset,Iohãnẽ i psona hallucinatũ fortè,aut fortasse fauoris ac gratiæ emerẽdę causa tã magnificè de Christo locutũ eẽ. Quę res nõ solũ Apostolis,uerũetiã oĩb⁹ credẽtib⁹ erroiẽ & offendiculũ peperisset. Vide,ppterea Christus postremũ toties & tã serio de spiritu S.locut⁹ est,pindè ac si dicat, Vos mei apostoli,discipuli & fideles,nõ moueat uos,q nõdũ uidetis ĩpletũ,qđ pphetę atq; etiã Iohãnes de effusiõe spũs S.dixerũt:nõdũ fuit tẽp⁹, sed breui & qdẽ certò fiet,imò nũc ĩ ipo adeò opere sum. Recõciliãd⁹ Deus primũ cũ hoie est,prius illi satisfaciat p pctĩs hominũ necesse est,prius mur⁹ inimicitiarũ destruẽu⁹ est quàm tale donũ effundat,ideóq; nũc ĩ mortẽ cõcedo,ut satisfaciã patri p uestris pctĩs,quo facto,mittã ego uobis spiritũ S. tũ eũ certò accipietis,tũ ĩ spiritu & igni baptizabimini,tũ ĩduemini fortitudine de supnis. Tũ ĩplebit,qđ ueteres pphetę simul & Iohãnes de me dixerũt. Vide,hæc causa una est,cur Christ⁹ ad extremũ tã multa de spiritu S.locut⁹ est. Necessariũ hoc cũ primis fuit,alioq enim(ut modò dictũ est)etiã apostoli dubitare de Christo potuissẽt,cõtrà uerò Iudęi ĩ sua icredulitate primũ cõfirmati fuissẽt,& tãtò plus occasiõis habuissent Christũ repudiãdi,ut q nõ ĩpleuisset aut ĩplere posset,qđ pphetæ de Messia dixerũt. Sed(laus Deo)Christ⁹ cùm ĩ hoc, tũ ĩ cæteris egregiè soluit fidẽ,uerbis pariter & factis: q̃ clarè ante passionẽ suã spiritũ S.pmisit,tã certo illũ postea effudit,atq; ita ut id oĩbus Hierosolymitanis palã fieret,quẽadmodũ ĩ die pẽtecostes audietis. Altera causa,ob quã Christus ĩ ultimo suo sermõe tã multa de spiritu S.loqtur, ex hodierno Euãgelio desumi pōt. Enimuerò apostolis res erat ĩ acie nouaculæ,qđ aiũt,& crux ĩ forib⁹,nec uniusmodi crux. Absq; synagogis faciẽt uos(ĩqt Christus) sed uenit hora,ut oĩs q iterficit uos,arbitretur obsequiũ se pręstare Deo. Vide, hic geminas cruces habes eásq; omniũ grauissimas. Pellẽ p pelle(dicebat diabolus ad Deũ,quũ pmittẽte Deo sanctum Iob oĩb⁹ facultatibus & possessionibus priuasset,eásque pdidisset fundit⁹)nõ res illi cordi est,nõdũ curat,nõdũ

Coloss.2.

Luc.24.

Acto.2.

Secunda causa.

Iohan 16.

Iob 2.

uerum tetigisti illi locũ, libẽter quæ habet homo dat, quo uitã & incolumitatẽ redimat, sed tãge os eius & carnẽ, & tũc uidebis ac cognosces ĩgeniũ eius, &c. Graue q̃dẽ est spoliari aliquẽ oĩbus facultatibus ac bonis, attamẽ libẽter oĩa negligit, modò corpus & uitã saluã retineat, at ubi etiã corpus simul & uita in dubiũ uocatur, tũ demũ crux grauis est. Atq; hoc Christus denũtiat suis discipulis. Adeò auidi, inq̃t, erũt necis uestræ. adeò nihil pẽsi habebũt, adeò nõ refugiẽt, ut arbitraturi sint, se Deo præstare obsequiũ. Et præter hæc omnia calũniabũtur uos, & indignos iudicabũt aliorũ hominũ cõmercio. Hoc maximũ est, hoc intima quærit, graue est dolorẽ ꝑpeti, terribilior mors est, ast bono ꝓbrũ & ignominia omniũ grauissima. At enim discipulis utrũq; in foribus erat, crux pœnæ & ignominiæ. Quid autẽ illos cõsolari in his oĩbus melius poterat, q̃ spiritus S. Vide, hæc iã est altera causa, quãobrẽ Christus toties de spiritu S. locutus est in ultimo suo sermone. Tertiò, sancti apostoli Euãgeliũ prædicare in uniuerso orbe terrarũ, diaboli regnũ dissipare, & re-

Tertia causa. gnũ Christi plãtare debebãt, & uocare ĩ id oẽs mortales. In

Marc.16. hoc eos apostolos fecerat. Sed quę spes ita magnoperè esse poterat de ĩdoctis & obscuris piscatoribus, illos aliq̃d efficere posse cõtra oẽs sapiẽtes huius mũdi? Quid hoĩes cõtra prĩcipẽ huius mũdi possẽt? Imò q̃d externa prædicatio sola efficeret, nisi Deus uirtutẽ & efficaciã de supernis mit-

1.Cor.3. tat? Vide, ad rẽ hãc etiã opus habebãt spiritu S. Vos testimoniũ ꝑhibebitis, sed spiritus S. in primis, inq̃t Christus: nã hic nisi eẽt, & uobis plus faceret, parũ uos ꝓfecturi essetis. Testimoniũ uocis & scripturæ aliq̃d facit, si tamẽ adsit spũs S. cęterũ ubi uox & litera sunt absq; spiritu S. opera ꝑdit. Hoc experiebãtur ꝓphetæ in suo populo, & Christ' ĩ Iudæis. Sat scripturarũ, sat ꝑdicationũ ĩculcabãt populo, q̃a uerò nõdũ

Iohan.15. mãsionẽ habebat spũs S. ĩ cordib' populi fidelis, neq; ꝑdicatio, neq; scriptura ulla eorũ aĩs hærebat. Idẽ in nobis quoq; apparet: nõ desũt nobis scripturæ, nõ cõciões, sed spũs desiderat, itaq; neq; multa ꝑdicatio, neq; multa lectio ĩ nobis

Spiritu sancto triplicter op' habemus. fructũ facere põt. Proinde uidemus, Christũ nõ temerè tã diligẽtẽ de spiritu S ĩstituisse sermonẽ Discemúsq; hinc, nos spiritu S. triplici ratiõe opus habere. Primò, ut cõfirmemur

I. in fide: Secũdò, ut expediti fiamus ad omne bonũ, quisq; in

II. suo statu. Tertiò, ut corroboremur & solatiũ habeamus in

III. cruce & ĩ tribulatione. nã si spiritũ amittimus aut nõ habe-

mus,

mus facilè fluctuamus in fide, nō pſiſtimus in afflictione, ſi-músq; inepti, pigri & difficiles ad omne bonū, unde fit, ut nihil efficiamus. Eia ergo, ſi ueri ſumus Chriſtiani, hæc uerba Chriſti nō uēto trademus, ſed ſemp rogabim' gratiā, robur & cōſolationē ſpiritus S. oēm adhibebimus diligētiā, ut illū ſpūm S. in múda uaſa, & pura corda recōdamus, uſq; in finē in nobis cōſeruemus, & ipſius impulſui p oīa obſequamur. Ad qđ cū primis nos mouere debet, qđ Chriſtus alio ī loco dicit, Ego rogabo patrē, & aliū paraclētū dabit uobis, ut maneat uobiſcū in æternū. Hæc uerba (inquā) pmouere nos debēt, ut ſpiritū S. cū donis eius ac uirtutibus tāto diligētius quæramus. Etenim hìc audimus, Chriſtū hac in parte feciſſe p oīa fidi parētis in morē. Hic nō cōtētus eſt, liberis ſuis hæreditatē, & qcquid bonorū habet, dare & relinquere, ſed tutores illis inſuper cōſtituit, q liberis hæreditatem tueantur, donec ad iuſtā æquitatē pueniāt, atq; eis patrocinentur, ſi qs alius bona ſibi aſſerere uelit: itidē & Chriſtus fecit, nobis filiis ſuis nō ſolū hæreditatē ſuā omniáq; bona in teſtamēto ſuo reliquit, uerūetiā ſpiritum S. nobis tutorē pmiſit ac dedit, q hæreditatē illā nobis cōſeruaret, ne eius iacturā faceremus: alioq enim, qa diabolus ſemp nobis inſidiatur, facilè æternā noſtrā hęreditatē amittere rurſus poſſemus. Idcircò indicat nobis Chriſtus in his uerbis, quod quāquā à Deo patre creati, & à Deo filio corporaliter uiſitati & redēpti ſumus, nihilo tamē ſecius opus habemus ſpiritu S. Hinc cōſolationē nominat nō ppterea ſolū, φ filios ſpōſæ, ſanctos apoſtolos, ob mortē & diſceſſum illorū patris Chriſti, uero intellectu ſacrę ſcripturæ cōſolatus eſt, ſed ideò etiā, ut credētes certos redderet, ceu uerū pignus, eos eſſe filios Dei, & quòd clamat ī nobis ad Deū, Abba pater, & φ credētes aſsiduè cōſolat in eorū tribulationibus. Atq; hìc attēde, cū primò uocari cōſolatorē. Nā priuſquā Chriſtus pro nobis in ſuā paſsionē iret & mortē oppeteret, nō fuit uerum & plenum ſolatiū apud mortales: at nūc poſteaquam Deus p mortē Chriſti reconciliatus eſt, meritò cōſolator nominatur, quia priorem illam triſtitiam nobis exemit, & per nouam regenerationē ex filiis iræ filios gratiæ, ex ſeruis peccatorum, ſeruos iuſtitiæ, & ex filiis mortis, filios æternæ uitæ fecit. Obſerua deinde, quòd Chriſtus expreſſe dicit, Deus paraclētum hunc uobis dabit, cauſam ſubiungens, quia mundus non poteſt eum accipere, quia

Iohan. 14.
Matth. 9.
2. *Cor.* 1.
Rom. 8.
Obſeruanda.
I.
II.

nõ uidet eũ, nec scit eũ. Verissimũ hoc est, etenim mũdi cultores, quia peculiare suũ solatiũ habẽt, & in rebus turpibus gaudẽt seseq; oblectãt, huius cõsolatoris capaces nõ sunt, siquidẽ diuinæ cõsolationis ij solũ hoĩes capaces sunt & digni, qui lugẽt, & tristãtur. Aduerte tertiò, ꝙ Christus duabus uiis præsentiã sancti spũs suis fidelibus ꝓmisit. Primò ut cũ ipsis maneat, nõ ad tẽpus solũ, sed in æternũ. Secũdo, ut etiã in illis sit, intellige, per spãlẽ gratiã. Est itaq; spiritus sanctus nobiscũ, & perseuerat apud nos, hoc est, in sanctã Christianitate, idq; omni tpe seu æternũ. Enimuerò in Ecclesia nũquã nõ inuenitur remissio peccatorũ, quã operatur spiritus sanctus, atq; hac rõne nunquã deserit Ecclesiã, quin per uerbũ Dei & Sacramẽta remissionẽ peccatorũ conferat ac operetur. Prætereà uerò est in unoquolibet fideli speciatim per suã gratiã, uerũtamẽ nõ semp. Nã in nullo homine perpetuò manet, præterquã in uno Christo, super quẽ spiritus sanctus cœlitus uenit ac mãsit, alioqui abscõdit se etiã quandoq; à bonis, sed tamẽ redit, si illũ oratione seu laude Dei quærãt iterũ & inuitẽt, ut est uidere in Heliseo. Ex his igitur uerbis liquet, credẽtes esse uerũ & germanũ tẽplũ spiritus S. & sanctã Christianitatẽ in cõmune uirtutẽ ac robur tã diu subsistẽdi, nõ aliũde habere, quàm ex pręsentia Spiritus S. Hoc nos mouere debet, ut dixi, ad tãtò ferueñti⁹ orãdũ, ut spiritũ sanctũ accipiam⁹. De⁹ nobis suã largiat̃ gratiã, Amẽ.

Prou. 2.
Diuinæ consolationis qui capaces.
Matth. 5.
III.
Spiritus sanctus nunquam deserit Ecclesiam.
Spiritus sanctus quomodo in quolibet fideli speciatim.
Iohan. 1.
4. Reg. 1.

QVINTVS SERMO COMPONIT *hodiernam Epistolam & Ecclesiæ orationes cum Euangelio.*



RAETER iam dictũ Euãgeliũ, in quo Christus suis discipulis uarias & maximas tribulationes denũtiat, hodie ex Epistola S. Petri huiusmodi admonitio lecta est. Estote prudẽtes: & uigilate in orationibus. Ante omnia aũt mutuã in uobismetipsis charitatẽ cõtinuã habẽtes: quia charitas operit multitudinẽ peccatorũ, &c. Hæc uerba nobis hodie iuxta Euãgeliũ pręlecta sunt ex diuo Petro. Sup hęc duo Ecclesia hũc in modũ orat, Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semp & deuotã gerere uolũtatẽ, & maiestati tuę syncero corde seruire. Hãc precãdi formã nos hodie docet Ecclesia. Elegãs cum primis & uerè Christiana est oratio, & quæ omninò quadrat ad hodiernũ Euangeliũ & Epistolã, & ita,

1. Pet. 4.
Precatio Ecclesiæ.

ita ut nō dubitē, quin qui hæc tria cōponat, fateri cogatur, ordinari melius nō potuisse, omnibus quidē modis, id qđ paucis ostēdā, daturus bono cuiq; Christiano occasionē rē altius cōsiderādi. Tria Christus facit in hoc Euāgelio. Primò, ꝓmittit spiritū sanctū, sub hoc mox suis Apostolis & credētib⁹ afflictionē & crucē uēturā denūtiat: at interim quoq; docet, utraq; hæc, hoc est, missionē spiritus sancti, & persecutionē Apostolorū tādē ad gloriæ suæ illustrationē seruitura. Spiritus sanctus testimoniū perhibebit de me, inquit, & uos testimoniū perhibebitis. In his tribus summa istius Euāgelij posita est. His hodierna Epistola & Ecclesiæ oratiōe nihil esse pōt accōmodatius, ita ut peculiari studio in hoc uideanť instituta. Etenim primò, qđ iustius ad ꝓmissionē spiritus S. pertinet, quàm qđ Petrus dicit, Estote prudētes, uigilate in orationibus, mutuā inter uos habere charitatē. Hæc qppe erāt, qbus sancti Apostoli utebātur, postquā illis Christus iā iam cœlū repetiturus. qnimò ea ipsa hora aduētū spiritus sancti ꝓmiserat, præceperatq;, ne quòquā discederēt, donec ꝓmissa præstita essent. Hæc cùm audirēt, & Christus iā terras reliquisset, essetq; ablatus ab eorū oculis, cū primū Hierosolymā reuertebātur, orationi sese dedebāt, pseuerabantq; in ea tantisper, donec eos etiā aduētus spiritus sancti in oratione opprimeret. Quid autem rogare melius potuerūt, quàm deuotā uolūtate, diuinæ maiestati cū syncero corde seruiendi? An nō aūt uidetur hoc tibi cōgruere cū eo, qđ nos Ecclesia hodie docet orare, & Petrus facere iubet? An non est hoc prudēté & prouidū esse uigilasse in orationibus, uerā seruasse charitatē, deuotā exhibuisse uoluntatē; & diuinæ maiestati syncero corde seruiuisse, qđ sancti Apostoli hoc tpe faciebāt, hominū cōsuetudinē declināntes, ipsi inter se cōiūctissime uiuentes, corda ad Deū dirigētes, &c. Atq; hoc unū est. Secūdò, quo pacto nos Christo domino nostro & seruatori, cuius mācipia & serui sumus, imò filij & cohæredes, melius & efficacius testimoniū perhibere possumus, ꝙ per id qđ Petrus facere nos iubet, & Ecclesia orare? Christus, hoc est, fides nostra etiā à nobis testimoniū requirit. Et uos testimoniū phibebitis (inquit Christus) cęterū hoc testimoniū nō nudis uerbis trāsigit, quēadmodū insanus mūdus & Saturniis lemis occupatus sibi ipsi nūc persuadet, & ab aliis persuadetur. Nequaquā, efficacius testimoniū sit oportet, ꝙ nuda uerba. Christus ipse dicit, fore aliquos qui

Iohan.15.

Actor.1.

Quale testimonium Christus à nobis requirat.

Matth. 7. qui sibi nihil nō promitteret, qđ in ipsius noīe pphetauerāt, & miracula multasq; uirtutes fecerūt, se verò illos nō agniturū, quoniā operati sint iniquitatē. Sic & Paulus suis tēporibus reperiebat, qui Christū ore confitebātur, operibus autē abnegabāt. Quod si itaq; Christo, hoc est, fidei tuæ certū & efficax testimoniū perhibere uis, ex quo uidere quiuis possit, Christū & uerā fidē in te esse, esto prudēs & uigila in orationib⁹, charitatē exerce, Deū exora, ut tibi semper deuotā & promptā cōcedat uolūtatē illi seruiendi. Hoc alterū est. Tertiò, & supra hæc omnia, quid homini Christiano qui in terris nihil aliud habet qđ expectet, q̃ crucē & afflictionem, ærūnas & miserias, quid illi (inquā) necessariū magis est, quàm qđ Petrus adeò docet & Ecclesia petere iubet: nimirū ut sibi sit prudēs & circūspectus, feruēs in orationibus ad Deū, ut à uero sanctorū cōsortio auelli se nūquā patiat, ut habeat bonā ac piā uolūtatē & affectū, ut diuinæ maiestati syncero corde seruiat, imò ut hæc oīa apud Deū quęrat & à Deo petat? His omnibus, inquā, opus habet bonus Christianus, si modò par esse uelit afflictionum procellis. Ex his omnibus, opinor, cuiuis liquere pōt, hodiernā Epistolam, Euangeliū, & ecclesiæ orationē concinnè quadrare & coniūcta esse. Reliquum erit, ut ea quoq; simul cōsideremus, nec cōsideremus tātùm, sed etiam factis declaremus. Si hæc scitis (inquit Christus) beati eritis, si feceritis ea. Si uidere possumus, qđ nobis Christus in hoc Euāgelio spiritū sanctum promittit, denūtiat nobis crucē & tribulationē, & reqrit ēt sui testimoniū à nobis, tātò ardētioribus uotis meritò gratiā spiritus sancti rogare debemus. Quod quo fiat pclarius, dictum aliud uobis ex Euāgelio Iohannis indicabo, in quo Christus de spiritu S. loquitur, sed ita, ut id nobis meritò calcar addat. Paraclētus, inquit, spiritus S. quem mittet pater in noīe meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixero uobis. Illud rursus dictū unū est ex iis, in quibus Christus spiritū sanctū pmisit, atq; hic planè talibus utitur uerbis, quæ nos meritò permoueāt ad desideriū, amorē & admirationē spiritus sancti. Eaq; pp̄ter multis eū describit Christus uerbis, quo illū à reliqs spiritibus dignoscamus ne forte falsus aliquis & mendax spiritus nobis imponat, ut Achab accidit, quē mēdax spiritus ex ore suorū prophetarum decepit. Primò, noiat Christus spiritū sanctū cōsolatorē, ut & i hodierno Euāgelio, ppterea scilicet, q absq; spiritu sancto

Quid Christiano homini necessariū sit.

Iohan. 13.

Iohan. 14.

Quare spirit⁹ sanctus multis uerbis descriptus.

3. Reg. 22.

Spiritus sanctus quare consolator uocetur.

Iohan. 10.

ſancto nõ eſt perfecta aliqua cõſolatio:is enim vnus eſt noſtra quies in labore, reforcillatio in æſtu tribulationũ, ſolatiũ noſtrũ in lacrymis, ſicuti Eccleſia de illo canit. Si itaq; cõſolari opus eſt ſpiritus S. cõſeqtur indè, eos q cõſciẽtias hominũ ad deſperationẽ adigũt, nõ loq ex ſpiritu S Sc̃to, nõ uocat illũ Chriſtus ſimpliciter ſpiritũ ſed ſpiritũ S. & meritò q̃dẽ, qa nõ tãtũ ipſe ſanctus p ſe eſt, ſed oẽs ẽt ſanctificat, in q̃bus degit, nec eſſe ſanctũ quicquam põt aut uocari abſq; ſpiritu S. quẽadmodum Eccleſia iterum de illo canit: Abſq; tuo præſidio & uirtute nihil in hoĩe eſt, nec mũdũ qc quã aut inculpabile. Hinc cõſeq̃tur, neq; illos ex ſpiritu S. loqui, q nõ ſolũ q̃d bonũ & ſanctũ eſt, nõ pmouẽt, ſed impediũt, ut faciũt illi, qui carnalẽ libertatẽ docẽt, & ſimplices à bonis operibus abducũt. Tertiò addit, Quẽ pater mittet uobis. Quibus uerbis innuit, ſpiritũ S. paternũ donũ fore, hoc eſt, tale donũ, quo illos tãtũ afficit, quos filios ſuos adoptauit. Proindè ẽt dicit in Luca: Pater dabit ſpiritũ bonũ petẽtibus ſe. Quartò itẽ apponit, Quẽ mittet uobis in noĩe meo. Triſariam hæc uerba intelligas licebit. Primò in noĩe meo, hoc eſt, ppter me & in meã gratiã uobis largietur ſpiritum. Huc ptinet q̃d paulò antè dicit: Ego rogabo patrẽ, & dabit uobis aliũ paraclẽtũ, &c. Et q̃d diu⁹ Iohãnes dicit: De plenitudine eius accepimus oẽs, hoc eſt, gratiã p gratia, hoc eſt, gratiã accepimus, eò ꝙ Chriſtus Deũ habebat ppitiũ & clemẽtem. Secundò, nil uetat, quo minus & ſic intelligas: In meo nomine mittet uobis hunc ſpiritum, hoc eſt qui meam ſequetur opinionem, & cuius dogmata cum meis concinent, imò meis incœptis coronidem addet. Aut tertiò, In meo nomine, hoc eſt, idem habebit nomen quod ego: nam quemadmodum ego conſolator ſum, ita & ipſe conſolator erit. Me miſit pater, ut ſanem contrita corda, &c. hac ipſa de cauſa ſpiritum ſanctum quoque mittet. Sequitur, Ille docebit uos omnia. Primum opus eſt ſpiritus Sancti conſolari. Alterum opus eſt, docere Docet autem ſpiritus ſanctus non externo clamore, ſed interno afflatu & illuminatione cordis: legem enim Dei cordibus noſtris inſcribit. Quia itaque non alius doctor & moderator à Chriſto Eccleſiæ datus eſt, ſequitur exinde, eos ſolum ritè doctos eſſe in rebus diuinis, qui ſpiritum ſanctum habent. Vt enim nemini exploratum eſt, quid ſit in homine, præterquàm

Quare ſpiritus ſanctus e[st] catur.

Qui docent libertatem carnis, non loquũtur ex ſpiritu ſancto.

Spiritus ſanctus donum patris.

Luca 12.

Triſariam intelligendum in nomine meo.

1.

Ioh. 14.

Ioh. 1.

Qui ſint docti in diuinis.

ſpiritus

spiritui hominis: ita rerũ diuinarũ cognitionẽ nemo habet, excepto spiritu S. Secũdò, sequitur istinc, ꝙ quẽadmodũ spiritus sanctus nũquã cessat cõsolari & sanctificare, ita nõ desinit credẽtes docere. Ob id Christus quoq; dixit, spiritũ sanctũ nobiscũ fore in æternũ. Nã pater opus suũ executus est in creatiõe, fili⁹ in redẽptiõe, cæterũ opus spiritus sancti ad mũdi usq; cõsummationẽ cõtinuabitur. Quẽadmodũ igitur spiritus sanctus Apostolos illorũ tẽpore docuit, quod eorũ scire referebat, ita postea quoq; docuit, & põt adhuc docere quos uelit, & reuelare illis quid uelit. Quapropter nemo illi hac in re tẽpus aut modũ pscribere debet. At nũc obserua & cõsidera, qualis sit spiritus sanct⁹ doctor, de quo Christus loquitur. Docebit uos oĩa. Quis enim ea unquã eruditiõe fuit, qui oĩa uel sciuerit uel docere potuerit? Hinc porrò liquet, Christianorũ artẽ & sapiẽtiã seu cognitionẽ reliquas artes oẽs pcellere, quod tamẽ mirãdũ nõ est, quippe q̃ talẽ doctorẽ habeat. Verũ quod Christus dicit, spiritũ sanctũ nos oĩa docturũ, intelligẽdũ est de iis rebus, q̃ nobis necessariæ sunt ad salutẽ: aut etiã accipi põt, de iis rebus quas docuit Christus, ut sit hæc sentẽtia, Quæ hactenus uobis dixi de meo regno, de uero gaudio, iustitia, & libertate, ea oĩa carnaliter intellexistis more huius mũdi, cæterùm ubi uenerit spiritus sanctus, is oĩa rectè docebit uos, quo pacto sint intelligẽda. Et ob id quoq; Paulus pcatur oĩbus credẽtibus spiritũ sapiẽtiæ, & reuelationis, ut sciãt q̃ sit spes uocationis eorũ, &c. Et ut corroborẽtur p spiritũ in interiore homine, ut posſint cõprehẽdere cum oĩbus sanctis, q̃ sit latitudo, & lõgitudo, & sublimitas & profundũ, &c. Nõ solùm aũt (inqt Christus) Spiritus sanctus uos oĩa docebit uobisq; manifestabit, quæ ad salutẽ uestrã necessaria sunt, uerũ etiã uobis obliuiosis hominibus in memoriã rediget, quę uobis exciderũt, quorũq; obliti estis, &c. nec patietur uos in posterũ qcquã obliuisci. imò qui hacten⁹ tardi, somniculosi, obliuiosi, tristes, terreni fuistis, faciet uos dociles, alacres, memores, lætos & cœlestes. Nõ iniuria aũt Christus suis discipulis hoc quoq; pmisit: alioq enim multa tradituri fuissent obliuioni, & maximè quę post ultimã cœnã ad illos dixerat. Tũ enim pleni erãt tristitiæ, met⁹ ac doloris, idcircò nequaquàm intelligere ea poterãt, multò minus animo & memoria complecti. Itaq; uerbum istud hanc habet sententiam, si in præterito legas, Suggeret uobis iterum quæcunq; uobis dix

Ioh. 14.

Qualis doctor sit spiritus sanctus.

Quid sit docere omnia.

Ephe. 1.

Ephe. 2.


dixi. Verũ nos in nostro textu legimus, Reuocabit uobis in memoriã, quæcunq; dixero uobis, in futuro. quã lectionem nõ improbarim. etenim Christus etiãnum loquitur ad suos electos p arcanas inspirationes, ut Dauid dicit, Audiã quid loquatur in me dominus. At Spiritus sanctus animis & memoriæ infigit nobis, quę Christus uel extrinsecus ad nos locutus est, uel adhuc loquitur. Hinc apparet, quã Christus curã & solicitudiné gerat pro sua Ecclesia & cõmunione fidelium, Spiritũ sanctũ illi impartiẽdo, à quo perenne solatium & doctrinã capit. Videmus dehinc etiã hoc loco, quantopere Spiritu S. opus habeamus. Quia enim peccatores sumus oẽs, omnes illius cõsolatione indigemus, quę nihil aliud est q̃ remissio pctõrum. Quoniã itaq; diabolus hoc unicè semp studet & molitur, ut à ueritate nos abducat, rursum opus habemus Spiritus S. doctrina & moderatione, quinetiã confirmatione illius. Vnde fit, ut Dauid ardẽtissimis uotis ac multiplicibus precibus Spiritum S. expetat: Domine, inquit, ne auertas faciẽ tuã à me, spiritum rectũ innoua in uisceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctũ tuũ ne auferas à me. Redde mihi lætitiã salutaris tui, & spiritu principali cõfirma me. Hoc Dauidis exẽplũ itidẽ & nos imitemur. nã ob id uobis Christus quoq; toties & tã multa, cum bona tum cõsolatoria de Spiritu sancto dixit, ut tanto flagrantius illum desideremus, quærãmúsque illius gratiam & consolationem. Deus nos omnes dignetur sua gratia, Amen.

Psalm. 94.

Psal. 50.

Psal. 50.

SEXTVS SERMO DE ALTERA PARTE *hodierni Euangelij, de persecutione Apostolorum.*



SI quis cõsideret, quãtum Christus in hoc Euãgelio crucis & infortunij denũtiet, suósq; adeò discipulos nominet, in quos ea mala incidere debebãt, qui tamẽ proculdubio filij Deo erãt lõgè oĩm charissimi, & probissimi inter mortales, nõ immeritò demiretur eiusmodi iudicia Dei, tot fuisse tum tẽporis homines improbos, qbus pro uotis successerunt oĩa, solis autẽ bonis tã infaustã & crudelẽ fortunam impendêre. Certè uidetur aliter fieri multò debere, si æquũ sit æquũ, & cuiq; pro meritis & ut dignus est accidere debeat. Sed responsum ad hoc in proclivi est. Etenim primo quod ad Apostolos, hęc est sentẽtia. Deus sibi soli gloriã uendicabat in propagando Euãgelio, qđ si itaq; eorum hoĩu ad hoc usus fuisset ope

ra, qui ꝓpter scientiã, diuitias, potentiã, amicitiam & fauorẽ ĩ existimatione aliqua fuissent apud mundũ, nõ mirandũ accidisset, quod mundũ ad fidẽ Christi adduxerunt, quia uerò pauperes erant piscatores, idiotæ, ignobiles, quinimò omnibus inuisi, eiecti, ꝑsecutione ĩfestati, & trucidati deniq;, &c. uidere & fateri cogimur, Dei opus esse, quod mundus ꝑ tales homines ad fidẽ cõuersus est. Hoc Deus quæsiuit, propterea suis Apostolis tã uarias ꝑsecutiões immisit. Alioqui in cõmune, facile respõderi potest, quî Deus cõniuere possit ad tã tristem & mirabilẽ bonorũ fortunam. Si spes nostra nõ lõgius sese porrigeret, quã ad præsentẽ hanc uitã, bonus quisq; tanto iustius queri posset de sua cruce, & felicitate improborũ, sed nõ agitur nobis de hac præsente uita. Alia uita,
Matt. 16. tẽpus & seculũ nobis denuntiatũ est, ubi unicuiq; sua merces ꝓ meritis suis reponetur. Quapropter, ut eò minus huic uitæ atq; iis quæ secũ fert sese deuinciãt electi, facit Deus ne illis hæc nimiũ suauia fiant, imò ut eo uehemẽtius futurã uitã desiderant: aliis atq; aliis malis patiẽ eos affligi, alioqui fu-
Ephes. 4. turũ esset, ut huius uitæ illecebris capti, futuræ uitæ penitus obliuiscantur, uti uidemus in impiis cordibus, principem huius mundi oculis eorũ tenebras offundere, ut nihil aliud cogitent, q̃ quo pacto præsentẽ hanc uitam utilẽ sibi faciant & iucundã. Hanc fascinationẽ nõ parum adiutat tẽporalis felicitas, ut uidere est in duobus diuitib⁹ in Euangelio. At quid
Luc. 12. & 16. terribilius, q̃ cum mors nõ solũ præsentem hanc uitã nobis finit, sed etiã omnẽ spem futuræ beatæ uitæ adimit? Quis ipse sibi peius facit, q̃ qui in hac uita de nulla futura cogitat? Vide, hæc causa est, quãobrẽ Deus suis præsentem hanc uitam tã acerbam facit, ut nihil uel parũ delectationis aut uoluptatis ex ea percipiant: tot malorũ illos inuoluit fluctibus, ut tædiũ exinde eos cõcipere oporteat, & futuram uitã gemẽtes cõcupiscant. An nõ autẽ illis hoc melius & utilius est, quàm si illos cũ mundi cultoribus ita abire sinat, & in uoluptatib⁹ ac felicitatibus huius uitæ, nõ solùm submergi, sed prorsus interire? Proinde Christianũ nõ mouere debet, si uidet improbũ secunda uti fortuna, citius illi obfuerit, quàm ꝓfuerit, maximè si in sceleribus persistat. Cõtra, Christiano curæ esse nõ debet, si quãdo uidet, bonis multa ferenda esse, nec debet grauari, si & ipse cogitur unà pati. E re tua est, mihi crede, quatenus in uitæ pietate permaneas. Si paucos experiris amicos in terris, tanto plus occasionis habes suspirandi futu-

ram

ram uitam. Si uoluntati tuę bonę & labori merces hîc nô re
spôdet, tantò certior ęternę mercedis tibi spes est in altero
seculo, falsé uide, ut maturé & summo studio ad id te pares.

Hęc ꝑ initio huius sermonis dicere uisum est, ne quis ter
reatur quod Christus suis fidelibus in hoc Euangelio tot af-
flictiones & cruces denuntiat. Audiemus nunc porrò, quo-
modo Christus ea de re dicat, & quid interim nobis solatij
præbeat: nã hoc præcipuè illius côsiliũ hîc fuit, nô ut terrorẽ
nobis incuteret, sed ut côsolatione nos pręuerteret, & sane
ob id adeò, quod semper doctrina & côsolatione opus ha-
bemus, maximè tribulationis tẽpore, passionis ingruente
horrore, Christus tã prolixũ nec minus iucundũ fecit sermo
nem. Videbat enim in quam Apostoli tẽpestatem essent ca-
suri, quæ etiam tanta fuit ut Sanctos Apostolos quantumcũ
que consolatione muniti essent, permouerit tamen & pusil-
lanimes fecerit. Et quid futurum fuisse arbitramur, consola-
tione hac si caruissent? Quia itaq; Christus eos tum tam dili
genter præparauit ad futurum certamen, satis id arguit, uer-
bum Dei singulari quapiam uirtute ac efficacia pollere ad
consolandũ in rebus aduersis. Tanto itaque maiori studio
uerbum Dei uenerari & côplecti, & quo tribulationis ęstus
uehemẽtior est, hoc cupidius ad uerbũ Dei currere debem⁹. *Verbum Dei consolatio in aduersis.*

Hęc locutus sum uobis (inquit Christus) ut nô scandali-
zemini. Vox ista (Hęc locut⁹ sum uobis) intelligi potest, de *Hæc locutus sum.*
côsolatoriis uerbis, quæ Christus prius dixerat, aut etiã de
eo quod ante fuerat locutus de obstinata malitia Iudęorum
& mundi, quin etiam referri potest ad id, quod Christus su-
pra de Apostolorum persecutiõe dixerat. Scilicet omnia eò
spectant, ne Apostoli mouerentur offenderentúrue, neque
hominum obstinata peruersitate, neque sua ipsorum perse-
cutione. Atque hîc uides, ad quid nobis Euangeliũ & uer *Ad quid Euãgeliũ datum.*
bum Dei datum sit, nimirum (ut Paulus dicit) ad doctrinam
& côsolationẽ: ad doctrinam côtra offendicula peccatorũ: *Rom. 15.*
ad consolationem, contra offendicula crucis & tribulatio-
num. Verum obserua, Christum nô dicere, Hæc locutus sum *Matth. 18.*
uobis, ne uobis scandalum aliquod occurrat, sed ne scanda-
lizemini, hoc est, ne forte impingatis & labamini. Fieri enim
non potest, ut homini Christiano non accidant offendicu-
la, nec homo uitare potest, quo minus à peccatis pellici-
ceatur, tentetúrque, & in nullum incidat malum. At hîc ad-
uigilandum est, ne ita impingamus, ut retrorsum cadamus,

hoc est, ne pctis assentiamur, aut in tẽtatione impatiẽtes aut nimio plus pusillanimes fiam⁹. Adhuc unũ portò aduerte,
Matt. 27. qđ Christus in Matthęo quoq; dicit futurũ, ut in ipso oẽs scã dalizarẽtur, sed addit simul, In hac nocte, cęterum hoc loco simpliciter de scãdalo loqtur. Est autẽ longè aliud, unã noctẽ offendi, q̃ reb⁹ oĩbus & penitus offendi. Vt igitur eos superius cõmonuerat, ne tametsi lingua ob metũ confiteri nõ
Iohan. 14. auderẽt, fidẽ tamen ex corde effluere paterẽtur, Nõ turbetur, inquit, cor uestrũ. Ita hîc illos monet, ne tametsi futurũ sit, ut afflictione & cruce nõnihil moueãtur pturbẽturq;, fidẽ tamen ꝓpterea deserant. Quare palã indicat, multa nobis occursura, quę nos in uia Dei & in fide nostra perplexos reddere queãt, aut prorsus ad defectionẽ adducere. Etenim scrupulũ nõnullis mouet, quòd Christus tã humilis & contẽptibilis in terris apparuit, ut dubitent, an qui tam infanda passus est, uerus esse Dei filius possit. Hac de re Christ⁹ ipse dicit, Beatus est, qui nõ fuerit scãdalizatus in me. Quosdam
Matth. 11. dubios reddit, ꝙ tot eorũ sunt, qui Christũ aspernãtur nec doctrinã eius recipiunt, ut cogitẽt, si hęc doctrina esset proba, nõ habiturã eam tot inimicos & aduersarios, &c. Cõtra hęc oĩa & similia, Christus monere nos ac docere uoluit, mũdũ haud aliter facere solitum, nec ueterẽ morẽ mutaturum.
Ephe. 4. Docet pręterea, Christianũ nõ ita facilè offendi debere, & à quouis uẽto agitari, sed ita animum fide & uerbo Dei obfir
Mat. 16. mare, ut ne portę quidẽ inferorũ illũ inde possit distrahere.

Sed audi, quas Christus suis discipulis tribulationes & offendicula denuntiet. Antea in genere dixerat, Si me pſecuti
Ioh. 15. sunt, & uos pſequẽtur. Nũc autẽ speciatim indicat, qualis & quãta futura sit pſecutio fideliũ. Atq; hîc primò obserua, persecutionẽ de qua Christus hîc loquitur, Apostolis tãquã sanctissimis & optimis, q tum tẽporis in terris erãt, denuntiari. Hoc minus causę habem⁹ cõquerẽdi, si similia quoq; nobis eueniãt. Secũdò, attẽde ꝙ Christus suis nullã ꝓsperitatẽ ĩ terris, sed meras aduersitates denuntiat, neq; eas uulgares sed oĩm maximas & grauissimas tẽtatiões, quo sciamus, nostrã nobis fortunã & felicitatẽ in futura uita pręseruatã, quẽadmodũ improbis pœnã & gehennã. Et ob id Christus non dicit, mundus uos odio habebit, aut tẽporalia uobis bona diripiet. nã hęc exigua adhuc sunt dãna & cruces ad id quod hîc dicit: Absq; Synagogis faciẽt uos (inquit) hoc est, excõmunicabunt, diris deuouebũt, eiiciẽt, & indignos cẽsebunt

Persecutio Apostolis denuntiata.

Christus suis meras aduersitates cur denuntiet.

Absque Synagogis.

alios

aliorũ hoĩm cõſuetudine. Hoc primũ eſt, q̃d illis hic annũ-tiat, & id quidẽ ſancti Apoſtoli ſic experti ſunt, quapropter & Paulus dicit, ſe reliquósq; fideles tãquã purgamẽta huius mundi factos. Vt ergo in orbe Chriſtiano ſumma pœna eſt excõmunicatio, ueluti Chriſtus ipſe indicat, & Paulus ipſo facto declarauit: ita quoq; apud Iudęos ꝓbroſiſsimũ fuit è Synagoga ſubmoueri: ſiquidem formidabile eſt, è populo Dei ſecludi. Attamẽ nõ minimi ſolatij loco eſt, ꝙ Chriſtus nõ dicit, eos è populo Dei eiiciẽdos eſſe, & ex albo ſctõrum: ſed è Synagoga duntaxat Iudęorũ & diaboli. Etenim mundus cõmunionẽ Eccleſię & Dei eripere nobis non põt, uerũ q̃d ſua ipſe amicitia nos ꝓhibet, & eã nobis ſubducit, obeſſe id nobis nõ poteſt, ſed eſt ſumma noſtra utilitas. quò enim lõgius à prauorũ ſodalitio recedimus, hoc Deo ꝓpius iũgimur. Quãobrẽ hoc uerbum principio mundi coarguit malitiã, quòd bonos ferre nõ poſsit, ſed ĩdignis modis eos ꝓfliget & pſequatur. Secundò, itẽ mundi carpit cęcitatẽ, quòd illos expellit, ex qb⁹ maximũ emolumẽtum capit. nã ꝓpter bonos q in mundo ſunt, mundo parcitur, quinimò ꝓpterea pœnã Deus illis differt, ne bonũ ſemen unà cum zizania reuellat. Cęterum mox ut mali à bonis ſeparabũtur, iudicium Dei ĩ malos deueniet, ſicut uidemus in Noë, Loth & Aegyptiis. Simul atq; Noë hominibus ĩ arcã, Loth ex ciuitate Sodoma, Moſes cum Iſraëlitis ex Aegypto cõcedebat, improbi horrẽdis iudiciis & pœnis Dei perdebãtur. Pergit Chriſtus dicere, Venit hora, ut oĩs q interficit uos, arbitretur obſequium ſe pręſtare Deo. Aliud hoc grauius malũ eſt, Parum eſſet bonos fugari, & terrę finibus arceri, ni inſuper quoque interficerent. Nõ enim mũdi filij ſolũ puerſi ſunt & ĩgrati, uerum etiã immiſericordes & feris crudeliores: nõ exaturãtur, niſi ſanguine eorum, quos oderũt, imò tolerari quoquo modo poterat, uitã alicui eripi, ſi mundus iniuriam cõfiteretur, aut ſe ꝓpter fidẽ & charitatẽ in Chriſtum homini uim afferret: at mundus nõ cõfitetur hoc, ſed uidetur ſibi q̃ rectiſsimè facere, & in hoc apprimè gratificari Deo. Hęc autẽ eſt crux oĩm grauiſsima. Nã ut honos ſummus eſt, aliquẽ ſapientẽ & bonum iudicari: ita ſummum ꝓbrum eſt, ſi quis inſipiens & malus cenſeatur. Crux & paſsio cõtemptibilis & grauis ipſa per ſe eſt, ea autem fit multò grauior & ignominioſior, odio & ludibrio mundi accedente. Sic optimus Iob multis & ingentibus ꝑmebatur afflictionibus, attamẽ nihil æquè indi-

Acto. 4. *1. Cor. 4.* *Matt. 18.* *Mundi malitia et caecitas.* *Matth. 13.* *Genes. 7.* *Gen. 18.* *Exod. 14.* *Venit hora.*

gnè ferebat, quàm quod amici ei exprobrabát, cũ mala illa cõmeruisse: Peculiariter autẽ Christus hoc loco dicit, Omnis qui interficit uos, hoc est, Iudęi & gentes. nã utriq; sibi uidebantur iustisime Apostolos & Christiauos persequi, ut qui Mosi aduersarentur, & qui nouorũ dogmatum essent authores, & rempublicã ac pacem perturbare uellent. E diuerso autem solatium præbet, quod Christus dicit, Venit hora, perinde ac si dicat: Potestas improborum diuturna nõ erit, quia nõ relinquit dominus uirgã seu pœnam peccatorũ super sortem iustorum, &c. Breuis, inquam, afflictio bonorum erit, sed perennis cõsolatio sequetur, imò boni etiam in terris non omninò sua carent consolatione, & maximè in eo, quod Christus postea dicit, Hęc facient uobis, quia non nouerunt patrem neq; me. etenim si nouissent Deũ, seruos Dei nõ persequuturi, sed in summo honore essent habituri. Rectè uerò de malis dicitur, ob id eos in omnia peccatorũ & flagitiorũ genera incidere, quod Deum non norunt: nam si Deum cognoscerent tanquam iudicem, nunquam peccaturi essent: si Deum nôssent tanquam patrem, ad omne bonum propensi ac parati futuri essent: si Deum agnoscerent pro eo, qui ulturus est in malis, quicquid aduersus bonos delinquunt, haud quaquam bonos læsuri essent, semper uidelicet memores illius uerbi, quod Deus in Zacharia dicit, Qui uos tetigerit, tanget pupillam oculi mei. Postremò dicit Christus, hæc locutus sum uobis: ut cũ uenerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis. Ea uero de causa uult Christus, ut eorum quæ nobis dixit memores simus. Etenim primò uidere hinc possumus, eũ esse uerum Deum, cui futura tam exactè perspecta fuerunt. Secundò, moderatius ferre possumus afflictiones nostras, quũ memoria nobiscũ repetimus, Christum nobis eas tam exertè prędixisse. Et tertiò, quoniã uidemus tam planè euenisse, quicquid nobis Christus aduersi denuntiauit, eò melius sperare possumus, fore ut impleatur quoque, quicquid boni nobis Christus promisit. Summa, plurimas ad res cõducit, si quis uerbum Dei perpetuò in memoria habeat: cõfirmat enim hoc fidem, cõfirmat item cor in uerbo Dei, & facit, ut hominem accidẽtes aduersitates eò minus cõturbent. Vnde & Moyses seuerissimè populo suo præcipiebat, etiam atq; etiã uiderent, ne Dei uerborúmq; eius unquã obliuiscerentur. Atque hoc pacto uidetis, Christum nobis non solum tribulationes

Psal.124. *Deute.32.* *Zach.12.* *Verbi Dei utilitas.* *Deuter.8.*

tiones & tristia denuntiare, uerum etiã solatiũ pariter præbere. Est enim fidelis & uerax, nõ patitur nos tẽtari supra id qđ possumus: sed facit etiã cũ tẽtatione prouentũ, ut possimus sustinere. Illi igit̃ laus, honor & gratia in æternũ, Amẽ. 1. Cor. 10.

SEPTIMVS SERMO CONSOlationem subministrat contra mala, quæ in hodierno Euangelio denuntiantur credẽtibus.



NEMINEM mouere, cõsternare, aut offendere debet, quod Christus in hoc Euangelio tantum malorũ, calamitatũ & persecutionis annuntiat, coorturę nõ in mundũ eiúsq; amatores seu filios, sed in sanctos apostolos reliquósq; credentes, quorum sors tamen, secundum humanũ iudiciũ, fuisse melior debebat & adhuc esse, quàm mũdi & filiorum diaboli, posteaquam Deus in terris regnat æquè, atq; in cœlis. Neminẽ, inquã, mouere hoc debet: eaipsa enim de causa Christus hæc prædixit, ne offendamur. Certè pnecessariũ fuit, ut nos hac in parte præmoneret. Siquidẽ crux & passio, infortuniũ & afflictio bonos iuxta ac impios offendit. Bonus qui aduersa & mala ppetitur, nõnunquã pusillanimis fit, quũ uidet aliis palã nefariis omnia feliciter cadere, se uerò casibus & periculis aliis atq; aliis iactari. Hîc uaria mẽte secum uolutat, nunc uidetur sibi totus à Deo desertus, nunc cogitat bonũ esse ac probũ rẽ esse inutilẽ, nec esse in aliquo p̃tio apud Deũ, &c. Est autẽ hoc nõ minimũ offendiculũ, imò tale, quod possit hominẽ pplexũ reddere & languidũ. Sẽsit hoc Dauid, is de se fatetur ipse, penè motos esse suos pedes, penè effusos gressus suos, uidens se tot malis septũ, alios uerò facillimè agere, nisi utrinq; finẽ cõsiderasset. Hoc si accidit Dauidi, pfectò & aliis usu uenit, & qdẽ eo magis, qđ nõ oẽs spiritu illo præditi sunt quo Dauid, ut ipsi sese in eiusmodi offendiculis consolari possint. Hoc unũ est. Parit hæc res & apud improbos scãdalũ, quando uident bonos assiduis calamitatib' uexari in terris. Hinc enim in peccatis permanendi animũ obfirmãt, metuentes, ne si alios nõ imitarentur & ad mundi mores se non applicarẽt, sed pietatẽ colerẽt, & ipsi egestate & incõmodis premantur. Sic utrinq; crux offendiculum affert. Hoc Christus præuertere uoluit in hoc Euãgelio. Hæc (inqt) locutus sum uobis, ut non scandalizemini. Vobis, uobis (inquit) locutus

Quare Christus persecutionẽ prædixerit.

Psal. 72.

ſum, ueſtrum ago negotium, ꝓ uobis & ueſtri ſimilibus curá gero, mūdū nō moror, ſiue is ueſtra cruce offenditur, ſiue corrigitur. Nihil noui eſt, ꝗd fecit. Quomodo cruce ueſtra emēdaretur, cùm in propatulo ſit, eum ne donis qdem meis, beneficiis, & miraculis, quæ ego in uobis facio, nō emēdari? Itaq; mūdū nō curo. Vobis hæc locutus ſum, ut nō ſcādalizemini. Secus enim haud fieri poterit, crucē indubiè ſentietis habebitiſq;. Deus crucē erexit (uult Chriſtus dicere) eámq; mihi primum & omniū uehementiſsimè īpoſuit.
Rom. 8. Mihi oīa mea mēbra & fideles conformes fieri neceſſe eſt. Attamē nō eſt quod qſquā ſuper ea queratur, rectè benéq;
1. Cor. 1. ita fit. Si mundus Dominum & Deū ſuum nō potuit aut uoluit agnoſcere ꝑ opera ſummę illius ſapiētię, uiſum eſt Deo fideles ſuos ꝑ ſtultitiā & cōtēptum crucis ſaluos facere. Si in homine opera luditur, quādo de illo Deus bene meretur eúmq; beneficiis auget, periculum facit, num eum cruce & paſsione ad bonum adducere, & in bono cōſeruare poſsit. Inſeruit crux honori Dei & utilitati noſtræ. Vbi multa crux eſt & afflictio apud fideles, ibi Dei auxilium præſentius ſentitur & cōſolatio, quę res in Dei cedit gloriā. E diuerſo ubi multa tribulatio & ærūnæ, ibi & Dei & futuræ uitæ crebrius mētē ſubit recordatio, id ꝗd homini plurimum cōfert. Hac itaq; de cauſa uult Chriſtus in hoc Euāgelio, ne ſcādalizemur in cruce & afflictionibus. Cæterū ſi cui hoc nō ſufficit, is audiat & cōſideret, qūo Chriſtus ſuos fideles aliis ī locis pulcherrimè & exuberātiſsimè cōſoletꝰ cōtra eiuſmodi ſcā-
Ioh. 15. dalū, & maximè ubi paulò ante hodiernū Euāgeliū dicit, Si mundus uos odit, ſcitote ꝗa me priorē uobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mūdus ꝗd ſuum erat diligeret: ꝗa uerò de mundo nō eſtis, ſed ego elegi uos de mūdo, ꝓpterea odit uos mūdus. Memētote ſermonis mei, quē ego dixi uobis, Nō eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me ꝑſecuti ſunt, & uos ꝑſequētur, &c. In his uerbis annuntiat Chriſtus triplicia mala ſuis apoſtolis & credētibus, nimirū odiū, ꝑſecutionē mundi, & cōtēptum prędicationis eorum, & ſuꝑ unūquodlibet Chriſtus peculiarē dat cōſolationē, fidelē in hoc imitatus medicum. Ante hæc uerba cōſolatus illos fuerat in præſenti illorum afflictione, & medicinā illis dederat cōtra internas tētationes, qbus homo nōnunquā dubitat de bona Dei uolūtate; nunc uerò in his uerbis cōſolatur eos quoq; cōtra uētura mala, & medicinā illis præbet contra externas

tentationes, quę oriuntur ex ingratitudine mundi: hæc enim ingratitudo mundi animos bonorum non parum perturbat. Obserua autẽ, quòd Christus suos apostolos & fideles non ad uindictã prouocat, sed ad patiẽtiã. Sic enim scriptum est, Mihi uindicta, & ego retribuã eis, dicit Deus. Secundò, nõ imperat illis silentium, nec prohibet eos à prædicãdo, & inimicis benefaciẽdo, etiãsi experturi essent mundum ingratum, sed tãto constantius eos in bono perseuerare iubet, si forte benignitate malitiam mundi uincere possent. At nunc uide, quod solatium præbeat contra odium mundi. Si mundus uos odit (inquit) scitote quia me priorẽ uobis odio habuit. Potuisset quidẽ illis & Ethnicorum exẽpla hîc proposuisse quorum aliqui iiq; omnium clarissimi ingratitudinẽ & odium mundi experti sunt, ut Camillus, Scipiones, Lycurgus, Themistocles, aliiq;. Siquidẽ & inter Ethnicos deprehensum est, ut qui omnium fidelissimè reipub. inseruissent, malã plerunq; gratiã retulerint. Nam quẽ prophetarum nõ interfecerũt, licet omnium minimè psequẽtẽ? Odio habuerunt corripientẽ, inquit Amos. Sic Achab oderat optimum Micheam, eò quòd ipsum obiurgabat, &c. Veruntamẽ Christus omnibus aliorum hominum exemplis omissis seipsum exẽplum statuit. Scitote, inquit, quia me priorẽ uobis odio habuit mundus. Atq; hoc primum solatium est, quod nobis dat Christus, nimirum quòd mundus nihil noui in nobis facit, & incipit, antiquum obtinet; ut sit ingratus erga omnes fidelissimos consultores. Vnde & Iohannes dicit, nõ mirari nos debere, si nos mundus odio habeat. Alterum solatium est, quòd nos non soli, sed cum omnibus sanctis patimur. Tertium solatium est, quòd etiam cum Christo patimur. At uerò multò satius est cum Christo & omnibus sanctis pati, quàm cum improbis temporali frui gaudio. Etenim si cum sanctis & Christo socij passionum erimus, pariter cum illis cõregnabimus: e diuerso si tẽporaliter cum mundo gaudere stat sentẽtia, unà cum mundo peribimus. Ideóq; Moyses cõtumeliã Christi pluris faciebat, quàm omnes Aegyptias opes, malebàtque cum populo Dei pati quàm cum Aegyptiis gaudere. Ob id autẽ mundus odit Christum, quia tanquã peregrinus & aduena ex alio mundo in hunc mundum uenit. Peregrinus enim nõ multos amicos reperit inter peregrinos. Secũdò, odit mundus etiã propterea Christum quòd illorum operibus aduersatur, & illos coarguit, quòd opera

Cur Christus Apostolos ad patientiã prouocet.

Deut. 32.

Solatia Christi contra odiũ mundi.

I.

Amos 5.

2. Reg. 22.

1. Ioh. 3.

II.

III.

2. Cor. 1.

Heb. 11.

Quare mundus Christum odiat.

Sap. 2.

Ioh. 3. eorum mala sunt. Nā quicquid in mundo est, cōcupiscentia carnis est, cōcupiscentia oculorū & superbia uitæ. Amplius
1. Ioh. 2. dicit Christus, Si de mundo fuissetis, mundus quod suū erat diligeret. Etenim similis simili gaudet, & scabiosus nō patit, nisi suauiter fricātē: ita & mundus sui similes amat, q palpātur & oīa pbāt, nihil autē reprehendunt. Scabie uehementer laborat mundus, itaq; leniter fricādus est ab eo, qui nō malā inire gratiā uelit. Duæ ciuitates iā inde ab initio & simul ædificatæ fuerūt, altera Dei & bonorū, altera diaboli & mēbrorū eius. Illa uocatur Hierosolyma, hęc Babylon. Hę duę ciuitates implacabiles inter se inimicitias gerūt. Vult igitur Christus hunc in modum dicere ad suos apostolos: Si ciues essetis Babylonis, agnosceret utiq; uos mūdus: cæterū nūc qa fugistis ex Babylone, & ciues cœlestis Hierosolymæ scripti estis, odit uos mundus. Atqui Christiani hominis nō refert, nec illi obest quicquā, qd ipsum ciues Babylonis oderūt, si à ciuib' Hierosolymitanis & Deo ipo diligitur. Quapropter nemo ob id tristari debet, quod mundū sibi inimicum habeat, qn potius gaudere. hoc enim palā arguit, eum cōciuē esse sanctorū, quod mūdo est dissimilis ac iustus, &
Mundi amicitia non quærenda. ueritatē pfitetur, & è mūdo ereptus est. Docet itaq; nos uerbum istud, nos mundi amicitiā nō quęrere & affectare debere. Etenim q mundi necessitudinē ambit, is Deo fit inimi
Iac. 4. cus. Nec magnifacere debemus mūdi odiū, ut quod diuturnum esse nō possit. Suo enim tēpore stabunt hi magna cōstātia cōtra eos, à qbus uexati in terris fuerunt, &c. Quēad
Sapien. 5. modū Sapiēs plixe pulchris uerbis indicat. Attēde etiā hic malitiam mundi, quod nō solum est improbus, sed odit etiā bonos, nec sustinet se corripi, quod ipsum certissimus illius
Iohan. 15. est interit'. Pergit Christ' dicere, Memētote sermónis mei,
Non est seruus maior Dom. quē ego dixi uobis. Nō est seruus maior domino suo. Hanc uoculā Christus discipulis suis sæpe proposuit, nō modo in
Luc. 6. Iohanne, sed etiā in Luca. Nihil enim est, quod hominē cōsolari melius possit, & patientem facere, quàm si cogitet, se domino suo maiorem nō esse. Nam quid conqueri potest, quum uidet, dominum suum eadem pati, quæ ipse patitur, uel etiam maiora? Quomodo gaudium & uoluptatē quæret, uidēs dominum suum spinis coronatum? Hunc in mo-
3. Reg. 19. dum cōsolabatur Elias semetipsum, ubi inquit, Tolle animā meā domine, neq; enim melior sum, quàm patres mei. Summa, ideo nos Deus ab æterno elegit, & in tempore uo

caui

cauit ac iustificauit, ut cõformes fiamus imagini filij ipsius. *Rom. 8.*
Si ergo Christus crucifixus est, nec tu sperare aliud debes. Si *Matt. 16.*
qs uult post me uenire (inquit) abneget semetipsum, & tollat crucem suam, imò qui non tollit crucem suã & sequitur me, non est me dignus. Si me persecuti sunt, & uos persequentur, pergit dicere. *Matth. 10.* Nam qui dominum odit, odit etiam seruum, qui illi fidelis est: si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt: si mihi crediderunt, & uobis credent: si mihi insidiati sunt & dolose obseruarunt prædicationem meã, facient idem & uobis. His apostolos suos monere uoluit, ne à prædicando desistant, etiãsi pauci credant, quãdo quidem & Christo pauci homines crediderunt. Moyses qui fidelis erat seruus in domo Dei, inter omnes eos quos ex *Ioh. 3.*
Aegypto duxerat, nõ nisi duos in terrã Chanaan pducere *Num. 14.*
potuit. Sic prophetæ passim conqueruntur, quòd nõ fuerũt auditi. Domine (inquit Isaias) quis credidit auditui nostro? *Isa. 53.*
Et rursus, Dicit dominus, ut reducam Iacob, Israël non con *Isa. 49.*
gregabitur. Et Oseas, Ego erudiui eos, & cogitauerunt con *Ose. 7.*
tra me malitiam. Proinde nostras partes exequi debemus, & agrum diligẽter colere, fructus autẽ Deo cõmittere, q so *1. Cor. 1.*
lus incrementum dat & dare potest. Postremò, inquit Christus, Hæc faciẽt uobis, qa nõ nouerunt patrẽ neq; me. Hæc omnia (intellige) odio habẽdo, persequẽdo, expellẽdo, interficiendo, &c. faciẽt uobis, uõ ob admissa uestra, sed propter nomen meum. *Quia non nouerunt patrem.* Etenim primò cùm interfecerint uos, arbitrabuntur obsequiũ se præstare Deo. Atqui Dei nomẽ, meũ quoq; nomen est. Secũdò, ideò uos odio habebunt & *Christi nomen*
psequẽtur, quod illis meũ nomẽ inuisum est. Nã nomẽ meũ *mũdo inuisũ.*
est iustitia, quod ferre illi nõ possunt, q propriæ iustitiæ me spreto fidunt: nomen meũ est sapientia, hoc ferre mũdi sa- *1. Cor. 1.*
pientes nõ possunt: nomen meũ est potestas, hoc oderunt potentes huius mundi. Tertiò, hæc faciẽt uobis ppter nomen meũ, hoc est, quò me & nomẽ meũ supprimãt, ne nominis mei aliqua memoria remaneat, uelut Hieremias di- *Hier. 11.*
cit. Vt igitur sit pbrosum, si qs ob peccata & cõmissa patitur, nihil tamẽ honestius est, quàm ob Deũ, ob nomẽ Christi, & ob iustitiã pati, quẽadmodũ etiã Petrus dicit ac docet. Vult itaq; Christus his ostendere nobis, sibi fieri, si qua sui *1. Pet. 4.*
iniuria afficiantur à mundo, sicuti ipsemet dicit, Qui uos spernit, me spernit, & quandiu nõ fecistis uni de minoribus *Lucæ 10.*
his, nec mihi fecistis. Causa uerò omnis mali, quod mun- *Matt. 25*
dus

Ioh. 17. dus facit, est qđ nõ nouerũt, neq; Deũ, neq; illũ, quẽ misit, &c. Hoc Christus solatijs suis Apostolis oĩbúsq; credẽtibus hoc in loco dat contra oĩa offendicula crucis, itaq; hoc qui diligẽter cõsiderauerit, illũ Euãgelium istud hoc minus perterrefaciet, quinimò nõ tẽperabit sibi, qn dicat cũ Dauide:
Psal. 83. Secũdũ multitudinẽ dolorũ meorũ in corde meo, cõsolatiões tuæ ô domine lætificauerũt animã meã. Deus nos sua donet gratia, ut utraq; hęc simul cõsiderare possimus, Amẽ.

OCTAVVS SERMO GENERATIM COMMONSTRAT, *quid doctrinæ & solatij ex hodierno Euangelio capiendum sit.*



HODIERNVM Euangelium breue quidem est, si uerba numeres, sed admodum prolixũ, si quis singula verba accuratius ponderet, siquidẽ à capite ad calcẽ usq; plenũ est salubris doctrinæ & consolationis. Docet enim nos, qđ mũdus sit, qđ Deus, quæ recta & certa uia ad Deũ & nostrã salutẽ, qui ueri Christiani, & quæ eius officia. Hęc aũt oĩa talia sunt, quæ oẽs Christiani scire necessariò debẽt. Præterea cõsolationẽ hoc Euãgeliũ nobis pbet in omni tribulatiõe. Quod ita habere paucis mõstrabo. Et primò scire si uis ac uidere, qđ mũdus & dehinc homo naturá sit, audi & aduerte ad uerbũ qđ Christus hîc dicit, Nõ nouerũt patrẽ neq; me. & qđ paulo antè præmisit, Viderũt & oderũt & me & patrẽ meũ. In hisce duobus uerbis uides, quid mũdus & homo sit ac faciat. Nõ nouerũt Deũ, uerissimũ est, ipse usus loquitur, etiã si id nulla scriptura asseueraret. Vnde accidere putamus ꝙ Adæ filij ita Deũ despiciũt, & cõtumeliis onerant, præcepta eius tam temerè trãsgrediũtur, uitã ducũt tã impiã & fœdã, tã facilè ad oĩa flagitia & errores proruũt, &c? Deum nõ nouerunt. Dei ignoratio causa est oĩs mali apud illos. Deus lux est (inquit Ioãnes) quisquis itaq; Deũ nõ agnoscit ac uidet, is certè in nocte & tenebris uersatur, nec mirũ ꝑpterea si hîc illîc impingat. Nã qui ambulauerit in nocte (inqt Christus) offendit, qa lucẽ hui⁹ mũdi nõ uidet. Cõtrà si quis ambulauerit in die, nõ offendit, qa lucẽ huius mũdi uidet, imò qui sequit̃ me (inquit Christus alio in loco) nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ uitæ, quia ego sum lux mũdi. Itidẽ de nobis dicereq; possum. Quî fit, ꝙ in tribulatione aĩo usq; adeò

Vt sciamus quid sit mundus.

Iohan. 15.

1. Ioh. 1.

Iohan. 1.

Iohan. 8.

adeò præfracto & imbecilli sumus, timẽtes ad Deũ cõfugere, nisi quia ignoramus Deum nostrum esse patrẽ? Vnde fit, ꝙ tã instabiles sumus in nostra fide, & fluctuum in morem nũc huc, nunc illuc impellimur? Nescimus quid Christus sit. Sic etiã ꝙ pauperes Christianos, qui apud nos & cõtra nos sunt, ita penitus nõ curam⁹ quãdoq;, imò illis ita duri & immites sumus, certe nõ aliundè accidit, q̃ ꝙ non scimus aut credimus, egenos istos Christianos Dei esse filios, nec Deũ patrẽ talium filiorum pudere. Quemadmodum igit Paulus hic vnã causam allegat, ꝙ Iudæi Christum in crucẽ suffixerunt, eò ꝙ nõ rectè nouerint illum, ad qđ Christus ipsemet in cruce cõfirmauit, ubi inquit, Pater dimitte illis, quia non sciunt, quid faciunt. Ita & hic dicere possum: si scire & cõsiderare liberet, etiam inopes Christianos Dei filios esse, eósq; apud Deum & in regno eius eodẽ loco quo diuites haberi, nullum Christianum despecturi essemus aut læsuri, quãlibet pauperẽ & abiectum: etenim q illis iniuriã infert, is Deo pupillã oculi eius tãgit. In extremo autẽ die uidebitur, qui illi sint. Filij Dei sunt quidẽ etiã nunc, sed nondum manifestum est. At ubi Christus apparuerit, tum & ipsi apparebunt cum illo in gloria. tum mundo palã fiet, quis eos persecutus sit ac læserit. Imò tum quoq; improbi demirabuntur & obstupescent ad mirabilẽ & minimè expectatã salutem filiorum Dei. Imò tum prę angustia spiritus gemẽtes dicẽt, Nunquid ij sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinẽ improperij? Nos insensati, uitã illorum æstimabamus insaniã, & finẽ illorum sine honore: ecce quomodo cõputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Quin etiã tum improbi à Iudice Christo audiẽt, Quãdiu non fecistis uni de minoribus his opera charitatis & misericordiæ, nec mihi fecistis, itaq; discedite à me maledicti in ignẽ æternum, & cęt. Est autẽ mundi natura & indoles, ut neq; Deum neq; Christum, aut mẽbra eius agnoscat, & qđ magis est, uiderunt (inquit Christus) quæ multi reges & prophetæ nõ uiderunt, nimirum tanta miracula & beneficia, & tamen oderunt me, & non tam me quàm patrem meum. Hoc etiã non facit mundus: non solum ingratus ergã Deum est & Christum, uerum etiam odit Deum, quinimo dicit in corde suo, Non est Deus, Quid verò ex eiusmodi impio corde prouematat & sequatur, mox Dauid sub hæc uerba copiose indicat. Hoc unum est, quod nos istud Euangelium docet. Dehinc

Quæ causa sit quod pauperes negligamus.

1. Cor. 2.

Luca 23.

Zach. 2.

1 Ioh. 3.

Col. 3.

Sap. 5.

Mat. 25.

Luca 10.

Psal. 14.

& secun

& secūdò, perspicere propemodum illinc licet, quid Deus sit. Non nouerunt patrem, neque me, inquit Christus. Scripserunt, quidem & disputauerunt etiam Ethnici Philosophi de Deo, sed nihil certi. Ex creaturis uidere

Rom. 1. poterant, Deum aliquem esse oportere, sed quid Deus

Deut. 4. esset, hoc uerò ignorabant. Scripserat & Moyses de

Exo. 20. Deo, sed eundē proposuerat tanquam iudicem. Huc alludunt uerba illa, Dominus Deus tuus ignis consumens est. Et, Ego sum dominus Deus tuus fortis, zelotes, uisitans iniquitatē patrum in filios in tertiā & quartā generationē, &c.

Ioh. 16. In hoc Euangelio appellat Christus Deum patrē, ut & aliis plerisq; in locis. Et hoc noīe etiam nunc quoq; Deus à nobis appellari uult. Sic orabitis (inquit Christus) Pater noster qui es in cœlis, &c. Hoc, inquā, docet nos Euāgelium istud.

Deus, pater à nobis uult appellari.

Matt. 6. Pater (inqt Christus iterum) manifestaui nomē tuum homi-

Ioh. 17. nibus quos dedisti mihi. Atq; hoc summum nostrum solatiū

Ioh. 16. est, scire, Deū nostrū esse patrē, & nos amare, hoc nobis fidem nostrā cōfirmare debet, in omni tribulatione, qcquid etiā accidat, ut semper dicamus, Pater noster es tu, & opera

Isa. 64. manuum tuarum omnes nos, &c. Tertiò, Euangelium istud nos uerā uiā docet ad salutē. Paraclētus (inqt Christ⁹) spirit⁹ sanctus testimoniū perhibebit de me, & uos testimoniū phibebitis: quia ab initio mecū estis. Hic audis, Christū esse uiā ad salutē: nā ad illū nos remittit spiritus sanctus, illū nobis

Christus uia ad salutem.

Ioh. 14. ostendunt Apostoli, is ipse dicit, neminē uenire ad patrem,

Act. 10. nisi per ipsum. De illo testificantur omnes prophetæ, nos remissionem peccatorū accipere in nomine ipsius, & non esse aliud nomē sub sole, in quo oporteat nos saluos fieri. Quia

1. Ioh. 5. etiam de cœlo testimonium habet. Tres sunt qui testimo-

Ioh. 8. nium dant in cœlo (inquit Iohannes) Pater, uerbum, & spiritus sanctus. Et Christus ipse, Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me qui misit me, Pater. Proindè fides nostra gloriari meritò potest, spes nostra gaudere, charitas nostra gratias agere, & Deum laudare, quod filius iste hominis Iesus Christus, in quem credimus, in quo speramus, quem diligimus, tot támq; efficacia habeat testimonia, de quibus dubitare nemo posit. Tertium hoc est, quòd nos docet hodiernum Euangeliū. Quartò porrò in illo nobis indicatum est, quid ad germanū Christianum pertineat, nimirum primò, ut testimonium perhibea.

beat de Christo, non solùm uerbis aut oris confeßione, uerum etiam opere & tota uita nostra. Alioqui sunt quidem, qui ore illum confitentur, sed operibus abnegant, ut Paulus ait. Idcircò duplici ratione de Christo testificamur, primò ore, cõfitentes eum dominum nostrum, nostrum regem, & Seruatorem esse. Secundò, opere, hoc est, uitæ nostræ consuetudine contestantes declarantesque, Christum seu spiritum Christi in nobis esse ac degere. Itaq; si uis, ut pro Christiano te agnoscam & Euangelico, testimonium seu indicium illius præbe. Quæ sunt autem illa indicia, quibus Christianus cognoscitur? Satis ne probasti te Christianũ & Euangelicum, si feria sexta uescaris carnibus, non amplius confitearis, Sacramenta spernas, uerbum domini in manicis geras? Minimè sanè, non sunt hæ ueræ notæ & insignia ueri Christiani, siquidem hæc & ij, qui non sunt Christiani facere possunt. Quæ igitur sunt uera signa & argumẽta? Audi quid Paulus dicat, Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Tum itaque de Christo rectè testimonium perhibes, quãdo hi fructus spiritus in te ipso elucent. Imò tum probè de Christo testificaris, quum exhibes temetipsum Deo hostiã uiuentem, à mundo te abstrahis, uoluntati diuinæ parêre studes, sedulus es in tuo officio, fidelis in tuo seruitio, industrius in tua uocatione, benignus, mansuetus, & beneficus erga proximum, aßiduus in oratione, spe alacris, patiens in afflictione, odiens malum, bono adhærens, Deo seruiens, &c. Hæc & similia sunt uera indicia, probationes, & testimonia Christi in nobis habitantis. Hæc omnia ad Christianum pertinent, imò nõ hæc sola, uerumetiam ut sit mundo quàm dißimillimus, & nõ tãtum bene agat, sed etiam mala & aduersa patienter ferat. Proin conscientiam tuam explora, & uide, utri testimonium perhibeas, Christo an Diabolo. Quin diligenter hæc considera, uidebis quàm longè adhuc absis à Christiana perfectione, & quantum tibi desit, quod ad uerum Christianum requiritur. En, hæc illa sunt quæ nos Euangelium istud docet. An non autem homini Christiano ad plurima conferat, si tantum ex hoc Euangelio discat? Nimirum, quid mundus sit, quid Deus sit, quæ uia ad salutem & cœlum, & quid ad Christianum pertineat? Enimuerò qui mundum nouerit, è mundo

Tit. 1.

Dupliciter de Christo testificandum.

Indicia Christiani unde dignoscenda.

Galat. 5.

Officia ueri Christiani.

è mundo fugam meditabitur, ne unà cum mundo pessum eat: qui Deū nouit, ꝑsertim tanquā patrē, is nunquā desperabit: qui Christū nouit tāquā uiā ad salutē, is nunquā exorbitabit: porro q̄ scit, quid ad Christianū ptineat, is pudore suffusus seipsum increpabit, quòd earū rerum tā modicum in se habeat, imò adhuc in mundo & in oī iniustitia hæreat.

Solatium contra tribulationes, ex hoc Euāgelio. Nō solùm uerò pbet nobis hoc Euāgelium doctrinā, uerūetiā solatium cōtra oēs tribulationes, idq; multiplex. Nimirum primò, ꝙ Christus & sancti Apostoli quoq; passi sunt. Secundò, ꝙ nobis oīa mala incidunt bona Dei uoluntate, qui oēs afflictiones nobis in nostrā utilitatē uertit: & tertiò, ꝙ aduersarij maiorē sibi ipsis pniciē cōsciscūt, q̄ nobis. etenim qui Christianum pellit, seipsum regno cœlesti excludit: qui Christianum persequitur, suum ipsius oculum tāgit, *Zach. 12.* quēadmodū nōnulli dictum illud Zachariæ interpretātur. Videbit enim quē cōfixerit, uti Zacharias iterum dicit. Qui uerò Christianum occidit, is animā suā necat & īterimit. Ad hæc certum quoq; est, Deum malis parcere, eosq; tolerare, propter bonos: quòd si itaque bonos despectui habemus, submouemus, & exigimus, quid aliud facimus, q̄ quòd Dei *Gen. 7.* iudicium in nos celerius prouocamus? Quā diu Noē in terris ambulabat, tuti mortales erāt à diluuio, mox uerò ut à reliq̄s hoībus separabat se, & in arcā ingrediebat̄, diluuio *Gen. 19.* delebant̄ oīa quæ in terris uiuebāt. Sic cū Loth, quam diu in Sodoma erat, ciuitas in tranquillo manebat, simul atq; aūt exibat, ignis de cœlo cadebat, consumebat oēs. Sic iudiciū *Exod. 14.* Dei in Aegyptios sæuiebat abeuntibus ab illis Israēliticis. Atq; hæc ēt nobis dicta sunt, cùm ad doctrinā, tum ad terrorē, ne quēquā uel despiciamus uel lædamus, quālibet uilē ī specie & cōtemptibilē. Nam Deus iudicat & existimat suos nō iuxta externā speciē, sed iuxta cor. Hoc est, ꝙ circa Euāgelium istud nobis est cōsiderādum. Quia itaq; ex hoc Euāgelio audimus, quid Deus sit, q̄d Christus apud nos faciat, quid Spiritus sanctus in nobis operatur, & quid ad uerum Christianum pertineat, curramus ad patrē misericordiarū, credamus in Iesum Christum, inuocemus spiritum sanctum, uerbis & factis probemus nos ueros Christianos. Patienter feramus, quicquid nobis Deus imponit quālibet arduum, siquidem multo præstat nos Christum per crucem sequi, q̄ per inutile & perniciosum gaudium in gehennam præcipitari. Deus nos omnes sua donet gratia, Amen.

IN DIE PENTECOSTES EVANGELIVM, IOHANNIS XIIII.

SI quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater me' diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansioné apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat: & sermo, quem audistis, nó est meus, sed eius qui misit me patris. Hæc locutus sum uobis, apud uos manens. Paracletus autem ille, qui est Spiritus sanctus, quem spiritum mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunque dixi uobis. Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis. Ne turbetur cor uestrum, neque formidet. Audistis quòd ego dixi uobis, uado & uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utique quòd dixerim, uado ad patré: quia pater maior me est. Et núc dixi uobis priusquam fiat: ut cùm factum fuerit, credatis. Posthac non multa loquar uobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quòd diligo patrem. Et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Luc. 10.

EADEM DOMINICA, EPISTOLA, ACTOR. CAPITE II.

ET cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes unanimiter in eodem loco, & factus est repente de cœlo sonitus, tanquam impetu uenientis flatus uehementis, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes. Et uisæ sunt illis dissectæ linguæ uelut igneæ, seditque super singulos eorum, ac repleti sunt omnes Spiritu sancto, cœperuntque loqui alijs linguis, prout spiritus ille dabat eloqui illis. Erant autem Hierosolymis habitantes Iudæi, uiri religiosi ex omni natione earum quæ sub cœlo sunt. Is rumor cum increbuisset, conuenit multitudo, & confusa est, quòd audiret unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, ac mirabantur, dicentes inter sese, Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? & quomodo nos audimus eos sua quisque lingua in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & habitatores Mesopotamiæ, Iudææq; & Cappadociæ, Ponti, & Asiæ, Phrygiæ, & Pamphiliæ, Aegypti, & partium Libyæ eius, quæ est finitima Cyrenæ, & aduenæ Romani, Iudæique, & Proselyti, Cretes, & Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis magnifica Dei.

PRIMVS SERMO DOCET, QVID de Spiritu sancto credendum, scriptus Latine ab ipso huius operis authore.

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diuersitatem linguarum cunctarum, gentes in unitate fidei congregasti.

Si unus


I unus idémque in omnibus nobis ac uere Christian' esset affectus (charissimi fratres) plené q; perspectam & cognitã haberemus huius festi rationem, indignum iudicarem is quòd hodiernũ sermonẽ aliter, quàm à laude Dei, auspicaretur. Quia autem nunquam inter nos desunt, qui uel adeò simplices sint, ut non intelligant, uel adeò desides, ut non curent, uel adeò peruersi, ut irrideant ea quæ in Ecclesia geruntur necessariũ uidetur ita exordiri hunc sermonẽ, ut & rudiores instruantur, quid sibi uelit hoc festũ, & desides incitentur ad dignam eius celebrationem, peruersi autem & contẽptores arceantur, ne pergant tã contemptim de rebus diuinis loqui. Sic enim diuus Petrus olim fecit in hoc die. Cùm enim primi illi Christiani festum hoc prima uice celebrassent, idq; cum tanta solennitate & gaudio, ut tota Hierosolyma inde moueretur, partímq; mirarẽtur, partim irriderẽt, quę circa Apostolos uidebant, Petrus in concionẽ processit, & quanquam iustissimè exordiri potuisset sermonem à laude Dei, propter diuersos tamen affectus auditorũ, ita incœpit, ut etiã ignorantes rei causam discerent, quid noui Deus fecisset, irrisores autẽ uiderent non ludũ aut ebrietatẽ esse, quod uidebant, sed rem ualde seriã. Viri Iudęi, inquit, & qui habitatis Ierusalẽ uniuersi, hoc uobis notũ sit, & auribus percipite uerba mea. Non enim sicut uos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel: Et erit in nouissimis diebus, inquit, effundam de spiritu meo super omnem carnẽ, &c. Hęc uerba diui Petri uobis hodie commendo pro exordio huius sermonis. Qui enim ea rectè attendit, simul discet, & quid sibi uelit hoc festum, & admonebitur uidebítq; non stultum quid aut ludicrum, sed summã sapientiam esse, quod Ecclesia hodie agit. An non enim gaudendum creaturæ est, ubi creator tam benignum se ostendit? An non accurrendum est, ubi tanta miracula fiunt, tam noua, tam insolita? An non aperiendæ sunt & manus, & sinus, & corda, ubi tanta dona effunduntur? An non omnibus linguis canendum est, ubi omnibus ex æquo citra personæ respectum datur Spiritus sanctus? An non instantissimè orandum est, ubi orans certam salutem, & quidem æternam consequi potest? Atqui Petrus dicit omnia hæc hodie esse impleta. Hodie Deus se omnium

Act. 2. Ioel. 2.

maximè benignum & largissimum ostēdit. Hodie facta sunt miracula noua, quæ ab initio mundi facta non fuerant. An non noua & miranda sunt, quòd discipuli omnibus linguis loquuntur, & quasi uno momento toti immutati, aliiq; & noui homines facti sunt, adeò ut prophetare cœperint, qui nū quam literas didicerant? Sed pergamus. Hodie Christus Spiritum sanctum citra omnem personarum respectum effundere cœpit super uiros & mulieres, filios & filias, iuuenes & senes, seruos & ancillas: hodie dedit signa in cœlo sursum, & in terra deorsum. E cœlo enim misit spiritum, in hominibus autē & renouauit fidem sanguinis, & accendit ignē charitatis, & excitauit fumum & uaporē lacrymarum & pœnitentiæ. Et quid opus multis? Ab hoc die usq; in perpetuum

Ioel.2. incœpit esse tempus, in quo omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Nónne magna tibi hęc uidētur? Iustam igitur hodie gaudendi causam habemus, & quidem duplicē, nempe quòd & Spiritum sanctū accepimus & possidemus, & Christum etsi in cœlum abierit, nondum amisimus. Imò quia Spiritum sanctum misit, iam certò scim⁹, quòd uerè ad patrem uenit. Et quia tanta largitur in terris, dubitare non

In ingratos Christianos. possumus, eum reuera regnare in cœlis. Quid igitur de Saluatore tuo iustè conqueri potes ô ingrate Christiane? Naturam nostrā secum duxit in cœlum, ecōtrà suum spiritum nobis misit in terram. Nec est quod de creatore quicquam cōqueramur. Nam & cum non essemus, creauit nos: cum periissemus, redemit nos. Insuper iis non contentus, iterum hodie nouam è cœlo medicinam misit, imò iterum de nouo ipse descendit infirmos nos uisitare, idq; nō pertranseundo, sed perpetuò permanendo nobiscum. Quod enim Christus

Matt.28. de se ipso dicit: Ecce uobiscum sum usq; ad consummationē

Ioh.14. seculi, hoc idē dicit de Spiritu sancto, ut maneat, inquit, uobiscum in æternum. Vides igitur quid sibi uelit festum hoc, quàm dignè hodie gaudeamus & cantemus, quāque indignè Ecclesia ob hoc à quibusdam irrideatur. Sed de iis satis supérque pro exordio. Stat sententia, Christus ascendit, Spiritus sanctus descendit. Superest, ut utrunq; in nobis impleatur, ut & spiritum habeamus, & post Christum ascendamus. Ad hęc duo deinceps nobis inuigilandum est. Et quidem de ascensione & Christi & nostra alibi dictum est. Nunc pauca

De spiritu sancto. quædam de Spiritu sancto dicam, nempe quis sit in natura, cur dicatur spiritus, & cur sanctus, unde & à quo missus, ad quid

quid utilis & necessarius, quid operetur in nobis, per quid & ubi inueniatur uel acquiratur, per quæ signa eius præsentia cognoscatur, & tandem quibus modis retineatur & conseruetur. Omnia hęc notatu dignissima imò & necessaria sunt, ideo de singulis per ordinē dicam. Primò de Spiritus sancti natura & essentia disserere aut inquirere, longè superat intellectum nostrum. Si enim ea quæ in terris sunt difficile inuestigamus, quomodo possemus comprehēdere diuina? *Sap.9.* Deinde, quę uidimus & scimus, utcunq; loqui & testari possumus. At Deum nemo uidit unquam. Quis igitur naturam *Iohan.3.* eius explicare poterit? Sæpe quidem Deus in externa specie *Iohan.1.* patribus apparuit, ut Abrahæ in specie hominis, Moysi in *Gen.18.* igne, Israelitis in caligine & fumo sonóq; buccinæ, Eliæ au- *Exod.3.20.* tem in sibilo aurę tenuis, &c. Nihil autem horum expressit *3.Reg.19.* ipsam Dei substantiam, sed tantùm signa erant Dei præsentiā testantia. Sic & Spiritus sanctus sæpe quidem apparuit, *Matth.3.* nunc in columba, nunc in igne aut nube, attamen neq; co- *Act.2.* lumba, neque ignis, neque nubes erant eius substantia, sed *Matth.17.* tantùm signa præsentiæ eius. Deum igitur in substantia sua *Exod.33.* nemo unquàm uidit: non enim uidebit me homo, & uiuet *De substantia* (ait uox Dei) attamen nonnihil & de substantia Spiritus san *Sp.S.* cti scimus. unigenitus siquidem filius & de patre & de Spiritu sancto nobis pleraq; enarrauit. Adhæc Spiritus sanctus *Ioan.1.* multiplici operatione sua etiam se ipsum suiq; ipsius naturam satis ostendit, adeò ut confidenter nunc de ipso dicamus in Symbolo Nicæno, Credo in spiritum sanctum, dominum & uiuificātem, qui ex patre filioq; procedit: qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. En hic habes, quis sit Spiritus sanctus in natura & substantia, & quid de ipso credendum & sentiendum sit. Singula enim uerba speciale quid innuunt. Nam primò ne quis putet Spiritum sanctū non esse substantiam, *In negantes* sed tantum concitationē piæ mentis, quemadmodum qui- *Spiritū S. esse* dam perperam senserunt, dicimus in symbolo nos credere *substantiam.* in Spiritū sanctum, quo uerbo utiq; profitemur ipsum esse substātiam, imò Deum: nemo enim credit, hoc est, summam suam fiduciam ponit in creatura, sed in solo Deo. Deinde ne quis putet Spiritum sanctum esse quidem Deum, sed minorem patre & filio, id quod Arrius impiissimè sentit, nominamus ipsum dominum, quo uerbo excludimus creaturæ & ministri nomen, & ipsum patri & filio æquamus. *Cōtra Arriū.*

neque enim plures sunt domini. Præterea ne quis errandi ansam accipiat ex uerbo quod Christus dicit: Sicut pater mortuos uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Ne quis,
Ioh. 5. inquam, hic putet exclusum Spiritum sanctum, confitemur etiam eum esse uiuificantem, sicque rursum patri & filio
Contra Græcos. eum æquamus. Ad refellendum autem errorem Græcorum, qui contendunt Spiritum sanctum à solo patre procedere, addimus, qui ex patre filióque procedit. Postremò ne quis suspicetur Spiritum sanctum de nouo creatum, aut alium esse à spiritu ueteris testamenti, addimus, Qui locutus est per prophetas, quo uerbo ipsum facimus coæternum patri & filio. En tantum nos fides nostra docet de substantia Spiritus sancti. Et quidem nobis sufficiunt: plura & subti
Non est scrutanda maiestas. liora indagare periculosum est. Scrutator enim maiestatis opprimetur à gloria, id in multis hæreticis compertum est. Nobis igitur satis sit spiritum sanctum esse Deum, unúmq;
Pro. 25. cum patre & filio, uiuificatorem, patri filióq; coæternum, & eum ipsum esse, qui etiam in ueteri testamento per prophetas locutus est. Hæc, inquam, nobis sufficiant de ipsius substantia. Cæterum plura alia de spiritu sancto scriptura tradit, quæ utiliter inuestigari possunt. Horum primum est,
Cur dicatur spiritus. cur dicatur spiritus? Ad quod paucis respondeo. Primò quia Deus in se est spiritus, ut Christus ipse fatetur. Deinde spiri-
I. tus hic idē operatur in homine, quod uentus operatur ex-
Iohan. 4. ternè. Spiritus (inquit) ubi uult spirat, & uocem eius audis,
II. sed nescis unde ueniat, & quò uadat: sic etiam spiritus san-
Iohan. 3. ctus inuisibiliter in nobis operatur, sed tamen sensibiliter.
III Tertiò, ob id etiam spiritus uocatur, quia sicut spiritus &
Cur sanctus anima uiuificat & mouet corpus, sic spiritus sanctus uiuifi-
1. Reg. 18. cat & mouet animā eiusq; potentias. Ob has igitur causas
3. Reg. 22. dicitur spiritus commodè & propriè: Sanctus autem appel-
Act. 16. latur ad discretionem aliorum. Legimus enim in scripturis
Num. 5. Sauli fuisse spiritum à domino malū, & spiritum mendacem
Iud. 9. in ore Prophetarum, Achab spiritū uertiginis, spiritum py-
Osee 4. thonicum, spiritum zelotypię, spiritum fornicationis, spiri-
1. Reg. 16. tum nequam, spiritum immundum, spiritū huius mundi, spi
Luc. 11. ritum satanæ, & spiritum hominis. Ante ruinam exaltatur
1. Cor. 2. spiritus. Ab his omnibus secernitur spiritus sanctus, qui
2. Cor. 11. reddit homines mites pro ferocibus, eximit ab omni
Pro. 16. consortio Satanæ, inspirat huius mundi contemptum, dispellit omnem malitiam, largitur ueram charitatem, reuelat

scri

scripturarum arcana, docet omnem ueritatem, &c. Hæc nullus prædictorum spirituum præstat, imò potius contraria, ideo solus hic dicitur sanctus, tum quia unicus est spiritus naturâ sanctus & ex se sanctificâs omnia, insuper & omnia sancta docet. Qui igitur te ad superbiam, auaritiam, amorẽ mundi, &c. incitat, scito non esse spiritum sanctum, &c. Restat igitur considerare, unde & à quo missus fuerit spiritus sanctus. Hîc breuiter respõdeo, nimirum ab eo missum qui dixit, Ego rogabo patrem, & alium paraclêtum dabit uobis, &c. Itémq;, Expedit uobis, ut ego uadam, si enim non abiero, paraclêtus non ueniet ad uos: si autem abiero, mittam eum ad uos. Soli igitur Christo acceptũ ferre debemus datũ & acceptum spiritum. Nihil hîc nostra merita egerũt, sed sola misericordia Dei. Quàm necessarius autẽ nobis sit spiritus sanctus, scriptura sacra apertissimè testatur, per ipsum enim adducimur ad Christum (nam sine speciali tractu patris nemo uenit ad ipsum) ꝑ ipsum regeneramur. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Per eundẽ hunc spiritũ lauamur à peccatis, efficimúrq; tẽplũ Dei. Præterea is idẽ spiritus in nobis mortificat carnales cõcupiscentias, excitátq; in nobis fructus spirituales. Postremò is idem spiritus certissimũ est pignus salutis nostræ. In ipso enim fiducialiter ad Deũ clamamus, Abba pater. Et q̃d opus multis? Sicut corpus humanum neq; uiuere, neq; sentire, neq; moueri potest, nisi ꝑ spiritũ & animã, sic interno homini nostro neq; uita, neque sensus, neq; motus ad bonũ est sine spiritu sancto. In summa, adeò necessarius est nobis spiritus sanctus, ut sine illo nemo sanctificetur, sine ipso nemo ad Christũ ꝑtineat Paulo dicẽte, quod ad Christũ nõ pertineat, qui spiritũ eius nõ habet. Et ut semel omnia dicã, tã necessarius est nobis spiritus sanctus, ut sine ipso misera sit natura tã humana, quàm angelica. Nõ enim ratione substãtiæ differt à diabolo Michaël, à Pharaone Moyses, à Iuda Petr⁹: sed hoc solo discernuntur spiritu, quem isti acceperũt, illi indigni iudicati sunt. Et q̃d opus est multis? Quàm necessarius est corpori humano spiritus animalis, sine quo corpus nec uiuit nec sentit, imò nihil nisi trũc⁹ est, tã necessarius est homini interno spirit⁹ sanct⁹, quo si caret, nihil agere põt. Id q̃d Ecclesia uerissimè ꝑstat, cùm canit, Sine tuo munere, nihil est in homine, &c. Quàm necessariò igĩ corp⁹ humanũ eget spiritu & anima

Vnde & à quo missus spiritus sanctus.

Iohan. 14.

Ioh. 16.

Quàm necessarius sit spiritus sanctus.

Ioh. 6.

Iohan. 3.

1. Cor. 3.

Galat. 5.

Eph. 1.

Ro. 8.

Ro. 8.

Spiritu differunt boni à malis.

anima ad opera externa, tam necessario nos egemus spiritu sancto ad opera spiritualia. Verum nunc tandem considerandum est quid spiritus sanctus operetur in nobis. Hoc autem facilè patebit scripturas sacras legenti, uel ex his rebus, quibus spiritus assimilatur, uel ex uariis nominibus, quibus in scriptura appellatur. Certum autem est, quòd spiritus sanctus comparatur uento, Iohan. 3. Item aquæ, Iohā. 4. & 7. Item igni, Luc. 12. Item oleo, Psal. 44. & 1. Iohan. 2. E quibus similitudinibus facilè intelligi potest operatio spiritus sancti, &c. Expende si libet singula. Ad hæc multis nominibus insignitur spiritus sanctus in scriptura, non ob aliud, quàm ut uel hinc eius operatio cognoscatur. Sic Christus ipsum nominat digitum Dei, item paraclētum & spiritum ueritatis. Sic Dauid ipsum nominat spiritum rectum, quòd deducat nos in uiam rectam. Itémque spiritum principalem, quòd confirmet nos, ut nullis perturbationibus à Christo separemur. Dicitur item spiritus bonus, quē Deus dat petentibus se: per ipsum enim diffundit charitatem in cordibus nostris. Dicitur item spiritus adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater, &c. Hæc & huiusmodi plura nomina quanquam miram consolationem afferant credentibus, Ecclesia tamen more amantium multis aliis nominibus eum cōpellat. Nam in hodierno hymno nominat ipsum paraclētum, Donum Dei altissimi, Fontem uiuum, Ignem, Charitatem, Vnctionem spiritualem, &c. Insuper in Sequentia nominat ipsum Patrem pauperum, Datorem munerum, Lumen cordium, &c. Hæc nomina omnia eò tendunt, ut agnoscamus, quid spiritus sanctus operetur in nobis. Quàm igitur stulti sunt, qui sine hoc spiritu quicquam se posse confidunt! Certè Ecclesia aliter sentit: nam in omnibus semper gratiā spiritus sancti inuocat, id quod in hodiernis canticis plus satis ad oculum patet. Hanc imitemur fratres charissimi, dicamus cum eadem, Veni creator spiritus, mentes tuorum uisita, imple superna gratia, quæ tu creasti pectora. Et iterum in Sequentia, Spiritus sancti assit nobis gratia, &c. Itémque, Veni sancte spiritus, & emitte cœlitus tuæ lucis radium, &c.

Quid sp. S. operetur in nobis.

Luc. 11. *Ioh. 16.* *Psa. 50.* *Rom. 5.* *Rom. 8.*

SECVNDVS SERMO DOCET,

quid à Spiritu sancto petendum, Latinè scriptus ab ipso authore.

Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. *Psal.* 103.



NON arbitror necessarium esse, ut causas assignem, cur Ecclesia fidelisque populus hodierna die tantum gaudij pr̨ se ferat. Scit enim & scire debet quilibet Christianus, quòd festum hoc unũ de principalioribus est, earúmq; dierum una, in quibus Deus speciali quodã modo bonitatem & gratiã suã nobis ostẽdit. Vnde & nõ immeritò hæc dies festúmq; hoc statim ab exordio incœpit cum gaudio, ac ad nos usq; semp cũ gaudio celebratũ fuit, quãuis nõ oẽs gaudiũ hoc ĩtelligãt. Nã in primo exordio huius festi, cùm gaudiũ hoc spiritus tã repẽte & insperatò inciperet in apostolis, imò tã mirabiliter erũperet, ut q prius nedũ indocti, sed etiã tã timidi fuerãt, ut nõ auderẽt in publicũ prodire, nũc intrepidè prodirẽt, ac oĩbus linguis gloriã Dei celebrarẽt. Cùm, ĩquã, gaudiũ hoc tã mirabiliter incœpisset, nõ potuit mũdus nõ admirari: nesciebat enim causam tãti gaudij, nec unquã simile uiderat. Vnde & Petrus coactus fuit causam rei exponere, ꝑpter eos maximè, q putabãt hoc ex ebrietate cõtingere. Viri Iudæi, inquit, & q habitatis Ierusalẽ, notum sit uobis, & auribus pcipite uerba mea. Nõ enim sicut uos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia, sed hoc est, quod dictũ est p prophetã Ioẽl. Et erit in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundã de spiritu meo sup omnẽ carnem: & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ, & iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniabunt. Et quidẽ super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundã de spiritu meo. & ꝓphetabũt, &c. Hæc, inquit, est causa nostri gaudij: hodie enim effusus est spiritus, hodie etiam indocti prophetare cœperũt: hodie tẽpus illud incipit, in quo quicũq; inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. His & similibus uerbis Petrus infidelibus, imò & deridẽtibus, causam huius festi exposuit. Apud nos autẽ nihil horũ opus est. Qui enim Christianã mẽtẽ habet, nõ irridebit, imò ne mirabitur qdẽ hodiernũ Ecclesiæ gaudiũ, qn magis cõfitebitur iustissimè hoc fieri, nec unquã Christianũ hodie satis gaudere posse. Hodie enim impleuit, quod toties apostolis promisit, imò hodie primùm perfectè impleta fuit promissio Abrahæ facta. Benedicam, inquit, tibi,

Act. 2. *Ioel.* 2. *Gen.* 22.

& multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & uelut arenam, quę est in litore maris: posside bit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti uoci meæ, &c. Et priora quidem impleta erant, sed ultimum restabat. hoc autem hodie impletum est. Hodie enim incœperunt etiam gentes benedici per Christum, quid ni igitur gauderent? An nõ causam gaudij habet uidua in paupertate cum multis filiis relicta, si ei contingat, qui eam cum filiis curet & nutriat? An non causam gaudij habet pauper, si à diuite in hæreditatem admittatur, iámque pignus habet eiusdem hæreditatis? An nõ causam gaudij habet, qui in solitudine oberrat, si fidelem conductorem inueniat? Quid autem est Ecclesia post ascensionem Christi, nisi uidua cum multis pueris in paupertate relicta? Et qui sumus nos nisi pupilli, magnã quidem hæreditatem habentes, sed infirmi & ignorantes? Imò quid aliud sumus nisi pauperes & errabundi? Econtra autem spiritus sanctus pater est & iudex uiduarum, tutor pupillorũ, pignus hæreditatis perpetuæ, doctor errantium, cõsolator mœstorum, &c. His enim & similibus titulis insignitus est in scriptura. Hunc autem patrem, tutorem, doctorem, consolatorem, &c. Ecclesia hodie primùm recepit, ídque nõ in unũ diem aut annum, sed in perpetuum, ut maneat, inquit, nobiscum in æternum. Cur igitur nõ gauderemus, Deúmq; laudaremus, imò cur non ex toto corde ad hunc tantum hospitem conuerteremur, in quo post Christi ascensionem omnis nostra consolatio consistit? Apostoli primùm illud Christianæ pentecostes festum in laudem Dei impenderũt: Loquebantur (inquit Lucas) uariis linguis magnalia Dei, quid enim facerẽt spiritu sancto repleti? Post apostolos autem succedentes patres festum hoc in orationibus expenderunt, quemadmodum apparet in tot hymnis & orationibus in laudem spiritus & pro inuocanda ipsius gratia compositis. Et quid aliud etiã hodie facit Ecclesia, quàm quòd omnem suum cultum ab inuocatione spiritus sancti incipit & terminat? quæ omnia satis indicant, tam Ecclesię in communi, quàm cuilibet fideli in speciali non parum situm esse in gratia spiritus sancti. Atque utinam ipsas Ecclesiæ ad spiritum sanctum orationes expenderemus, & eisdem etiam uteremur. Lõge enim & meliores & utiliores nobis essent, quàm peculiares illæ orationes, quas nobisipsis eligimus, non

Ecclesia uidua. *Nos pupilli* *Ioh. 14.* *Act. 2.* *Ecclesiæ orationes nostris priuatis potiores.*

non quòd has damnem, sed quòd Ecclesiæ orationes certiores iudicē, ut quæ ex scriptura sumptæ sint. Sed quis oīa tam breui temporis spatio percurrere potest? Vnum igitur uersiculum ex Dauide proponam uobis, quo & ipso Ecclesia hodie in orationibus utitur. Is enim satis docebit, quomodo spiritus sanctus inuocandus sit. Sic autē dicit Dauid: Emitte spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciē terræ, &c. Hoc uerbum non semel hodie repetit Ecclesia, idq; per modum orationis, cùm in Hebræo non sic ponatur, Emitte spiritum, &c. sed, Emittis spiritum, ut correspondeat his quæ præcedunt, Dante te illis colligent, auferes spiritum eorum, & deficient. E cōtrario, Emittis spiritum & creantur, &c. Cur autem Ecclesia hoc uerbo per modū orationis utatur, infrà patebit. Duobus igitur modis uerbū hoc huic festo cōgruit. Primò enim naturā & conditionē spiritus sancti declarat, deinde docet, in quem finem spiritū sanctum petere & inuocare debeamus. De natura, cōditione, & operatione superioribus annis plura dixi: non enim unā tantùm operationem habet. Quinimò Christus multiplicē spiritus sancti operationem in Euangelio declarat, cùm eū nunc paraclētum, nunc spiritum ueritatis nominat. Consolatur enim & docet, arguit mundum, cōfortat, illuminat, dirigit, accendit, monet pios, clarificat Christum. Summa, spiritus sanctus unicus est in natura, sed multiplex in operatione. Ideò nō in una tātùm forma apparuit, sed nūc in nube, nūc in colūba, nūc in igne, nūc in linguis, nūc in uēto apparuit, ut uel hinc operationes eius agnosceremus. Verùm his omnibus prętęritis, Dauid duas tātùm spiritus operationes hic ponit, quæ sunt creare & renouare. Horū primū ad creationē, secundum ad cōseruationē, imò annuā etiā renouationem pertinet: utrūq; enim per uerbum & spiritum sanctum fit. Nos autem in præsentiarū per renouationē intelligemus tātùm reparationē hominis: p spiritū igitur sanctū omnia creata sunt, per spiritum sanctum homo reuocatus est. De primo dicit Psalm., Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorū. Itē, Spirit' domini ornauit cœlos, &c. De secūdo dicitur in Ezechiele, Dabo uobis spiritū nouū, & auferā cor lapideū, &c. Item Ioël, Effundam de spiritu meo, & prophetabunt. Sicut igitur Deus per uerbū spiritu suo omnia creauit: sic per idem uerbum incarnatum in spiritu sancto hominem renouauit. Et sicut sine uerbo

Psal. 104.

Multiplex spiritus sancti operatio.

Psal. 33.
Iob 26.
Ezech. 36.
Ioel. 2.

uerbo & ſpiritu ſancto creaturæ nō poſſent manere in Eſſe naturali:ſic nec homo ſine uerbo & ſpiritu S. manere poteſt in Eſſe ſpirituali. Hæ igitur ſunt operationes ſpiritus ſancti, circa quas pius homo multa & magna meditari poſſet. Certè Dauid longum Pſalmum cātauit de operibus Dei circa creaturas, imò non unum Pſalmum, ſed plures. Benedic, inquit, anima mea dominum: domine Deus meus magnificatus es uehemēter, confeſſionem & decorem induiſti, &c. & ſic per totum Pſalmum illum, quanto maiora Chriſtianus cantare poſſet de operibus Dei circa reparationem hominis? Quicquid enim in prima creatione, Deus per ſpiritum ſanctum fecit corporaliter, hoc ſpiritualiter etiam per eūdē ſpiritum fecit in recreatione. Illic creauit cœlum, hîc ſpirituales cœlos: illic ornauit cœlos ſtellis, hic Apoſtolos donis: illic ſanctificauit terram, hîc corda hominum: illic hominē ad imaginē Dei fecit, hic ad ſimilitudinem: illic hominē corporaliter benedixit, hic ſpiritualiter, &c. Et quis ſingula recenſebit? Nemo ſatis explicare poteſt, quātū ſapientiæ, bonitatis, potentiæ in creaturis oſtendit, multo minus hic explicari poſſunt Dei opera. Hæc igitur cauſa eſt, quòd Eccleſia hoc uerſiculo per modum oratiōis utitur. Eſt enim ſenſus, quaſi dicat: Emiſiſti ſpiritū tuū in prima creatione, & mirabilia facta ſunt, emiſiſti eundem in hominis recreatione, & etiā magnà facta ſunt. Nunc autē eadem tua opera deferunt, euanuit lux cognitionis tuæ, & diabolus zizania ſuperſeminauit, quæ à nullo extirpari poſſunt, niſi à ſpiritu tuo. Emitte igitur ſpiritum tuum, tuum, inquam, ſpiritum: nō enim aliū petimus. Alienorum enim ſpirituum plenus eſt mūdus, imò penè quilibet ſtatus ſuo quodam ſpiritu ducitur, imò ſeducitur. Nam potentes ut plurimum ſpiritu mundano reguntur, quo fit ut tantùm mundana curent, cōcupiſcentiam ſcilicet carnis & oculorum, & ſuperbiam, diuina autem negligant. Paſtores eccleſiæ laborant vt plurimum ſpiritu ſoporis, quo fit ut eccleſiam negligant, & alienis rebus ſe occupent, quēadmodū dormientes ſomniis occupantur, & res ueras negligunt. Prædicatorū maxima pars laborat ſpiritu ambitionis: alii laborāt ſpiritu uertiginis, qui ſcilicet non conſtāt ſibi in ſuis uerbis, ſed ſubinde noua commiſcentur: alij laborant ſpiritu mendaci, qui ſcilicet apertè falſa docent, ſicque miſeros decipiunt, quemadmodū & Achab regi contigit. Vulgus autē Chriſtianorū miſere uexatur à ſpiritibus ſuperbiæ, fornica

Pſal. 103.

Collatio ueteris & nouæ creationis.

Gen. 1.

Explicat uerſum Emitte ſp. &c.

Diuerſitas ſpirituum.

1. Ioh. 2.

Ioh. 10.

Iſa. 20.

Iſa. 16.

3. Reg. 22.

fornicationis, auaritiæ, inuidiæ, &c. Quid igitur mirũ, si male habet Ecclesia? Congruè ergo ipsa petit spiritũ Dei, qui qualis sit ostendit Isaias, cum dicit: Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cõsilij & fortitudinis, spiritus sciẽtiæ & pietatis, imò spiritus timoris domini, &c. Hoc spiritu opus habemus in Ecclesia. Omnes enim Christiani opus habẽt spiritu sapientiæ, ut eis sapere incipiant spiritualia & diuina. Prælati opus habent spiritu intellectus: principes autem spiritu consilij: prædicatores spiritu scientiæ: instabiles spiritu fortitudinis: pseudochristiani opus habent spiritu ueræ pietatis: peccatores autem spiritu timoris Domini: omnia hæc petit Ecclesia cum dicit, Emitte spiritum tuum, &c. In summa, Ecclesia uidet, quòd nullus alius spiritus ita pium hominem in suum finem ducere põt, & regere, ut spiritus S. oẽs alij spiritus decipiunt. Hoc itaque exemplum Ecclesiæ imitemur, ut ante omnia oremus, ne Deus Ecclesiam suam spiritu S. destituat: sicut enim per ipsum fundata est, sic per eundem spiritum conseruatur: & quò magis spiritus crescit, eò magis & Ecclesia crescit, & è contra, id quod re ipsa experti sumus. In exordio enim cum spiritus sanctus in plenitudine adesset, creuit Ecclesia, postea autem cum exiret spiritus sanctus, mundanus autem spiritus intraret, cœpit decrescere Ecclesia, & adhuc decrescit, nec unquam in statum pristinum restituetur, nisi ad spiritum S. cõuersi ex toto corde inuocemus. Cæterum non satis est pro Ecclesia orare, nisi & pro nobis ipsis oremus. Ecclesia quidem spiritu S. indiget, ut iam dictũ est, indigemus & nos eodem spiritu. Quod si non credis, attende primò, quis sis, nempe secundum naturam homo, secũdum professionem Christianus. Attende secundò, ad qd uocatus sis, nempe non ad otium, sed ad currendum pro brauio, & ad pugnãdum pro corona. Attende tertiò, ubi sis, nempe in mundo, ubi uariæ tentationes: & in regno Diaboli, ubi nulla pax & securitas est. Attẽde quartò, quid tibi adhuc restet, nempe mors & iudicium. Hęc, inquam, attẽde, & uidebis, in qbus indigeas gratia spiritus sancti. In omnibus enim his opus habes spiritu S. Meritò igit Christianus semper in ore habere deberet uerbum istud, Emitte spiritũ tuũ, &c. Sed quid à S. spiritu petendum? ut creẽtur in nobis opera Dei, queadmodũ ab initio. Primò ut in nobis oriatur lux fidei & cognitionis diuinæ. Sic Paulus sæpe orat pro fidelibus, ut crescant in agnitione Dei. Secundò, ut uoluntas nostra

Ecclesia à spi. S. cõseruatur.

Non satis est orare pro ecclesia.

1. Cor. 9.

Quid à S. spiritu petendũ.

I.

II.

Ephe.3. stra firmetur in bono. Sic Paul': Det uobis corroborari per
III. spiritũ in interiori homine, &c. Tertio, ut terra ab aquis re
Psal.50. purgata fructificet. Sic Dauid, Cor mũdũ crea in me Deus,
& spiritũ rectũ innoua in uisceribus meis: ne proiicias me à
facie tua, & spiritũ S. tuũ ne auferas à me. Redde mihi lætitiã
IIII. salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Quartò oran
dum, ut in cœlo nostro, hoc est, in nobis ipsis, etiã magna il
la luminaria habeamus fidẽ, spem, & charitatem, ut scilicet
V. fides luceat ut luna, charitas ut sol, uirtutes ut stellæ. Quintò
Psal.18. orandum, ut etiam corda nostra ad superna eleuentur. sicut
Psal.142. quinto die aues creatæ sunt. Sic orat Dauid: Inclina cor meũ
in testimonia tua, & nõ in auaritiam Sic idem: Spiritus tuus
VI. bonus deducet me in terram rectam. &c. Sextò orandũ, ut
ad imaginem & similitudinem Dei reformemur. Sic Paulus
orat, ut spiritus, anima & corpus nostrum in diem domini
seruetur. Hæc sunt, quæ à spiritu S. petenda sunt. Quod si ita
1.Thess.5. orauerimus, primò pro Ecclesia in cõmuni, deinde pro no-
bis ipsis, renouabitur facies Ecclesiæ, quæ admodum fœda
nunc uidetur. lõgè enim pulchrior olim fuit. Primi enim cre
dentes erant magnanimes in fide, strenui in uerbo Dei, pij
in conuersatione, unanimes in charitate. Hæc fuit & est uera
facies Ecclesiæ, quam renouare dignetur spiritus S.

TERTIVS SERMO DOCET,
quid hodie considerandum sit.



FESTVM hodie celebramus cum primis magnũ & solenne, quod non solum inter præcipua & principaliora festa sanctæ Christianitatis numeratur, uerum etiam uniuerso Christiano populo ubiuis in orbe degenti, commune est, & præterea iam indè ab initio in tota Christianitate summo cum gaudio & deuotione obseruatum fuit, originẽ ducens ab Apostolis, qui primi tanta lætitia ac pietate hoc festum celebrauere, ut omnis populus accurreret, & attonitus rei magnitudinem admiraretur, adeò, ut illo statim die tria millia hominum ad fidem conuerterentur. Quod autẽ post Apostolos hic dies apud omnes alios Christianos homines semper magnus & celebris habitus fuerit, satis testantur scripta patrum, quæ Ecclesiæ utilitatis ergo post se reliquerunt. Ad hæc nemo hominum memoria tam temerarius & præsumptuosus repertus est, qui hoc festum damnare aut abrogare fuerit ausus, cùm alioqui inueniantur, qui alia

Eccle

Ecclesiæ festa nō modò uerbis damnauerunt, sed etiā ipso facto sustulerunt antiquarúntq;:attamen hoc festum etiam apud illos suā retinet authoritatē & existimationē. Quia ergo res ita habet, par est, ut etiam nos festū istud tanto maiore cū deuotione colamus, nec ullo modo cōmittamus, ut à cōmuni Christiani orbis gaudio separati uideamur: nam quoniam antiquitas hodiernū diē semper singulari religione & lætitia celebrauit, dubiū esse nemini potest, quin magni quiddam hoc die acceperit. Et ita omninò res habet: quicquid enim sancta Christianitas spei & solatij, præsidij ac roboris, gratiæ ac bonorum, securitatis & fœlicitatis habet, id uniuersum hoc die per spiritum sanctum consecuta est, atque is nisi uenisset, nostraq; corda præparasset, frustra esset, quicquid Christus docuisset, fecisset, passus esset, & promeruisset. Quid ni igitur Ecclesia his bonis gaudeat? Imò quis nō erga hoc festum amore, desiderio & deuotione singulari afficiatur, qui talia audit, legit aut nouit? Nec aliud quicquam est, per quod eiusmodi deuotio impeditur, quàm quòd maiori Christianorū parti eæ res curæ nō sunt. Ne itaque nos in communi & publico gaudio totius Christianæ Ecclesiæ segnes esse & torpere uideamur, necessarium duxi dilecti ac deuoti, uos duarum rerum hodie commonefacere. Primò, ut ante omnia causam hodierni gaudij attendatis (si quidem hominē Christianū scire oportet quid faciat, ut ante omnia, cuiuis petēti rationem reddere possit) Secūdò, ut simul discatis festum istud ita celebrare, ne à prima origine discrepet: nam ubi hæc duo tradiderim' obliuiōi, haud fructū aliquē ex hoc festo reportabim', & insup neq; Deo neq; ordinationi Ecclesiæ satisfaciemus. Deus eñ nō externā speciē, sed ueritatē à nobis poscit ac desiderat. Nec Ecclesia alia de causa sua festa instituit, quā ut De'p ea colat, & nos meliores reddamur. Hęc, inquā, causa oīum festorū est, & hāc cām quisquis nō assequit, is sua festa Iudaicè magis, quā Christianè peragit. Proin duo illa superi' cōmemorata paucis explanabo, nimirū quę causa sit huius festi, & quomodo celebrādū sit: nā de spiritu sctō aliisq; rebus ad hoc festū pertinētibus alibi prolixè disserui. Causam hodierni gaudij, qd' Ecclesia prę se fert, inuenire quiuis facile pōt, qui eā paulò diligentius inuestiget. Etenim principiò Lucas totam historiā istius festi, ab initio ad finē usq; accuratissimè perscripsit. Secūdò, Christus ipse hunc diem

1. Petri 3.

Quam ob causam Ecclesia festa instituerit.

Act. 1.

Apo

Apostolis suis sæpe prædixit, & quidem semper consolatio-
Luc.24. nem admiscens, uti cum ait: Vos autem sedete in ciuitate
Act.1. Hierosolyma, quoad usq; induamini uirtute ex alto. Et ite-
rum: Accipietis uirtutẽ superueniẽtis spiritus sancti in uos,
& eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Sa-
Ioh.14. maria, & usque ad ultimum terræ. Item, Non relinquam uos
orphanos, sed ueniam ad uos, & rogabo patrem, & aliũ Pa-
raclêtum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spi-
ritum ueritatis. Et paulò pôst: In illo die uos cognoscetis quia
ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Et rur-
sus: Venit hora cũ iam non in prouerbiis loquar uobis, sed
palam de patre annũtiabo uobis. in illo die in nomine meo
Iohan.7. petetis. Et iterum: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. qui bi-
berit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed
Ioh.4. aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in ui-
tam æternam, &c. His uerbis Christus ueluti digito hodier-
num istud festum demonstrauit. Idẽ hoc antea fecerant pro-
phetæ, quorum non unus tantùm, sed multi hunc diem, uel
potius gaudiũ huius diei clarissimè prædixerũt. Super hac re
lege Isa.35.54.55.66. Hier.31. Eze.36. Iohe.2. Mich.4. Zac.2. il-
lic uidebis uera esse quæ dico. Ad hæc omnia, festum quoq;
istud, seu uerius ineffabile gaudiũ huius diei, multis figuris
& imaginibus prænotatum fuit, quorum aliquot postea enu
merabo. Sed dices fortè: Simplex ego sum homo, indoctus
& idiota, idcircò singula legere nõ possum, multò minus in-
telligere, aut memoria tenere. cupio paucis audire causam
Summa hodierni festi. hodierni gaudij, &c. Age, tribus uerbis summã hodierni fe-
sti accipe. Hodie completi sunt dies Pentecostes, hodie spi
ritus S. in igne discipulis apparuit, & tribuẽs eis charisma-
tum dona, misit eos in orbẽ uniuersum prædicare & testifi-
cari: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sic canit
hodie Ecclesia, atq; in his paucis uerbis habes summã istius
festi, nimirũ qđ sit illi nomẽ, quid nobis attulerit, & quid ui-
cissim à nobis postulet. Hodie (inquit ecclesia) cõpleti sunt
dies Pentecostes, hîc habes nomen istius festi: sic enim uo-
catur à S. Luca & Paulo. Pentecoste autem Græcis sonat qn
1.Cor.16. Pẽtecoste quid significat. quagesimam: potuisset sanè hoc festũ aliis & clarioribus uer
bis appellari, attamen non abs re Græca uox inoleuit, siqui
dem Spiritus S. per eam peculiaris cuiusdam rei nos cõmo-
nefacere uoluit. Præterea Ecclesia hoc noĩe admonet nos
figurarum ueteris testamenti, quibus festum istud prænota-
tum

rum fuit:nã legimus Israëlitas ternas habuisse quinquagesimas, eásq; semper lætas. Vt enim in diuina scriptura numerus quadragenarius tristitiã pœnitentiæ significat, sicut Genesis 7. Num. 14. Deute. 9. Ion. 3. Matth. 4. uidere est:ita quinquagenarius plerũq; gaudiũ & lætitiã denotat. Porrò ex sacris literis demonstrari potest, filios Israël quinquagesimo die post exitũ ex Aegypto legem accepisse in monte Sinai: hæc prima Pẽtecoste seu quinquagesima fuit, cum primis celebris & lęta, quia honorificum uehemẽter & laudabile illis erat, quod Dei uocẽ audiebant, & ab ipsomet prę omnibus alijs legẽ accipiebant: non enim taliter fecit omni nationi: deinde etiã illis consolatoriũ uehemẽter est, quod Deus cũ eis fœdus inibat. Præter hanc quinquagesimã habuerunt insuper aliã, eámq; annuam: nam primã hanc non nisi semel habuerunt. Erat autẽ illis pręceptũ, ut à festo Paschę septem hebdomadas, hoc est, quinquaginta dies numerarent, qui cum essent euoluti, ea erat altera Pentecoste seu Quinquagesima. Supra hæc, quinquagesimo quoq; anno Iubileũ habebant, in quo cuique ad pristinã suam familiã, possesionẽ libertatẽq; reuertẽdi dabatur potestas. Triũ harum figurarũ nos admonet Ecclesia eo uerbo, ubi ait, Hodie cõpleti sunt dies Pentecostes, &c. Perinde est ac si dicat: Mẽte uobiscum recolite filij, quibus nos bonis hæc quinquagesima dies ab resurrectione domini auxerit. Multas quidem quinquagesimas filiis Israël habuerũt, at hęc nostra una cæteras omnes anteit: illi enim figuras tantùm habebant, nos ueritatem habemus. Illi pro re magna ducebant, quod legẽ Dei saxeis tabulis insculptam, accipiebant: at multo maius est, legem Dei scriptam in cordibus, accipere per spiritum Dei uiuentis. Sic magnũ quid esse arbitrabantur, quòd quotannis primitias fructuũ terræ offerebant, sed longè superat, quod Ecclesia per Spiritum sanctũ, qui corda nostra impinguat, fructus ueræ pietatis litat, ídque nõ semel in anno, sed frequenter & omni die. Sic mirificũ quiddam illis uidebatur, quod post annum quinquagesimũ etiam ad pristinã suam libertatẽ & hæreditatem redire poterant: uerùm multo admirabilius est, quod à tempore aduentus Spiritus sancti, nobis id quotidie conceditur ac permittitur. Harum nos rerum admonet Ecclesia, ubi sic ait: Hodie completi sunt dies Pentecostes; nam hodie spiritus sanctus credẽtibus legem Dei inscripsit pectoribus, hodie inculta gentilitas fructus ferre cœpit, &

Psal. 147.

Exod. 24.

Leuit. 25.

Differentia quinquagesimæ nostræ & Iudaicæ.

manipulos suos bonorũ operum ad altare Dei deferre. Hodie indictus & proclamatus est uerus Iubilæus, hoc est, annus gratiæ & remissionis, ĩ quo gratia cõtingere cuilibet potest: nullum enim tã atrox peccatũ est, quod remitti nõ possit: nemo tã longè à Deo recessit, cui spes gratiæ relicta nõ sit: nemo tã iniqua & dura cõditione peccatis & diabolo uẽditus ac oppignoratus est, quin si uelit, non possit liberari. Hoc animis omniũ credentiũ imprimi fideliter debet, quòd hodie cõpleti sint dies Pentecostes. Vnde autẽ (inquis) tãta bona proueniunt? Audi, quid sequatur: Hodie Spiritus sanctus discipulis apparuit. Hæc causa est omniũ bonorum. Apparuit discipulis (canitur) non in uisione, ut olim Prophetis, sed in igni, hoc est, in omniũ efficacissima operatione: ignis enim inter omnia elementa uehementissimè operatur, nam quicquid apprehendit, id aut liquefacit, aut purgat, aut consumit, &c. Et quid aliud cernimus in S. Apostolis, quàm eiusmodi, hoc est, omniũ efficacissimã operationem Sancti Sp.

Matth. 26. Aspice diuum Petrũ, quis fuerit ante, & quis postea fact⁹ sit, &c. Antea abnegabat Christum uel ad unicũ uerbum unius *Act. 4. 5.* ancillę, postea uerò etiã ad minas principũ & potentiũ intrepidus perstabat. Sic nec reliqui discipuli in uernacula sua lingua, apud amicos & uicinos Christũ profiteri palã audebãt, postea autẽ uariis linguis, etiã coram exteris professi sunt. Idcirco hodie Spiritus sanct⁹ discipulis in igne apparuit, impartiens illis dona charismatũ. Sed hoc quid ad nos, dicat aliquis? Audi frater, quid Ecclesia porrò canat: Misit eos in uniuersum orbẽ prædicare & testificari: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Númnam uides, in nostrã gratiã hæc omnia facta esse? Nobis Apostoli parabantur, nos opus habebamus Euangelicis doctoribus, qui omniũ linguarum probè periti essent, nec quenquã timerent, quiq; denique ignea uerba proloquerẽtur. In hoc Spiritus sanct⁹ hodie Apostolos fecit, atq; eos quàm primùm ad prędicandũ amã- dauit. Habetis hoc pacto triplicẽ causam hodierni gaudij.

Triplex causa hodierni gaudij.

Prima est, quòd præterquam quòd Deus pater cœlestis nos creauit, Deus filius nos redemit, etiam tertia persona in

1\. trinitate, hoc est, Spiritus sanctus, ad nos uenit, nostri curam suscepit, factus est nobis cõsolator, doctor, dux, gubernator & protector, à quo sperare & expectare omnia possumus, quę in nobis & à nobis habere nequimus, & ad quẽ tutò cõfugere possumus in omni necessitate. Secunda causa est, quòd

quòd hodie cœptũ est Euangeliũ gratiæ prædicari palam, nec in hoc tempus desitum est, donec etiã ad nos peruenit. II.

Tertia est. quòd hodie uerus & æternus Iubileus incœpit, aut, ut propheta Isaias loquitur, annus placabilis domino. III. Isa.6. Roget nunc aliquis, ánne sufficiat, scire causas hodierni gaudij? Nequaquam, sed hic dies ita à nobis obseruandus est, ut primæ suæ origini respõdeat. Itaq; obserua, quomodo Apostoli hoc festum celebrauerint. Primò, cum Spiritum sanctũ Act.1. accepissent, quamprimum incipiebant laudare Deũ, & facta eius insignia prædicare, itẽ de Christo etiã dicere, miracula edere, nec non impauidis animis in aduersitatibus constanter in bono perseuerare. Hæc conuersatio eorũ fuit coram mundo, sed ipsi inter sese cõstantes & unanimes erant in doctrina Apostolorũ, in usu sacramenti & in oratione, atq; idẽ erat omniũ cor & animus, nec quisquã sibi propriũ esse aliquid contendebat, &c. Hęc Apostolorũ uita & studiũ fuit hodierno die. Verum si tibi hęc difficilia nimis uidentur, saltem imitare filios Israël, horũ erat parata & prõpta uoluntas, cũ illis lex daretur. Omne quod locutus est dominus (inquiebant) hoc faciemus. In festo quinquaginta dierum aut septẽ Deut.16. hebdomadũ, offerentes fructuũ primitias, gratias dicebant Deo, in anno Iubilæi tubis & buccinis canebãt præ gaudio, &c. Hos imitemur, si illud prius nimiũ difficile est: gratias agamus domino Deo pro accepta gratia Spiritus sancti, Spiritũ sanctum inuocemus, piè uiuamus, ut Spiritus sancti capaces esse ac fieri queamus. At si quis peculiarẽ formam Deũ laudandi, sanctúmque spiritum inuocandi desiderat, is Psalmos, hymnos, aliósque cantus & orationes, quibus Ecclesia hodie utitur, satis formæ & modi habebit orandi laudandique, non hoc die solum, sed per totam septimanam, Deus nos omnes sua donet gratia, Amen.

QVARTVS SERMO DOCET, *qua ratione hodiernum festum Christianè celebrandũ sit, ab ipso authore latinè scriptus.*



CVM mecum cogito quantum gaudij & consolationis primi credentes hoc die è cœlo susceperint, & quòd eiusdem gaudij etiam nos in hunc usque diem si uolumus participes esse possumus, uideor mihi sermonẽ hũc nõ posse

melius auſpicari, quàm ab eo uerbo, quod hodie omnibus Chriſtianis prælectũ & prçcantatũ fuit, nimirũ ubi ſacerdos dixit, Surſum corda ô fratres habeamus ad dominũ, gratias agamus domino Deo noſtro: uerè enim dignũ & iuſtũ eſt, æquũ & ſalutare, nos tibi ſemper & ubiq; gratias agere, etet ne Deus per Chriſtũ dominum noſtrum. Qui aſcẽdens ſuper omnes cœlos ſedénsq; ad dexterã tuam promiſſum Spiritũ ſanctũ hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profuſis gaudiis totus in orbe terrarũ mundus: Sed & ſupernæ uirtutes atq; angelicæ poteſtates hymnum gloriæ tuæ cõcinunt ſine fine dicentes: Sanctus, Sanctus, Sãct⁹ dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt cœli & terrę. His uerbis Eccleſia hodie omnes filios ſuos admonuit ad cogitandũ quid ſibi uelit hoc feſtũ, & quid à nobis exigat, nec facile quiſquã melius aliquod exordiũ inuenire poſſet ad hodiernum ſermonẽ, adeò dilucidè & clare in his breuibus uerbis oſtenditur, quid Chriſtiano homini hodie & agendũ & cogitandũ ſit. Primò ſiquidẽ præmittitur exhortatio, ne quis ſcilicet tanta bona prætereat: mox omnis gloria ſoli Deo tribuitur per Chriſtũ dominũ noſtrum. Tertio loco ſpiritus S. mentio ſpecialis fit, ut quẽ mũdus hodie primum cognoſcere didicit. Huic ſtatim adiicitur, quales eos eſſe oporteat, quos ſpiritus ſua gratia dignatur, & quid in ipſis operetur. Poſtremo oſtenditur, in quẽ finẽ omnia hæc referenda ſint, nẽpe ut De⁹ agnoſcatur, laudetur, inuocetur & honoretur. Atqui hęc ipſa ſunt, quæ ad hoc feſtũ uel maximè pertinent, imò neceſſaria ſunt. Oportet, inquam, ut ante omnia nos ipſos excitemus, ne tanta bona nos prætereant. Oportet deinde, ut in primis Deum ipſum cogitemus, à quo omne datum optimum & donũ perfectũ eſt & uenit. Tertiò, oportet nos etiã Chriſti meminiſſe: is enim eſt qui mirabilẽ hanc & feliciſsimã permutationẽ fecit, noſtra ſecum in cœlum ſubuehens, & ſua de cœlo ad nos tranſmittẽs, adeò ut & angeli nunc in cælo de carne noſtra in Chriſto gaudeant, & nos in terra de ſpiritu & cœlo ueniẽte exultemus. Verè mira permutatio, quod prius rarũ erat in cœlo, hoc nũc angeli quotidie uident, nempe naturam humanam, & quod prius rarũ erat in terra, hoc nũc homines quotidie accipiunt & habẽt, nempè ſpiritũ ſanctum. Iure igitur optimo Chriſti domini hodie recordamur. Signãter tamẽ ipſam perſonã ſpiritus S. hodie nos attẽdere oportet: is enim hodie ſeipſũ nobis manifeſta

Explicatio præfationis hodiernæ.

Iac. 1.

nifestauit, quẽadmodũ pri⁹ patrẽ manifestauerat in creatione & filiũ in incarnatione. Postremò scire etiã & considerare nos oportet, quales homines Spiritus S. sua gratia dignetur, & quid in eis operetur, sicq; ex omnibus his cõsurgere ad laudẽ & gratiarũ actionem, & ad orationẽ, &c. Hoc esset Christianã Pentecosten celebrare, hinc nõ posset non sequi fructus uberrimus. Quæ cũ ita sint, cogor uel nunc etiã parũ aliquid de hoc festo dicere, ut maiorẽ occasionẽ habeamus festa hęc piè celebrandi, &c. Primo igitur nulli Christiano hodie dormiendũ aut cessandũ est à laude Dei & oratione: nam & festũ ipsum sic institutũ est, ut meritò omnes nos excitare debeat, idq; multis de causis. Primò enim festũ ipsum in se magnũ est, imò inter potiora & summa illa cõputatur: deinde fundamentũ suum habet insigniter in scriptura: tertiò quod Ecclesiã primitiua tam ingens hodie beneficium è cœlo accepit: quartò quod etiã nos magna bona hodie acquirere possumus: quintò quod Christus hanc diẽ frequẽter Apostolis suis prędixit & promisit. Iohan. 14. & 16. postremò quod etiã in ueteri testamento dies hæc prędfigurata & prenuntiata fuit. Quod enim filij Israël post egressum ex Aegypto, quinquagesima die egressionis legẽ à Deo acceperũt, figura fuit quòd quinquagesimo die post occisum & resuscitatũ uerũ illum agnum, lex noua cordibus fideliũ inscribenda esset per Spiritũ sanctum, & fœdus nouũ exoriturũ hominis cũ Deo, id quod hodie factũ est & factum esse gaudem⁹. Sic quod cõpleto & perfecto opere tẽpli, ignis descendit de cœlo, & gloria domini impleuit tẽplũ omne, &c. figura fuit, quod perfecto per Christum opere redẽptionis nostræ, descensurus esset ignis nõ ad perditionẽ hominũ, quẽadmodum super Sodomã & super quinquagenarios illos ad comprehendendũ Eliã missos, sed ad salutẽ, ignis, inquã, non cõsumens, sed illuminans & purgans. Sic quod lex olim iussit post immolatũ agnum, septẽ hebdomadas numerari, & tũc demũ primitias frugum domino offerri, figura fuit & pręsagiũ, uera illa sacrificia primitiuorum tum demum offerenda esse, cum transissent quinquaginta dies à resurrectione Christi. Sic quod quinquagesimo quoque anno licebat cuiq; reuerti ad suam possessionem, figura fuit, quòd quinquagesimo die incœpturus esset uerus Iubilæus, in quo quisque fieri posset liber, etiamsi decem millium talentorum debitor fuisset, itémque reuerti posset ad possessionem suam, etiam

Dignitas & excellentia huius festi.

Exod. 19.

2. Paral. 7.

Gen. 19.

4. Reg. 1.

Leuit. 23.

Leuit. 25.

Matth. 18.

qui cum filio prodigo omnem substantiam dissipasset. Hoc
Act.3. enim die inceperűt apostoli tuba Euangelij clangere. Hinc
Petrus Iudæis suis. Pœnitemini, inquit, & baptizetur unusquisque
2.Cor.6. uestrum, & accipietis remissionem peccatorũ. Hinc
Paulus Corinthiis: Ecce nunc tempus acceptabile, inquit, ecce
nunc dies salutis. Et iterum: Pro Christo legatione fungi-
2.Cor.5. mur tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro
Christo, recõciliamini. Hinc alij quoque Apostoli iussi sunt
Mar.16. per totum mundum hoc Euangelium prædicare, Qui crediderit
& baptizatus fuerit saluus erit. En tam multipliciter festum
hoc in ueteri testamento præfiguratum fuit, non minus
tamen etiam apertissimis uerbis prædictum fuit à Prophetis.
Sic enim in Hieremia dicitur: Ecce dies ueniunt, & feriam
Hier.31. domui Iuda fœdus nouum, &c. An non & hic uidetur
tibi Hieremias quasi digito monstrasse festum hoc? Hodie
enim hęc omnia impleta sunt, &c. id quod quiuis per se uidere
facile põt. Nõ min' apertè etiã Ezechiel hoc festũ præ-
Ezech.36. dixit: Dũ, inqt, sanctificat' fuero ĩ uobis, cõgregabo uos de
uniuersis terris, & adducã in terrã ueſtrã. Et effundã sup uos
aquam mundã, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis
uestris. & spiritum meum ponam in medio uestri, &c. An
non & hic uidetur tibi quasi digito monstrasse festum hoc?
Longè tamen apertius Iohel hæc prædixit: Erit in nouissimis
diebus, inquit, effundam spiritum meum super omnem
carnem, &c. Omnia hęc hodie impleta fuerũt: hodie effusus
est spiritus super omnem carnem sine acceptione personarum,
&c. Hæc igitur meritò nos hodie excitare debent, ob
Ioel.2. id uel maximè, quòd tam malè nostris temporibus habet
Ecclesia, quæ si unquam opus habuit gratia & operatione
spiritus sancti; nunc uel maximè ea indiget, atq; adeò si qui
Spiritus S. hodie uel maxime inuocandus. unquam feruenter inuocauerunt spiritum sanctum, nos uel
maximè hoc facere oportet. Quæris causam? Primò spiritus
S. & operationes eius fermè in obliuionẽ & contemptum
apud omnes uenerunt: nemo iam ipsius instinctus audire
dignatur. Offert nobis gratiam, & nos fugimus. Offert
consolationem cordis, & nos tantum temporales consolationes
quærimus. Ostendit nobis uera bona, & nos uana
& falsa consectamur. Docet nos ueritatem, & nos mendacium
amplectimur Dirigit nos in cœlum, & nos in terra hæremus.
Ducere nos uult, at non sequimur, Incitat nos ad pudorem,
patientiam, pacem, pietatem, at nos inuerecũdiam,

bella,

bella, discordias amplectimur, &c. Sic igitur nemo iã agnoscit operationem spiritus S. E contra autem diabolus ubiq; regnat: nusquàm non uidemus spiritũ mundi, spiritũ superbiæ, auaritiæ, fornicationis, mẽdacij, erroris, & desperationis. Oportebat, inquam, in Ecclesia esse spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis. At nihil aliud uidemus, quàm spiritum malũ homines agitare, & tamẽ nec sic quisquam est qui hæc perpendat. Quid autem boni esse potest, ubi deest spiritus sanctus, aut quid non malresse oportet, ubi diabolus regnat? Ideò dixi, quòd Ecclesia nunc uel maximè opus habet spiritu sancto. In hoc enim omnis defectus noster est, quòd caremus hoc spiritu: ideò Ecclesia suo exordio tam dissimilis facta est. Tunc enim fideles erant in fide magnanimes, longanimes in spe, unanimes in charitate. An nõ magnus erat, cùm Petrus in medio hostium diceret, Notum sit omnibus uobis, quòd non sit in alio quoquam salus, nisi in Iesu Nazareno, quem uos crucifixistis, &c. Item quod Paulus ait, Propter te quidem mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum q dilexit nos. Certus sum enim quia neq; mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. &c. An non ingens spes & fiducia erat, cùm idem diceret, Fratres, ego me non arbitror comprehẽdisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea uerò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor ad brauium supernæ uocationis Dei in Christo Iesu. Et iterum, Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. An non magna charitas, quod credentium erat cor unum & anima una, &c. Et quis hoc in ipsis egit nisi spiritus sanctus? E contra autẽ nos neq; in fide magnanimes, nec in spe longanimes, nec in charitate unanimes sumus. Et unde hoc, nisi ex defectu spiritus sancti? Multũ igitur nobis sitũ est in spiritu S. Noli humile quid cogitare, cùm spiritũ audis nominare, nec te moueat quòd super Christum in specie colũbæ, & super apostolos in specie ignis pingitur spiritus sanctus nõ est creatura, sed Deus ipse. Is inquam est, qui nobis dat esse, uiuere, & Christianos

Esa. 11. *Act. 4.* *Rom. 8.* *Philip. 3.* *2 Tim. 1.* *Act. 4.* *Multum nobis in sp. S. situm.*

esse: ipse nos uiuificat, conseruat, saluat: ipse Ecclesiam uiui-
Ioh.11. ficauit, conseruauit: ipse diuersitatem gentium in unitatem fidei congregauit: ipse filios Dei qui in mūdo dispersi erāt in unam Ecclesiā collegit: ipse prædecessoribus nostris inspirauit, ut Christianam religionem susciperent: ipse nos ex
Iac.1. seipso per aquam regenerauit & uerbum: ipse nos adduxit
Ezech.36. ad cognitionem Dei: ipse nos emundauit à peccatis & in filios Dei adoptauit: ipse à nobis abstulit cor lapideū & dedit cor carneum: ipse abstulit à nobis tenebras noctis & errorum: ipse nos docuit credere, imò fidem nobis inspirauit: ipse nos docet scripturas intelligere: ipse nos docet cœlestia loqui: ipse consolatur in peccatis, confortat in tentatio-
2.Cor.1. nibus: ipse corda nostra consignat in Christo: ipse testimo-
Rom.8. nium præbet spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: ipse est pi-
Eph.1. gnus salutis nostræ: ipse in pœnitentia dat compūctionem, in pugna uictoriam, in opere bono uirtutem, in cruce patiē-
Luc.21. tiam, in prædicatione os & sapientiam, &c. Et quid multis opus? Qui spiritum hunc habet, beatus est, qui eo caret, miserrimus. Solus enim spiritus sanctus discernit inter filios Dei & filios perditionis. In summa, qui spiritum hunc Christi nō habet, hic non est eius. Vides nunc, quàm necessarius sit nobis spiritus sanctus. Eò igitur feruentius orare debemus, ut & in nobis operari dignetur opera gratiæ suæ. Eo
Luc.11. etiam magis gratias agere debemus Deo, qui tam bonū spiritum dat petentibus se. Denique etiam eò cautius ambulandum nobis est, ne hunc tam necessarium spiritum à nobis repellamus. Hæc autem sunt quæ cogitare nos oportet & agere, postquam spiritum sanctū cognouimus. Huc iam pertinent exempla sanctorū utriusque testamenti, qui hæc fortiter egerunt. An non feruenter Dauid orauit pro gratia
Psal.50. spiritus sancti, Cor mūdum (inquit) crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis. Ne proiicias me à facie tua & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali cōfirma me. An nō insigniter gratias egit, cùm operationes spiritus san-
Psal.102. cti in se sensisset. Benedic, inquit, anima mea dominum, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes
Psal.25. iniqtates tuas. An nō & post acceptū spiritū pietati studuit? Nō, inqt, sedi cū cōcilio uanitatis, & cū impiis non sedebo. Odiui Ecclesiā malignantiū: & cum impiis non sedebo. Lauabo inter innocētes manus meas: & circūdabo altare tuū domine.

domine. Domine dilexi decôrem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Vides quid egerit post acceptum spiritum S. Hoc idē uides in apostolis, & aliis credentibus noui testamenti. Orabant, gratias agebant, pietati studebant. Et ubi hæc non sequuntur, non agitur Christiana Pentecoste. Hæc nobis dicta putemus fratres. Bone Deus, quàm nihil eorum facimus, quæ antecessores nostri fecerunt, & tamen plus illis gloriamur de Christiano nomine, &c. Quid autem dicit Paulus, Non est regnum Dei in sermone, sed in uirtute. Itaque si nobisipsis, si Ecclesiæ toti benefacere uolumus, inuocemus spiritum sanctum, Laudemus Deum, emendemus uitam, &c. *1. Cor. 4.*

QVINTVS SERMO DOCET, *quomodo Euangelium istud quadret ad hodiernum festum.*



HODIERNVM festum adeò magnū & uenerabile est, adeò salutiferū & consolatoriū, ut meritò in orbe Christiano nihil aliud de eo cogitari, dici, prædicari, cantari & agi debeat, quàm quod uidemus sanctos apostolos cum prima Hierosolymitana Ecclesia, deinde etiam uniuersalē Christianam Ecclesiam per totum orbem fecisse & adhuc facere. Atqui nullū festū est inter omnia, quod optimi apostoli maiori cum gaudio, deuotione, admiratione, gratiarū actione, & omnibus piis studiis celebrauerūt, quàm hodiernum adeò. *Nullum festū ab Apostolis ita celebratū ut hoc.* In natiuitate Christi annuntiabat angelus etiam gaudium, sed pauci tūc erant, qui eius gaudij participes fiebant. *Luc. 2.* In resurrectione Christi gaudebant discipuli quoque, sed non erat perfectum gaudium, sed semper concurrebat adhuc dubium aliquod, ob quod eos Christus nō semel increpabat. Et quanquam gaudium illorum augebatur, cùm uiderent Christum tam gloriosè, potenter & mirabiliter in sublime ferri, attamen Christus amari quiddam illis iniecerat, inquiens, Euntes in mundū uniuersum prædicate Euangelium. *Ioh. 20. Mar. 16. Luc. 24. Act. 1.* Hoc certe illos haud magno afficere gaudio poterat, prout tunc constituti erant, præsertim cum illis exilia, persecutiones, mortes expectādæ forēt, imò tā atrox odiū, ut quicūq; eis uitā ademisset, putaturus esset, se mirificū Deo præstitisse obsequiū. *Ioh. 16.* Hinc patet, Apostolis neq; ex natiuitate, neq; ex die Paschæ, neq; ex ascēsione Christi perfectū

gaudiũ contingere potuisse, cùm tamen hæc præcipua sint quæ habemus festa. Cùm Christ⁹ in terras ueniret, Apostoli nondũ uocati erant: cùm resurgeret ex mortuis, uix dum bene poterant credere: & iam illo ascẽdente in cœlũ, nõdũ cõfirmati erãt cõtra aduersantis mũdi tumultus, nõdũ ꝓdi
Act. 2. re audebãt. In die Pentecostes autẽ uerũ gaudiũ incipiebat, tunc omne dubiũ & diffidẽtia, omnis metus & pusillanimitas euanuerat, tunc diuersis incipiebãt linguis & idiomatis loqui, nõ inter seipsos tãtũ, sed etiã in publico corã mũdo: tunc incipiebãt prædicare in nomine Iesu: tũ tacere & ce-
Act. 4. lare non amplius poterant, quod à Domino Iesu uiderãt & audiuerãt: tũc stupenda edebãtur miracula, cuiusmodi mũ
Act. 2. 5. dus nunquam audiuerat aut uiderat. Tunc quotidie conspiciebantur in templo prędicantes, orantes, & laudãtes Deũ, id quod omnes homines admirabantur, atq; ita ut etiã ex aliis partibus populus cumulatim cõflueret, nec tamẽ quisquam se illis aggregare aut appropinquare audebat, sed omnes homines eos uenerabãtur. Hũc in modũ optimi apostoli & primitiua Ecclesia seu congregatio credentiũ Hierosolymis Pentecosten celebrauit. Alij Christiani q̃ postea secuti sunt, operationem quidem cœlestis spiritus non tam apertè, non tam potenter, non tam effusè senserũt, sed tanto magis tantóq; feruentius Deũ spiritum sanctũ pro illius gratia deprecati sunt. Eius rei sat indicij habemus, uestigia adhuc reliqua sunt. Nõ est festum totius anni, in quo Ecclesia plures magisq; deuotas fundit preces & usurpat, quàm hodierno festo. atque ita res poscit, si cum apostolis paria facere nõ possumus, tanto magis exẽplo huic Ecclesiæ inhærebimus. Illud nõ cuiuis datum est, tanto cũ feruore uim diuini spiritus exerere: hoc autẽ omnibus præceptũ est, gratiam rogare. Et huc pertinet, quòd nunc nõ solum omnia diurna officia ab oratione incipiũtur, sed quod nobis omnibus hodie acclamatum est statim in matutinarũ initio: Alleluia, hoc est, laudate Deum, quia spiritus Dei repleuit orbẽ terrarũ, uenite adoremus. Hæc acclamatio non abs re præmittitur. Quia enim aliquot iam dominicis continuè audi-
Ioh. 16. uimus, Christũ toties de spiritu sancto locutũ esse, sed tamẽ
Ioh. 14. semper in futuro: Mittã eũ uobis: Pater alium paraclẽtũ da-
Ioh. 15. bit uobis: Spiritus sanctus paraclẽtus ueniet ad uos, &c. Ac
Act. 1. cipietis uirtutem spiritus S. superuenientis in uos, &c. Hũc in modũ Christus hactenus tãtùm in futuro de spiritu S. locutus est:

rus est:posset itaq; simplex aliquis cogitare, quousq; tandē de futuris solū nobis audiēdum est, quādo semel futurū in præsens mutabitur?quādiu expectabimus?uel semel dicas, factum ne sit,an adhuc sit futurū? &c. Sic cogitare simplex ob moram posset.Nam spes quæ differtur,affligit animam. Huic acclamatio ista expeditū dat respōsum:dicit pmissum hoc iampridem impletum esse,nō loquitur amplius in futuro,sed in præterito tanquam de re facta.Spiritus Dei repleuit non solum apostolos,sed orbem terrarū. Et quanquā Sapiens hæc uerba non propriè dixit de missione seu effusione sancti spiritus,sed ostendere iis tātum uoluit,Deū esse ubiq;,nō corporeo more,sed per spiritū suum, atq; ideò omnia scire & uidere.Huc,inquam, spectāt uerba ista propriè:nihilominus tamen cōmodè etiā referuntur ad festum de missione sancti spiritus.Ex hoc die enim repleuit spiritus sanctus orbem terrarū: ab hoc tempore palàm factum est, eum habere artem & scientiam uocis,imò omnia posse ceu uerum architectum omniū rerū, qui omnem uirtutē habet & omnia prouidet,quādo apostolis etiā semel dedit omnibus linguis loqui:& Euangelium Christi imò gratiam Dei, & gloriam omnibus linguis prædicare.Idcircò uerbū istud non incongruè ad hodiernum festum flectitur, & ueluti in primo ingressu nobis ob oculos ponitur, ut ex quo uidere satis possumus,ex futuro non solùm præsens, sed etiā præteritum factū esse:& quod Christus de spiritu sancto eiúsq; operatione promisit,iamdudum impletum esse, ita tamen ut adhuc in dies impleatur.Quid igitur iustius pręmittitur, quàm ut ad nos dicatur, Alleluia laudate Deū?Quid iustius sequitur,quàm ut ad nos dicatur,Venite adoremus?Et quo pacto melius & Christianius Pentecosten nostrā celebrare possemus, quàm cum laude Dei & uera adoratione ? Imò quomodo nobis succinctius & clarius, quid cogitare, quid ite facere homini Christiano cōueniat, indicari posset, quā tribus hisce uerbis? Quid aliud sunt omnes prædicationes quæ hodiè fiunt,quàm quod spiritus Dei orbem terrarum repleuit,atq; ideò omnes homines Deū laudare & adorare debeant? Hæc pro initio huius sermonis dicere uisum fuit: reliquum istius horæ tempus,quo hodiernum & pulcherrimum Euāgeliū nō prætermittatur,de illo quoq; dicere nōnihil constitui,quatenus hodierno festo cōsentiat & respōdeat, daturus p hoc omnibus bonis Christianis occasionē, ut per

Sap. 1.
Pro. 13.
Quomodo pētecoste celebrā da.

ut per se ipsos iis de rebus longius cogitent. Et primò non opus est multa ostensione, quomodò Euangeliũ istud cum hodierno festo concinat: quilibet per se ipse id intelligere potest, si tantũ ad uerba respiciat. Principio enim spiritus sanctus, tertia persona in deitate, cui hic dies potissimum sacer est, nõ solùm nomine in eo cõmemoratus est & indicatus, uerũ etiã ueris suis cõditionibus, per quas à nobis agnosci uult, descriptus. Secundò, loquitur istud Euangeliũ quoq; per totũ de amore, pace, gaudio, patiẽtia, fortitudine, auditione & obseruatione uerbi diuini, necnõ executione diuinæ uolũtatis. Hi nimirũ sunt ueri fructus spiritus, ut eos Paulus ipse pro maiore parte enumerat. Tantò minus interrogare necesse est, cur istud adeò Euangeliũ in die Pentecostes legatur. Sed uerba paulò penitius expendere oportet: sunt enim omnia magna & ponderosa, salutaria & solatij plena. Propriè uerò hoc totũ Euangeliũ nihil aliud est, quàm responsio ad interrogationẽ, quam unus ex Apostolis mouebat, nimirum Iudas Thaddęus, ad uerbũ illud quod Christus dixerat: Qui diligit me, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Hoc ultimũ uerbum discipulum hunc nõnihil reddebat perplexum. Dominè (inquit) quid factum est quia manifestaturus es nobis te ipsum, & non mundo? Quì hoc fiet, ut nos te uisuri simus, & non mundus? Qualis ista reuelatio erit? Bonus ille Apostolus nõdum intelligebat, quomodo Christus se suis manifestat, & quales sint oculi, quibus cernitur Deus. Cogitationes eius eò tantũ spectabant, quî fieri posset, ut Christus appareret, nec tamen ab omnibus uideretur. Crassa ualde & inepta erat interrogatio ab Apostolo, Christus autẽ amicum & planum responsum dat. Vis scire (inquit) quomodo me manifestabo? Multo quã hactenus aliter res geretur. Quãdiu in mortali corpore inter mortales uersatus sum, nemo nõ qui oculos habuit, uidere me potuit, boni iuxtà ac mali. At nunc uisibilem meam speciem mundo subducam, & tamen inuisibili ac spirituali ratione uobiscum manebo usq; ad finẽ mundi, & non uno duntaxat in loco, ut nunc, sed in uniuerso orbe: cæterum nemo illic me uidebit, nisi qui spirituales oculos habebit. Imò ut uerè intelligas, qualis futura sit hæc apparitio, scito duobus me mediis ad eã rem usurum. Primum est uerbũ meum & Euangelium: alterum est spiritus sanctus. Hæc erit posthac apparitio mea, si quis deinceps

Gala. 5.

Ioh. 14.

Matth. 28.

Duobus medijs Christus nobis apparet.

inceps in terris me uidere uelit, is me aut in uerbo meo, aut in iis rebus, quas spiritus sanctus meo nomine efficiet, uideat necesse est: nō est quod expectet quisquam me uisibiliter in terris ambulātem, ut antehac feci. Non: sed uerbū meum emittā, spiritū meum effundam. Quisquis igitur uerbum meū apprehenderit, & spiritum sanctum acceperit, is certò uidebit me, & multo quidē certius, quàm si me corporeis oculis uideat, & quod plus est, non solùm uidebit me, sed etiā habebit, & nō tantùm me, uerū etiā patrem meum. Sic me manifestaturus sum, hęc erunt media, per quæ pater & ego ad talē hominē ueniemus, & mansionē apud eum faciemus: cæterum hoc conspicari homo corporeis oculis non poterit, sed in spiritu tantùm & animo sentiet summa cum sua utilitate: etenim nihil tum illi deerit, imò gaudium, pax, securitas, fortitudo, & omnia bona illic erunt. Sic intelligere oportet (uult Christus dicere) id quod dixi, me manifestaturū uobis, & non mūdo. Nam mūdus uerbū meum non curat, nec spiritum meū magni pendit. Eapropter me uidere non poterit, &c. Vide, hoc erat responsum, quod Christus huic discipulo dabat ad eius interrogata. Quod diligenter obseruandum est: nā ex eo liquet, quod etsi Christus non amplius uisibilis in terris inambulat, uidere illū tamen possimus, audire, habere, eoque frui quoad Euangelium illius prædicatur, & spiritus sanctus effunditur. Nihil igitur est, quod queramur, nos Christū corporeis oculis nō uidere, ut eū alij uiderunt. Corporalis uisus ad rem nihil facit, imò apud plerosque effecit, ut eò grauius peccarent: Viderunt me (inquit Christus) & oderunt. Ediuerso dicit: Beati qui non uiderunt & crediderunt. Hæc in genere dicta sunt de isto Euangelio, & quid Christum ad hæc uerba permouerit. Ordine nunc ea uerba nos audire oportebat, & singula perpendere, quid doctrinę quídq; solatij præbeant: uerùm plus ea in re tēporis insumeretur, q̃ nobis modò cōceditur: Quare eo quod in proximo est cōtenti, spiritū sanctum unà cū operationibus eius in hoc Euangelio disquiremus. hunc si rectè cognouerimus, pro una uice sat didicimus. Ais: Quid ergo est spiritus sanctus? Respondeo, illud ipsum, quod modo dixisti, haud tibi respōdere commodius possum. Vocas eum spiritum sanctum, & est quoq;, & quidem solus præ omnibus aliis spiritibus. Spiritus sanctus in natura, spiritus sanctus sanctificās nos, spiritus sanctus

Quomodo Christus uideatur.

Iohan. 15.

Iohan. 20.

Spiritus S. quid sit.

ctus impellens & promouēs ad omne id quod sanctum est. De hoc spiritu loquitur Christus, hunc spiritū nobis prædicat istud Euangeliū: hoc spiritu opus habemus, quē nisi habeamus, semper peccatores manemus, nihil boni facimus, sed mala omnia. Porrò spiritum istum nō naturâ habemus aut ex nobis ipsis, nec inuenimus eum in mūdo, ē supernis nobis cōtingat necesse est. Paraclētus (inquit Christus) spiritus sanctus, quem pater dabit uobis in nomine meo, &c. En, in hisce uerbis habes, unde spiritus sanctus nobis expectandus sit, ubi quærēdus, quis illū nobis impertiat, & quis eum promouerit. Pater, inquit, eum dabit uobis, sed in nomine meo & in meá gratiam. Quinimò in his uerbis sacratissimas & summas personas deitatis omnes tres expressas habes nominatim, Patrē, Filiū & spiritū S. & ita appellatas, ut nemo dubitare posit, quin tota deitas in omnibus tribus personis pro nobis sint in instituēda & procurāda salute nostra. Atq; omnes tres in tali opere salutis nostræ ita sese manifestauēt. Deus filius primùm, suscipiēdo humanā naturam, inque ea pro omniū hominū peccatis satisfaciendo: Deus pater, spiritū sanctum mittendo, quē Christus promiserat: Spiritus sanctus autē implendo & perficiēdo id, quod Christus in nobis inchoauit. Quis non statim uidet, quantoperè id nobis gaudendū sit, quàm meritò Deo laudes & gratias dicere debeamus? Hoc cōsidera hodie circa personam spiritus sancti. Sed operatio eius attendenda est. Ex ea enim cognoscitur, quando spiritus S. in nobis sit nécne. est uiuidus, operans, rapiens, inflammans spiritus, ut facile ubi sit sentiatur. Non cælari potest, mirifica facit ubi est, & sicubi uis eius nō deprehenditur aut uidetur, ibi certè non est. Quapropter nō iactātia, sed demōstratio hic ualet. imò nihil omninò necesse est, ut quis de spiritu sancto glorietur. Vbicunque est, ibi ipsemet suæ præsentiæ argumenta prodit, etiam homine tacente. Videmus hoc in omnibus prophetis & Apostolis, uidemus hoc in patribus ueteris testamenti, in sanctis nostris Martyribus, & in omnibus probis piisq; hominibus: nemo horum de spiritu sancto se iactitauit, nihilominus tamē totus orbis uidere potuit & fateri coactus fuit, alio eos spiritu præditos fuisse, quàm mundum, imò spiritum Dei seu sanctum habuisse: potest adhuc in homine deprehendi licet tacente, cuiusmodi spiritum habeat, Dei ne sit an mundi spiritus. Magna itaq; nōnullorum homi

Ioh. 14.

Operatio Spiritus sancti.

hominum præsumptio sit oportet nunc tēporis, quòd tam effricta fronte spiritū Dei sibi uindicēt, cū tamen ueræ & propriæ operationis spiritus sancti ne minimū quidē uidere in iis ac deprehendere liceat, sed talia omnia quæ cū spiritu sancto bis per omnia pugnant, quæq; ipse odit & passim in scripturis reprehendit. Non frater, alia signa in te appareāt necesse est, si uis ut credamus tibi, te hospitem hunc in pectore tuo & interiore homine habere. Rogas quæ illa signa sint? Est primò fides, ut est uidere in Abrahā, cuius tanta erat fides, ut in spem crederet, ubi nulla erat spes. Est secundò spes, ut uidere est in patribus ueteris instrumenti, qui à promissis Dei indubitata spe pendebāt, & tamē ante moriendi quàm promissa præstarētur, illis incumbebat necessitas. Est tertiò charitas, ut est in Sanctis Apostolis uidere, quorū unus dicit: Testis est mihi Deus, quod habeā uos in corde, & cupiam omnes uos in uisceribus Iesu Christi. Est quartò gaudiū in interiore homine, ut uidere est in Maria, cū cantaret suū Magnificat, spiritus meus, inquiens, exultat in Deo salutari meo. Est quintò pax, quā Simeon laudibus effert: Nunc (inquit) dimittis seruū tuum domine, secundū uerbum tuum in pace, &c. Est sextò castitas & continentia, ut uidere est in Ioseph. Est septimò patientia, ut est uidere in sanctis nostris Martyribus. Est octauò cupidus animus ad cultum Dei, ut est uidere in Dauide Ezechia & Iosia. Est nonò obediēs obseruatio mandatorū Dei, ut est uidere in Paulo dicēte, Domine quid me uis facere? Et in Dauide inquiente: Paratum est cor meum Deus, paratum cor meum. Est decimò contēptus mundi, ut rursus uidere est in Apostolis, Domine (inquit Petrus) ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te. Hæc & his similia sunt uera signa, quibus deprehenditur præsentia spiritus sancti in nobis, quæ penè omnia etiam in hoc Euangelio annotata sunt. Si quis diligit me (inquit Christus) sermonem meū seruabit. en hic habes istorum duo, nimirum amorem & cupiditatem erga cultum Dei seu res diuinas. Princeps mūdi huius uenit, hic habes fidem Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quia uado ad patrē, hic habes gaudiū. Pacē meā relinquo uobis, pacem meam do uobis. hic habes pacē. Non turbetur cor uestrū. hic habes patientiam & fortitudinē. Sicut mandatum mihi dedit pater, sic facio. Hic habes obedientem obseruationem mandatorum Dei, &c. Omnia hæc eiusmodi sunt,

Quibus signis dinoscatur quis Spiritum sanctum habere.

Gen. 15.
Rom. 4.
Heb. 11.
Phil. 1.
Luc. 1.
Luc. 2.
Gen. 39.
Act. 9.
Psal. 107.
Matth. 19.
Ioh. 14.

quæ spiritus S. in nobis operatur, & is nisi pectora nostra inhabitet ac possideat, horũ nihil in nobis conspicitur, sed ipsum planè cõtrarium, nempè incredulitas, desperatio, liuor, odium, perfidia, durities, contemptus Dei omniumq; rerum diuinarũ, ira, rixæ, animus ad discordias, rebellionẽ, seditionem & omnia mala propensus. Hi fructus sunt quos noster spiritus, spiritus mũdi, malignus spiritus in hominibus operatur, & utrisq; his fructibus facile noscitur arbor, imò hîc manifestò apparet, quàm nobis ipsi egregiè imponamus, quũ de spiritu S. tãtopere nos iactam', spiritũ uerò mundi tam crasse in nobis prodimus. Atqui nõ parum refert, cuius spiritũ sequamur. Si quis spiritũ Christi nõ habet (inquit Paulus) hic nõ est eius. Quid ita? quia is spiritus solus est, qui spiritui nostro reddit testimoniũ, nos esse filios Dei: & ille idem spiritus Christi clamat in cordibus nostris gemitibus inenarrabilibus, Abba, pater. Hic spiritus ubi nõ est, nõ potest homo confidere se filium Dei esse, nec audet Deum patrem suum appellare, aut quicquam ab eo petere. Tantò maior nos habere metus debet, si hunc spiritum in nobis non sentiamus: tantò magis in nos animaduertere debemus, si mundi spiritui nimiũ tribuimus: tantò optabilius nobis esse debet, quod Christus sanctũ spiritum nobis promisit: tantò plus exhilarari debemus, quod illum misit: tantò maiori studio etiam nos cum Ecclesia & omnibus bonis Christianis gratiam spiritus sancti petere & quærere debemus. Atq; hæc uera essent exercitia, quibus occupari hodie esse debeamus, quã ad rem non solum Euangelium istud, sed etiam hodiernũ festum nobis occasionẽ præbet. Indubiè fructus aliquis hinc sequetur. Gratia Dei cum nobis omnibus, Amen.

Rom. 8.

SEXTVS SERMO DE ECCLESIAE *cantu, Veni sancte spiritus, &c.*

Veni sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris ignem in eis accende, qui per diuersitatem linguarum cunctarum, gentes in unitate fidei congregasti.



PROXIMO sermone quia arbitrabar me concionem de Pentecoste nostra melius ordiri non posse, quàm à laude Dei, sumpseram loco prooemij Inuitatorium, quo per hanc septimanam Matutinæ incipiuntur, ubi Eccle

Ecclesia ita canit, Alleluia, hoc est, laudate Deũ, Spiritus Domini repleuit orbẽ terrarũ, uenite adoremus. Nunc quoniã iterum de præsenti festo dicendum mihi est, nõ uideor mihi exordiũ magis idoneum reperire posse, quàm ab oratione, quod ut faciã, hortatur me quod eundẽ illũ ordinem in Ecclesia Christiana obseruari uideam. Ab laude Dei omnia inchoantur, oratione concluduntur omnia. Qui melior ordo institui possit? An non gratiarũ actione dignũ est, quod nobis Deus tantũ hodie munus & donũ de cœlo largitus est? An mirum etiam est, si paulo cupidius accurrimus eiusmodi donum petituri? At enim ais, Nihil noui est, quod Apostoli hodie Spiritũ sanctum acceperunt, quippe cum & ueteres spiritu cœlesti afflati fuerint, quid igitur opus peculiari festo? Respõsum tibi sit, non eo inficias. Spiritus sanctus nõ hodie primum mortalibus datus est. Nõ: siquidem sancti quoq; patres & Prophetæ ueteris testamenti spiritũ S. habuerunt, uti Petrus ait: Nõ uoluntate humana allata est aliquando ꝓphetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Imò per operationẽ Spirit' S. Christus homo fact' est, Spiritu S. unctus est præ omnibus cõsortibus suis: tũ Spiritus sanctus etiã specie colũbæ super illum apparuit, cũ baptizaretur à Iohanne. Quoniã porrò Paulus dicit, neminẽ posse Iesum uocare dominũ, nisi per spiritum sanctum, certum est, sanctos Apostolos per nullum alium uocatos, purificatos, ad prædicandũ & edẽda miracula ablegatos esse, quàm spiritum sanctum. Dicit itẽ Iohannes apertè, Christum primo statim die lætissimæ suæ resurrectionis Apostolis suis ꝑ spiritũ sanctum insufflasse. Et quid opus multa demonstratione? Paulus ait, qui spiritum Christi non habeat, hunc non esse eius. Vnde cõsequitur profectò, iã inde ab initio omnes eos, qui unquã in Christũ crediderunt, spiritum habuisse sanctum. Omitto nunc, quod spiritus sanctus, qui cum patre & filio unus dominus & Deus est, ab ipso primordio creationis omniũ creaturarum, nõ solum orbem terrarũ, sed etiam omnes creaturas repleuerit. De illo enim dicit Moses, ꝙ cum Deus cœlũ & terrã crearet, spiritus domini super aquas ferebatur: similiter diuus Iob ait spiritũ Dei ornasse cœlos. Quia itaq; spiritus sanctus cum Deo patre & filio unam diuinam substantiam & naturam habet, utiq; omnibus in locis est, complens cœlum & terram, ut in Hieremia habetur. Hinc Dauid dicit: Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam.

Sap. 1. — 1. Pet. 1. — Luc. 1. — Psal. 44. — Matth. 3. — 1. Cor. 12. — Gen. 1. — Iob. 26. — Hier. 23. — Psal. 138.

giam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descẽdero in infernum, ades, &c. Sic ergo manifestum euadit, spiritũ sanctũ etiã ante hęc tẽpora hominib⁹ datum esse. Veruntamẽ dies hic peculiare quiddã habet. Nã antea spiritus sanctus tãtùm inuisibili modo dabatur, & paucis hominibus & paucis do-
Act.1. nis. Hodie datus est in signo uisibili, & multis hominibus, &
Act.2. in copia donorũ, quãobrẽ mirum nõ est, nos etiã hodierno die magnis gaudiis Deũ laudemus pro tanto dono, & spiritum quoq; sanctũ aliquantò flagrantius inuocemus, quàm reliquis anni tẽporib⁹. Enimuero magni nostra interest fratres. Hoc olim etiã agnoscebat Eliseus, huic dabatur optio quiduis petendi, sed nihil petebat aliud, quàm spiritum Elię.
3.Reg.3. Nõ latuit hoc etiã Salomonẽ, idcirco nihil petebat aliud à
Sap.9. Deo, qui hanc ei potestatẽ fecerat, quàm sapientiã, imò spiritum S. qui semper apud ipsum esset, ipsúmq; moderaretur.

Si nobiscũ reputaremus, qui simus, ubi simus, ad quid uocati simus, & quibus adhuc careamus, facile intellecturi essemus, ad quas res spiritu sancto opus habeamus. Quid fragilius & infirmius homine? Vbi maius periculũ, quàm in mũdo? Quid plura requirit, quàm uerum esse Christianũ? Quid terribilius, quàm cũ morte & diabolo luctari? Quis autẽ nõ uidet nos his omnibus in rebus spiritu sancto opus habere?

Quare Spiritus sanctus hodie toties in Ecclesia inuocetur.

Atq; hęc causa est, quòd hodie toties, & tot uerbis spiritus sanctus in orbe Christiano inuocetur, ante & post hodiernum Euãgeliũ. Etenim primò nobis indicatur causa hodierni festi hoc uerbo, Spiritus Domini repleuit orbẽ terrarum, &c. Mox sequitur prima oratio, Deus qui hodierna die cor-
Sap.1. da fidelium spiritus sancti illustratione docuisti, da nobis in eodẽ spiritu recta sapere, & de eius semper cõsolatione gaudere. Post hanc orationẽ ostenditur in epistola (seu lectione quæ loco epistolę legitur) quomodo spiritus S. uenerit. Hãc rursum trifariæ orationes sequuntur. Prima est ex Dauide di-
Psal.103. cente: Emitte spiritum tuum & creabuntur, &c. Altera, Veni sancte spiritus, &c. ut initio indicatũ est. Tertia, Sancti spiritus assit nobis gratia, quæ corda nostra sibi faciat habitaculũ. Sub has precationes legitur iã dictum Euãgelium, admonens nos promissionis Christi de missione spirit⁹ S. simúlq; indicãs quis ex eo proueniat ac promanet fructus, nimirum pax animi & cõsciẽtiæ, & ut bonus Christianus alacriter pos-
Ioh.14. sit dicere, Venit princeps mundi huius, & in me non habet
Psal.67. quicquã, &c. Et hoc rursum cõcluditur oratione ex Dauide, ubi

ubi inquit, Cõfirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, &c. Variæ certè hæ orationes sunt, & quidem omnes bonæ, Christianæ & necessariç. Et quã ob causam eiusmodi nobis orationes proponuntur? Nunquid satis est, eas in Ecclesia cantari & recitari? Nequaquam: unusquisque apud sese idem hoc faciat necesse est. Quapropter etiam hunc totum sermonem meum ad orationem dirigam, attamen breuitatis causa unicam tantum orationem, qua Ecclesia hodie utitur, mihi proponam, eámq; explanabo, quò etiam uos tanto plus occasionis habeatis, spiritum sanctũ in his periculosissimis temporibus inuocandi. Et primò, uerum quidem est, non ita multa in sacris literis extare exẽpla, ubi spiritus sanctus inuocatur, quin & plurimum omnes precationes ad Deum patrem destinantur, tanquam ad eũ, ut qui est in filio & spiritu S. fons & origo diuinitatis. Sic facit Paulus: Flecto genua mea (inquit) ad patrem domini nostri Iesu Christi, &c. Christus ipse semper meminit patris, omnia illi trãsscribens, Cõfiteor (inquit) tibi pater domine cœli & terræ, &c. Et iuxta hoc exemplum destinat etiam Ecclesia plerunq; orationem suam ad Deum patrem, sed ad finem subdit, Per Iesum Christum filium tuũ dominum nostrum, &c. Nihilominus tamen non malè sed optimè factum, quod Christus quoque inuocetur, quemadmodum S. Stephanum fecisse legimus, Domine Iesu (inquit) suscipe spiritum meum. Et beatus Iohãnes: Veni domine Iesu. Et quanquam Christus nunquam nõ patrem præfert, eiq; omnia accepta fert, dicit tamẽ interim ad patrem, Mea omnia tua sunt. Alio in loco ait, patrem sibi omne iudicium dedisse, ut omnes filium honorificent, sicut honorificant patrem. Quapropter Christum inuocans, & appellans eum conditorem, redemptorem, aut patrem, non est quod metuas, ne patri & spiritui sancto ob id quippiam deroges. Minimè. Quia enim hç tres personæ sunt unus Deus, nec ulla sine alia esse peculiaris Deus potest, sequitur inde, te si unam personam nomines, omnes tres personas simul inuocare. Etenim ubi pater nominatur, ibi filium & spiritum S. nõ segregari aut excludi, sed pariter nominari & cõputari oportet. Est enim una & indiuisibilis diuina essentia in omnibus tribus, & singulis personis. Idcirco nullã personam absq; alia inuocare potes. Econtra negare nullam citra aliã potes: negata una, omnes tres, unicus Deus prorsus negatus est, uti Iohãnes dicit: Omnis qui negat filium, nec pa-

Quare ad Deum patrem ut plurimum oratio destinetur.

Ephes. 3.

Matth. 11.

Christus quoque inuocad⁹.

Act. 7.

Apo. 22.

Ioh. 17.

Ioh. 5.

1. Ioh. 2.

Ioh. 15. trem habet. Et Christus ipse: Qui me odit, & patrem meum
Ioh. 8. odit. Et iterum: Si Deus pater uester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi. Eundem in modū hic dico, quum Deum patrē inuocas, filium simul & spiritum S. inuocas. Hæc omnia eò dico, & in eum finē, ne quis fortè simplex existimet, nos peculiarem quempiam inuocare Deum, cum spiritū S. inuocamus: aut alioqui putet, patrē & filium excludi, postea quam Ecclesia hodie maiorem precationum suarum partem ad Spiritum Sāctum facit. Nequaquā: nullo modo sic sentiendū est, uelut iam dixi. Age ergo audi quo modo Ecclesia hodie spiritum sanctum inuocet. Veni sancte spiritus, &c ut supra in sermonis initio. Hęc oratio hodie omnium maximè usurpatur in Ecclesia, imò quotiescunq; hodie cōuenitur ad laudē Dei, semper hæc oratio præmittitur, ita ut nemo dubitare possit, quin ea plurimum momenti habeat. Et sic res planè habet. utinā, Veni sancte spiritus, recte pronunciare possemus: utinam recte intelligeremus, indubie non caritura esset ea res suo fructu. Quod ut ita habere omnes intelligatis, uerbula hęc paucis exponā. Et primò, cōfitemur in hac oratione, spiritū sanctum esse Deū, postea quàm ab illo petimus, ut ueniat, corda nostra repleat, & sui amoris ignē in nobis accendat. Hæc enim omnia eiusmodi sunt opera, quæ facere solus Deus potest, & ad solum Deum hæc uerba dicenda sunt. Deus est qui largitur & operatur, Creaturę tantūmodo media sunt, per quæ dat & operatur. Atq; hoc unū est. Secundò, cōfitemur hac oratione, nos spiritum sanctum nō ex nobis ipsis habere: nā si illum ex nobis ipsis haberemus, nō opus esset eū petere, imò hac adeò de causa, qui a spiritū sanctum petimus, indiciū prębet, nos illū neq; cogere posse, neq; promeruisse. Tertiò, nominam' eū spiritum sanctum & is quoq; est, nimirum sanctus in seipso & ex seipso, & nō ex alio ut nos: in illo omnis est sanctitas, ab illo fluit omnis sāctitas, sine illo & extra illū nulla est sanctitas. Sanctificat nos, lauat quod est sordidū, rigat quod est aridum, flectit quod est rigidum, fouet quod est frigidum, sanat quod est languidū. Aufert à nobis durum & lapideū cor, discutit in nobis tenebras errorum, &c. Hoc facit spirit' ille solus, nec alius simile quiddā pręstare potest. Vocatur dehinc etiā solus spiritus sanctus: nā omne id quod prophanū est odit. Nō est malus spiritus, qualē Saul habebat, qui illum exagitabat & reddebat furiosum, sed est spiritus mansuetudinis.

Veni Sancte Spiritus.

Spiritus sanctus Deus.

Spiritum sanctum ex nobis ipsis non habemus.

Spiritus S. ex seipso sanctus.

Ezech. 36.

Quare uocatur solus sanctus.

1. Reg. 16.

nis. Secundò, nõ est spiritus mẽdax, quali correpti erãt Prophetę Achab, sed est spiritus ueritatis. Tertiò, nõ est spiritus uertiginis, qualẽ habebãt Aegyptii, qui eos erroneos & instabiles faciebat tanquã ebrios, sed est spirit⁹ fortitudinis & constantię. Quartò, nõ est spiritus impurus, cuiusmodi Christus à nonnullis hominibus profligauit, sed purus spiritus, mundãs cor. Quintò, nõ est mũdi aut satanæ spirit⁹, qui nos ad mundi & diaboli seruitutẽ trahit sed spiritus trahẽs nos ad Deũ, & Christũ, docẽs nos mundũ despicere, & Deo parere. In summa, est spiritus sanctus: hũc inuocamus, hunc petimus, hoc opus habemus, de hoc nobis agitur: absq; illius enim gratia diuináq; operatione nihil est boni in homine, sed omnia praua & peccata, imò nisi quis renascatur per hũc spiritum, manet filius iræ, regnũ Dei uidere non potest. Hoc spiritu qui caret, hic Christi non est, quin absq; hoc spiritu nõ solum homo, uerũetiam angelus misera creatura est: nihil siquidẽ aliud discrimen facit inter bonos & malos angelos & homines, quàm hic spiritus sanct⁹. Michael & Lucifer eiusdẽ naturæ sunt, quid igitur facit, quòd ille beatus, hic cõdemnatus est? Quia Michael spiritum sanctum habet, Lucifer uerò nõ. Moses & Pharao, Abel & Cain, Petrus & Iudas eiusdẽ naturę erant; quid ergo Mosen, Abel & Petrũ beatos fecit, alios uerò in gehennã detrusit? Quia illi spiritu sancto afflati fuerunt, eiúsq; impulsum secuti sunt, hi uerò minimè. Itaq; mirũ non est, nos spiritus sancti desiderio teneri, eũq; inuocare. Quis enim est, qui spiritu isto non opus habeat?

1. Reg. 18.
Esa. 19.
Luc. 11.
1. Cor. 11.
Ioh. 3.
Rom. 8.
Spiritus sanctus discrimen fecit inter bonos & malos.

Quartò cõmonefacimus spiritum sanctũ hac oratione peculiariter eius operis, quod per diuersitatẽ linguarum gẽtes & populos in unitate fidei cõgregarit. Hoc præcipuum est, quod nobis hodie datur cõsiderandũ. Hoc illud singulare, nouũ & prius inauditum opus est, quod hodie in Apostolis declarauit. Habet porrò & in aliis hominibus peculiarẽ suã operationẽ, etenim gratiã suam & dona distribuit, quãtum cuiq; necessarium est. Qui primũ in Ecclesiã & Christianitatẽ uenit, is spiritu sancto quatuor in rebus opus habet, nimirũ ut lauet eum à peccatis, ut signet eum, ut initiet eum templo Dei, & ut Christo eũ incorporet. Et facit quidem hæc omnia in tali homine. Qui in pœnitentia stat, opus habet spiritu sancto, ut impellat eum, cor moueat, eum refocillet ac renouet, &c. Atque hoc operatur in homine pœnitente. Qui contra diabolum & mundum arma expedit, opus ha-

1. Cor. 12.
Necessitas spiritus sancti.

bet spiritu sancto, ut corroboret & cōstabiliat eum, &c. Sic & in aliis hominibus suam peculiarem habet operationem. Qui rebus bonis student, in his excitat bonas cogitationes, incendit illis affectus eorum, impellit eos ad profectū, perducit eos ad perfectionem. Orantibus considerandam dat Dei omnipotentiam, bonitatem, sapientiā, iustitiam & ueritatem, quo feruentius orare possint. Iis qui in cruce & afflictione sunt, solatiū præbet, auxilium, & fortitudinē: prædicatoribus dat, ut grauiter, uerè & alacriter dicāt, quinetiā peccatoribus bonus est, non statim pœnas poscens, sed patienter expectans, nonnunquam ad pœnitentiam etiam ducēs, ut est uidere in peccatrice in Euangelio. Eiusmodi Spiritus sancti operationem quotidie deprehendimus. Cæterum quod hodie in sanctis Apostolis operatus est, nouum quiddam est, cuiusmodi mundus antea neq; uidit, neq; audiuit. Stabant quidem admirātes, quod cū ex omnibus regionibus conuenissent, unusquisq; tamē suā linguam audiret ab iis qui in Galilæa educati & nati erāt, nec unquam extra patrios fines uenerāt. Hoc (inquam) admirabatur mūdus, nesciebat unde hoc accideret, aut quid nouę rei esset, nihil minus cogitans, quàm quod Deus tale quiddā instituere per id decreuisset, nimirū ut omnes gētes ad unitatē fidei congregaret. Verùm nos unde id accidat, perspectū habemus, Petrus id dixit nobis ex propheta Iohele. Nos causam facti scimus. Nos enim audimus, Euangelium hoc omnibus linguis prædicari. Hoc illud opus est, quod hodie pręconio singulari extollitur ad honorem & laudem spiritus sancti. Hoc qui in animum reuocare potest, hic tantò plus occasionis habebit, nouissimis hisce & periculosissimis temporibus, quibus diabolus hanc fidei unitatē prorsus dissoluere conatur: iámq; rem eò loci perduxit, ut nunc sæpenumerò in una lingua, imò in una regione, in una ciuitate, in una domo uarię sint fidei sectæ, id quod profectò diabolo adiumēto est, ut suū regnū eò melius instaurare iterū possit. Nā hac unitate fidei dirēpta & nodo hoc soluto illico diabolus liberū ad nos accessum habet inter nos populādi, quē sanè habiturus nūquā esset, si unitas fidei integra maneret. Quis autē illū prohibere melius potest spiritu sancto? Quis fidei unitatē cōseruare melius potest illo, qui homines primò ex omnibus populis ad fidei unitatem perduxit? Tantò itaq; diligentius considerare nobiscum debemus, quid olim per

Luc. 7.
Act. 2.
Quare spi. S. uariis linguis usus.
Ioel. 2.

sanctos apostolos fecerit. Tantò feruentius rogare debemus, ut id operis in nobis renouet. Et quomodo rogandũ? Veni sancte spiritus, reple tuorum corda fideliũ, & tui amoris ignem accende. Hæc illa tria sunt, in quibus sancta Ecclesia & Christianitas spiritu sancto omnium maximè opus habet. Corda nostra plena sunt spiritus mundani, hoc facilius abducti sum⁹ à recta uia. Ad hæc omnia frigemus in amore Dei: unde fit, ut tardi & segnes maneamus ad omne bonum. An nõ autem tibi uidetur, quòd tribus in his rebus nunc defectus potissimum consistat? Quæ res diabolo tantũ loci dat in Christianitate? Quia sumus (ut ille ait) uas uacuum, sed signatum. Quæ res tot generat errores? Quia credimus omni spiritui, cõtra Iohannis præceptum, imò unusquisque sui spiritus arbitriũ sequitur. Quæ res nos tam tardos & ignauos ad bonũ reddit, tam impatientes & pusillamines in cruce & afflictione? Quia nõ ardet ignis diuini amoris in cordibus nostris, alioqui faceremus, sicut apostoli faciebant, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus, inquit Petrus. Tum etiam gaudebant apostoli, si quam ob nomen Iesu contumeliã acciperent. Præterea autem continuè in oratione perseuerabant. Quia ergo in his tribus rebus summus defectus est, omnium etiam maxime hîc obstare oportet, & spiritum sanctum in his tribus rebus inuocare. Primò, ut in nos ueniat iuxta promissum Christi in Euangelio, & ut domum nostram occupet, ne locum in ea inueniat diabolus. Secundò, ut corda nostra repleat suis donis, hoc est, sapiẽtia, intellectu, fortitudine, &c. Et animam nostram totam, hoc est, memoriam, intellectum & uoluntatẽ ita repleat, ut nihil in nobis reliqui fiat, quod illi aduersetur. Tertiò, ut in nobis accendat ignem diuini amoris, qui omnem æruginem in nobis consumat, omnes tenebras dispellat, animos nostros ad Dei amorem rerúmque diuinarum excitet, & nos accendat in deuotione, inflammet in oratione, & totos alacres faciat, cupidósque omnia agendi perpetiendíque iuxta uoluntatem Dei. At uide nunc, quàm multa in hac unica & perbreui oratione comprehensa sint. Bone Deus quàm celeriter Ecclesiæ consultum foret, si nostrũ, Veni sancte spiritus, rectè, & ex animo canere aut orare possemus? Quantoperè Deo placiturum esset, si à Deo talem spiritum peteremus? Hæc consideremus fratres, simúlque præstemus. Deus nos sua donet gratia, Amen.

Luc. 11.
1. Ioh. 4.
Act. 4.
Act. 5.
Ioh. 14.

SEPTIMVS SERMO DOCET, *quid circa hodiernum festum considerandum, faciendum & petendum sit.*



IRCA hodiernum & lętum festum, quia nō solum sanctos apostolos & primos credētes omni mœrore liberauit, & in gaudio planè cōstāti collocauit, uerum etiam in hodiernū usq; diem uniuersam Christianitatem exhilarat, non uideo ego sanè, quod huic meo sermoni exordiū magis idoneum inuenire posim, quàm à gaudio & laude Dei, imò exclamatione illa, quam olim Hieremias faciebat, cùm etiam ex consideratione diuinorū operum in tantam admirationem raperetur, ut simul effunderet, quicquid boni & magni de Deo in pectore reconditum habebat. Magnus es tu Domine (inquiebat) & magnū nomen tuū. Quis non timebit te ò rex gentium? Verbis his planè fidem facit hodiernum festum, & ostendit, Deum & magnū esse in suis operibus, & in nomine gloriosum, atq; ideo omnibus creaturis, præcipuè autem nobis hominibus non modò timendum, sed etiam amandum & omni laude celebrandū. Hoc qui ignorat aut nō credit, is inspiciat hoc festum, indubiè cum propheta confitebitur & lætabitur, sibi talis Dei copiā esse factam. Etenim primò ex nulla historia demonstrari potest, fuisse unquam populum, de quo Deus eius tam bene meritus sit, quàm Deus noster de nobis. Nam in creatione, simul atq; nos homines formasset, omnes creaturas in nostrā potestatē dedit ac permisit: in redēptione filium nobis suū dedit: hodie spiritū sanctū nobis largitus est: in futura uita semetipsum quoq; nobis dabit. Nónne igitur etiam homo Christianus meritò dicat de Deo suo, Non est similis tui Domine? Secundò, Dominū utique & Deum esse præcellentē oportet, qui propositū suū & promissa tam potenter præstare potuit & in opus cōferre, ut nulla creatura, nullū peccatū aut ingratitudo, imò ne princeps quidē huius mundi omnibus suis uiribus atq; dolis id impedire potuerit, tāetsi sæpius magno conamine periculū fecit. Rogas quomodo? Scriptum est, Deum priusquā hominē crearet, apud semetipsum dixisse, decreuisséq;, se factturū eū ad imaginem & similitudinem suam. Scriptum porrò est, Deum ad Abraham dicere: In semine tuo benedicentur omnes gentes &

Hier. 10.
Deut. 4.
Potentia Dei.
Gen. 1.
Gen. 22.

tes & populi. Et ad Ezechielem, Nomen sanctum meũ notum faciam: & scient gentes quia ego Dominus sanctus Israël. Et ad Mosen, Viuo ego: & implebitur gloria Domini uniuersa terra. Est autem nomen & gloria Dei nihil aliud, quàm quod ipse solus sanctus, bonus, uerax, sapiens, iustus & omnipotens est. Et est hoc nomen Dei per se quidē magnum, uti Dauid dicit, A solis ortu usq; ad occasum, laudabile nomen Domini: at hominibus nihil constabat de his nominibus. Age (inquit Deus) quia mundus non uult noscere nomen meum, sed quisque sui ipsius nominis magnam opinionem comparare studet, ecce ueniet tēpus, cùm ego mūdo nomen meum ita notum faciam, ut in posterum omnes mortales uni mihi honorem deferant, mēq; solum uenerentur & laudent. Id hoc pacto fiet, Congregabo electos meos & adducam eos (intellige) in unitatem fidei & Christianam Ecclesiam: & effundam super eos aquam mundam, & spiritum meum ponam in medio eorum, &c. Vide, hoc Deus destinarat in animo suo, & ab initio promiserat. Verũ hoc diabolus impedire omnibus machinis cōtendebat, efficiēs primò, ut homo similitudinem Dei deperderet per peccatum, ut ei ipsi diabolo similior esset, quàm Deo, factus scilicet malus, peruersus, mendax, & condemnatus, uti & ipse diabolus. Deinde audiens homini per Abrahæ semen gratiam & benedictionem, imò salutē & felicitatē à Deo promissam esse, omnibus se uirib⁹ generi Abrahæ opponebat. Postremò, cùm iam Christus promissum Abrahę semen adesset, summo tamen conatu illi obnitebatur, & in crucē etiã eum adigebat, omninò sperans futurum, ut impediret, quo minus uel gratia Dei uel benedictio per Christũ in genus humanum ueniret. Hæc illius mens erat. At qd faceret creatura contra Deum? princeps huius mundi contra regem cœli & terræ? Hodie compertum est, Dominum Deum nostrum magnum & nomen eius admirabile esse. Hodie creaturam suam per spiritum suum sanctum renouauit, & hominem iterum instaurauit, ut non solùm imaginem Dei, sed etiam similitudinem recuperauerit, & in dies adhuc recuperare possit, hoc est, ut homo non solùm intelligens, sed etiã sanctus, uerax, & beatus sit factus & fieri possit. Hodie benedictio Dei, hoc est, spiritus sanctus per semen Abrahæ Christũ, fluere cœpit in omnes populos, ex hoc die ad istud usq; tempus, imò usq; ad finem mundi omnis terra gloria

Ezech. 35. *Num. 14.* *Quid sit gloria Dei.* *Psal. 113.* *Ezech. 36.* *Gen. 3.* *Diaboli machina contra Deum.*

Gen. 11. Dei facta est plena. Hodie Deus incœpit magnum suum nomen sanctificare, per igneas linguas apostolorum, fide-
Ezech. 36. les suos ex omnibus terris in unam fidem & Ecclesiam con gregare: aquam mundam in eos effudit, qua à peccatis mūdati sunt: spiritum illis suum dedit, & per eum nouum cor & spiritū in eis excitauit, idcirco eos adoptauit, & se illis æter na patris lege obstrinxit. Atq; hoc diabol⁹ ne uniuersa quidem potentia sua impedire potuit. Nónne igitur meritò cū
Hier. 10. Hieremia confiteremur ac diceremus: Magnus es tu Domine, & magnum nomen tuum? Nónne etiam talem Deum ti
Psal. 144. meremus? Imò nónne illum ex toto corde diligeremus, & plena uoce laudaremus, qui tam clementer manum suā erga nos aperuit, & nos tam abundanter impleuit sua benedictione? Rogas quæ illa sit benedictio? Est primò remis
Benedictio Dei quæ sit. sio peccatorum. O præclarā & necessariam benedictionē, qua uniuersi homines summoperè opus habuerunt, atque etiamdum opus habent. Nam ubi benedictio Dei non est, ibi proculdubio est maledictio Dei. Si iniquitates obserua
Psal. 129. ueris Domine (inquit Dauid) quis sustinebit? At quid Deus ad hæc respondet? Effundam super uos aquam mundam, &
Ezech. 36. mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, &c. Hic primus fruct⁹ est & operatio istius benedictionis. Est dehinc etiam dispensatio multiplicium donorū Dei. Duobus enim hisce modis Christus suę Ecclesiæ benedixit, spiritum sanctum effudit, primò ad remissionem peccatorum, deinde quoque ad dispensationem gratiæ. Alterū seruit ad ædificationem sanctæ Christianitatis in commune. Nisi Deus spiritum sanctum dedisset nobis ad remissionem peccatorum, nemo ad conscientiæ pacem peruenire posset. Nisi itē multifaria sua dona per spiritum sanctum effudisset, nūquā Ecclesia emergere potuisset, & tanto tempore subsistere.
Christus spiri. Sanctum bis dedit. Quid enim tenues & humiles piscatores aduersum tot tāque potentes aduersarios ualuissent? Atque ideo etiā Christus spiritum sanctum bis dedit: primò, mox ut pro peccatis nostris mortuus fuerat, & ex mortuis resurrexerat, eo ipso
Ioh. 20. die dicebat, Accipite spiritum sanctum, &c. Quo autem idonei fierent etiam aliis hominibus hunc thesaurum, nimirū remissionē peccatorum impartire, dabat illis postea in die pentecostes iterum spiritum sanctū in omnibus donis, quibus ad hoc munus opus essent habituri. Qua quidē de causa tū statim ædificare incipiebant, primo die tale fundamen

tum

rum iacientes, ut hominũ tria millia baptizarent, Christóq; Acta.
adiungerent. Atq; hoc illud opus est, quod hodie nobis proponitur, ut si qua fieri posit, animis nostris quàm altissime imprimatur. Id auté fieri non solùm quia æquũ est, sed etiam necessariũ, maximè uerò quia peculiaré fidei nostræ articulum continet, nemo nõ existimare secũ potest. Quapropter etiam paulò fusius de hoc festo dicendum mihi est, ut Dei gratiam & magnitudinem, necnon gloriã sancti nominis eius tanto melius animis nobiscum reputare, illũ tanto effusius amare, laudare atque timere posimus. Primũ & præcipuum, quod cõsiderandũ nobis hodie est, est articulus fidei nostrę, & cuius bonus Christianus in primis meminisse debet. Est quippe hoc fundamentũ, quod omnibus in rebus primũ poni oportuit, tum quoq; fides nostra unica uictoria est, qua mundũ uincimus, uti Iohãnes ait. Porrò 1. Ioh. 5.
Christianus homo in confesione fidei suæ sic dicit, Credo in spiritum sanctum, sanctam Ecclesiã catholicam, sanctorũ communionem, remisionem peccatorum, carnis resurrectionem, & uitam æternam. En, in his uerbis omnia habes, quæ de spiritu sancto credere, existimare & sperare nos oporteat, quid item ille sit & operetur. Primò, Deum eum esse necesse omnino est, quandoquidem eadem ratione de illo dicimus, Credo in spiritum sanctum, qua dicimus, Credo in Deum patrem, & in Iesum Christum filium eius unigenitum. Cuius rei & alia extant indicia in sacris scripturis, uti cùm Dauid dicit, Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Et iterum, Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descẽdero in infernũ, ades, &c. Atqui hæc opera unius Dei sunt, aliquid de nouo creare, & omnibus in locis esse. Quia itaq; spiritui sancto utraq; hęc attribuuntur, nemini dubium esse potest, quin Deus sit. Atque huius rei argumẽta plura habemus, uti cùm Christus dicit, credẽtes baptizari debere in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Itẽ quod Christus alio in loco dicit de spiritu sancto, eum nos docturum omnia, &c. Et quod Paulus ait, esse quidé diuisiones gratiarum, ministrationum & operationũ, cæterũ unũ esse Deũ, unũ dominũ, unũ spiritum qui operatur omnia in omnibus. Hoc nimirum clare conuincit, spiritum sanctũ esse Deum oportere. siquidem Deus gloriam suam alteri nõ dat, nec quisquam intrinsecus docere potest, & spiritualia dona

Ratio quòd spiritus sanctus sit Deus. *Psal. 32.* *Psal. 138.* *Matth. 28.* *Ioh. 14.* *1. Cor. 12.*

dona partiri, excepto uno Deo. Summa, spiritus sanctus est tertia persona in omniū excellētissima deitate. Verum humiliter hoc credi, & nequaquam curiose explorari debet. Credo in spiritum sanctū, dicit bonus Christianus, nō sciscitans amplius de persona, sed magis obseruās operationes spiritus sancti. Atque hæ porrò sequētes nobis indicant articulos: etenim quis sanctam Christianitatem congregauit, ædificauit, conseruauit, & in unitatē fidei adduxit? Spiritus sanctus. Quis adhuc hodie nobis dat remissionē peccatorum? Spiritus sanctus. Quis collapsa & mortua corpora no-
Ezech. 37. stra suscitabit iterū & ad uitam reuocabit? Spiritus sanctus:
Rom. 8. hic enim spiritui nostro testimonium reddit, nos esse filios Dei. Si autem filij sumus Dei, alterum per se ipsum sequitur, nos etiam hæredes esse Dei, & cohæredes Christi. Vide, hæ
Gala. 4. sunt genuinæ & potissimę operationes spiritus sancti, nobis uerò tam impense necessariæ, ut earum carere nulla pos
Ioh. 3. simus. Quod corporaliter nati sumus, nihil nobis profuerit nisi denuo ex aqua & spiritu sancto renascamur, & in Sanctam Christianitatē introducamur. Et ut maximè renati & in Ecclesia simus, rursum actū de nobis agitur, nisi nos spiritus sanctus usque regat & ducat, doceat & cōsoletur, ante omnia autem nos à peccatis mundet, quod ipsum tamen exiguum adhuc esset solatiū, si cum uita hac desineremus, & non etiam ad immortalem uitam resurgeremus. Quocirca indicat nobis fides nostra dilucidè & clarè, quòd quemadmodum nos Deus pater creauit, Deus filius redemit: ita spiritus sanctus salutē nostram & redemptionem ad finem perducat, dans in hoc seculo animæ uitam, & deinceps etiā
Rom. 8. suscitaturus corpora nostra. Hæc, inquam, illa sunt, quæ hodie ante omnia considerari oportet. Verum de hoc in alijs sermonibus prolixius à me dictum est, quapropter hoc loco breuior sum, sed tamen contra ostendam, quomodo hodie in catholica Christiana Ecclesia hic fidei nostræ articulus proponatur, consideretur, & usurpetur. Et quanquàm prudens id per seipsum animaduertere possit, nec opus habeat qui digito illi demonstret, attamen simpliciū ruditati seruire me oportet, quorum potissimum in gratiam etiam conciones institutæ sunt. Age igitur primum, in quo hodiernum festū nobis proponitur est, quod canitur, Spiritus
Sap. 1. domini repleuit orbem terrarum. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet uocis. Desumptum hoc est ex libro

Sapien

Sapientiæ, paucis ostendens summã hodierni festi. Nullius certè rei Christus discipulis suis & credentibus certiorem spem fecit, quàm spiritus sancti, nec quicquã toties tamq; apertè promisit, quàm spiritũ sanctũ, ueluti quiuis uidere & legere potest. Iohan. 7. 14. 15. 16. Lucæ 24. capite. Acto. 1. Prætereo nunc, quod prophetæ idipsum antea luculentissimè prædixerunt, maxime Ezechiel 36. & Iohel 2. capite. Non opus est sanè curiosa interrogatiõe & disputatione, quamobrem Deus hanc adeò promissionẽ de spiritu sancto cùm in ueteri tum in nouo testamento renouauerit. Si tantũ nobis spatij relinqueremus ad cognoscendum, qui nos simus natura, ad quid uocati, ubi simus, & quæ nos deficiant, facilè intellecturi essemus, nõ exiguũ quiddã, sed omnem nostram salutẽ & fœlicitatẽ in sancto spiritu positã esse. Quid miserabilius homine, quantumuis suo iudicio magno & superbo: ubi maius periculũ, quàm si quis inter hostes esse cogatur? Quod genus mortaliũ in terris decet maius studiũ, deuotionem & amorem erga Deum declarare, quàm nos Christianos? Quid terribilius & grauius, quàm cũ morte & diabolo dimicare? Quis porrò tam simplex est, qui non uideat, nos omnibus istis in rebus spiritu sancto opus habere? Num clarius uis dicam? Cogita primum, te naturâ hominẽ esse: Secundò professione & religione Christianũ: tertiò, nõ ad otium uocatum, sed ad currẽdum pro brabio, & decertandum pro æterna corona: quartò te esse in mundo & regno diaboli, ubi nulla unquam pacis aut securitatis spes esse potest: quintò, mortẽ & iudiciũ Dei tibi adhuc instare, facile uidebis, quot in rebus credẽtes homines spiritu sancto opus habuerint, & adhuc opus habeãt. Quia itaq; hæc duo certa sunt, Deum suis filiis in ueteri & nouo testamento spiritũ sanctum promisisse, & illos hoc ipso spiritu cum primis opus habuisse, facile cogitare est, quãtũ omnes electos promissi istius modi tenuerit desiderium, pręcipuè Sanctos Apostolos. Enimuerò Sapiens dicit, spem quæ differtur, affligere animam. Res planè sic se habet, quiuis in se ipso id experitur, atque hoc idẽ deprehenditur in multiplicibus orationibus & suspiriis, quæ boni omnibus temporibus ediderunt. Potissimum uerò in Apostolis apparet, quanto animi desiderio expectauerint id promissi. Nam ex ea hora qua Christus in cœlũ ascendit, unà omnes manebant, nullus seiũgebat se, ne nõ acciperet quod promissum erat,

Nullius certior spes facta fidelibus quã spiritus S.

Salus nostra S. spiritu posita.

1. Cor. 9

Pro. 13

Act. 1.

erat, quemadmodum antea Thomæ usu uenerat in resurrectione Christi: nullus se aliis negotiis implicabat, sed corde & animo erecti erant in cœlũ, omni hora & momento expectantes, quando præclarum Christi promissum sese exhiberet, in his omnibus perseuerabãt in decimum usq; diem. Tunc profectò nihil apud eos fuisse credere par est, præter orationes & suspiria. Ah domine, quãdo consolaberis nos? Quàm diu expectabimus? Sed quomodo hodie canitur? Dum complerentur dies Pentecostes, erãt omnes discipuli pariter in eodem loco: & factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus uehementis: & repleuit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditq; supra singulos eorum: & repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui uariis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Quid, inquis, me exhilarare potest, quòd spiritus sanctus hanc domum, in qua Apostoli erant, repleuit? Age audi, quid Ecclesia præterea canat, Spiritus domini repleuit orbem terrarum. Et hoc quid aliud est, quàm si ad nos dicatur: Gaudete ô Christiani. nã quod Deus tanto tempore promisit, id nunc impleuit, & non solũ in sanctis Apostolis, neq; in uno tantum loco, sed in omnibus credentibus, atque in uniuerso orbe terrarũ, & quod olim futurum erat, id nunc factum est, nec solum in præterito tẽpore factũ, sed fit adhuc quotidie: Rogabo patrem (inquit Christus) & aliũ paraclètum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternũ, &c. Vide, hæc omnia bonus Christianus circa primum uerbum considerare habet. Sub hæc Ecclesia mox elegantẽ & Christianã orationem facit, Deus qui hodierna die corda fideliũ spiritus sancti illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper cõsolatione gaudere. O insignem & necessariam orationẽ, hisce præsertim temporibus. O utinam hoc idem omnes ore pariter & corde rogare possent. O utinã digni essemus, id à Deo accipere, quàm celeriter sancta Christianitas melius habitura esset. Magnũ quiddã in se habet, Da nobis in eodẽ spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Quid aliud nobis desit, quàm hæc duo quod intelligere nolumus rectũ, quod nobis spiritus sanctus suggerit, & quòd consolationẽ eius non curamus? Væ (inquit Isaias) qui dicũt malũ bonũ, & bonum malum. Et quid est, in spiritu sancto recta sapere? Id

Act. 2. Sap. 1. Ioh. 14. Esa. 5.

eius

eius contrariũ nos docebit. In Euangelio Matthęi, Iudaici Pharisæi conuincebãtur, quòd suis cõstitutiunculis plus tribuerent, quàm pręceptis Dei, quapropter audire cogebantur, se cæcos esse & cęcorũ ductores. Vide, & hi erãt prudentes ac sapientes suo ipsorũ iudicio, sed nõ in spiritu sancto, ideò etiã quod rectũ erat nõ cernebant. Sic alibi Sadducęi uidebãtur sibi habere uerũ intellectũ scripturarũ, sed à Christo eos audire oportebat, Erratis nesciẽtes scripturas. Vide, neque hi quid rectũ esset cognoscere poterãt. Alio in loco rogabant Geraseni Christũ, ut ab se absceederet, nõ intelligentes, summã eorum futurã fuisse utilitatẽ, si apud se Christum retinuissent, nõ exclusuri eũ alioqui. Alio in loco, ubi Christus de sua passione loquitur, reprehendit eum Petrus hoc nomine, existimans eum nõ pati & mori debere, atq; ideo etiam recta non sapiebat. Reperimus alibi discipulos disceptantes, quis eorũ maximus esset. Interdum supremũ locum petebant in regno eius, interdum ulciscendi eos cupiditate incendebantur, à quibus nõ recipiebantur. Petrus repugnabat, nolens concedere, ut sibi lauarentur pedes, post paulum tantum sibi ipsi arrogabat, ut diceret, etiam si omnes homines in Christo scandalizarentur, se tamen non scandalizatum iri. En, in his rebus omnibus deerat Apostolis spiritus sanctus, quocirca nõdum quid rectum esset, uidere poterant. E diuerso autẽ, cũ dicerent, Tu es Christus filius Dei uiui. Et rursus: Ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes. Item: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Maximè uerò, cum post acceptum spiritũ sanctũ dicerent: Certissime sciat omnis domus Israel, quia & dominum eũ, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quẽ uos crucifixistis. Et rursus: Deũ oportet potius audire quàm homines: nõ enim possumus quæ uidimus & audiuimus non loqui. Et cũ præterea etiã quotidie perseuerarent in oratione, uiuerentq; in tali charitate, ut unũ cor & animã haberẽt, hoc proficiscebatur ex spiritu sancto, tum rectũ & bonum intelligebant. Est itaq; recta sapere nihil aliud, quàm firmiter credere, nõ q̃d nobis ratio, sed q̃d spirit⁹ sanctus credendũ dictat, licet rationi impossibile uideat. Secũdò, tota fiducia sperare ꝓmissa Dei. Tertiò, toto pectore amare, q̃d ipse nobis pro bono mõstrat. Quartò summa diligẽtia uitare qcqd ꝓ malo nobis ĩdicauit. Quĩtò, obediẽter seq quò ille nos ducit & ire iubet. Sextò, patiẽter ferre ac tolerare, quic

Quid sit in Spiritu sancto recta sapere
Matth. 15.
Matth. 22.
Matth. 8.
Matth. 16.
Luc. 22.
Matth. 20.
Luc. 9.
Ioh. 13.
Matth. 26.
Matth. 16.
Ioh. 6.
Matth. 19.
Act. 2.
Act. 4.

quicquid nobis imponit. Istud est in spiritu sancto recta sapere. At quis non uidet, quantum ab hoc absimus? Maior pars Christianorum contrarium adeò facit: plus credit suæ rationi, quàm spiritui sancto, pl' malo adhęret quàm bono: temporaria plus diligit quàm ęterna, homines plus timet quàm Deũ, &c. Sed hoc certè non proficiscitur ex spiritu sancto, quapropter nõ immeritò rogamus, ut Deus det nobis per spiritum suũ recta sapere. Eundem etiam in modum de altero dicere possum, minorem partem inter nos Christianos spiritus sancti cõsolatione gaudere. Quid ita? Animus eorum totus est in mundi gaudiis, alius quęrit gaudium in diuitiis, alius in mũdano fastu, alius in concupiscentia carnis, &c. Verùm quid dicit Christus? Væ uobis diuiti-
Luca 6. bus, quia habetis consolationem uestram, &c. Ergo neq; hoc immeritò à Deo petimus, ut semper gaudeamus, non mundi uoluptatibus, sed consolatione spiritus sancti. Atq; hic iam uides, quàm multa egregia bonus Christianus etiã circa hanc orationem considerare posit. Quæ & quàm bona obiecta habituri essemus tum demum, si etiam reliquas partes, ut pote Euangelium & Epistolam, diligenter excuteremus? Sed his duobus iam acquiescam. Deo gratias agemus, quòd suo spiritu uniuersum orbẽ terrarũ repleuit. Deum rogabimus, ut nos suo spiritu doceat & ducat ad id quod rectũ est, & nos semper in lætis & tristibus, in morte & uita suę consolationis participes & capaces faciat, Amen.

OCTAVVS SERMO DOCET, CVR HOdiernum istud festum tanta cum lætitia in orbe Christiano celebretur.



ANTE hodiernum Euágelium, in quo Christus rursus uerbis oppidò pulchris & egregiis aduentum spiritus sancti denuntiat ac promittit, Epistolæ loco tota historia lecta est, quomodo & qua ratione eiusmodi promissa Christi impleta sint. Indubiè optimis discipulis & Apostolis præ nimio desiderio omnis mora longa uisa est, quod illis Christus non solum tam multa & toties de spiritu S. dixit, uerũ etiam amplissimam de illo spem dedit, quod consolationẽ, doctrinam, & robur, imò omnia bona per illum habituri essent & accepturi. Proin legitur etiam de ipsis, quòd statim
Act. 1. ab ascensione Christi in unum fuerint congregati, atq; illic

man

manserint unà, & perseuerauerint in assidua & diligenti orátione, usq; ad eum dië & horam, qua fœlix hæc apparitio & manifestatio spiritus sancti fiebat. Hoc, inquã, manifestum indicium præbet, eos uehementer scire cupiuisse cogitauisséq;, quidnam tãdem futurũ esset, & qualis spiritus ille futurus esset, de quo Christus tã magna dixerat. Quinimò indiciũ præbet, eos omnes summum adhibuisse studium, ut talibus nouis ac prius inauditis donis Dei digni ac capaces fierent. Quomodo igitur res gesta est? Quomodo Christus sua promissa impleuit? Quomodo Apostolis desiderium & cupiditas sedata est? Cum cõplerentur dies Pentecostes (inquit Lucas) erant omnes pariter in eodem loco, &c. ut supra in Epistola. Hæc historia est, qua hodiernum festum ceu fundamento nititur: hoc modo spiritus sanctus nunc apparuit. simile factum nõ est ab mundi initio. Videre hinc quiuis potest, Christũ promissa sua certò & perfectè adimplesse. Et sic quidem necessarium erat nõ solũ Apostolis, sed etiã nobis omnibus. Magna polliceri & nihil præstare, parũ adfert gaudij. Quod Christus in sua ascensione & antea promisit, id hodie cõpleuit, imò tam præclarè non promisit, quin præclarius adimpleuerit & præstiterit: haud dubiè Apostolorũ nullus sperauit, impletionem huius promissionis tam admirabilem támq; lætam fore. Quamobrem utraque hæc nobis hodie simul proponuntur, quomodo Christus spiritũ S. promiserit, & quomodo etiã illum dederit. Super his itaq; Ecclesia hodierno die multas insignes, deuotas & Christianas orationes facit, & meritò sané. Filium Dei nihil æquè decet, quàm spiritũ Dei petere: quid homini Christiano utilius gratia spiritus sancti? Quid omnibus nobis necessarium magis in tantis errorum tenebris, quàm cognitio ueritatis? Quid nobis tam necessarium, quàm consolatio cordis nostri contra tot afflictiones, quas ultimis hisce temporibus quotidie experimur? At hęc utraq; quis certius & perfectius dare potest, quã spiritus sanctus? Haud profectò temerè Christ⁹ eũ nominauit spiritũ ueritatis, & cõsolatoré, quin duobus hisce adeò nominibus cõmonstrare nobis uoluit, quid potissimũ à spiritu sancto sperare & petere debeamus. Nã si est spirit⁹ ueritatis, dare nobis utiq; potest, & efficere, ut discamus intelligamúsq;, quid rectum & uerum sit. Si porrò consolator est, certè lenire, leue reddere, & depellere potest, quicquid in terris nos angit & grauat. Nunc autem uide, an non omnia

Act. 2.

Ioh. 16.

Spiritus ueritatis & consolator quare uocatur.

mnia iusto ordine disposita sint, Euãgeliũ hodiernũ, in quo Christus spiritum sanctũ promisit: historia, in qua prima effusio spirit⁹ sancti descripta est, & deuotę Ecclesiæ orationes, quibus omne id per gratiã spiritus sancti quærimus, quod Christus nobis omnium maximè promisit. Vtique bene rectéq; ordinatũ est, si modò nos hoc pacto id simul cõsideraremus acciperemúsq;. Quod si fieret, hodiernum profectò festum nõ absq; singulari & magno fructu abiret. Siquidem hæc ea ipsa exercitia essent, quæ hodiernum festum à nobis poscit, nimirum cũ laude, gratiarum actione, & admiratione considerare, quomodo nobis Christ⁹ spiritum sanctum primò promiserit, ac deinde etiam dederit: & sub hæc mox summo cũ feruore ac deuotione orare, ut eiusmodi promissionum, imò eiusmodi donorũ & gratiarũ participes fieri possimus maneamúsq;. Hoc modo celebrat Catholica Christiana Ecclesia suã Pentecosten: nullum est festum totius anni, in quo plures & magis deuotas faciat orationes, qua quidem ex re uidere unusquisq; potest, nõ parum momenti illi situm esse in spiritu sancto, quẽadmodum & aliis annis prolixè, & mea quidem sententia abundè ostendi. Attamen uix prętermittere possum, quoniã unum ex præcipuis festis est, & peculiarẽ articulum fidei cõtinet, quin paulò uberius de

Propositio huius sermonis. eo dicam, eò tandem omnia directurus, quo simplices tãto melius animaduertere & intelligere queant, quàm meritò nos Christiani hodiernum istud festum anniuersaria memoria & summo gaudio celebremus, & diabolum nõ absq; causa iã inde ab initio tot errores contra uerã fidẽ & cõfessionem Dei spiritus sancti in Ecclesia excitasse, & adhuc excitare. Hoc audire breuiter uolumus. Principiò, non est neces-

Ratio solennitatis huius festi. se multũ interrogarę, quamobrẽ istud festum tã solenniter iam inde ab initio apud omnes Christianos celebratum sit & adhuc celebretur. Causam modò audistis in historia nostræ Pentecostes. Sancti Apostoli primi erant, qui gaudium

Act. 2. hoc & festũ celebrabant, atq; ita, ut oẽs homines demirarẽtur: nunquã enim mundus simile quiddã uiderat & expertus erat, nemo tamen causam eius gaudij nosse poterat, donec Petrus assurgeret, & ueram causam doceret ex Propheta

Ioel. 2. Ioële, &c. Sic ea quoque nobis causa est istius festi, quod Apostoli & primi credentes hodie Spiritu sancto baptizati sunt & perfusi, & confirmati uirtute è supernis, quemadmodum illis Christus in suo discessu receperat. Vnde consecutũ

est, ut

est,ut ex ea hora, absque omni metu, absque ulla intermissione, & absque omni tædio coram cunctis mortalibus in uniuerso orbe Euangelium,imò magnalia Dei prædicauerint,atque ita,ut sonus illorum non solum per omnem terrarum orbem personuerit & peruaserit,sed etiam ad nos usque durauerit,atque durabit in finem usque mundi. Hęc, inquam, prima causa est hodierni gaudij apud nos Christianos,quòd prædicatio Euangelij hodie primum cœpta fuit, quod ad Apostolos attinet,& ab ea hora nunquam desierit ad nos usque,quantumcunque etiam diabolus iam inde ab initio cum omni sua potētia obluctatus sit, & aduersus eam uarij tyranni & hæretici sese opposuerint. Non possumus (inquit Petrus) quæ uidimus & audiuimus nō loqui. Et quid in terris habemus,quod nos exhilarare magis potest,quàm nostrum Euangelium? Insani filij mundi non quidem magnopere curant istiusmodi gaudium,quantisper externè rebus utuntur secundis, aliis in rebus sua quærūt gaudia, tādē tamē experiri coguntur,in necessitate non esse constantius gaudium,quàm quantum haberi potest ex salutifera prædicatione Euangelij. Venient dies (inquit Christus) quando desideretis uidere unum diē filij hominis. Hoc cum primis mundi filiis considerandum est.nam etsi multum diúq; gaudium suum in temporariis bonis,potentia,honore & uoluptate quærant, postremò tamen ob has res omnes absque omni solatio esse eos oportet,quin etiam desperare, nisi illis Dei uerbum auxilio ueniat. Quia ergo nullum in terris constans gaudium est,& esse potest,quàm quod ex Euangelio nostro habere possumus,atque illud hodierno festo primum per Apostolos publicè & constanter prædicatum est, æquitas certè postulat, ut nos Christiani Pentecosten nostram cum gaudio laudéque diuina summa cum solennitate celebremus. Atque hæc sola causa satis magna esse posset, contra omnes hominum imperitorum obiectiones, qui hoc nostrum gaudium & festum minimè necessarium uellent iudicare. Sed id genus causas plures indicabo,& primò ex ueteri testamento. In principio creaturarum,quum Deus cœlum,terram,& aquam,solem, lunam,stellas, frondes & gramina, pisces, aues,aliáque animantia creasset, faciebat postremò etiam hominem,qui his omnibus dominaretur, sed tamen in hoc ultimo suo opere longe aliud animo secum statuerat. Nam in priorib' nō simpliciter dicit,

Luc.24.

Act.4.

Constans gaudium ex Euangelio petendū.

Luc.17.

Gen.1.

Fiat homo:aut,Faciamus hominem:sed, Faciamus illum ad imaginē & similitudinē nostram. Hoc Dei consilium erat de homine.Nō solū imaginem, sed etiā similitudinē habere Dei debebat,hoc est,non tantū substantiā,uitam,sensum & intellectum,seu cognoscendi uim,uerumetiā bonus,sanct⁹, iustus,uerax & beatus esse,& uerū intellectū habere seu cognoscendi uim debebat.in hoc homo creatus erat.Atq; hęc utraq; acceperat,sed nō nisi unū seruauerat,alterū perdiderat.Rationalis creatura manebat,hoc est,imago Dei,cęterū iustitiā,ueritatē,sanctitatem fœlicitatémq;,hoc est,similitudinem deperdebat per peccatum. Hostis illum his priuabat bonis.Verum quorsum attinet hominē imaginem Dei habere,esse rationalē creaturam,si similitudine Dei careat, si sit malus,iniustus,mendax,miserabilis & condemnatus? Quid est,ratione illum prędituū esse,si ea nesciat uti,imò ad rerum malarum tantum aut tēporalium usum adhibeat? Quid illi prodest,quòd liberum arbitrium habet,uoluntatémq;, si ea uoluntas sit semper mala?Imò quid prodest illi, quod uiuit, si malè,miserè & infœliciter uiuat? Atqui omnes mortales tales fuerunt,quotquot unquam ex Adam orti sunt, atq; æternū tales manere eos oportuisset, nisi Christus interuenisset.quod enim ex carne natū est,caro est,& qualis terrenus, tales & terreni.Christus autem similitudinem Dei in homine iterum instaurauit.Et in hoc etiam uenerat,hoc auspicabatur primū sua doctrina & prædicatione,rem deinde promouebat sua paſsiōe,resurrectiōe, & ascēsione, hodie perfecit. Etenimin effusione Spiritus sancti primum uerè mundabantur,illuminabantur, dotabantur, sanctificabātur, corroborabanturq;. Vnde, sic palàm fit, quòd non solū opus, ob quod Christus in terras uenit, sed etiam propositum & prima sententia, quam Deus in creatione hominis habebat in animo,hodie primum sit impleta.Nonne autē etiam hoc nobis occasionē dabit ad spirituale gaudium & laudem Dei hodierno die?Imò si quis penitius animo secum recolat, ad quid nos De⁹ creauerit,quid Christum de cœlo in terras detraxerit,& utraq; hæc hodie primū uerè īpleta esse, is haudquaquā mirabitur,sanctā Christianitatē hodie tale gaudiū, & deuotionē cum laude Dei exhibere. Ad hæc habemus & alia ex ueteri testamento, quæ nobis hodiernum nostrū gaudiū confirmāt,& Pētecostes nostræ festū eximiū faciūt. Est primò promiſsio Abrahæ facta : est deinde annuntiatio & inst

Consiliū Dei de hominis formatione.

Iob.3.

Christus similitudinem Dei in homine instaurauit.

& institutio legis, quã Deus p Mosen dabat. Atq; hęc etiam utraq; primũ uerè in nostra Pentecoste impleta sunt. Ad Abrahã dicebat: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & uelut arenã quæ est in litore maris: possidebit semẽ tuũ portas inimicorum suorũ, & benedicentur in semine tuo oẽs gentes terræ. Hęc promissa iã omnia impleta erant, præter ultimũ, quod hodię impletũ est, & quod nostra potissimũ interest. Reliqua pertinent aut ad personã Abrahę, aut ad totũ eius genus, aut ad personam Christi, ut quod Deus primò dicit: Benedicã tibi, ad personam Abrahę pertinet. Alterũ ubi Deus dicit: Multiplicabo semẽ tuũ sicut stellas cœli, & uelut arenã quæ est in litore maris, pertinet ad genus Abrahæ. Tertium, ubi Deus ait: Possidebit semen tuũ portas inimicorũ suorũ, ad personam Christi pertinet, atq; hæc tria promissa iã impleta erant. Abrahã uerã iam benedictionẽ Dei acceperat, quando Christus filius Dei humanũ corpus & naturã ex illius genere assumpserat. Hic Abrahæ summus honor erat, hoc Abrahã potissimum quæsierat. Abraham pater uester (inquit Christus) exultauit, ut uideret diẽ meũ, & uidit & gauisus est. Ad hæc quoq; genus illius iã exaltatum erat, & factũ sicut stellæ cœli, dũ optimorũ patrũ plurimi cũ Christo ex mortuis resurrexerant, ueluti Matthę[9] dicit. Tum etiã Christus uerũ Abrahę semẽ, portas & omnẽ potentiã suorũ hostium iã occupauerat, ascendẽs in cœlum, & sedẽ ad dexterã Dei capiens. Vnũ restabat implendum adhuc, ut etiã nos gentes Dei benedictionẽ, per hoc Abrahæ semẽ Christum acciperemus. Id hodie cœptũ est per prædicationẽ Apostolorũ. Atq; hac de causa illis spiritus sanct[9] in diuersis & igneis linguis apparuit, quo per ignea eorum uerba dura & frigida corda gentiũ emollirentur, incalescerent, accẽderẽtúrque. Hunc in modũ benedictio Dei in oẽs gentes uenit, nimirũ per effusionẽ sancti spiritus. Hic operationẽ suã primum in Apostolis habuit & exeruit, deinde etiã in aliis hominibus exerit & declarat adhuc, & declarabit usque in finem mundi. Sanctos Apostolos expediuit & instruxit uariis donis & diuersis linguis, ut omnibus in locis prædicare possent. Pectora omniũ gentium ac populorum ille mouit ac flexit, ut Euangelium ac fidem reciperent. Prædicauerunt (inquit Marcus) domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Sanctam Christianam Ecclesiam spiritus sanctus ex omnibus populis collegit, eãque

Gen. 22.

Abrahã quando benedictionem dei accepit.

Ioh. 8.

Matth. 28.

Mar. 16.

Quare Spiritus Sanctus igneis linguis apparuerit.

Mar. 16.

tot seculis conseruauit contra tot hostes, persecutores & hę
Iac. 1. reticos. Patres nostros & maiores uocauit ad fidem, nos i-
psos etiam in baptismo filios Dei regenerauit, quotidie ad-
huc nobis inspirat & consolatur nos, subministrat nobis ro-
bur & constantiam contra peccatá, mortem, & diabolum:
excitat in nobis bonam uoluntatem, largitur & auxiliatur
Rom. 8. etiam nobis, ut bonum faciamus: orat & clamat in cordibus
nostris gemitibus inenarrabilibus, pater est pauperum, da-
tor munerum, lumen cordium, optimus consolator, dulcis
hospes animæ, dulce refrigerium, in labore requies, in æstu
temperies, in fletu solatium, lauat quod est sordidum, rigat
quod est aridum, sanat quod est saucium, flectit quod est ri-
gidum, fouet quod est frigidum, regit quod est deuium. Vi-
de, hæ sunt operationes spiritus sancti, quas nunc in hac ui-
Rom. 8. ta in nobis facit. Post hæc omnia mortalia quoq; corpora
nostra uiuificabit, uti Paulus dicit, atq; etiã Ezechiel antea
in uisione uidit. En, hęc est benedictio Dei super nos gẽtes,
nimirum spiritus S. suis donis ac operationibus. Hũc in mo
Ezech. 37. dum benedictum est nobis per Christum uerum Abrahæ se
Gen. 22. men. Atq; hæc rursum causa est gaudij, quod hodie sancta
Christianitas exhibet. Est grauis & iusta causa, imò æquum
& salutare est Sancte domine, pater omnipotens, æterne
Deus per Christum dominum nostrum, qui ascendens su-
per omnes cœlos, sedénsq; ad dexterã Dei promissum spi-
ritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit.
Quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mun-
dus exultat, sed & supernę uirtutes atq; angelicæ potestates
hymnũ gloriæ tuæ concinunt sine fine dicentes: Sanctus,
Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli
& terra gloria tua. Hũc in modũ hodie cantatũ est. Sed nũc
uide, an nõ sat causæ habeamus gaudendi. Verũtamen nõ-
Exod. 19. dum omnes enumeraui. In Exodo legitur, Israëlitas quin
quagesimo die post exitũ suum ex Aegypto ad mõtẽ Sinai
uenisse, ac tum demũ Deum uerè apparuisse atq; fuisse au-
ditũ, sed multò aliter, quàm in Aegypto. Illic erat mera ira
& indignatio aduersus improbos: hic in mõte Sinai demũ
uerè amplectebatur populũ credentẽ, fœdus cũ illis percu-
tiebat, legẽ eis suam dabat, promittebat se fore Deum illo-
rũ, atq; pro ppetua rei memoria pręcipiebat illis, ut quotan
nis quinquagesimo die à festo Paschæ peculiare festũ cele-
Leuit. 23. brarent, Deóque suas primitias immolarent. Atque hæ tan-
tum

tum figuræ fuerunt nostræ pentecostes: attamen omnia maiora sunt & perfectiora apud nos. Nam illis quidẽ Deus suã dabat legem, sed lapideis tabulis duntaxat inscriptam, nobis inscribit suam legem per spiritum sanctum cordibus nostris. Illos pro populo suo recipiebat, pactũ cum illis inibat: nos multò certiora argumenta habemus eiusmodi fœderis cum Deo, imò spiritus sanctus spiritui nostro testimonium reddit, nos esse filios Dei, facitq; ut ad Deũ dicere audeamus, Abba pater. Vide, hæc rursum causa est hodierni gaudij. Summũ & maximum est, quod hodierno die tertia persona in sancta deitate ad hominum utilitatẽ sese exhibuit, atque hîc demum rectè uidere ac sentire possumus, quàm Dominus noster Deus sit bonus & suauis: hîc meritò etiam quiuis Christianus in genua procũbere debebat, & cũ Dauide dicere, Domine qd est homo, qa memor es eius, & filius hominis qa uisitas eũ? Oĩa subiecisti sub pedibus eius, super uniuersas creaturas cõstituisti eum. Ad hæc, misisti illi unigenitũ filiũ tuũ, indidisti illi spiritũ tuũ, promisisti illi faciẽ tuã. Cogita ò homo (inquit optimus Bernardus) quàm Deus solicitus fuerit pro te. O bone Iesu, quàm humaniter nobiscum uersatus es, quàm multa & magna nobis dedisti, quàm grauia & acerba pro nobis pertulisti, ut nos sugeremus mel cõsolationis tuæ, & oleũ misericordiæ tuæ ex te, qui es unica petra nostra. O uos præfracti Adæ filij, qui non obstupescitis ad tãtã gratiã! Ecquid facere amplius debuit, quod nõ fecit? Pater dedit filiũ suũ, ut seruo parceret: filius sibi ipsi non pepercit, sed pro nobis se dedit. Hi utrique nobis spiritum sanctum miserunt, atq; is spiritus sanctus orat pro nobis, nobiscũ & in nobis gemitibus inenarrabilibus. Et pro his omnibus nihil aliud à nobis petit, quàm ut illum amemus, atque erga eum grati simus. Tantæ curæ diuinæ maiestati terrenum animalculũ fuit. Quid igitur mirum est, si nos Christiani gaudemus eo die, quo etiam tertia persona, spiritus sanctus apparuit? Multò magis mirum est, hominem aliquẽ reperiri, quem hæc nõ moueãt. Ex his omnibus, opinor, uidere quiuis facilè posset, quàm incõparabile bonũ sancta Christianitas hodie acceperit. Reliquũ iã erit, ut hæc cõsideremus, iisq; rectè utamur. Etenim hostis insidias nobis struit, quomodo nos tanto bono spoliet, aut ducẽs nos in errores, ut nequeamus uidere & credere, quãtũ boni nobis aduẽtus spirit' S. attulerit, aut præcipitãs nos in

Hier. 31.
Rom. 8.
Psal. 33.
Psal. 8.
Rom. 8.

tam turpem & flagitiosam uitam, ut spiritus sancti capaces esse non posimus. Ab utroque nobis cauendū est. Itaq; articulum fidei tibi propone, mordicus tene id quod Ecclesia te docet credere de spiritu sancto, haudquaquam te hostis in errorem abducere poterit. Adhære deinde ab altera parte exemplo apostolorum & primorum credentiū, non eris tibi ipse impedimento in gratia spiritus sancti. Deus nos omnes sua donet gratia, Amen.

NONVS SERMO DOCET, *quomodo Spiritus sanctus apparuerit.*



CIRCA iam dictum Euangelium minimè necessarium arbitror, de nouo & multis uerbis ostendere, quomodo id ad hodiernum festū salutiferæ apparitionis spirit' sancti quadret. Siquidem id & in aliis sermonibus abundè feci, & uidere quiuis potest, Euangeliū hoc magnificētissimè de spiritu sancto eiúsq; operationibus loq ac dicere. Quare prætermisso hac uice Euangelio, nonnihil de præsenti festo dicam. Porrò nō opus erit, meo iudicio, multa demōstratione, quáobrem hoc festū tanta cum solennitate apud oēs Christianos celebretur. Qui Euāgelia, quæ aliquot his dominicis diebus ordine lecta sunt, bene & diligēter cōsiderauit, & ad animum reuocauit, is haud difficulter secū cogitare poterit, nō frustra esse, sed magni alicuius esse momenti, quod Christo postremū adeò, & in ipso quasi discessu, tot támq; grauibus uerbis discipulis suis & Ecclesię nihil tantoperè promiserit, atq; spiritum sanctū, & multiplices eius atque uberes diuinásq; operationes. Expedit uobis (inquie-
Ioh. 16. bat tertia ante hanc dominica in Euāgelio) ut ego uadam, alioqui enim paraclētus ad uos non ueniet. Venit hora (dicebat quatuordecim ante diebus) cùm iam palàm de patre annuntiabo uobis. Omnino autem hoc de spiritu sancto dictum est, is apostolis primū probè infixit ea, quæ prius de Christo audíssent, neq; tamen omnia intellexissent, idcirco
Luc. 24. statim subiungit: In illo die in nomine meo petetis. Vos sedete Hierosolymis, quoad usq; induamini uirtute ex alto,
Ioh. 5. dicebat in sua ascensione. Cùm uenerit paraclētus (inquiebat proxima dominica) quem ego mittā uobis à patre, ille testimonium perhibebit de me. Paraclētus spiritus sanctus
Ioh. 14. (dicit in hodierno Euangelio) ille uos docebit omnia, &c.

Omnia hæc & id genus uerba satis docent, nõ solũ apostolis, sed uniuersæ Ecclesiæ & Christianitati in cõmune, atq; omnibus credẽtibus speciatim, q fuerũt & adhuc sunt, & usque ad finem mundi erũt, nõ parum momenti situm esse in salutifero aduentu, apparitione & reuelatione spiritus sancti, ac deinceps etiam in hodierno festo. Nam hodie apparitio & manifestatio facta est. Cùm cõplerentur dies pentecostes (inquit Lucas) magnum hoc opus euenit, atq; hoc Ecclesia cõpluribus aliis & elegãtibus uerbis nobis exponit. Iam Christus astra ascẽderat, Regressus unde uenerat, Promissum patris munere, Sanctũ daturus spiritum. Solẽnis urgebat dies, Quo mystico septẽplici Orbis uolut' septies, Signat beata tẽpora. Dũ hora cunctis tertia Repente mũdus intonat, Orãtibus apostolis, Deũ uenisse nuntiat. De patris ergo lumine Decor' ignis aduenit, Qui fida Christi pectora Calore uerbi cõpleat. Impleta gaudent uiscera, Afflata sancto spiritu, Voces diuersas ĩtonãt, Fãt Dei magnalia. Ex omni gẽte cogniti, Græcis, Latinis, Barbaris, cũctisq; admirãtibus Linguis loquũtur omnium, &c. His atq; aliis pluribus uerbis Ecclesia pẽtecosten nostrã nobis exponit. Nomen habet à quinquaginta diebus, q à pascha in hunc usq; diẽ decurrũt. Atq; hic etiã numerus est, quo in lege Iubilæi annus indictus erat, cũ unicuiq; ad suã hæreditatẽ redire licebat. Est numer', quo significatur futura insignis libertas, quam oẽs filij Dei, quin etiã oẽs creaturæ propter illos expectãt, sperãt & suspirãt, quẽadmodũ quadragenarius numerus in sacris literis pœnæ ac pœnitentiæ destinatus, hãc præsentẽ uitã designat. Videre hinc nemo non potest, sanctã Christianitatẽ nõ immeritò hodie gaudere, & festũ celebrare. Etenim hodie spiritus sanctus tertia persona in deitate, summa gratia & amore erga hominẽ sese exhibuit, quẽadmodũ anteà Deus pater in creatione, & Deus filius in redẽptione summũ amorẽ & gratiã declararũt. Hodie apostoli ueri Iubilæi & libertatis annũ in terris proclamauerũt. Pœnitentiã agite (inquit Petrus) & baptizetur unusquisq; uestrũ in nomine Iesu Christi in remissionẽ peccatorũ uestrorũ: & accipietis donũ spirit' sancti. Hodie certi facti sumus, quòd post quadragesimã huius uitæ, post pœnitẽtiã & tempus crucis habebimus quinquagesimã æternæ libertatis ac beatitudinis. Nam spiritus sanctus est pignus nostrę salutis, nec possumus melius ac certius pign' habere seu cautionẽ.

Act. 2. *Pentecoste unde nomen habeat.* *Quadragenarius numerus pœnitentiæ destinatus.* *Act. 2.* *2. Cor. 1.*

Quid ergo mirum, si hodie festũ celebremus, & in Deo gaudeamus? Quid mundus à Deo maius unquã accepit quàm hodie? Quid unquã iucũdius audiuit, quàm quod apostoli hodie annũtiare incœperũt? Porrò quomodo de futura felicitate certi magis esse possemus, quàm per id quod Deus spiritũ S. suũ nobis pignori dedit, sed nõ iterũ spiritũ timoris, ut rursum timere sit necesse, sed spiritũ adoptionis filiorum, qui testimoniũ reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, & in quo clamamus, Abba pater. Nã si filij Dei, & hæredes Dei sumus. Videte fratres rei hodie factæ magnitudinẽ, quàm latè istud festũ pateat, quàm meritò hodie gaudeamus, Deúmq; laudemus, & quantũ boni hodie optimus quisq; Christianus cõsiderare posit. O si qs ipse sibi tãtum tẽporis sumat ad hæc tria ordine expẽdenda, quãtũ inuẽturus solatij esset? quot causas habiturus esset Deũ laudandi? Proinde iterũ aliqd amplius de hoc festo dicã, quo uidere omnes melius posint, quãtũ nobis momẽti in spiritu S. eiúsque gratia sitũ sit, imò quàm prorsus nihil simus, habeamus, & posimus absq; illo. Et primò, quo palã fiat, nõ esse rẽ inutilẽ & superuacaneã, de spiritu sancto & eius operationibus interrogare, ac de iis loq, prĩcipio uobis diuũ Paulũ pro exẽplo proponã, q similiter fecit. Nã sicuti in hesterna Epistola lectũ fuit, cũ primò Ephesum ueniret, reperiebat aliquot credentes, hos quàm primũ rogabat, nũ etiã spiritũ S. accepissent? Cæterũ cùm illi admirarẽtur talẽ interrogationẽ, imò ingenuè cõfiterẽtur se nihil adhuc audiuisse de spiritu S. tãtũ abesse, ut eũ acceperint, percũctari Paulus pgit, quo baptismate essent baptizati, eò percũctãdo procedẽs, ut intelligeret qd ipsis deesset, nimirũ quod nõ uerè baptizati essent. Baptismate Iohãnis baptizati erãt, & non baptismate Christi. Erat autẽ baptismus Iohãnis imperfectus baptismus, nõ sufficiẽs ad salutẽ: nõ enim cõferebat remissionẽ peccatorũ, sed signũ tãtùm erat pœnitẽtiæ, & præparabat homines ad futurũ baptismũ Christi, q solus spiritũ sanctũ cõfert, & in spiritu S. baptizat. Mox Paulus incipiẽs, baptizat eos in nomine Iesu, ut spiritũ S. acciperent. Atq; ita accidit. Iuxta hoc exẽplũ meritò etiã apud nos Christianos prima & præcipua quæstio esse debebat, num spiritũ sanctum haberemus. Hoc omnes pastores animarúmq; curatores in primis percũctari, cùm oues suas uisitant, debebant: quinimò hac in parte unusquisq; Christianus cõscientiã suam explorare debebat.

Rom. 8.
Gal. 4.
Act. 19.
Baptismus Iohannis imperfectus.

Hoc

Hoc uerũ esset examen, quod inter nos Christianos in usu esse oportebat, nõ quòd dubium aliquod sit, an baptismus noster uerus sit néene. Anabaptistæ qdẽ pro certo argumẽto ducunt, infantiũ baptisma iniustũ esse, quòd maior pars hominũ, qui ad hunc modum baptizati sunt, ita sceleratè uiuant: arbitrãtes si spiritũ sanctũ in baptismo accepissent, fore ut nõ tam impiã ducerent uitã: causam inde arripientes, ut de nouo sinãt se baptizari, nõ uidentes & cõsiderantes, lõgè aliud esse spiritũ sanctũ accipere, & spiritũ sanctũ retinere. Sacramenta nostra sunt nobis certissima signa diuinæ gratiæ, præcipuè uerò baptismus. Baptizetur (inqt Petrus) unusquisq; uestrũ in nomine Iesu in remissionẽ peccatorũ uestrorũ, & accipietis donũ spiritus sancti. non refert, quod Petrus ea uerba nõ ad infantes, sed ad adultos & prouecta ætate homines dixerit. Christus itidem ad pueros locutus est, quãquam aliis uerbis, Sinite paruulos uenire ad me (inquit) & ne prohibueritis eos: taliũ enim est regnũ Dei. Hic aperte audis, Christũ paruulos nequaquã uelle exclusos sua gratia, sed etiã illis daturũ benedictionẽ suã, si ad se ueniãt aut deferãtur, quẽadmodũ id ipso facto declarauit. Quid autem benedictio quam Christus cõfert, est aliud, quàm spiritus sanctus? Quà uenitur ad Christũ, nisi p baptismũ? Enimuerò expressè dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ posse eũ introire in regnũ Dei. Si itaq; Christus etiã paruulis, si ad ipsum deferãtur, suã largit benedictionẽ, hoc est, spiritũ sanctũ, certè nõ est baptismus in culpa, qđ propterea nõ uerus esse debeat, quia quandoq; post baptismũ pessimè uiuimus. Non: eius uitio non fit: Christus enim in suis promissionibus non fallit. Sed id inde accidit potius, quod spiritum S. apud nos nõ retineamus. Nõ sufficit profectò, nos spiritum sanctum semel accepisse, nisi illum seruemus quoq;: nec solũ illo opus habemus ad remissionẽ peccatorum, uerũ etiam ad fortitudinẽ. Atq; ideò Christus spiritũ S. bis dedit, primò in terris ad remissionẽ peccatorũ, deinde etiã è cœlo ad cõsolationem cõfirmationẽmq;. Quapropter etiam Paulus non contentus semel prædicasse Euãgelium, & credentes baptizasse, sed repetebat postmodum omnia loca, ubi prædicauerat, ad cõfirmãdos credẽtes. Sic qdẽ etiã apostoli cũ gaudio audiebant Samaritanos uerbũ Dei amplexos esse, uerũ hoc nõ cõtenti erãt, sed mittebant Petrum & Iohannẽ eos confirmatũ. Sic & nos habemus in

Contra Anabaptistas.

Act. 2.

De infantium baptismo.

Mar. 10.

Ioh. 3.

Quare Christus spiritum sanctũ bis dederit.

Ioh. 20.

Act. 2.

Act. 15.

Act. 8.

Eccle

Confirmat. sacramētū quid significat. Ecclesia post baptismum, Sacramentum cōfirmationis, ad indicium, quod spiritu sancto nō solum indigeamus ad remissionem peccatorū, sed etiā ad fortitudinē. Huc ergo pertinet examen, in hoc nos ipsos explorare debemus, & à pastoribus nostris seu animarū curatoribus explorari, non an spiritū sanctum acceperimus, siquidē id dubium non est, sed an spiritum S. retinuerimus. Ad hanc interrogationem profecto diuersimodè responsuri essemus. Nam tametsi nemo nostrum uerè dicere posit, se nihil audisse de spiritu sancto, attamen multi proculdubio sunt spiritu sancto prorsus destituti. *Multi spiritu sancto destituti.* Alij quidē de spiritu sancto sese iactant, sed nullam probationem spiritus habent. Alij spiritū S. habuerunt, sed nō seruauerunt. *In quibus sit Spiritus sanctus.* Pauci sunt, in quibus spiritus S. sese exerit. De his dicere cœperā. Ii sunt Daniel & nostri Apostoli. *Daniel. 4.* De Daniele scriptū est, spiritum sanctū plenius in illo fuisse, *Act. 2.* quàm in reliquis hominibus. De Apostolis dicit Lucas, re- *1. Cor. 2.* pletos eos esse spiritu sancto. Per Danielem autē intelligo oēs bonos & pios homines ueteris testamenti: & per Apostolos omnes filios Dei noui testamēti. Nam tametsi temporis ratione procul à se inuicē disiti fuerunt, omnes tamē eundem spiritū habuerūt. Et quanquā in illis donorum & operationum discrimina deprehēduntur, nō tamen est nisi unus Deus, qui omnia in omnibus operatur. Beatus Gregorius in hodierna Homelia, pulchrè id nos docet, quomodo & quibus notis spiritum sanctum in nobis, atq; etiā in aliis hominibus agnoscere posimus, & quæ eius sint genuinæ operationes, iubens nos primò considerare, quomodo spiritus sanctus apparuerit, postea adducēs aliquot exēpla sanctorum, in quibus spiritus sanctus operationē suam certissimè cōprobauit. *Quid Spiritus sanctus in electis operetur.* Id omne eo seruire potest, quo cognoscere melius posimus, an spiritus sanctus in nobis sit necne. Et primò, scire expetis quid spiritus sanctus in suis electis opereē, ad uerte quomodo apparuerit. Atqui hodierno die *Act. 2.* comperimus, eū in ignē apparuisse, nec tamē simpliciter in *Matth. 3.* igne, sed in igneis linguis. Alio etiā tēpore apparuit specie columbæ, sed supra Christum solum. Verum hæc omnia nō carent significatione spiritualis doctrinæ, imò mera indicia sunt, quid spiritus sanctus opereē. *Quare in igne apparuerit.* Quod in igne apparuit, arguit primò, eū cū patre & filio unū Deū & substātiam diui- *Exod. 19.* nam esse & habere. Nam eodē modo etiā Deus Israelitis *Exod. 13.* in monte Sinai apparebat in igni. Sic per angelum suum

Israëli

Israelitis in ignea columna pręibat. Qua de causa etiã Isaias eũ uocat ignẽ deuorantẽ, & Moses ignẽ cõsumentem. Secundo, etiã indiciũ præbet efficacis eius operationis, quòd spiritus sanctus in igni apparuit. Nam ut solus ignis rubiginem in ferro consumit, ita solus spiritus S. depellit à nobis peccata, & accendit corda credẽtium ad amorẽ rerum cœlestium. De hoc loquitur Christus: Ignem ueni mittere in terram: & quid uolo nisi ut accendatur? Per terrã intelligit terrena corda, quæ nihil nisi quod terrenũ est cogitant, & ob id semper à malis spiritibus cõculcantur. Tum autẽ mittit Deus hunc ignem in terras, quãdo per spiritum S. suum, amorẽ & cupiditatẽ rerum tẽporalium ex cordibus nostris amolitur, & è diuerso amorẽ & desiderium spiritualiũ ac diuinarum rerũ in iis excitat, ut uidere est in Zachæo, qui primò pecuniarũ auidissimus fuerat, postea uerò tanto amore spiritualiũ bonorum capiebatur, ut nõ amplius illi curę essent tẽporalia. Ecce (inquit) dimidiũ bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquẽ defraudaui, reddo quadruplum. Si itaq; circa ignẽ duplicem operationem spiritus sancti habemus, nimirũ quod rubiginẽ peccatorum in nobis consumit, & corda nostra ad amorẽ Dei & diuinarũ rerum accendit. Cæterum quod nõ simpliciter in igne, sed in igneis linguis apparuit, indicium est, filiũ & spiritum sanctum magna propinquitate iunctos, imò eiusdem naturæ esse, queadmodum & in externis rebus uerbũ & lingua nõ longè à se inuicem dissita sunt. Si ergo Christus uerbũ Dei est, cõmodũ accidit, quod spiritus sanctus in linguis apparuit. Deinde uerò etiã indiciũ præbet, quòd qui spiritũ sanctum habet, eũ confiteri quoq; uerbũ Dei. Vt enim lingua uerbum profert, quod in corde abditum erat, ita etiã spiritus sanctus Christum nobis in os infert, & externã confessionem. Porrò quod spiritus sanctus nõ in una, sed in diuersis linguis apparuit, imò etiã sanctis Apostolis cognitionem omniũ linguarũ & idiomatũ dedit, ut quã primùm inciperent loqui diuersis linguis, atq; ita, ut omnes homines demirarẽtur (ex omnibus enim regionibus ad festũ cõuenerant, & tamẽ quisq; audiebat Apostolos loquentes ea lingua, in qua natus erat) indicabat, quid spiritus sanctus in sancta Christianitate facturus esset & operaturus, nimirum ut non una, sed omnibus linguis & loquelis loqueretur, & Deum laudaret, queadmodum postea usu cõpertum est, & adhuc

Isa. 33. *Deut. 4.* *Luc. 19.* *Quare in igne is linguis.* *Ioh. 1.* *Quare in diuersis linguis.* *Act. 2.*

adhuc cõperimus, in omnibus terris & linguis Christianos inuentos esse & inueniri, quorũ primum ac præcipuũ opus est, Deum & eius opera aut gratiam confiteri & enuntiare.

Atq; hoc diuersum est ab eo, quod Deus olim in Adę filiis operabatur ac faciebat. Hi omnes principiò nõ nisi unã linguã habebant, uerùm cũ contra Deum turrim ædificare constituissent usq; ad cœlum, inuoluebatur illis ea lingua, qua unica amissa, incipiebant uariis linguis & idiomatis loqui, ut nullus aliũ intelligere amplius posset, ita ut nõ solũ desistere ab incœpto opere, uerũ etiã disiũgi cogerẽtur, ut qui se inuicem ferre minimè possent. Hoc eorum efficiebat arrogantia. Nunc autẽ spiritus S. per multitudinẽ linguarũ suos electos, qui usquã in toto orbe terrarũ dissipati erant, in unitatẽ fidei congregauit, atq; ita quod Adæ filios corrupit ac dispulit, hoc credẽtes ad æternã eorũ salutem promouit. Quod autẽ linguæ in quibus spiritus S. apparuit, igneæ fuerunt, indicium est, quòd omnes quos replet, non solum loqui faciat, sed etiã prorsus accẽdat & inflãmet, ut nõ modò extrinsecus ignea uerba proloquãtur, uerũ etiam intrinsecus in corde ardeãt. Quod autẽ spiritus sanctus nõ solũ in igni, sed etiã in specie colũbę apparuit, significationẽ prębet, qđ eos quos replet, nõ modò inflãmet, sed etiã simplices & innocẽtes faciat, imò simplices in innocẽtia, & ardẽtes in zelo. Nã utraq; hæc coniũcta esse oportet: magnum studiũ & zelũ erga alios declarare, nihil ad rẽ facit, si simplicitatis & innocẽtiæ in te ipso obliuiscaris. Neque sat est, te pro teipso in tua simplicitate & innocẽtia permanere, nisi quãdoq; etiã seueritatẽ & zelũ ostendas, nimirũ erga eos, qui tuo imperio cõmissi sunt. Idcircò mandat Christus suis Apostolis, ut sint prudẽtes sicut serpẽtes, & simplices sicut colũbæ. Quin ideo etiã uult Paulus, ut simus malitia paruuli, sensib⁹ autẽ perfecti. Et sic quoq; dicitur de Sancto Iob, quod fuerit simplex & rectus: simplex innocẽtia, rectus seueritate & zelo. Hoc operatur spiritus sanctus in suis electis, atq; eam ob rem in igne & specie colũbæ apparuit.

Linguarũ confusio in Babylone. *Gen. 11.* *Quare in specie colũbæ appar. sp. Sanct.* *Matth. 10.* *1. Cor. 14.* *Iob 1.*

Cęterũ quod peculiariter super Christũ in specie columbæ apparuerit, super Apostolos uerò solũ in igni seu igneis linguis, habet & id suã significationẽ. Primũ nobis dat solatium, alterũ doctrinã. Christus à Deo constitutus est iudex uiuorum & mortuorum. At enim seueram eius iustitiã sustinere nemo poterat, nisi prius per suam misericordiam pec-

Quare peculiariter super Christum in specie colũba appar. *Act. 10.*

catis nos leuasset. Vide, hanc ob rem non in igne super Christū apparuit, sed in specie colūbæ ad indicādū, qđ non uenerit homines cōdēnare, sed seruare, nō peccata punire, sed remittere. Quod aūt super Apostolos nō in specie colūbę sed in igne apparuit, documēto nobis est, quod nobis ipsis nō debeam⁹ blādiri in peccatis, sed quo magis Deus nobis parcit, hoc grauius de nobis ipsi pro admissis nostris suppliciū demus, hoc significat ignis super Apostolos. Ac tū exhibet sese columba in Christo, quādo ignis diuini zeli in nobis ardet. Tū erga nos declarat Christus suā misericordiam, cū aduersum nos iudiciū ipsi usurpam⁹ & exercemus. Tum ignoscit nobis, cū nobis ipsi nō parcimus. Vide, hoc pacto ex multiplicib⁹ apparitionib⁹ spiritussancti facile cognoscere possemus, quid in nobis operetur. Atq; hoc Gregorius prolixè cōmemorat, nec tamen eo cōtentus est, sed ponit deinde etiā nobis exēpla ob oculos, nō unū aliquod, sed multa. Iuuat me (inquit, quanquam aliis uerbis) oculos meæ fidei attollere, & cōsiderare in optimis patribus, quid spiritus sanctus in illis operatus sit: atq; hîc eorū plurimos inuenio, ut Dauidē, hunc ex ouiū pastore Deus faciebat regem: Amos, hunc ex pastore faciebat prophetā: Danielem, hunc adolescentem iudicem cōstituebat seniorum: Beatum Petrum ex piscatore faciebat Apostolum: Paulum ex persecutore faciebat prædicatorem, &c. Et quid multa commemoratione opus est, cum scriptura palam dicat, Spiritum Dei ornasse cœlos? *Ioh. 16.* Est autem hoc non de externo tantùm cœlo intelligendum, sed de cœlis quos Deus in Isaia facere promisit. *Isa. 65.* Ii uerè sunt sancti Apostoli, hi meritò uocantur cœli, siquidem altè à terra eleuati sunt, & Deus suam gloriam per eos mundo reuelauit annūtiauitq;: per eos fulminauit in uerbis, fulgurauit per magna miracula, & per eos salutiferam pluuiā gratiæ suæ dedit. Hos cœlos spiritus sanctus hodie ornauit, & quantū bonorum in illis reperis, tantum ornamentorum conspicaris spiritus S. quæ in illos contulit. De his quoq; cœlis dicit Dauid: Verbo domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. *Psal. 32.* Hoc præcipuè in sanctis Apostolis cōmendatur, hoc in illis Deus fecit, atq; hîc etiam tota Sancta trinitas diuinarum personarū nominatū, Deus, uerbū & spiritus oris eius. Iam porrò lege, qđ Lucas de spiritu sancto scribat de Apostolis, uidebis quid spiritus S. in illis operatus sit, &c. Reliquū est, ut & nos

Quare non in specie colūbæ super Apost. apparuerit.

Apostoli cœli uocantur. Psal. 32.

gra

gratiam & operationẽ ſpiritus ſancti quæramus. Nam quæ in ſanctis apoſtolis fecit, eadẽ & in nobis præſtare poteſt, &c. Deus nobis omnibus ſuam concedat gratiam, Amen.

DECIMVS SERMO
docet hodierni feſti uſum.


ABEMVS hodie celebre & magnum feſtũ, imò unũ ex pręcipuis, quæ eccleſię nota ſunt, proinde æquum eſt, ut etiam ſermo cum feſto congruat. De hoc alibi multifariam & copioſe dixi, maximè autẽ cauſam iſtius feſti indicaui, nimirũ primò, quòd Chriſtus multiplicem ſuã promiſſionem de ſpiritu S. hodierno die in ſanctis Apoſtolis aliisq; credendibus tam plenè támq; potenter impleuerit, ut melius ipſi optare nõ potuerint. Oſtẽdi quoq; inter cætera noſtram etiã partẽ inibi contineri. Ideò enim optimi Apoſtoli tanta cũ fide annuntiarunt nobis ac reuelarunt & uerbis & ſcriptis ea, quæ de uerbo uitæ cũ uiderũt tũ audierũt, ut & nos cũ illis ſocietatẽ habeamus, ueluti Iohannes ait,
1.Ioh.1. & ut ſocietas noſtra ſit cum patre, filio, & ſpiritu ſancto. Quid autẽ iuſtius ad hæc pertinebat, quàm ut idẽ faciamus quod Apoſtoli fecerunt, ex animo laudãtes Deũ, & ſalutifera eius opera in nobis oſtenſa proclamãtes annuntiãtesq;. Huc alios ſermones deſtinaui, & ab hac parte nũc iterũ incipiam. Verè enim nõ modo ſalutare eſt, ſed etiã dignũ & iuſtum, ut hodie & ſemper Deo patri gratias agamus, qui per Chriſtũ filiũ ſuũ in nos filios adoptionis hodierna die ſpi-
Act.2. ritum S. ſuum effudit. Et non ſolũ in Apoſtolos (uti Lucas ait) ſed nos etiã in cõmunionem taliũ bonorũ recepit, uelu ti ſupra ex Iohanne cõmemoraui. Hoc cui non ſatis magno ſit incitamento ad laudem Dei & gratitudinem, haud ſcio quæ res eũ mouere poſsit. Imò qui hîc non agnoſcit, quàm nobis Deus bene uoluerit, is certè nuſquam agnoſcet. Gu-
Pſal. 33. ſtate & uidete (inquit Dauid) quoniã ſuauis eſt Dominus: beatus uir qui ſperat in eo. Alioqui quidem etiã in multis apparet, imò in omnibꝰ creaturis quàm Deus ſit magnũ & immenſum bonum, quandoquidẽ nulla omnium tam uilis eſt, in qua non aliquid eiuſmodi bonitatis Dei eluceat. Verum enimuerò hîc in ſumma eſt, Hodie Deus ſe totum exhibuit ac manifeſtauit, & nõ ſolũ exhibuit, uerũ ẽt ſe ipſum effudit ac dedit. Et quod certius argumẽtum habere poſſe-
mus

mus eius amoris & beneuolétię erga nos? Pater seipsum manifestauit ac dedit in creatione & administratione, Filius in sua incarnatione, spiritus S. in suo aduétu. Hoc tecũ reputa optime Christiane, hoc rumina, gusta & deliba, si modo eam habes gratiã, ut tali cibo frui poſsis. Sin auté per teipsum nullã in eo dulcediné sentias, salté oculos aperi, ne pigeat te uidere & audire, si forté ad gustum etiã peruenire poſsis. Hæc enim una uia est, qua uenitur ad gustum, & fruitioné diuinæ dulcedinis, si quis diligenter aduertat & obseruet, quid nobiscũ Deus faciat & agat. Rogas quid uidere & cõsiderare debeas? Népe, quòd Deus nõ solum agnosci uult ex sua potentia & sapientia, uerumetiã & quidem in primis ex sua bonitate: non modò pro omnipotenti, magno, & sapienti, sed etiã pro bono Deo iudicari uult & haberi, hoc est, non uult solum ut timeamus illũ ob suam potentiã, & admiremur ei⁹ sapientiam, uerumetiã ut amemus illum ob bonitaté ipsius. Sane creaturas ita potenter creauit, ac deinde etiã tot prodigia in terris edidit, ut eum potenté esse Deum nemo non fateri cogatur. Porrò sapientiã summe quoq; declarauerat, quando omnia ornatiſsimè, sapientiſsimè atq; utiliſsimè disposuerat instituerátq;. Hoc unum reliquũ erat, bonitaté suã nódum satis ostéderat, quam & ipsam in lucem proferri oportebat, uniuersus orbis uidere & experiri debebat: bonitaté quoq; eius ineffabilem, inæstimabilé, immensam esse, haud secus ac potentiã illius & sapientiam. Rogas, quomodo suã in nos bonitaté declarauerit? Primò, omnia propter hominé creando. Secundò, omnia homini subiiciédo. Tertiò, hominé ipsum in suã fidem ac pręsidium recipiédo, quéadmodum ad Abrahã dicebat, Noli timere, ego protector tuus sum. Quartò, permittendo, ut filius suus homo fieret, imò propter hominé moreretur. Quintò, spiritum S. in corda nostra infundédo, dãdóq; nõ ad tépus, sed ut æternũ apud nos maneret. Hęc ordine cõsidera, diligéter contéplare, cõperies te nõ solũ potenté, sapienté & iustum, sed etiã bonũ habere Deũ. Vnde cõsequetur, ut ubi illũ hactenus solũ timuisti, & ad illũ obstupuisti, aut eum fugisti, ut cuius potétia, sapientia, & iustitia nobis peccatoribus magis formidabilis est quàm cõsolatoria, quũ tãquã sapiés Deus noster cernat peccata, tanquã iustus Deus ea punire uelit, & tanquã potés Deus etiã punire poſsit, in reliquũ amabis eũ tanquã bonũ Deum, curres ad eũ in omni afflictione tua, adhæ

Deus non solũ ex potétia sua, sed etiã ex bonitate agnosci uult.

Gen. 1.
Psal. 8.
Gen. 15.
Ioh. 3.
Iohan. 14.

ee reſcés

tesces illi in omnibus malis, semper in illo gaudebis ac oble
Psal. 33. ctaberis. Hoc illud gustare est de quo Dauid, Gustate & uidete, quoniã suauis est dominus. Hanc uoculã nobis hodie dictã putemus, hoc hodie occupati esse debemus, eò omne nostrũ studiũ conferre, nec desistere, donec nõ solũ audiamus uideamúsq;, sed etiã gustemus sentiamúsque, quàm sit suauis dominus. In hoc enim cõsistit felicitas nostra: cum in hoc tum in illo seculo, ut Deũ uideamus, habeamus, eóque fruamur, quẽadmodũ Christus ipse dicit, Hæc est uita æter-
Iohan. 17. na, ut cognoscãt te solũ Deum uerum & quem misisti Iesum Christũ. Hæc omnia eò dico, quo oẽs Christiani diligẽter aduertãt, quid hoc festũ secũ ferat, si forte aliquando nobis detur sentire diuinã dulcedinẽ, posśimúsq; cum Dauide dicere: Quã bonus Deus his qui recto sunt corde! &c. Et iterũ:
Psal. 72. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quã abscõ
Psal. 30. disti timentibus te. Et rursum: Secundũ multitudinẽ dolorũ
Psal. 93. meorum in corde meo, cõsolationes tuæ lætificauerunt animã meã. His de rebus quoq; aliis in sermonib' dixi: dicã nũc de iisdẽ porrò amplius. Digna est enim hodierna dies, quæ omnibus linguis & in toto orbe terrarũ proclametur. Deus tantum sua gratia aspiret, ut id fructuose fiat. Tria
Quæ in hoc festo cõsiderãda. nobis Christianis in hoc festo cõsideranda sunt. Primò, unde originẽ suam habeat. Secundò, quid nobis præbeat solatij: & tertiò, quomodò uti illo cõueniat. Primum indicat nobis Lucas in Apostolorũ actibus. Secundum nobis ostendit Iohannes in sua Epistola: Tertiũ nos docet hodiernum Euãgelium. Pentecoste nostra inde suã originẽ trahit, quod Chri-
Act. 2. stus ea die spiritum sanctum misit. Dico autem distinctè Pẽtecoste nostra. Habebant enim & Iudæi pentecosten, atque eo ipso tẽpore, uidelicet quinquagesimo die à festo paschæ.
Leuit. 23. Erat hoc unũ ex summis festis, quibus cõuenire cõsueuerãt Hierosolymis. unde & de Paulo legitur, quòd profectus sit
Act. 20. Hierosolymã, acturus ibi diẽ Pẽtecostes. Sed alia erat apud Iudæos ratio, quàm apud nos. Illis ideo huius festi pręcepta erat obseruatio, ut animo secũ recolerẽt, quomodo eo ipso
Exo. 19. & 20. die illis Deus legẽ dedisset, & fœdus cũ illis iniisset, quemadmodũ & paschæ festũ celebrabant ad reuocandũ in memoriã, quòd Deus illa nocte per cruorẽ agni à morte liberauerat, & quàm primum ex Aegypto eduxerat. Hęc duo festa Paschæ & Pentecostes, etiã Iudæis solennia fuerũt, sed apud
Exod. 12. illos nihil aliud fuerũt, quàm figuræ. Apud nos uerò omnia

& me

& meliora sunt & perfectiora. Illi autẽ festum suũ & ceremonias peragebant cũ agno paschali: hunc occidebant, immolabãt & comedebãt, seipsos aspergẽtes & domos suas cruore illius agni: nos Christũ habemus, qui se pro nobis obtulit, qui sacrosancto suo sanguine nos aspersit, sese nos cibauit. Illi quotannis gratias Deo agebant, quòd ipsos à temporali liberasset seruitute: nos Deo gratias agimus, quòd ex spirituali & æterna captiuitate eripuit. Illis Deus prodebat legẽ i suis tabulis quinquagesimo die ab exitu ex Aegypto: nobis eodẽ illo die suam legẽ per spiritũ sanctũ cordib⁹ nostris inscripsit. Cum illis paciscebatur, ut terrã Chanaã eis daret posidendã: nobiscum pepigit fœdus, quòd cœlũ nobis & æternum suum regnum dare uelit. Nolite timere (inquit) pusillus grex, quia cõplacuit patri uestro dare uobis regnũ. Quapropter etsi utraq; festa paschę & pentecostes, iisdẽ appellentur nominibus apud Iudæos & Christianos, & uno tẽpore celebrentur, longè tamen alia nostrorũ quàm illorũ festorum ratio est, quẽadmodum clarissimè indicat in hodierna Epistola Lucas, ubi hodiernũ festũ ita exactè describit, ut nõ sit necesse interrogare, unde originem suam ducat. Quisquis ergo considerat id, quod Iohannes dicit & scribit, se & alios propterea tanta diligentia & fide annuntiasse nobis, quæ à Christo uerbo uitæ audiuerint, uiderint, atq; etiã manibus cõtrectauerint, ut & nos cum ipsis societatem habeamus, & nostra societas sit cũ patre & filio. Hoc (inquã) quisquis cõsiderat, is quãprimum uidere potest, quid nobis hodiernũ festũ, in quo Apostoli primũ incœperunt prædicare, solatij adferat. Itaq; in tertio summa negotij sita erit, nimirũ quomodo hodierno festo uti posimus ac debeam⁹. Et quidem qui Apostolorum historiã euoluit, is ex præcedentibus & sequentibus facilè cognoscet, quid sibi quoq; faciendum sit. Iohannes in prima sua Epistola tota idẽ nos docere posit, si cui tẽpus foret eam diligenter expendendi. Sed nos in proximo consistemus. Hodiernũ Euangelium hæc & alia satis nobis indicat, si quis audire & attendere uelit. Spiritus sanctus nominatim in eo exprimitur. Qui ergo oculos habet, haud difficulter isthinc intelliget, quid boni de illo nobis polliceri posimus, u debit item postremò quid uicissim facere illũ deceat, ut profectò cõcionẽ de spiritu sancto meiorẽ nullã habere posimus, quàm hodiernũ adeò Euangeliũ. Primò dicit Christus: Sermonem quẽ audistis, non est

Hier. 31. *Luc. 12.* *Act. 2.* *1. Iohan. 1.* *Ioan. 14.*

meus, sed eius qui misit me patris. Paraclêtus autem, Spirit⁹ sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia. En, habes hic nō modo Spiritū sanctum, sed omnes tres personas in Deitate nominatas. Pater mittit & dat spiritū S. in nomine filij. Sed hîc cauendū est, ne hallucinemur, cogitemúsq;, tres illas personas dissimilis esse naturæ & essentię, quēadmodum dissimilia habent nomina, & dissimili ratione de illis loquimur. Hoc uos nō temerè moneo. Etenim multi hîc impegerunt, præcipuè uerò in persona spiritus S, Alij opinabantur, spiritum S. nihil esse aliud, quàm ministrū patris & filij, quando hîc habetur, Pater eum mittet.
Ioan. 15. Et Christ⁹ alio in loco dicat, se missurum eum à patre, ob id neutiquam cōcedentes, illum Deum esse. Huic rei authores erāt Macedonius, Eunomius, Sabellius & Noëthus. Sed toto cœlo erratum est. Enimuerò ex scripturis apertè cōstat, spiritum S. esse Deum, patri & filio ęqualē diuina essentia pa
Matth. 28. riter ac potentia. Eam ob rē dicebat Christus: Euntes docete oēs gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Et alio in loco dicit, peccatum in spiritū san-
Matth. 12. ctum nunquā remitti. Dicit item Petrus ad Ananiam: Cur tē-
Act. 5. tauit satanas cor tuum, mētiri te spiritui sancto? Nō es mentitus hominibus, sed Deo. Sic ait & Paulus, ut Deū portem⁹
1. Cor. 6. in corpore nostro. loquitur autē de spiritu sancto. Sic ubi loquitur de uarietate donorū spirit⁹ sancti, subiicit postremo, esse unum spiritum, unū dominū, unum Deū, qui omnia in omnibus operetur. Verū non solum ex sacris literis probari potest, spiritum sanctū esse Deū, sed testantur idipsum
Rom. 6. quoq; opera eius, quādo talia facere potest & facit. Etenim gratiā cōfert, remittit peccata, charitatem infundit in corda
2. Pet. 1. nostra, in ꝓphetis loquitur æquè ac pater & filius, uti Petr⁹ ait, spiritu sancto inspiratos locutos esse sanctos Dei homines, quæ certè satis euidētia argumēta sunt, eū & Deū esse, & esse oportere. Ad hęc omnia liquet hoc ex nominib⁹ quę in scripturis illi tribuūtur, quorū nullum in illum cōpeteret, nisi Deus esset. Nā Christus uocat eū uirtutē ex alto. Luc. 24. paraclētum & spiritū ueritatis, Iohan. 14. Ignem, Luc. 12. fon
Psal. 50. tem seu aquā uiuā, Ioh. 4. & 7. digitū Dei, Luc. 11. Dauid eum
Ezech. 36. appellat spiritum sanctū, rectū & principalē spiritū. Ezechiel eum uocat nouum spiritum corda hominum renouātē. Paulus eum nominat spiritum adoptionis, Rom. 8. Iohannes eū
1. Ioh. 2. uocat unctionem Dei. Maiores nostri multo plura illi nomi

Nomina Spiritus sancti.

na ded

na dedêre, ueruntamen omnia ex sacris literis, & secundum quod uim illius senserunt. Quin appellarunt eum patrẽ pauperum, dispensatorem donorum Dei, iucundum hospitem animæ, dulce refrigerium, &c. Hæc omnia eiusmodi sunt nomina, quæ nulli creaturæ uerè cõpetunt. Est ergo certum, illum Deum esse. Quamobrem etiam alacriter eum inuocare possumus, quẽadmodum Catholica Ecclesia semper fecit & adhuc facit. Est itaq; execrabilis error, si quis dicat, spiritum sanctum non esse Deum, ueluti non bene sana capita ex unico uerbo desumpserant, ubi Christus ait, Pater uobis mittet spiritum sanctum. Ex hoc alius deinde nascebatur error, ut alij dicerent spiritum sanctum esse animam mundi: alij eũ ex patre tantùm, nõ etiam à filio procedere, quãdoquidem id scriptura non exprimit, nolentes aduertere, quòd Christus simul dicat, Pater eum mittet: & quod Paulus eum non minus spiritũ Christi nominet, atq; spiritum Dei: imò quod Christus ipsemet dicat, De meo accipiet, & annuntiabit uobis. Sed quis phanaticorum hominum erroneas opiniones & somnia ad plenum recensere potẽst? Ne te hoc ô bone Christiane moueat: quàm certò dicere potes, Credo in Deum patrem, & in Iesum Christum filium eius, tam quoq; certò dicere potes, Credo in spiritum sanctum. Quare ne ꝑ re ludicra ducito, quod Christianitas tale de spiritu sancto celebret, & tam insignibus cantibus hodie utatur, tótque piis precationibus spiritum sanctũ inuocet. Obserua quid Christus suis in hodierno Euangelio per spiritum sanctum promittat, næ tu haud miraberis. Magna & egregia promissa continet istud Euangelium, quorum tamen particeps fieri nemo potest sine spiritus sancti adminiculo. Nam istic promittit Christus, patrem dilecturum nos, totam Trinitatem facturam apud nos mansionem: promittit, imò dat pacem, sed multo aliam pacem, quàm mundus habet ac dat: affirmat diabolum non habere in se quicquam. An non autem hæc ingentia promissa sunt? Quis non optet se à Deo amari? Filij huius mundi nonnunquam effetunt sese fauorem & gratiam magnatum & principum eblanditi, nónne igitur gaudeat probus, si à Deo ametur, etiamsi sentiat sibi omniũ hominum odia esse sustinenda? An non etiam ad lætitiam excitet hominem, quod Christus dicit, Veniemus ad eum?

Rom. 8. *Ioh. 16.* *Promißa huius Euangelij.* *Ioh. 14.*

Quid autem istud uenire aliud est, quàm noua conferre dona? Alioqui enim Deus omnibus in locis est, sed tamen

Venire quid sit.

non omnibus in locis conspicuum se præbet & fruendum. Tertiò, an non res læta est, quod dicit, Mansionem apud eum faciemus, idque olim per Isaiam promisit, se habitaturum in nobis. Hinc est, quod Paulus dicit, hominem credenté esse téplũ Dei. Cui ergo nõ etiã solatiũ adferat, quod Christus pacem dat? Quem non exhilaret, quod ait, diabolum non habere in se quicquam? &c. Hæc omnia autem habemus & sentimus per spiritum sanctum, tanto maior adhibenda diligentia est, ut illius participes fiamus maneamúsque. Et quidé in baptismo illum accepimus, superest ut eũ retineamus. Sed difficile creditu est, nos spiritum sanctum retinere posse, uitam tam prauam & impiam uiuentes, cum non ignoremus, eum fugere illos, qui sunt animi maleuoli, nec habitare in corpore subdito peccatis. Rogas, quomodo spiritum sanctum conseruare in te possis? Attende quod Christus discipulos suos tria docet, ubi illis de spiritu sancto concionatur. Primò mãdabat ut in ciuitate manerét nec discederent. Secundo iubet eos orare, ut gaudium eorum fiat plenum. Tertiò ad charitatem eos remittit, ut in hodierno Euangelio uidere est. Et hinc tibi quid discendum est? Primò si uis spiritus sancti, eiusq; consolationis & operationis particeps esse, mane in ciuitate. Ex Luca enim audiuisti, non nisi unam domum istum spiritum sanctum sensisse eiusq; capacem fuisse, nimirum domum, in qua sancti Apostoli erant. Omnes reliquę domus nihil horum sentiebant, quod ipsum tanto admirãdum magis. Idem adhuc fit. Vna tantum ciuitas, una domus, una arca est, ad quam columba ista fugit cũ ramo oliuæ. Ea est catholica Christiana Ecclesia. Hæc arca mãsit, etiamsi iam inde ab initio semper in tumultuoso mari fuerit lata, & huc illuc iactata: domus & Ecclesia Dei tot seculis perstitit, cùm tamen interea temporis, tot hæreticorum Ecclesiæ sint submersæ & occiderint. Quapropter caue aliorũ sermonibus ab ea abducare. Nullam reperies Ecclesiam, quæ tantam ętatem durauerit, aut etiam tam diu subsistet. Secũdò, instat oratione: Spiritus sanctus enim inuocari uult, imò is est q in nobis orat, & nos ad orationem excitat. Hac etiam de causa Zacharias eum uocat spiritum gratiæ & precationis ut quidam transferunt. Tertiò, charitati operam naua, & mane in charitate, & scito post fidé & cum fide plurimũ esse in charitate sitũ: neque te moueat, quod aliqui omnia fidei transcribant, charitati

Esa. 51. *2. Cor. 6.* *Sap. 1.* *Spiritus sanctus quomodo conseruandus.* *Luc. 24.* *Ioh. 16.* *Ioh. 14.* *Ecclesia.* *Gen. 8.* *Spiritus sanctus uult inuocari.* *Rom. 8.* *Zach. 12.* *In charitate multũ situm est.*

ritati autem nihil deferant. Non fallet te Christus. Quod si charitas nullius momenti esset, haudquaquam Christus in initio, medio & fine hodierni Euangelij de charitate fuisset locutus. Imò hîc clarè uides, Christum non dicere, Si quis credit, ad eum ueniemus: sed si quis diligit me. Fide quidem accipimus spiritum sanctum, sed charitate conseruamus eum. Interim uerò obserua, quid uera charitas sit. Nimirum quæ dicere possit, Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Sed quid dicemus de his nostris temporibus? Si spiritus sanctus per hæc tria conseruatur, nimirum non est boni spiritus tam parum in nobis inueniri, qui horum penitus nihil facimus, neque charitatem curantes neque orationem, tum etiam ex uera & catholica Ecclesia in uarias sectas transeuntes. Faxit Deus ut hæc & alia consideremus, Amen. *Quæ sit uera charitas.*

FERIA SECVNDA PENTECOSTES, EVANGELIVM IOHANNIS III.

SIc enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitã æternã. *Rom. 5.* Nõ enim misit Deus filiũ suũ in mũdũ, ut condẽnet mũdũ, sed ut seruetur mũdus per eũ. Qui credit in eũ, nõ cõdẽnatur: qui uerò nõ credit, iam cõdẽnatus est: quia nõ credidit in nomen unigeniti filij Dei. Hæc est autẽ cõdẽnatio, ꝙ lux uenit in mũdũ, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucẽ. *Luc. 10.* Erant enim eorũ mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Qui autẽ operatur ueritatem, uenit ad lucẽ, ut cõspicua fiãt facta ipsius, qd ꝑ Deũ sint facta.

EADEM DIE EPISTOLA ACTO. X.

Matth. 28. Luc. 24. APeriens Petrus os suum dixit, Viri fratres & patres, Iesus præcepit nobis ut prædicaremus populo, ac testificaremur quòd ipse sit ille, qui constitutus erat à Deo iudex uiuorum ac mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, quòd remißionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant sermonem. Et obstupuerunt hi qui ex circuncisorum genere credebant, quotquot uenerant cum Petro, quòd & in gentes donum Spiritus sancti effusum esset. Audiebant enim illos loquentes linguis ac magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus, Num quis prohibere potest, quò minus aqua baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? & iußit eos baptizari in nomine Domini.

PRIMVS SERMO DOCET, *quamobrem post diem Pentecostes tot agantur feriæ, exponens deinde primam partem Euangelij.*



Propositio. PRO initio huius sermonis duo mihi præmittẽda sunt. Primò quamobrem post diem Pentecostes tot feriæ agantur. Secundò, quomodo Euangelia quæ modò leguntur, ad hæc festa quadrent. Vtrobique enim loci res in controuerso est nostro seculo. Aliis non probatur tot uno tempore dies feriatos peragi. Aliis uidetur, Euangelia nihil habere, in quo eis conueniat cum festis Pentecostes. Atque hoc pacto nunquam non occasio præsto est, ueteris Ecclesię ritus confutandi damnandíque. Canem ubi cædere lubet, corij uorati incusatur. Vetus nostra Ecclesia nouis sectis inuisa est, idcircò mala sint oportet, quæcunque ueteris Ecclesiæ ritus sapiunt. Age, quod ad feriarum multitudinem attinet, quid dicere debeam, non-

dum

dum satis constitui. Bono profectò consilio institutæ sunt, atque etiam à ueteribus summa cum deuotione & diligentia obseruatę. Sed uideo iis nunc homines turpissimè abuti ad infanda peccata & flagitia, quæ certè faciunt, ut Christus pariter & Christianitas apud eos, qui à fide alieni sunt, pessimè audiant. Itaque, meo iudicio, optimum foret, aut feriarum numerum paulum imminui, aut id operam dare, ut ne tot peccata & dedecora in illis committerentur. Cæterum hoc magistratibus relinquam, ad quorum conscientiam ea res sanè spectabit, ipsi uideant & considerent quod Paulus dicit, Non solum qui mala faciunt digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus. Cæterum qui silet, & cùm possit non obuiat, is consentire facinori censetur. Dixi superioribus sermonibus, quòd qui causam ignorat, pro re quidem inani ducere possit, diem Pentecostes tanta cum magnificentia celebrari in Ecclesia: sed quid tum cogitabit, cùm uidet, tot dies feriatos sequi? Quia enim spiritus sanctus etiam ueteribus collatus est, nihil uidetur noui, apostolis quoque eum datum esse, nihil ergo esse opus, hâc ob rem peculiaria celebrari festa. Talibus hominibus, qui etiá nostrę Pentecostes festum non necessariū existimant, haud respondere melius scio, quàm ut duos prophetas, Ioëlem & Ezechielem legant, tum nimirum uidebunt, nos iustis & grauibus de causis festa & ferias in hac Pentecostes septimana agere. Etenim primò sic dicit Deus in Ioële, se ulti- *Ioel. 2.* mis temporibus spiritum suum effusurum super omné carnem, atque ita, ut etiam filij nostri & filiæ sint prophetaturi, &c. Hoc noui quiddam est, antea nunquam factū. Si itaque gratiarum actione & laude, consideratione & admiratione dignum est, quod Deus in quibusdam personis fecit: quur nos non festa & gaudia celebraremus, laudes & gratiarum actiones institueremus, cātaremúsque, quod Deus spiritum sanctum suæ Ecclesiæ & credentibus propriū dedit? Secundò simile quiddam indicat & Ezechiel. Is uide- *Ezech. 47.* bat in uisione torrétem è templo profluere, qui initio paruus erat, deinde talos contingebat, tertiò genua, semper magis ac magis accrescens, ut transuadari amplius non posset. Verum torrés iste quid aliud est, quàm spiritus sanctus? Hic ex templo, è cœlo, imò à latere dextro Christi promanauit: Christus enim nobis spiritum sanctum promeruit sua passione. Hæc aqua & gratia spiritus sancti non semper ita

exundauit apud nos mortales, ut nunc temporis. In ueteri
testamento ualde parua erat, pauci ex ea lauare sese poterant,
sub lege maior erat, nunc ad genua usque nobis pertingit,
in futuro seculo tantæ magnitudinis erit, ut transuadari
non possit. Qua ex re iterum cognoscere datur, spiritum
sanctum multò aliter effundi in nostro festo Pentecostes,
quàm antea. Habuerunt quidē & ueteres spiritum sanctum,
2. Reg. 23. quippe Dauid apertè dicit per se spiritum sanctum
2. Pet. 1. locutum esse. Tum Petrus dicit, omnes prophetas spiritu sancto
inspiratos locutos esse. Item Paulus ait, qui spiritū Christi
non habeat, eum Christi non esse. Atqui ueteres illi quoque
Iohan. 8. Christi erant. Abraham, inquit, diem meum uidit & gauisus
est. Quod si Christi fuerunt, haudquaquam illis defuit
spiritus sanctus. Itidem & Paulus dicit alio in loco, neminē
Iesum posse uocare dominum, nisi in spiritu sancto. Atqui
uerò certum est prophetas scripsisse de Christo, cúmq; do-
1. Cor. 12. minum appellasse. Vnde sanè consequitur etiam eos spiritu
sancto præditos fuisse. Ad hæc ex Euangeliis quoque constat,
spiritum sanctum etiam ante festum Pentecostes exhibuisse
sese. Nam ex spiritu sancto aut eius operatione, est
Matth. 1. Christus homo factus, supra Christum quoque in specie ui-
Matth. 3. sibili apparuit in baptismó. Per illum tanquam per digitum
Dei sua patrauit miracula, imò etiam per eum sancti apostoli
aliíque discipuli miracula fecerunt. Tum in festo Paschæ
apertè dicebat, Accipite spiritum sanctū, &c. Quare
non sic accipiendum est, quasi spiritus sanctus hodie primū
Luc. 11. hominibus datus sit. Attamen habet hic dies quiddam peculiare.
Datus est quidem spiritus sanctus etiam hominibus
ante festum Pentecostes, sed paucis & clàm, ídque in paucis
& exiguis donis. Nunc autem datus est in signo uisibili,
& multis hominibus, nimirum primò discipulis, quorum numero
centum & uiginti erant, deinde tribus millibus homi-
Act. 2. num una uice, quos Petrus prima sua concione conuerterat
ad Christum, ac deinceps omnibus omnium regionum
credentibus, ídque in copiosa plenitudinē suorum donorū
& gratiæ. Quando autem simile quiddam antea factum est?
Proinde non immeritò fieri censendum est, quòd tāta cum
magnificentia Pentecoste celebretur, & quòd non una, sed
plures dies ad eam rem usurpentur, quo omnia ad plenū cō-
siderari possint, & sat temporis ad id suppetat. Atq; utinam
eiusmodi nostram Pentecosten uti dignū est celebraremus:
utinam

utinam exemplum ab apostolis caperemus, imò profectò, si etiam sentire possemus, quod ipsi hoc die senserunt, eiusmodi tãtùm res tractaturi essemus, nec aliud qequam præter hoc cõsideraturi. De hodierno Euãgelio itidem dico: hoc quidem in litera nihil dicit de hodierno festo aut spiritu S. sed solum quod Deus filium suum dederit ac miserit. Verũtamen ea ipsa pars propriè ad festum Pẽtecostes respicit, quãdoquidẽ certũ est, quod nobis Christus sacra sua passione spiritum S. promeruerit, qua etiam de causa post mortẽ eius aqua & sanguis è latere ipsius fluebat, ad indiciũ, quod nobis uitam & solatiũ promeruisset, quæ utraq; spiritus S. inter nos partiturus esset. Volunt autem hęc ambo simul & coniunctim cõsiderari, quod nobis Deus spiritũ sanctũ dederit, & quod Christus eum promeruerit: quapropter Euangelium istud optimo iure in festis Pẽtecostes legitur. Videbimus itaq;, quid prima uerba illius Euangelij in se habeãt. Sic Deus dilexit mundũ (inquit Christus) ut filiũ suũ unigenitũ daret: ut omnis qui credit in eũ, nõ pereat, sed habeat uitã æternã. His uerbis remittit nos Christus ad uerũ fontẽ & originẽ omnis nostræ salutis. Et primò nominat Deũ, & illius erga nos amorem, quo docet, omnẽ nostrã salutẽ ex Deo esse & proficisci, is autẽ eam nobis procurauit, nõ ex nostris meritis, sed ex sua tantum charitate. Dilexit nos (inquit) Secundò non dicit, Deus electos suos, sed mundũ dilexit, hoc est, cùm adhuc in mundo, & de mundo, imò nihil aliud quàm mundus, hoc est, peccatores, cõdẽnatæ creaturæ & inimici Dei essent, uti Iohãnes ait. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, nõ quasi nos dilexerimus Deũ, sed quoniã ipse dilexit nos, imò cùm adhuc inimici essemus, ueluti Paulus dicit, Christus pro nobis mortuus est. Tertiò nõ dicit, Deus amicabiliter cum mũdo locutus est, aut boni quippiã illi fecit, sed dilexit eũ. Nã si De⁹ dilexit nos, cùm adhuc mundus & inimici eius eramus, quantò magis nunc diliget nos, posteaquam filij eius facti sumus? His certè omnis causa pusillanimitatis & desperationis adimit̃, & maximè quando in Isaia similiter quoque loquitur, Etiamsi mater sui infantis obliuiscatur, se tamen nostri non oblitorum. Quartò, omnium certissimum signum dat eiusmodi amoris Dei erga nos. Sic, inquit, Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Atque hic obserua, quòd Christus filium Dei sese nominet, quemadmodum aliis in locis filium

Quare aqua & sanguis è latere Christi effluxerint.
Iohan. 19.
Ioh. 3.
Iohan. 4.
Rom. 5.
Deus nostri nõ obliuiscitur.
Filius Dei.
Fili⁹ hominis.

filium se uocat hominis: in utrisq; nominibus nobis acceptus est & iucũdus. Nam quia filius Dei est, auxiliari nobis potest: quia porrò filius hominis est, deserere nos aut abnegare nõ potest, &c. Cæterũ ne quis existimet, cum adoptiuum tantũ esse filiũ Dei, sicuti nos, uocat se unigenitũ filiũ Dei: imò quo unusquisq; uideat, cũ nõ solũ unigenitum filium Dei, sed etiã uerũ esse Deum, addit, Vt omnis qui credit in eũ non pereat, sed habeat uitã æternam. In his uerbis Christus bifariam ostendit, se Deum esse. Primò, dũ uult, ut in eum credamus. Secũdò, dum monstrat se efficere posse, ne pereamus, sed habeamus uitam ęternã. Hæc autem talia omnia sunt, quæ soli Deo cõpetunt. in Deũ solum credendum est, & Deus solus uitã ęternam dare potest, & ab æterno interitu nos cõseruare. Quia ergo Christus filius Dei, & Deus est, potest utiq; omnia bona & largiri & conferre. Vide, hũc nobis Deus non modò monstrauit, sed etiam dedit, ut totus quantumuis magnus, diues ac potens, noster sit. Verũ Deus hunc filium suũ primum dedit in carnem nostram & naturã, ne maiestas eius & diuinitas quenquam terreret. Secundò tradidit illũ in passionẽ ac mortẽ, ut exolueret quæ non rapuerat. Et quod maius certiúsue signum amoris haberi posset? Quis pater tam bonus est, qui filium suum flagris cædat & in mortẽ tradat, quo seruo parcat? At Deus unigentium suum & dilectum filium in mortem tradidit, quo nobis qui nõ solũ ingrati erga eum, uerum etiã inimici eius eramus, parceret. Adhæc nõ solum nobis dedit filium suum, sed etiam iustitiam suam ac meritum, imò quicquid ille unquam fecit ac passus est, quo nos his rebus omnibus gloriari possemus ac gaudere, perinde acsi nostra propria forent, imò non secus quàm si nos ipsi ea fecissemus ac fuissemus passi. Quod ipsum rursus tale est, quod uel solum à desperatione nos conseruare possit. Postremò, dedit quoq; nobis hunc suum filiũ in sacratissimo sacramento, ut quãdo corpus illius manducamus sumimusq;, non dubitemus, quin nobis datus sit, imò noster sit omnibus in rebus. Sed nunc uide quæso, quantum solatij in hoc uno & breui uerbo nobis datum sit. Atq; hoc illud est, de quo diuus Paulus tam magnificè gloriatur lætaturq;. Si deus pro nobis (inquit) quis cõtra nos? Qui etiã proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ: quomodo nõ etiã cum illo omnia nobis donauit? &c.

Filius Dei quare unigenitus uocatur.

Quare Christus incarnatus.

Quare passus.

Psal. 61.

Rom. 8.

Vsq;

Vsq; ad finem capitis. Rogas, ad quid Deus filiũ suũ nobis dederit ac miserit? Audi quid Christus mox subiungat, Vt omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat uitã æternã, hoc est, ut ex illo & per illũ animus humanus plenè pacetur: alioqui enim humanũ cor & animus tam profunda abyssus est, ut nulla creatura expleri & exaturari possit, neq; diuitiis, neq; potẽtia, neq; sapientia, neque uoluptate. Nam quocũque in uniuerso orbe terrarũ te uertas, nihil reperis, quod cupiditatem nostrã exaturare possit, uti Dauid ait: Satiabor cũ apparuerit gloria tua. Atqui uerò Deus neq; uideri neq; contrectari potest. Propterea misit filiũ suum, ut eum in illo uidere possemus, quemadmodũ Christus ipse dicit, Qui uidet me, uidet & patrẽ. Porrò dicis: Nec nũc Christus amplius apud nos uisibilis est, quomodo igitur eũ apprehendam? Respõdeo, corporea manu nõ apprehẽditur, sed manu cordis, ea est fides. Idcirco in solo Christo per fidem expleberis, & saturaberis in corde tuo, eò quòd solus totum Deũ apud sese habeat, & secum afferat cũ omnibus suis bonis. Fides autẽ in Christũ nos nõ confundit. nã Christus est ueritas. quocirca etiã Isaias dicit, Omnis qui in illũ credit, non confundetur. fides enim quę manifestæ ueritati sese superstruit, fallere nõ põt. Sic itaq; primũ uerbũ hodierni Euãgelij nobis indicat, Deum prorã ac puppim, principium & finẽ esse nostræ salutis: quemadmodũ etiã Christus dicit in Apocalypsi Iohãnis: Ego sum Alpha & ω. Secundò quoq; hoc uerbo notatur segnities nostra & inertia, quòd tam desides sumus ad nostrã ipsorũ salutẽ, cũ tamen uideamus, Deũ qui nostri nõ eget, tantã pro nobis gessisse curã.

Psal. 16.

Iohan. 14.

Quo Christus apprehendendus.

Apoc. 1.

Tertiò, etiã hoc uerbo summa nostra ingratitudo taxatur, idq; multifaria. Nã primò quantũcunq; uidemus, quid magni nobis Deus dederit ac fecerit, & quamlibet grauia Christus nostra causa passus est, piget tamen nos, uel minimum ac uilissimũ quodq; Dei aut Christi nomine dare, facere aut pati, quinimò rari sunt inter nos Christianos, qui tantam gratitudinis magnitudinẽ secum æstimant, aut minimo uerbo gratos sese exhibent, ut uere etiam in nobis cõpleatur, qđ Deus olim cõtra Israëlitas queritur. Nũquid, inquit, solitudo factus sum Israëli? Nunquid obliuiscetur uirgo ornamenti sui, aut sponsa fascię pectoralis suæ? populus autem meus oblitus est mei diebus innumeris, &c. Quartò, hoc uerbo etiã omnis nobis excusationis prætextus adimitur

Ingratitudo nostra in Deũ.

Hier. 2.

tur

tur, dum Deus pro tantis his beneficiis, quod nobis unigenitum suũ filium ad saluté nostram dederit, nihil magni aut graue à nobis poscit, nisi ut credamus tantũ in eum, quem misit. Nihilo tamen minus ex hoc etiam uerbo satis intelligi potest, grauẽ ingratis pœnam impẽdêre, quo enim maius, quod despicitur bonũ est, hoc atrocius suppliciũ sequitur.

Ad hæc omnia monet nos istud uerbũ, ne nos ipsos dehonestemus, deturpemusq; peccatis & flagitiis, quos Deus tanto honore dignos censuit, ut nobis unigenitũ filiũ suum dederit pro fratre & consorte nostræ naturæ. quod si igitur tanti nos fecit Deus, iniuriũ est, si nos ipsos tam cõtemptibiles faciamus. Postremò autẽ & potissimũ per hoc uerbum prouocamur, Deum nostrũ tam benignũ dominum & patrem uicissim diligere, uti Ioãnes dicit: Diligamus Deũ, quoniã Deus prior dilexit nos. Sic faciebat Dauid, ubi inquit: Diligam te domine fortitudo mea, refugiũ meum & liberator meus. Et rursum, Benedic anima mea domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius, &c. Et Isaias: Domine nomẽ tuũ, & memoriale tuũ in desiderio animæ, anima mea desiderauit te in nocte. En, ad hoc nobis primum uerbũ in hodierno Euãgelio seruire potest. Et quid iustius ad festa Pentecostes pertinet, quàm Dei gratiã & charitatẽ cõsiderare, imò Deũ amare & laudare? Tãto minꝰ necesse est rogare, quãobrẽ Euãgeliũ istud hodie legatur. Faxit Deus ut hęc rectè & accuratè cõsideremus præstemusq;, Amen.

Iohan. 4. *Psal. 17.* *Psal. 103.* *Isa. 26.*

SECVNDVS SERMO DE ALTERA *hodierni Euangelij parte.*



HODIERNVM istud Euangelium occasionem mihi præbet, ut cum sancto Dauide cogar dicere, at non ego solus, sed tota catholica Ecclesia: Magnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Nam uti audiuimus (intellige) in prophetis: ita uidemus & experimur nunc in ciuitate Dei. Verissimum est, & multis exemplis probari potest. nos in nouo testamento modò in nostræ Pentecostes festis uidere, habere, ac frui, quod ueteres audiuerũt tantum, sed nõ uiderunt, multo minus habuerũt ac fruiti sunt. Quocirca etiã Christus credentibus in nouo testamẽto nõ abs re dixit: Beati oculi qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis qđ multi prophetæ & reges uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & nõ uiderunt, &c.

Psal. 47. *Luc. 10.*

&c. Audiebant quidē in Iohele, Deū effusurū spiritum suum super omnē carnē, &c. In Ezechiele autē Deū spiritū nouū positurum in cordibus hominū. & ex Zacharia, Deū militū copias emissurū inter omnes gētes, qui omnes homines ad obedientiā Dei adducerēt. Audiebāt ex Isaia aliisq; prophetis, Deū pacē facturum, ubi antea nulla erat, lupos & oues simul moraturos, uitulum & leonem simul accubituros, infantes cū serpētibus & basiliscis lusuros, nec tamē alterum alteri nociturū, Iudæos & gētes hastas suas, arma & gladios in uomeres cōuersuros, hoc est, uēturos eos omnes in unitatem fidei, & in unū ouile, è duobus populis unū populum futuros, &c. Hæc & his cōsimilia multa audiebāt ueteres, cæterum nos impletū uidemus, id historia nostræ Pentecostes clarissimè indicat. Etenim dū sancti Apostoli & credentes omnes pariter spiritu sancto replebātur, uides prophetiam Iohelis impletā. Porrò quod statim in orbē exire incipiebant, prophetiā Ezechielis cernis impletā, de nouo spiritu, quē Deus daturū se promiserat. Nouus quippe spiritus erat, qui eo die, ac deinceps in Apostolis uidebatur deprehendebaturq;. Enimuerò ante hanc Pentecostes diē humanus & mūdanus spiritus sæpe & crasse admodū in illis sese prodiderat, ut pote cū inter se disceptarent aut quærerent, quis omnium inter ipsos maximus esset. Item cum duo filij Zebedæi principem affectarent locum in regno Christi, & cum cuperent seu optarent, ut ignis de cœlo super Samaritanos caderet, eosq; consumeret. Item, cū Petrus Christo passionem eius dissuaderet ac diceret. Absit à te domine: non erit tibi hoc: & cum omnes dehortarentur, ne in terram Iudæā sese reciperet. Et cū in horto Christū gladio defendere conarētur. paulò post uerò fugerēt & abnegarent, latitātes ostiis clausis, nō ausi prodire præ timore, &c. Hæc omnia & similia operabāt in illis uetus spiritus, imò humanus & mūdanus spiritus: at nūc uerò oēs replebātur spiritu sancto, is erat nouus spiritus, more longè diuersissimo in illis operās. Atq; hoc pacto etiā Ezechielis Prophetia impleta erat. Cęterū qđ Petr᷒ illo die incipiebat palā prędicare, & una uice tria millia hominum cōuertebat, uides quoq; Zacharię uaticiniū impletū de nouis militibus, qui uniuersum orbē Christo subiicere debebāt, nō qdē gladio aut arcu, sed spiritu Dei. Postremò, in eo quod tot homines sese cōuertebāt primo statim die, uides etiam Isaię oraculū impletum de

Ioel. 2. Ezech. 36. Zach. 9. Isa. 11. Iohan. 10. Act. 2. Ioel. 2. Ezech. 36. Matth. 18. Matth. 20. Luc. 9. Matt. 16. Ioh. 11. Luc. 22. Iohan. 20. Zach. 4.

de pace, quã Deus daturus erat, ita ut nemo belli alicuius fa ćturus amplius esset mentioné, Iudæos & gétes unum populum futuros, in una domo cómoraturos, Deoq; seruituros, unũ dominũ habituros, agnituròsq;. Hoc ipsum quoq; Christus in hodierno Euangelio indicauit, quamuis tectis uerbis, ubiq; in genere loqués, uocans mundũ, qui non solum Iudæos, sed etiã gétes cõplectitur, usurpans uoculam, Omnis, qua rursum omnes homines cõprehendit & includit. Sic Deus dilexit mundũ, inquit. Deus non misit filiũ suum, ut mundum iudicaret & condénaret, sed ut mũdus per eum saluus fieret. Vide, hic ter nominatur mundus. Erat autem Christo æquè procliue nominare Iudęos, atq; mundũ, si Iudæi soli saluãdi essent. Non: Deus nos gétes nihilo magis exclusos uult, quàm Iudæos. Quapropter etiã peculiariter utitur hac uocula, Omnis, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam ęternam. Atq; hoc deinde repetit, neq; Iudæos neq; Ethnicos solos nominans, sed simpliciter & indefinitè dicens, Qui credit in filium Dei, non iudicatur. seu condemnatur. Quemadmodum igitur Prophetæ principiò dixerunt, Christum duos populos, Iudęos & Ethnicos in unã fidé & Ecclesiã adducturum, & Christus hic dicit, se non uenisse unum tantum populum seruare, sed mundum, hoc est, omnes mortales: ita impletum uidemus. Iudæi opinabantur, Deũ & regnũ ipsius ad se solos pertinere. Verum nũc post effusionem spiritus sancti, exploratũ habemus, Deum nihil concedere Iudæis, quod non idé concedat & gẽtibus. In die Pẽtecostes ueniebat qdé spiritus S. super eos solos, q ex Iudaico populo credebãt, post paulũ uerò pari modo quoq; ueniebat spirit⁹ sanctus sup Cornelium aliósque Ethnicos, qui Cæsaream incolebant. Hæc autem talia omnia sunt, ob quę gratias Deo agamus, imò in quibus charitatem Dei sentimus ac deprehendimus, qua de Christus in initio hodierni Euãgelij loquitur. Sed sequentia audiemus. Nõ enim (inquit) misit Deus filiũ suũ in mundum, ut iudicet mũdũ, sed ut saluetur mũdus per ipsum. Spectat hoc uerbũ primò cõtra carnalé intellectũ Iudęorũ, existimantiũ Messiã maturè in terris regnaturũ & ius dicturũ. Non (inquit Christus:) Deus filiũ suũ nõ ideò misit, ut temporali in terris potiatur imperio, mũdanisq; sese impediat rebus, sed ut qđ ad hominis saluté pertinet, effectũ reddat. Qua quidé de causa Christus dicebat ad Pilatum, regnum suum

Ioh. 3. Mundus. Acto. 2. Act. 10.

suum nõ esse de hoc mundo. Et ad aliũ dicebat: Quis me cõstituit iudicẽ inter te & fratrẽ tuum, ut diuidã uobis uestram hæreditatẽ? Secundò, Christus hoc uerbo indicauit, quid discriminis sit inter illius doctrinã & legẽ Moysi, perinde ac si dicat: Moses doctrina sua & lege peccatum uobis aperit & irã Dei, pérq; eã etiã cõdemnat omnes mortales. Mea uerò doctrina lõgè alia est: nõ ueni ego, ut peccatum indicem, & irã Dei prædicẽ, &c. sed ut Dei gratiã & remissionẽ peccatorum annuntiẽ, ac postmodũ homines, quos lex terruit, meo Euangelio rursus erigã ac refocillẽ. Maximè uerò Christ⁹ hoc uerbo discrimẽ ostendere uoluit primi & ultimi sui aduentus. Quia enim dixerat, Deum misisse filium suũ, posset ad id homo obstupescere, & fugere aut occultare sese, quẽadmodum Adã faciebat in Paradiso: siquidẽ mala cõscientia sperare aliud nihil potest, quàm iram & pœnã, nec latebat Nicodemũ tanquã legis peritũ, filiũ Dei in extremo die ad iudicium uenturũ, quapropter cogitare posset, nũc illud tẽpus esse, & ad id obstupescere. Hanc cogitationẽ animo illius Christus eximere uult hoc uerbo, perinde ac si dicat: Filius quidẽ Dei etiã uenturus est ad ultimũ iudicium, sed nõ est nunc illud tẽpus, sed uoluit nunc Deus suã præmittere misericordiã. Etenim si filius Dei nunc cõtra homines uenisset, humanã naturã haudquaquam assumpsisset: & si uenisset mundum iudicare & cõdemnare, nõ siuisset seipsum iudicari & cõdemnari. Proinde nobis ĩ hoc uerbo, Dei misericordia summè & supra modum cõmendatur. Primo in eo, quòd patienter expectat, cũ tamen protinus supplicium sumere posset. Secundò, quod nobis misericordiã suã & gratiam prius obtulit & offert, quàm ad iudiciũ ueniat, quo pauciores inueniat, quos suo iudicio cõdemnet: nõ enim uoluntas eius est, ut moriatur peccator, sed ut cõuertatur & uiuat: nec lætatur in perditione nostra. In primis autẽ obseruare oportet, in hoc uerbo nõ esse Dei uoluntatẽ, perdere homines, sed seruare. nã tametsi peccata ulciscatur, id tamẽ propterea solum fit, quo nos à peccatis abducat, ne perpetuò cogatur ulcisci. Nã ita quidẽ est in eius uindicta & dolor, cæterum in eius uoluntate nihil est, præterquã uita. Quod autẽ tot homines eant perditum, nõ est medicus sed ægrotus in culpa, qui aut medicinã aspernantur, aut abutũtur ea, aut etiã irascuntur medico. Age, audiuimus quòd Deus filiũ suum non ad perditionẽ, sed ad salutẽ hominum miserit, id quod diligenter

Luc. 12.

Discrimen doctrinæ Christi & legis Mosaicæ.

Gen. 3.

Ezech. 18.

Sap. 1.

Quare Deus peccata ulciscitur.

Psal. 29.

Quare pereant homines.

genter obseruabimus. Scire dehinc oportet quomodo nobis filius Dei suā partiatur salutē, & quibus rebus mortē euadamus. Qui credit in filium Dei (inquit) nō iudicatur. per fidē fit, ut salutem consequamur, interitum uerò effugiamus.

Hoc autē loquitur Christus ad eos, qui salutē quærunt, & iudicium Dei euitare conātur, ut sunt exterritæ & pauidæ cōscientiæ, quæ agnoscunt grauitatē suorum peccatorū, esuriunt & sitiunt iustitiam, hoc est, oderunt peccata sua, & gratiā petunt. Ad hoc (inquam) uerba ista dicta sunt: solis enim pauperibus prædicatur Euangelium, & nouum hoc mustum diuinæ gratiæ nouos utres postulat. Atq; ea de causa quos sua peccata adhuc delectant, uti plurimi nunc sunt falsi Christiani, qui nuda fide nixi, in omni leuitate uiuunt, arbitrātes omnia plana esse, posteaquā Christus dixerit, qui in eū credat, illum non iudicari aut cōdemnari: ad eiusmodi (inquit) homines nulla pars istius uerbi pertinet, utpote tam consolatoris uerbis abutentes, spurcos sues uerius, quàm homines aut Christianos, nec dignos, quib' margaritæ tales proiiciantur, sed dignos potius, qui Mosen doctorem habeant, qui peccatoribus maledicit, quàm Christum, qui tam consolabiliter loquitur. Ideò autem Christus salutem nostram fidei transscribit, ne quis existimaret, eum nobis magni aliquid & graue impositurum, quemadmodum Moses fecerat. Verum Christus nihil graue à nobis poscit: nō circūcisionē, non holocaustomata, aliáq; legis grauamina, sed fidem. Et quid leuius exigere à nobis queat? Secundò, eam quoque ob rem salutem fidei transscribit, quo Nicodemum à fiducia propriorum meritorum abstraheret. Hac enim in parte Pharisæi Iudęorum sequebantur opinionem, quòd salutem propriis suis operibus acceptam ferebant ob id arbitrantes, se Christo & eius gratia nihil opus habere, legem ipsorum sufficere eis ad beatitudinē. Hoc Christus eximere animo Nicodemi uolebat, perinde ac si diceret: Si iudicium Dei effugere cupis, & æternam salutem nancisci, id fiat necesse est per fidem in filium Dei: quinimò per misericordiam Dei, & meritum ueri mediatoris. non enim opera tua & merita id possunt. Nam si ex propria iustitia, meritis & operibus iudicium effugere possemus, & æternam salutem adipisci, frustra Christus mortuus fuisset. Tertiò, eam quoque ob causam Christus salutem fidei transscribit, quod fides radix est omnium bonorum operum. Qui enim in Christum credit,

Matth. 21. Matth. 9. In pseudochristianos. Matt. 7. Deut. 27. Gal. 2. Fides radix bonorū operum.

dit, is credit quoque ea quæ Christus locutus est. Inter hæc autem præcipuum est, quod dicit: Nisi quis renatus fuerit, eum in regnum Dei introire non posse. Hoc qui credit, is properat quo pacto renasci possit, quo facto, nouus efficitur homo, à uetere patre recedens ad nouum patrem, hoc est, ad Deum: non amplius est Adæ, sed Dei filius, huic morem gerere studet, eiúsque mandata seruare. Atque tum impletur quod Christus ait: Qui credit in filium Dei, non iudicatur. Quartò, fidei propterea salus transcribitur, quia fides Deo defert honorem, firmiter persuadens sibi, eum esse bonum, misericordem, & ueracem. Quid ergo miri, eiusmodi fidem omnia à Deo impetrare, ipso Deo dicente, Si quis ipsum honorificet, glorificaturum se eum: & qui in ipsum speret, hunc se erepturum. Quemadmodum autem Christus in hoc uerbo fidei salutem nostram transcribit: ita in sequenti uerbo incredulitati omne nostrum exitium & condemnationem transcribit, neque id iniuria: incredulitas enim calumniatur Deum, ducens eum pro tetro & mendaci, ac insuper est author omnium peccatorum. quamobrem dicit Christus, Qui non credit, iam iudicatus est. Quo uerbo Christus indicat, etiam peccata cordis (ut si Deo non credatur, si non timeatur ametúrque, &c.) hominem condemnare & quidem omnium maximé. Ea enim cordis peccata maiora sunt omni illo quod extrinsecus fit, imò omnia externa peccata ueniunt & oriuntur ex impio corde. Quapropter Christus non simpliciter dicit, Qui non credit, non iudicatur, sed rem acerbiorem facit, iam iudicatus seu condemnatus est. Etenim primò, omnes homines in Adam maledicti sunt & condemnati, atque in ea maledictione seu condemnatione manent omnes ij, qui non per fidem & baptismum renascuntur. Secundò, iam iudicatus est & condemnatus: nam incredulitas ipsa est condemnatio. Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato uestro, inquit Christus. Tertiò, talis iam iudicatus est: etsi enim nondum ad infernum detrusus est, habet tamen iam causam futuræ condemnationis, quemadmodum Adam in paradiso, etsi nõ protinus moriebatur, sentẽtia tamen mortis iam lata in eum erat. Sic & incredulus iam cõdemnatus est: mox enim ut moritur, ad condemnationem defertur. Hîc uide, q̃ incredulitas res sit mala. Quin hic uides, ĩprobos nihil lucrifacere, etiam si pœna eorũ diu illis prorogetur, quã-

Ioh. 3. *Ioh. 14.* *1. Reg. 2.* *Psal. 10.* ***Incredulitas.*** ***Peccata cordis hominem damnant.*** *Rom. 5.* *Ioh. 8.* *Gen. 3.*

do Christus dicit, eos iam ad cōdemnationē iudicatos esse. Vnde Dauid docet, ne æmulemur in malignantibus, neque zelemus facientes iniquitatē. Quoniā tanquam fœnum (inquit) uelociter arescent: & quēadmodū olera herbarū cito decident. Potissimum uerò ex hoc uerbo apparet, quàm necessarius nobis sit Christ⁹. etenim sine illo iam iudicati & cōdemnati sumus. Tanto maiorē & iustiorem causam habemus in his nostræ pentecostes festis gratias Deo agendi, quod nobis nō solū filium suū Christum, sed etiā per Christum spiritū sanctū & omnia bona dederit ac effuderit. Atq; hoc pacto rursum palā fit, Euangeliū istud nobis cōmodè ad præsentia festa inseruire posse. Faxit Deus, ut hęc diligenter consideremus præstemusque, Amen.

Psal. 36.

SERMO TERTIVS DE VLTIMIS *uerbis huius Euangelij.*



VLGARIS sermo est, & ueluti prouerbium quod dicitur, ut quod quis rectè nouit ac intelligit, de eo rectè posit loqui & iudicare. & id re ipsa cōperimus, rarò aliquē de re quapiā dicere ac iudicare, si quid sit & quid cōtineat, nesciatur, unde fit, ut multa quæ mala sunt, pro ueris defendantur, cōtrà autē multa licet bona reiiciantur. Cuius rei nobis multa possem ostendere exempla, quæ in Ecclesia fiunt, sed huic tantū Euangelio immorabor, quod solum nobis satis exempli fuerit. Videmus id huic pentecostes septimanæ attributū esse, imò omniū proximè pentecostes festum, cum tamen ne uerbulū dicat de spiritu sancto. Iam si quis causam ignoret, nunquā rectè de ea iudicare poterit, imò facit ex eo ludū & iocum, quēadmodū & in aliis rebus fieri cōsueuit, ut quod nō intelligimus, id derideatur. Et quidē si iuxta literā rem æstimare uolumus, Euangeliū istud nihil ad hæc festa facere uidetur. Verū qui adhuc memoria tenet, quod in die Pentecostes prædicatū & annuntiatū nobis fuit, is fateri cogetur, nullum Euāgeliū ordinari potuisse, quod ad pentecostes nostræ festum aptius quadret, quàm istud adeo. Rogas quinā? Audiuimus heri & uerū est, pentecostes festū, & quicquid boni attulit, non solum propter Apostolos institutum esse, nec Deus tale opus propter unū diē incœpit, tantū donum non propter tam paucos homines effudit. Talē gratiæ fontē nō ideò scaturire fecit, ne aliò flueret nisi ad Apostolos,

Pentecostes festum non solū propter Apostolos institutum.

stolos, aut ut in uno tantum loco oriretur, sed ut per uniuersum orbē dimanaret, omnes homines reficeret ac exhilararet. Sic enim inquit propheta: Erit fons patens domui David: in ablutionem peccatoris & menstruatæ, imò in quo & peccatores & peccatrices sese lauare possent. Id autē quomodo cōfirmari melius posset, quàm hodierno Euangelio, ubi palā auditur, Christū, quod ad ipsū attinet, neminē mortaliū à gratia spirit⁹ sancti exclusum uelle, id quod uerba ei⁹ apertè cōtestantur. *Zach. 13* Primò enim nō dicit, Sic Deus Iudęos aut uos Apostolos, sed sic Deus dilexit mundū. Secundò, nō dicit, In hoc De⁹ misit filiū suū, ne uos mei Apostoli pereatis: sed, ut omnis qui in eū credit nō pereat. Tertiò, nō dicit, De⁹ misit filiū suū, ut uos solos, sed ut mundū seruet. En, hîc habes uoculā mundus, nō semel, sed quater in initio huius Euāgelij. *Ioh. 3.* *Mundus.* Quæ res certè argumento est, Christū non solum Apostolorū & Iudęorū, sed omniū hominū salutis causa uenisse. Quod si igitur heri dubitasti, num etiam particeps fieri posses spiritus sancti, eiúsq; gratiæ, ecce hodiernū quoque Euangeliū te certū facit: etenim hîc audis, Christum non de uno populo tantū, sed de omnibus hominib⁹ loqui, ut quis circa Euangeliū istud nō immeritò dicat, quod Petrus Cæsareæ dicebat in domo Cornelij, In ueritate cōperi, quia non est psonarū acceptor Deus: sed in omni gente qui timet eū, & operatur iustitiā, acceptus est illi. *Act. 10.* Hoc cōsidera, & nō miraberis Euangeliū istud hodie legi, sed fateri cogeris, rectè beneq; ordinatū esse. Hoc unū est. Secundò, audiuimus in Pētecostes nostrę festo, quę fuerit causa, quòd Deus tā clarè sese homini manifestauit: primò pater in creatione creaturarū: deinde filius in humana natura, ac tertiò spiritus sanctus in suis donis. Nimirū, propterea factum est, ut amor & benignitas illius tanto melius appareret, eumq; non solum pro potenti Deo, pro seuero iudice, & sapiente opifice, uerum etiam pro clemēte ac benigno patre haberemus. Quid autem melius huc quadrat, quàm initiū hodierni Euāgelij, ubi Christus apertè loquitur de dilectione Dei, ex qua filiū suū in mundū miserit. Hoc quisquis considerauerit, rursum fatebitur, Euangeliū istud optimè quadrare ad festa pētecostes. Tertio, in festo pētecostes docti sumus, nos nō tantū uidere oportere, quid sancti Apostoli acceperint, & quid nos ex tali festo cōsequi queam⁹: nō modò cōsiderare eos spiritū sanctū accepisse, & nos spiritū illum sanctū commu-

nem cum illis habere, sed etiã uidere oportet, ne nos inuicẽ impediamus. Vide, hac de causa Euãgelium istud iterum cõgruè his festis dicatũ est. Audimus enim hîc, quomodo Christus mundi ingratitudinẽ inculcet. Lux (inquit) uenit in mundũ, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucẽ. Hæc exhortatio aptè iungitur pentecostes festo, imò necessaria cum primis est, atq; utinã omnes mortales eã ad animum rectè reuocare possent, & considerare, quanta sit ingratitudo, qđ nobis Deus gratiã suã & amorẽ, imò ęterna sua bona offert, nos uerò nos aliò uertam'. Hoc q cõsiderat, rursus nõ mirabitur, Euãgeliũ istud hodie legi. Quartò. Euãgeliũ istud apprimè historiæ iungitur, quę hodie epistolę loco legitur.

Collatio Euãgelij cũ Epistola.

Act.2. Nã heri audiuimus, quomodo Petrus Iudæis prædicauerit: hodie audimus, quomodo etiã gentibus primã suã concionem fecerit in domo Cornelij Cẽturionis: erat autẽ ea res

Act.10. insolita apud Iudæos, qui antiquitus supercilio tumebant, ut se solos gratia & regno Dei dignos cẽserẽt, quod etiã in illis residebat, postquã iam aliqui eorũ ad fidẽ uenerãt. Petrus ipse refugiebat accedere Ethnicum, donec audiebat,

Act.11. quod Deus diceret, ne quid cõmune ducerèt, quod Deus mundasset. Post cũ Hierosolymã ueniret, increpabãt cũ alij Apostoli & discipuli, existimãtes eũ malè fecisse, donec audirent, Deum Gẽtibus spiritũ sanctũ æquè largitum fuisse, atq; ipsis. Quo autẽ appareat, Petrũ hac in re nõ peccasse, legitur unà quoq; Euangeliũ istud, ex quo audimus, Christum nõ solũ de Iudæis, sed de omnibus hominibus loqui. Si ergo in Euangelio legere aucmus, quod Christus dicit, se nõ esse missum nisi ad oues, quæ ex domo Israëlis perie-

Matth.15. rant, legatur quoque quod hîc dicit, Sic Deus dilexit mun-

Ioh.3. dum, &c. Si Gentibus non prædicauit ante passionem suã,

Luc.24. attamen prædicari illis iussit post suam resurrectionẽ. Atq; ita, opinor, animaduertere quiuis posset, Euangelium istud singulari cum diligẽtia hodierno diei esse attributũ. Superest, ut id consideremus. Deus nobis Gentibus suam gratiã nihilo plus negauit, spiritũ uerò suum æquè largitus est atque primis, qui ex Iudaico populo ad fidem uenerunt, pro qua re nos erga illum gratos esse decet: amore illi obuiare uicissim debemus, & ante omnia operam dare, ne in nobis quoque impleatur inueniatúrque, quod Christus in fine & in ultimis uerbis hodierni Euangelij dicit, Hoc est iudiciũ: quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tene

Deo grati esse debemus.

Iohan.3.

tenebras quàm lucem. Hæc uerba adhuc exponenda sunt. Ea auté Christus propterea locutus est, ne quis dicere possit, Deum solum ui agere cõtra improbos. Meritò enim & suapte culpa perit, qui prudens ac uolens apprehẽdit id, per quod perit: fugit auté id, per quod illi subuenири possit. Hoc auté faciunt omnes impij homines. Idcircò etiam Christus meritò dicit: Hoc est iudicium mũdi, &c. Perinde ac si dicat, Iustis de causis perit mũdus, propterea excusari nõ potest: non quia peccauit (alioqui enim omnes homines condẽnari oporteret, quando omnes peccauerunt) sed quia à uitiis non desistit, & oblatam gratiam auersatur. Sed obserua unumquodque uerbum peculiare quiddã in se habere. Primò enim certum est, lucem in mundum uenisse. Nunquam enim cessauit Deus luce sua hominem illuminare. Principiò ratione & intellectu eũ donauit, de quo Dauid dicit, Signatum est super nos lumen uultus tui Domine. Secundò, dedit nobis quoq; suum uerbũ, de quo iterũ Dauid, Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Ad hæc Deus homini alia multo plura lumina accendit ante & post legem Moysi, hoc est, sanctos uiros dedit, in quorum lucentibus uerbis, operibus, & scriptis seipsum contemplari & agnoscere, atq; ita pudere eũ suæ nuditatis, pristinũ suũ decus tanto celerius quærere iterũ debebat. Postremò etiam uenit tota substantia lucis, aut essentiale lumen Christus, q uerum lumen est, quod illuminat omnẽ hominẽ, quod facilem nobis & expeditã uiã ac ingressum in æternum regnũ mõstrauit. Lux (inquit) ad nos uenit, nos nõ secuti sum⁹ eã, nec ipsi eam nobis adferre potuimus, sed ultrò & gratuitò ad nos uenit. Cæterũ quod Christus seipsum lucẽ appellat, significare uult, eum nõ tanquã iudicẽ, sed tanquã seruatorẽ uenisse. Secundò, per id indicauit, quid in hominibus operari & efficere uellet, nimirũ manifestare & illuminare. Habet enim hanc operationẽ ea lux, ut nõ solũ illuminet, sed etiam reuelet, quod ante absconditum erat. Hęc autem duo facit Christ⁹. Etenim primò reuelat nobis, tenebras & peccatum esse, quicquid ex nobisipsis sumus, habemus, & agimus. Atq; hic primus gradus est ad iustificationem. Deinde etiam nos illuminat, hoc est, ostendit, ubi uita & iustificatio quærenda sit. Hic secundus gradus est. Mundus uerò primum non admittit: nõ patitur res suas dãnari, idcircò ad alterum quoq; peruenire nõ potest. Sũms, hoc uerbó,

Merito perit, qui uolens perit.

Rom. 3.

Vt lux uenerit in mundũ.

Psal. 4.

Psal. 119.

Ioh. 1.

Christus lumẽ essentiale.

Christus quare se lucem appellet.

Primus gradus ad iustificationem.

Secundus gradus.

Lux uenit in mundum, omnem nobis præripit excusationẽ. Principio enim ignorantiam nullam prætexere possumus, nisi spontanea esset ignorantia: nec queri possumus, Deum nimis seuerè nobiscum agere, quando Christus nõ tanquã iudex, sed tanquam lux uenit. Attamen additum est, & est uerissimum, homines tenebras magis dilexisse, quàm lucẽ. Res admirabilis & ueluti incredibilis est, nisi in propatulo esset & experientia quotidiana. Homines (inquit) qui nihil diligere debebant, quàm quod bonum est, qui ratione præditi sunt, dilexerunt tenebras, quæ tamen ex seipsis nõ modo iniucundæ, uerumetiã formidabiles sunt, imò in eiusmodi tenebris non solum iacuerunt, sed etiã delectati iis sunt, eásque defensarunt, contrà uerò, lucem & ueritatem oderunt. Atque hîc uidemus, quò diabolus hominem deduxerit, in quam cæcitatem, inordinationem & miseriam. Per tenebras autem intelligere primò possumus, ignorantiã & cæcitatem, deinde etiam peccata, quæ Paulus uocat opera tenebrarum. Meritò autem peccata sic uocantur, siquidẽ cũ uerbo Dei (quæ lux nostra est) ex diametro pugnant, hominémq; ita excæcãt & caliginosum faciũt, ut uix cognoscas, homo an bestia sit, ac insuper hominẽ in æternas tenebras ducunt. Tertiò intelligit Christus per tenebras quoque, omne id quod mundus habet & magni facit, ut est sapientia, potentia, diuitiæ, honores, &c. Hæc quidem in speciem magnifica sunt & ampla, uerum si cum diuina luce comparentur, nil nisi tenebræ sunt. Condemnabit ergo hoc mũdum, quòd lux uenit in mundum, ille autem ignorantiam magis dilexit, quemadmodum Dauid de homine impio dicit, Noluit intelligere ut bene ageret. Secundò, quòd Christus uenit tollere à nobis peccata, & uiam ad iustitiã indicare, homines uerò cum tali insania in peccatis creati sunt, ut malint iustitiæ, uitæ, & æternæ salutis iacturam facere, quàm uoluptuariç, sceleratç, beluinç uitæ renũtiare. Tertiò, quòd Christus uenit, ueras diuitias, honores, potentiam, sapientiam & iustitiam non solum monstrare, sed etiam largiri, homines autem tenebras suas, hoc est, fucatas & falsas suas diuitias, potentiam, honorem, sapientiam & iustitiam plus diligunt, quàm quod illis offert Deus, id operã dantes, ut sapientes, iusti, diuites, potẽtes ac honesti coram mũdo sint, spirituales diuinásque res haud curantes. Hoc unde fit? Opera eorum mala erãt, inquit Christus. hæc causa est. Lux per se

Dilexerunt tenebras magis quam lucem.

Tenebræ quid significent.

Rom. 13.

Psal. 118.

Psal. 49.

Psal. 35.

per se quidem res iucũda est, sed oculis ægrotis per omnia contraria, quemadmodum & panis faucibus uulneratis seu ori dolori est. Atque hic uide, quid hæc lux Christus in mundo inuenerit, nempe mala opera & nihil boni. Omnis qui malè agit (inquit) odit lucem, &c. Elegans dictũ, in quo bonorum simul & improborum natura clarissimè indicatur. Nam ut adulteri & scortatores noctem amant, diem oderunt: ita omnes impij homines præsentem hunc mundum diligunt, futurum oderunt: defendunt sese mendacio, post ueritatem sese occultant. Contrà, quemadmodũ iis qui pudici sunt & laboriosi, tædium nox affert, diem uerò incensis candelis præueniunt: ita quoque omnes qui ex Deo sunt, peccata sua oderunt, esurientes & sitientes iustitiam, quærentes ueritatem futuræ uitæ, tædio præsentis uitæ affecti.

Obseruatio. Obserua autem, quod Christus non dicit, Omnis qui malum, sed qui malè agit, odit lucem. Faciunt enim nonnunquam & boni, quod malum est, & peccant, non ideo tamen oderunt lucem, nec eam refugiunt, sed currunt ad lucem, ut uitia sua uideant, & grati sint erga eos, à quibus peccati sui admonentur, ueluti Dauid faciebat erga Nathan. Sed qui malè agunt, hoc est, qui studiosè & pertinaciter peccant, illi oderunt lucem. Non quòd crimina sua celari semper uelint, quia quandoque flagitia iactitant ipsi, uti Salomon dicit, sed quòd nolint admoneri uel in minimo. Proinde hic nobis indicata est uera natura hominũ impiorum. Etenim primò faciunt malum: secundò quoque agũt male, hoc est, sponte, uolentes, & animo deliberato: tertiò sunt in tenebris: quartò diligunt tenebras: quintò non quærunt lucem: sextò, ut maximè adsit lux, non tamen accedunt: septimò, oderunt quoque lucem. Volunt enim absque morsu conscientiæ suę peccare, putãtes se excusatos, si ignorent. Qui autẽ facit ueritatẽ (inquit Christ' ultimò) uenit ad lucẽ, &c. Atque in hoc uerbo uera ostenditur natura hominis boni. Primò audit ueritatem: secundò facit ueritatem: tertiò, it & uenit ad lucẽ: quartò sequitur lucẽ: quintò diligit lucẽ: sextò, ita uiuit, ut nullius hominis censurã & iudiciũ formidet: postremò quoq; omnia sua opera facit in Deo. Tales homines Pẽtecoste nostra postulat. Quare si nolum' in æternas tenebras & condẽnationẽ incidere, magnifaciamus lucẽ & gratiã, quę nobis p missionem spiritus sancti cõtigit, & iis bonis utiliter utamur. Deus nobis suã largiat̃ gratiã, Amen.

Natura improborum.

Iohan. 3.

Natura hominis boni.

QVRTVS SERMO CVM *hodierno Euangelio Epistolam & Ecclesiæ orationes componit.*



IN sermonibus de sacro Pentecostes festo, inter multa alia ostendi, quid unusquisque Christianus eo festo considerare, facere & exercere debeat, nimirum seipsum explorare, quærere & examinare, num spiritum sanctũ habeat necne. docui præterea quoq;, quibus rebus omniũ optimè ac certissimè cognosci queat, num homo spiritũ sanctũ habeat necne, hominémq; meritò lætari debere ac posse, cui animus simul & uita testimonium perhibét, spiritum sanctũ in se habitare. Deinde summo studio & assiduitate ad Deũ orare & clamare debere, quando se spiritu S. uacuũ intelligit. Atque hæc ea ipsa sunt, quæ Ecclesia his pentecostes festis omnium maximè exercet & tractat. Gaudet cum iis, qui spiritum S. habent, aliis uerò qui spiritum S. nõ habẽt, precibus succurrit, ut eundẽ & ipsi cõsequantur. quibus utrisque abundè nos docet, quàm necessariò spiritu S. opus habeamus. quorsum alioq enim tot gaudia, tot ardentissimę preces? Quod nõ magnifacimus, eo nõ admodum gaudemus, etiamsi illius copia sit. cæterũ qui rem magni pendit, is lætatur sibi eius rei factã potestatẽ, sed ingens ei desiderium excitat, si eam non habeat, atque urget eum, ut illã summa diligentia quærat. Quia ergo Ecclesia id hodierno die facit, gaudens spiritu sancto, & petens Spiritũ S. argumento certissimo est, quòd illum eiúsque gratiam & consuetudinem pro re magna & necessaria ducat & agnoscat. Idq; ex eo liquet, quòd illi tã magnifica attribuit nomina, ut suprà demonstraui. Et quidẽ dignus est his omnibus nominibus. Sũt enim hæc uera illa dona, quæ in nobis operatur, & quibus omnibus indigemus, ut qui ex nobisipsis egeni & cæci, miseri ac derelicti sumus, & prętereà quoq; uitã nostram magno cũ labore, multis tribulationibus, & quotidianis ac assiduis lacrymis traducimus & exigimus in terris. In tali miseria & necessitate nõ est præsentius remediũ & solatiũ, quàm spiritus sanctus. Qua quidem de causa in ipso statim principio inter sanctos apostolos tantum gaudij instituit. Quin etiã Christus ꝓpterea apostolis spiritũ S. toties ꝓmisit. Et quod magis est, ideo quoq; peccata nostra pretioso suo

suo sanguine abluere uoluit, ac sua morte depēdere, ut spiritus sancti possemus capaces fieri ac participes. Proinde, ut certissimū est argumētū summę charitatis in Deo, quod nobis filiū suū miserit ac dederit: ita quoq; indiciū est summæ dilectionis in Christo, quod nobis spiritū S. miserit ac dederit. Et ut nō simus ꝓmeriti, quod nobis Deus filiū suū unicū misit ac dedit: ita nequaquā nostro merito factū est, qđ nobis Christus spiritū sanctū dedit. Imò quàm certò Deus dū unigenitū filiū suū nobis & ꝓ nobis dedit, nihil aliud quęsiuit, q̃ solatiū nostrū & utilitatē: tā quoq; certò Christus, dū spiritū S. misit, nihil aliud quæsiuit, quàm solatium nostrū & utilitatē. Atq; huius nos admonet Ecclesia ꝑ hodiernū Euāgeliū. Videt̃ qdē ea res nō magnopere ꝑtinere ad Pētecostes nostræ festū, qa solū dicit, qūo & quāobrē Deus filium suū in terras miserit. Verū bonū Christianū nō latet, nec latere debet, Paschę & Pētecostes diē, hoc est, aduētū Christi & effusionē spiritus sancti, optimè inter sese quadrare. Et q unū cōsiderat, iā alterū cōsiderādi causam habet. Propterea Christus in terras uenit, ut nos sua doctrina, uita, passione ac meritis idoneos faceret accipiendo spiritui sancto. Propterea spiritus S. uenit, ut doctrinā, uitā, passionē ac meritū Christi in nobis efficacem redderet. Atq; hac qdē de causa Euāgeliū istud ꝓximū à die Pentecostes habet locū, quo uidere simul queamus, quid Deus per filium suum, & filius ꝑ spiritū sanctum in nobis fecerit. Alioqui alias causas plures indicare possem, quamobrem Euangelium istud legatur. Quinimò si rē rectè & accuratè expendamus, uera inuenimus capita, ad quæ spiritu sancto opus habemus, ut sunt, metus, pœnitentia, fides & charitas. Quatuor hæ res sunt, quæ omnes ad Christianismum nostrum pertinent, eæq; omnes in hoc Euangelio inueniri possunt. Etenim primò, quod Christus incredulis hominibus certam ipsorum condemnationem prædicit, metum nobis incutere meritò debebat. Secūdò, quod nostram nobis obiicit ingratitudinē, humiliare nos non iniuria debebat, & ad pœnitentiam impellere. Tertiò quod non semel, sed tertiò in Euangelio credentibus tam certò salutem promittit, in fide confirmare nos meritò debebat. Porrò quod charitatis etiam Dei nos admonet, meritò nos ad amorem Dei uicissim prouocare debebat. Atque hic etiam Christianæ uitæ uerus ordo esset. Met⁹ ꝓcurrat oportet, met⁹ nos extimulare ad pœnitentiam

tentiam debet. In pœnitētia nos nihil aliud quàm fides seruare potest. Ex fide charitas Dei & proximi sese ostendere debet. Hæc autē omnia eiusmodi sunt, quæ spiritus sanctus in nobis operatur. Nam ubi spiritus sanctus nō est, ibi neq; Dei timor, neq; pœnitētia, neq; fides, neq; charitas sentitur. Quæ itaq; spes esse potest, uitā æternā consequendi? Imò quid aliud sequi potest, quā certus interitus, ubi neq; timor, neq; à peccatis resipiscētia, neq; erga Deum fiducia aut amor? Habemus ergo ex hodierno Euāgelio, tāto plus occasionis nostrā miseriam considerādi, tantoq; feruētius spiritum sanctū petendi. Atq; hoc Octaua ista exercitiū nostrum esse debebat, ob id nimirum tot feriæ institutæ sunt, quo tēporis & otij sat nobis suppetat, salutē nostram considerandi promouēdiq;. Summa, quod Christus homo natus, & ex mortuis resurrexit, & spiritū sanctū misit, Christianitatis sunt summa & maximè cōsolatoria festa. Atq; ideo etiam unicuilibet peculiares feriæ attributę sunt, quo tria hæc tanto melius cōsiderari possint. Quàm uerò id nostro seculo consideretur, parū plus quàm è re omniū est, apparet. Venient dies (inquit Christus) quādo desideretis uidere unum diē filij hominis: quinimò ueniet tēpus, ut pro summo gaudio & solatio simus ducturi, si quis existeret, qui nos cōmonefacere posset, quid nobis Christus in sua natiuitate, resurrectione, & missione spiritus sancti dederit. Quam ob rem aliquid amplius audiemus, quibus Ecclesia hodie bonis exercitiis utatur. Et primò circa hodiernum Euangeliū, in quo Christus aptè cōiungit amorē Dei erga homines, & ingratitudinē hominū erga Deum, hodie talia uerba lecta sunt ex Apostolorū actibus. Viri fratres (inquit Petrus) uos scitis, quod factū est uerbum per uniuersam Iudæam de Iesu Nazareno, &c. Hæc uerba hodie lecta sunt circa iam dictū Euangeliū, quæ pars est historiæ de Cornelio, & cōcionis quā Petrus illic faciebat, hodierno Euāgelio non incōueniens. Nā primò ex eo liquet, spiritū sanctū nō solum Apostolis & aliis credētibus ex populo Iudaico datū esse, sed etiā iis qui ex ethnicis ad fidē cōuersi sunt. Quinimò sic Deus Apostolis spiritū sanctū dedit, ut etiā ipsorū officij ratione, sint uerū mediū & instrumentū, per qđ Deus aliis quoq; hominibus spiritū sanctū largiē & largiri uult, ut Paulus ait. Nos legati sumus Dei, sed non tales legati, quibus mandatur solū, quid dicant aut annuntient, sed tanquā qui

Verus ordo Christiana uita.

Octaua.

qui etiã id quod dicũt aut annũtiant, ipsi expediunt. Nostrũ enim munus (uult dicere) nõ in eo cõsistit, ut uos adhortemur impellamusq; ad recõciliationẽ cũ Deo, sed quod magis est & amplius, dedit nobis quoq; Deus ministeriũ reconciliationis. Non solũ reconciliationem uobis annunciare debemus, sed etiã opus reconciliationis in uobis instituere ac perficere. 2.Cor.5. Id autem quomodo fiat, in historia iam commemorata de Cornelio apparet. Mandauit nobis Deus (inquit Petrus) perhibere testimoniũ. Hæc una pars est, quæ ad Apostolatũ pertinet. Act.10. Adhuc loquẽte Petro uerba hæc, imò Cornelio & aliis uerba Petri cupide acceptantibus, cecidit spiritus S. super omnes qui audiebant uerbũ. Hinc apparet, quomodo & qua ratione Apostoli negotiũ reconciliationis gerãt. Verbũ Dei annunciant, sacramenta administrãt, & per hæc duo cõfert Deus spiritũ sanctum, & reconciliationem. Atq; hoc diligẽter considerandũ. Multi enim inueniũtur, qui nõ credunt, per munus Apostolicũ, hoc est, per prædicationẽ uerbi Dei, & dispẽsationẽ Sacramẽtorum, spiritu S. dari & peccata remitti. Id inde fit, quod ad personas tantũ respiciunt, & nõ ad munus seu mandatũ Dei. Quia ergo personæ quandoq; malæ sunt, non credunt uerba earum, sacramenta & benedictiones uirtutis aliquid habere. Est autem his in reb⁹ nõ ad personã, sed ad munus respiciendum. Persona ipsum munus neq; bonum neq; malum facit. Munus uirtutem suã habet non à probitate personæ aut ministri, sed ex mãdato & institutione Dei. Petrus ex seipso spiritũ sanctũ conferre non poterat, uerum cùm quod munus ipsius postulabat faceret, mox aderat Deus, muneri uim indens, operationẽ & efficaciam. Id autem fiebat non ex merito aut probitate Petri, sed ex promissione Christi, ubi ait: Euntes in orbem uniuersum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: & ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus, usq; ad cõsummationem seculi. Matth.28. Vide, hinc accidit, quòd in Sacramentis remissionẽ peccatorũ accipimus: nõ quòd ministri tam sancti sint & Deo accepti, sed quòd Christus eorum officio semper adsit & adesse uelit, imò unà cum illis operetur, uti Marcus dicit, ubi uerbũ Dei prædicatur, & Sacramenta porriguntur. Vt ergo probitas ministri Sacramentis nihil confert: ita malitia ministri Sacramentis nihil derogat. Si minister bonus est, sibi ipsi bonus est, ob probitatem ipsius uer-

bum

bum Dei & sacraměta nihilo peiora sunt. Sin malus est, sibi ipsi malus est, uerbũ Dei & Sacraměta ob hoc inefficaciora nõ sunt, quoniã nõ ministro & eius probitate, sed Christo eiusq; meritis nitũtur. Quapropter rectè beneq; institutum est, quòd historia hæc statim à missione spiritus sancti legitur, qua ratiõe Apostoli spiritũ sanctũ acceperint: nẽpe non pro illorũ persona tantũ, sed ut per prędicationẽ uerbi Dei, & administrationẽ Sacramentorũ, etiã aliis hominibus spiritum sanctum reddãt cõmunem. Dehinc etiã pulchrè quadrat historia ista ad hodiernũ Euangelium. Nam quod Christus dicit de clemẽti & gratuito amore Dei erga mun-
Act. 10. dum in commune, idem in hac historia in quibusdam hominibus apparet speciatim. Cecidit spiritus sanctus super omnes (inquit Lucas) qui audiebant uerbũ Petri. Qui erant hi? Gentes. An non autem ingens amor est, quòd Deus talibus hominibus spiritum ęque det ac Apostolis? Quod autem Deus tum fecit, idem adhuc in nobis facit. Ex amore nobis filium suum, spiritum S. & omnia dedit. Atq; hoc unum est, in quo historia ista Euãgelio respondet. Quemadmodum autem Christus mundum patefacit, cum ingratitudinem tum cæcitatem, siquidem natura illius est, ut te-
Ibidem. nebras amet, quando opera eius mala sunt, ita nobis historia hæc indicat ueram indolem hominũ piorũ. Loquentes
Orationes Ecclesiæ. linguis (inquit Lucas) & magnificãtes Deum. Hoc alterum est, in quo historia hæc Euangelio concinit. Super his duobus Ecclesia hunc in modum orat: Deus qui Apostolis tuis sanctum dedisti spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum, ut quibus dedisti fidem, largiaris & pacem, per Christum dominum nostrum. Hæc erat hodierna Ecclesiæ precatio, in qua rursum admonemur, quòd Deus Apostolis, quinimò uniuersæ Christianitati, spiritũ suum sanctum dederit, confitemur deinde cum gratiarum actione, quod Deus etiã nobis fidem largitus sit, rogamusq; eum, ut & pacem nobis dare dignetur. Tria sunt quæ optime sese mutuò consequũtur. Principiũ salutis nostrę est, quòd Deus Apostolis spiritũ sanctum dederit. Hinc enim consecutum est, ut ad fidẽ peruenerimus, in eum modum quo Paulus ea
Rom. 10. de re loquitur, fidem oriri ex auditu uerbi diuini. Nam quomodo credẽt ei quẽ non audierũt? Quomodo autẽ audient sine prędicãte? Quomodo uerò prædicabũt nisi mittantur? Hoc pactò primùm Deo gratias agimus, qđ Apostolis suis

spi

ſpiritũ ſanctũ dedit. Secúdò, quod fidem dedit. Quorſum enim Apoſtolorũ multa prędicatio, ni Deus ſua gratia nos iuuaret, ut illorũ uerbis poſsimus credere? Vt Dei opus ſine cõtrouerſia fuit, qđ palã & in uniuerſo orbe prędicare fuerint auſi, nõ obſtãte quòd mũdus uniuerſus contra eos tumultuabatur: ita certò quoq; opus Dei eſt, quòd fidẽ illorũ uerbis habuimus. Nã caro & ſanguis, ratio noſtra & iudiciũ nõ fert, ut eiuſmodi res nobis perſuadeantur. Dei opus eſt, qđ etiã agnoſci & cõſiderari uult cũ gratiarũ actione. Quo facto, pacẽ quoq; rogare oportet. Haud inutile iſtud additamẽtũ eſt, ſiue de tẽporali, ſiue de ſpirituali pace intelligas. Sunt quidẽ prçcipua capita, quæ ad legitimũ Eccleſiæ ſtatũ ſeruiũt, cũ ſpiritus ſanctus in prædicatorib' ſimul & auditoribus operat̃, ut illi fideliter doceãt, hi uerò diligẽter audiãt & ſequãtur. Tũ, inquã, optimè agitur in Eccleſia, ad quã rẽ etiã multũ facit pax externa. Etenim ubi bellũ & diſcordia eſt, boni plurimũ impedit̃, cũ in prędicatoribus, tũ in auditoribus. Sin autẽ ſpirituale contingat oriri diſsidiũ, res peius habet. Eccleſia id ſępe experta eſt, quapropter mirũ nõ eſt, ſi hoc nõ ſit cõtẽta, qđ Deus ſanctis Apoſtolis ſpiritũ ſuũ & nobis fidẽ dederit, ſed docet nos rogare pacẽ & unitatem. Bone Deus, ſi modò tantũ nobis otij ſumeremus, cõſideraremusq;, qua de cauſa & quomodo omnia in Eccleſia inſtituta ſint, quàm nos dignos omni animaduerſione iudicaturi eſſemus, & agnituri, qđ ordinationes eiuſmodi ita cótemptim obſeruamus, quę tamẽ ad res plurimas cõferre nobis poſſent. Deus det nobis omnib' ſuũ ſpiritũ & gratiã, Amẽ.

QVINTVS SERMO DE SACRAmento confirmationis, quod hodierno die porrigi ſolet.



ETSI Euangeliũ iſtud ſecundũ literam nihil habeat aut dicat penitus, neq; de ſpiritu ſancto, neq; de hodierno feſto, attamẽ ſingulari conſilio huic ſeptimanæ attributũ eſt, quinimò neceſſariò quoq; pręter negotium ſpiritus ſancti conſiderãdum eſt, quia duo præcipuè uerba habet, quæ ad rem plurimũ faciũt. Inter hæc alterũ nos docet, cui gratias agere oporteat pro incomparabilibus bonis & conſolatione, quã ſancta Chriſtianitas per ſpiritũ ſanctũ Chriſti accepit. Alterũ nos docet, quæ cauſa ſit, quòd cũ talia bona præ

Duo præcipue uerba habet Euangelium.

manibus habemus, pauci tamē hoīes eorū participes fiāt. Hęc duo q diligenter cōsiderat, nō opus habebit ampliori admonitione, ad hæc Pentecostes festa piè transigenda. Rogas quæ uerba illa sint? Primum est, ubi Christus inquit: Sic

I. Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitā æternam. Alterum est, ubi ait: Hoc est iudiciū: quia lux uenit in

II. mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim mala eorū opera. In hisce uerbis duo audimus planè dissimilia, imò quę prorsus inter se pugnāt: uidelicet in Deo summā charitatē, in nobis uerò summā ingratitudinem. Nam quomodo Deus amorē suum & beneuolentiam erga nos clarius significare potuisset, quàm filiū suum unicum nō solum pro nobis dando, sed etiā nos in se & per se omnium suorū bonorum, donorū & gloriæ, imò quemadmodum S. Petrus dicit, etiam diuinæ naturæ participes faciendo? Cōtra uerò, quomodo homines suā ingratitudinē maiori probro possent prodere, quàm quòd oblatam gratiam aspernantur, & contemnunt, & patiuntur ut Christus (quantum in ipsis est) frustra uenerit, frustra docuerit, frustra sanguinem fuderit, mortuus sit, quin frustra etiā spiritum sanctum miserit? Ad hæc patiuntur quoq; illū frustra clamare, uociferari, manum ad nos extendere, cor suum & gremium aperire. O infandam & execrabilem ingratitudinem! O ineffabilem bonitatem Dei, qui tandiu conniuere posset! Quis dominus suum ingratum seruum tam diu ferret? Imò quis pater filium suum ingratum tandiu sustineret? Quod si diligenter consideraremus, fieri non posset, quin in nos ipsos descensuri essemus, & eiusmodi ingratitudinis accusaturi, &c. Sed id quis curat? Quód Christus

Iohan. 3. semel de mundo dixit, id ita habere adhuc luce meridiana clarius est, nimirum quod plus tenebras quàm lucē diligat. Atq; utinam id mūdus tantū faciat. Quid si autē Christiani idem agant? Nónne clarissimè ac serenissimè nobis splen-

Lux Euangelij nobis orta est.

det lux Euangelij? Nónne Christus liberalissimè nobis medicinā prospexit contra omnes morbos animæ, idq; in Sacramentis? Cæterū ut afficimur erga uerbum Dei, sic quoq; afficimur erga Sacramenta. Necessarium propè esset, nos flagris cum ad uerbum Dei, tum ad Sacramenta impelli. Et licet accedamus, magno tamen cum tædio audimus uerbum Dei, utimurq; Sacramentis magna cum leuitate. Et hoc

hoc quid aliud est, quàm quod Christus dicit: Lux uenit in mũdũ, & dilexerũt homines magis tenebras quàm lucem, &c. Hac de causa, quoniam hodie præter uerbũ Dei, etiam Sacramentũ cõfirmationis porrigi solet, bonũ necessariũq; duco, ut nunc quoq; nonnihil de illo Sacramento in mediũ adferã, maximè propter iuuentutẽ, quò discãt, in quẽ usum & utilitatẽ hoc Sacramẽtum institutum sit. Porrò qui iustam ætatẽ attigerunt, ne eos quidem talis prædicationis de eiusmodi rebus pigere debet, quandoquidẽ dubium mihi nullũ est, quin inter illos plurimi sint, qui neq; Christianæ nostræ fidei, neq; Sacramẽtorum rationẽ reddere norint. Quos autẽ fructus ex Sacramentis referre potes, si nescias quid Sacramenta sint? Aut quomodo liberos tuos iis in rebus institues, quarũ ipse ignarus es? Et quid tandẽ ex hac negligentia aliud sequi potest, quàm aut contẽptus, aut abusus Sacramentorum? quæ duo certè plus iam uidemus, quàm è re omnium est. Etenim inueniuntur aliqui, qui omnia Sacramẽta penitus cõtẽnunt: alij iis ita fruũtur, ut præstaret si ab iis abstinerent. In recenti adhuc memoria habeo, quod superioribus tẽporibus sæpe multisq; uerbis indigentiã nostrã & leuitatẽ, quam circa Sacramentum altaris exhibemus, culpaui. Esset id nunc nõ minus necessarium, ut similiter facerẽ, circa Sacramentum confirmationis, cum uix res sit alia, ad quam minore cum deuotione & maiore leuitate accedimus, atque ad hoc Sacramentum. Nihil auditur aliud, quàm magnus clamor, nihil uidetur aliud, quàm immodicus risus & leuitas: accurrimus tanquam sues ad lyntrẽ, illic oratio locum nullũ habet, nulla illic Dei recordatio, leues accedimus, leues inde abimus. Sed quid cogitamus tandẽ fratres? Siccine agendum est in rebus diuinis? Talíne cũ cõtemptu tractandum illud est, quod Christus tanta cũ grauitate, tanta cũ seueritate, tanto cũ labore & impensis, quin etiam pretioso suo sanguine ad nostram salutẽ parauit? aut speramus nos impune laturos, quòd sic Deũ irridemus? An non sapientẽ audiuisti, qui dicit: Qui in altum mittit lapidẽ, super caput eius cadet? Scimus utiq;, quòd quò efficacior medicina est, hòc citius homini perniciem afferre, si non rectè utatur. Sic & beatus Paulus dicit, abusum Sacramẽti causam esse, quòd ex Corinthiis tot infirmarentur & imbecilles essent. Et quæ nostris temporibus causa alia est, quòd diabolus tam multum támque magnum in homines ius habeat

Confirmationis Sacramẽtum leuiter accedimus.

1. Cor. 11.

Ex contemptu

Sacramẽtorũ diabol⁹ in nos ius accipit.

beat, alios in hæreses & errores, alios in summam ignominiã præcipitans: alios intrinsecus, alios extrinsecus exagitãs, &c. nisi quod Sacramentũ cõfirmationis spernimus, aut illo tam leuiter abutimur? Hæ res me mouẽt, ut paulò fusius de hoc Sacramento dicendum cẽseam, attamen citra omnem subtilitatem, quo id simplex quisque possit intelligere.

Sequitur de Sacramento confirmationis.

Obseruanda.

MVlta circa Sacramentum hoc consideranda sunt, nimirum institutio eius & causa, utilitas eius, ceremoniæ & usus. Principiò ergo scito, Sacramentum istud non hominis esse inuentum, aut ab hominibus excogitatum: siquidẽ nullus id Pontifex instituit, nec nuper primum cœpit in Ecclesia, sed semper fuit in Ecclesia iam inde ab initio. Nam & S. Clemẽs, discipulus diui Petri, & Dionysius discipulus S. Pauli, de hoc Sacramento apertissimè scripserunt, imò ipsi apostoli Diuus Petrus & Paulus hoc Sacramento usi sunt. Sic enim legimus: Cum S. Philippus Samaritanos baptizasset, diuum Petrum ab Apostolis ad eos missum, man⁹ suas illis imposuisse, quo & ipsi spiritum sanctum acciperẽt, sicuti etiam fiebat. Porrò legimus de beato Paulo, quod passim ciuitates peragrabat, ubi anteà prædicauerat, & confirmabat animas fratrum credentium. Et quanquam id potissimum uerbis atq; etiam admonitionibus faciebat, impositione tamẽ manuum ad eã rem quoque usus est, ut & illius Actis patet.

Apostoli usi hoc Sacramẽto.

Quocirca uides, etiam Apostolos hoc Sacramento confirmationis cum impositione manuum usos esse: & quia Apostoli cum tanta seueritate baptizatis manus imposuerũt, dubium non est, quin eius rei mandatũ à Christo habuerint. Vnde & Christus in Euangelio illis toties spiritum sanctum, qui consolaretur illos ac cõfirmaret promisit, eúmq; statim post ascensionem suam in signo uisibili illis misit, quod ipsum nihil fuit aliud quàm confirmatio eorum: tum enim illis Christus manus uerè imposuit, cum spiritus sanctus super unumquemlibet speciatim ferretur ac sederet: tum illos quoq; uerè unxit, cũ illos gratia spiritus sancti perfudit, &c.

Hoc Sacramẽtum authorẽ habet Christũ

Atq; hoc pacto uides, Sacramentũ istud nõ solum à Sanctis Apostolis, sed etiã ac præcipuè à Christo ipso ortum esse ac prouenisse. Quicquid enim Christus Apostolis absque omnibus mediis cõtulit per spiritum S. in die Pentecostes, id ipsum quoq; postea reliquis hominibus cótulit per eos, tan

quam

quam per sua media, facitq; idẽ adhuc, largiẽs nobis per eorum ministeriũ gratiã spiritus sancti nos cõfirmantẽ. Hac de causa non hominis est, sed Dei institutio, quod circa Sacramentum hoc facimus Neq; huic contrariũ est, quod Ecclesia quædã ad ornamentum & maiorẽ existimationẽ hui9 Sacramẽti, imò ad clariorẽ significationẽ addidit: nã caput huius rei à Christo promanauit Hoc bene diligentérq; considera, & nunquã Sacramentũ hoc cõtemnes. Quis enim tã temerarius esset, qui Dei institutionẽ aspernaretur? Secundò, postquã manifestum est, Christum ipsum Sacramẽti isti9 authorẽ esse, certum quoq; est, nõ temerè id accidisse. nihil enim Deus inconsideratè & temerè facit, quod de illo certò existimare debes. Id quod nõ abs re moneo, quia nunc res eò deuenit, ut homines aliqui omnia opera Dei censere & existimare uelint iuxta humanũ carnalémq; intellectum, & quod ratione cõprehendere nequeunt, id reiiciunt ceu rem impossibilem ac inutilẽ. unde quosdã audimus dicere, Quî hęc fieri ita possunt? Quid hac uel illa re opus habemus? &c. Quid mihi confirmatione opus, inquiunt, cum baptizatus sim? Nónne Christus ipse dixit: Qui crediderit & baptizatus fuerit ille saluus erit? Sufficit igitur mihi baptismus ad felicitatem. Audi frater: Verũ utiq; est Christũ hoc uerbũ dixisse: nec hoc uerbo uerius quicquam, ídq; experti sunt hominũ multa millia, qui statim post baptismum diem suum obeuntes, ad felicitatem transierũt. Cæterum quod propterea hominibus, qui post baptismum ad tempus hic in terris uiuũt, nihil post amplius necessarium sit, falsum profectò est. Causa est, quod in baptismo spiritum sanctum tantummodo ad remissionẽ peccatorum & ad adoptionem Dei accipimus. Verum quibus diutius in terris uiuere datur post baptismũ, ij non solum opus habent remissione peccatorum, sed aliis quoque donis Dei, quo acceptam innocentiam conseruẽt, & diabolo resistere queant. Horum enim nullum ex nobis ipsis possumus. Sine me (inquit Christus) nihil potestis: quia homo per se propensus est ad malum, & imbecillis ad bonum: & licet baptismus tollat peccatum, non tamen tollit imbecillitatem naturæ. Ad hæc fortem admodùm & callidum habemus aduersarium, & qui nobis Christianis omnium maximè insidiatur. Simon (inquit dominus) ecce Satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticũ: ego autem rogaui pro te, ut nõ deficiat fides sua. Imitatur in hoc piratas q

Iohan. 15.

Baptismus tollit peccatum, non imbecillitatem nostrã.

naues uacuas trãſeunt,oneratas uerò opprimunt & populã tur. Sic cõtemnit quoq; diabolus mundi filios,tãquã inania & inutilia uaſa:at credẽtes, ut qui uariis bonis onerati ac pleni ſunt,ſpoliare ſtudet.quapropter ampliori gratia ĩdigem⁹, pręter gratiã remiſsionis peccatorũ.Pręterea nobis Chriſt⁹ poſt baptiſmum alia etiã Sacramenta inſtituit,inter quæ primum eſt cõfirmatio ſeu impoſitio manuũ ꝑ quod ſpirit⁹ S. datur ad fortitudinẽ & cõſtantiam. Et ſi poſt hãc etiam acceptam gratiã contingeret puſillanimem fieri,aliud adhuc Sacramentũ habet,nẽpe Sacramẽtum altaris, quo cõfert ſeſe: ſi in peccatũ labitur,habet Sacramẽtum pœnitentię:quod ſi corpus ægritudine afficitur, habet Sacramentum extremæ unctionis.In ſumma,baptiſmus hominẽ mundat à peccatis, & facit eum filium Dei,ſed tamen nõ plenè & integrè. Quẽadmodum infans,nuper in lucẽ editus æquè homo eſt,atq; alius adultus,ſed non ad omnia perfectus , nec enim loqui adhuc,laborare,& ratione uti nouit. &c.cęterum id cõſequitur ſuccedente tẽpore. Et ut filii Iſraël quanquã à tyrannide Pharaonis liberati erant,nondũ tamẽ erant in terra promiſſa,ſed lõgum illis adhuc iter reſtabat , & multæ tribulatiões expectandę erãt,cõtra quas eis Deus inſuper alia etiã dona mittebat,nimirũ manna,aquã quę ex petris oriebatur,& legem,&c. Sic etiã optimi Apoſtoli, & ſi lõgum tẽpus cũ Chriſto fuerant,opus tamen habebant ſpiritu S.qui eos cõfirmaret.Et tu quis es,qui arbitraris,unicum baptiſmum tibi ſufficere,nec aliud quippiam pręterea tibi opus eſſe? Si Chriſtus Apoſtolis nõ ſemel oĩa largitus eſt,ne mireris,ſi nec tibi ſemel oĩa dat in baptiſmo.Sed dicat hîc aliquis:quãobrem nõ
Rom. 9. facit nos perfectos in fide,cum id indubiè poſsit? O homo tu quis es qui reſpõdeas Deo? An nõ ſufficit tibi, quòd De⁹ nos primò introduxit in Chriſtianã Eccleſiã,& in filios adoptauit? Ille (inquam) ponit principium & fundamentũ, ídq; gratuitò,remittit nobis peccata,& adoptat nos ĩ filios. &c.

Dehinc autẽ uult,ut etiã nos manum adiiciamus,aliáque dona,quibus opus habemus,in aliis Sacramentis quęram⁹. Quare nõ eſt quod queramur , quòd Deus tot Sacramenta inſtituit,ſed multò magis illi gratias agere tenemur , quòd nobis tam liberaliter medicina atque mediis proſpexit, &c.

Tertiò, quoniã (ut modò dixi) certũ eſt , Sacramentum iſtud à Deo inſtitutũ eſſe,ídq; nõ abſq; ſingulari cauſa, dubitarè nemo poteſt,quin alicui uſui ſit, quẽadmodũ facile indi

catu

catu ac demõstratu est: uidemus enim quid Spiritus sanctus cum Apostolos confirmaret, in illis effecerit. Similiter uidemus, ad impositioné Apostolicarum manuũ, spiritum S. tandem datum esse. Nec refert, spiritum sanctum nunc in externis signis nõ dari, quéadmodum & uerbum Dei nihilo inefficacius est, quòd nunc téporis eiusmodi signa circa illud nõ fiant, ut olim. Priusquam fides spargeretur in populos, necesse erat etiam miracula fieri, & spiritum sanctum in externis signis dari, quo uerbi Dei & Sacramentorum maior existimatio esset: postquam uerò fides in populos sparsa est, miraculis amplius opus nõ habemus. Rogas porrò, quis usus sit huius Sacramenti? Respondeo, in hoc prodest, ut per septéplicem gratiã spiritus S. undiquaq; cõfirmemur, ut diabolo, mũdo & carni resistamus, ad omne bonum apti fiamus, malum uitemus, in accepta innocétia perseueremus, deiq; mãdatum seu uoluntaté perficiamus. An nõ autem uidetur tibi Sacramentum hoc ad multa cõducere? Reliquum est, ut pauca quædam de ceremoniis & ritibus, qui circa Sacramétum illud obseruãtur, dicam. Nihil quidem legimus sanctos Apostolos in hoc Sacramento usos esse, præterquam impositione manuum: attamen ceremoniæ nõ inanes sunt ac inutiles, quę circa illud usurpantur. Etenim primò Apostoli nullo quidé chrismate usi sunt: nam tum illo nõ erat opus, quia spiritus sanctus in signis uisibilibus dabatur, quod ubi cessauit, additum est chrisma, non tamen absq; singulari consilio & instinctu diuini spiritus, quo per hoc uisibile signum indicaretur, quid spiritus sanctus intrinsecus operetur: quoniã quidem chrisma ex oleo & balsamo conficitur, per quę duo significatur, quod per gratiam spiritus sancti, quæ in hoc sacramento confertur, cum lux fidei in intellectu conseruatur & perficitur, tum charitas in pectoribus nostris latius diffunditur, quo & proximo nostro bonum de nobis odoré præbeamus, &c. Ad hæc quoq; unctio ista indicat, nos in posterum semper in certamine contra hostem diabolum stare oportere, &c. Sic etiam docet nos crucis in frontem impressio, ne nominis Christi nos pudeat. Itidem alapa nos admonet, ut semper parati simus ad mala perpetiéda, patientérq; ferenda. Postremò restat, ut sacramento isto bene utamur. Ad quam rem requiritur primò, ut accedas non tanquam ad hominem, sed ad Deum ipsummet. Secundò ut agnoscas tuam ipsius imbecillitatem. Tertiò ut memor sis promissio

Cur Spiritus sanctus in externis signis olim datus.

Ritus cõfirmationis.

Chrisma.

Crucis impressio.

Alapa.

missionum Christi de confortante spiritu. Quartò, ut credas. Quintò, ut gratiam spiritus sancti cupidè expetas. Sextò, ut post acceptum sacramentum gratias agas, aut pro te ipso, cum tu ipse Sacramentum hoc accipis, aut pro illo, quem adducis. Hęc scitu necessaria sunt, quapropter iterum moneo, quisque uideat, ut rem tanto prouidentius tractet & agat. Est enim Deus noster ignis consumens, & Deus zelotes. Tum horribile est in Dei manus incidere. De⁹ det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

SEXTVS SERMO ITIDEM
de Sacramento confirmationis.



IN sancto Pentecostes die satis docui, quid homini Christiano tribus hisce feriis cogitandũ, loquẽdum, faciẽdúmq; sit, posteaquam festum illud Pentecostes nunc in nouo testamẽto longè aliã causam habeat quàm olim. Iudæos admonebat hoc festum legis, quæ data illis olim erat. Erat ea res utcunq; magna, & æterna memoria ac gratiarũ actione digna, quemadmodũ id Moses multis & prolixis uerbis
Deut. 4. expressit. De cœlo (inquit) te fecit audire uocẽ suã ut doceret te: & in terra ostẽdit tibi ignẽ suum maximum, & audisti uerba illius de medio ignis, quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos, &c. Et rursum: Te elegit dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis popu-
Deut. 7. lis super terrã. Et iterum: Non est alia natio tam grandis,
Psal. 147. quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Et Dauid: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Et
Baruch 4. Baruch: Beati sumus Israël: quia quæ Deo placẽt manifesta sunt nobis, &c. Tale tantúmq; beneficium acceptæ & datæ legis, Iudæis hoc festo considerandum erat; at uerò nos Christiani aliquid amplius adhuc expẽdendũ habemus, nimirum quomodo Christus hodierno isto die suæ Ecclesiæ, quã ĩ terris & inter medios hostes reliquerat, spiritũ sanctũ miserit, æternum illorum & summum consolatorem. multò autem hoc maius est, quàm scriptã tantùm legem accepisse. Quem uerò in modum nos de spiritu sancto loqui & cogitare deceat, in die Pentecostes indicaui. nempe quid spiritus sanctus sit, cur sic uocetur, unde uenerit, quantopere illo indigeamus, & quid in nobis operetur. Nũc hoc unũ
conside

considerabimus, nimirum per quod medium spiritus sancti participes fiamus, siquidé id omnibus hominibus scitu necessarium est, Paulo scilicet apertè dicente, nō esse Christi, qui spiritum Christi non habeant. Tum Christus ipse dicit, carnem esse ac manere, quicquid ex spiritu sancto renatum nō est. Atqui caro & sanguis regnū Dei possidere non potest, quapropter non satis est, scire quid spiritus sanctus sit, & qd in nobis operetur, nisi illius quoq; participes fiamus.

Per quod medium Spiritus sancti fiamus participes.

Rom. 8.

Iohan. 3.

1. Cor. 15.

Est autem Deus paratus omnibus hominibus hunc spiritum dare: Effundam, inquit, spiritū meum super omné carnem: & prophetabūt filij uestri & filiæ uestræ, &c. Quod autem maior pars hominum spiritum sanctum nō habeat, in culpa sunt ipsimet. Rogas, quibus rebus spiritus sanctus acquiratur? Respondeo, In Euāgelio audiuistis, quàm magnificè Christus fidem prædicet & commēdet, omnem nostrā salutem & felicitatem illi trāscribens. Qui credit, inquit, nō iudicatur. & qui credit in filiū Dei, nō peribit, sed habebit uitam æternā. Atqui nemo felicitatem consequi potest absq; spiritu sancto. Quod si igitur fides salutem affert ac felicitaté, certum quoq; est, illā adferre spiritum sanctum. Hunc in modū probat & cōmonstrat diuus Paulus suis Galatis, eos accepisse spiritum sanctū, nō per opera legis, sed per prædicationé fidei. Sic & ī alio loco dicit, Vos cùm audissetis uerbū ueritatis (Euāgeliū salutis uestræ) in quo & credétes signati estis spiritu ꝑmisionis sancto. Idcircò admirabatᷓ etiā Paulus in Actis Apostolorū, quòd Corinthi reperiret credétes aliquos, qui spiritum sanctū nōdū acceperant. Sed sufficit ne unica & nuda fides ad acceptioné spiritus sancti? Nequaquam. nā audi quid Christus hac de re dicat: Si quis diligit me (inquit) sermoné meū seruabit, & pater meus diliget eū, & ad eū ueniemus, & māsioné apud eū faciemus. Et rursum: Si diligitis me, mādata mea seruate. Et ego rogabo Patré, & aliū Paraclētū dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritū ueritatis, qué mundus nō potest accipere, quia non uidet eum, nec scit eū. Vos auté cognoscitis eum: quia apud uos manebit, & in uobis erit, &c. Audis, ad quos homines Deus uenire, & quibus consolatorem suum dare uelit? Nempe iis, qui uerbum Dei audiunt, seruant, & Christum diligūt. Quare tria aut quatuor habes, quæ necessaria sunt ad acceptionem spiritus sancti, nimirum uerbum Dei audire, credere, seruare, & Christum diligere,

Ioel. 2.

Gal. 3.

Act. 19.

Ioh. 14.

In Euangelio Lucæ aliud adhuc additur, nimirũ oratio. nã illic dicit Christus, patrem nostrum cœlestem de cœlo datu rum bonum spiritum petentibus se. Quod si igitur gratiam spiritus sancti expetis, audi uerbũ Dei, crede & serua illud, Christum dilige, & ora diligenter, alioqui frustra cãtaturus, Veni sancte spiritus, &c. nisi reliquas quoque partes adiungas. Atque hìc uidetis proculdubio, quæ causa sit, quòd toties spiritũ sanctũ inuocamus, nec tamẽ accipimus. Nempe quòd multi nostrùm neq; credũt, neq; diligunt, & uerbũ Dei neq; audiũt, neq; faciũt. Ad hósne uerò homines Christus ueniret? apud hósne moraretur? in hísne sua opera perficeret? Nequaquã. scriptum est enim, spiritũ sanctum abominari illos, qui in disciplina & sapientia tantum splendent, & subtrahit se ab illis cogitatiõibus, quę sine ĩtellectu sunt, & malitiæ inualescenti cedit, nec intrat spiritus sapientiæ in animũ malitiosum, neq; habitat in corpore criminibus obnoxio Quapropter speramus frustra gratiã & cohabitationem spiritus sancti, nisi alium animum & uitam induamus, imò nisi superius dicta capita à Deo petamus rogemúsque.

Sequitur breuis & Christiana institutio pro ijs, qui Sacramentum confirmationis accipere uolunt.

PRimò repetam id quod modò dixi, nimirum quòd uerbũ Dei audire, & fides ante omnia requiratur ad susceptionem spiritus sancti. Deinde etiam hoc pro fundamento esse uobis debet, quòd Christus uerbo suo & Euangelio externa quoq; signa appendit, quę Sacramenta uocamus: attamen non ea de causa, quòd illud uerbũ eius per se ipsum nõ sufficiat, sed ut imbecillitas nostra per hoc confirmaretur, quæ externis & uisibilibus rebus assueta, nõ facilè nudis uerbis fidem habet. Quapropter, cùm uerbum & Sacramenta concurrunt, tum sunt instrumenta & media, per quæ Deus spiritum suum impertit. At enim, dices, quorsum opus fuit, Sacramenta uerbo Dei appẽdere, cùm tamẽ uerbum & fides aliàs sufficeret? Ad hoc ita respõdeo, O homo
Rom. 9. tu quis es, qui respondeas Deo? Meritò gratias agere Deo debebas, quòd imbecillitati nostræ tantum concesśit, & omnibus modis promouit nos ac prouidit, & tu primũ cum illo contendes? Quo autem magis erga Sacraméta afficiaris, primùm in genere fructum & utilitatem Sacramentorũ tibi indicabo. Etenim primò ædificant, conseruant, & probant

Fructus Sacramentorum qui.

bant fidem. Secundò, magnam nobis præbent fiduciam erga Deum, propter bonitatem & gratiam in nos, qui nobis tale pharmacopolium tot preciosis támq; uariis medicinis impletum instruxit. Tertiò, inflāmant nos ad tam benignū támque beneficum Deum redamandum. Quartò prębent homini, in uia adhuc ad felicitatem tendenti salutare exercitium, ne ocietur & pereat. Quintò, ueluti nos manu ducunt ab externis & uisibilibus, ad inuisibilia & interna, & attollunt animos nostros in cœlum. Sextò, deprimunt & humiliant superbum humanum spiritū sub externis signis, dū in Sacramentis docet, media, medicinam & auxilium quærere, etiam per ea, quæ sub illo sunt. Postremò quoq; signa sunt, per quæ inter nos mutuo cōglutinamur unimúrq;, &c.

Vides iam, quam Sacramenta nobis adferant utilitatem. quapropter diligēter caue, ne ea despicias. Sed de his aliàs. nunc tantum de Sacramento cōfirmationis dicā. Sed quæritur hîc primùm, ubi Sacramentū istud fundatū sit? Ad hoc respondeo, in Luca & in Actis Apostolorū, ubi Christus pręcipit suis discipulis, ne ab Hierosolymis discederent, donec induerentur uirtute ex alto, & baptizarentur in spiritu sancto: tum enim temporis Apostoli confirmati sunt, cùm spiritus sanctus sup eos ueniret. De iisdem Apostolis legimus, quòd illos qui baptizati erant, cōfirmauerunt. Sic enim scriptum est: Paulus & Barnabas reuersi sunt Lystrā & Iconiū, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantésque ut permanerent in fide, & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et rursum, Perambulabat Paulus Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorū & seniorum. Item, Perambulans ex ordine Galaticam regionē & Phrygiam, confirmans omnes discipulos. Facta est quidē confirmatio hæc potisśimū uerbis & adhortationibus, sed tamen externis quoque signis, nimirum per impositionem manuum, quemadmodum id clarisśime habes Act. 8. & 19. Est autem certum, optimos Apostolos id non propria fecisse authoritate, sed iussu & mandato Christi. Alioqui ad impositionem eorum manuum, spiritus sanctus datus nō fuisset. Hinc liquet, sacratisśimum Sacramentum confirmationis abūdè fundatū esse in sacris literis. Nec refert, quòd primò nuda tantùm impositio manuum fuerit adhibita, nunc uerò etiā chrisma adhibeatur, siquidē in utroq; munere est

Luc. 24. Act. 1. Act. 14.

impositio manuum, nec tum necesse erat, per chrisma signi ficare, quid gratia Dei intrinsecus conferret & operaretur, quando spiritus sanctus in externis signis ad impositioné manuum dabatur. Verum ubi cessabat præsentiá suá uisibiliter exhibere, additū est chrisma, nō absq; instinctu spiritus cœlestis, ut per hoc indicaretur gratia, quę in hoc sacramēto cōmunicatur. Sed dicis nunc, Quid opus fuit hoc nouo sacramento? Nónne sufficit spiritū sanctū semel accepisse? Nónne sufficit baptizatū esse? Respōdeo, baptismus sufficeret quidē ad felicitatem, si mox ut accepimus, nobis ex hac uita migrandum foret. nam in baptismo per spiritū sanctum à peccatis mūdamur, & pro filiis suscipimur. Quoniam uerò post baptismum, posteaquam rubrū mare trásiuimus, in desertum huius mūdi uenimus, in quo cum internis & externis hostibus, priusquam in terrá promissam ueni mus, semper certare & belligerari nos oportet, nimirū cum carne, mūdo & diabolo, opus pfectò habemus maiori ampliorīq; gratia, quéadmodū id argumētis plurimis cōuinci potest. Primò enim certū est, apostolos fuisse baptizatos, & spiritū sanctū ad remissioné peccatorū accepisse, attamé illis mādabatur, ut expectarent, donec induerētur uirtute ex alto. Similiter Christus ipse dicit in Iohanne ad apostolos,
Ioh. 20. Accipite spiritū sanctū, &c. quo uerbo illis spiritū sanctū insufflauit. Postea uerò in die pentecostes, dedit eis spiritū S. ad fortitudinē. Ad hæc hominis Christiani officiū est, credere & cōfiteri. Multi auté eorū credūt, q tamé cōfiteri nō au sint. quapropter ad cōfessioné noua gratia reqritur, quę ad eá nos animet. Porrò certū ac uerū est, nos in baptismo p filiis Dei & cohæredibus Christi suscipi, uerūtamen hæreditatem illá amittere rursus possumus. Qua de causa opus habemus curatore seu tutore, qui talé nobis hæreditaté conseruet. Is auté est spiritus sanct⁹. Similiter in baptismo quidem maiores sumus, imò omnium bonorū Christi participes, sed longū adhuc iter, & per medios hostes nobis cōficiundum est: hac de causa iterum noua gratia opus habemus, &c. Itē, post baptismū à nobis requiritur, ut Dei mandata seruemus, crucé patienter feramus, cōtra diabolū pugnemus, dimicemúsque. Harum autem rerum nullá possumus ex nobisipsis, & nostris uirib⁹ facere ac declarare. quo circa rursus noua indigemus gratia. Postremò certum est, nos gratiam in baptismo acceptam, penitus perdere posse, quemad

quemadmodũ illud apertè uidere est in Simone Mago, atque ideo opus habemus spiritu sancto, qui nos corroboret. Act. 8. Ex his omnibus apertum est, non sufficere spiritum sanctũ accepisse in baptismo. nam illic mihi datur ad remissionem peccatorum. Vnde & Christus non solum in baptismo spiritum nos renouantem nobis dare uoluit, sed etiã in cõfirmatione spiritum cõfirmantem impartire, qui tamen nõ alius sed idem spiritus est, quem etiam in baptismo accepimus, nisi quod in baptismo innocentiam, in confirmatione uerò fortitudinem ac augmentum gratiæ præbeat. Quatenus ergo in baptismo appellatur spiritus renouationis seu regenerationis: quatenus autem in confirmatione confertur, uocatur cõsolator, doctor, custos & defensor. Ad significationem illius spiritus, Deus etiã olim Israëlitas, posteaquam eos iam per mare rubrum duxerat, omnésque eorũ hostes in illo submerserat, aliis quoque rebus confirmauit in deserto, utpote cum nube illis præeunte, & defendẽte illos, & igni, qui illis prælucebat per noctẽ. Deinde quoque cibatione panis, quẽ illis de cœlo, & aquæ, quam eis ex petra dabat. Eundẽ quoq; in modum etiã Christus post baptismum multa alia dona ac munera spiritus sancti nobis reliquit, quibus conseruat nos & confirmat, ne callido incursu diaboli superemur. Quod si igitur rogeris, quãobrem cõfirmeris? Responde, ob id ego facio, certũ quippe habeo, me baptizatũ esse, nec ignoro præterea, me adhuc multo infortunio & hostibus obnoxiũ esse: scio me ꝑ meipsum infirmũ esse ad faciẽdũ bonũ, ad cauẽdũ malũ, ad resistendũ diabolo, & ad portandã crucẽ, idcirco accedo, quærens ac petẽs gratiam & fortitudinem à Deo per medium, per quod olim hanc confirmantem gratiam baptizatis dedit, &c. Hunc in modum, de sacramento isto confirmationis credere & existimare oportet. Duæ autem res ad susceptionem huius sacratissimi sacramenti requirebantur, nimirum naturale ieiunium, & confessio peccatorum. Inter quæ duo etsi prius illud in usu esse desiit, alterũ tamen intermitti nullo modo debet, ne in conscientia nostra inueniatur, quod spiritũ sanctum impediat. Deinde sacramentum hoc cùm accedis, intimum confirmantis gratiæ desiderium te habere, & esse apud te humilitas cordis & oratio debet, maximè uerò fidem inuictam habere debes, quæ non dubitet de diuinis promissionibus. Postremò & post acceptum sacramentum,

gratia

gratiarū quoq; actio requiritur, nimirū ut ille, qui eiusmodi Sacramētū accepit p omnē uitā sit memor, qđ signū Christi in frontē impressum accepit, & in illius uexillū iurauit. Atq; ideò caueat, ne à Christo desciscat, neq; hostib⁹ sese dedat, sed fortiter pugnet, neq; dubitet, quin auxiliū cœlitus sit experturus, &c. Quod ni faciat, corā Deo & Ecclesia pro desertore & perfido habebitur. Hoc circa Sacramentū istud consideremus, quam ad rem nobis omnibus Deus suam gratiam concedat, Amen.

FERIA TERTIA

PENTECOSTES, EVANGELIVM IOHANNIS X.

AMen amen dico uobis, qui nō intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocē eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illū sequuntur, quia nouerūt uocem eius. Alienum autē nō sequētur, sed effugiēt ab eo: quia nō nouerūt uocem alienorū. Hoc prouerbium dixit eis Iesus, illi autē nō cognouerunt quæ essent quæ loqueretur eis. Dixit ergo eis iterū Iesus: Amē amē dico uobis, ego sum ostiū
Ezech. 34. ouiū. Omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & latrones, sed nō audierūt eos oues. Ego sum ostiū: per me si qs introierit, seruabit, & ingrediet, & egredietur, & pascua inueniet Fur nō uenit nisi ut furet, & mactet, ac perdat. Ego ueni ut uitā habeāt, & abūdātius habeāt.

EADEM DIE, EPISTOLA ACT. OCTAVO.

Cum autem audißent Apostoli, qui erãt Hierosolymis, quòd recepisset Samaria sermonem Dei, miserunt ad eos Petrum ac Iohannem. Qui cùm descendissent, orauerunt pro ipsis, ut acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum illapsus fuerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Christi Iesu. Tunc imponebant manus super illos, accipiebantq; spiritum sanctum.

PRIMUS SERMO DE PRIma parte hodierni Euangelij.



EST hodie tertia dies, quod nobis de aduentu & effusione spiritus sancti canitur & prædicatur, id autẽ sanè fit non alia de causa, quàm ut Deo pro tali dono ac gratiã tãto magis ex animo gratias agamus, gratiam spiritus sancti tanto feruentius quæramus, nostraq; corda & animos ita instituamus paremusq;, ne spiritus sanct⁹ abhorreat apud nos & in nobis habitare. In hoc enim cõsistit omnis nostra salus. Et qui spiritũ Christi nõ habet, hic nõ est eius. Tale bonũ est spiritus sanctus, ut qui illum habet, etiã ex homine, hoc est, ex misera creatura angelus & cœli cõsors, imò filius Dei fieri, contra uerò qui eũ perdit, ex angelo etiã diabolus fieri possit, hoc est, ex felici creatura, imò ex consorte cœli, in abyssum inferni detrudi. Id utrobiq; loci re ipsa cõpertum habetur. Quis in loco sublimiori sedebat, quàm Lucifer, de quo Ezechiel dicit: Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decôre. In deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis preciosus operimentũ tuũ. Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in mõte sancto Dei, in medio lapidũ ignitorum ambulasti. Perfectus in uiis tuis à die cõditionis tuæ, donec inuẽta est iniquitas in te. Sed quid dicit Christus? Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. E diuerso quis profundius iacebat homine? Iam non estis hospites & aduenæ: sed estis ciues sanctorũ & domestici Dei. Et iterum:

Rom. 8.

1. Cor. 6.

An

An nescitis quoniam sancti de mũdo iudicabunt? Rursum: Cum Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos apparebitis cũ ipso in gloria. Vide, hoc habemus ex cohabitatione & gratia spiritus sancti. Nónne ergo hominẽ bonũ ea res exhilaret? Nónne meritò hospiti tam honesto ostiũ & portã aperiat in corde suo? Nónne quotidie oret ac inuocet, Veni Sancte spiritus, reple tuorũ corda fideliũ, &c. Et iterum: Veni Pater pauperũ, ueni datur munerũ, ueni lumẽ cordiũ, &c. Et quanquam, ut superius dixi, spiritus sanctus adest, Christus illũ nobis cõparauit. Ego (inquit) rogabo patrẽ, & alium Paraclêtũ dabit uobis, &c. Hoc fecit Christus in sacra
Act. 2. sua passione, qua eiusmodi Dei donũ nobis acquisiuit. Tũ etiam scimus, quod in sancto die pentecostes spiritũ illum sanctum miserit ac dederit, nõ occultè, ut nũc facit, sed ita, ut quiuis intelligere posset. Apostoli sentiebãt in seipsis peculiare quoddã solatium, gaudiũ & confirmationem, obliti omnis prioris suæ pusillanimitatis, pro nihilo ducẽtes quicquid ante timuerant. Fateri & alij cogebãtur, se antea simile nunquam uidisse. Nónne, ecce omnes isti qui loquũtur, Galilęi sunt? & quomodo nos audiuimus unusquisq; linguã nostram, in qua nati sumus? Ita palã Christus spiritũ sanctũ
Ioh. 14. mittere uolebat, ut omnes homines Hierosolymis cognoscerent. cũ in promissis suis nõ fefellisse. Quod ergo tum palam fecit, id nunc facit modo occulto. Spiritus S. indubiè in ecclesia est inter credẽtes. apud hos enim æternũ manet, corda nostra inhabitare cupit, & semper pulsat. Primò, magno sonitu minarum suarum & legis: secũdò, igneis linguis Euangelicę prædicationis. Si itaq; ueri esse Christiani uolumus, nobis bene cõsulere, in hoc & in illo seculo beati esse, ne aspernemus hũc hospitẽ, sed occurramus ei, aperiamus corda nostra, omnémq; adhibeamus diligẽtiam ut eũ conseruemus. Tum autẽ illi occurrimus, cũ illius gratiã & consolationem expetimus: tum aperimus corda nostra, quãdo
Psal. 107. cum Dauide dicimus: Paratum cor meũ Deus, paratum cor meum. Tum autẽ cõseruamus eũ, cum in charitate & pace manemus. Quia ergo hodie tertiã pẽtecostes nostræ diem habemus, merito certè ad tertiã illã partem peruenisse debebamus, ut posthac cogitaremus, quo pacto spiritum sanctum retinere queamus. Primo nanque die occurrisse illi debebamus deuota oratione: altero die in uera obedientia coram illo comparuisse nos decebat: Hodie uerò ore simul

mul & corde nos orare ac dicere cōgruebat: Cōfirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. A téplo tuo in Ierusalé, hoc est, in sancta Christiana Ecclesia. Et qd Deus illic operatus est? Sanctos Apostolos aliosq; credétes cōfirmauit, muniuitq; scuto fidei, gladio uerbi diuini, & armis charitatis. Idé hoc in nobis quoq; confirmare digneris ó Deus, ut scuto fidei omné pusillanimitaté, gladio diuini uerbi omné erroré, & armis charitatis omnia externa aduersa penetrare queamus. An non auté uidetur tibi hęc optima cōclusio pentecostes festorū? Sed unū adhuc interim obserua, spiritum sanctū nusquā inueniri quàm in una catholica Ecclesia, & à nemine alio quàm ab iis, qui per uerū ostiū, hoc est, per Christū intrant. Quod si ex hoc ouili profugeris, nullá in Christo parté habebis. Sin aliud quæris in Ecclesia quàm Christū, rursum errasti. Atq; hoc est, quod Christus in hodierno Euangelio docet, ob id pro reliqua parte huius sermonis, prima uerba illius Euangelij audiemus excutiemusq;. Amé amé dico uobis, qui nō intrat per ostiū in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro, &c. Prima hæc sunt uerba hodierni Euangelij. Hic bono Christiano diligenter considerandum, quàm Christus simplicibus similitudinibus cœlestem suam doctrinam & diuinam sapientiam abscondat tegatq;, quo uerum faciat, quod Paulus dicit: Euangelium Christi esse mundi sapientibus stulticiam. Enimuero coram mundo nihil custode pecoris abiectius: tum ouis animal tam simplex est, ut etiam prouerbium inde natum sit, Ouium mores. Attamen Christus æterna sapientia Dei, tam simplicibus utitur similitudinibus. Et quia huius illum rei nō puduit, nec nos pigere debet, illius similitudines omni cū diligentia disquirere. Et primo certum est, Christum per oues alium neminem intelligere, quàm suos credentes. Hoc enim nomine sæpe multumq; appellantur in scripturis, uti Dauid ait: Ipse est dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius. Sic Deus in Ezechiele de suis credentibus: Ego ipse requirā oues meas. &c. Et in Zacharia: Percutiā pastorem, & dispergentur oues. Ideo auté nos Deus uocat oues suas. Primò, admonet nos nostrę imbecillitatis. Nullū quippe inter omnia animātia est, qđ fideli pastore magis opus habeat, quā ouis, ut quæ neq; robur habeat, quo defendat sese, neq; arma, quibus iniuriā repellat, neq; prudétiam, ut sese occultare posit, neq; celeritaté, ut pos

Psal. 67.
Eph. 6.
Ioh. 10.
Simplicitas doctrinæ Christi.
1. Cor. 1.
Psal. 94.
Ezech. 34.
Zach. 13.

posſit effugere. Tales nos quoq; natura ſumus & ex nobis ipſis, neque nobis auxiliari ipſi, neq; conſulere poſſumus, neq; tueri, neq; peccata & damna cauere, &c. ſi fidelẽ paſto- *Ioh. 15.* rem non habeamus. Sine me nihil poteſtis facere, inquit Chriſtus. Secundò docere per hoc etiam nos uult Chriſtus, quibus moribus ac uirtutibus ornati eſſe debeamus. Etenim ouis animal manſuetum eſt, quod neminẽ lædit, nec cuiquam nocet: patiẽs animal, quod nõ clamat & queritur quibuſcũq; modis tractetur: animal utile, quod lac, lanã, & carnem dat, imò in quo omnia fructuoſa ſunt. Tales nos *Rom. 12.* etiam eſſe oportet Chriſtianos. Nemini ut malè, ſed omnibus benè faciamus, ſimusq́; patientes in omni aduerſitate, nulli malũ pro malo reddamus, non murmuremus contra Deum. Per ouile intelligit Chriſtus Eccleſiam ſeu cõmu- *Ouile myſticũ quod ſit.* nionem credentiũ, neq; id iniuria. Nam primò, ut ouile bene cuſtoditũ munitũq; eſſe oportet, ut oues tutæ ſint à lupo: ita Euãgelici paſtoris eſt, uidere ut Eccleſia eius & con- *Ezech. 13.* gregatio fideliũ ſecuri ſint à rapacibus lupis hæreticis, imò ſe ipſum murũ ſtatuere debet cõtra hæreticos & tyrannos, *Iohan. 10.* ueluti Chriſtus docet, Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Secũdò, quemadmodũ ouile calidũ eſſe oportet, ut præ frigore manere poſsint: ita Euãgelicus paſtor curare ante omnia debet, ut calor amoris primũ in eo ſentiatur deprehendaturq́;, quemadmodũ Chriſtus ad Petrum di- *Ioh. 21.* cit: Si amas me, paſce oues meas. Deinde etiã, ut dilectionẽ *1. Ioh. 4.* & concordiam foueat inter ſibi commiſſos. Hic calor eſt iſtius ouilis. Deus charitas eſt (inquit Iohãnes) & qui manet in charitate, in deo manet, & Deus in eo. Tertiò, quomodo ouile mundum ac nitidum ſit conſeruandum, ne oues ſcabie inficiantur, & morbidæ fiant. Eundem quoq; in modum Euangelicus paſtor & animarum curator apprimè curare debet, ne quid in ſua Eccleſia immundi ſit, feraturq́;, unde alij offendi poſsint, & occaſionẽ ad peccandum accipere. Sancti eſtote (inquit Deus) quia ego ſanctus ſum do- *Leuit. 19.* minus Deus ueſter. Et Paulus: Neſcitis quia modicum fer- *1. Cor. 5.* mentum totã maſſam corrumpit? Expurgate uetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio. Hoc poſtea aliis uerbis exponit clarioribus: Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiẽs, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cũ eiuſmodi nec cibũ ſumere debetis. Auferte malũ ex uobis ipſis. Quartò, quẽadmodũ in ouile habere oportet,

quod

quod ouibus substernatur ad capiendã quietẽ: ita Euangelicus pastor ante omnia mãsuetus ac humanus esse debet erga subditos suos. Discite à me (inquit Christus) quia mitis sum & humilis corde. Et Paulus: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Sic faciebat Petrus in primo concilio, nolẽs permittere, ut credẽtib⁹ graue Mosaicæ legis on⁹ rursum imponeretur. Cõtrariũ autẽ faciebãt, de quibus Christus dicit: Alligãt onera grauia & importabilia, & imponũt ĩ humeros hominũ: digito autem suo nolunt ea mouere. Sic Ezechiel de Iudaicis pastorib⁹: Cũ austeritate (inquit) imperabatis ouibus meis, & cũ potentia. Idẽ hoc facere conabatur Roboã: Pater meus (inquit) cęcidit uos flagellis, ego autẽ cædã uos scorpionibus. En, hi nõ cogitabant, ut molle stramentũ haberent in suo ouili, nec misericordia & mansuetudine erga suos mouebantur. Quintò, ut in ouili ante oĩa pabulũ requiritur: ita Euãgelicus pastor ante omnia id agere debet, ne quis defectus sit in sua Ecclesia & congregatione, spiritualis cibi, uerbi diuini. Ne in ipso cõpleatur, quod Ieremias dicit & queritur: Paruuli petierunt panẽ, & nõ erat qui frangeret eis. Postremò quemadmodum ouile latitudinẽ suam habere debet, & tamen clausum esse, ut oues sat loci habeant, nec tamen dispergantur: ita Euãgelicus pastor curã gerere debet, ne oues eius disiiciantur, sed in unũ collectæ maneant. nã quæ relicto ouili aberrauerit, incidit lupo in manus. Quapropter dicit Dauid, non solum bonum esse, sed etiã iucundum, fratres habitare in unũ. Tũ Paulus ubiq; monet, ut idipsum dicamus omnes, & nõ sint in nobis schismata. Tantũ de ouib⁹ & ouili. Ianua in hoc ouile est Christus, aut etiã uerbum Dei, & sacra scriptura. Ea enim ad Deũ nos ducit, aperit nobis cognitionẽ Dei, facit ut ueræ simus oues Christi, pascua nobis præbet læta, lupũ prohibet, quo min⁹ irruat aut irrumpat. nã ut fortis ianua hæreticos arcet, in pace nos cõseruans. Per ianuam quoq; intelligere possum⁹ legitimũ ingressum & uocationẽ ad spiritualia munia & Prælaturas, de quo postea. Custos ianuæ uel ostiari⁹ est Christus. Is quidẽ cum in terris adhuc ageret, in speciẽ uidebatur paruum & humile ostiolum, at nunc uerò posteaquã in cœlũ ascendit, & hominibus sua dona distribuit, imò alios Apostolos, alios Euangelistas, &c. constituit, nõ solum ianua est, uerum etiam custos ianuæ. Quinimò ut non modò uia, sed

Matth. 11. *Gal. 6.* *Act. 15.* *Matth. 23.* *Ezech. 3.* *3. Reg. 12.* *Thren. 4.* *Psal. 132.* *1. Cor. 1.* *Ianua ouilis mystice.* *Ostiarius mystice.* *Eph. 4.*

Ioh. 14. etiam ueritas ac uita est: ita quoque non solum ianua est, uerum etiam custos ianuæ, atque adeò pastor ipse & pascuum. Verè autem spiritus sanctus est custos ianuæ; hic enim anteuertit & emollit per suam gratiam corda credentium, quo
1. Cor. 16. externum uerbum Dei & prędicatio locum in illis inueniat, & fructum ferat. Hoc experiebatur Paulus cum ait: Ostiũ mihi apertum est magnum. Sic etiam ad alium dicebatur: Ecce
Apoc. 3. dedi contra te ostium apertum, quod nemo potest claudere, &c. Tum autem nobis Spiritus sanctus magnum ostium aperit, cum nobis dat intellectum diuini uerbi, cúmque sua præueniente & sequente gratia facit, ut fructum generem⁹. Hæc in genere dicta sunt de similitudine, quam Christus in hodierno Euangelio introducit, quæ ad id nobis inseruire debet, ut in domo, in Ecclesia remaneamus, ubi Christus ostium, & spiritus sanctus custos ostij est. Atque hic omnium maximè securi sumus, hic optimum pascuum inuenimus.
Ioh. 6 Domine (inquit Petrus) ad quem ibimus? Verba uitæ æter-
Psal. 99. næ habes. Domine (inquit) non recedimus à te, uiuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Ad hoc nobis initiũ huius Euangelij inseruire debet. Deus det nobis omnib⁹ suam gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO DE *altera parte huius Euangelij.*



AVDIVIMVS proximo festo, quomodo Sãcti Apostoli primum Pentecostes diem noui testamenti obseruauerint. Sanctum & pium erat quicquid cogitabant, loquebantur ac faciebant, imò res in mundo fœlicem successum spondebat. nam eo ipso die tria hominum millia baptizabantur. Veruntamen Lucas unum addit, quod miserandum
Act. 2. dum meritò uel potius deplorandum est, nimirum quòd inueniebantur tamen, qui Apostolos irriderent, pro temulentis eos & plenos uino atque musto habentes. Et q̃ anquam Petrus omnium rerum satis euidentes rationes indicabat, frustra tamẽ id fiebat. Maior enim pars hominũ absq; fructu inde abibat. Hoc, inquã, miserãdũ est, quòd talia audirẽt ac uiderẽt, cuiusmodi ab mũdi initio nũquã uisa aut audita fuerãt, nec tamẽ quicquã meliores fierent. De hac ingratitudine & duritie hominũ, Christus quoq; in hesterno Euangelio

gelio questus est, eámque taxauit, ubi ait: Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. *Iohan.3.*

Simile quoq; experiebatur Paulus. nam quum argumẽtis omnium ualidissimis rationem suæ fidei & doctrinæ coram rege Agrippa redderet, nihil inde referebat aliud, nisi quòd pro insano & fatuo habebatur. Idem nunc quoq; accidit. Tertia dies est hodie, quòd filij Dei gaudẽt aduentu & effusione Spiritus sancti. Quot autẽ inueniuntur uel inter Christianos, qui eiusmodi gaudium bonorum irrident? Nec desinunt, etiamsi quotidie illis causa huiusce gaudij ostendatur. Quia enim ipsis res diuinæ curæ non sunt, derident etiã omnes eos, qui rebus diuinis occupati sunt. Quid igitur faciẽdum? Ideóne festa nostra intermittemus? Nullo modo. Nã si etiam sancti Apostoli in cõmune, & Paulus speciatim, propterea non destiterunt à bono, quòd à mundi filiis irridebãtur. Opto apud Deum (inquit Paulus) rex Agrippa, nõ tantũ te, sed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego sum. Sic & nos facere oportet. Optare & precari debemus, ut oẽs homines nobiscum Dei gratiã agnoscant prædicéntq;. Quod si alij id facere renuunt, Deo cõmittẽdi sunt, nos uerò ob id bonũ intermittere haudquaquã cõuenit, & maximè, quum quotidie nouas exhortationes habeamus. *Act. 26.* *Ibidem.*

Siquidem singuli huius septimanæ dies propriũ suũ Euãgeliũ habent, quorũ etiã unumquodq; peculiare quiddã docet. Vtpote primo die audiuimus, mundũ nouum & ingens donũ de cœlo accepisse, nẽpe spiritũ S. Heri audiuimus, cui id doni acceptũ ferre debeamus. In hodierno Euãgelio rursum aliud audimus, nimirũ ubi spiritus S. inueniendus sit, & qui sint illi ad quos uenit. Cæterũ hodiernũ istud Euangelium de unico ouili dicit, in quo spiritus sanctus inuenitur: de unico populo, qui præsentia illius ac cohabitatione dignus est, eiusque capax: atque de uno pastore, cui tuto fidere possumus: item de uno ostio, per quod nobis ingressus ad uitam & salutem datur. Sunt autem hæc eiusmodi, quæ scire planè necesse est. Rogas itaque, quod illud unicum ouile sit, in quo spiritus sanctus inuenitur? Est Sancta, unica, uniuersalis Apostolica Ecclesia. Rogas secundò, quis ille unus pastor sit, cui tuto fidere, & quem sequi sine periculo possumus? Est Christus Dominus. Rogas tertiò, quis ille unus populus sit, qui spiritus S. capax sit? Sunt ouiculæ Christi, audientes uocem eius, eúmque sequentes. *Iohan.3.* *Iohan. 10.* *Ouile.* *Pastor.* *Oues Christi.*

Ostium. Rogas quartò, quod sit illud unum ostium, per quod ad uitã ingrediamur? Est rursum Christus, aut fides in Christũ. Hæc omnia scire oportet: alioqui enim unusquisq; nouã instituere Ecclesiã uellet, nouum pastoré sibi ipsi proponere, & nouã uiã, ostium seu ingressum ad uitam cogitare ac facere, queádmodum iam inde ab initio multum & sępe factum est, & adhuc fit. Quapropter ex hodierno Euangelio hæc quatuor discenda nobis sunt, nimirum qui Spiritum sanctũ cupit, is illum in Sancta Christiana Ecclesia quærat oportet: qui errare & in lupum incidere nolit, is in hac caula maneat: qui tutus esse uult, is Christũ agnoscat pro suo pastore, atq; eum sequatur. Deniq; qui saluus fieri desiderat, is uia ingrediatur, & per ostium quod Christus monstrat. Sed audiemus quid Christus eiusmodi de rebus dicat in hodierno Euãgelio. Primò, similitudo huius Euangelij dicta proprie est cõtra Iudaicos Pharisæos: nam ij uidebantur sibi audire & docere uerbum Dei, pastores & animarum curatores sese profitẽtes: at Christus demõstrat, eos nihil aliud esse, quàm fures & latrones in caula Dei. Amen amé dico uobis, inquit,

Ibidem. qui non intrat per ostiũ in ouile ouium, sed ascendit aliũde: ille fur est & latro. Tangit hic nimirũ Iudaicos Pharisæos: cõuincit eos & demonstrat, illos non esse ueros pastores, maximè ex eo, quòd non per uerum ostium ingressi erant. Principiò enim reiiciebant Christũ, qui unicum ostium est & uia

Iohan. 14. ad patré, nolentes per illum ingredi, nec alios ad Christum admittentes, quantum obstare poterant. Secundò scripturã haud rectè docebant. nam per legem Moysi, quæ sola peccata indicat, promittebant hominibus salutem, imò suas ipsorum constitutiones rigidius obseruabant, quàm Dei pręce-

Matth. 15. ptũ. Tertiò, nec legitimè ad sacerdotiũ uenerant. non erant

Heb. 5. à Deo uocati, ueluti Aaron, sed cõtentione se ipsos ingesserant, aut pecuniis sacerdotiũ emerant, quemadmodum de Caiapha dictũest, fuisse illum primarium sacerdotem eius

Iohan. 11. anni. Non solũ autem cõuincit eos Christus, non esse ueros pastores, sed etiã demonstrat, fures eos esse & latrones. siquidé dolo & fraude animas seducebãt capiebãtq;, & ui, fastu magnóq; supercilio populo Dei imperabant. Atque hic uide, quàm res sit formidabilis, ubi Deus in ira sua incipit loqui cõtra peccatores. Hic enim euenit id quod in Isaia dicit:

Esa. 24. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. Dehinc primũ istud uerbum cõtra oés falsos Christianos

destina

destinatũ est: nã illic docet Christ⁹, eos tãtũ ueras oues, hoc est, ueros Christianos esse, qui p Christũ ingrediuntur, hoc est, q in ipsũ credũt. Cęterũ q ĩ Christũ nõ credũt, ij nõ oues sunt, sed lupi, imò fures & latrones, q suo tẽpore eiicientur, etiã si inter medios lupos sint. Dicetur enim ad eos, amice, quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem? Maximè uerò tangit Christus hoc uerbo eos, qui non quo decet ordine, & per uerum ostium ingrediuntur ad spiritualia munia. Hi primum sunt ij, qui neque à Deo, neq; ordinaria potestate uocantur, sed ingerunt sese, precibus, minis, donis aut promissionibus, ui aut armis, uel etiam Simonia & quæstu Ecclesiastico, haud memores uerbi illius, quod Petrus dicit ad Simonem Magum: pecunia tua sit tecum in perditionem. Item quod Paulus dicit, Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui uocatur à Deo tanquam Aaron. *Matth. 22.* *Act. 8.* *Hebr. 5.*

Secundò sunt ij, qui neque Dei honorem, neque animarum salutem quærunt, sed ex cæca ambitione, gloriam tantum aucupantur, aut lucri cupiditate diuitias quærunt, ut in otio & uoluptate possint uitam agere. Tertiò sunt ij, qui perperam & falsè docent, & aliam uiam ad fœlicitatẽ, quàm per Christum faciunt ac defendunt. Atque ita inuenimus inter tales homines aliquos, qui Ecclesiastica officia pecuniis redimunt, ut olim Iason faciebat, & Simon Magus fecerat, Act. 8. Alij pro pecunia uendunt, quemadmodũ Giesi minister Helisei, alij prædantur, ut faciebat Alchimus in libello Machabęorum: alij per seditiões magna captant munia, ut Chore, Dathan, Abyron: alij ui & temerè illa sibi usurpant, ut rex Osias. Quapropter etiam meritò uocantur fures & latrones: nec enim quærunt ouicularum salutem, sed propriũ suum emolumentum, gregem ipsis cõmissum dissipari permittentes, famémque pati in spirituali cibo, & in omnia peccata & errores incidere & abduci. At qui per uerum ostium ingreditur, is uerus pastor est. Hìc nobis Christus tria signa commonstrat, quibus uerum cognoscere pastorẽ debemus, nimirum primò, quando recte ingreditur: secundò, quando munus suum diligenter obit: tertiò, quando bona exempla dat & præfert. Primò, is uerus pastor est, qui per uerum ostium ingreditur, hoc est, qui legitimè uocatur, qui non seipsum, sed ouicularum utilitatem & salutem quærit & rectè docet. Huic ostiarius aperit. tali enim manifestat spiritus sanctus diuinam ueritatem, suggerit ei uerum gubernandi *2. Mach. 4.* *4. Reg. 5.* *1. Mach. 7.* *Nume. 16.* *2. Paral 26.* *Signa ueri pastoris.*

Iohan. 14. modum, docet eum omnia necessaria. Quẽadmodũ Christus dicit, Cùm uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Secũdò, spiritus quoq; sanctus ita bono pastori aperit, ut admittat illum & ducat in sanctum æternę
1. Tim. 3. sapientiæ, quo sciat & discat, quomodo in domo Dei ambulare oporteat. Atque illic etiã gustandã eis dat multitudinẽ dulcedinis suæ, ut gregi suo etiã uicissim effundere memoriam exuberantissimæ dulcedinis Dei, atq; ita de plenitudine quæ illi data est, etiã corda eorum, qui ei cõcrediti sunt, illuminare, accendere & replere possit. Tertiò, spiritus sanctus sic etiam illi aperit, ut sua gratia animos auditorũ prçueniat & emolliat: hac triplici apertione opus quilibet pastor habet, & quidem eò magis, quò plures habet subditos. Quia enim nemo uel propriam suã salutem absq; peculiari gratia operari & perficere potest, quãto minus suã & aliorum hominum salutem procurare potest? Quamobrẽ Euangelicus pastor multum & sæpe ad Deũ currere debet. Et uæ illis omnibus, qui non considerant, quàm graue onus illorum humeris incumbat. Non enim scriptura temerè dicit,
Sap. 6. Iudicium durissimum in his qui prçsunt fiet. Et oues audiũt uocem eius (inquit Christus amplius) & quidẽ meritò, ẽstq; illis utile. alioqui nõ essent ouiculę Christi, si Apostolos audire nollent, quandoquidem Christus ad Apostolos dixit,
Luc. 10. Qui uos spernit, me spernit. Sequitur porrò, Et proprias oues uocat nominatim. Indicat hic Christus, quod sit Euangelici pastoris munus. Oues re uera Christi sunt. non enim creauit eas solùm, sed etiã pretioso suo sanguine redemit.

Pastor Euangelicus.

Ezech. 18. Hac etiã de causa dicit in Propheta, Omnes animę meę: attamen facit bonus pastor, ut etiam eæ oues suæ fiant, dum eas intimè diligit, & quotidie eas suo labore ad Christũ adducit. Has singulas suo uocat nomine, quia omnes pariter nouit: cogitat, quomodo unaquęque cõstituta sit, qd cuiq; desit, quid cuiq; utile sit aut perniciosum: opitulatur, quan-
Ezech. 34. tum cuique necessarium est: sanat quod ægrotum est: quærit quod perditum est: reducit quod errat, &c. Hoc est oues uocare nominatim. Secundò quoq; eas nominatim uocat, dum illis quotidie acclamat, quẽadmodũ ad Isaiam di-
Isa. 58. citur, Clama, ne cesses. Et ad Timotheũ: Insta opportunè,
2. Tim. 4. importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Tertiò quoq; eas sic uocat nominatim, dum tam benignũ se erga eas declarat, ut alacres & tutæ ad eum accedere

cedere ausint. Quartò propterea etiã singulas uocat nomine suo, non quod ab Adã acceperũt, sed quod illis Deus in Propheta Isaia promisit, & nunc etiam denuò dedit, nimirum quod filij Dei uocantur, atq; etiam sunt. Hoc nomine bonus pastor suas ouiculas appellat: nõ exprobrat illis priora eorũ commissa, quemadmodum Pharisæi nato cæco dicebant, In peccatis natus es totus: sed dicit cum beato Paulo, Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Et iterum, Hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi. Hoc unũ est, quod bonus pastor apud suas oues facit. Secundò dicit Christus, Et educit eas. Semel quidẽ educti sumus per Christum è tenebris præteritorum errorũ uitiorúmq;, quinimò ex hoc malitioso mũdo, nihilominus tamen sæpe fit, ut rursum educi nos oporteat, imò multa cum uociferatione & clamore è peccatis nostris euocari, quemadmodum Christus Lazarum, qui quatriduo in sepulchro iacuerat, inclamabat, & ad uitam reuocabat. Nam ut oues etsi lauantur, illico tamen rursus immundæ fiant: sic etiã nobiscum res habet: licet in baptismo loti sumus, attamen quotidie iterum defœdamur, nunc peccatis, nunc errore & falsa doctrina. Hîc Euangelico pastori semper negotium est, ut nos ex eiusmodi peccatis & erroribus educat, ne in iis pereamus. Sic educebat Paulus Corinthios è magnis & scandalosis peccatis: Galatas uerò è perniciosis erroribus. Hoc ad officium pastoris pertinet. Amplius dicit Christus, Et cùm proprias oues emiserit, ante eas uadit, &c. Describit hîc bonum pastorem ab exemplo. Decet quippe, ut qui oues Christi uerbo admonitionis educit, etiam exemplo bonorũ operum illis præcedat, ne in ipso cõpleatur, quod Paulus dicit, Qui alium doces, teipsum non doces, qui prædicas non furãdũ, furaris, &c. Paulus rectè suis ouibus præibat, siquidem uerè dicere poterat, Ego sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem uerberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Sic suum quoque discipulum docet: Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in uerbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Similiter ad Titum, In omnibus, inquit, teipsum præbe exemplum bonorum operum. Vbi talis pastor est, illic etiam hoc citius sequitur, quod

Esa.66. 1.Iohan.3. Iohan.9. Ephe.5. 1.Cor.6. Gal.5. Iohan.11. 1.Cor.5. Gala.4. Rom.2. 1.Cor.9. 1.Tim.4. Tit.2.

Matth. 23. Christus postea dicit, Et oues illum sequuntur, atq; ita fieri oportet Nam si Christus quoque de hypocriticis mentitis pastoribus dicit, ut quod docent nos ex lege, id faciamus, cæterum secundum opera eorum ne faciamus: dicunt enim quidem, sed idem ipsi non faciunt: quantò iustius imitabimur eos, qui etiam faciunt quod docent. Ex hoc quippe cognoscitur uox ueri pastoris, cùm ipse facit quod docet, præiens suis ouibus doctrina simul & exemplo. Peregrinum autem non sequuntur, sed fugiunt illum: non enim nouerũt uocem ignoti. Nam qui non accersitus & non uocatus seipsum ingerit in pastorale munus malis artibus, dolis, fraudibus, donis seu corruptionibus, is parum in se timoris Dei habet, & rarò bonæ uitæ est, unde fit, ut etiam uerbum eius & prædicatio, tanto minorem uim & efficaciam aut opinionem habeãt, alienus est à Deo, alienus à suis ouiculis, quandoquidem non per uerũ ostium ad eas ingressus est. Nonnunquam alienus est & uoce, docens quod rectum nõ est, quinetiam uita alienus, quãdoquidem inchristianè uiuit & agit, &c. Hæ ueræ sunt conditiones boni pastoris, ut per uerum ostium ingrediatur, suo muneri diligẽter incumbat, & bonis exẽplis præluceat. Hæc autẽ omnia nusquam melius

Iohan. 8. inueniuntur, quàm in Christo. Is per uerũ ostiũ ingressus est, siquidem à Deo patre uocatus & missus est, tum docuit quod uerum ac certum est, ouiculas suas eduxit è tenebris ignorantiæ, in uiã ueritatis, & à uia malitiæ, in rectam semitam iustitiæ, tum etiam ouibus suis bonis exẽplis præ-

Matth. 11. cessit. Discite à me, inqt, qa mitis sum & humilis corde, &c. Quocirca etiam illi aperuit ostiarius tãquam uero pastori, siquidem illi nõ tantum Moyses & omnes prophetæ testimoniũ perhibent, sed etiam Deus pater & spiritus sanctus.

Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Super illũ appare

Matth. 3. bat spiritus sanctus in uisibili specie columbæ, quapropter etiam sequuntur illum ouiculæ eius per læta & aduersa. nota est enim illis uox eius, & ipse rursus eas cognoscit, & uocat eas nominatim: scit enim quę suę sunt, & ad ipsum per-

Iohan. 13. tineãt. Ego scio quos elegerim. Et ad discipulos suos: Gau-

Luc. 10. dete quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. Apud hunc pastorem maneamus, hunc pastorem inuenimus in sancta uniuersali Christiana Ecclesia. Ad hunc pastorẽ trahit & du

Iohan. 15 cit nos spiritus sanctus. Is testimoniũ de me perhibebit (in-

Iohan. 16. quit Christus) imò is (spiritus sanctus) clarificabit me, quia de meo

de meo accipiet,& annuntiabit uobis. Deus det nobis suã gratiam,ut impulsum diuini spiritus,eiúsq; testimonium de Christo semper ex animo & ipso opere sequamur, Amen.

TERTIVS SERMO DE *tertia huius Euangelij parte.*



VEMADMODVM circa hesternũ Euãgelium dixi,ita nunc iterũ dico. Non decebat bonum Christianum temerè omnia irridere aut reiicere,si non uideãtur statim omnia cõgruere,sed tanto magis causam rei indagare & quærere,quid in se unumquodq; habeat. Idq; non ab re admoneo.Nihilo enim plus istud Euangelium dicit de spiritu sancto,atq; hesternũ,sed tamen omnibus modis ad duo illa præcedentia Euangelia cõmodè quadrat.Die Dominica audiuimus,spiritum sanctum Apostolis datũ esse ac missum,& diuum Petrum statim incœpisse prædicare, sed solis Iudæis:heri audiuimus,illũ etiã Gentibus prædicasse, eũq; ea in re nõ malè fecisse, quãdoquidem Christus ipsemet in Euangelio dicit,Deum misisse filiũ suum nõ solum Iudæis, sed toti mundo,id quod certissimũ signũ est, Deum nõ solum Iudęorum,sed etiam Gentium Deum esse & esse uelle, & Christũ è duobus populis unũ fecisse populũ, & habere uelle,quemadmodum Paulus dicit,& in posterum non nisi unum pastorem & ouile esse debere. Quapropter non est, quòd ullus Ethnicus dicat amplius, Separatione diuidet me dominus à populo suo. Nec Eunuchus dicat, Ecce ego lignum aridum,Deus nos satis certificauit,quia in Propheta statim subiicit:Filios aduenæ qui adhærent domino, ut colant eum,& diligant nomen eius,ut sint ei in seruos,omnẽ custodientẽ sabbatũ ne polluat illud,& tenẽtẽ fœdus meũ, adducã eos in montem sanctum meũ, & lætificabo eos in domo orationis meæ.Et Eunuchis,qui custodierint sabbata mea,& elegerint quæ ego uolui, & tenuerint fœd⁹ meũ, dabo eis in domo mea,& in muris meis locũ,& nomẽ melius à filiis & filiabus:nomẽ sempiternũ dabo eis,quod nõ peribit. Quod Deus in his & similibus uerbis tũ ꝓmisit, hoc in nouo testamento ꝑ Christũ impleuit. Gẽtibus spiritũ sanctũ æquè impertiit,atq; Iudæis,ut ꝓpterea nullũ amplius dubiũ sit,Deo nõ amplius curę esse,siue qs familię suę aut etiã cõditionis ratione Iudæus sit,siue Ethnicus,seruus, siue

Act. 1.
Act. 2.
Iohan. 3.
Rom. 10.
Ephe. 2.
Iohan. 10.
Esa. 56.
Gal. 3.

Act. 10. siue liber, uir siue mulier. Nõ est acceptor personarum: qui in illum credit, nomen illius inuocat, uolũtatem eius facit, is acceptus est illi, de qua re in posterũ dubitare nemo debet. Hoc nobis duobus proximis præteritis diebus ut infigeretur, adhortatũ fuit. Quia uerò iã hoc habemus, sciẽtes quod è duobus populis unus populus est factus, & in unum
Ezech. 34. ouile nos omnes ptinere, quẽadmodũ in Ezechiele prędictum est, reliquũ fuerit, ut bonos duces habeamus, illos fideliter sequamur. ad læta pascua accurramus, uocem nostri summi pastoris Christi diligenter audiamus, eámq; pficiamus in ouili pacificè uiuam⁹, nec unquã ab ea distrahamur. Videte fratres, hæc adeò illa sunt, ad quę hodiernũ Euãgeliũ respicit: hoc loqtur de pastoribus, ouibus, & ouili, de lætis pascuis & uero ostio: dicit præterea & de lupis, furib⁹ & latronibus: id autẽ omne fit ppterea, ut hoc melius nobis prospiciamus, tãtóq; diligẽtius cõsideremus, quid posthac nobis acceptãdũ, faciẽdũ, fugiẽdũ, sperãdũ, metuẽdũq; sit. Quapropter quãtũ præteritis duobus diebus causæ habuimus laudãdi Deũ, & illius gratia gaudendi, tãtum hodie ex isto Euangelio causæ habemus Deũ orãdi, & spiritũ sanctũ inuocãdi. Etenim hic uidem⁹ primũ, quãtũ nobis adhuc desit, qd nobis adhuc necessariũ sit, & quàm facilè in periculũ uenire posimus. Nã si discurrimus ex ouili, periculũ adest: si infideles pastores & duces habemus, periculũ adest: si pascuũ nobis uitiatur, aut ueneno inficitur, periculũ adest: si deniq; nos inter nos ferocimus, ut alius aliũ audire nolit, rursum periculũ adest. Et qs in his omnibus cõseruare nos
Orationis efficacia, & opportunitas. melius põt, quàm Deus? Id autẽ assequi quomodo melius possumus, quàm p orationẽ? Videte fratres, hoc pacto Euãgeliũ istud hodiernũ iam primùm causam nobis præbet spiritum sanctũ inuocandi. Quãobrẽ si hisce festis unquam feruenter orauimus, facere id nunc cũ primis nos decet. In die Pẽtecostes audiuimus, quomodo spiritus sanctus sup Apostolos uenerit, atq; hic tẽpus erat, ut in admirationẽ raperemur. Heri cùm audiremus, quòd etiã Ethnici eiusmodi gratiæ participes esse possent, tum tempus erat laudãdi & gratias agendi. Hodie uerò cùm audimus ac uidemus, tantum adhuc nobis imminere periculi, quinimò cùm maior pars iam id experta sit, tẽpus orandi est. Et quẽ eiusmodi tãmq; multiplex periculum ad orationẽ non impellit, uæ is Christiani animi & sanguinis perparum in se habere uidetur.

Agite

Agite fratres, omnis nostra fortuna & felicitas his quatuor *Salus nostra*
in rebus consistit, Ne nobis ouile nostrum, domus nostra, *in quibus sita*
hoc est, sancta & uniuersalis Christiana Ecclesia deuastetur, *sit.*
dilaceretur, perdatúrque: ut fideles pastores habeamus: ne
nobis pascuum diuini uerbi adulteretur inficiatúrve, & ne
nos ipsi etiam ab ouium indole degeneremus ac desciscamus, & alienam naturã induamus. Huc refer tuã orationẽ
optime Christiane nunc & omni tẽpore, ora spiritum san *Orandũ præ*
ctum, ut Ecclesiam suã uisitare dignetur, illuminare, purga- *cipue quid sit.*
re, cõseruare & instaurare. Pete deinde, ut fideles operarios
mittat in messem domini, malos arceat, bonos ꝓmoueat, *Matth. 9.*
socordes excitet, ut sui muneris rationẽ habeãt, &c. Roga tertiò, ut nobis ouiculis suis pascuum purũ & mundum
conseruare, & omne id tollere uelit, quod malũ & perniciosum est, in nobis uerò ꝓmoueat quod bonũ est. Roga quartò, ut ignẽ suæ charitatis in nobis omnib' accẽdat, ut posthac cum diuo Paulo omniũ eorũ quæ retrò nos sunt obli- *Philip. 3.*
uiscamur, & ea solùm quæramus, quæ ante nos sunt. Ad hãc
rem nobis Euangelium istud causam præbet. Proinde reliqua uerba audiemus, quibus in eo Christus utitur. Ego (inquit) sum ostiũ. Per me si quis introierit, saluabitur, &c. His *Iohan. 3.*
uerbis incipit Christus exponere, quod prius tectis uerbis
dixerat. Ideo autẽ hanc similitudinẽ ipse exponit, ne aduersarij eius omnésq; mali & ĩfideles pastores dicere possent,
se non intellexisse eius uerba. Deinde etiam hanc similitudinem propterea ipse exposuit, ut ex eo disceremus, quomodo & reliquæ similitudines, quas nõ exposuit ipse, intelligere debeamus. Bis autẽ se ostiũ uocat, ad iudiciũ, q̃ a io- *Ostium cur se*
sus is sit, qui olim ueteres pastores, Moysen & prophetas *Christus di-*
in ouile Iudæorũ tradidit, & qui nunc nouos pastores Apo *xerit.*
stolos missurus erat in ouile gentiũ. Atq; hic obseruandum
est, quòd non uni ouili duo ostia, sed (quod multo admirabilius est) duobus ouilibus unũ ostiũ attribuit, ut necessariò
cõsequatur, quod postea dicit, Et fiet unũ ouile, & unus pastor. Secundò, Christus ideo quoq; ostium sese nominauit, quo disceremus, eum esse ostium, per quod bonus pa- *1. Iohan. 1.*
stor intrat ad oues Ecclesiæ, & esse quoq; ostium, per quod
unusquisq; credens intrat, & uenit ad patrẽ cœlestẽ. Tertiò, eam quoq; ob causam bis ostium se appellauit, quod ꝑ
illũ solũ ad præsentẽ gratiã & ad futurã gloriam pertingatur, possitque pertingi. Sic itaque Christus ostiũ est ad oues

sanctæ

sanctæ Christianitatis, eo quòd nemo rectè in Ecclesia docet, nisi Christũ doceat agnoscere, & annũtiet Euangelium. Nam corda fidelium nõ uiuificantur, neq; solatiũ accipiunt, præterquam ex Euãgelio Christi. Propterea Christus pergit dicere, Omnes quotquot uenerunt, fures sunt & latrones. Hoc uerbũ nõ in genere, & de iis omnibus intelligendum est, qui ante Christum fuerũt: alioqui & ipse Moyses & prophetæ fures fuissent. Quapropter aduerte, Christũ hic non loqui de tempore, sed de doctrina. nam ante Christum uenire, nõ est temporis ratione illũ præcedere, sed aliã doctrinã adferre & profiteri, quã ipse professus est. Moses & prophetæ fuerunt quidẽ ante Christũ, sed ex Dei spiritu locuti sunt, & Christum, qui adhuc sub figuris latebat, annunciarunt. Intelligitur ergo uerbũ istud de iis, qui neq; à Deo uocati, neq; à Deo electi sunt, sed aut se ipsos ingerunt, aut ab aliis ingeruntur, de quibus in Hieremia dicitur: Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: nõ loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Hos Christus uocat fures & latrones. nam maior pars negligunt oues, & se ipsos quærunt. Secundò, uerbum quoq; istud ad eos spectat, qui loquuntur hominibus uana & mẽdacia, inquiẽtes, pax pax, & nõ est pax. Itẽ ad eos istud uerbũ etiã pertinet, qui aliam uiam docent ad fœlicitatẽ, quã per Christũ. maximè uerò loquitur Christus de iis, qui tum tẽporis in ouili Dei tyrannidẽ exercebant, quia nemo illorũ per uerũ ostiũ ingressus erat, quẽadmodũ in proximo sermone dictũ est. Idcircò dicit Christus nõ in præterito, Fuerũt fures & latrones, quò omnes uidẽrẽt, eũ Iudaicos Pharisæos hoc uerbo perstringere uoluisse. Quartò uerbum istud & de iis intelligi posset, qui se olim Christum aut prophetas professi sunt, & adhuc profitentur, ut quondã Theudas, Iudas Galilæus, & Simon Magus, & nũc seditiosi aliqui prædicatores: hos Christus fures appellat & latrones: fures, quia proprij cõmodi auidi sunt: latrones uerò, quòd animas interimunt, & aliàs etiã tyrannidem exercent. Sed quæ uerę oues Christi sunt, nõ audiũt eiusmodi homines. Et quæ illos audiũt, nõ sunt oues, sed olidi hirci, qui in extremo die longè ab ouibus separabuntur. Quod autẽ Christus adhuc semel dicit: Ego sum ostiũ, hoc ad omnes credẽtes pertinet, quibus est ostiũ ad patrẽ, & omnia bona patris, ut est, iustitia, salus, & æterna uita. Nemo Deũ agnoscere potest, nisi per Christũ, nec quisquã iust

Ante Christũ quinam uenisse intelligẽdi sint.

Hier. 23.

Ezech. 13.

Act. 5.

Act. 8.

In seditiosos cõcionatores.

Matth. 25.

iustitiã, salutẽ, & ęternã uitam cõsequi potest, nisi per Christum: hic est Dei iustitia, sapiẽtia & fortitudo. Eapropter dicit, Ego sum uia, ueritas & uita: nemo uenit ad patrem, nisi per me. Et Petrus, Non aliud nomẽ est sub cœlo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, quã nomẽ IESV. Et Paulus, Per ipsum habemus accessum ad Deũ. Sic etiam hìc ait: Per me si quis introierit, saluabitur. Atq; his nõ solũ uiã nobis ostẽdit ad patrẽ, sed prouocat nos etiam magnis promissis, nõ quòd nostri egeat, sed ut talem se exhiberet, qui salutis nostræ cupidus sit. Promittit itaq; primò iis salutem & fœlicitatẽ, qui per ipsum introeunt. Ecquid maius promittere potuisset? Is autẽ per Christum introit, primò, qui in eũ credit, & omnẽ suã fiduciã in illũ collocat. Secundò, qui illi ex intimo amore adhæret. Tertiò, qui per fidem & gratiã Christi cũ cœtu fideliũ unitur. Et quartò, qui secundum doctrinã & exemplũ Christi uiuit & ambulat. Hic saluus fit, quemadmodũ etiã diuina dicit Sapiẽtia: Qui me inuenerit, inueniet uitã, & hauriet salutẽ à domino. Nec saluari quisquã poterit, qui nõ per hoc ostiũ in Ecclesiã fuerit ingressus. Secũdò quoq; promittit Christus libertatẽ & securitatẽ iis, qui per ipsum ingrediũtur. Ingredietur & egredietur, inquit, hoc est, in latitudine charitatis & libertatis spiritus habitabit. Nam ubi spiritus Dei est, ibi libertas. Porrò talis qui per Christũ ingreditur, nõ est quòd ullũ periculum timeat à furibus & latronibus. erit enim sub hoc pastore Christo tutus, & securus manebit, siue ingrediatur siue egrediatur, siue uiuat siue moriatur. Hìc uide iam, qualis hæc sit promissio. Atque hoc est, quod Micheas prædixit, tempore Christi fore, ut sedeat uir subtus uineam suam, & subtus ficum suã, & non erit qui deterreat. Tertiò, promittit nobis Christus plenitudinẽ & abundantiã omnium bonorum. Per me si quis introierit, inquit, saluabitur. Inquirentes enim dominũ, ut Dauid ait, nõ minuentur omni bono. Hoc uerò pascuũ est Euangelium, uerbum uitæ, iustitia, uita, salus, & omnia Dei bona: hoc pascuum inuenit fidelis, siue ingrediatur, siue egrediatur, siue uiuat, siue moriatur. Olim in ueteri testamẽto ij solũ inueniebant pascuũ, qui ingrediebantur, intellige, in Iudaicum cultum Dei. nam illic inueniebant Mosen & prophetas. Cæterùm ex hac uita decedẽtes, nihil inueniebant: quia cœlũ nondũ apertum erat. At nũc pascua inuenimus in hac uita, hoc est, gratiam

&

Marginalia: 1. Cor. 1. · Iohan. 14. · Act. 4. · Ephe. 2. · *Per Christum introire quid sit.* · I. · II. · III. · IIII. · Prou. 8. · 2. Cor. 3. · Mich. 4. · Psal. 33.

& consolationẽ ex hoc Euãgelio: atq; etiã ubi per mortem
Iohan.8. ex hac uita decedimus, pascua etiã inuenimus, imò æternã gloriam & fœlicitatẽ, quã Christus suis promisit. Ad talẽ promissionẽ Christus sese diabolo opponit, atq; etiã suum uerbũ, hoc est, Euangeliũ cõtra omnẽ falsam doctrinã. Fur,
Fur diabolus. inquit, nõ uenit nisi ut furetur & mactet, & perdat. Hic fur fuit primò diabolus, qui primis nostris parẽtibus, uestẽ immortalitatis, & ornamẽtũ innocẽtiæ fraudulẽter abstulit & suffurat⁹ est, & in illis etiã totũ humanũ genus mactauit, occidit, & perdidit. Ideoq; Christus dicit de illo, eũ iam indè
Iohan.8. ab initio latronẽ & homicidã fuisse. Deinde etiam talis fur est & latro, qui secundũ exẽplum diaboli, etiã Christianum ouile dissipat. Nã ob id solũ ad dominatũ peruenit, ut subditos bonis suis fraude ac dolo priuet, & in suã ea potestatem redigat. Deinde etiã in hoc tantũ uenit, ut animas laniet, quandoquidẽ illas aut falsa doctrina, aut malo exẽplo occidit, aut aliàs p suã indiligentiã interire finit. Quia quot homines per suã incuriam pereunt, tot animas neci dedit,
Ezech.33. imò tot hominũ sanguinẽ Deus è manibus eius reposcet. Possumus autẽ hoc uerbũ Christi etiã alio modo intelligere, nimirũ quòd quiuis impius pastor fur & latro est, dum ouibus salutare earum pascuum intercipit & uitiat, mactat & persequitur corpora eorũ, qui non illius partes sequuntur,
Fructus peruersorum dogmatum. perdẽs animas se sequentiũ. Atq; hi etiã sunt fructus falsæ doctrinæ, ut non solũ animas perdant, sed mactẽt etiã corpora, hominẽmq; in omne malũ & exitium coniiciant, spirituale, corporale & tẽporale: quẽadmodũ in prima falsa do-
Gen.3. ctrina usus docuit, quam diabolus Adæ & Euæ in paradiso persuadebat, magno cũ eorũ malo & pernicie. Ego (in-
Iohan.3. quit Christus) ueni ut uitã habeãt, & abundãtius habeant. Hic aduerte, ad quid Christus uenerit, nimirũ quod nos nõ condemnare, sed seruare uelit. Quẽadmodũ & in hesterno Euangelio audiuimus, quod ipsum summũ nostrũ solatium est, quod solum sufficiat in omni tribulatione. Non modo (uult dicere) sum ego uita, uerũetiam thesaurus omnis boni, unde haurire potestis quæ uobis necessaria sunt. Atq; hic uidemus quoq;, nos longè plus habere, quam patres in ueteri testamento: hi enim omnes in fide sua & spe mortui
Heb.11. sunt, promissionem non uiderunt & acceperunt, sed procul aspexerunt. Nos autem habemus, uidemus ac fruimur, quod illi credebant tantum & sperabant: id quod cum pri-

mis

m is manifestũ factũ est, postquã & Spiritus sanctus effusus, & per Apostolos Euangeliũ in orbe uniuerso prædicatum fuit. Tanto magis in pentecostes nostræ festo Deo gratias agere debemus, & honorare nũc & in secula seculorũ, Amé.

QVARTVS SERMO.



VOD quis amat, de eo loquitur sæpe, & libenter id recordatur, nec facile obliuioni tradit, nec ab eo sese auertit. Atqui uniuersalis Christiana Ecclesia nihil melius, utilius, & optatius unquã à suo spõso Christo accepit, quã in Sancto die pentecostes, nimirũ cũ in eos Spiritus sanctus effundebatur. Magni huius & ineffabilis beneficij obliuisci non põt: nõ satis id laudare & prædicare potest, satisq; de eo loqui: quia tertia iam dies est, quòd hac re occupata est, nec dũ tamẽ cessat. Probè enim nouit, se aliud solatiũ in hoc exilio nullum habere, quã Spiritũ sanctũ. Quapropter etiã admirari nemo debet, maiores nostros tot ferias per hãc totã septimanam egisse. Siquidẽ bene sciebat, beneficiũ hoc longe esse præstãtius, quã cuius memoria ad unũ tantùm diẽ in animis nostris residere deberet, atq; etiã spiritus sancti cõsolationem multo maiorẽ esse, quã ut paucis uerbis & una cõcione exponi posit. Enimuerò maiores nostri festa sua longè aliter celebrauêre, quàm proh dolor, nunc fit. Nos summa etiã & pręcipua festa sępenumerò ita obseruamus, ut quandoq; ob multos homines multo pręstaret eorũ nullũ obseruari, &c. Illi longè secus faciebãt. Quapropter cui pietas cordi est, is sequatur maiores, nec pigeat illum, quod toties de spiritu sancto eũ audire oporteat. Nã quẽadmodum Ecclesia nihil unquã melius accepit, quàm spiritũ sanctũ: ita nihil utilius cõsiderari prędicariq; potest. Atq; utinã consolationem spiritus sancti semel sensissemus, sicut eam senserũt Apostoli in sua persecutiõe, similiter sancti Martyres in sua passione, complurésque alij pij homines in uariis afflictionibus, quàm cupidè tum de illo audituri essemus! Haud enim ab re Ecclesia de illo canit: Consolator optime, dulcis hospes animę, dulce refrigeriũ. Quid nos homines aliud hic in terris habemus, quàm labores, afflictiones & dolores seu ærũnas? E diuerso autẽ, est nobis hic spiritus in labore requies, in æstu tentationũ temperies, in fletu solatium.

In pentecoste quantũ sit cælitus collatum hominibus.

Spiritus sancti encomion.

Etenim

Etenim nullus labor tantus est, quē non leuet: nulla tentatio tam uehemens, quā non leniat: nulla tristitia tanta, quā non in gaudium uertere posit. Hac de causa, pauca nunc dicam de spiritu sancto, maximè ubi is inueniatur, quibus indiciis præsentia illius cognoscatur, & quomodo cōseruari posit. Et primò, quēadmodū certū & nullū dubium est, non omnes homines habere spiritū: ita quoq; certū est, illū nō ubiuis acquiri posse. Est quidē iuxta diuinitatē in omnibus locis, sed nō ubiq; datur & deprehenditur. Dictu quidem facile est, hîc est spiritus, apud nos inuenitur. O quot mēdacia uēdit diabolus sub hoc titulo spiritus! Nulla! secta aut hęresis unquā tam praua támq; peruersa fuit, quę sese de spiritu S. non iactauerit, imò aliqui ex hęreticis dixerunt, & professi sunt, se esse paraclêtū spiritū sanctū, ut Marcion & Manichæus. sed quid dicit Christus? Si dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Vnus tantùm locus est, ubi spiritus sanctus inuenitur, atq; etiā datur, nimirū sancta Catholica Ecclesia. Huc pertinet quod Christus dicit, Mundus hūc spiritū nō potest accipere, quia non uidet eū, nec scit eū: uos autē cognoscitis eū: quia apud uos manebit, & in uobis erit. Huc quoq; pertinet, quod ille idē Christus de unico ouili dicit, in quo solo salui fieri possumus. Sic & beatus Ioannes loquitur nō nisi de uno tabernaculo, seu habitatione, quā Deus apud homines habet: & diuus Paulus de unico corpore Christi. Et in summa, sacra scriptura unicā solúmodo sponsam Christi indicat. Quisquis igitur ab hac Ecclesia & sponsa, ab hoc ouili, ab hoc tabernaculo & corpore Christi recedit, is neque æternā fœlicitatē, Christū, Deū, neq; spiritū sanctū habere potest. Nā ut corporalis spiritus, seu anima in corpore tantùm manet, & ea solū mēbra, quę in corpore remanēt, conseruat & corroborat: membra uerò quæ à corpore resecta sunt, nō sequitur: ita spiritus sanctus eos tantū uiuificat, qui in ecclesia remanēt, nō sequēs eos qui ab Ecclesia recedūt, sed manet in Ecclesia. Quā igit malè & incōsultè facimus, quòd tā facilè ab uniuersali Christiana Ecclesia diuellimur, secedimusq;, sequētes nescio quos impostores & cæcos duces? Hoc fratres cōsideremus, diligenterq; caueamus, ne à Catholica Ecclesia desciscamus: interim tamen etiā uideamus, ne, etsi in Ecclesia maneamus, putida mēbra & steriles rami simus. alioqui enim & nos amputamur eiicimurq;. Po

Spiritus Sanctus ubi inueniatur.

Sectarū omnes ut sibi Spiritū sanctum uendicent.

Matth. 24.

Ioh. 14.

Iohan. 10.

Apoc. 21.

Eph. 4.

Apoc. 21.

Quā cauendū ne Ecclesiam deseramus.

Iohan. 15.

tissimũ uerò deprecemur, ut Deus sanctã suã Christianã Ecclesiam, tam miserè & multis modis scissam, per spiritũ suum S. in concordiã redigat, & erroneas ouiculas ad se reducat. Atque hoc pacto paucis iam audistis, ubi spiritus sanctus inueniẽdus sit. Posthac etiam obseruabimus signa eius pręsentiæ, sed hoc tantùm uno exemplo ostendã. Vt enim ignis, ubicunq; locorũ sit, latere non potest (quatenus ardet) sed seipsum prodit, etiãsi nemo patefaciat, sed seipsum prodit, aut fumo, lumine aut ęstu: sic etiã facit Spiritus sanctus, nam & is ignis est. Quare nihil penitus necesse est, ut multum uerbis de spiritu sancto iactemus. Vbi enim est, ibi operatur quoque, sicubi illi datur occasio, & magna operatur. Huius rei multa præclara habemus exempla. Nusquam legis in diuina scriptura, quòd Ioseph, Moses, Dauid Daniel de spiritu sancto sese iactauerint. attamẽ idem ille Spiritus sanctus sic in illis sese manifestauit, ut etiam impij reges, Pharao, Saul, & Nabuchodonosor, Spiritum sanctũ in his animaduerterent. Hoc quisque per se in scripturis latius disquirere potest. Eodem modo accidit quoq; optimis Apostolis. His fidẽ nemo habiturus fuisset, si de spiritu sancto gloriati fuissent, nisi aperta argumẽta in illis & notæ illius spiritus uisæ essent. Summa, spiritus sanctus non est otiosus in homine quem inhabitat. Etenim bona arbor bonos fert fruct' suo tempore. Atque hic iterum uide, quàm nos ipsos fallamus. Nemo inter omnes Sanctos Dei, unquã tantopere de Spiritu sancto sese iactauit, ac nos facimus: cùm tamen illius operũ nullũ in nobis agnoscatur, quinimò opera nostra palam testẽtur, non spiritum sanctũ, sed mundi spiritum in nobis dominari & regere. Quid opus igitur multa iactantia? Ostende mihi fidem tuam (inquit Diuus Iacobus) ex operib'. Similiter & ego dico, &c. Ostẽde mihi Spiritũ S. ex operibus: uerba enim tua & magnã iactantiã non accipio, neq; audio. Sunt autẽ tres notę, quibus cognoscimus, Spiritũ S. in nobis esse, nimirũ cũ in hac lacrymarũ ualle ploramus & lamentamur: cũ intimis desideriis ad cœlũ rapimur: & cũ erga quosuis homines animus noster & uoluntas bona est. Ea ipsa quippe de causa in nube apparuit, quæ humorem dę sę præbet: in igne, qui sursum fertur: & in specie columbæ, quę nihil fellis habet, &c. Hæc ubi signa in te conspexero ac animaduertero, tunc credã spiritũ S. in te esse. Sin autẽ peccata tua nondũ deploras, sed in illis te oblectas, & totus terrenis

Præsentia sancti Spiritus unde agnoscẽda.

Luc. 11.

Act. 2.

Matth. 7.

Iaco. 2.

Opera exigũtur.

Tria signa præsentiæ intra nos Spiritus Sancti.

I.

II.

III.

Matth. 17.

Act. 2.

Matth. 3.

& fluxis rebus deditus es, nec unquam suspicis, & præterea fel amaritudinis seu iræ intra te geris, certum est, te spiritum sanctum nõ habere. Quamobrẽ cõtẽpletur hic quisq; suam ipsius cõscientiam, & Deum gratiã roget. Adhuc unũ uideamus oportet, nimirum qua ratione spiritum sanctum in nobis conseruare posimus, Hoc iterũ circa exẽplum ignis discemus. Is enim fouetur lignorum appositione, sufflatione & cineris adiectione. Eundẽ quoq; in modum spiritus S. cõseruatur, nẽpe cũ in piis operibus & contẽplationibus perseueramus instamúsq;: istud enim lignum est, quo ignis iste nutritur: deinde cum illum feruenti oratione insufflamus. Et postremò, cũ ex consideratione nostri exilij & mortalitatis, in nullam arrogantiã incidimus, sed in humilitate permanemus. hoc est cinerem super ignẽ iniicere. Hæc ubi nó curas, sed mittis omnia pia exercitia, negligis orationem, & apud teipsum superbus es & elatus, haud sanè diu spiritus sanctus tecũ morabitur. Quocirca hęc bene diligenterq; consideremus. Res magna est, ubi Spiritus sanctus acceptus est: maior adhuc est, ubi pręsentia illius piis operibus demõstratur probatúrq;: omnium uerò maxima est, ubi in finem usque conseruatur. Ad primum pertinet gratitudo: ad secundum studium pietatis: tertiò ardens & diligens oratio. Tantum hac uice de Spiritu sancto dixisse satis sit.

Spiritum sanctum ut cõseruabimus intra nos.

Gratitudo. *Pietas.* *Oratio.*

DOMINICA TRINITATIS, EVANGELIVM IOHANNIS III.

ERat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quòd à Deo ueneris Magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit ei: Amẽ amen dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo na-

ſci cùm ſit ſenex? Num poteſt in uentrem matris ſuæ iterum introire, ac naſci? Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Ne mireris quòd dixi tibi, oportet uos naſci è ſupernis. Spiritus ubi uult ſpirat, & uocem eius Eccle. 1. audis, ſed neſcis unde ueniat, & quò uadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpõdit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es ille magiſter Iſraelis, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quod ſcimus loquimur, & quod uidimus teſtamur: & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo ſi dixero uobis cœleſtia, credituri ſitis? Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam.

EADEM DOMINICA, EPISTOLA SANCTI PAVLI ROMANORVM XI.

O Profunditatem diuitiarũ & ſapientiæ & cognitionis Sap. 17. *Dei, quàm inſcrutabilia ſũt iudicia eius, & imperueſtigabiles uiæ eius. Quis cognouit mẽtẽ domini? Aut quis illiâ*

cōsilijs? Aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniā ex illo, & per illū, & in illū omnia: ipsi gloria in secula, Amē.

PRIMVS SERMO DE *festo Trinitatis.*

S. Trinitatis festum cur institutum.



EMINEM nō scire arbitror, hodie in Ecclesia celebrari festū sacrati ternionis, aut ut plerūque uocari solet, sanctæ Trinitatis. Qua uerò de causa id festi huic adeò dominicę dicatū sit, haud aliā assignare rationē possum, quàm eam, quā Deus ipse reddit de omnibus operibus suis, nimirū ut improbi eū cognoscāt & metuāt, boni autē cognoscāt & diligant. Sic enim uerbo hoc passim in scripturis utitur, Scietis quia ego dominus, cuius exēpla multa recensere possem. Vt in secundo libro Mosi, à septimo usq; ad decimum quartum caput, multa & horrenda opera indicata sunt, quæ Deus olim in Aegypto & cōtra Aegyptios gessit, nec tamen alia addita est, quàm quod Deus dicit: Scient Aegyptij, quia ego sum dominus. Paulò pòst, & in eo ipso libro à decimoquarto usq; ad uicesimum caput, alia habentur magna opera, ad utilitatem Israëlitarum exhibita, ut quòd illis cibū cœlitus, & aquam è dura petra dabat, eósq; ab Amalechitarum eripiebat uiolentia, &c. Nulla hic etiam alia causa eiusmodi salutiferorum operum reddita est, quàm ut ex iis cognoscerent, eum esse Deum. Sic & Salomon, cum templum ædificasset, multa & magna à Deo petebat, nec tamen eius causam aliā dabat, quàm quòd dicebat, ut sciant omnes gentes nomen tuum. Et quidem Deus uotis eius annuebat ad talē admonitionem. Itidem & in aliis inuenim⁹ prophetis, Deū credentibus multa & magna promittere, nec tamen & ipse aliam reddit causam, quàm quòd dicit, Scietis quia ego dominus Deus uester. E diuerso autē minatur etiam improbis multa mala, nullam aliam ostendens causam, quàm ut ex eo uideamus, illū dominū esse. Summa, unica hæc causa & finis est, ad quē Deus omnia sua opera semper direxit, quo discāt eū agnoscere, boni ut ament, mali ut metuant. Sed cur cēses nobis iā inde ab Aduentu per totū dimidiū annum ita ordine proposita esse oīa salutifera opera, quæ Christus filius Dei ex iussu & obedientia nostra causa fecit, ut quod homo factus, in terris & temporaliter natus, circuncisus, passus,

Eccle. 1. *Exod. 7.* *Exod. 16. 17.* *Ose. 1.* *Ezech. 39.* *Ezech. 37.*

Christi res gestas cur Ecclesia cōmemoret ab Aduētu usque ad Trinitatis festum.

ſus, ſepultus eſt & reſurrexit, in cœlũ aſcendit, & ſpiritum S. miſit? Cur (inquã) omnia iſta ſalutifera opera ita ordine nobis propoſita fuerunt? Ideo nimirum, ut Deum per ea diſcamus cognoſcere, amare, laudare, colere & prędicare. Vtique ergo uera cõcluſio eſt, ut quando hæc omnia ordine audiuimus, ſub finẽ feſtum ſanctæ Trinitatis ſequatur, quo quiuis Chriſtianus pro ſe, & uniuerſa Chriſtianitas in cõmune canat, Gloria tibi Trinitas, æqualis una deitas, & ante omnia ſecula, & nunc & in perpetuum. Et rurſum: Benedicta ſit ſancta Trinitas atque indiuiſa unitas: cõfitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiã ſuam. Enimuerò miſsio ſpirit' S. poſtremum fuit, quo Chriſtus ſuum opus concluſit. Nec eſt neceſſe, ut quid amplius faciat. Nam quod reſtat adhuc faciendum, id exequitur ſpiritus S. Hæc autem ea ſunt, quæ in fine ſymboli Apoſtolici confitemur, nimirum Sanctam Eccleſiam Catholicam congregare, regere & conſeruare, peccata dimittere, extincta corpora noſtra reſuſcitare, & nos ad immortalem uitam præparare ac ducere. Hæc (inquam) efficit Spiritus ſanctus. Eáque propter Chriſtus in miſsione Spiritus ſancti rectè ueréq; dicere potuit, ueluti in cruce dicebat, Conſummatum eſt, nunc negotij ſummam habetis, nunc ego meis ſum functus partibus. Quid ergo iuſtius ſequitur, quàm ſyncera gratiarum actio & laus Dei? Nam ſi quoduis beneficium ab homine acceptum, gratiarum actione dignum eſt, quàm meritò nos igitur Deo gratias agere debemus, qui iam accepimus, quæ Deus unquam per Prophetas in nouo teſtamento effecturum ſe promiſerat? Itaq; opus humanæ redemptionis per Chriſtum factum, concludi melius non potuit, quàm cum feſto ſanctiſsimæ Trinitatis. Siquidẽ omnes tres perſonæ ad id cooperatæ ſunt. Pater mundum ita dilexit, ut filium ſuum unigenitum dederit. Filius nos tanto amore proſecutus eſt, ut pro nobis & erratis noſtris mortem oppetierit. Eius nos participes & capaces facit ſpiritus S. An nõ ergo æquũ eſt, nos hodie omnium ſanctiſsimas diuinas perſonas ſimul uereri, laudare & prędicare? Imò quẽ id decet magis, q̃ nos? Certè experimur, Chriſtianiſmum noſtrũ in fide ſanctæ Trinitatis perſiſtere, & in illi' cõtẽplatione perfici. Rogas, quomodo? In nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſumus. Tũ ad eiuſmodi cõfeſsionẽ in S. Chriſtianã Eccleſiam recepti ſumus, ubi diximus, Credo in Deum patrem, &c. Et in filium eius Ieſum Chriſtum.

Iohan. 19.

Simus grati Deo.

Iohan. 3.

Rom. 4.

Chriſtianiſmi ortus, progreſſio, abſolutio.

Iohan.16. Et post: Credo in Spiritum sanctum, &c. Ad hæc omnia finis noster erit, imò æternum nostrum gaudium & felicitas, san*Psal. 83.* ctam Trinitaté intueri, eámq; æternũ laudare. Tanto min⁹ est, quòd bonus Christianus ob hodiernũ festum admiretur, *Psal. 99.* imò hoc deuotiorem exhibere se debet hodie. Iubilate Deo omnis terra: seruite domino in lętitia (inquit Dauid) Introite in conspectu eius in exultatione. Scitote quoniam dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos. Populus ei⁹ & oues pascuæ eius. introite portas eius in cõfessione, atria eius in hymnis confitemini illi, Laudate nomen eius: quoniã suauis est dominus, in ęternũ misericordia eius. Psalmus iste docet nos, quomodo festũ S. Trinitatis celebrare & obseruare debeamus. nõ est necesse, parũq; utile, multũ argutè *Iohan. 7.* & subtiliter de S. Trinitate differere & disputare uelle. Si terrena dixi uobis, ait Dominus in Euãgelio hodierno, & nõ creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia, credetis? Si *Sap. 9.* difficile æstimamus quę in terra sunt, quę autẽ in cœlis sunt quis inuestigabit? Cæterùm illud utilitaté adfert, cùm uerbũ Dei audit, opera eius cõsiderãtur, & ex iis Deus cognoscitur, laudatur, diligitur ac metuitur. Atq; hæc causa est, quã ob rem in festis Christi, in quibus opus humanæ redẽptionis peregit, etiam festũ S. Trinitatis obseruetur, nimirũ ad iudicium, quòd omne quod Christus in terris gesit, ad eũ finẽ directũ est, ut Deum agnoscamus, & agnitũ amemus, & amatum perpetuo habeamus, illoq; fruamur, posteaquã nihil infœlicius est, quàm sicubi Deus nõ noscitur. Vani sunt *Sap. 13.* omnes homines (inquit sapiens) in quibus nõ inest scientia *Rom. 1.* Dei. Qua etiam de re Paulus indicat, olim apud Ethnicos omne flagitium & probrũ ex tali fonte, hoc est, ex ignorantia Dei uenisse ac ꝓfluxisse. Cõtrà uerò dicit Christus, Deũ *Iohan. 17.* cognoscere, & quem misit Iesum Christum, esse uitã æternam. Ex tali enim cognitione oritur ac manat omne bonũ. Vnde quoq; nihil est, quod diabolus uehementius infestat, quàm fidem de Deo. Aut conatur nobis cognitionem Dei & fidem penitus auferre, aut saltem illius partem, nempe ut unam personam confiteamur, & alias abnegemus. Atqui nihil interest, siue unam personam in deitate abneges, siue Deũ prorsus neges. Filius Dei est sapientia Dei. Iam quid aliud facis, si filiũ abneges, quàm quòd tibi insipienteem & stultum Deũ fingis? Sic spiritus S. est amor & bonitas Dei. Iam quid aliud facis, cùm abnegas spiritum sanctum quàm

S. Trinitatis festum cur instituitum.

Fili⁹ Dei quid.

quòd

quòd tibi crudelem, immisericordem Deum, in quo, neque amor, neq; comitas sit, facis? Quid autẽ hinc mali sequatur, sentiunt territæ conscientię, quę ob id semper in pauore ac tremore stant, nec tranquillæ esse unquam possunt. Hoc autem quærit diabolus, ut aut nobis persuadeat, nullũ omnino esse Deum: aut nihil eum esse aliud, quàm seuerũ, immitem iudicẽ. Qua re multas inescat animas, quę aut in omnẽ incidunt leuitatem, dum opinantur nullum esse Deum, aut desperant, dum existimãt Deum immisericordẽ esse. At nos meliora scimus, quinimo alacriter ac fidẽter dicere possum cum Baruch, Beati sumus Israël: quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis, &c. Quapropter etiam nos in nostra fide S. Trinitatem palàm confitemur, ac dicimus, Credo in unũ Deum, patrem, filium, & spiritum sanctum, &c. Verum hæc quis nos docuit? Caro sanè & sanguis non reuelauit nobis: Deum enim nemo uidit unquam, quemadmodũ Deus ipse dicit, Non uidebit me homo (inquit) & uiuet. Nã unicus filius Dei hoc nos docuit: imò quicquid de Deo scimus & cognouimus, id nobis filius Dei dixit ac manifestauit. Cognouerunt quidem & olim Ethnici philosophi Deum ex creatura, & Iudæi ex scripturis: nos uerò per Christũ, imò per eundem Christum etiam illi Deum cognouerunt: nam per illũ omnia facta sunt, & sine ipso factũ est nihil: tum etiam ipse adeò est uerum & genuinum uerbum Dei, &c. Cognoscitur autem res quæque trifariam, nẽpe ex uestigiis illius, ex imagine illius, & ex natiua eius facie. Prima cognitio imperfecta est, altera paulò perfectior, tertia omnium perfectissima ac certissima. Etenim uestigium Dei elucet in omnibus creaturis, siquidem omnes pariter clamant: Ipse fecit nos, & non ipsi nos, &c. Adhæc unaquęlibet creatura nõ solum sic clamat ad Deũ, sed habet & gerit etiã uestigium sanctæ Trinitatis in seipsa: quæuis enim creatura habet quandam essentiã, ueritatem & bonitatẽ. Id uerò quid aliud est, quàm uestigium Trinitatis, quæ essentialis uita est, ipsissima ueritas & bonitas? Perfectius adhuc apparet idipsum uestigium sanctę Trinitatis in anima hominis: illic anima per seipsam nil nisi res unica est, attamen hæc tria in se concludit, nimirum uitam, intellectum & uoluntatẽ. At hoc quid aliud est, quàm uestigium sanctissimæ Trinitatis? Atque hoc modo cernimus notas quasdã & uestigiũ sacrosanctæ Trinitatis in omnib⁹ creaturis, quẽadmodũ & Paulus dicit, Inuisibilia

Spiritus sancti quid. *Baruch 4.* *Matth. 19. Iohan. 1. Exod. 33.* *Rom. 1. Iohan. 1.* *Res quæque trifariam cognoscitur.* *Vestigiũ Dei. Psal. 99.* *Anima trina & una.* *Rom. 1.*

Dei (inquiens) sempiterna quoq; eius uirtus & diuinitas, ea quę facta sunt, intellecta cōspiciūtur. Atq; hoc pacto etiā Philosophi olim haud obscurè uidere potuerūt, unicū uerū Deum esse oportere, dicitq; diuus Paulus, idolū nihil esse in mundo, & nullum esse Deū nisi unū, ex quo omnia sunt, & nos in illo, &c. Distinctè autē nō cognouerūt, sed alij ignē, alij uentum & aërē, alij dispositionē & cursum syderum, alij aquā, alij solē & lunam pro Deo & rectore mūdi habuerūt, Vnde & Paulus ad Athenienses dicit: Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio uobis Hoc modo Deus per creaturā agnoscitur, sed tamē imperfectè: multo autē clarius in sacra scriptura cognoscitur, quæ nobis imaginem Dei ita deliniat ac ꝓponit, ut Deū cognoscere nusquā certius possis, quàm in sacris literis. Enimuerò scriptura nihil aliud facit, quàm ꝙ nobis Deum ostendit, quinetiā S. Trinitatem, si propius ac penitius eam aspicias, attamē non ita omnino expressis uerbis. Vtpote primo, nónne hoc indicat Trinitatē personæ, & unitatē diuinæ substātiæ, ꝙ Moses minister Dei, ad filios Israel dicit: Audi Israel, dominus Deus noster, Deus unus est, &c. Et iterū, ubi Deus ipsemet ait: Faciamus hominē ad imaginē & similitudinē nostram, &c. Caterū ꝙ Trinitas ꝑsonarum in vna diuina essentia, in veteri testamento nō ita clarè expressa est, id inde adeò venit, quòd tum iuuētus mūdi adhuc imbecillis ac tenera erat. Filij Israël intueri vultum Moysi non poterant, ideo velamen habebat super faciem suam, vsque ad tempus Christi. In summa, mysterium sanctæ Trinitatis thesauro insigni simile est, in agro sacræ scripturę repositum ac reconditum. Scriptura quidem clara est, perspicua & omnibus exposita, uerūtamen nemo in ea thesaurū illū inuenire potest, nisi oculos habeat à Deo illuminatos. Verùm cùm Christus in terras ueniret, qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, tum nomen sanctæ Trinitatis primū exprimebatur: tum tres personæ, pater, filius & spiritus sanctus primū nominabātur. Vnde & Christ' in suo aduentu dicebat, Narrabo nomen tuū fratribus meis. Hoc pręfiguratū fuit in Abrahā, qui tres angelos cōspiciens unū tantū adorabat. Eáq; uisio illi apparebat nō alio tempore, quàm cum ei Deus filiū Isaac ꝓmittere uellet, & cùm æstus eius diei esset uehementissimus, quæ figura erat, fore, ut fides in sanctā Trinitatē tū omniū maximè manifestaretur, cùm Christus benedictum semen Abrahæ ueniret, & corda sancto

1. Cor. 8. *Sap. 13.* *Act. 17.* *Ex sacris literis rectior Dei notio.* *Deut. 6.* *Gen. 1.* *Exod. 35.* *Matth. 13.* *Hebr. 1.* *Psal. 21.* *Gen. 18.* *Fides S. Trinitatis quādo cœperit declarari.*

sanctorũ Apostolorũ igni spiritus sancti accẽderentur. Tũ enim primũ incipiebant fidẽ sanctæ Trinitatis prædicare. *Act. 2.* Hæc secũda causa est, quamobrẽ festum istud mox sub missionem spiritus sancti obseruetur. Id enim tẽporis fides sanctæ Trinitatis primũ prędicata fuit. Atq; hoc etiã Propheta *Hier. 31.* prædixit, ubi hunc in modum inquit, Ecce, dies uenient, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouũ, &c. Et nõ docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suũ, dicẽs, cognosce dominum. omnes enim cognoscent me, &c. Hoc nunc impletur: nam profectò, etiã si nulla scriptura esset, nihilominus tamẽ Deum ex Christo agnoscere possemus, & qui Deũ nunc non cognoscit, is desperationi proximus est. Reprehenduntur Ethnici à diuo Paulo, quòd ex creaturis *Rom. 1.* Deum non agnouissent: nec non Iudæi, quòd & ipsi ex scriptura diuina eum agnoscere noluerint, quẽadmodũ Deus in Isaia queritur, Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spre *Isa. 1.* uerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus pręsepe domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus me nõ intellexit, &c. Quo pacto igitur nos excusabi- *Vestigiũ Dei.* mus, qui simul uestigium, imaginem & faciem Dei, hoc est, *Imago Dei.* creaturas, sacram scripturam & Christum habemus, nec ta- *Facies.* men Deum cognoscimus, quod ex eo uidetur ac deprehenditur, quod neq; eum diligimus, neque metuimus, neq; illi fidem habemus, neque morẽ gerimus. Cõfitemur ore, nos *Tit. 1.* nosse Deum, sed factis illum abnegamus. Iam ut ad institutum redeat oratio, Vnigenitus filius Dei Deum nobis uerè patefecit, quemadmodum ipsemet dicit, Manifestaui no *Iohan. 17.* men tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Et rur- *Iohan. 17* sum, Vos dixi amicos: quia omnia quæcunq; audiui à patre *Iohan. 15.* meo, nota feci uobis. Quid ita uerò? Non ut curiosè ea de re disputemus, sed ubi Deum agnouimus, omnem operam adhibeamus, ut sit etiam Deus noster: quod tum fit, cùm populus ipsius sumus. Dei autem populus efficimur, cùm per spiritum sanctum renascimur. Nam quod ex carne est, caro *Iohan. 3.* est: cæterum Deus non uult carnalem populum, sed spiritualem, qui per gratiam spiritus sancti ad id præparatur. Atqui uerò Christus largitur spiritum sanctum, quemadmodum scriptura dicit, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse e *Iohan. 1.* narrauit, imò ipse nobis spiritum sanctum donauit. Vnicus Christus in sinu patris mansit, hoc est, in cura & custodia patris, nos uerò omnes ex eo excidimus in peccatum: idcircò

nemo mortalium ſpiritum ſanctũ conferre potuit, iuxta di-
Eſa. 51. ctum Iſaiæ, Non eſt, qui ſuſtentet Ieruſalem ex omnibus fi-
liis quos genuit: quia extra eam deprehenſi ſunt. Hoc opus
1. Pet. 2. unius Chriſti eſt. Is in ſinu patris manſit, ut qui nullum pec-
catum per ſe fecit, nec ab alio ullo peccatum contraxit aut
hæreditario accepit: nam cùm in hunc mundũ ueniret, neq;
Adæ, neq; ſerpẽti notũ fuit, Eua neq; uoluptate neq; dolo-
re afficiebatur, ſolus pater aderat. Quapropter Chriſtus ſpi
ritum ſanctũ dare potuit, & dat eum adhuc, iuxta illud, Si-
Iohan. 3. cut Moyſes exaltauit ſerpentẽ in deſerto, ita exaltari opor
tet filium hominis: ut omnis qui credit in ipſo, non pereat,
ſed habeat uitam æternam.

SECVNDVS SERMO DE *feſto ſanctæ Trinitatis.*



Ibidem. IN hodierno Euãgelio inter cætera audiuim⁹, quòd Chriſtus dicit, Si terrena dixi uobis & nõ creditis, quomodo ſi dixero uobis cœleſtia, credetis? Quo uerbo Chriſtus ſatis oſtendit, humanam rationẽ & intellectũ neutiquã
Sap. 9. ſufficere diuinis ac cœleſtibus rebus aſſequẽdis. Si difficile
æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inue
nimus cũ labore, quæ autẽ in cœlis ſunt, quis inueſtigabit?
Rom. 12. Quapropter nõ immeritò nos monet Paul⁹, ne plus quàm
oportet, ſapere uelimus. Id quod ubiq; locorũ obſeruãdum
eſt, præſertim ubi de Deo eiúsq; diuina eſſentia ſeu natura
ſit ſermo. Nõ ab re autẽ hoc dico. Celebramus hodie in ſan
cta Eccleſia feſtũ, qđ rectà ad ſuperna nos remittit in Deũ
& æternã eius diuinámq; eſſentiã. Eſt quippe feſtũ ſanctæ
Trinitatis, quam hodie in ſancta Eccleſia colimus ac uene-
ramur pro noſtra uirili, ut æquum eſt. Quia enim hactenus
ordine nobis ꝓpoſitũ eſt, qd ſancta Trinitas, imò unaquæ-
que pſona ſeparatim ad noſtrã ſalutẽ fecerit, nimirũ quòd
Deus pater filiũ ſuũ in terras miſerit, Deus filius ſeipſum ꝑ
nobis dederit, & Deus ſpiritus ſanctus dominiũ ac patro-
cinium Eccleſiæ & credentiũ ſuſceperit. Hęc (inquam) poſt-
eaquam ordine audiuimus, nihil certè iuſtius facere poſſu-
Laus & gratiarum actio erga S. Trinitatem. mus, quàm ut in genua procidẽtes, ſublatis manibus, ocu-
lis & corde dicamus: Benedicta ſit S. Trinitas atq; indiuiſa
unitas: cõfitebimur ei qa fecit nobiſcũ miſericordiã ſuã. Itẽ,
Benedicam⁹ patrẽ, & filiũ cũ ſancto ſpiritu. Et iterũ, O ado-
randa

rāda Trinitas, O uenerāda unitas. Per te sumus creati, sum-
ma tu charitas. Populū cunctum tu protege, salua, libera, eri *Rom. 11.*
pe, & emunda. Te adoramus omnipotēs, tibi canimus, tibi
laus & gloria, per infinita secula seculorum, Amen. Hūc in
modū colit hodie Ecclesia sanctam Trinitatem. Et quāquā
hoc per totum annū facit, attamen diem istum peculiariter
ad hoc destinauit, quo sancta Trinitas etiam uerbo prædi-
cationis ueneret honoretúrq;: nō quòd mysteriū hoc Tri-
nitatis uerbis humanis indicari, aut etiā curiosis ad quęstio
nes omnes satisfieri possit, sed ideo solùm, ut fides in sim-
plicibus corroboretur. Nā aliàs quanquam Paulus sublimi-
ter illustrat' Apostolus erat, uerūtamē cùm ei de arcanis &
abstrusis iudiciis Dei dicēdum esset, in hāc erūpere uocē co
gebatur, O altitudo diuitiarū sapientiæ & sciētiæ Dei, quàm
incōprehēsibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uię eius.
Itémq; Augustinus, Nec periculosius, ait, alicubi errat, nec *August. 1. de*
laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inue- *Tri. cap. 3.*
nitur, quàm ubi quæritur unitas trinitatis, Pater, & Filius, &
Spiritus sanctus. Sic legim' de Ethnico quodā Philosopho,
q interrogatus, quid Deus esset, triū dierū spatiū cogitandi
de responso petiit, quibus euolutis, decē dies petiit, his rur
sum transactis, centum dies petiit. Interrogatus cur ita age-
ret, Quò diutius quęro, inquit, hoc minus ad quęstionē istā
respōdere possum. Neq; mirū. Quomodo enim homo exili
suo ingenio hoc magnū mysteriū assequi possit, qui ne mi-
nimarū quidē creaturarū naturā peruestigare queat? Di-
uus Iob cùm in sua afflictione & tribulatione esset, conaba
tur causam diuinorū operū & iudiciorū indagare, sed tot à
Deo quæstionibus interpellabatur, ut dicere cogeretur: Do
mine, scio quia omnia potes, idcirco manū meā ponā sup *Iob 42.*
os meū. Idē hoc usu uenit Esdræ: ad hunc dicebat Angelus, *4. Esd. 4.*
Si essem interrogans te, quantæ habitationes sunt in cor-
de maris, aut quantæ uenæ sunt in principio abyssi: diceres
mihi fortassis, in abyssum nō descendi, &c. nūc autē nō in-
terrogaui te, nisi de iis, à qbus separari nō potes: & nō re-
spōdisti mihi de iis, quāto minus capere potes uiā altissimi?
Itidem & ego illos, q de sancta Trinitate curiosè interro-
gant ac disputāt, ad creaturas remittam, ac dicam, Dic tu, q *In curiosos S.*
omnia scrupulosè inquiris, quomodo nix, tonitru & fulgur *Trinit. scruta*
formatur? Quomodo ex ouo fit auis tā pulchris ornata pē *tores.*
nis, imò auis quæ ferrū deglutit? Quomodo magnes ad se

attrahit

attrabit ferrũ?&c. Hæc si neqs intelligere, res diuinas quomodo intelliges? Quare festũ hoc nõ propterea institutum est, ut curiosis satis fiat, sed ut simplicibus fides S. Trinitatis proponatur: quocirca etiã pauca ea de re dicã. Et primò certum est, hominẽ ideo creatũ esse, ut Deum discat agnoscere & tum etiam beatus est, cùm ad uerã cognitionẽ Dei peruenit. Hæc est uita æterna (inquit Christus) ut cognoscãt te solum Deum uerũ, & quem misisti Iesum Christũ. Ad hunc finem aliarũ terrenarum creaturarum peruenire nulla potest. Habent quidem bruta animantia quiddã cum homine commune in extrariis sensibus, imò hisce in rebus quædam animantia hominẽ longè superant, ut quæ acutius uident, subtilius audiunt, atq; etiã citius sentiunt quàm homo. Veruntamen eorum nullum ad cognitionẽ peruenire Dei potest, præter unum hominem, nec tamen etiam homo de Deo loquens aut cogitans, suam rationem sed fidem sequi debet. nam ratio nostra rumpatur licet, cõprehendere tamen Deũ non potest. Eapropter Christianismus noster à fide incipit. ante omnia enim interrogamur in baptismo, num credamus: ante omnia etiam credere docemur. Nisi enim credidermus, nunquàm talia intelligemus. Pythagoras philosophus ita habebat suos discipulos, ut intra quinquenniũ nihil interrogare auderent de omnibus iis rebus, quas illis proponebat, sed simpliciter credere eos oportebat. Quin in unaquaq; arte & officio, tuo magistro credere cogeris. Cur igitur hic solùm rebus in diuinis causam requiris ac scire cupis, cùm tamen fides omnium maximè sit necessaria? Quamobrem intermittit Ecclesia eiusmodi in rebus causam indicare, simpliciter proponens nobis, quid de sancta Trinitate credere oporteat. Primò ex Symbolo S. Apostolorum: Deinde & aliquanto clarius in Symbolo Niceni Cõcilij: & postremò dilucidius adhuc in Symbolo Athanasij. Docẽt autẽ sancti Apostoli nos hunc in modũ dicere: Credo in Deũ, patrem omnipotentẽ, creatorem cœli & terræ, & in Iesum Christũ filiũ eius unicum, dominũ nostrum, &c. Credo in spiritum sanctum. In Niceno Concilio sic dicere docemur: Credo in unum Deum, patrem omnipotentẽ, factorem cœli & terræ uisibilium omniũ & inuisibilium, & in unum dominũ Iesum Christũ filium Dei unigenitũ, & ex patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero, genitum non factum, consubstan

Homo cur sit conditus.

Iohan. 17.

Esa. 6.

Pythagoræ erga discipulos institutum.

Symbolum Apostolorum.

Symbolũ Nicenum.

substantialem patri per quē omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutē descēdit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria uirgine, & homo factus est,&c. Et in spiritum sanctū, Dominum & uiuificātem, qui ex patre Filióq; procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur: qui locutus est per Prophetas,&c. Ita nimirum Synodus illa Nicena nostram de sacrosancta Trinitate fidem instituit. Athanasij uero Symbolum ita habet: Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatē in unitate ueneremur: neq; confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia spiritus sancti. Sed Patris & Filij, & spiritus sancti una est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritussanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus spiritus S. Immensus Pater, immensus Filius, immensus spiritus sanctus. Aeternus Pater, æternus Filius, æternus spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus & vnus immensus. Similiter omnipotēs Pater, omnipotēs Filius, omnipotēs Spiritus S. & tamen nō tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. & tamen nō tres dij, sed vnus est Deus. Ita dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus S. & tamen non tres Domini, sed unus est Dominus. Quia sicut singillatim unāquanq; personam Deum ac dominū cōfiteri Christiana ueritate cōpellimur: ita tres Deos aut dominos dicere, catholica religione prohibemur. Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à Patre & filio nō factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Vnus ergo Pater, non tres patres: unus Filius, non tres filij: vnus Spiritus S. non tres spiritus S. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales: ita vt per omnia, sicut iam supra dictum est, & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda sit. Qui vult ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat, &c. Habes iam, quòd Christi catholica Ecclesia de beatissima trinitate nos credere velit. Sed si plura adhuc de Deo scire cupis, attēde verbum Pauli, vbi inqt: Videmus nunc per speculū in ænigmate, tunc autē facie ad faciem. Habemus autē tria specula, in quibus videmus

Symbolum Athanasij.

1. Cor. 13.

Tria specula, quibus Deum cōtemplemur.

mus Deum. Est nostra natura, sacra scriptura, & propria nostra salus. Natura omnium rerum creatarũ docet, unum esse Deum. Siquidem omnes pariter clamant, Ipse fecit nos,
Psal. 99. & non ipsi nos. Adhæc, inuenimus in unaqualibet creatura hęc tria, substantiam, formam & utilitatem. In substãtia creaturæ uides potentiam Dei: in forma apparet Dei sapientia: in utilitate uerò Dei elucet bonitas. Atq; hoc pacto inuenis in qualibet creatura Sanctã Trinitatem: nam potentia patri attribuitur, sapientia filio, bonitas spiritui sancto. Adhæc in quibusdam creaturis adhuc clarius conspicimus S. Trinitatem, ut pote in sole tria inuenis, quæ distrahi non possunt,
Tria in Sole. nimirum substantiã, splendorẽ & calorem. Atq; hæc tria nõ sunt nisi unus sol. Sic de igne. Hũc in modũ uidemus S. Trinitatẽ in speculo naturæ. Apertius autẽ in speculo sacræ
Deut. 6. scripturæ id apparet. Vt ubi Moyses dicit: Audi Israël, dominus Deus noster, Deus unus est. Et ubi Dauid dicit: Verbo
Psal. 32. domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et ubi Isaias ait: Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus
Esa. 6. Deus exercituũ. Et in Matthæo, baptizãtes eos in nomine
Matth. 28. patris, & filij & Spiritus S. Et in Epistola Ioãnis: Tres sunt qui testimonium dant in terra: Pater, uerbum & Spiritus S.
1. Iohan. 5. & hi tres unum sũt. Hæc si assequi nõ potes & intelligere, cogita alioqui etiam multo plura diuinis literis tradita esse, quæ tua nequeas ratione complecti, licet certissimè facta
Exod. 14. sunt: ut cùm sacra scriptura dicit, mare & Iordanem diuisum
Iosu. 3. & 10. esse, & solem totũ diem stetisse, &c. Proinde spiritui sancto honorem defer, & crede diuinæ scripturæ. Postremò quoq;
Anima speculũ diuinitatis. intuere speculum tuæ ipsius animæ, ubi similiter S. Trinitatem reperies. Etenim primò anima tua immortalis est, tum tota est in corpore toto & tota in unoquolibet corporis mẽbro: & quãq̃ unica anima est, omnia tamẽ mẽbra uiuificat: tum etiã libera est in sua operatiõe, ac deniq; una quidẽ anima est, attamẽ his trib9 potentiis prędita est, Memoria, Intellectu, & Volũtate. Hęc autẽ omnia nobis indicat S. Trini
Gen. 1. tas in una diuina essentia. Eaq; propter dicit scriptura, hominẽ secũdum imaginẽ Dei creatũ esse. Et Dauid: Signatũ
Psal. 4. est super nos lumen uultus tui domine. Vtinã toties speculũ animarũ nostrarũ intueremur, quoties per externos sensus
Luc. 17. extra nos ipsos excurrimus & uagamur. Summa, regnũ Dei intra nos est. Nõ est necesse, ut Deũ procul quæramus: in te ipso inuenis illũ. Reliquũ fuerit, ut agnitã Trinitatem colamus

lamus, magniq; faciamus, nec tam sancto nomine ad aliquã superstitionẽ abutamur. Nec enim habebit insontẽ Domin' eum, qui assumpserit nomẽ Domini Dei sui frustra. Deinde curare oportet, ut nõ solũ substantiã sed ẽt uolũtatẽ Dei cognoscamus. In hoc glorieẽ qui gloriatur, ait ipse, scire & nosse me, quia ego sum dominus, qui facio misericordiã & iudicium & iustitiã in terra. Ita uidelicet de Deo existimare debemus, in se ipso bonum & iustũ eum esse, & in nobis etiam bonitatẽ ac iustitiã amare. Indicabo tibi (inquit Micheas) ô homo quid sit bonũ, & quid dominus requirat à te, utiq; facere iudiciũ, & diligere misericordiam, & solicitũ ambulare cũ Deo tuo. Hũc in modũ S. Trinitatẽ ueneremur, fide, charitate, spe, timore, obedientia & gratiarum actione, &c.

Exod. 20.

Hiere. 9.

Mich. 6.

Trinitas ut sit ueneranda.

SERMO TERTIVS DE ECCLE- *siæ ordinatione, & de primis uerbis hodierni Euangelij.*



HODIERNA illa dominica dies clausula est festorũ omniũ, q̃ hactenus coluimus, & insup prima inter eas dominicas dies, quæ à Pẽtecoste ad Aduentũ usq; celebrãtur. Qua quidẽ de causa etiã dominica hæc aliquãto plus habet, & peculiare quiddã præ cęteris anni dominicis. Etenim primò attributũ ei est festum S. Trinitatis: deinde quoq; peculiare & plurimũ habẽs põderis, ei assignatũ est Euangeliũ. Atq; his duabus in rebus singularis & iusta, imò grauissima inest causa. Primò enim quoniã plurimũ refert, ut unaquæq; res recte beneq; concludatur, superiora festa cõcludi melius nõ potuerũt, q̃ festo sacratissimæ Trinitatis. Postquam enim eiusmodi festa nobis ĩdicarũt annũtiarũtq; & nos cõmonefecerũt, nos magna & incõparabilia bona accepisse, utiq; æquũ est, ut uerũ principiũ, originẽ ac datorẽ taliũ bonorũ agnoscamus, laudemus, & amemus. Sed quis ille est? Audi quid Dauid dicat: Scitote quoniam dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & nõ ipsi nos, &c. Ad hũc nos remittit festum istud. Hoc unũ est. Secũdò, quia omnes tres personę in sacrosancta deitate, amicè, planè & benignè sese exhibuerũt, Deus pater in creatione, Deus filius in redẽptione, De' spiritus S. in nostra iustificatione: æquũ est, nos sanctissimã Trinitatẽ summa cũ deuotiõe uenerari, atq; ita, ne p̃sonas cõmisceamus cõfundamusq;, aut substantiam separemus, sed

Psal. 99.

S. Trinitas cur merito nobis colenda sit.

sed unitatẽ diuinę naturę, in trinitate personarũ, & trinitatẽ personarũ in unitate diuinę essentię colamus cõfiteamurq́;.

Tertiò, quia mera gratia est, quicquid unquam à Deo accepimus, siue illud sit in creatione, & redẽptione, siue iustificatione, meritò profectò hodie canimus ore simul & corde: Benedicta sit sancta trinitas atque indiuisa unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Benedicamus patrem & filiũ cũ sancto spiritu. Sic fiebat in primitiua Ecclesia. Cũ enim sancti Apostoli prædicarẽt, & gliscerẽt Euangeliũ Christi, mox etiam cœpit laus Dei extollere ac *Psal. 85.* celebrari. Quemadmodum Dauid prædixit: Omnes gentes quascunque fecisti, uenient, & adorabũt corã te domine, & glorificabũt nomen tuũ: Quoniam magnus es tu, & faciẽs mirabilia: tu es Deus solus. Quod si igitur festum hoc rectè celebrare uellemus, perficere quoq; nos oporteret, quod in Psalmo iam cõmemorato statim sequitur: Deduc me domine in uia tua, & ingrediar in ueritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomẽ tuum. Hac de causa festum hoc Sanctę Trinitatis in hanc Dominicam translatũ est, & ad obseruandũ ordinatum, nimirum ut omnia præterita festa Christi cũ laude & gloria Sanctissimæ Trinitatis concludamus. Quanquàm nec id quidem sufficit, nos præteritum tempus rectè cõcludere, nisi iam iniens & sequens quoque rectè auspicemur. Etenim tempus istud ab hodierna dominica usque ad Aduentum, maiores nostri uocauerũt Tempus peregrinationis: siquidẽ per id admonemur, posteaquàm Christus opus suũ perfectè executus est, ut etiam nos posthac omni studio & industria ad ueram nostram patriam contendamus curramusq́;. Huc facit, quod Nicodemus in hodierno Euangelio tam cupidè quærit, rogat & audit, idq́; noctu, cum alij aut quieti suæ, aut uoluptati uacabant. Hoc exemplum (inquam) optimè per omnẽ modũ quadrat ad initiũ istius iam ineũtis temporis. Cogitare alioqui simplex posset, satis esse Christũ omnia transegisse, nihil nostro opus esse labore. Atque hæc causa est, quam ob rem Euangeliũ istud hodierna dominica legatur. Altera causa est, quòd Euangeliũ istud tam pulchrè indicat, unde Christiana uita ordiẽda sit, nempe à mortificatione ueteris hominis, & abnegatione nostri ipsorũ. Si quis uidetur, ait Apostolus, inter uos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiẽs. Ita hîc possum dicere: Qui uiuere uult, is prius moriatur necesse est: qui ascendere uult,

Tempus peregrinationis.

Iohan. 3.

Christiana uita unde ordienda.

1. Cor. 3.

uult, prius descendat oportet. Hoc quidem Nicodemus primũ pro rara, mirabili, insolita & penè pro impossibili re ducebat, sed aliter fieri nõ potest. Granum frumenti nisi prius mortuũ fuerit in terra, fructũ nullũ affert. Insipiens (inquit Paulus) tu quod seminas nõ uiuificatur, nisi prius moriatur. *Iohan.12.* *1.Cor.15.*

Tertiò, quia omnibus peregrè proficiscentibus & ambulantibus plurimũ confert ac conducit, si scopũ & locum, ad quẽ contendũt, semper præ oculis habeant, Euangeliũ istud rursus rectè beneq; hodiernæ isti dominicæ attributum est. Nã scopum uerum, ad quẽ tandẽ appellere nos oportet, & cursum nostrum dirigere, clarissimè ob oculos ponit. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis: ut omnis qui credit in ipso, nõ pereat, sed habeat uitã æternã. Quia ergo Euangeliũ istud singulari studio primæ huic dominicæ dicatũ est ut prædicetur, postulat necessitas, ut omni cũ diligentia rẽ perpẽdamus. Proinde hac uice prima uerba in hoc Euangelio nobis proponemus, deinde uerò in sequentibus sermonibus etiã alia uerba disquiremus considerabimúsq;. Sic autẽ incipit Euangeliũ istud: Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorũ. Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus quia à Deo uenisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cũ eo. Principium hoc est hodierni Euangelij. In hoc describit Iohannes singulari diligentia colloquiũ inter Christum & Nicodemũ aliquãdo habitum: neq; iniuria, siquidẽ obseruatu dignissimum est, ut in quo non de fabulis & rebus inutilibus, sed magna prorsus & necessaria, imò capita Christianæ doctrinæ tractantur. Ad hęc utraq; persona in hoc colloquio ita cõstituta est, ut unaquæq; rẽ diligenter & seriò agat, Nicodemus interrogãdo, Christus docendo & respõdendo. Vt meritò ex hac historia exẽplum capiendũ sit, quod cum prædicatores tũ auditores sequãtur: quando res ipsa loquitur, imperitos aut infideles prædicatores & carnales auditores, sanctę Christianitati his ultimis tẽporibus maximũ afferre damnũ. Sed unaquæque uox peculiare quiddam in se habet Primò, uerbo illo quod Iohannes dicit: Erat autẽ homo ex Pharisęis, remittit nos ad id, quod paulo anteà dictũ erat, nimirũ quod multi in Christum crediderint. ex his iã unum nominat, sed talẽ, qui cętęris multo perfectior erat. Huic enim concredebat se & manifestabat Christus, aliis uerò nõ itẽ, sciens nimirũ, eos mi- *Num.21.* *Iohan.3.* *Ibidem.* *Iohan.3.* *Nicodemi constantia.*

nimè constantes fore. Idq; postea nō semel tantùm magnifi cè & ipso facto declarauit, primò cùm Christum uerbis con
Ioh. 7. tra Pharisæos defenderet ac tueretur. Nunquid lex nostra iu dicat hominē (inquit) nisi prius audierit ab ipso, & cognoue rit quid faciat? Omniū uerò maximè constantiā suam decla
Iohan. 19. rauit, cùm Christū, quē alij sectæ illius crucifixerāt, palàm & honorificè sepeliebat. Atq; hinc liquido apparet, cur Deus uni homini gratiā suam aut sapientiā copiosius impartiat q̄ alij, nimirū quòd alius alio magis idone⁹ est ad accipiendū.
Donis Dei quis sit dignus. Is autē Dei donis accipiēdis idoneus est, qui ea cupidè quę rit, & quasi esurit ac sitit, quēadmodum dicit Christus: Beati
Matth. 5. qui esuriūt ac sitiunt iustitiā, quoniā ipsi saturabuntur. Et Ma
Luc. 1. ria: Esurientes impleuit bonis. Porrò qui acceptis donis re ctè utitur, dignus est maioribus, ueluti Christus ait: Super
Matth. 25. pauca fuisti fidelis, super multa te constituā. Talis erat Ni codemus, atq; ideo etiā uocat eum Iohānes hominē, dignū iudicās eū hoc nomine, non tā propter naturā, quàm quòd
Eccle. 17. ratione gnauiter uteretur. Propterea enim Deus homini nō solū externū sensum, sed etiā rationē, ac insuper etiā legem dedit, ut per hoc à malo abstraheretur, ad bonū autē impel
Psal. 31. leretur, & non ita bruti instar abiret, cui non est intellectus. Alij quibus Christus se nō concredebat, natura quidē etiam homines erant, cęterum nomine hoc indigni erāt, ut qui ra tionē suā ne tantum quidē cōsiderabant, ut id interrogarēt quod ignorabant. Agè, Nicodemus iste ex Pharisæis erat, hoc est, doctus simul & bonus coram mundo. Etenim Phari
Pharisæorum secta. sæi scientiæ & ꝓbitatis opinionē & gloriā prę cęteris sectis habebāt. quapropter etiā Paul⁹ eā uocat certissimā sectā in
Act. 26. ter oēs reliquas. Verūtamē quantūlibet doctus & bon⁹ hic Nicodem⁹ erat, nō pudebat eū à Christo discere, imò ea di scere, quę ad uerā iustitiā ꝑtinent. Quare superbia nostra pa làm arguitur, qui facilè omnē scripturā & prędicationē con temnimus, perinde acsi ea nō haberemus opus, si secundum nostrum quidē iudiciū sapientia ac probitate paulum alios uincamus. Vnde fit, ut apud nullos uerbū Dei contempti⁹ sit, quàm apud eos, qui propriæ scientiæ ac uirtutis opinio ne sese efferunt, cùm tamē eius eruditionis nemo sit, quem non multa adhuc lateant, sæpéq; cōtingat, ut quis sibi bon⁹ uideatur, qui nōdū scit, quid sit uera probitas, & ubi ea quę renda sit. Secundò, de hoc Nicodemo propterea etiam di citur, eum ex Pharisæis fuisse, quia enim Pharisæi (iuxta no-

minis

minis eorum interpretationem) à Deo diuisi & separati erant, & Nicodemus hactenus inter illos fuisset, exibat nunc ab illis, & conciliabat se cum Deo eiúsque uerbo. Postremò ideo quoque Iohannes hoc recensuit, ne quis cogitaret, uulgum tantummodo Christo adhæsisse. Propterea Nicodem⁹ appellatur princeps. Nam tametsi Christus infirma & contẽptibilia mundi elegit, non tamen doctos & potẽtes omnes reiecit. Veruntamen quòd eiusmodi homines pauci salui fiunt, ex eo uidere est, quòd ex tot diuitibus, doctis ac potẽtibus, unicus Nicodemus ad Christum uenit. Etenim qui mũdi gloriam sectatur, difficulter credere potest, serius ad Christum uenit. Est ergo argumentum fidei in Nicodemo, quòd ad Christum uenit. Quòd nocte uenit, infirmæ adhuc & imperfectæ fidei indicium erat. Pudebat eum, quòd Iudæorum princeps iam primum humilis Iesu discipulus fieri debeteretum forte etiã timebat, ne è Synagoga propterea eiiceretur. Mirum tamen non est, Nicodemum tum adhuc imperfectum fuisse, cùm etiam in sanctissimis uiris nonnunquam affectus talis sit deprehensus, ut in rebus bonis uel minimum pudeat eos, uel nimium timeant. Vt in Gedeon uidemus. Is etiam conciues suos metuens, altare idolis cõsecratum nocte euertere cogebatur. nec Apostoli in passione Christi præ metu prodire audebant. Nihil uincitur difficilius & ex animo eiicitur, quàm amor sui ipsius, & mundi metus. Hæc duo plurimorum hominum salutem impediunt. Venit ergo Nicodemus in tenebris ad Christum: siquidem in tenebris adhuc erat, ut qui regenerationem nondum acceperat. Ad eos enim solos qui renati sunt per fidem & baptismum, dicit Paulus: Eratis aliquando tenebræ, nũc autem lux in domino. Sed quid dicit Nicodemus? Rabbi, scimus quia à Deo uenisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Ex hoc uerbo intelligere primum datur, Nicodemum ob doctrinæ similitudinem, quæ illius tempore erat, nonnihil intra seipsum perplexum & dubium fuisse. Pharisæi enim, inter quos educatus erat, trãscribebant iustitiam legi Moysi, & propriis factis suis: cæterum Christus eam fidei & gratiæ Dei trãscribebat. Doctrinam autem Christi Nicodemus reiicere non poterat, quę tã tis miraculis confirmabatur, nec adhuc ei bene fidẽ habere audebat, ut qui uidebat & legẽ & bona opera dãnare. Quoniã igitur ex huiusmodi errore seipsum expedire nõ poterat,

1. Cor. 1.

Iohan. 5.

Iohan. 2.

Iudi. 6.

Iohan. 20.

Amor sui.

Timor mũdi.

Ephe. 5.

Intellige hæc catholice, iuxta mentẽ Authoris alibi sæpe declaratã.

ibat ad Christū. Qua in re multò prouidētior fuit, quàm mūdus nunc est. Hic semper dubitat, nec tamē uidet, quomodo ad ueritatē peruenire possit. Secundò, indicat etiā nobis hoc uerbū pium animū in Nicodemo. nā tametsi eo animo ad Christū concedebat, ut quibusdā de rebus eū interrogaret, attamen cùm iā adiisset illum, nihil speciatim quærebat, sed simpliciter laudabat Christum, perinde acsi dicere uoluerit: Multis me nominib' ignorantē agnosco, ut quid primū rogē, incertū habeā. Quapropter tu doce me, quid maximè necessarium sit. tu enim nobis à Deo doctor datus es, ueluti miracula tua testantur. Hic uerè Christianus animus est, qui se totum Deo dedit. Discipulus nō magister esse uult, grato animo accipit, quod ex uerbo Dei audit, scit sibi multis opus esse. Porrò quòd Nicodemus Christum Rabbi uocat, pro insigni ducebat titulo, arbitrans se Christum magno affecisse honore. Siquidem Pharisęi hos titulos plurimi faciebant, eósq; potissimū quærebant. Sed ut rē ipsam dicamus, lōgè infra Christi dignitatē erat. Nicodemus nihil de illo sentiebat magnificentius, q̃ quòd esset uir sanctus aliquis, aut propheta, quē Deus diligeret, & cui adesset in edendis miraculis. Christus autē non solùm magister erat, sed Deus. Petrus multo honorificentiori illū ornabat titulo, ubi inquit, Tu es Christus filius Dei uiui. Tum etiā Apostoli eum uocant nō magistrū modo, uerumetiā dominum suum. Hoc autē facere Nicodemus nondū poterat, quia nemo potest Iesum dominū uocare, nisi in spiritu sancto. Verū quod dicit: Scimus quia à Deo uenisti magister, argumentū præbet, Pharisæos nō ex ignorantia, sed ex mera malitia de Christo dixisse; eū eiicere dæmonia in Beelzebub. Et nescimus unde hic sit. Ex hoc sequitur, eos in spiritum sanctum peccasse unde meritò excæcati & obdurati sunt. Quòd autē Nicodemus dicit: Scimus quia à Deo uenisti magister, indicio est, quòd Christū pro illo propheta duxerit, de quo Moyses dicit: Prophetam de gēte tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi dominus Deus tuus: ipsum audies. Atqui Deus non plures quàm duos prædicatores & doctores dedit, Moysen & Christum, ut Moyses legem, Christus uerò mundo Euangelium annūciaret. Demiq; dicit Nicodemus, Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cū eo. Verissimū est, Nam alioqui quidem etiam præstigiatores nonnūquam miracula faciunt, sed ea illis conferēda nō sunt, quæ Christus

Pius Nicodemi animus.

Matth. 23.

Matth. 16.

Iohan. 11.

1. Cor. 12.

Luc. 11.

Iohan. 7.

Matth. 12.

Deut. 18.

Doctores Dei duo dūtaxat.

stus fecit: tum quoq; olim nostri prophetæ, Apostoli & Martyres miracula ediderunt, sed nō propria uirtute ac potentia. Verùm Christus dicere poterat: Volo, mundare. dicere poterat: Adolescens, dico tibi surge. Dicere poterat: Surde & mute spiritus, ego pręcipio tibi, exi ab hoc homine: & amplius ne introëas in eum, &c. Hunc in modū nemo alius miracula facere potuit præter Christum. Atq; ex his uerbis uidemus, Nicodemū etiā ex iis unū fuisse, qui ob miracula in Christum credebant, quāquam tamen perfectius cęteris. Nā illi tantummodo ad miracula respiciebant, & non ad uerba Christi, ideóq; fides eorum non diutius durabat, quàm quādiu miracula cernebant, quæ simul atque cessabant, omnes à Christo desciscebāt. At hic præter miracula uerbum quoq; Christi quærebat. Eáq; propter aliis omnibus deficientibus, solus in fide perstabat. Quia itaq; Nicodemus ex solis prodigiis motus, Christo tantum largiebatur, ut nō dubitaret, quin à Deo uenisset, quanto magis nos omnes fiduciam nostram in illo collocare debebamus, qui præter talia miracula etiam uocē patris audimus, ubi inquit, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Vnum hoc est, quod ex his primis uerbis discere debemus. Deinde uerò docet nos principium istud, ut secūdum exemplum Nicodemi ad doctrinam Christi accessuri, nō solùm omnem curam huius mundi, sed etiā omnem temeritatem deponamus, nósque omnibus modis illius doctrinæ dedamus. Nam qui pedibus eius appropinquāt, hoc est, qui per omnia sese humiliāt, séq; illi subiiciūt, accipiēt de doctrina illius. Deus nobis cùm in hoc, tū in aliis feruorem & bonum animum Nicodemi det, Amen.

Matth. 8. *Luc. 7.* *Matth. 9.* *Iohan. 16.* *Matth. 3.* *Ad Christi doctrinā accessuris quid agendum.* *Deut. 33.*

QVARTVS SERMO DE *primo responso quod Christus Nicodemo dabat.*



IN hodierno Euangelio describit Iohannes elegans colloquium, quod olim Christus cum Nicodemo miscuit. Erant duæ magnificæ personæ, altera mundana, altera diuina scientia ac sapiētia celeberrima: tanto libentius & cupidius bonus Christianus hoc colloquiū audire debet. fit enim alioqui, ut omnes aures arrigant, cùm docti uiri de rebus artificiosis disputant. Hic autē congrediūtur, mundus & Deus, ra-

Colloquium Christi cū Nicodemo.

tio & fides, lex & Euangelium, humana opinio, & sacra scriptura, mundana & diuina sapientia. Nec dubium ullum est, quin magna sint, de quibus colloquium istud habitum fuit. Mundi enim sapientem pudet de humilibus ac puerilibus rebus loqui: multo minus nos diuina Sapientia inutile quid docebit: siquidem Deus iam pridem promulgauit se Deum

Isa. 48. esse, qui suos quod utile & bonũ est, doceat. Imò nihil aliud in nobis culpat diuina Sapientia, quàm quod inutilibus solùm ac friuolis, quin etiam perniciosis rebus sumus occupa

Prou. 1. ti. Vsquequo paruuli diligitis infantiã (inquit illa) Audite,

Prou. 8. quoniam de rebus magnis locutura sum, &c. Et sic omnino res habet in isto Euangelio. Etenim loquitur hic Christus ad Nicodemum & ad omnes eos, qui æternam salutem expetunt, non de rebus inanibus, non de mundanis negotiis, nõ de Ethnicis superstitionibus, non de Pharisaicis traditionibus, sed de re omniũ maxima, quæque initium & caput est Christianismi nostri, nimirum de regeneratione & iustificatiõe hominis: atq; ita accuratè ea de re loquitur, & tam selectis uerbis, ut nõ paruo quis indigeat tẽpore, si uellet omnia ad amussim & exactè perscrutari & exponere. Sed qd de rebus tam arduis tẽpore tam breui egregij & exacti dici possit? Enimuerò in hoc Euãgelio aliquot commemorata sunt uerba, de quibus aliquando magna uolumina scripta sunt & adhuc scribuntur. An non antiqui nostri Ecclesiæ doctores, multa scripserũt de natura & uirtute hominis, de uirtute & operatione gratiç, de iustificatiõe & regeneratione, de merito Christi? &c. Nec dum finis est de istiusmodi rebus scribendi. Atqui hæc omnia in hodierno Euangelio com-

Quiuouc. prehensa sunt, & quidẽ omnia scitu necessaria. Nam quemadmodum q peregre proficiscitur, & statim in primo ingressu aberrat, magis atq; magis à uera uia recedit: ita etiã q in primis & principalibus capitibus Christianæ doctrinæ errat & deuiat, longius usq; recedit à uera uia. Deprehensum hoc est in Ethnicis philosophis, in Iudaicis Pharisæis, atq; etiam hæreticis, qui in Christianitate fuerunt & adhuc sunt, q seipsos & alios secum seduxerunt, ueram doctrinam de iustificatione hominis non curantes, aut certè ignorantes. Qua-

Matth. 15 propter etiam eos Christus uocat cæcos & cæcorũ ducto-

Iohan. 10. res, imò fures & latrones, eò quòd non per uerum ostium in ouile introiuerunt. Quamobrem Euangeliũ istud omnibus bonis Christianis summoperè commendatum esse debet.

bet. Et si quis tam simplex foret, qui nō omnia perfectissimè intelligere queat, in summaria saltem aduertat capita. Proinde aliquid amplius de hoc Euangelio dicam. Primò, tametsi duo nobis Rabini & doctores in hoc Euāgelio proponuntur, Christus & Nicodemus: attamen apud Christum manebimus. Quandoquidē Nicodemus parū laudis meruit in hoc colloquio. Vnum in illo laudandum erat, quòd discere cupiebat, nec interrogare eum pudebat: in cæteris rebus omnibus illū mūdi sapientia reprehēsibilem faciebat. Nam principio bonū quidem erat, quod ad Christum ueniebat: uerum quòd clàm & nocte ueniebat, nō admodum eū decebat, id ei suadebat mundi sapientia: ea instillabat illi, non decorum est existimationi tuæ, res esse cum periculo cōiuncta posit, si palàm ad hunc uirum cōmees: posis muneris ac dignitatis tuæ iacturam facere: idcirco clam & noctu illū adito, ne quid de opinione tua tibi pereat, néue homines offendas, &c. Hoc cōsilij nobis dat mūdi prudentia: uult ut Deo seruiamus, sed ita tamen, ne mūdū offendamus. Quanquam Christus ea de causa Nicodemū nō corripit, sed illius hoc imbecillitati imputabat, etsi etiā Nicodem⁹ postea hāc culpā egregiè correxit, dū nō noctu, sed clarissima luce absque omni metu Christū sepeliebat. Sed de nobis qd dicēdū? Quot sunt tales Nicodemi inter nos, semp utroq; claudicātes? Delectat qdē eos honesti ac ꝓbitatis studiū, at pudor aut met⁹ eos id facere ꝓhibet. Talis Nicodem⁹ erat Aarō. hic inuitus qdē adiuuabat idololatriā: attamē ne populū offenderet, néue ignominiā ferre cogeretur, aureū illis uitulū faciebat contra suā ipsius cōsciētiā. Talis Nicodemus erat & Naaman. Is uirtutē Dei in seipso senserat: credebat uerū & unicū Deū in Israël esse: attamē petebat ab Eliseo ueniā, si quādo cū suo rege in idololatrarū tēplū ibat. Talis Nicodemus erat Abdias, regis Achab dispēsator. Hic qdē occultabat prophetas clam, & cibabat eos, sed tamē tyrānico & impio regi nō audebat resistere, & factū eius reprehēdere, qnū credētes persequebat. Eiusmodi Nicodemi inueniunt plurimi passim in Academiis, in Comitiis, in cōciliis, in aulis principum, in iudiciis, &c. quibus quidem cordi esset ueritas, iustitia & pietas, optarent felicem rerū successum, sed ob metum tacent, & ad omne malum conniuent, non audentes contradicere, licet illis aliter cōscientia eorū dictet. Verùm qd Christ⁹ de talib⁹ sentit? Quomodo uos potestis

Mundi sapientia.

Iohan. 19.

Nicodemi cōplures hodie.

Aaron.

Exod. 32.

Naaman.

4. Reg. 5.

Abdias.

3. Reg. 18.

credere (inquit) qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriā quæ à solo Deo est, non quæritis? Secus faciebat Daniel. *Daniel. 6.* Quantũuis Rex Darius uetuerat, ne qs ab homine quid peteret, quàm à rege, suum nihilominus seruabat morem, palàm orans ad Deũ quotidie ter. Sic & illius socij, Ananias, *Dan. 3.* Azarias, & Misaël, palàm sese impio regis mandato opponebant, qui eos ad simulacrorum cultum cogere uolebat. Sic audebat Elias regi Achab, qui ipsius uitæ insidias struebat, palàm in conspectum uenire, ac dicere, Túne ille es q̃ *3. Reg. 18.* conturbas Israël? Summa, non est sapientia, sed summa stultitia & fatuitas, ob temporalia negligere spiritualia, & propter hominem Deũ aspernari ac offendere. Nos Christiani non debemus Nicodemi esse, non noctu ad Christũ uenire, hoc est, nõ debet nos nostræ fidei, & eorũ quæ pia sunt pudere, sed fidem nostram palàm profiteri, nec non palàm facere debemus quod bonum est. Nam qui me erubuerit & meos sermones, ait Dominus, hũc fili' hominis erubescet, cùm uenerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum. Hinc perspicuum fit, quomodo mundi sapientia Nicodemũ seduxerit. Sed audiemus, quid illi Christus respõsi dederit ad prima uerba quę loquitur. Amen amen dico tibi (inquit Christus) nisi quis natus fuerit denuo, nõ potest uidere regnũ Dei. Hic iã uidemus, ut modo dixi, quòd tametsi Nicodemus utroq; claudicabat, & cor suum cœlo & mundo partitus erat, non tamen ob id illum Christus obiurgat, sed faciebat ut medicus, qui multa patitur ac fert in ęgroto, & quemadmodum mater in filio suo, nec tamen illum propterea abiicit, sed tanto illi blandior atq; humanior est, &c. Itidem & Christus facit. nam de ipso oraculis proditũ erat, eum linum fumigans non extincturum, & calamum quassatum non contriturum. Alioqui quemadmodum olim Elias Israëlitis dicebat, Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Eodem modo & Christus hic ad Nicodemum dicere potuisset: nõ potes duobus dominis seruire, Deo & mũdano honori: si scis me à Deo exiuisse, qd times igitur? &c. Cæterum Christus horum nullum facit. nam qui aliàs pusillanimis est, & intra seipsum perplexus, ei pusillanimitas nõ augenda est, sed consolatio & doctrina adhibenda, ne prorsus desperet, ueluti Salomon docet, mœrẽtibus siceram dandam esse, & uinũ his qui amaro sunt animo, ut obliuiscãtur egesta

Diuinus timor humano anteponendus.

Luc. 9.

Iohan. 3.

Isa. 42.

3. Reg. 18.

Matth. 6.

egestatis suę, & doloris sui nõ recordétur amplius, &c. Obserua autem, quòd Christus inter omnes Pharisæos soli Nicodemo humanus est & affabilis: reliquos plerũq; duriter allocutus est, ut cùm dicit, Quid me tentatis hypocritæ? Et cùm ait, Quare trãsgredimini mãdatũ Dei ꝑpter traditionẽ uestram? Et ubi dicit, Væ uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, &c. Quandoq; nullo penitus responso illos dignabatur, ut cùm scire uellent, cuius potestate omnia faceret, &c. Nõ ab re autẽ illis inhumanior fuit, nam omnis illorũ interrogatio aut erat insidiosa seu maliciosa, aut incredula seu temeraria. Nicodemus uerò nõ in hoc ueniebat, ut cum Christo rixaretur, aut illũ tentaret, & eũ in uerbis ipsius caperet, sed ut disceret. Ita etiam nũc, qui dominũ quærere uult, quærat illum in simplicitate cordis: etenim ab illis inuenitur, q eum nõ tẽtant. Quod autẽ Christus Nicodemũ, etsi intẽpestiue uenerit, nõ exclusit, id primò factum propterea est ad iudicium, quòd semp sit paratus & esse uelit, filiũ prodigũ, hoc est, omnes peccatores & erroneos homines, in gratiã recipere, si eã expetant. Deinde per hoc etiam omnes pastores & curatores animarũ docere uoluit, ut semp parati sint omnibus sibi cõcreditis opitulari & cõsulere, alioqui sanguis per eorum negligentiã pereuntiũ, è manibus ipsorũ poscetur. Sed qđ est respõsum, quod Nicodemo Christus dat? Amen amen dico tibi. Hæc uerba præmittit, quò oẽs excitet ad diligentẽ attentionẽ eorũ, quæ sequuntur. Quia ꝑ se magnũ est, quod tãtũ Deus nostræ imbecillitati tribuit, non contẽtus promissa sua nobis nudis uerbis annunciare, sed etiam frequẽter iusiurandum addit, ostensurus per hoc (ut Paulus dicit) pollicitationis hęredibus immobilitatẽ cõsilii sui, ut ꝑ duas res immobiles, qbus impossibile est mentiri Deũ, fortissimũ solatium habeamus. Attamen aliquanto magis est, quod Christus apud Iohannẽ plerũq; bis dicit, Amẽ amen, id quod perinde est, ac si dixisset: Ego qui ueritas sum, ueritatem uobis dico. Et idcircò, si quãdo audis quod Christus dicit, Amen amen dico, &c. certum habeto, apud illum non esse, Est, & Non: sed, Est, & infallibilẽ ueritatẽ. Amen amen (inquit) dico tibi, &c. Non absq; causa factũ est, quòd Christus statim de regeneratiõe incipit loqui, licet Nicodemus nihil speciatim interrogauerat adhuc. Hac enim re Christus omnes prædicatores docere uoluit, ut primò arborem bonam faciant, ac deinde bonos fructus requirant, hoc est, ut

Matth.22. *Matth.15.* *Matth.23.* *Matth.21.* *Sap.1.* *Luc.15.* *Ezech.33.* *Heb.6.* *2.Cor.1.* *Matth.12.*

Hæc sũt erga catechumenos. Vide sermonem sequẽtem. primò fidem doceant, ac deinde bona opera. Hoc unico & breui uerbo, Christus summam totius Christianæ doctrinæ cõplexus est. Est enim quidem homo ad felicitatẽ creatus: cæterum quia ob peccatum in maledictionẽ incidit, omnes etiam posteri eius in ipso in mortis & maledictionis potestatem uenêre, uti Paulus dicit, nos in Adã omnes peccasse, & omnes morti obnoxios, & ob id omnes naturâ filios iræ esse. Quia ergo oẽs ex Adã nati sumus & orti, reperitur etiã in nobis quod Dauid dicit: nos oẽs inutiles & quasi abominationẽ corã Deo esse factos, corpore, anima & omnibus nostris uiribus, atq; ita, ut nisi nati fuerimus denuò p gratiã Dei, & ex Adæ filiis, Dei filij fiamus, frustra est qcquid agimus, conamur, cogitamus & loquimur, imò uanũ est & nihilũ, qcqd sumus, scim', & possumus, intellectus noster, uoluntas, uires, & opera. Quapropter q in regnũ Dei uenire cupit, ante omnia nouus homo fiat oportet. Atque idcircò retudit nos Christus, ac deiicit hoc uerbo quicquid sumus, habemus & possumus, quo prouocemur magis ad quærendam apud ipsum opẽ. Secũdò adimit nobis hoc uerbo fiduciã in nos ipsos, aut opera nostra, ut discamus spem nostrã in misericordia Dei ponere. Etenim fides in gratiã p Christum, uerus baculus est, quo fulti, Iordanẽ istũ omniũ tribulationũ trãsire possumus, quẽadmodũ eius figurã habemus in Iacob. is cõfitebatur, quãtũlibet fortẽ & diuitẽ se nũc fecisset Deus, transiisse tamen primò solum & unico baculo subnixum Iordanem. Disce igitur ex hoc uerbo, quæ causa sit, quòd cõsilia & opera nostra toties ĩ sacra scriptura reiiciantur & nihili fiant. Certè nõ ideo fit, quòd ad desperationem incitamur, aut quòd bona credentiũ opera nõ placent Deo, sed quòd docemur, spem nostrã & fiduciã non tam in nostris operib', quàm in Dei misericordia collocare. Deinde quoq; unusquisq; ex hoc uerbo seipsum explorare discere debet, nũ ueteri Adæ similior sit quàm Christo nouo homini. Nam si adhuc in te uiuit uetus homo, ad te profectò pertinet uerbũ quod Christus dicit, Nisi qs natus fuerit denuo, nõ potest uidere regnum Dei. Tertiò, rursum hinc capere exẽplũ debemus à Nicodemo. Is quidẽ uerba hæc intelligere nõ poterat, imò impossibilia arbitrabatur. Quomodo potest homo nasci, inquit, cùm sit senex? nũquid potest in uentrẽ matris suæ iterũ introire & nasci? Hoc autem fiebat, eò q uerba Christi sola sua ratione apprehẽdebat: ea his

Marginalia: Gen. 3. Rom. 5. 1. Cor. 15. Eph. 2. Psal. 13. — *Intellige, ex nobis ipsis.* — Gen. 32. — *Opera nostra absq; dei gratia nulla sunt. Placent Deo opera nostra.* — Iohan. 3.

ea his rebus se attẽperare nequit. Quanquã uerò Nicodemus prima uerba Christi omnino nõ intelligebat, nõ tamẽ desinebat interrogare. id quod in illo præcipuè cõmendandum est. Alij Pharisæi si hoc uerbũ à Christo audiuissent, risissent, abiuissent, dixissẽntq;, quẽadmodum & aliis in locis dicebant, dæmoniũ habet, furit, quid illũ auditis? Verùm Nicodemus perseuerabat in interrogãdo & pulsando, donec illi uerus intellectus dabatur & aperiebat. Sic facit unaquęlibet amans anima: perãbulat omnes plateas & uicos, quęrit quẽ diligit, nec potest cessare & acquiescere, donec eum inueniat, & secum domum ducat. Sic afflicta cõsciẽtia non potest acquiescere, donec pacẽ cõsequatur, quam tamẽ in uno Christo inuenit, & non alibi, etiãsi omnes impendat facultates suas. Atq; hac ĩ parte Nicodem⁹ nobis esse exẽplo debet, ne cessemus quærere & interrogare, donec ueritatẽ agnoscamus. Nam in hoc adeò Christus nõnunquã obscuris & tectis uerbis usus est, quò pius quisq; maiorem haberet occasionem quærẽdi, interrogandi, & petendi. Tantum de primo Christi responso. Deus nobis suam dignetur dare gratiam, ut hæc & omnia uerba illius ad animũ penitissimè reuocemus, atque etiam iuxta ea faciamus, Amen. *Iohan. 10.* *Luc. 11.* *Cant. 3.* *Matth. 5.*

QVINTVS SERMO DE REGEnerratione, quæ fit per aquam & Spiritum sanctum.



IN hodierno Euangelio incipit Ecclesia alteram partem Christianæ doctrinæ. Nam primam partem hactenus satis audiuimus, nimirum quid Deus per Christum filium suum, & spiritum sanctum ad nostram salutem fecerit. proxime præterita dominica finẽ & cõclusionẽ primę illius partis Christianæ doctrinę audiuimus. Etenim in missione spiritus S. Christus opus suũ cõclusit ac pfecit, ità ut nihil superfit ampli⁹, nisi ut quod nostrũ est, similiter faciam⁹ quẽadmodũ Christus suas executus est partes. Huius rei figurã ex ueteri testamẽto pferã. Sapiẽs Salomõ, cũ magnis impẽsis tẽplũ Hierosolymis ædificasset in eũ finẽ, quò popul⁹ diligẽtius incũberet orationi & cultui diuino, si locũ haberẽt huic rei destinatũ. Quũ iã tẽplũ extructũ esset, & Deus uisibili signo pmulgasset, se in eo tẽplo clemẽter inuẽtũ iri, siquidem ignis de cœlo cadebat, consumẽs sacrificiũ, ad indicium, quòd Deus illo in loco orationẽ suorũ credentiũ exaudire *Etiã nostri conatus exiguntur.* *2. Paral. 7.*

audire uellet, eorũ sacrificia accipere: imò signo illo ignis, qui de supernis cadebat, Deus populũ prouocare uolebat ad feruẽtius orandi Deumq; colendi studiũ, quãdo ita certi erãt de diuina præsentia atq; exauditiõe. Porro q segnes, indiligẽtes, & indeuoti manebãt, hoc minus habebãt excusationis, nec poterãt suũ exitiũ cuiq; alij ascribere, q̃ sibi ipsis. Salomõ enim suis functus erat partibus, templũ ædificauerat ornaueratq;: fecerat itẽ Deus quod ad ipsum attinebat, præsentiã suã exhibuerat, & promiserat se orationẽ illorum exauditurũ, eisq; opitulaturũ. Vltra hoc autẽ qui nullã gratiã q̃rebãt, nulla his meritò gratia dabatur. Sic & de nobis. Audiuimus superioribus festis, Christũ nihil intermisisse eorum, q̃ illum facere decebat: audiuimus in ultimo festo, hoc est, in die Pẽtecostes, quòd Deus nobis etiã ignem de cœlo dederit, nimirũ spiritũ sanctũ, ad indiciũ plenæ recõciliationis nobiscum. Proinde nihil nobis amplius restat, q̃ ut summo conatu salutẽ nostrã quæramus, & pari diligentia faciamus, quod facere nos æquum est. Erit autẽ hæc altera pars Christianæ doctrinæ, quã Ecclesia hodie incipit proponere, idq; legitimo ordine. Incipit enim ab eo quod primũ est, nimirũ à regeneratione. Atq; hinc quidẽ sumendũ initiũ est. nam ut nemo perficere potest opera huius uitæ naturalis, nisi prius natus, ita etiã nemo pficere opera uitæ spiritualis põt, nisi prius spiritualiter natus sit. Huc respicit hodiernũ Euangeliũ. Iudaici Pharisæi magni ipsi sese faciebãt, magnæ doctrinæ opinione tumẽtes. Interim uerò, ut in Nicodemo uidere est, nõdum principiũ suæ salutis tenebant. Quapropter etiã Christus ad Nicodemũ dicebat: Amẽ amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit, nõ potest introire in regnũ Dei, remittẽs eum hoc pacto ad primã originẽ salutis, perinde acsi dicat: Nicodeme, omnẽ operam luditis, quicquid docetis & agitis, nisi renascamini. Videbatur quidẽ hæc res Nicodemo noua, rara & mirabilis, imò impossibilis, sed certissima ueritas est. Nã prima nostra generatio nihil nobis amplius præstat, quã quòd homines mortales sumus ac efficimur: quòd immortales filij Dei fieri cupimus, alium patrem & matrẽ habeamus oportet. Adã & Eua plus dare nobis nõ possunt, quàm ipsi habent. Peccatores sunt & mortales, peccatores & mortales generãt nos. Si Adã & Eua in sua innocentia & antequã in peccatum laberentur, filios propagassent, nulla opus fuisset regeneratione, nam ilico ab utero matris

Gratia nõ datur nisi quærẽtibus.

Conatus nostri adhibẽdi.

Iohan. 3.

matris, iusti, sancti, & filij Dei fuissent. Quoniam uerò post peccatũ demũ, amissa iam innocẽtia, filios procreabãt, oẽs pariter ab utero matris sunt peccatores, polluti, & filij iræ. Et quãquã nos Christiani à peccato & maledictione Dei in baptismo mũdamur: attamen qa filios nostros nõ tanquam Christianos, sed tanquã homines, & nõ ex spiritu, sed ex carne suscipimus, similiter & ipsi carni obnoxij sunt, siquidẽ carnem illis tantũ & sanguinẽ, quemadmodũ ab Adam habemus, cõmunicamus, spiritũ uerò quẽ à Deo habemus, illis infundere non possumus. Quãobrẽ undecunq; nati sumus, siue à Iudæis, siue gẽtibus, siue Christianis, siue à bonis, siue à malis parẽtibus, oẽs opus habemus regeneratione, opus habemus alio patre & matre, qui regenerẽt nos. Hoc autẽ facere nemo potest prętet Christũ & Ecclesiã eius. Christus tãquã pater, Ecclesia tãquã mater, Christus largitur spiritũ, Ecclesia aquã. Quod si igitur uerbo Dei credimus, & aqua in nomine sanctæ Trinitatis baptizamur, spiritum S. accipimus cœlitus. Atq; ita de nouo nascimur, efficimur boni, iusti & filij Dei. Hoc illud est, quod Christus pergit dicere in hodierno Euãgelio: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non põt introire in regnũ Dei. His uerbis Christus Nicodemũ longius ducit, indicãs illi primũ uerè, quõ regenerationem intelligere debeat, & quomodo id fiat. Quãquã autẽ à nõnullis uerba hæc metaphorice tãtùm intelliguntur, ut p aquã, mortificationẽ ueteris hominis: per spiritũ uerò uiuificationẽ intelligas, siquidem ea ambo ad iustificationem hominis pertinẽt, attamẽ uerba hæc Christi propriè ad sacramentũ baptismi respiciunt, & tũc in modũ nostri etiam antiqui Ecclesiæ doctores interpretati sunt ac intellexerunt. Atqui sacrũ baptisma primũ Sacramẽtum est, sine quo cætera omnia non ualent: qui enim baptizatus non est, condẽnatur. Quia igitur res tãti momẽti est, tanto diligẽtius hæc uerba Christi disquirere debemus. Et primò nõ ab re factũ est, quòd Christus suam doctrinã, quã Nicodemo dat, à baptismo orditur. Voluit enim ea re clarissimè ostẽdere, etiã nos Christianismũ nostrũ à baptismo incipere oportere. Quod ipsum in Israëlitis præfiguratum fuit, cum Aegyptũ relinquerent. Primũ quod illis occurrebat, erat mare, per quod ire eos oportebat. Deinde ueniebant in desertũ: tertiò ad manna: quartò ad Iordanẽ: deniq; in terrã promissam. Eodẽ modo, quando nos ad æternam patriam

Eph. 2.

Peccato origini ut simus obnoxij.

Christ⁹ pater, Ecclesia mater nostra.

Baptism⁹ primum sacramẽtum.

Marc. ult.

Exod. 14.

patriam cōtendimus, primum omnium baptismus nobis fit obuius: deinde uariæ nobis ingruūt tentationes in deserto, tertiò etiā multifariæ cōsolationes è supernis: quartò nobis occurrit Iordanis, hoc est, mors, quā ubi superauimus, in æternā ingredimur patriā. Secūdò, obserua Christū hic in genere loqui, nemine excepto, siue Iudæus sit, siue Ethnicus, siue mulier siue uir, siue iuuenis siue senex, ne qs existimet, in suo arbitratu positū esse, num baptizari uelit néc ne. Nō: baptismus Sacramentum est necessitatis: Nisi quis renatus fuerit (inquit Christus) nō pōt introire in regnū Dei. Nō refert, quòd etiā aliquot Martyres non fuerūt baptizati: non enim id factū est ex contēptu baptismi, sed q̄ illis cōtingere nō potuit, licet eum summis uotis optabāt. atq; ideò etiā credūtur in proprio suo sanguine aut p internā operationē spiritus S. baptizati. Nō enim Deus infinitā suā potentiā ita Sacramētis astrinxit, ut citra Sacramēta dare nihil possit. Vt plurimū quidem gratiā suam confert per sacramēta, uerū si quādo ea haberi non possunt, etiā absq; Sacramētis suā largitur gratiā quærētibus eam. Tertiò attēde, Christū hæc uerba loqui ad Nicodemū, qui Iudæus erat. Atqui uerò Iudæi antea circūcisionē habebāt pro testimonio fœderis cū Deo initi: nihilominus tamē illis Christus iniungebat imponebatq; baptismū suum, ut quod in futurū uerū pacti signum esse debebat. Qua re indicauit clarissimè, circūcisioni finē imponendū esse: circūcisio enim Abrahæ dabatur p signo, ut promissis Dei de uēturo Messia crederet. Eaq; de causa circūcisio aliud nihil erat, quàm manifesta cōfessio, fore, ut ueniret unus ex Abrahæ semine, in quo omnes gētes benedicerētur: & qui circūcidebatur, is cōfitebatur se illud futurum Abrahæ semē expectare, qui Christus est. Cæterùm qui etiā nūc iam circūcisionē necessariā iudicat, is negat uenisse Messiā, imò abnegat Christum, quòd sit uerus Messias. Ideoq; dicit Paulus: Si circuncidamini, Christus nihil nobis proderit. Vide, ob id iam Christus aliud fœderis signum statuit, nimirū baptismū. Circūcisionis tēpus iam exactū erat, promissus Abrahæ filius iam uenerat, idcircò signo hoc amplius opus nō erat, p quod pfiguratus fuerat. Quartò obserua, Christū duo cōiungere admodū dissimilia, nimirū aquam & spiritum, quorū alterū corporale ac uisibile, alterū spiritale & inuisibile est. Id autem propterea factum est, ut hominem è duabus naturis cōpositum, planè perpurgaret.

Compo

Sacramentum Baptismi necessarium.

Baptismus sanguinis.

Gen. 17.

Rom. 4.

Gen. 17.

Gen. 22.

Gal. 3.

Gal. 5.

Compositus siquidẽ homo est ex corpore & anima. Quẽ- *Gen. 1.*
admodum ergo utraque hæc à Deo condita, & utraque in
peccatum lapsa sunt: ita ea etiam Christus utraque restituere
re uoluit, nimirũ ut totus homo per ipsum saluus fieret. At- *Sacramenta*
que eam ob rem etiã inuisibili suæ operationi uisibilia sacra *cur instituta.*
menta appendit, quo quælibet hominis pars commodum
suum remedium haberet: corpus aliquid corporale, anima
spirituale. Sic in baptismo anima hominis spiritũ S. habet, ꝑ
quem sanctificatur: corpus uerò aquam, qua lauatur atque
etiam sanctificatur. Neq; hoc cuiquam mirum uideri debet,
quod dico, aquam in baptismo sanctificare corpus. Nam ut
aqua in igni calefacta æquè urit, atq; ignis ipse: ita & aqua
in baptismo per operationẽ sancti spiritus, cui adunita & iũ *Aqua baptis-*
cta est, ueluti in diuinã uertitur uirtutẽ, per quam baptizati *matis effica-*
hominis corpus mũdat & sanctificat. Atque ita igitur Chri- *cia.*
stus in baptismo aquam & spiritũ cõiunxit, ut qui baptismũ
exterius accipit, eo modo, forma ac ratione, qua decet, &
non ficto animo, is etiã intrinsecus accipiat spiritum S. per
quẽ anima à peccatis lauatur. Eaq; propter inuenimus hæc
duo quoque in Ezechiele coniuncta, aquam & spiritum. Ef- *Ezech. 36.*
fundam super nos (inquit Deus) aquã mundam, &c. Et post:
Et spiritum nouũ ponã in medio uestri. Neq; hic opus est
disputare, quid opus habeamus aqua, cùm Deus nos satis
suo spiritu mundare possit: nam hoc pacto etiã Deus homi
nẽ ex nihilo creare potuisset, nec terra aut limo ad id opus
habuisset: sed ita illi uisum est, & tu quis es qui respondeas
Deo? Nũquid dicit figmentũ ei qui se finxit, Quid me fecisti *Rom. 9.*
sic? Est ergo diuina uolũtas & beneplacitũ præcipua causa,
quòd nos per aquam renouare & regenerare uelit: alioqui
causas ea res alias multo plures habet, quas nũc enumera-
re omitto. Quartò obserua circa uerbũ istud Christi, quod
non dicit, Nisi quis baptizatus fuerit: sed, Nisi quis renatus *Nõ sufficit so-*
fuerit, ne quis nudo & externo baptismo glorietur. etenim *lus baptismus.*
externus baptismus te saluũ non faciet, nisi renascaris. Tum
autẽ renatus es, cum renouatus in spiritu animi tui, ueterẽ *Ephe. 4.*
hominẽ posuisti ac exuisti, cõtra uerò nouum hominem in
duisti secundum Deum creatum. Sextò attende, baptismum *Baptismus spi-*
à Christo spiritualem uocari generationem, idq; ualde aptè *ritualis gene-*
& commodè. Nam ut ad corporalem generationem pater *ratio.*
& mater requiritur, sic etiam in spirituali generatione est,
Deus Pater, Ecclesia mater, ut supra dictũ est, quòd Deus
spiritum

ſpiritum, Eccleſia uerò aquam contribuat. Deindè ut in naturali generatione homo ad uitā & lucē naſcitur, & ad bona huius mundi: ita homo in baptiſmo naſcitur ad uitā animæ, ad ueram lucem & ad cœleſtia bona. Tertiò quēadmodum homo non poteſt niſi ſemel corporaliter naſci: ita non niſi ſemel quoq; baptizari poteſt: quiſquis uerò baptiſmum ſecundò accipit, is irridet baptiſmū. Tales olim erant Donatiſtæ in Africa, his non placebant ſacerdotes & Eccleſiæ miniſtri, quantū ad uitam eorū attinebat, denuò homines baptizare incipiebant, quaſi baptiſmus miniſtrorū probitate, ac non potius Dei uerbo niteretur, cum tamen diuus Paulus Corinthios palā obiurget, quòd miniſtros iactarēt à q. bus baptizati erant, unoquoq; exiſtimante baptiſmum ſuū hoc meliorē eſſe, quò ſpectatioris uitę eſſet miniſter, à quo baptizati erāt. Sed ad hoc quid dicit Paulus? Quid eſt Apollo? quid uerò Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis. Atqui nihil is eſt, qui plātat aut rigat, ſed qui incrementū dat Deus. in hunc reſpiciendū eſt in Sacramentis, & nō in miniſtros. De hoc alibi prolixius dixi. Anabaptiſtæ noſtri non modo ſimiles ſunt Donatiſtis, ſed his lōge deteriores. Etenim primò damnāt totā uniuerſalem Chriſtianā Eccleſiā, quæ iam inde ab initio etiā infantes baptizauit, ueluti Paulus ipſe dicit, ſe totā domū, hoc eſt, totā familiam in domo Stephanæ baptizaſſe, inter quos proculdubiò etiā infantuli fuerūt. Secundò, uolūt & aiūt, infantiū baptiſmum inutilem eſſe proră ſus, cùm tamen fateri cogātur, innumeros & magnos & ſanctos homines in infantia ipſorū baptizatos eſſe, qui deinde ſancto ſpiritu pleni fuerūt. Atqui certū eſt, ſpiritum S. dona ſua ad iuſtificationem facientia, iis tātummodo largiri, qui ipſius ſunt: ij autē ſunt ſoli baptizati. Quod ſi igitur infantiū baptiſmus nullius eſſet uſus, haudquaquā Deus talibus hominibus tantā gratiam impartiiſſet. Tertiò uolunt Anabaptiſtæ noſtri, infantes Chriſtianorū nullā poſſe habere partem ſigni fœderis, quod nobis dedit Deus, cum tamen uideant & legant, in ueteri teſtamento omnibus hominibus populi Iſraëlitici, tam iuuenibus quàm ſenibus circunciſionem, quæ tum temporis ſignum fœderis erat, præceptam fuiſſe ſub pœna amiſsionis diuini fauoris & gratiæ. Quartò, miſeros noſtros infantulos indignos cenſere uolunt Sacramento & baptiſmo, quibus tamen Chriſtus ipſe benedixit, iubens, ut ad ſe adducātur, neue prohibeantur. At cui Deus benedi

Baptiſmus nō poteſt repeti.

In Anabaptiſtas.

Ibidem.

Gen. 17.

Mar. 10.

benedicit, huic fauet, hūc amat, huic sua imptit bona. Quod si igitur infans Dei gratiā & benedictionē accipere potest, quid ni etiam gratiæ signum accipere possit? Atqui Marcus apertè dicit, quòd Christus paruulos sit amplexus eisq; benedixerit. Et quid opus est multa demonstratione? Quomodo infantium baptismus inefficax esse potest, cum fiat & cōsecratur in nomine patris, filij, & spirit' sancti? Quamobrē, si quādo istiusmodi nugas audis & legis, hoc illi oppone dictum, quòd quemadmodū nemo bis corporaliter nasci potest: ita nec baptizari quis secundò debet ac potest, quippe cum Christus baptismū spiritualē generationem nominet. Quocirca sufficiat tibi, quòd semel baptizatus es: cura saltē, ut baptismo tuo cōformis uiuas, & quod in eo ꝑmisisti, serues. Hūc in modū nobis Christus baptismū nostrū interpretatus est: hoc iā reliquum fuerit, ut hæc oīa diligētissimè nobiscum reputemus. Dei gratia sit cum nobis omnibus, Amē.

Ibidem.

Matth. 18.

Vide Augustinum in Iohā. capit. 3.

SEXTVS SERMO CAVSAM *reddit, cur regeneratione opus habeamus.*



IN hodierno Euāgelio loquitur Christus de primordio & capite nostræ salutis & Christianismi: & quidem ita ea de re loquitur, ut certè nihil prętermissum sit, quod ad eam pertinet, interea tamen indicatū est, quod Nicodemus, ut rum cōstitutus erat, magis eiusmodi doctrinā admirari fuerit coactus, quàm ut sua ratione & sapientia eam intelligere posset. Tria sunt, quæ circa Euangeliū istud utiliter considerari possunt, & omnino etiā consideranda sunt. Vita nostra naturalis hic in terris incipit à natiuitate: ea est ianua ad hāc uitā: spiritualis nostra uita, quā nobis dat Christus, similiter à natiuitate incipit. Nā ut primò Adæ nos filios nasci oportet, si naturali uita frui uelimus: ita etiā prius Dei filij nascamur oportet, si spirituali uita frui optamus. Est autē postrema longè diuersissima natiuitas à priore. Illic operatur natura, hic operatur gratia: illic est caro & sanguis, hic est spiritus & aqua: illā natiuitatē adiuuat pater & mater, hanc adiuuant Deus & Ecclesia: Deus dat spiritū, Ecclesia aquā. Hoc initiū est & ianua ad spiritualē natiuitatē, & Christianismum: ea fit in baptismo, unde & sacramentum regenerationis nominatur, aut, ut Paulus uocat, lauacrū regenerationis, & renouationis. In duobus hisce breuibus uerbis totā uim baptismi

Vita naturalis.

Spiritualis.

Baptismus sacramentū regenerationis.

Tit. 3.

ostensam habemus. Externa lotio nihil prodest, nisi regeneratio sequatur: nec possumus renasci, nisi pri' abstersum sit, quicquid sordium peccatorũ & noxæ à prima generatione cõtraximus. Idcircò Paulus hæc duo nomina baptismo nostro dat, uocans illũ lotionẽ seu lauacrum, ad indiciũ, quòd in eo aliquid abluitur, nimirũ peccatum, quod nobis ex prima generatione adhæret, addens deinde, esse lauacrũ regenerationis, ad indicium, quòd in illo etiam regeneramur. Et unde Paulum habere cẽses, quod ita de baptismo loquatur, nisi ex hodierno Euãgelio? præsertim ex uerbo illo ubi Christus ait, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ potest introire in regnum Dei. Ex eodẽ illo uerbo quoque Petrus sumpsit, quod tã confidenter ait: Pœnitentiã agite & baptizetur unusquisque uestrûm in nomine Iesu Christi in remissionẽ peccatorum uestrorũ: & accipietis donum Spirit' sancti. Vide, hic etiã Petrus promittit iis qui baptizati sunt, non solùm remissionẽ peccatorũ, sed etiã spiritum S. hoc est, nouam regenerationẽ. Rogas, unde aquæ tanta uis, ut corpus cõtingat, & animã tamẽ mundet? Profectò nõ aliunde, quàm quòd baptismus datur in nomine Sanctæ Trinitatis. Euntes (inquit Christus) baptizate eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Hoc indit baptismo uim suã, nimirum nomen, hoc est, potestas, operatio, & omnipotentia S. Trinitatis. Qui in potestate, uirtute, & omnipotentia Sanctæ Trinitatis baptizatur, is certè etiã per hoc mundatur, sanctificatur, cum Deo patre, filio & spiritu Sancto conciliatur, & in æternum fœdus recipitur. Hoc potest inuocatio sublimis istius nominis, Sanctæ Trinitatis. Atq; hoc est, quod Sanct' Augustinus dicit: Accedit uerbũ ad elementum, & fit Sacramẽtum. Hunc in modũ baptismus nostra regeneratio est & ingressus ad nouã uitã, id quod Christus ipsemet indicat in hoc Euangelio, & tãta cum diligẽtia, ut nihil, quod ad id pertinet, prætermittat. Etenim primò nõ nostro permittit arbitratui, num baptizari uelim' nécne, sed dicit, ita ordinatum & decretum esse apud Deũ, & nullum aliud mediũ & uiã ad salutẽ esse, quàm regenerationẽ, quæ in baptismo fit. Ne quis uerò nouum istud doctrinæ genus admiretur, ut Nicodemus, causam ostẽdit, quamobrẽ regeneratio hęc omnib' hominibus necessaria sit, quemadmodum inferius in hoc sermone audiemus. Quòd si quis roget, in quo talis regeneratio consistat, & ad eam quid pertineat, nominat aquam & Spiri

Baptismus lauacrum.

Acto. 2.

Baptismi efficacia unde.

Matth. 28.

August.

Baptismi necessitas.

Spiritum ſanctum. Quia uerò nemo non ſcit, nos ſpiritum ſanctum non in noſtra habere poteſtate, ut aquam, indicat etiam nobis Chriſtus, ubi quærendus ſit, nimirum apud eũ qui ſolus in cœlum aſcendere potuit, quemadmodum antea de cœlo deſcenderat. Adhæc omnia quoque nobis oſtēdit, cui acceptum ferre debeamus, quòd nobis Deus ad regenerationem noſtram, non ſolùm aquam, elementum ubique obuium tam pauperi quàm diuiti, ſed etiam ſpiritum ſanctũ dederit ac det, nempe illi qui noſtra cauſa in crucem ſublatus eſt. Et ne omnino quicquam omitteretur, quod ad cauſam ſeruire poteſt & neceſſarium eſt, monſtrat etiam Chriſtus, quid ex tali regeneratione ſequatur, nimirum perfecta renouatio hominis. tollit enim regeneratio iſta omnes ſordes primæ generationis, participes nos facit Chriſti, omniúmque bonorum eius & meritorum, emundat in nobis præterita peccata, arcet & retrahit nos à futuris, admonet nos Chriſtianę innocentię, pellicit nos ad omne bonum. Et hoc eſt quod Chriſtus dicit: Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. De hoc & Paulus loquitur in Epiſtola ad Romanos. Vult baptiſmum eſſe noſtrum ſepulchrum, in quo ob peccatum cum Chriſto ſepelimur, & eſſe Paſcha noſtrum, in quo cum Chriſto ad nouam uitam reſurgimus, &c. Hæc omnia in iſto Euangelio indicantur. Talem in modum loquitur in eo Chriſtus de regeneratione, de principio & capite noſtri Chriſtianiſmi. Et quis non uidet, magna omnia & neceſſaria eſſe? Ad iſta uerò Nicodemus nihil poterat aliud quàm admirari: omnis illius ratio, ars & experientia hìc ſuccumbebat. Quomodo poſſunt hęc fieri, inquit, quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? &c. Adeò humana ratio Dei opera capere non poteſt, quicquid non uidet, & contrectat aut intelligit, id impoſsibile putat. Proinde fides requiritur. Nō faciet id ratio, uiſus multò minus. Enimuerò multa extrinſecus accidunt, quæ neque uideri, neque intelligi poſſunt. Quis eius ingenij eſt, ut rectè intelligat, & ratione ſua complecti poſsit, quid ſua ipſius anima ſit, & quomodo tota in corpore toto, & tota in omnibus membris corporis ſit? Attamen nemo negare poteſt, quin res ita habeat, & habere oporteat. Quis unquam uentum uidit? Attamen nemo inficias iuerit, quin aliquid ſit, quandoquidem ſonitus illius auditur, & afflatus ſentitur. Sic etiam de noſtra regeneratione: utiq; illa in baptiſmo fit, nec tamē quiſquā uidet,

Iohan. 3.
Rom. 6.
Rationis humana imbecillitas.
Anima.
Ventus.

quomodo. In infante baptizato nulla apparet mutatio: corã mundo idẽ est infans, qui fuerat ante, corã Deo autẽ omnino alius homo factus est, quàm fuerat ante. Adeò clàm operatur spiritus S. in hac regeneratione, ut neq; uideri, neque intelligi posit. Propterea dixi, fidẽ adesse oportere, Deo deferendũ honorẽ. baptismus datur in nomine Sanctæ Trinitatis. Porrò ubi diuinũ nomen, potestas, uirtus & omnipotentia est & operatur, fieri non potest, quin magna efficiantur. Quapropter nõ ualet hìc disputatio, sed fides: nõ quæstio, sed gratiarũ actio. Tu in nobis es Domine (inquit Hieremias) & nomen tuũ inuocatum est super nos. Nostrũ potius erat hæc uerba dicere, quoties in mentẽ nobis uenit baptismus noster & regeneratio. Sed audiemus, quid Christus causę det, quãobrem nobis regeneratio tãtopere sit necessaria. Quod natum est ex carne (inquit) caro est. Optim⁹ doctor, qui nõ necesse habet ut à quoquã interrogetur, nõ expectat, donec Nicodemus scire expetit, quánam de causa nemini in regnum Dei uenire detur, nisi renatus sit ex aqua & spiritu sancto, sed ultrò & nõ quæsitus causam suæ doctrinæ reddit. Etenim quiuis prædicator scire debet, & esse paratus rationẽ doctrinæ suæ exponere, eámq; ita scripturis cõfirmare, ut de ea dubitare nemo posit. Oportet enim doctrinã certam esse, quando fides ea niti debet. Eáq; de causa Christus hoc loco, ut & aliâs, rationẽ docet uerbi, quod de regeneratione dixerat, ne quis cõfidat per propriã iustitiã, sapientiam, aut humanã uirtutẽ ac uires, in regnũ cœlorum se uenire posse absq; regeneratione, uti nonnunquam facere solemus. Quantũ enim cunq; ignorantes, iniusti & imbecilles sumus, plurimũ tamen tribuimus nostræ ipsorũ sapientiæ, iustitiæ & uiribus, res tamen ipsa loquitur, præsumptionẽ nostram uirib⁹ nostris lõgè maiorẽ esse. Eiusmodi uerò nostrã iactantiã & præsumptionẽ nobis Christus una uice euertit, dum dicit: Quod natũ est ex carne, caro est, hoc est, uanũ & nihilum, quantũcunq; magnificũ & speciosum appareat. Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri. Est itaq; nihil aliud quàm caro, hoc est, inane, flaccidũ, instabile, imperfectum, uanũ, quicquid sumus, habemus ac possumus, corpus, anima, ratio, uoluntas, & oẽs uires corporis & animæ. Quid igitur de istiusmodi rebus iactare te potes, aut illis fidere? Imò ex hoc uerbo perspicuũ fit, unde accidat, ut etiam ij, qui bonis & Christianis parẽtibus oriuntur, peccatores

Marginal notes: Hier. 14. — Iohan. 3. — 1. Pet. 3. — Isa. 40.

tores tamen & filij sint iræ, népe quòd non ex spiritu, sed ex carne nati sunt Proinde remittit nos Christus hoc uerbo ad primã nostram originẽ, ut inde discamus, quàm sit nobis necessaria regeneratio. Atqui ex Adam oẽs oriundi sumus: qui quidẽ creatus erat ad similitudinẽ & imaginẽ Dei, hoc est, nõ solùm ratione præditus erat, uerum etiã bonus, sanctus, & iust⁹, &c. Sed in hoc statu nullã prolem suscepit: imò nõ in paradiso, sed posteaquã paradiso eiect⁹ erat, sobolẽ ꝓcreare incipiebat. Verùm tũ tẽporis iã peccatũ admiserat, & p inobediẽtiã, Dei in se irã ꝓuocauerat. Et quanquã imaginẽ Dei adhuc habebat, hoc est, rationẽ & humanã speciem seu formã, similitudinem tamen iam amiserat, & cum ea omne bonum, ut est iustitia, innocentia, gratia & immortalitas. nihil erat aliud quàm seruus peccati, omni bono orbatus, diaboli mãcipium, mortis & inferni captiuus, & ueluti expressa imago & similitudo diaboli. Quid autem boni sperari & expectari potest ex tã mala radice? Nunquid colligunt de spinis uuas, & de tribulis ficus? Atqui oẽs ex hac radice orti sumus. Vnde cõsequitur, nos nõ aliter nasci, quàm sicut Adã erat, cùm liberos generare inciperet. Lupus non generat ouem, musca non generat elephantum, aquila nõ generat columbam, homo nõ generat Angelũ, caro non generat spiritum. Vnde fit quod Sapiens dicit, hominẽ ab initio fuisse semen maledictum. Et Paulus: per unum hominẽ peccatũ in hunc mundum intrasse, & in omnes pertransiisse, & nos oẽs esse filios iræ. & quod Dauid dicit: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: nõ est qui faciat bonum, non est usque ad unum, &c. Omnes igitur regeneratione opus habemus. Nã caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: neq; auarus, scortator aut pollutus partem & hæreditatem in regno Dei habebit, imò scortatores, adulteri, aliiq; peccatores regnũ Dei possidere nõ possunt: impiorum uerò, incredulorũ, homicidarum, &c. pars erit in stagno ardenti igne & sulphure. Quapropter uerbum hoc meritò terrorem incutere debet iis, qui carnalibus suis cupiditatibus obsequuntur, eásque sectantur. Quare prouidus esto, si in cœlũ & regnũ Dei uenire cupis, primo Adæ dissimilem te plane esse oportet. Alioqui si nihil aliud sis quàm caro & manseris, nunquam uenies in regnum Dei. Quocirca ne erra & seduc te ipsum: non enim Deum falles. cura autem ut renoueris, & gratiam quære, dũ tempus suppetit. Secundò, in hoc uerbo quoque nobis indicatum

Ephe.2. *Gen.1.* *Gen.4.* *Gen.3.* *Imago.* *Similitudo Dei.* *Matth.7.* *Sap.12.* *Rom.5.* *Ephe.2.* *Psal.13.* *1.Cor.15.* *Ephe.5.* *1.Cor.6.* *Apoc.21.* *Gal.6*

catum est, quàm sit homo misera & calamitosa creatura, si Dei sit gratia destitutus. Enimuerò nihil tum cogitat, intelligit & facit aliud, quàm quod carnale est, ac deinceps suopte Marte & propriis uiribus regnum Dei consequi non potest.

Rom. 7. Non habitat (inquit Paulus) in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam uelle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Tertiò, in hoc uerbo causa patefit, quamobrem homo tot ęrumnis & miseriis oppletus sit, tā intrinsecus quàm extrinsecus, & in corpore, & in anima, ut quòd tot affectibus & motibus, concupiscētiis, periculis, morbis obnoxius est, procliuis ad omne malum, tardus & piger ad omne bonum, difficile scientiam & prudentiam consequitur, mobilis est, ac postremò etiam morti obnoxius, &c. Vnde homini id omne incommodi, quàm quòd ex carne natus est? Nihil itaq; mirum ꝙ Paulus dicit & clamitat, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et ꝙ Hieremias ait: Maledicta dies in qua natus sum. ab hoc autē malo nos liberat sola gratia ꝑ Iesum Christū dominū nostrū, ut Paulus dicit. Quod aūt ex spiritu natū, spiritus est (inquit Christus amplius) Omnis noster defectus, ut nunc auditū, inde oritur, quòd nil nisi caro sumus naturâ, & spiritu Dei caremus. Atqui spiritū Dei aliunde habere nō possumus, quàm à Deo, qui & ipse spiritus est, ut Christus ait, & ille unus est, qui spiritū donat petētibus se, quēadmodū in Ezechiele ꝓmisit. Id autē fit non alia ratione & medio, quā ꝑ regenerationē. Nam ut per naturalē generationē naturā carnis cum omni incommodo illi adhaerēte contrahimus: ita induimus in spirituali generatione spiritū sanctū cum omnibus eius bonis. Non enim ij qui ex uoluntate carnis, aut ex uoluntate uiri, sed qui ex Deo nascuntur, fiūt filij Dei & spiritus S. capaces. Vnde & Isaias dicit, A facie tua Domine cōcepimus & peperimus spiritū salutis. Sic & Christus hoc loco dicit, eū solum spiritualē aut spiritū fieri, qui ex spiritu natus est, nec habemus spiritū ex nobisipsis, sed à Deo petendus est. Deinde etiā nobis in hoc uerbo indicatur, quàm ille in nobilē euadat creaturā, q renascitur, & spiritū sanctū habet. Is enim nō amplius caro est, ut carnalia tantūmodo quærat, sed est spiritus: intelligit, quærit & amat spiritualia, cōtēnit quicqd tēporale & ut carnale est, magna & supra modū mirabilia facit, & tāetsi adhuc terrenū & carnale corpus circūfert, est tamē ueluti extra corpus seu carnē: imò licet adhuc in mun

Malorum quæ patimur quæ causa.

Ibidem.

Hier. 20.

1. Cor. 5.

Iohan. 4.

Luc. 11.

Ezech. 36.

Iohan. 1.

Isa. 26.

Regenerati quanta præstantia.

in mūdo sit & esse cogatur, habet tamē iā nūc cōuersatio nē suam in cœlo, obliuiscens ea quę retro sunt, ad ea uerò quæ sunt priora extēdēs seipsum. Veluti Dauid ait, Vnā petij à Domino, hāc requirā, ut inhabitē in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ. Hinc explorare sese quiuis pōt, spiritus an caro sit. Sed obserua nūc, quàm Christ⁹ pulchrè cōcludat. Quod ex carne natū est, inqt, caro est. Oēs homines ex carne nati sunt (tacite nos admonēs) idcircò nō mireris (inqt in cōclusione) qa dixi tibi, Oportet uos nasci denuó. Et sanè nō est quod miremur, siquidē admiratione dignius foret, si dixisset, hominē absq; regeneratiōe in regnū cœlorū uenire posse: cogitare quippe qs posset, Deo placere peccata. Sed hoc primò esset cōtra ipsius iustitiā: secūdò esset quoq; cōtra ornamētū regni illius, qđ nihil inqnati recipit, imò hæc duo prorsus inter se pugnāt, homo q nō est regeneratus, & regnū Dei: etenim homo q nō est regeneratus, caro est, regnū uerò Dei spūs est, utpote cōsistēs in S. spiritu & ueritate, nihil habēs terrenū, nihil carnale, nihil incōpositū & uanū. Atqui Paulus dicit, carnē cōcupiscere aduersus spiritū. quî fieri ergo possit, ut homo carnalis aditū habeat ad spirituale regnū Dei? Tāto min⁹ mirari debemus ꝙ Christ⁹ nobis tā seriò prędicat de regeneratiōe, imò tāto illi maiores gratias agere tenemur, ꝙ nobis mediū & uiam ostēdit, qūo ex cōdēnatis Adę filijs, sancti & beati filij Dei fieri possimus. Beati oēs ij, q id diligēter cōsiderāt, & opere cōplent. Deus nobis omnibus suam det gratiam, Amen.

Phil. 3. *Psal. 26.* *Peccata ut oderit Deus.* *Apoc. 21.* *Gala. 5.*

SERMO SEPTIMVS DE VERbo illo, *Spiritus ubi uult spirat.*



HODIERNA ista dominica duarū rerū nos admonet, primò baptismi nostri in quo regenerati sumus, & sanctę Trinitatis, in cuius nomine baptizati sumus. Duo hęc sunt, quę bonus Christianus semp prę oculis, & in recēti memoria habere debet: & qdē optimè etiā īter se cōgruūt: Christ⁹ ipse ea cōiūxit. Eūtes (inqt) prędicate, &c. & baptizate homines ī noīe Patris, & filij, & Spirit⁹ S. Tātò min⁹ admirari necesse est, ꝙ nobis etiā hodie hæc duo ꝓponūtur. Sic fieri oīno oportet. Absq; fide S. Trinitatis, īutilis est baptismus, nec fides sine S. Trinitate saluū facit, nisi accedat

Matth. 28.

Marc. 16. baptismus (intellige) si haberi posit. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Non igitur opus est multa disputatione, quid in aqua tãtopere situ sit, ut nobis etiã fides & cõfessio sanctæ Trinitatis nõ prosit, nisi addamus quoque
Rom. 9. aquam. O homo, tu qs es qui respõdeas Deo? Vult ut ea simul cõiuncta sint, ut cùm in illũ credimus, etiã baptizemur. Et qs ea separabit? Sic illi uisum est, cur nõ & nobis placeat? Quid nostra refert, quomodo & p quæ media nobis Deus auxiliari uelit? Gratiæ agẽdæ sunt, quòd auxiliatur nobis & dat, & nõ disceptãdũ, cur hoc pacto & nõ aliter nobis sub-
4. Reg. 5. ueniat. Et Naaman Syrus ringebatur, cùm ab Eliseo propheta iuberetur in Iordanem descẽdere, & septies in eo sese mergere & lauare. Quid hoc mihi (inquiebat) pderit? si lepra aquis elui posit, satis aquarũ inuenissẽ Damasci, &c. Sed quid serui eius dicebãt? Pater, etsi rem grandẽ dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quanto magis quia nũc dixit tibi, Lauare & mũdaberis? Quẽadmodũ igit Naaman nõ solũ cogitãdũ erat, ut se in Iordane lauaret, sed etiã qđ illi propheta certissimã restitutionẽ promittebat: sic & nos nõ modò cõsiderare debemus, quod diuus Petrus dicit, ut
Acto. 2. unusquisque baptizetur, uerùm etiã quod subiũgit, Et accipietis spiritũ sanctũ. Id eò dico, quò uideamus, quòd Deus fidẽ & baptismũ cõiuncta habere uelit, nec quisquam possit dicere, Quid mihi opus aqua, fidẽ habẽti? Vide, hanc ob causam nobis hodie duo ista simul proponuntur. Primum quod sancti Apostoli faciebãt post acceptũ spiritũ, erat, ꝙ prædicabant & baptizabant. Itaq; optimè in Ecclesia institutum est, quòd post diem Pẽtecostes Euãgeliũ istud de ba-
Baptismi encomium. ptismo primũ omniũ legitur. Est enim hęc ianua in Ecclesiã seu Christianismũ, & uia ad reliqua sacramenta, imò ad cõ-
Tit. 3. munionẽ Dei & omniũ electorũ. Est lauacrũ regenerationis & renouationis, ut diuus Paulus uocat. In aquã descendimus tãquã Adæ filij, eximus uerò tãquã filij Dei. Ne autẽ talis operatio nudæ aquæ trãscribat, inuocatur simul & fit cõfessio nominis S. Trinitatis. Eáq; propter in Ecclesia festũ S. Trinitatis huic adeò dominicæ assignatum est, quando Euãgeliũ istud de baptismo & regeneratione legitur ac prædicatur. Sed uide iam, an nõ lõgè latéq; bono Christiano circũspiciendũ est hac dominica. Multa & magna consideranda nobis sunt circa baptismũ: multò plura & maiora adhuc de S. Trinitate: singula non una, sed plures cõciones

requi

requirunt, sed paucis rem expediam. In Euangelio commemoratum est uerbū, quod hominem satis commonet, quid circa baptismum suum cōsiderare habeat, tum in hodierna Epistola uerbum habetur, quod satis magnā nobis cogitandi de S. Trinitate materiā suppeditat. Nisi quis renatus fuerit, inquit Christus, ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Hic habes quid circa baptismum nostrū considerare nos oporteat, nimirū quòd sit regeneratio nostra: nouæ enim illic efficimur creaturæ, nouum adipiscimur patrem, matrem, spiritū, uitam, nomen, hæreditatē, &c. Deus fit noster pater, Ecclesia nostra mater, spiritus sanctus nobis infunditur, uita æterna nobis promittitur, filij Dei adoptamur, & cum Christo hæredes instituimur omniū bonorum Dei. Horum nihil habemus ex nostra natura, sed solùm ex regeneratione. Hoc cōsidera, uidebis, quid de baptismo tuo existimare, imò quòd eum nō pro re inani ducere debeas. Lege deinde hodiernam Epistolā de festo, intelliges quid circa baptismum tuum etiam de Deo tibi cōsiderandū sit. Quid igitur dicit Paulus? Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula, Amen. Hîc uides, uirtutem & uim baptismi nō aquæ transcribendā esse, sed illi qui in aqua operatur, nimirū S. Trinitati. Deus pater est, ex quo omne bonū proficiscitur: Deus filius est, qui eiusmodi nobis gratiam impetrauit, & hoc lauacrū parauit: Deus spiritus sanctus est, qui talia dona partiē. Quid igitur iustius inde sequitur, quàm ut dicam⁹, Benedicta sit sancta Trinitas atq; indiuisa unitas: confitebimur ei quia fecit nobiscū misericordiam suam. Atq; hoc pacto arbitror hominem Christianum ex his duobus uerbis tantam considerandi materiā habere posse, cùm de baptismo suo, tum de sancta Trinitate, ut etiam illum sit dies defectura, cùm tamen hoc uix sit initiū earū rerū, quæ hîc expendendæ forent. Etenim primò sic Paulus interpretatur baptismū, nos esse in illo cum Christo mortuos & sepultos iuxta ueterem conuersationē, & resurrexisse nos cum illo ad nouitatē uitæ. Vult ergo, ut baptismus noster nobis sit æterna auocatio & terriculamētum à peccatis & pristina uita, contrà uerò perpetua commonitio & calcar ad nouam uitam. Considerandum porrò circa hodiernum festum est, nos nō solùm secundum imaginem, sed etiam secundum similitudinem Dei creatos esse, ideóque operam adhibēdam esse, ut nō solū imaginē Dei

Iohan. 3. *Circa baptismum quæ consideranda.* *Rom. 11.* *Baptismi uirtus cui tribuenda.* *Rom. 6.* *Baptism⁹ quorum nos cōmonefacere debeat.* *Gen. 1.*

sit, omnibus in locis flans, in terra, in mari, terrā etiā quandoque penetrans: ita quoq; spiritus S. liber est in suis operationibus. Etenim primò nemo illū cogere potest, qa nullius debitor est, sed gratuitò dat quicquid dat. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Nec illū tenere quisquam aut prohibere potest: nō enim in hominis arbitrio situ est, spiritui seu uento reluctari. Tertiò quoq; in eo liber est ꝙ cuius uult miseretur, & quem uult indurat. Potest enim ex uase iræ uas gratiæ, ex rudi materie insigne opus facere. Sic Dauidem ex pastore regem & prophetam faciebat, Petrum ex piscatore Apostolum, Matthæum ex Publicano Euangelistam, Paulum ex persecutore prædicatorem. Hæc autem omnia facit iuxta decretum suæ uoluntatis. unde & Mardochæus dicebat, Non est qui posit tuæ resistere uoluntati, si decreueris saluare Israël. Ita & Dauid, Complaceat tibi Domine, inquit, ut eruas me. Et rursum, Meméto nostri Domine in beneplacito populi tui. Secūda cōditio uēti est, quòd etsi nō uideatur tangatúrue, ita tamē operatur uehemēter, ut etiam altas turres & ædificia deiiciat, petras disrūpat, & quandoque etiam proceras arbores radicitus extirpet. Sic quoq; spiritus S. præclaris uirtutibus pollet. Nihil tam sublime est, quin id deiicere posit & humiliare, ut uidere est in Pharaone, Nabuchodonosore. Dan. 4. & in Antiocho 2. Macha. 9. Potest itē dura corda hominū emollire & conuertere ad pœnitentiam, ut apparet in Matthæo, Zachæo & latrone, &c. Potest porrò crudelia pectora ad mansuetudinē adducere: ideo dicebat in Zacharia ad Zorobabel, Quis tu mons magne corā Zorobabel? (loquens de rege Persiæ) in planum. Id autem nulla externa ui fieri potest, nisi per spiritum meum. Quinimò spiritus sanctus potest etiam improbos funditus delere, ueluti Dauid dicit de Doëch: Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicē tuā de terra uiuētiū. Tertia cōditio uēti est, ꝙ per omnia sese diffundit, omnia implet, oīa penetrat, nemo est qui aërem excludere posit, aut ab eo fugere. Ita etiā spiritus sanctus omnia complet, quēadmodū sapiens dicit, spiritum Domini repleuisse orbē terrarū. Etenim spiritus sanctus nihil aliud est, quàm uirt' Dei, omnia cōseruās, pficiēs & uiuificās, uti Dauid ait: uerbo domini cœlos firmatos esse, & spiritu oris eius oēm uirtutē eorū. Secūdò spiritus S. oīa quoq; penetrat: nihil eū ꝓhibere pōt, neq; ignis, neque aqua

Marginalia: Rom. 11. / Eccle. 1. / Rom. 9. / Ester. 13. / Psal. 39. / II. / Exod. 14. / Zach. 4. / Psal. 51. / III. / Sap. 1. / Psal. 32.

obedire q̃ hominibus. Et Paulus, ubi inquit: Quis nos sepa rabit à charitate Christi? &c. Tertiò itẽ facit spiritus sanctus hominẽ expeditũ & alacrẽ ad omne bonũ. Talis est qsquis ex spiritu sancto natus est. Atque hic uidetis in baptismo spiritum sanctum plus efficere, quàm aquã. Imò hic liquido apparet, qd in regeneratis hominibus agat & operetur. Proin quisque suam exploret conscientiam & uitam, mox intelliget, utrum spiritus sanctus, an caro in se dominetur. Deus nobis omnibus suam det gratiam, ut operatione & inhabitatione spiritus S. digni eiusq; capaces simus, Amen.

Rom. 8.

Spiritus sanctus in regeneratis quid efficiat.

OCTAVVS SERMO DE VERBIS, *quæ Christus dicit, Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? &c.*



IN hodierno Euãgelio habemus pulchrũ iuxtà ac prolixũ colloquiũ, quod Christus olim cũ Nicodemo Iudaico Rabino habuit, ad illud adeo pũctũ spectãs, in quo Iudęis & Christianis omniũ maxima cõtrouersia est. Is est articulus de iustificatione hominis. Iudæi certò persuasum habent, legem suam sufficere ad iustitiam & salutem, existimãtes nihil amplius ad eam rem opus esse, nec aliud expectantes à Messia, quàm ut tẽporaliter ipsos liberet, reducat eos in terrã ipsorũ, & dominos cõstituat super oẽs gẽtes, alioqui ad nihil aliud eum desiderabãt. nam cœlũ & iustitiã certam habẽt ex obseruatione legis. Hæc eorũ fides est in isto articulo. Et eiusdẽ opinionis fuit quoq; haud dubie hic Nicodemus. Idcirco etiã Christus tot utitur uerbis, ut hanc illi persuasionem eximat. Erat quippe error, erat falsus intellectus scripturæ & legis. Cæci & cæcorũ duces, quoniã Deus legem tãta cum maiestate dederat ac præceperat, summã salutis cõstituebãt in lege, non uidentes quòd Deus semper circa legem etiã Messiam promittebat, qui rem melius exequeretur, quàm Moyses cum lege inchoauerat: non uidẽtes nec cõsiderãtes, per solũ semen mulieris tartareo serpenti suum caput cõterendũ esse: non uidentes in solo Abrahæ semine omnibus populis & hominibus benedictionẽ Dei ꝓmissam esse: non uidẽtes Abrahã & alios ante & post eum, etiã citra legem & circuncisionem bonos & iustos fuisse factos per fidem in futurũ semen. Non uidentes quod Moyses ipse dicit: Prophetã de gente tua & de fratribus tuis sicut me,

Iudæorum de iustificatione persuasio.

Gen. 3.

Gen. 12.

Gen. 15.

Deut. 18.

me, suscitabit tibi dominus Deus tuus: ipsum audies, &c. Quibus uerbis Moyses satis significabat, nõ sufficere suam legem ad beatitudinẽ, meliorẽ & perfectiorem sequuturã. Et quid opus multis? Si lex eorũ & circũcisio satis est ad salutem & felicitatẽ, quid opus fuit, ut Deus per semen Abrahæ benedictionẽ suam promitteret? Si illis Moyses satis doctoris fuit, cur illos remittit ad aliũ? Sed quid Moyses in his multum præstaret & efficeret? Quomodo sua lege homines in cœlum inferret? Ne propriũ quidẽ populum suum in terram Chanaan introducere potuit. Alium id facere oportebat. Is uocabatur Iesus, seu Iosue & Iehoschua. Attamẽ lege sua, sacrificiis & circũcisione cœlum cõscendere uolebant, idq́; ita animis eorũ insederat, ut illis eximere nemo posset. Qua de causa Christus fortiter in hoc Euãgelio sese opposuit, nact⁹ scilicet opportune scribã & pharisæũ. Christus aũt eo illum cogebat, ut bis dicere necesse haberet, Domine quomodo hæc possunt fieri? Fateri ipse cogebatur, se nihil scire & intelligere in Scripturis. Quia ergo propriã suam inscitiã cõfitebatur & cõfiteri cogebatur, & antea quoque nõ malo animo ad Christũ uenerat, non ad disputandũ, sed ad discendũ: tãto Christũ minus pigebat, articulũ de iustificatione illi plene exponẽs. Et est hæc Christi sentẽtia, pinde acsi dicat: Age Nicodeme, uideo & intelligo, quòd mea prædicatio te nõnihil perplexũ reddiderit. Video te libenter scire uelle, quomodo homo probus & felix fieri posit. Hactenus eius fuisti opinionis, & alios ita docuisti, per legem & circũcisionem probitatem ac beatitudinem contingere, & hominem Deo fieri acceptum. Id autem hactenus refelli, & adhuc refello: & est hæc causa, quòd omnes pariter ex carne nati estis, hoc est, ex peccatore condẽnato Adam: natura nihil estis aliud quàm caro, hoc est, condẽnatæ & maledictæ creaturæ. Quomodo igitur Deus ex uobis aut merè uestris operibus delectationẽ aliquam capere potest? Quare nõ est quod aliud cogites, q̃ ꝙ nouũ te hominẽ fieri oporteat, si Deo placere uelis, & pro bono aut iusto corã illo haberi. Quicquid enim ex Adã ꝓpagatur, id Deus ꝓpter peccatũ maledixit. Hoc unũ est. Secũdò, non potes nouus homo fieri nisi renascaris. Tertiò regenerationẽ hãc non fieri oportet ex carne & sanguine, alioq ut ante res esset ꝑdita sed ex aqua & spiritu. Atq spiritũ habere nõ potes, nisi illũ det Deus. Nec eum Deus dabit cuiquam, nisi promeruerim

Num. 20.
Iosue 1.
Nicodemi modestia.
Lex Mosaica non sufficit ad beatitudinẽ.
Gen. 3.

ego

ego prius mea paſsione & morte. En Nicodeme, propterea aliter ego loquor de iuſtificatione hominis quàm phariſæi. Properea nõ admitto, uos p legem ueſtrã iuſtificari poſſe: imò propterea ueni, ut ad uerã uos iuſtificationem promo ueã. Vide Nicodeme, propterea ſum hîc. Sicut Moyſes exal tauit ſerpentẽ in deſerto, ita exaltari oportet filiũ hominis: ut omnis qui credit in ipſo, nõ pereat ſed habeat uitã æternam. Sic enim Deus dilexit mundũ, ut filiũ ſuũ unigenitum daret, &c. Hîc iuſtificationẽ te quærere oportet, nimirũ primò, in me credere tanquã in unigenitũ filiũ Dei, qui pro te & omnibus hominibus moriturus eſt & mori uult. Per eam fidem accipies ſpiritum S. qui te facit in baptiſmo nouum hominem, abluit tibi quicquid mali ex Adam habes, participem te facit omnium meorum meritorum: tum agnoſcit te Deus, tum places Deo, tum iuſtificatus es, tum etiam tantò melius legẽ tuam obſeruare & implere potes. Hæc uera & pura doctrina eſt de iuſtificatione hominis. Hæc unica ad lucẽ uia eſt: nõ eſt quod aliã uiam quæras. Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, nõ põt introire in regnũ Dei. Vide, hoc Chriſtus in iſto Euãgelio uult dicere, quòd ipſum ęquè ad nos ptinet, atq; ad Nicodemũ ut qui eſt præcipuus & primus articulus Chriſtianæ doctrinæ. Hinc uidemus, quã Chriſtus ſit paratus ad docẽdũ, & inuitus hominẽ in errore perire ſinat, in quo aliqd boni ſentit. Verũ audiemus qd ad hoc Nicodemus reſpõdeat: Quomodo poſſunt hæc fieri, inquit? Ex hoc uerbo apparet, quãti negotij ſit, eximere alicui, qđ antea pro uero & certo ſibiipſi inſculpſit. Et q̃ difficulter ad fidẽ ij adduci poſsint q propria ſua ratione ac iudicio nitũtur. Nicodemo ſanè ægre pſuadebatur. res illi noua & inaudita uidebatur, qua de loquebãt Chriſtus, ſed id ſolũ in cauſa erat, qđ antea aliter didicerat, & proprio innitebatur iudicio. Et niſi tãtã fidem habuiſſet, quòd Chriſtus à Deo doctor miſſus eſſet, nihil in eo profeciſſet Chriſtus. Quia uerò fidẽ ex miraculis hauſerat, Chriſtũ de cœlo ueniſſe, tãdẽ iudiciũ ſuũ tantò facilius relinquere, & uerbis Chriſti fidẽ habere poterat. Alioqui ſemper in hac perſtitiſſet ſentẽtia. Quomodo poſſunt hæc fieri? Nam qui carnalibus tãtùm rebus aſſueuit, difficulter intelligit ſpiritualia & diuina. Sic admirabatur Nicodemus, quî fieri poſſit, ut homo corporeus, carnẽ & ſanguinem habens, in ſpiritum mutetur, & leuitatem uenti ſeu aëris ęquet. Secundò, admira

Num. 21.

Iohan. 3.

Hæc eſt iuſtificatio prima, quæ confertur in Baptiſmo.


Nicodemi de Chriſto fides.

1. Cor. 2.

admirabatur, quomodo homo ex aqua & spiritu sancto renasci possit, & non admirabatur, quomodo homo ex terra, ex costa aut osse, & ex semine creetur. Attamē quantumuis crassus & rudis Nicodemus erat, multo tamen erat modestior in interrogando & respōdendo, q̄ alij Pharisei, qui etiā
Iohan. 8. ad Christū dicere non uerebātur, eum Samaritanum esse, & habere dęmoniū, cùm illis dicebat quod intelligere ipsi nō poterāt. Christus hic rursum se tanquā fidelē doctorē declarat: huius non solū est docere, sed si res postulet, etiā corri-
2. Tim. 4. pere, increpare, & rogare, ut Paulus ait. Tu es Magister in Israël (inquit Christus) & hæc ignoras? Perinde acsi dicat: Qui Magistrū se profitetur, is omnia scire debet, q̄ ad eius munus pertinent. Cur hoc titulo gaudes, cum tot res adhuc te fugiant? Hoc uerbo Christus eum ad humilitatē inuitat, ut omnē præsumptionē ponat, & se humilē ac docilē discipulum probet. Tales enim schola Christi habere uult. Disci-
Matth. 11. te à me (inquit) q̄a mitis sum & humilis corde. Ob id & alio
Matth. 23. in loco dicit: Nolite uocari rabbi: unus est enim Magister uester. Secūdò, acriter illū Christus ob inscitiā increpabat. Perinde acsi dicat: Quia Israël sonat uidentē Deū, aut fortè cum Deo, & populus ille legem & Prophetas habet, certè nemo inter illos esse debebat harum rerum ignarus, quem-
Hier. 31. admodum & Ieremias prædixit, Omnes cognoscent me à minimo eorum usque ad maximū, & non docebit ultra uir proximum suum, &c. Quî fit igitur, quòd tu doctor & ductor huius populi tam rudis es? Si doctores tam sunt imperiti, qualis populus erit? Quod si sal euanuerit, in quo salie-
Matth. 5. tur? Si lumē quod in te est, tenebræ sunt, quātæ erunt tene-
Luc. 11. bræ? Atq; hinc elucescit, quid populū Iudaicū in omnē impietatem & omne malum cōiecerit, nimirum quòd uigiles eorum & speculatores omnes cæci erant, &c. Hoc Isaias ex
Isa. 56. presse dicit: Propterea captiuus ductus est populus meus,
Isa. 5. quia nō habuit scientiā. Adhuc in hodiernū diem maximus
Matth. 5. defectus est in sancta Christianitate, quòd ij qui lumina mūdi esse debebāt, prorsus sint tenebricosi: q̄ alios docere de-
Rom. 2. bebant, se ipsos non doceāt. Quinimò qui docent nō furandum, non admittendum adulterium, &c. ea ipsi faciunt, &c. Sed quid sequitur amplius, Amē amē dico tibi, quod scim⁹ loquimur, &c. Sētētia est, perinde acsi dicat: Non loquimur
Iohan. 7. fabulas aut nugas, & meapte spōte: quod faciūt q̄ à semetipsis loquūtur, & idcirco suum ipsorū honorē quærunt, aut
qui

qui ex propriis cordibus prophetizant, cũ tamen illis Deus nihil mandauerit. Nos uerò (inquit Christus) quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, nẽpe certissimã ueritatẽ & intellectũ sacræ scripturæ. Proinde securè mihi credas licebit. Docet per hoc, quòd uerbũ Dei audituri ante omnia fidẽ habere debeant. Alioqui auditur uerbũ Dei absq; omni fructu: quandoquidẽ uerbũ Dei talia proponit, quæ non uidentur, aut uideri nõ possunt. Per fidẽ enim ambulamus, & non per speciẽ. Et nisi credamus, permanere nõ poterimus. Secundo omnibus prædicatoribus ostensum est quid docere debeant, nimirũ non sua ipsorũ somnia, nõ incerta & dubia, sed quę sciunt & uident, hoc est, quæ certa, uera & indubitata sunt, ne auditores rebus incertis aut mendaciis fidãt, atq; ita baculo innitantur arundineo. Deinde quoq; docere debẽt quod sciunt, hoc est, aliis impartire, quod à Deo acceperũt, ne similes fiant infideli seruo, qui domini sui pecuniã, quam in usuram collocasse debebat, in terra defoderat: aut iis qui clauẽ scientię habẽt, ipsimet tamen nõ introeũt, nec alios introire sinunt. Attende autẽ quod Christus nõ dicit, Quod scio loquor, & quod uidi testor: sed dicit, Quod uidimus testamur, se & patrẽ simul intelligens, quemadmodum & aliàs in Euãgelio dicit: Ego sum qui testimoniũ perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me qui misit me, Pater. Deinde etiã per hoc indicat, se idẽ docere, quod prophetæ docuerunt. Ego nõ sum solus (uult dicere) qui hęc loquor & doceo. Omnes Prophetę idem locuti sunt. Vel ita etiã intelligere possumus, ut Christus se ipsum & Iohannem putauerit. Nos (uult dicere) qui nũc pręcipui sumus in prædicãdi munere, nimirũ Iohãnes & ego, docemus quod uerũ est, & loquimur quod nobis certò cõstat. Nã quicquid Iohãnes docuit, id ex diuina reuelatiõe accepit, ut Lucas ait, uerbũ Dei ad se factũ esse. Quod autẽ ego doceo, id à patre cognoui & uidi. Atq; hac re etiã indicatũ est, quod sit discrimẽ inter cognitionẽ Christi & Iohãnis. Sciuit Iohãnes doctrinã suã uerã esse, Christus uidit. Quid enim nõ sciret & uideret q Deus est! oĩa gubernat & cõplet, & in sinu Dei patris est. Ideo dicebat ad Iudęos, Ego quod uidi apud patrem, loquor. Et ad Apostolos: Quęcũq; audiui à patre meo, nota feci uobis. Hęc uerba autẽ merito nobis fidẽ nostrã cõfirmare debẽt. etenim uidemus hic, quã tuto illius uerbo & doctrinę fidere possimus. Sed quid sequitur? Et testimonium nostrum

Ezech. 13. Hiere. 23. 2. Cor. 5. Isa. 7. 4. Reg. 18. Matth. 25. Luc. 11. Iohan. 8. Luc. 3. Iohan. 1. Iohan. 8. Iohan. 15.



ſtrũ non accipitis. Queritur hoc Chriſtus & in aliis locis, ſignificãs id nõ in ſe tãtummodo, ſed in omnibus prophetis uſu ueniſſe. Hoc enim oẽs cõqueſti ſunt, ut uidemus, Exo. 4. Deuter. 9. Iſa. 53. Mich. 7. &c. Obſerua autem quod Chriſtus hîc non de Nicodemo ſolo loquitur, non ait, teſtimonium noſtrum nõ accipis: ſed loquitur in plurali, oẽs pariter denotans: Teſtimonium noſtrũ nõ accipitis, quẽadmodũ & aliâs dicit, Noluiſtis. ecce relinquetur uobis domus ueſtra deſerta, quin etiã regnũ Dei à uobis auferetur. Ad nos etiam hoc pertinet. Nõ fuit Nicodemus ſolus, nec Iudæi & Phariſæi ſoli fuerunt, in quibus hæc uerba Chriſti deprehenſa ſunt. deprehenduntur & in nobis Chriſtianis, & plus quàm è re noſtra eſt, quámq; nos decet. Pergit Chriſtus dicere: Si terrena dixi uobis & nõ creditis, quomodo ſi dixero uobis cœleſtia, credetis? Per terrena intelligere primo poſſumus externã terrenã ſimilitudinẽ, qua Chriſtus ſemper in ſua doctrina uſus eſt. Quemadmodũ & nunc in iſto colloquio ſimilitudinem dedit de uẽto. Eſt ergo hic ſenſus: Si ratione ueſtra indagare non poteſtis quid uentus ſit, ubi incipiat & deſinat, quomodo cœleſtia & diuina cõprehenderetis? Secũdò per terrena intelligere poſſum⁹ doctrinã & baptiſmũ Iohãnis. Et eſt hęc ſentẽtia: Si nõ creditis Iohanni, cuius doctrina & baptiſmus ad meam doctrinã & baptiſmũ nihil aliud quàm terrenũ & humile quiddã eſt, quomodo meæ doctrinæ fidẽ haberetis, quę diuina & cœleſtis eſt? Poſſumus etiã per terrena intelligere lacteũ cibũ, ut ſit hæc ſentẽtia: Hactenus imbecillitatẽ ueſtrã ſuſtinui, & nõ ſublimia, aut ſubtilia, ſed humilia tãtũ, & ueluti puerilia uos docui ac propoſui. Nõ enim ad uos potui tanquam ad ſpirituales ſed tanquã ad carnales loqui, lac uobis potũ dedi, nõ eſcã: necdũ tamẽ credere aut intelligere poteſtis. His Chriſtus indicat, ſe nihil prætermiſiſſe, quò nos homines ad ſalutẽ noſtrã pellicere & adducere poſſet. Idẽ hoc etiam nobis dictũ eſt. Quapropter nullam excuſationẽ habemus, ſi in peccatis & incredulitate manſerimus, &c. Deus nobis omnibus ſuam det gratiam, Amen.

Matth. 23. *Matth. 21.* *Parabolis Chriſtus libenter uſus.* *1. Cor. 13.*

NONVS SERMO DE VERBO ILLO, *Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo.*

HOdiernum iſtud Euangelium graue habet, ſed tamen utile colloquiũ. Perſonę quæ loquuntur, ambę magnæ ſunt authoritatis. Nicodemus potens erat in terris, Chriſtus erat

erat doctor de cœlis missus. Res de qua loquebãtur magna est & ardua, maior esse nõ poterat, nimirũ salus & fœlicitas hominũ. Verba quæ in eo usurpantur & fiũt, grauia sunt, sententia utrinq; est bona, circũstantię sunt laudabiles, finis Christian⁹ est ac pius. Hęc eiusmodi sunt oĩa, quę huic colloquio authoritatẽ, nobis uerò cupiditatẽ ac desiderium cõciliare debent, tantò libentius & impigrè magis auscultãdi, præsertim cum ad nos etiam pertineat, quod dictũ ac factũ est. Est enim mera doctrina, quod Christus illic loquitur & facit, & quod Nicodemus interrogat ac quærit. Imò principiò & ante oĩa, in hoc Euãgelio quatuor pręcipua puncta Christianę nostræ doctrinę indicata sunt. Primũ est, quod ex nobis ipsis, ex nostra natura & prima generatione, nihil aliud sum⁹ quàm caro, hoc est, miserę, perditę, cõdẽnatę creaturæ, quæ nihil boni habẽt & possunt, & idcirco de nouo nos nasci oportet, si ad Deũ uenire & salui fieri cupimus. Alterum est, quod nõ ex carne & sanguine, sed ex aqua & spiritu renasci nos oportet. Et quod ad eiusmodi regenerationem priores nostri parẽtes promouere nõ possunt, sed Deus id faciat necesse est per spiritus sui largitionẽ, & Ecclesia per inuocationẽ S. Trinitatis & aquę adhibitionẽ. Tertium, quòd hæc regeneratio in nouo homine ęquè suã operationem habet & declarat, atq; prima generatio in homine naturali. Et quàm certò animæ pręsentia cognoscitur in homine per eius operationẽ, tam quoq; certò cognoscitur pręsentia sancti spiritus per illius operationẽ. Quartũ est, ꝙ id omne Christo acceptũ ferre debemus, qui ꝓpterea se exaltari siuit & suspẽdi in crucẽ, ne nos pereamus: propterea mortu⁹ est, ut nos spiritũ S. & uitã æternã consequeremur. Hæc illa sunt quatuor & pręcipua capita Christianę doctrinæ. Ea autem ita in hoc Euangelio indicata sunt, ut de iis dubitare nemó posśit. De primo dicit Christus: Quod ex carne natũ est, caro est. De secũdo dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ potest introire in regnũ Dei. De tertio dicit: quemadmodum spiritus ubi uult spirat, ita esse unumquenque qui ex spiritu nascitur. De quarto dicit: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportere filium hominis.

Forma Christiani colloquij.

Capita quatuor Christianæ doctrinæ.

I. II. III. IIII.

Iohan. 3.

Hinc animaduertere quiuis potest, quantum momenti nobis in isto Euangelio situm sit: imò tantùm, ut qui hæc quatuor non apprehendit & credit, non sit Christianus. tanto diligentius quiuis sibi insculpere debet. Quo autem

facilius animis nostris irrepat, Nicodemũ nos imitari oportet. Ex uerbis illius conijcere datur, illum antè bene præmeditatũ fuisse: non erat curiositas aut spiritus uolatilis: imò sibi ipsi hoc persuaserat, Christũ non ex terra, sed de cœlo originẽ trahere: uerba eius nõ hominis, sed Dei uerba esse, tũ miracula illius nõ hominũ, sed Dei opera esse oportere. Rabbi (inquit) scimus quia à Deo uenisti magister. Hoc fundamentũ uerum est, quod habere quilibet debet, qui Euangeliũ rectè audire uult, nimirum ut magni faciat, nõ tãquã hominum, sed tanquã Dei uerbum, quod nõ in terris excogitatum, sed de cœlo uenit, magnis diuinísq; operibus cõfirmatum. Hoc fundamẽtum qui non ponit, non magnopere ad Christum properabit, nec diu apud illum hærebit. id quod iá inde ab initio deprehensum est, & adhuc deprehenditur. Iudaici Pharisęi haud certatim acceptabant doctrinam Christi, quia non credebant eã ex Deo esse. Imò palàm dicebant eum dæmonium habere. Quidam alij eum ad tempus secuti fuerant, & se illius discipulos professi erant. sed rursus deficiebant. Cur hoc? Nõ credebant uerbum esse Dei, quod loqueretur. Apud nos inuenimus, maiorem partẽ non curare prędicationes. Quid ita? Pro nugis habẽt, ut alias nugas. nõ ducunt pro uerbo Dei, & ut maximè audiant diligenter, facilè ingruere potest tẽtatio, ut mox dubitare incipiãt. Quamobrem? Nõ iecerunt sibi ipsis fundamentum, quẽadmodum Nicodemus faciebat. Quod si autẽ credere cũ illo possent, ac dicere: Scimus quia à Deo uenisti, nõ pigeret eos etiã nocte ad Christũ transcurrere: tũ etiã perseueraturi apud ipsum essent, etsi totus mũdus deficeret, ut in Nicodemo uidem⁹. Et hoc est quod Christus dicit, ex fructibus cognoscendam arborẽ. At quot reijciendi essent, si iuxta hanc normã iudicãdũ foret? Quocirca tibi ipse fundamentũ pone, quoties ad cócionẽ iturus es, quod Christus de cœlo uenerit, & uerbũ illius, Dei esse uerbum. Crede quod Nicodemus hic credit. Dic cum S. Petro: Domine, uerba uitę ęternæ habes, nũquã pigebit te uerbũ Dei audire, nunquã de eo dubitabis, aut ab eo abducêris. Hoc unũ est, quod apud Nicodemũ considerare habemus. Sed & alia sunt, quę nobiscũ recolere debemus, nimirũ quòd Nicodemus potens erat, nec tamen pigebat eum ad Christũ ire. Erat doctus, nec tamen pudebat eũ à Christo discere. Erat Pharisęus, hoc est, ab omnibus & sanctus habitus, attamẽ iam primũ ex Christo rogabat, quæ uera

[Margin notes: 1. Thes. 1. — Iohan. 8. — Iohan. 6. — Iohan. 19. — Matth. 7. — Iohan. 6. — Nicodemi humilitas.]

uera iustitia esset. Hanc Nicodemi naturã bene tecũ reputa, siquidẽ res rarissima est apud illud seculum. Quinimò nihil est, quod Adæ filios magis abstrahit à Christo & uerbo Dei, quàm eorũ potentia, sciẽtia & probitatis opinio: nec populi ullius minor in cõcionibus uidetur frequentia. Qui potẽtiæ suę fidit, nõ curat eas: qui scientię supercilio turget, eum pudet illarũ: porrò qui sibi ipse uidetur probus, non se iis opus habere existimat. Atq; ita quãdoq; inter multos potentes, doctos & Ecclesiasticos uix unũ inuenias Nicodemum, qui Christum sequatur, Christum audiat, corã Christo sese humiliet, suũ iudiciũ seponat, & se Christo totũ dedat. Atqui Christus tales in sua schola habere uult, qui neque suę potentię, neq; suę sapientię, neq; suę iustitię fidant, sed simpliciter faciant, quod Nicodemus: nimirũ ut cognoscant & credãt, se apud unum Christum quęrere oportere, quod illis ad uerã scientiã, perfectam iustitiã, & æternam gloriã inseruire possit. Vide, hoc alterũ esset, quod apud hunc Nicodemum discere debemus. Ad hęc in primis obseruandum, quod Nicodemus tãtę existimationis corã mundo ita indoctus inuenitur coram Christo in spiritualibus & diuinis rebus. Nil nisi admirari potest, nihil respõdere nouit quàm, Quomodo fieri hęc possunt? Hinc apparet, quid humana sciẽtia sit ad Deũ & quàm humana ratio nihil de rebus diuinis intelligat, nisi cœlitus illuminetur. Rursum hęc pars est obseruatu digna. Nã ut Nicodemũ sua ratio perplexũ reddit, ita profectò nobiscũ quoq; fit, si rationẽ nostrã sequamur. Quid Arrium & alios ita intricatos fecit, ut tã exitiales docerẽt errores, quã quòd rationi suę plus crederẽt, q̃ sacræ scripturæ? Quid nos in hodiernum diẽ adhuc adeò demẽtat, quàm quòd semper dicimus, quomodo fieri hęc possunt? &c. Eia frater, si Christi discipulus esse uis, nõ his utendum est uerbis. credendum est, nõ interrogandum: si ratio nostra nobis sufficeret, non opus haberemus uerbo Dei: quod Spiritus S. docet, id non intelligitur sine spiritu S. Crede, & intelliges. Sit tibi Nicodemus perpetuum exemplũ. Memineris quod Christus dicit: Quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur. Itaq; audiemus quid Christus in hoc Euãgelio pergat dicere: nondũ enim ad finẽ peruenimus. Et nemo ascẽdit in cœlũ, nisi q descendit de cœlo, Filius hominis, qui est cœlo. Redit Christus ad institutã doctrinam de uera iustitia, aliquanto dilucidius exponens, unde ea ueniat, & ubi quęrenda sit. Vide autem,

Rationis humanæ infirmitas.

Hereses unde.

Ordo doctrinæ Christi.

tem, quã in his rebus omnib⁹ bonũ obseruet ordinẽ. Primũ docuit, nos oẽs regeneratione opus habere. Secundo indicauit, in quo illa cõsistat, nimirũ in aqua & spiritu, causamq́; simul reddidit, quãobrem ita fieri necesse sit: tũ etiam conditionẽ hominis regenerati enumerauit. Nunc ostendit, ubi, apud quẽ, & per quẽ spiritum S. quærere nos oporteat. Nã aquæ copia omnibus esse potest.

In eos, qui negant Diuos in cœlis.

Atq; hîc palàm fit, homines uerba ista nõ intelligere, qui inde colligere & cõcludere uolunt, neminẽ in cœlũ uenire posse, nec iam inde ab initio eò uenisse quenquã, præter unũ Christum, cùm tamẽ scriptura apertè & passim indicet, electis ęternã habitationẽ in cœlis paratã. Sic enim inquit Christus, Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorũ est regnũ cœlorum: ideóq; iubet ut thesaurizemus nobis thesauros in cœlo. Tũ Paulus dicit, nos scire, quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationẽ ex Deo habemus, domũ non manu factã, æternam in cœlis, &c. Patet hinc uerbũ istud, quod Christus hîc loquitur, nõ ità accipiendũ esse, quasi nemo ad cœlum uenerit, aut uéturus sit, præter unũ Christũ in sua psona. Est autẽ ita uerbũ hoc intelligendũ: Nemo ascendit in cœlũ, nisi qui descẽdit de cœlo, &c. Perinde acsi dicat Christus: Hacten⁹ cœlũ omnibus hominibus clausum fuit. Neq; mirũ, quando propter peccatũ homini etiã paradisus claudebatur, & homines quandoq; ob scelera è terra eiiciantur exterminẽtúrque. Atqui omnes homines peccato obnoxij sunt, excepto Christo, qui peccatum non fecit, neque dolus in ore eius inuentus. Quapropter etiam nemo mortalium extra unum Christum cœlum aperire potuit. Secundò possumus hoc uerbum & istum in modum intelligere, quod solus Christus propria uirtute & uiribus in cœlum ascẽdit, ut qui non solum homo, sed etiam Deus fuit. Hoc alius nemo potuit, reliquos omnes homines Christi pręsidio in cœlum uenire oportet, & rogare ac dicere, Domine trahe nos post te. imò cæteris omnibus hominibus in Christo (tãquã in uera scala, quæ in hoc erecta est & à terra in cœlũ usq; pertingit) ascẽdẽdum ad Deum est. Sic enim inquit, Ego sum uia, nemo uenit ad patrẽ nisi per me. Fit igitur hinc perspicuũ, homines quotidie in cœlum ascendere. Regnũ enim cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud: Alij ascendere incipiunt: alij aliquot scalas superarunt: alij ad eam sublimitatem peruenerunt, ut terram non uideant amplius, sed cum Paulo

Matth. 5. Matth. 6. 2. Cor. 5. Gen. 3. 1. Pet. 2.

Christus propria uirtute cælos penetrauit.

Cant. 1. Gen. 19. Iohan. 14. Matth. 11.

Paulo obliuiscantur omnium eorum quæ retro sunt, capite, *Phil. 3.*
hoc est, animi desiderio, cœlum contingunt: dicunt, cõuersatio nostra est in cœlis: alij iam intrauerũt in gaudiũ domini sui. *Matth. 25.* Interea tẽporis angeli descendunt, consolantur, auxiliantur & protegunt nos. Quinimò Deus ipse huic scalę innix⁹, acclamat nobis, Venite ad me omnes q laboratis, &c. *Matth. 10.*
Tertiò, item uerbum hoc ita accipiamus licebit, quod solus Christus optimo iure in cœlum ascendit. Siquidem illi tanquam unico naturali filio Dei, cœlum iure cedit, ut Dauid *Psal. 113.* dicit, Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum. Et Christus ad patrem: Omnia (inquit) tua mea sunt. *Iohan. 18.* Cæteri omnes homines, qui unquam ad cœlum peruenerunt, & adhuc peruenturi sunt, id illi non suo iure habeant, sed gratuitò, & quod illis hoc Deus ex misericordia promisit. Etenim opera nostra tam magna támq; bona non sunt, *Opera nostra ut sint cœlo digna.* ut ex seipsis cœlo & æterna mercede sint digna, nisi quatenus ea Deus ex gratia accipit, quemadmodum & Paulus de cruce nostra & passione loquitur, non esse condignas pas- *Rom. 8.* siones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Postremò quoque nihil uetat, quo minus hoc uerbum sic intelligamus, quod nemo mortaliũ cum sua sola iustitia coram Deo subsistere possit, præter unũ Christũ. Neq; id mirum: nam etsi quid boni facimus, peccata tamen nostra semper excedunt bonũ. Vnde & Dauid dicit, Si ini- *Psal. 130.* quitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ad hæc ualde imperfectum est, si quid fortè boni agimus, sæpe intercurrẽte re quapiã, quæ eiusmodi nobis opus in cassum reddat. Quapropter Isaias dicit, omnes nostras iustitias es- *Isa. 64.* se quasi pannum menstruatæ. Tum orat Dauid, ne secũ in- *Psal. 142.* tret in iudicium, qa nõ iustificatur in cõspectu illius omnis uiuens. Quod si igitur iustitia nostra per se coram Deo nõ possit subsistere, quomodo cœlum nobis aperiat, spiritũ S. impetret, & nos cum Deo reconciliet? Christus coram Deo apparere audet: Dei quippe filius est, & ubi alij omnes condẽnati erãt & perierant, ipse solus per se Dei gratiã & fauorem nobis obtinuit: solus ex seipso possidet iustitiam, solus omnia Dei bona propria obtinet. Porrò sola etiam iustitia eius Deo patri p se grata est. ea enim una nullo crimine diluta & cõtaminata est, pfectissimè ex summo amore & obediẽtia erga Deũ ꝓfluxit. Eámq; ob rẽ solus ille nobis promereri potuit Dei gratiã, spiritũ S. & ingressum in cœlum.

Hoc pacto nos Christus uerbo isto humiliare uoluit, ne unquam nobisipsis aut probitati nostrę fidamus. Nō quòd nihil boni facere debeamus, sed ut ꝓ seruis inutilibus nos re-
Luc. 17. putemus, etiã si omnia fecerimus quæ nobis mandata sunt. Docere deinde etiã per hoc nos Christus uoluit, ut omne bonum ab illo & per illũ quæramus. Nam dictũ hoc uerissimũ manet, neminẽ ascẽdere in cœlũ, nisi qui descẽdit, &c.
Ephe. 1. hoc est, nemo esse Deo acceptus potest, nisi ꝑ Christũ: etenim in illo nos Deus in gratiã recepit: nemo remissionem
1. Iohan. 2. peccatorum cõsequi potest, nisi per Christum. est enim ille
Iohan. 1. propitiatio ꝓ peccatis nostris: nemo spiritũ S. accipere potest, nisi per Christum. nam in illo & super illũ quiescit spiritus S. & de plenitudine eius accipimus omnes: nullius ho-
Gen. 37. minis iustitia Deo grata est, nisi simul merita Christi illis iũ
Isa. 11. gat, quo æternus Deus tunicam filij sui agnoscat: nemo iudiciũ Dei sustinere potest, nisi habeat Iesum Christũ aduo-
1. Iohan. 2. catum. Et postremò nemo in cœlũ ascendere potest, nisi sit membrum in corpore Christi, hoc est, nisi Christo per fidẽ, spem & charitatem insitus sit & conglutinatus. Quare si ad cœlum aspiras, fac unum corpus sis cũ Christo: mane in sancta uniuersali Christiana Ecclesia, quod est spirituale corpus Christi: ab hoc corpore ne tu separa, siquidẽ unus Christus unà cùm iis, qui ipsi incorporati sunt, in cœlum ascẽdit.

Fide, Spe & Charitate Christo cõiungimur.

Cæterũ quòd Christus cùm in hoc tum in aliis locis Euangelij, se uocat filium hominis, cùm tamen rectè hominem se appellare, imò etiam Deum potuerit, nec id quidem sua caret causa. Non ideo solùm factum est, quòd in terris non nisi unam matrẽ, nullum autẽ patrẽ habuit, unde nõ duorũ, sed unius hominis filius est, sed factũ id primò est ad cõfirmationẽ nostræ fidei, ne dubitemus, quin bonorũ ipsius participes futuri simus, quandoquidẽ ipse prius naturã nostrã participauit. nã alioqui sibi ipse corpus aliũde & de nouo creare potuisset, atq; tum quidẽ caro & sanguis fuisset, sed nõ fuisset nostra caro & sanguis: homo fuisset, sed nõ filius hominis. Quomodo autẽ credere possemus, filiũ Dei bona sua nobiscũ partiri uelle, si à natura nostra abhorruisset & refugisset? Vt ergo bona illius nobis certò polliceri possemus, homo & filius hominis fieri uoluit. Secũdò auget nobis uerbũ istud spẽ nostrã. Nã si fieri potuit, ut Deus filius hominis factus sit, fieri etiã potest, ut homo Dei filius fiat. Tertiò, porrò charitas in nobis hoc uerbo accenditur. meritò

Cur Christus filium hominis se appellarit.

Confirmatur Fides nostra.

Spes.

Charitas.

meritò enim amamus illum, qui nos tātoperè amauit, ut filius hominis fit factus. Quod autē dicit, filiū hominis descēdisse de cœlo, nō ita accipiēdū & intelligendū est, quasi corpus suū de cœlo deportauerit, ut Valentiniani asseuerabāt: sed hoc locutionis genere significare uoluit unitatē personę, ne quis cogitaret, illū geminam habere personā, quemadmodum geminā naturā habuit. id enim sentiebāt Nestoriani. Vt igitur omnibus manifestū esset, in Christo nō nisi unam personam esse, hac loquendi forma utitur, dicēs filiū hominis de cœlo uenisse, quandoquidē assumpta humanitas, una persona est cū filio hominis, qui de cœlo descēdit. Sic postea ait, filiū hominis, qui adhuc in terris ambulabat, in cœlo esse, quoniam Deus, qui ubiq; est, una persona erat cum homine seu filio hominis, q in terris loquebatur. Itaq; uerissimum deprehenditur, quod qui descendit, etiam ascēderit, sed aliter amictus, nimirum humana natura & corpore suo spirituali. Deus descendit, Deus & homo iterū ascendit. Solus descendit, multi cum ipso & post ipsum ascenderunt, nimirū totū illius corpus, & omnia illius membra. etenim ubi caput est, ibi membra quoque sint necesse est: imò ubicunque fuerit corpus, illuc congregantur aquilæ. Hoc bono Christiano circa uerbum istud considerandum est.

Error Valentinianorum.

Error Nestorianorum.

Iohan. 3.

Ephe. 4.

Matth. 24.

DECIMVS SERMO DE *figura ænei serpentis. Num. 21.*



HAVD arbitror inter nos Christianos quenquam ita rudem esse, quin intelligat, Euangelium istud haud exigui esse momenti, nō ideò solùm, quòd uerba per se grauia sunt, sed etiā quòd statim post festum Pētecostes, & prima quidē Dominica, & in ipso festo sanctæ Trinitatis nobis q̄ e religione Christiani sumus, ꝓponitur. Nec certè quēquā sua fallet opinio, qui hac de causa tanto pluris Euangelium istud fecerit. In superioribus sermonibus multifariā uobis ostēdi, qd Christus Nicodemo & omnibus iis, q ex animo ueritati studēt, per hoc significare uoluerit & infigere, nimirū uerā, unicā, certā uiā ad salutē. Hac uice breuiter docebo, quāobrē hac prima adeò Dominica id legatur prędicetúrq;. Atq; hic reperio nō unā, sed uarias causas, quæ tamē oēs & magnæ sunt, & magni pōderis. Primò, id adeò fit, ut omnes intelligāt, quàm Christianū posthac malè decebit,

Ignorantia quam dedeceat Christianum.

ſi etiam poſt feſtum Pentecoſtes, hoc eſt, poſteaquam ſpiritus S. tam liberaliter effuſus eſt, Euangeliũ in uniuerſo orbe prędicatur, Sacroſancta Trinitas omnibus in locis apud omnes Chriſtianos agnoſcitur & inuocatur, nondum tamẽ ſciat, quæ hominem Chriſtianum ſcire æquum eſt, aut illum pudeat uel metuat id quod nouit profiteri. Hæc adeò duo Nicodemo deerãt. Non ſciebat, quæ ſcire meritò debebat, nec animus ei inerat, pudebat eum & timebat palàm interrogare, ſed noctè ueniebat. Ideóq; principiò acriter obiurgabatur. Tu es magiſter in Iſraël (inquit Chriſtus) & hæc ignoras? In altero reprehenſionẽ æquè meritus fuiſſet, nimirum quòd nocte ueniebat. pudebat eũ & timebat interdiu cum Chriſto colloqui. Chriſtus autẽ hoc illi hac uice in meliorem interpretabatur partẽ. Sciebat illũ hoc egregiè ſarturum, correcturumq́;, ſicut etiam fiebat, ut is ipſe meticuloſus Nicodemus, in paſsione Chriſti, cùm nemo Chriſtum amplius agnoſcere uellet, prodiret, eumq́; ſepeliret. Idcircò ei indultum eſt, ut Chriſtus eum hoc loco non arguat puſillanimitatis. Verũtamẽ uidere nos interim poſſumus, peſſimè nos decere, nobisq́; minus quàm illi ignoſcendũ eſſe, ſi perpetuò tales Nicodemi maneamus, hoc eſt, aut tã ignorantes, aut uerò tam animo abiecto, nũquam uolentes diſcere, quæ Chriſtianũ ſcire par eſt: nũquã uolẽtes re ipſa teſtari, quæ Chriſtiani hominis partes ſint. Nicodemus ueniã merebatur. nam is iã primũ Chriſtũ agnoſcere diſcebat. neſciebat adhuc utrũ res perpetuò ſeſe ita eſſet habitura nécne. Nos autẽ in doctrina Chriſti educati ſumus, tum etiã ſcimus omnia cõfirmata & certa eſſe. Vide, propterea legitur Euangeliũ iſtud primum omnium à feſto Pentecoſtes, quo
quiſq; ſeipſum exploret, & uideat nũ adhuc Nicodemi quàm Petri ſit ſimilior. Poſtquã enim Pẽtecoſtes feſtum tranſegimus, hoc eſt, poſtquam Chriſtus ſuis functus eſt partibus, & ſpiritũ S. miſit, iam nunc in nobis inueniri debet, quod Deus p Hieremiã dixit, Nõ docebit ultrà uir proximũ ſuũ, dicens, Cognoſce dominũ. omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſq; ad maximũ, quinimò omnes erunt docibiles Dei. Omninò nunc eſſe Petri debemus: non ſolùm fidei noſtræ nos pudere nõ debet, ſed ne metuere quidem, quẽadmodũ S. Petrus faciebat in die Pentecoſtes, omnem Nicodemicam naturam ponens. Quàm prius tardè intelligere poterat, quid Chriſtus ſibi & aliis diceret, tam erat nũc certus,

Iohan. 3. *Iohan. 19.* *Hiere. 31.* *Iohan. 6.* *Petri ut eſſe ſimiles debeamus.*

certus, diuinam eam esse ueritatem. Et quàm antea à Christo stare reformidabat, tam nunc dicere ad Magistratus fortiter audebat: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Hæc uera erat mutatio: hoc Pẽtecoste nostra quoq; in nobis operari debuerat, huius circa hodiernũ Euangelium specimen edere debebamus, num iuxta exẽplũ hoc Nicodemicã nostrã naturã, hoc est, ignorãtiã & pusillanimitatẽ etiã posuissemus. etenim hæc duo hominẽ Christianũ pessimè decẽt. Sed quid dicẽdũ de isto nostro seculo? Eatur ad uulgus, nihil ibi inuenias præter crassam affectatámq; ignorantiã, quæ nullo modo se patiť excusari. Nõ desunt q amplius annis triginta in Christianitate fuerũt, sempérq; prædicationẽ & admonitionẽ habuerũt, nec tamen adhuc tenẽt articulos fidei suę. Inspiciamus deinde uitã nostrã, cõperiemus nos Nicodemos planè esse. Quicqd nobis cũ Christo negotij est, id noctu facimus, hoc est, clam, interdiu credimus & facimus, quod Schultetus credit & facit: nõ audemus corã mundo nos tales exhibere, quales animo sumus: timemus ne mundus nos irrideat, aut ne id malè nobis cedat. Cõtra hoc autẽ, Euãgeliũ istud nobis admonitioni esse debet. Quare si aliàs unquam nobiscum reputauimus, quid homo Christianus considerare & scire debeat, nũc adeò id discere conuenit. Si unquam nos corã mũdo, Christi ac ueræ pietatis puduit, nunc palàm profiteamur. Nam qui Christum confessus fuerit corã hominibus, hunc uicissim Christus confitebitur coram angelis Dei, &c. Sed audiamus huius Euangelij cõclusionem. Sicut Moyses exaltauit serpẽtẽ in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis: ut omnis q credit in ipso, nõ pereat, sed habeat uitã ęternã. In hisce uerbis Christus quiddã maius adhuc indicat, & quod omniũ maximè ad rem facit, nimirum quomodo nobis cœlum recludere uelit, & spiritũ S. promereri, & qua re aut per quid spiritum S. accipere possimus. Atqui Christus nobis spiritũ S. sacra sua passione promeruit. eum autẽ spiritũ sanctũ fide accipimus. Hæc duo nobis Christus ultimis istis uerbis indicare uult. Propterea autẽ meminit hîc Christus futuræ suæ passionis, primò ut nos adhortetur ad grauitatẽ criminũ nostrorum considerandã, perinde ac si dicat: ego filius hominis uos quidẽ cõciliabo cum Deo, sed magnis id fiet impẽdiis: prius depẽdẽdũ mihi erit, quicquid homo Deo debet, difficilis satisfactio à me poscetur. Proinde non pro ludo duces,

Act. 5.

Ignorãtia & pusillanimitas pessime decent Christianum.

Malus timor & pudor.

Matth. 10.

Iohan. 3.

Iohan. 16.

Criminum nostrorũ grauitas unde ponderanda.

duces, quod nūc dico, neq; peccata tua paruipēdes, quādō-quidē eorū causa grauis mihi pœnitētia sustinēda est. Secūdò ideò quoq; Christus Nicodemo de futura sua passione dixit, quò minus postea offenderetur, sed cogitaret, singula
Iohan. 19. ri id fieri Dei cōsilio. Et re ipsa deprehēsum est, Nicodemū in passione Christi multò reliquis fuisse fortiorem, quia illi prædictū fuerat. Attamē Christ' nō apertè illi de sua passione dicebat, sed figurā ei tantū indicabat, tāquam scribæ, significās ea re, uetus & nouū testamentū cōsensura inter se & cōcordatura, & ut ex una figura cōpelleretur etiam alias
Num. 21. scripturas pscrutari. Quod aūt illū Christus ad æneū serpen
Serpens æneus typus Christi. tem adeò remittit, cùm nō defuissent aliæ scripturæ, quas illi indicare potuisset, in quibus passio sua annūtiata & præfigurata erat, id ideò factū est, ꝙ in hac figura non solùm uita Christi nobis præfigurata est, sed etiā causa eius passionis, cōditio eius qui passus est, tum etiā fructus passionis illius: denique quomodo illius participes fieri queamus. Deinde quoq; Christus eam maximè ob causam Nicodemū ad hāc figurā remisit, quia uix alia in scripturis est, quæ aduersarios nostros Iudæos, quibus crux Christi ludibrio est, potentius cōfundit, quàm hæc adeò figura. Nā cùm aiunt, quomodo opitulari is pōt & seruare qui in cruce pepēdit? nos contrà dicere possumus, quomodo æneus serpens, res inanimata, uulneratis, ueneno tactis hominibus sanitatē conferre po-
Num. 21. tuit? Agè, historiā seu figurā aliquāto latius inquiramus. Cōperimus itaq; primò, ꝙ Deus inter alias pœnas, quibus ob peccata Israëlitas olim affligebat, etiā semel ignitos serpētes in populū miserit, ob id maximè, quòd nauseabāt super
Gen. 3. cibo, quem illis dabat Deus. Idē etiā primo homini euenit, qui simul atq; cœpit fastidire uerbū Dei, in potestatē uenit tartarei serpentis. Secundò, quemadmodū multi ex populo Israëlitico à serpētibus icti interimebātur, antequā illis De' æneū serpentē in remediū curabat fieri & erigi: ita multi in peccatis mortui sunt, priusquam Christus ueniebat. Tertiò, quemadmodū id tēporis quantūcunq; etiā populus clamabat & uociferabatur, nemo tamē neq; sibi neq; aliis subuenire poterat, imò nec Moyses opitulari poterat, sed solus Deus, ita patres qdē ueteris testamēti, uenenatos serpētiū morsus diaboli deflerūt, nemo tamē neq; sibi, neq; aliis o-
Rom. 6. pem ferre poterat: quin etiāsi ad suum Moysen, hoc est, ad suā legē currebāt, nō tamen ea lex illis poterat auxiliari, sed
incig

indigentiam eorũ tantum ostendere. Quartò, quemadmodum Deus tum, etsi saucios læsosq; homines uno uerbo omnes sanare potuisset, externũ tamẽ illis addebat signũ: ita Christus in curatione spiritualiũ ægrotationũ nostratũ, suo uerbo etiã externa sacramenta adiunxit. Vt ergo illi signũ sibi à Deo datũ nõ aspernabãtur, licet incredibile atq; adeo impossibile uidebatur, ut illi æneus serpẽs, res insensibilis, remedio esset cõtra uenenatos serpẽtes: ita nec nos sacramenta nostra & externa signa cõtẽnere debemus, siquidem Deus per media etiã exigua & minima, suã distribuere põt bona. Quintò, quanquã multis incõmodis infestabantur in deserto, non tamẽ legimus, illis ullũ externũ signũ aduersus ea data esse, nisi cõtra lethalẽ serpẽtiũ morsum. Ita nos homines tametsi plurimis calamitatibus obnoxij sumus corpore & anima, corporaliter & spiritualiter, ut est fames, sitis, frig⁹, æstus, morbi, &c. item tristitia, metus, &c. nõ tamẽ habemus cõtra hæc mala signũ ullum, eò q; nihil eiusmodi nobis nocere põt, ubi peccatũ nullũ est. Sed cõtra serpentiũ morsus, hoc est, cõtra peccatũ nobis Deus dedit signũ, nimirũ Christũ, quẽ etiã Simeõ cõfitebatur positũ in signũ. Non immeritò autẽ peccatũ serpẽtis morsui cõparatur: habet enim initiũ à diabolo: tum totũ hominẽ ueneno afficit, corpus, animã, rationẽ, uoluntatẽ, oẽs uires, omnia mẽbra, quinimò totũ humanũ genus: nõ aliter q̃ morsus serpentis totũ hominẽ inficit. Sextò attende, q; Deus ueteribus non aliud signũ dabat, q̃ serpentẽ. Serpentium incursu læsi erãt, serpẽs rursus illos curare debebat. Attamen hoc discrimen erat, q; serpẽtes, à quibus lædebãtur, uenenatæ erãt bestiæ, serpens uerò per quam sanabantur, nullũ uenenũ habebat. Sic Deus nobis mortalibus per alia media auxiliari potuisset: id autem cõmodissimũ erat, ut per hominẽ, lapsum hominẽ restauraret, & mors Christi nostrã mortem depelleret, & serpens serpentẽ interimeret: ita tamẽ ut nocenti per innocẽtem succurreretur. Nam Christus homo quidẽ erat, sed absque peccatis. Similis serpenti, hoc est, homini peccatori uidebatur, sed nullũ habebat uenenũ, ut alij homines, qui in scripturis progenies uiperarum uocãtur. De Christo autem scriptũ est, eum peccatum non fecisse, nec esse inuẽtum dolum in ore eius. Septimò, serpens quem Moyses suspenderat, nõ erat ex ligno, aut lapide, aut ferro, sed ex ære, quod non cuditur, sed in igne tantummodo liquefit: sonum habet

Sacramenta cur Christus instituerit.

Sacramẽta nõ contemnenda.

Luc. 2.

Sap. 2.

Peccati pernicies.

Matth. 3.

1. Pet. 2.

Serpens Moseos cur æneus.

habet elegantem, durabile est, non facile à ferrugine absumitur. Ita corpus Christi in igne tātū, hoc est, per operationem sancti spiritus cōceptū est: clarum & dulcem sonū reddidit Euangelij, nec ab ulla peccatorū ferrugine unquā denigratum est. Octauò pręcipiebatur Moysi, ut serpētem suspenderet, ut omnibus esset cōspicuus, nec quisquam auxilio orbus esset, & ne excusari posset, qui eum temerè contēneret. Sic quoq; Christū exaltari oportuit. Primò, ut omnes uiderēt, ubi salus quærenda sit. Secūdò, ut omnibus hominibus ineffabilis charitas Dei ob oculos poneretur. Tertiò ut omnibus hominibus Iudęorū ingratitudo & cæcitas palàm fieret, ut qui illū interfecerunt, qui omnibus mortalibus uitam attulit, & eum uidere nollent, qui corā omnibus tāquā uerus mediator Dei & hominū, inter cœlum & terrā pēdebat. Non ab re autem uocat Christus pasśionem suam, exaltationē. Etenim primò per eam introiuit in gloriam suā. Secundò per eam omnes suos & nostros hostes deuicit, & de illis triumphauit. Tertiò quoque in pasśione illius probatum est, eum inuictum esse. Nonò, serpens quem suspenderat Moyses, nemini nisi intuentibus illum, proderat: ita etiam nobis Christus usui non est, nisi illum aspiciamus oculo fidei nostræ. Nam ut in hac figura tria ista concurrebant, Deus, serpens, & intuitus: Deus sanitatem cōferebat, serpens medium erat per quod sanitatem conferebat: tum qui serpentem intuebatur, sanitatē recipiebat: ita quoq; in iustificatione hominis tria concurrunt, Christus nos iustos facit. Verbum Dei & sacrosancta Sacramenta media sunt, per quæ nos Christus iustificat: fides uiua recipit iustificationē. Decimò, ostensum in figura est, quid hominibus inde euenerit, quando suspensum serpentē aspiciebāt, nimirū sanitas. Est hoc quidem bonum immensum, sed temporale. Qui Christum uera fide intuetur, is quiddā lōgè maius accipit, nimirum quod non perit, sed habet uitam æternam. Hæc autē ea sunt, quæ præcipuè quærimus. Ea autē nusquā inuenimus, nisi in Christo crucifixo. Postremò quemadmodum unus serpens à Moyse suspensus, omnibus hominibus sufficiebat contra innumerabilium serpentium morsus: ita unus Christus sufficit contra omnia omniū hominum peccata. Meritò igitur dicimus cum Dauide: Domine non discedimus à te: Viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Faxit Deus ut hæc bene diligenterq; consideremus, Amen.

Christus suam pasśionem cur exaltationem uocarit.

Luc. 14.

DOMI

DOMINICA SECVNDA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM

LVC. XVI.

HOmo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysſo, & epulabatur quotidie ſplendide. Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius hulceroſus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis. Sed & canes ueniebant, ac lingebant hulcera eius. Accidit autem ut moreretur mẽdicus, & deportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, ac ſepultus eſt: atq; in tartaro ſublatis oculis ſuis, cùm eſſet in tormentis, uidit Abrahã eminus, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarũ ut intingat extremũ digiti ſui in aquam, ac refrigeret linguam meam, quia crucior in flãma hac. Dixit autẽ Abraham: Fili, recordare quòd receperis bona tua in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nũc autẽ hic ſolatio fruitur, tu uerò cruciaris. Et ſuper hæc omnia inter nos & uos hiatus ingens firmatus eſt, ut hi qui uolũt hinc tranſire ad uos, non poſsint, neque iſtinc huc trãſcendere. Ait autem: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres, ut teſtificetur illis, ne & ipſi ueniant in hunc locũ cruciatus. Ait illi Abraham:

Habent

Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abrahã, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

EADEM DOMINICA, EPISTOLA PRIMA IOHAN. IIII.

Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quòd filium suum unigenitum emisit Deus in mũdum, ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charißimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuò diligere. Deum nemo uidit unquam. Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius est perfecta in nobis. Ex hoc cognoscimus, quòd in Deo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos uidimus & testamur, quòd pater misit filium seruatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quòd Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognouimus, & credidimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij: quod sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras eijcit timorem, quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit: Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem uidit,

Iohan. 3.

Iohan. 1.

Deum

Deum quē non uidit, quomodo potest diligere? Et hoc præceptum habemus ab eo: ut qui diligit Deum *diligat & fratrem suum.*

PRIMVS SERMO DE *prima parte* Euangelij.



TER faciens cùm ad locū uenit, ubi uiæ & itinera disterminantur, aliis aliò ducentibus, si sapit, haud rectà & impręmeditat⁹ progreditur, sed consistit prius, uias aspicit, cogitat quę cū suo instituto itinere potissimum coeat, tū etiā uidet quę omniū tritissima sit, nec tamē illi semper fidit, sed locorū situm cōsiderat, & siquā uidet uiā, quę ipsum ad eum ad quē contendit locū, rectà ducit, hāc sequitur, etiamsi nō tā bene trita sit atq; alia. Et hoc qui nō facit, nūquā, aut certè serò ueniet ad cōcupitum locum. Hæc similitudo ad nos attinet. Proximè pręterita dominica peregrinationē nostrā inchoauimus à baptismo & cōfessione S.S. Trinitatis. etenim quoniā prima anni dimidia parte satis audiuimus, quid Christus pro nobis fecerit ac passus sit, quid nobis promeruerit, dederit ac ꝑmiserit, itineri nos commisimus, ac currere cœpimus in stadio, si brabeum consequi possumus, quod nobis Christus proposuit, ac promisit. Dum itaque hoc pacto in cursu sumus, duæ nobis occurrūt uiæ, sed quæ longè disterminantur. Ex his altera est amœna, lata & bene trita: altera uerò aspera, salebrosa, dura & angusta, estq; earum finis ualdè dispar. Siquidē altera nos ducit ad mortē, & interitū: altera ad salutē & uitā æternā. Diues, quem hodiernum cōmemorat Euangeliū, uitā agebat tranquillā & delicatā, mendicus uerò miserā & calamitosam. Primum autem amœna sua & lata uia ad interitū: alterū horrida sua & angusta uia in sinū Abrahæ, hoc est, in locū æternæ cōsolationis & quietis perduxit. Hæ duæ uiæ semper nobis occurrūt. Hic sagaces esse nos oportet, prouidos, & oculos aperire, alioqui facilè falsos nos delusosq; comperiemus. Etenim multi homines in hoc errant, quòd latā potissimum uiam sequuntur, angustam uiam fugientes, quemadmodum Christus ipse dicit, Matth. septimo, uiam & portam, quæ ad perditionem ducit, amœnam esse & spatiosam, & multos per eam intrare: contrà uerò paucos angusta uia, quæ ad uitam ducit, ingre-

Vita duplex. *Lata.* *Angusta.* *Sin⁹ Abrahæ.*

di. Nam otiari & in omni uoluptatum genere deliciari, facilè mouet hominē, qui finem nō spectat. E diuerso miseriā, dolorem, & crucē sustinere, facilè deterret homines, ad temporalia & præsentia tantū respiciētes. Christus autē uult, ut finem cōsideremus. Hæ duæ uiæ olim sanctis nostris Martyribus proponebantur, nimirū honores, uoluptates & diuitiæ, si Christū abnegarent, cōtrà autē atrox pœna, suppliciū, mors deniq; ipsa, si Christū confiterentur. Qui, nisi hîc finē expēdissent, latā & spatiosam uiā facilè fuissent amplexi. Sed rectius illi instituti, nō præsentia, sed futura secum animo reputabāt. Sic & nos facere oportet. Sæpe fit, ut mundus nobis, imò propriæ quandoq; nostræ cogitationes suggerant. Vide, si aliorū hominum te moribus attēperares, si hoc uel illud peccatum adiuuares, quietā & iucundā adipisci posses uitā: cęterum si in probitate tua perseueras, per omnē uitam tuā, in miseria & dolore degendum tibi erit. Hic caue ne te mūdi felicitas seducat & illiciat. néve aduersitas aut crux te nimium terreat. Vtrobiq; enim breue est, & tēporarium, uerùm alterum summa tristitia, alterū summum gaudium & felicitas cōsequetur. Hac de causa Euangeliū istud hodiernæ dominicæ assignatum est, quo quisq; ueluti in ipso ingressu circūspiciat, quā ire uiā uelit. Quocirca Euangeliū istud paulo propius penitiúsq; inspiciemus.

Blandimenta mundi despicienda.

Et quidem si breuibus uerbis summa istius Euāgelij alicui indicanda sit, illū ad Psalmum ego remisero, ubi Dauid ait: Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbē, quiq; terrigenę & filij hominum, simul in unum diues & pauper. Os meum loquetur sapientiā, & meditatio cordis mei prudentiam. Inclinabo in parabolam aurem meā, aperiam in Psalterio propositionē meam. Admirabilis acclamatio, quòd oēs homines uocat: honorifica autē promissio quòd dicit, se ueram prudentiam nos docturum. Et tamen in toto illo Psalmo nihil facit aliud, quàm quòd indicat, quàm sit stultum & insanum, imò quàm sit perniciosum & exitiale, si quis tēporalibus fidat, admonens simul omnes bonos, ne temporalia bona & diuitias, sed Deum & regnum illius quærant. & ne offendantur, si quando uident malis pro uotis suis omnia succedere, bonis autem aduersa omnia esse. Hæc sapientia est quam nos docere uult. Cur timebo, inquit, in die mala? Deus redimet animam meam, de manu inferi cùm acceperit me. Hoc quisquis sibi certò promittere potest, non est,

Amētia eorū, qui rebꝰ fidūt temporarijs.

est, quòd de externa & temporaria infelicitate quæratur. Aut cur me improborum fortuna malè habeat, cùm uideam, hanc eorum prosperitatem ut plurimum luctuosum exitum habere? Etenim homo cùm in honore est, non intelligit: comparatur iumentis insipientibus. Ita protoparentibus nostris accidit in Paradiso, qui in magnis collocati bonis, contra in magnas incidebant calamitates. Eodem modo adhuc agitur cum malis hominibus in felicitate huius mundi constitutis: bestiæ fiunt & bruta animantia. non reputant secum, à quo omnia acceperint, & ad quid, sed bonis suis fidunt, & in opulentia spem suam ponunt. nihil aliud quærunt, quàm ut nomina ipsorum in terris clara sint. At quis eorum finis erit ô Sancte Dauid? Insipiens & stultus peribunt. Nihil ergo illis diuitiæ proderunt? Minimè sanè. Nam temporalia bona & diuitiæ Deum non placant, nec redimunt animam de morte, & interitu. Quid ergo facient cognati eorum & amici? Frater (inquit Dauid) non redimit: non dabit Deo placationem suam. Et quem tandem bona illorum sortientur finem? Cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius, & relinquent alienis diuitias suas. Vbi igitur eorum relinquentur corpora? Sepulchra eorum (inquit) domus illorum in æternum. Sed de animabus illorum quid fiet? Sicut oues (inquit) in inferno positi sunt: mors depascet eos. introibunt usque in progenies patrum suorum, & usque in æternum non uidebunt lumen. En hæc omnia recenset Dauid in Psalmo suprà memorato, in eum finem, ne quis diues diuitiis suis fidat, & pauper in sua egestate ne desperet, sed utrinque cogitent, se mortales esse, & uenturos se ad aliam uitam, in qua illi, qui sibi iam omnium felicissimi uidentur, omnium infelicissimi erunt. Hæc est noua sapientia, quam nos Dauid in prædicto Psalmo docet. Et quæ melior interpretatio huius Euangelij esse possit? Certè nihil in eo aliud Christus uoluit, quàm ut diuites præmoneret, & pauperes consolaretur. Quod ut ne quis dubitet ita se habere, iam ipsa Euangelij uerba inspiciamus. Homo quidam erat diues (inquit Christus) & induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendide. In hoc diuite apparet quæ sit natura & conditio omnium impiorum. Etenim primò quantus etiam cunque

Prosperitas mundi quam perniciosa.

Gen. 3.

Luc. 16.

Diuites superbos nescit De⁹ de illo narratur fastus, nō tamen illius expressum est nomē, id quod argumentū prębet, quòd etsi magni sint nominis & *2. Timo. 2.* existimationis corā mundo, Deo tamē ignoti sint, qui alio- *Iohan. 10.* qui suos bene nouit: quinimò oues suas uocat nominatim.

Secundò appellat eū hominē, quo uideamus radicem o- *Gen 6.* mnis impietatis in natura hęrere. Posteaquam enim primus homo peccauit, omnes cogitationes hominis ad malum tē- dunt omni tēpore, etiā à tenera ætate, quinimo homo iam *Iohan. 3.* nunc post lapsum nihil aliud est q̃ caro sine Deo, & absque spiritu, in qua nihil boni inuenire est, ut Paulus dicit. Qua- *Rom. 7.* propter Dauid nō immeritò dicit: omnes homines esse inu *Psal. 13.* tiles factos, nō esse qui faciat bonū, &c. Tertiò, in hoc ho mine indicantur omnia, quibus mundi filij fidunt, & in qui- bus felicitatē suam cōstituunt, ut sunt diuitię, superbia & uo *1. Iohan. 2.* luptas. Quoniā omne quod est in mundo, cōcupiscentia est carnis & uoluptatis, & cōcupiscentia oculorū & auaritiæ, & superbia uitæ. Erat diues (inquit Lucas) tolerari hoc po- *Diuitiæ bonæ bonis.* terat. nā diuitię & bona tēporalia per se mala nō sunt, quan- do Abrahā, Dauid, Iob, & alij quoq; tēporalia habuerūt bo- na, imò diuitię egregia sunt dona Dei, quæ bono ad omnē *Iob 31.* pietatē subsidio & adiumento esse possunt, ut in diuo Iob ui demus, qui multa pręclara efficiebat suis diuitiis. Malis ue- *Perniciosæ malis.* rò diuitiæ & tēporalia bona nihil aliud sunt, quàm quod gla dius in manu hominis insani, quo seipsum & alios homines lędit. Sic etiā, quo malus plus diuitiarū habet, hoc plus mali instituere potest, sibi ipsi & aliis perniciē consciscēs. Sūma, tū diuitiæ & tēporalia bona homini mala & pestifera sunt, cùm pecunias & bona pręter modū amat, cor suū illis adiicit iniquè illa cōsequitur, illis abutitur, & pauperū egestatē non subleuat. Quoniā enim illa Dei dona sunt, non ꝓ nostro lu- bitu illis utēdi nobis datur potestas, sed ex illius pręscripto & iussu. qui ea nobis largitur. Secūdò dicit Lucas de hoc *Diuitiarū comites.* diuite: Induebatur purpura & bysso. Hîc illius peccata inci- piunt. Diuitias plerunq; sequitur superbia & luxus, quę tādē eò redigunt hominem, ut sui ipsius obliuiscatur: non memi- *1. Cor. 4.* nit se mortalem, Dei donis effertur, non agnoscit à quo ea acceperit. diues nec ullius ope egere sibi uidetur, ignarus ꝙ *Apoc. 3.* tam miser & pauper, cæcus & nudus sit. Quorsum autem at- tinet, ut quis de seipso magnificè sentiat, cùm coram Deo nihil sit? Quid prodest, à mūdo aliquem fœlicem iudicari, si sit à Deo reiectus? Quid prodest, aliquem purpura, holo- sericis,

sericis, auro & gēmis uestitum & ornatum esse corā mūdo, si corā Deo fœdam habeat cōscientiam? Imò quid prodest, ut quis uniuersum mundum lucretur, animæ suæ detrimentum patiens? Mundus quidem illum, qui tēporalibus bonis abundat, pro fœlici æstimat. At Dauid eum beatum pronunciat, cuius dominus Deus eius. Externus uestitus, corporalia ornamenta & monilia Deo nos haud acceptos faciunt, alia nobis ornamenta quęrenda sunt. Induimini Dominū Iesum Christum (inquit Paulus) Et iterū: Induite nouum hominem, qui secundum Deū creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. Melius hoc nos ornat, quàm omne aurū, argentū, margaritæ, holosericum & byssus. Tertiò dicit Lucas de hoc diuite: Et epulabatur quotidie splēdidē. Hoc alterū peccatū est & abusus tēporalium diuitiarum, quod prodigūtur, & in omnium scelerum usum, seu uerius abusum adhibētur. Nō enim in hoc illa Deus dedit. Vnde & Isaias dicit, Vę qui consurgitis mane ad ebrietatē sectandam, & potandum usq; ad uesperam, ut uino æstuetis. Ideò Paulus: Qui uolunt diuites fieri (inquit) incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia: monet discipulum suū ut apud diuites instet, ne sperent in incerto diuitiarū, sed ut studeant in bonis operibus diuites fieri, &c. Hæ erant cōditiones hominis diuitis. Audiemus & de altero. Et erat quidā mendicus (inquit Christus) nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuā eius ulceribus plenus: cupiēs saturari de micis quæ cadebāt de mensa diuitis, & nemo dabat illi. Quēadmodum diuitiæ à Deo sunt & ueniūt, ita paupertas quoq; à Deo homini data est ad humilitatem: alioqui homo Christianus per se semper egenus est & mēdicus, quēadmodū & Dauid in magnis diuitiis & regia potentia rectè dicere poterat: Ego mēdicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei. Hęc autē est paupertas spiritus, de qua Christus loquitur, Beati pauperes spiritu, &c. Cōtrà hypocritæ diuites sibi uidentur, cùm re uera pauperes sint & egeni. Describit autem Lucas pauperē hūc multis uerbis. Primò, nominat eum, ait illi nomen fuisse Lazarus, quod diuiti tamen non fecit. huic nullum dat nomen: nā qui Deum ignorat, is uicissim ignorabitur. E diuerso autem nomina credentium scripta sunt in cœlis, tum etiā regnum cœlorū eorum est, qui pauperes sunt spiritu. Quomodo igitur Deus illos non nosset? Prębet autem hoc nō parum solatij iis, quos premit paupertas. Nam quid tibi tua

Matth. 13. Psal. 46. Rom. 13. Ephe. 4. Esa. 5. 1. Tim. 6. Paupertas donum Dei. Psal. 39. Matth. 5. Apoc. 3. 1. Cor. 14. Luc. 10. Matth. 5.

obesse potest paupertas, si te nouerit Deus? Dominus Deus (inquit Dauid) in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. *Psal. 112.* Secundò, multis indicat Lucas inopiam & miseriam istius pauperis, quo durities diuitis melius patefiat. Principiò mendicus erat, propriorum bonorum nihil habebat, quapropter ab aliis mendicare cogebatur. Secundò ualetudinarius erat: gemina hęc est calamitas, ubi paupertas & ægritudo concurrunt, quinimo non simpliciter infirmabatur, sed plenus erat ulceribus, atq; ideo non solum pane, sed etiam auxilio & remedio opus habens. Tertiò iacebat ad ianuam diuitis, & ob oculos. Ad hęc omnia nihil magni petebat, sed micas solum, quæ diuiti reliquæ fiebant. Hæc omnia ita diligēter scribit Lucas, quod diuiti omnis prætextus adimatur. Non satis animaduertenda immisericordia sit oportet, ubi paupere, ægroto, famelico, qui homo, Christianus, filius & hæres Dei est, tam parua negātur. Nā quî excusabis? *In diuites immisericordes.* Quodq; animal sui simile amat, solus homo crudelior est & immitior in sui similes omni animante, nec putat se ea in re peccare: inuenit & quęrit semper prætextū & excusationē, quæ tamen corā Deo non ualet. Es enim Christianus, nec prætexere quicquā potes. Alius dicit, cras dabo, & nescit si crastinū sit superuicturus. Alius ait, in futurā necessitatē prospiciendū est & parcendū, & tamē quotidie audit Dauid nobis dicentē: Iacta super dominum curam tuā, & ipse te enutriet. *Psal. 54.* Tertius dicit, liberis meis me colligere & tenacē esse oportet, perinde ac si liberi eius non etiam dominū & patrem habeant, qui ipsos enutrire possit. Quartus dicit, non omnibus dare possum, & tamen in uestibus illis apparet, in ædificādo, in quotidianis sumptibus & profusione, multa illi superesse, quibus pauperes cōsolari posset. Quintus ait, Ipse pauper sum, uerissimū loquitur: nā omnis auarus eget: alij liberalitatem suam in mortem usque prorogant, tum autem nō sunt amplius domini bonorū suorū, uillicatio eorū finē habet, bona ad eos nō amplius spectāt. *Luc. 16.* Quare si Christianus es, si Deo credis, omnis excusatio tibi sublata est. Inde iā animaduerte quàm grauiter uerbū istud diuitē condēnet & corripiat, quod Lucas dicit, Et nemo illi dabat. imò nō solū diuitē, sed etiā oēm illius familiā arguit & cōdēnat hoc uerbum, ut ex eis nemo uel unico uerbo pauperē diuiti commen

commēdauerit, aut ipse misericordia tactus, egeno aliquid impartierit. Sed qualis dominus, tales serui, impius rex seruos habet impios, nullum penes se probum patitur. Sed & canes ueniebant, & lingebant ulcera eius: sic bruta animantia plus misero consolationis adferebant, quàm homines. Quanquā hoc etiā alio modo intelligi potest, nēpe de iis, q ex aliorū malis & egestate, uoluptatem ac gaudiū capiunt, quēadmodum canes non infirmi salutem & refectionē, sed propriam uoluptatem lingendo quærebant. Id autē durum est, si quis infelix est, & uidet se ab aliis nō modo non iuuari, sed etiam irrideri. Sic agebatur cū Lazaro: nihil habebat quod eū consolaretur, in omnib' autē locis uidebat, quod illum discruciabat. Et hoc est quod Dauid dicit, Tibi derelictus est pauper. Et quod diuus Paulus ait, Spectaculū facti sumus mundo, & angelis, & hominibus, tanquā purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsēma. Hoc pacto per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū Dei. Hoc igitur pacto incipit iudicium Dei à domo ipsius, & ad ipsum pertinentibus: uerum si in uiridi ligno hæc fiūt, in arido quid fiet? Si etiam boni & Dei filij tantū pati coguntur, quod iudiciū, quæ pœna improbos manebit? Cum primis obseruandū, quod quantiscunq; hic Lazarus malis affligebat, nulla tamen eius cōtra homines querela, nulla in Deū cōtumelia audita est, nec ullum in eo impatientiæ signum apparet: sic faciunt electi; hi gloriantur etiam in sua tribulatione, scientes bonā uoluntatē sui patris, daturi ipsis æternum regnum. Ex hoc exēplo nostrā quoq; discamus miseriam, infirmitatem & crucem patienter ferre: breui res mutabuntur cum Lazaro, atque ita, ut crux illius in æternum gaudium mutetur. Deus nobis suam det gratiam, Amen.

Prouer. 29.

Canū qui sint similes.

Psal. 9.

1. Cor. 4.

Act. 14.

1. Pet. 4.

Luc. 23.

Rom. 5.

Luc. 16.

SECVNDVS SERMO DE *altera parte Euangelij.*



IN hodierno isto Euangelio Christus nobis duobus exemplis duarum personarū, diuitis & pauperis, totum statum, morē & cursum ob oculos posuit, qd in mūdo geratur inter Adæ filios, nimirū quòd q diues est, epulatur & cōmessat, saltat & tripudiat, supbit & magnificēter se gerit, cōsumit & abligurit res suas uoluptate, gaudio, supbia, uestitu, ædificiis, & oib' iis quę ad fastū faciūt, nihil de futuris cogitat,

tat, imò etiam id iure sibi licere putat, illiúsq; causa uult ab hominibus gloria & prædicatione efferri, nec peccati ullius eam ob rem sese reũ putat apud Deũ: nõ credit se omnia à
Matth.25. Deo habere, & se illi de his omnibus rationẽ redditurũ. Sũ-
Psal.48. ma, fidit fortitudini suæ, & multitudini suarũ diuitiarũ. Cõ-trà uerò pauper ubiq; iacet, nullũ solatiũ habet, nullũ uidet auxiliũ, nullã sentit cõmiserationem, cõtẽptus & abiectus
Psal.37. ab omnibus est, quẽadmodũ Dauid sæpe cõqueritur in suis afflictionibus. Hic mũdi cursus semper fuit, nobis Christianis æquè usitatus, qui tamẽ in Euangelio audimus & legimus plurimis in locis, Christũ ingens facere discrimen, & habere uelle inter nos & mundũ. De mundo nõ sunt (inqt) sicut & ego nõ sum de mundo. Et iterum, Ego elegi uos de mundo. Item, Plorabitis & flebitis uos: mũdus autẽ gaudebit. Porrò Paulus ait, ne conformemur huic seculo, ne uiua
Ephe. 4. mus sicut gentes quæ Deũ nõ nouerunt. Vos autẽ (inquit)
Ephe.5. non ita didicistis Christum. Et postea, Eratis aliquando tenebrę, nũc autẽ lux in Domino. Omnia hęc & cõsimilia uerba indicãt magnũ esse discrimẽ debere inter mũdũ & nos. Quæ enim societas luci ad tenebras? Quæ participatio iustitiæ cũ iniquitate? Quæ cõuẽtio Christi ad Belial? Ast ubi tale discrimen uidemus inter nos & mũdũ? Verbis quidẽ & professione Christiani nũcupamur, uita autẽ & cõuersatione, nihil sum' aliud quàm mũdus, idq; omnib' modis, quẽadmodum nobis Christus diuitẽ in Euangelio describit ac
Christianorũ pessimi mores. ꝓponit. Vbi inter gentes maior lux, in epulis maiores sumptus, tot nouæ subinde formæ, tãtus fastus & petulantia in uestitu, maior infidelitas & duritia erga pauperes, &c. quàm apud nos Christianos? Et tamen scimus eiusmodi carnalitatẽ in cibo & potu, eiusmodi supbiã in uestitu, eiusmodi immisericordiã erga pauperes, nõ solũ nostro Euãgelio, Christianæ doctrinæ & uocationi cõtrariã, sed penitus in Euangelio dãnari, tanquam rẽ merè gẽtilitiã, quam in suis Chri-
Luc.21. stus minimè habere uult. Attẽdite uobis (inquit in Luca) ne forte grauẽtur corda uestra in crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, & superueniat in uos repentina dies Domini.
Luc.21. Estote misericordes sicut & pater uester misericors est (dicit itẽ in Euãgelio) Habentes alimenta & quibus tegamur,
1.Tim.8. his cõtẽti simus. Enimuerò ne ipsa qdẽ natura plus postulat, haudquaquã tali superfluitate in cibo & potu opus habẽs. siquidẽ ea magis grauaĩ quàm alitur. Corpore munito

& à

& à frigore defenso, natura nõ opus habet pluribus uestibus. Quapropter fastus noster in uestitu nihil aliud est, quã si quis putidum & grauiter olens ulcus aut uulnus, pulchro & picturato malagmate tegat, placens sibi, eò quòd ligaturam tam uenustã habeat, nõ cõsiderãs tantũ subtus putoris & saniei latêre. Attamen hac ratione solemus excusare eiusmodi omnia: Ita mũdus pro more habet, fieri aliter nõ potest, ululãdũ ei cũ lupis, qui cũ illis esse cupit. Age dum si hic mundi mos est, cõtrà scito, Dei esse morẽ in ipsius regno, ut eiuscemodi hominũ genus flãmis addicat tartareis, ubi mitigatio & remissio nulla sperãda est in æternũ, ut in hoc diuite uidemus. Maximè si in superfluis cibi & potus deliciis, & immodica supbia in uestitu, pauperũ necessitas in fame & frigore nõ cõsideret, quæ res diuiti maximo dãno erat, & summã Dei erga eum indignationem cõciliabat. Si Lazarus in tali necessitate & miseria ad illius ianuam nõ iacuisset, imò si in summo uitæ suæ oblectamẽto, misero, famelico, pereũti Lazaro micarũ de mẽsa cadentiũ copiã fecisset, mitius haud dubiè iudiciũ expertus fuisset. Sed tẽporali delibut' felicitate decipiebatẽ. Quapropter nõ cogitabat Deũ fore iudicẽ, & paupere aliquãdo se opus habiturũ Hoc circa Euãgeliũ istud cõsiderãdũ habemus: quocirca etiã historiã hanc audire pergemus. Factũ est autẽ (inquit Christ') ut moreretur mẽdicus, & portaretur ab angelis in sinũ Abrahæ: Tũ res Lazari cõmutari incipiebãt. Nihil morte terribilius: imò hominib' illis q pace fruũtur in sua opulẽtia quinetiã memoria mortis illis acerba est. Cõtrà uerò iudicium mortis apprimè bonũ est pauperi & egeno. Per hoc enim calamitas & miseria illius finẽ accipit, quemadmodũ hìc de Lazaro dicitur, mortuũ eũ esse, & ab angelis in sinũ Abrahæ deportatũ. Atq; hìc uides gloriã sanctorũ à morte incipere: nã quẽ homines uiuũ despexerãt, hũc iam gestãt angeli. Et qs credidisset, hunc inopẽ & à toto mũdo cõtẽptũ hominẽ, Deo in cœlis tam charum & acceptũ fuisse? Verũ lõgè sunt alia Dei iudicia quàm hominũ. Viæ meæ (dicit Dominus) nõ uiæ uestræ, & cogitationes meæ non cogitationes uestræ. Sicut exaltãtur cœli à terra, sic exaltatæ sunt uiæ meæ à uiis uestris. Sinus Abrahæ in quẽ deportatus est Lazarus, multifariã intelligitur. Vt autem simplicissimè de re loquamur, nihil fuit aliud, quàm promissio Dei Abrahæ facta, sic inquiẽtis, Noli timere, ego protector tuus sum, &

In luxum uestium.

Notatu digna sententia.

Eccle. 41.

Isa. 55.

Sinus Abrahæ.

Gen. 15.

merces tua magna nimis. In hac ꝓmissione omnes patres ueteris testamēti quieuerunt, donec illis cœlū per Christū apertū fuit. Et est profectò magna promissio. Ego ero merces tua magna nimis, quia perinde est ac si dicat, Nō solum
Psal.71. quod meum est ego tibi dabo, sed etiā me ipsum. Atq; hoc est de quo Dauid ait, Quid mihi est in cœlo? & à te quid uolui super terrā? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quis autē nō libens quiduis mali perpetiatur in ter-
Rom. 8. ris, ut huius promissionis particeps fiat? Enimuerò nō sunt cōdignæ passiones huius tēporis, ad futurā gloriā quæ reuelabitur in nobis. Sequitur, Mortuus est autē & diues. Hic
Psal.36. finis est mūdani gaudij, mors omnia cōcludit. Vidi (inquit Dauid) impiū superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Et trāsiui, & ecce nō erat, & quæsiui eum, & nō est inuentus locus eius. Et rursum, Iniqui (inquit) in labore homi
Psal.72. num non sunt, & cū hominibus nō flagellabuntur: Ideo tenuit eos superbia, &c. Et pòst, Verūtamē propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dū alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationē? subito defecerunt: perierūt propter iniquitatem suā. Velut somniū surgentiū Domine, in ciuitate tua imaginē ipsorum ad nihilum rediges. Diues mortuus est: & sepultus est in inferno. Hic uide, quòd quēadmodū hi duo homines pari modo in hāc uitā ingressi sunt: ita pari quoq; modo rursum ex hac uita per mortē emigrarint, attamen tanta eos locorū distantia dirimat: imò quàm dissimilis eorū uita fuit, tam dissimilia quoq; à morte loca inuenerint, ut ille ab angelis deportaretur in sinū Abrahæ, hic uerò in
Sap.5. tartareā flammam præcipitaretur. Et quid ei profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit illi: Imò ubi nūc illius diuitiæ? illius splendor? Vbi uoluptas eius? Transierūt omnia illa tanquam umbra, & tanquā nuntius præcurrens: & tanquā nauis quæ pertransit fluctuātem aquā: cuius cùm præterierit, nō est uestigium inuenire, neq; semitam carinæ illius in fluctibus. Atq; hîc uides, quàm miserè infelices ho-
Prouer.11. mines seipsos seducant, qui spem suam in temporalibus po
Psal.48. nunt: non enim liberant hominem diuitiæ à morte, nec per eas quisquā potest redimere animā suā: imò nec frater fra-
1.Tim.6. trem. Quare Paulus non ab re scribit ad suum discipulū, ut diuitibus huius mundi præcipiat, ne sublime sapiant, neque sperent in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, ut bene agant, ut diui-
tes fiant

res fiant in bonis operibus, ut facilè tribuant, cõmunicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurũ, ut apprehendant ueram uitam. Sic docet & Christus, ut thesaurizemus nobis thesauros in cœlis: mundus enim transit & concupiscentia eius. Hoc secum animo reputare solet probè Christianus, nimirum quòd omnia sunt uana & transitoria, quę sub cœlo sunt, quapropter ad ea solum se cõuertit, quę supra se sunt, ea quærit, semper orat ad Deum, Domine illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quãdo dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. E diuerso autem mundi filij oculos suos non aperiunt, donec tempus gratiæ iã transiit. Tum uidẽt se tẽporalia amisisse, æternis uerò orbatos esse, quemadmodũ de diuite dicitur, Eleuans oculos suos cùm esset in tormẽtis, tum soluebatur linguaillius, ut orare inciperet, Pater Abraham (inquiens) miserere mei, uocans eum patrem, cuius opus nunquam fecerat: misericordiam implorabat, quam ne in minimo quidẽ declarauerat. Lazarum nouerat post mortem, quem uiuus contempserat: in flammis cruciabatur, qui antea in summa uoluptate uixerat: guttulam aquæ petebat, qui Lazaro etiã micas de mensa inuiderat. Sed tempus miserendi præterierat. Idcircò ad eum dicitur, Fili, recordare quia recepisti bona in uita tua. Vides itaque rarò accidere, ut quis in hoc seculo & in futuro pariter beatus sit. Christus ipse dixit, facilius esse camẽlum per foramen acus transire, quàm diuitem (intellige, qui cõfidit in suis diuitiis) intrare in regnũ cœlorum. Qua de causa alio in loco dicit, Væ uobis diuitibus, qa habetis cõsolationem uestram. Quàm uerò infelices homines ij sunt, q post hanc uitã nihil boni à Deo expectare possunt? Quàm miserè sibi ipsi imponsit, qui ob tẽporalia amittunt æterna & negligũt? Quæ enim uidẽtur, tẽporalia sunt, quæ nõ uidentur, æterna. Et in his omnib⁹ (inquit Abrahã) inter nos & uos Chaos magnum firmatũ est, &c. Chaos illud magnũ inter beatos & cõdẽnatos aliud nihil est, quàm irreuocabilis sententia & iudiciũ Dei, per quod iusti ab iniustis æternum separantur. Discedite maledicti in ignẽ æternũ, &c. Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnũ à cõstitutione mũdi. Vtrobiq; loci æternitas est: in quem prima sententia fertur, alteram in æternum nõ assequetur. Ad hæc quoq; Chaos istud ita inter beatos & condemnatos firmatum est, ut nulla amicitia beatos ad cõmiseratio

Matth. 6.
1. Iohan. 2.
Eccle. 1.
Psal. 12.
Sero sapiunt Phryges.
Matth. 19.
Luc. 6.
2. Cor. 4.
Chaos magnũ inter beatos et inferos.
Matth. 25.

Iob 14. serationẽ mouere posſit in æternũ. Etenim poſt hãc uitam
Sap. 5. etiã miſericordes obliuiſcẽtur impij, uti Iob dicit. Tunc ſtabũt iuſti in magna cõſtãtia aduerſus eos q ſe anguſtiauerũt, & qui abſtulerũt labores eorũ. Quid igitur malis aliud imminere põt, q̃ ſempiterna condẽnatio, utpote oĩbus modis ab electis deſtitutis? Verũ itaq; deprehẽditur hoc pacto, ꝙ
Prou. 21. Salomõ dicit: Qui obturat aurẽ ſuã ad clamorẽ pauperis, &
Iacob. 2. ipſe clamabit, & nõ exaudietur. Iudiciũ enim ſine miſericor-
Luc. 6. dia illi qui nõ fecit miſericordiã. Hic diues nullã inueniebat miſericordiã. eadẽ quippe mẽſura qua mẽſus fuerat, remetiebatur illi. Quia ergo diuiti huic nulla cõſequendi aliquid ſpes erat, incipiebat pro fratribus ſuis orare. Hoc addit Chriſtus, non quòd cõdẽnati tantã curã gerant pro uiuis, ſed ut per hoc redarguat noſtrã curioſitatem. ſumus enim oẽs ita cõſtituti, ut ſemper miracula quæramus petamusq́;, cum tamen ſacræ ſcripturæ & Dei uerbo non credamus. Quapropter nobis Chriſtus hãc curioſitatẽ uno uerbo cõfutat, cùm ait: Habẽt Moyſen & Prophetas, audiãt illos. Nã quid q̃ris ex mortuis diſcere, qđ in Moſe & Prophetis, quinimò ĩ Euãgelio tuo ꝑ oĩa legere potes? Hæc autẽ natura eſt omnium impiorũ, ut ſemper maiora quærãt. Moyſes illis nõ ſatisfacit, nõ ſatisfaciũt illis Prophetæ, imò ne Chriſtus quidẽ ipſe illis ſatisfacit: miracula requirũt. Sed quid ad hos dicit Chri-
Matth. 12. ſtus? Generatio mala & adultera ſignũ quærit: & ſignũ non
Vana fides ſine operibus. dabitur ei. Neq; opus eſt. nam ſi quis ſcripturę & uerbo Dei fidẽ adhibere detrectat, is neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit, crediturus eſſet. Atq; hoc pacto uides ex hoc Euãgelio, uanã & inanẽ eſſe fidem, quæ in operibus ſeſe nõ declarat, maximè in operibus miſericordiæ. Ea autẽ uera fides eſt, q̃ etiam in afflictione inuicta permanet, qualis in Lazaro cernitur. Deus nobis omnibus ſuam concedat gratiam, Amen.

TERTIVS SERMO DOCET, QVOD *non diuitiæ, ſed abuſus earum diuitem condemnauerit: quódque bona opera ſint ad ſalutẽ neceſſaria, nec ſufficiat ſola fides.*



ROXIME præterita Dominica & ſequenti feſto corporis Chriſti, cauſam uobis oſtendi, quamobrẽ nobis in ſancta Chriſtiana Eccleſia duo illa ſacramenta, baptiſmus & Euchariſtia, primum proponãtur, idq; proximo loco poſt

post festũ sanctæ trinitatis. Id nimirũ ideo fit, ut omnes uideant, unde nobis spiritualis uita ueniat, & quomodo ea in nobis conseruetur: in baptismo regeneramur, corpore autẽ & sanguine Christi, cum illa spiritualiter per fidem atq; etiã sacramentaliter ore suscipimus, in spirituali uita nutrimur ac fouemur. Hac quidẽ de causa duo ista sacramenta primũ nobis proponuntur. Porrò hodierno Euangelio docemur, nec duo ista sacramẽta sufficere ad salutẽ, nisi quoq; sequãtur opera. Hoc diligenter obseruandum est, & maximè hac nostra tempestate, qua tam multa iniqua audiuntur ac uidẽtur apud uulgus: alius sibi habere uidetur oĩa quæ ad Christianum pertinent, si baptizatus sit, & ad sacrã Synaxin eat, ut ut uiuat alioqui. Alius persuasum habet, q credat, ei nullũ imputari peccatũ, sed fidem absorbere omnia admissa. atq; ita ut nullum peccatũ hominem cõdemnare posit, præterquam incredulitas, unde in omnia sese flagitia præcipitat. Tertius cum audit, aliquot homines ab æterno prædestinatos & electos esse ad salutẽ & fœlicitatẽ, alios uerò nõ, ait, Ha, si prædestinatus ab æterno sum, perire non possum, ut maximè nihil boni agã. Sin inferno prædestinatus sum, nihil profuerit, etiamsi bona multa faciã. Atqui ita fit, ut ultra hæc duo sacramenta nõ cogitemus, sed hîc cõsistimus, nihil aliud habemus quo Christianismũ nostrũ probemus, quàm quod baptizati sumus & cœnã accipimus. Atqui uerò hæc duo nondũ sufficiũt ad salutẽ: alioqui & Iudas beatus esset, qui pariter hæc duo habuit, baptizatus fuit, & sacramẽtũ in cœna suscepit, quin omnes etiam Israëlitæ salui fuissent facti, quia omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari (ut diuus Paulus ait) & omnes de spirituali petra (q est Christus) biberũt. sed nõ in pluribus eorũ beneplacitũ est Deo. nam prostrati sunt in deserto, &c. Secundò, si fides sufficeret ad beatitudinem, & nullũ nos peccatũ cõdemnare posset, præterquã incredulitas, diues hic haudquaquã condemnatus fuisset. Siquidem Euangelium non de illo dicit, quòd propter incredulitatem fuerit condemnatus, sed ob duritiã eius & immisericordiam erga egenum Lazarum. Imò quia Abraham patrem suum nominat, & fratres eius Moysen & phophetas habebant, liquido apparet, eum non ex incredulis gẽtibus, sed ex credẽtibus Iudæis fuisse. Attamen dicit Christus eum sepultum in inferno, & sine ulla misericordia illic in flãma cruciatũ fuisse. Tertiò, si propterea nihil boni facien

Bona opera ad salutem necessaria.

Errores perniciosissimi nostrorũ tẽporũ.

1. Cor. 10.

Fides non sufficit, nec sola incredulitas condemnat.

Luc. 16.

faciẽdum esset, quia ab æterno prædestinati sumus, non o-
1. Theß. 4. pus habuisset Paulus dicere: Hæc est uoluntas Dei, sanctifi-
Rom. 2. catio uestra. Et iterum: Ignoras quoniã benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundũ autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, &c. Vide, propterea diues iste non immeritò pro exemplo & admonitione nobis hodie proponitur, quò quisque secũ ipse cogitaret: En, baptizatus es, & in sanctæ Christianitatis consortiũ admissus, cum aliis unà in mensa Christi accumbis, sed uide, ne tibi eueniat, quod huic diuiti: caue ne deditus sis uoluptatibus huius mundi & præsentis uitæ. Vide ne pauperũ tuorum fratrum obliuiscare, qui ad ianuã tuã iacent, famem & inopiã patientes, &c. Proinde Euangeliũ istud rectè intelligamus oportet, quæramusq; causam, quamobrẽ cõdemnatus sit. Dicit quidem Christus, eum diuitem fuisse, sed nihil hoc illi
Matth. 19. incõmodi attulisset. Nã tametsi Christus alio in loco dicit, non facile intrare diuitẽ in regnum cœlorum, non tamẽ dicit, id impossibile esse. Quid igitur hunc diuitẽ condemnauit? Induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendide. Hæc erat cõdemnationis illius causa, nimirum, quod
Diuitiarũ triplex abusus. diuitiis suis abutebatur: nam trifariã abutũtur homines tẽporalibus bonis, aut quia male ea acquirunt, aut quia in luxum immodicè profundunt, aut quia auarè nimis reponũt. Porrò diues iste nõ accusatur, tãquã qui bona sua malè acquisierit aut iniuste adeptus sit. Siquidem Deus non dicit, eum furem, prædonem, aut usurariũ fuisse, quanquã uix uerisimile sit, eum aliquã saltem bonorum partem fraude non parasse. Enimuerò haud fallit prouerbiũ, quo dicitur, Oĩs diues aut est iniquus, aut iniqui hæres. Mediũ statuit Deus ad parandas diuitias aut uictum necessariũ. Id uerò est eius-
Gen. 3. modi: In sudore uultus tui uescẽris pane tuo. Pauci uero hoc medio, id est, labore diuites fiunt, quinimò pauci utuntur isto medio: nemo nõ fugit laborẽ. Etenim instinctu & suasu diaboli, didicerũt homines otio sibi parare facultates, idq; certius multò quàm labore. Id autẽ fit furando, prædando, mentiendo, fallendo, dolos inueniendo, fœnerando, mercibus adulteratis, pauperes circũueniendo, debita nõ persoluendo, alienas hæreditates inuadendo, & aliis multis modis. Et rarò quis ditatur, nisi per hæc media. Hìc nemo cogitat, quomodo ista cum Christianismo nostro cõsentiant, ut de talibus diuitibus rectè dici posit, quẽadmodũ Christus dicit,

dicit, facilius camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorũ. Quia autem diues iste in hodierno Euangelio non incusatur, missum id nunc facio. Quarum igitur rerum accusatur? Trium. Primò, quòd induebatur purpura & bysso. Secũdò, quòd epulabatur quotidie splendide. Tertiò, quòd non aperiebat manum suam ad erogandum pauperi uel minimum etiam. Nobis hoc dictum est, nobis, inquam, hoc scriptum & dictum esse existimare & plane persuasum habere debemus. Id quod non temere moneo. Nostro enim æuo harum rerum nulla pro peccato reputatur, tantũ abest, ut propterea quis cõdemnationem formidet. Hinc fit, quòd nullis unquã temporibus maiores sumptus, superfluitas, superbia & uanitas in uestitu, neque unquã maior luxus in cibo & potu uisus & auditus sit, quã nunc. Præterea nunquam duritia maior & immisericordia in nobis deprehensa est, q̃ modo, ut quis non immeritò admirari possit, unde tantũ incõmodi in Christianitatem uenerit ac irrepserit, cum tamẽ Christus summo studio & ubique humilitatẽ, temperantiã, contemptũ temporaliũ, & charitatem uerbis simul ac operibus docuerit. Sed hęc zizania hostis salutis nostræ diabolus, cum pastores dormirent, per seruos suos superseminauit in medio tritici. Itaque quisquis uerus Christianus est & esse uult, tria hæc ex Euangelio isto discat. Primò, exitialẽ esse abusum rerũ temporalium, ubi nimium tribuas luxui, põpæ, uanitati, & magnificentiæ uestiũ: sumus quippe peregrini & aduenæ hic in terris, tum in sanctam Christianitatẽ non ad superbiam & fastũ, sed ad pœnitentiam & crucẽ uocati sumus. Deinde nullam penitus superbiæ causam habemus, siue principiũ, medium, siue finem uitæ nostræ spectemus. Iam enim inde ab initio solũ peccatum in causa fuit, quòd uestibus opus habuimus, nec uestes in hodiernum diem aliud sunt, quàm pudendorum ac ignominiæ nostræ tegumentum. Quid igitur nos iactamus? Huc facit quod diuus Petrus docet, ne Christiani uxoris ornamẽtum sit in externa capillatura, aut circũdatione auri, aut uestimẽtorũ cultu, sed in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus: imò in casta & pura cõuersatione & timore Dei. Mirum itaq;, unde tãtus fastus & luxus uestiũ inter nos Christianos, qui tamen Ethnicis etiã inuisus fuit. Etenim Romani, cùm iam terras multas, populos & regna in suã redegissent potestatem, aut nesciebant quid aurum esset, aut contemne

Matth. 19.

Luxus nostri æui.

Christus quid semper docuerit.

Matth. 13.

1. Pet. 2.

Ad pœnitentiã & crucem uocati sumus.

Gen. 3.

1. Pet. 3.

Luxus uestiũ etiam ab ethnicis damnatus.

temnebant:imò publicè edicebāt, ne uxores ipsorū plus se muncia auri ad uestiū suarum ornatum adhiberent. Et quid opus est,ut exēpla multa cōmemorem,cum omnes historię Neronem,Lucullum,Heliogabalum,& alios ob prodigalitatē ipsorū & mollitiē uituperent & condemnent? attamen nos Christiani uestiū luxu lōgè Ethnicos superamus,& nihilo secius uidemur nobis Christiani, & discipuli crucifixi. Sed qđ aliq dictitāt, aurū, & argentū, byssum, holosericū, & gemmas Dei dona esse,nobis propterea creata,ut iis utamur,nihil eos iuuabit. Dei quidē dona sunt,sed non in hoc data,ut illis abutamur ad peccatū & superbiā, quemadmodum & ferrum Dei donū est, sed non ideò datū, ut illo nos mutuò iugulemus & occidamus. Sic uinū Dei donū est,sed non in hoc datū,ut per id ratione nos priuemus: imò nos ipsos bestias & bruta animantia faciamus. Summa in Christiano non culpatur, ut mūdè & decenter uestitus incedat, sed quòd pleriq; eorū nihil aliud quàm superbiā, fastum,& luxum in eo ostentant & exercent. Quin ꝙ etiā in uestium luxum ea cōferunt,quibus liberos & familiā suam alere debebant,æs alienum dissoluere,pauperibus opē ferre,Rempublicam iuuare,& alia multa bona facere,&c. At nos uerò paramus nobis uestes pretiosas ex sanguine pauperū,idcircò cōpletur in nobis quod Hieremias dicit:In alis tuis inuentus est sanguis animarū pauperū & innocentū. Et quod Isaias ait:uestimentū mistū sanguine erit in cōbustionem & cibus ignis. Quam uerò Deo placeat eiusmodi uestiū luxus, ipse indicat, ubi in iam dicto propheta dicit: Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Siō, & ambulauerūt extēto collo,& nutibus oculorū ibant & plaudebāt: ambulabāt & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit dominus uerticē filiarū Sion,& dominus crinem earū nudabit.In die illa auferet dominus ornamentū calceamentorū,& lunulas,& torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas,& murenulas,& olfactoriola,& īaures,& annulos,& gemmas in frōte pendentes,& mutatoria,& palliola, & linteamina,& acus & specula,& sindones,& uittas,& thėristra,&c.& erit pro suaui odore fœtor,&c. Vide,hic primus & detestandus est abusus diuitiarū & temporaliū bonorū. Secūdus abusus est. luxū & uoluptatem quærere in cibo & potu.quemadmodū de diuite dicitur,cum quotidie splendidè epulatū fuisse. Nesciebat aliū usum diuitiarū,quàm pro-
fusio

Ierem.2. Isa.9. Isa.3.

fusionem. Et quis nō uidet, etiā apud nos Christianos eiusmodi profusionē, & inutiles superfluósq; sumptus in cibo & potu inualuisse? Et tamē non latet nos, quàm parce & tēperàter ueteres Ethnici hîc sese gesserint, ita ut apud antiquos Romanos nullum seruitij genus haberetur uilius, quàm coquere. Tū scimus, quòd Christ⁹ simul & Paulus à crapula & ebrietate nos deterrent. Ad hęc nō ignoramus, quid iā inde ab initio mali & dāni ex crapula & ebrietate ortum sit. Exēpla habes in primo libro Moysi tertio: in quarto libro, undecimo & decimonono capi. Danielis 5. & Marci 6. Quinimo in hodiernum diē experimur, quę peccata, probra, inordinatio, calamitas & miseria sępenumero ex superflua & minimè necessaria crapula oriatur, &c. Tertius abusus bonorū tēporalium & diuitiarum est, quādo pauperib⁹ nō succurritur iis. Et hoc unum ex iis est, quę Ezechiel de ciuitate Sodoma queritur. Hæc fuit iniquitas Sodomę, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium: & manū egeno & pauperi non porrigebāt. Vltimū hoc diuitē in hodierno Euangelio omnium maximè condēnauit. Quando uerò istiusmodi duritia & immisericordia maior unquā fuit inter Christianos, quàm nūc? Quinimò nō satis nobis est, quòd illis nō opitulàmur, eósq; nō curamus, sed grauamus & cōturbamus illos insuper: repellimus eos à nobis, cùm tamē Christus dixerit, nos semper habituros nobiscū pauperes, atq; sic adeò Deus ordinauit, quò semper bene agēdi occasionē habeamus, aut sine ulla excusatione dānemur. Hoc diuitē condemnauit, hoc omnibus diuitibus ad terrorē & admonitionē literis proditum est. Hoc animis uobiscū recolite ô diuites, nimirum quòd mortales & peregrini hîc in terris sitis, quòd oīa sint uobis relinquenda. Cogitate aliā secuturā uitam, ubi procul dubio egestatē patiemini, nisi nunc uobis thesaurizetis thesauros in cœlis, & uobis paretis amicos de iniquo mammona. Memineritis flāmarū, in quas diues iste coniectus est, & sitis, quā perpessus est & etiāmnū patitur: imò quòd ita frustrà clamauerit & deprecatus sit, nec tamē uel minimū lenimentū & misericordiā consequi potuit. Bone Deus, quomodo diues non cōtremiscat, hęc audiēs aut legēs? Cōtrà, cogita tu pauper, te hîc in terris paradisum habere non posse. Proinde ne murmura cōtra Deū, ne æmulare in malignātibus, quoniā tanquā fœnū uelociter arescent: & quēadmodū olera herbarū citò decident. Subeat tibi in mentē Lazarus,

Romanorū tēperantia.

Luc. 11.

Rom. 11.

Ezech. 16.

Christianorū in pauperes inhumanitas.

Matth. 26.

Ad diuites adhortatio pia.

Matth. 6.

Ad pauperes.

Psal. 36.

qui multò plura & maiora passus est, q̃ tu pateris: reputa tecũ tuorũ quoq; malorũ aliquando finẽ fore, & æternã refocillationẽ secuturam. Hoc nos Christus in isto Euãgelio docet. Quàm enim certò mors diuiti suã uoluptatẽ, tam quoq; certò pauperi suã miseriã finiuit: quinimò diuiti suã uoluptatem in summã egestatẽ, & pauperi suã egestatẽ in summã & æternam fœlicitatem commutauit. Faxit Deus Opt. Max. ut ita per bona temporalia transeamus, ne amittamus æterna: & ut temporalem paupertatẽ, seu crucem ita feramus, ut æternam consolationem securè expectare posimus, Amen.

QVARTVS SERMO DE *uero usu & abusu diuitiarum.*


HODIERNVM istud Euangelium ita à Christo dictũ & à S. Luca descriptũ est, tã claris & apertis indicat exẽplis, quomodo & mundi filiorũ fastus, & filiorũ Dei crux seu tẽtatio finẽ sit habitura, ut mirum sit, si diues, & cui omnia feliciter succedunt, nõ uel aliquãtum expauescat: pauper uerò, qui in tribulatione & sub cruce iacet, nõ solatium & gaudium ex eo sentiat. Etenim duo hęc hominũ genera Christ⁹ hoc loco coniungit, quamuis in mundo planè discrepantia. Diues pauperẽ fastidit, meliorẽ se existimat, quàm ut cũ illo loquatur, cõmercium cum eo habeat, aut etiã in eadẽ uia cũ illo ambulet: uix credit se ex eadẽ terra & limo factũ, ex quo pauper factus est. Atq; is mos ita inualescit, ut diuites propemodum nauseẽt & horrẽt, in uno baptismo cum paupere baptizari, eadẽ Sacramẽta cum pauperibus suscipere, aut etiã in eadẽ terra sepeliri. Sed rectè benẽq; De⁹ disposuit, ut pauperes diuitũ hìc in terris & in hac uita, diuites uerò pauperũ in illa seu futura uita, beneficio fruerentur. Christus quoq; pariter Euangeliũ suũ annuntiari curat, tã diuiti quã pauperi, tã pauperi quàm diuiti. Cęterũ quòd in hoc Euangelio pauperẽ in sinu Abrahæ, diuitẽ in inferno collocat, nõ sunt diuitię in culpa, sed abusus. Etenim diuitię & tẽporalia bona eiusmodi res sunt, quibus bene & malè uti posis: si in bonũ incidãt, ad plurima bona ei occasionẽ prębẽt, sin in malum, certissimus infernus est, quia cor illius occupãt, extimulant eũ, ferocẽ faciunt, ad multa peccata eũ prouocãt, à bono illũ impediunt, bonũ semen suffocãt: faciũt ut nõ solùm Dei, uerùm etiã sui ipsius obliuiscatur. Exẽpla quotidie uersantur ob ocu

Diuites ut fastidiant miseros.

Diuitiæ bene. ἀδιάφορα.

ob oculos,& plus quàm è re omnium est,quid diuitiæ & téporalia bona in filiis Adæ faciant,tum etiã Christus pulchrè & luculenter in hoc Euangelio ostendit ut nõ opus sit multa demõstratione. Nam primò,ut uideamus quamobrem Deus homini diuitias largiatur, Christus diuitem & pauperem inter sese opponit:imò quò diues intelligat, quomodo diuitiis suis uti debeat,pauperem illi ad ianuam ponit & talem pauperem,ut qui non una re quapiam, sed multis opus haberet.Primò enim opus habebat domo, deinde etiam uestimentis,cibo,potu cõsolatione, medicina & cura. Hæc omnia uidebat diues;quotidie illũ præteribat,ne dicere posset,se nescire quomodo diuitiis suis uti deberet, & in quem eas usum illi Deus dedisset. Nostris diuitibus similiter facit Deus,quantumuis inuiti pauperes uident,attamen ubique tales uidere coguntur. Tantæ sunt adhuc Dei opes,ut omnes suos pauperes uno momento ditare posset, sed id non facit,alioqui diuites existimaturi essent,ita fieri oportere,ut bona sua prodigant,& cõcoquant,quando nemo sit cui auxiliari possint: imò tum demum se omnino liberos essent credituri in sua conscientia, si nullum conspicerent pauperem. Haud enim fallit, natura celari non potest, conscientia non tacet, quantumuis quis durus & immitis est, cùm uidet pauperem inopiam patientem, fieri non potest, quin moneat illum conscientia sua: Hic dedisse debebas,hic non prætereundum fuerat, &c. Talis conscientiæ morsus diuiti & auaro nõn mediocris afflictio est, id quod ex eo deprehenditur, ut sæpenumero uiam fugiant & horreant,ubi pauperes norunt,quandoq; illis ciuitatibus & uicis interdicunt: putant hoc pacto se morsum suæ conscientiæ euitare posse. Sed frustrà, sapientior illis est Deus. Dictum & scriptum est, certè dictum & scriptum manebit, Pauperes semper habebitis uobiscum. Si pauperes alienigenas ferre non possumus in conspectu nostro, tanto plures nobis inopes ac calamitosi à Deo dantur ciues: Si platearum mendicos nõ pateris, tantò tibi Deus plures domesticos ualetudine affectos dat, qui quotidie aut tuum auxilium implorant, aut contra duritiam tuam indesinenter ad Deum in coelum clamant. Summa, sic Deus ordinauit, ut hæc tuum ad ianuam uiam uidere cogaris, & in hoc aut coelum aut infernum te mereri necesse est. Coelum, cum illi misericordiam exhibes: infernum autem, cum id illi negas, quod tibi in

Luc. 16.

Diuitias cur præstet deus.

Pauperes cur sinat esse De⁹.

Matth. 26.

Notatu dignissima.

hoc dat Deus, ut misero fratri tuo succurras. Tantũ de uero
Eleemosyna usu bonorum tẽporalium & diuitiarũ. Huc pertinent senten
præstandæ. tię, quę paſsim in ſcriptura inueniuntur, ut cũ Chriſtus dicit:
Luc. 16. Eſtote miſericordes, ſicut & pater ueſter miſericors eſt. Date
Luc. 11. & dabitur uobis. Et iterum: Quod ſupereſt, date eleemoſy-
Tob. 4. nã: & ecce omnia munda ſunt uobis. Et quod Tobias filium
ſuum docet: Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si mul
tum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguũ tibi fuerit, etiam
exiguum libẽter impartiri ſtude. Præmium enim bonũ tibi
theſaurizas in die neceſsitatis, quoniã eleemoſyna ab omni
peccato, & à morte liberat, & nõ patietur animã ire in tene-
bras. Fiducia magna erit corã ſummo Deo, eleemoſyna o-
mnibus facientibus eã. Eundẽ in modũ docet & ſapiens: Cõ
clude eleemoſynã in ſinu pauperis, & hęc ꝓ te exorabit ab
Eccle. 29. omni malo. Et Moyſes: Nõ deerunt pauperes in terra habi-
Deut. 15. tationis tuę: idcirco ego pręcipio tibi, ut aperias manũ fratri
tuo egeno, & pauperi, qui tecũ uerſatur in terra, & dabis mu
tuũ, quo eum indigere perſpexeris: ne clamet cõtra te ad do
minũ, & fiat tibi in peccatũ: nec ages quippiã callidè in eius
neceſsitatibus ſubleuandis: ut benedicat tibi dominus Deus
tuus in omni tẽpore, & in cunctis ad quę manũ miſeris. Sic
Luc. 3. & Iohãnes docet: Qui habet duas tunicas, det nõ habenti,
& qui nõ habet eſcas, ſimiliter faciat. Et alius Iohannes Euã
1. Iohan. 3. geliſta, Qui habuerit ſubſtantiã mũdi, & uiderit fratrẽ ſuum
neceſſe habere, & clauſerit uiſcera ſua ab eo: quomodo cha
Matth. 25. ritas Dei manet in eo? Et quid multarũ opus eſt ſcripturarũ
allegatione: quãdo Chriſtus ipſe eos collaudabit, qui illum
in mẽbris eius miſeris pauerunt: eos uerò qui duri & immi-
ſericordes erga ſuos fuerũt, ad ignẽ æternum condẽnabit?

Abuſum diuitiarũ & tẽporalium bonorũ ſimiliter quoq;
indicat Chriſtus in hoc Euangelio, atq; ita, ut merito nobis
exẽplo eſſe debeat. Quomodo igitur diues iſte ſuis bonis
abuſus eſt? Quòd eiuſmodi bona in ſumpt⁹ cõferret ſuper-
fluos & minimè neceſſarios, utpote in cibũ & potũ, in ueſti-
tum & alias põpas, in faſtum, familiã & canes, &c.: nec paupe
Vide ſeueritatem ri in ſumma neceſsitate uel minimũ impartiret. Proinde nec
iudiciorũ illi cõtingere poterat, quod tamẽ pauperes in hoc mũdo cũ
Dei. diuitib⁹ cõmune habent. Quantũuis enim abiecti ſint, aërẽ
tamen & aquã, ſomnum & mortẽ cum diuitibus cõmunẽ ha
bent. Horũ autẽ nihil diuiti cõtingere poterat: nõ dabatur il
li copia aëris, qui illi ęſtũ leniret & mitigaret: nõ ſomni, qui
dolo

dolorē sedaret: nō aquę, quę linguā refrigeraret, tantū abest ut ignem extingueret: imò nec mors illi cōtingere poterat, quę condēnationē illi finiret. Et quāobrē hæc omnia Christus tā exactè cōmemorauit? Num id propter unū diuitē fecit? Non: sed propter nos oēs, ut horrēdum illius exēplū nobis sit admonitioni. Eáq; de causa historia hęc seu parabola scripta est, quanquā (proh dolor) parū nostro seculo cōsideratur. Falsa & pestilēs persuasio, hominē nihil damnare prę ter incredulitatē, facit, ut hunc & alia similia scripturę loca nō curemus amplius. Satis hoc testatur uita nostra. Quādo pauperibus datum fuit minus, q̄ hoc adeò tēpore? Imò quādo pauperes inuisi magis nobis fuerunt, quàm nūc? E diuerso, quando impēsę maiores, fastus, & luxus in cibo & potu, uestitu, ędificiis, & omni leuitatis genere uisi sūt, quàm nūc? Illic omnia nobis uidētur nimia, quę in pauperes eroganda sunt, hîc autē uidemur nobis nimium parci. Et hoc nos facimus Christiani: uel saltē corā ethnicis pudere nos debebat, qui de futura uita nihil scientes, nullā in hac uita penit⁹ quæ sierunt uoluptatē. Vnicum hoc est, in quod omnē nostrā curam & studiū impēdimus in omni statu, siue sublimi, siue humili, ut nihil nō prę stò nobis sit, quod ad epulas, uestes pretiosas, & magnifica palatia & ędificia faciat, quantumlibet id fiat cū iniuria & ploratu pauperū. Nā uide quęso, quàm immanes sumptus in cōuiuia duntaxat impendantur. Olim apud Ethnicos, & maximè apud Romanos, nō pudebat etiā magnos & claros uiros, qui maximas ciuitates & terras deuicerant, palàm prandere & cœnare, siquidē nullo apparatu aut deliciis utebātur, unde populus offendi potuisset. Fabricius pręcipuè unus ex illis erat, dux celebris, qui uno tempore Pyrrho & Samnitibus sese opponere audebat, atq; ita, ut illum formidare eiúsq; amicitiā petere cogerētur. Illi Fabricio Samnites semel magnā pecunię summā offerebant, sperātes hoc pacto illū corrūpi posse, ne tantopere ipsos urgeret: sed mensæ illū accumbentē inueniebant, & nihil aliud habentē appositū, quā assas rapas. Illis igitur argentū deferentibus, subrisit, inquiens: Quin ex cœna mea cognoscitis, me nullis pecuniis uel auro indigere? Idē ille Fabricius audiens quendā uoluptatē laudare, & pro summo bono ducere, quā appetere homines deberent, admiratus & obstupefactus ad ea uerba, inimicis suis talem sapientiam & felicitatem optabat. At nunc uerò & apud nos Christianos unicum est, in

Quàm pestilēs persuasio, sola incredulitate nos damnari.

In luxum nostri aui.

Romanorū cōtinentia.

Fabricij temperantia.

quod omnem nostram solicitudinem conferimus, uoluptas & luxus in cibo & potu: & uix satisfacit nobis etiam summus apparatus. uulgaris ciuis non satis bene audit, nisi quinque aut sex fercula apponat, pisces simul & carnes. Magnatibus & principibus iã nunc sedecim, octodecim, uiginti fercula haud satisfaciunt, iam quinquaginta ferculorũ aut amplius usus receptus est, adeò immodicè crescũt inutiles sumptus, ut necessariò omnium rerum caritas sit, & proueniat. Nec hîc quisquã reputat secum, Christum eos qui lugẽt beatos uocare, & non qui uoluptatem sectantur & colunt. imò Christianismum nostrum nihil esse aliud, quàm crucẽ & cõtẽptum rerum omnium tẽporalium. Quẽadmodum Christ⁹ dicit: Qui non renuntiat omnibus quæ posidet, non potest meus esse discipulus. Sed scire uis, quid antiqui nostri Ecclesiæ doctores de tali luxu in cibo & potu senserint? Multę fiũt comessationes & cõuiuia (inquit diuus Chrysostomus) in quibus etsi nõ Iohãnes, ut in cõuiuio Herodis occiditur, miserè tamẽ mẽbra Christi discerpuntur. Vt plurimũ enim talia cõuiuia plena sunt rapina. Opiparã quidẽ edulia & potum isthic uideas: uerũ si cogites, unde collecta ea sint, deprehẽdis scilicet, fœnore, præda, dolis, & omni iniustitiæ genere coacta esse. Et ut maximè in talibus cõuiuiis nõ sit fœnus, fraus & iniustitia, haud tamen sine peccato fit quod ꝑter uoluptatẽ in iis nihil quæritur. Sic enim inquit propheta: Væ, qui cõsurgitis manè ad ebrietatẽ sectandã, & potandũ usq; ad uesperã, ut uino æstuetis, &c. Hæc uerba propheta nõ loquitur cõtra eos, ꝗ bona & diuitias suas iniquè acquisierunt, sed cõtra eos, qui ad uoluptatẽ rebus suis abutuntur, & pauperũ interim obliuiscũtur. Sed quomodo excusari põt (inquit Chrysostomus) te tam immodicè ꝓfusum esse in cibo & potu, cõtrà uerò Christũ in mẽbris suis panis etiã penuriã pati: te uino ingurgitari, Christo autẽ in membris suis nõ haustulũ aquæ subministrari? te in bene ornato & molli cubare lecto, Christũ uerò in mẽbris suis algere & frigere, &c. Hîc audis, qd antiqui nostri Ecclesiæ doctores de sumptuosis cõuiuiis senserint. Sed qs diuitibus & potẽtibus persuadebit iã, cõuiuia eorũ nihil aliud esse, quàm homicidia, per quæ pauperibus sua subtrahitur necesitas. Idẽ fit inutili uestiũ sumptu. Apud Romanos magna cõtentione obtinebatur, ut uxoribus eorũ uel parũ auri gestandi daretur facultas. Cato Cẽsorius uir apprimè celebris, nũquam gestauit

Annonæ caritas unde.

Matth. 5.
Luc. 6.

Luc. 14.

Chrysostom⁹.
Mar. 6.

Isa. 5.

Exempla memorabilia.

gestauit uesté pretij supra centum drachmas. eæ apud nos duodecim florenos uix constituunt. Phocion Athenis quadragies quinquies rerum summā obtinuerat, sed adeò non curabat uestiū ornatū & splendorē, ut nec caltiamētis uteretur, nisi in summo frigore. Et hi Ethnici erant, quibus nihil cōstabat de futura uita, attamen pro re inutili ducebāt, tantos in uestes sumptus facere. Quæ res illis perpetuæ laudi datur in omnib' historiis. Cōtra Lucullo, Neroni, Sardanapalo, Heliogabalo. &c. summo datur uitio, quòd tam immodicè in uestes fuerint profusi. utpote Lucullo, quòd ducētas purpuratas uestes haberet: Neroni, quòd nullam uestem bis, sed singulis diebus nouā indueret. Sardanapalo & Heliogabalo, quòd in talibus sumptibus omniū fœminarū superbiam superauerint. Sic neq; Lydiis laudi datur, quòd primi fuerint, qui lanam tinxerūt. Tyrij maiorē adhuc merentur reprehensionem, quòd in re tam uana primos secuti sunt. De Asianis fertur, quòd primi aurum uestibus intertexerint. De Babyloniis similiter, quòd primi acu uestes pinxerint auro. Hęc omnia scimus & legimus nos, audimúsq; præterea, Petrū etiā mulieribus interdicere superbiā & cultum in uestitu. Et quod Paulus dicit, Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Et tamen summū hoc est, de quo nos iactamus. Quicquid corrasimus, id omne in uestiū ornatū impēdimus: inuenias qui nō solū Lucullū uestiū multitudine æquent, sed unā quandoq; uestem uideas pretio certare cum ducentis illis Luculli uestibus. Hic inutilis sumptus à plerisq; nūc honori datur. Nemo cogitat, unde hæc bona ueniāt: nemini curæ est tot pauperes interim frigore rigere. Sic & de reliquis rebus. In omnibus paria facere cum Ethnicis nolumus, sed nō cum iis, qui ob tēperantiam suam laudantur, sed cum iis qui ob fastū, uoluptatē & immoditam profusionē in omnibus historiis uituperātur. Mundus hoc nomine putat se suspiciēdū, cùm tantā ostentat magnificentiam: laudi id sibi ducit, quemadmodum rex Assuerus splendidis suis conuiuationibus laudem perpetuam sibi & immortalem memoriam comparare uolebat. Verùm ea non est uera uia ad parandam laudem & gloriam. Sic habetur scriptum: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, & semen eius erit in benedictione. Contrà uerò impius thesaurizat: & ignorat cui congregabit ea. Ducunt in bonis dies suos, & in

Exēpla luxuriosi cultus.

Lanā qui primi tinxerint.

1. Pet. 3.

1. Tim. 6.

Ethnicos quos imitemur.

Ester 1.

Psal. 18.

Iob 21.

puncto ad inferna descendunt. Hæc cõsideremus apud istũ diuitem. Diu fastu suo & uoluptate fruebatur, sed tandẽ finis secutus est. Quãobrẽ uide, ut diuitiis tuis melius utare,
Luc. 16. quàm ille. Fac tibi amicos de mãmona iniquitatis: ut cùm defeceris, recipiant te in æterna tabernacula. Si magnificis ædificiis delectaris, cogita omnia in nihilũ reuersura, figu-
1. Cor. 7. ram huius mundi præterire, & te hìc nõ esse in Paradiso, sed in ualle lacrymarum. Si te infestat superbia & luxus uestiũ, memineris rem stultã esse, si quis hoc nomine sibi placet, quòd uulnus periculosum eleganti malagmate obuolutũ habet. Sed quid uestes faciunt aliud, quàm quòd corpus tegant, quod nihil est aliud, quàm saccus uermiũ? An nõ uerò amẽtia est illi cõtegẽdo tantos adhibere sumptus, & tamen gloriam inde aucupari? Cogita deinde, quàm iniquũ sit, superbire cũ sanguine pauperũ, unde diuitiæ potissimũ ueniũt. Si
1. Cor. 6. te uoluptas tẽtat in cibo & potu, cogita escã, simul & uẽtrẽ
Iohan. 6. înterire oportère. Quapropter operare nõ cibũ q perit, sed q pmanet i uitã ęternã. Deus nos oẽs sua dignet gratia, Amẽ.

QVINTVS SERMO EVANGElium cum Epistola & hodierna Ecclesiæ oratione componit.


HODIERNVM Euangeliũ terribile habet exemplum pro diuitibus, deinde uerò etiã ualde consolatorium pro pauperibus. Obseruandum tamen, Christum non nisi de uno loqui, ne quis cogitet, omnes diuites condemnari, & omnes pauperes saluos fieri. Nequaquam: scopus sermonis Christi aduertendus est. Non refert, diues quis sit an pauper, sed quomodo in diuitiis & paupertate se gerat. Ita quis in diuitiis suis se habere potest, ut ei non modò non impedimento, sed magno ad felicitatem adminiculo esse possint. Porrò sic quis in paupertate sua uiuere potest, ut post tẽporalem inopiam nihil habeat aliud expectare, quàm æternam egestatem. Quapropter nõ simpliciter loquitur Christus de diuite quolibet, sed de eiusmodi, q opib9 multifariã abutitur, & nec minimũ ad pauperes redire sinit. Ita nõ simpliciter de quouis paupere loquitur, sed de tali, qui onus & molestiam paupertatis patienter ferebat, non in minimo contra iudicia Dei, aut etiam contra duritiam diuitis murmurans. Quisquis igitur diuitiis suis non

non melius utitur, quàm hic diues fecit, meritò ad hoc exemplum contremiscere potest. Nam ideo etiam illi dictum & præscriptum est. Contrà: quisquis paupertatem & crucẽ suam ita tolerat ut Lazarus, eum Euangelium istud meritò consolari potest. Reliquum ergo fuerit, ut cui Deus diuitias dedit, uideat ut iis rectè utatur: cui paupertatem imposuit, uideat ut æquo animo ferat. Secundò superest, ut unusquisque siue diues sit siue pauper, cogitet sibi moriendum. Tantò minus diues in multitudine diuitiarum confidere debet: quoniã cùm interierit, non sumet omnia, neq; descẽdet cũ eo gloria eius. Tantò minus quoq; pauperẽ suæ tędere debet inopiæ, quando scit, eam finem habituram. Tertiò superest, ut tam diues quàm pauper consideret, duo post hãc uitam destinata esse loca, alterũ æternæ quieti, alterũ æternæ pœnæ. Tanto diuiti timendũ magis est, nę post molliter exactam uitam, ęternis addicatur incendiis. E diuerso etiam pauperi tanto sperandũ magis est, malos suos dies in æternam quietem aliquando uersum iri. Quartò, huc res tandẽ spectabit, ut quiuis cogitet, illic haberi non posse, quod hîc negligitur; tanto maiorem adhibere diligentiã debemus ad audiendum ea quæ nobis Moyses & prophetæ, Christus & apostoli eius dicũt, dum illos audiẽdi nobis datur facultas. Hi enim docent nos, quomodo infernũ effugere, & cœlũ adipisci possimus. Et ob id à Deo missi sunt, ut hæc duo nobis annũtient. Minimè itaq; necessariũ, nec est quod expectemus, ut Deus de nouo angelũ nobis de cœlo, aut mortuum de sepulcro nobis mittat, qui nos doceãt & moneãt. Nequaquã: nõ fiet. Si Moysen & prophetas, Christũ & apostolos audire recusamus, nihilominus Deus cũ suis iudiciis perget. Hoc cõsideremus ex isto Euangelio, & nõ tantùm consideremus, sed etiam faciamus. Et quia uidemus, quòd diuitem illum nihil aliud condemnauit, nisi nihil quòd nullo misericordiæ affectu erga pauperẽ Lazarũ fuerit tactus, reliquum illi facilè condonatũ fuisset, si tantummodo pauperẽ etiã cõsolatus fuisset, quia charitas operit quoq; multitudinem peccatorũ: & Christus misericordiã promisit misericordibus. Tantò magis charitati studere debemus, tanto feruẽtius nos exercere in misericordia & cõpassione erga pauperes debemus, quando ipsi quoq; gratia & misericordia opus habem⁹, & nihil habemus nisi quod à Deo accepimus. Sup hoc audi qd Iohãnes in hodierna Epistola dicat,

Institutiones diuitis & pauperis.

Psal. 48.

Scripta diuina quid nos doceant.

1. Pet. 4.
Mat. 5.

Studendũ charitati & misericordiæ operibus.

1. Cor. 4.

cat, Deus charitas est. in hoc apparuit charitas Dei in no-
1. Iohan. 4. bis, quoniã filiũ suum unigenitum misit Deus in mundũ, ut uiuamus per eũ, &c. Hæc hodierna fuit Epistola. Nemo tam simplex est, quin intelligat, quamobrẽ hodierno Euãgelio assignata sit. Si in diuite charitas desiderata fuit, certè æquũ est, ut nos tãto magis ad charitatẽ ꝓuocemur & admoneamur. Si illũ duritia sua in infernũ pertraxit, in flãmã æterni ignis, in tantam angustiã, ut guttulã aquę peteret, nec illi tamen cõtingeret: meritò nobis acclamatur, Diligamus nos. Quapropter Epistola hæc & Euãgeliũ optimè inter sese cõsentiunt. Quàm acriter Euãgeliũ inutilẽ fastũ & immodicã prodigalitatẽ culpat, quam nõnulli in suis diuitiis exercẽt, nõ obstãte magna & manifesta necessitate ac defectu, quẽ in Christianis, fratribus & uicinis suis quotidie uidẽt: tã nos seriò Iohãnes hortatur ad charitatẽ, quæ fons est omnis beneficentiæ ergà ꝓximũ nostrũ. Et sanè utrobiq; loci seuera
Psal. 36. admonitione opus est. Diuitibus huius mũdi tãtũ acclama-
1. Tim. 6. ri nõ potest & præcipi, ut cor suũ diuitiis nõ adiiciãt, in in-
Matth. 19. certo diuitiarũ nõ sperẽt, sed agnoscãt fallaciã diuitiarũ, & quãtũ hominis saluti adferãt impedimẽti. Tãtũ (inquã) diuitibus acclamari nõ potest, ut res ipsa deposcit. Haud enim prouerbiũ fallit, Satietas ferociã parit. Quò autẽ ferocia hominẽ abducat, nõ modo in omnibus legimus historiis, sed etiã quotidie ob oculos uidemus. Idcircò, ut dixi, uehementer diuites admonẽdi sunt, ne diuitiis deliniti seducãtur, sed iis rectè utantur, nimirũ eũ in modũ, quo in ꝓximo sermone indicaui, & quẽadmodũ sacra scriptura omnibus in locis docet & monet, ut charitatẽ & misericordiã tẽporalib⁹ bo-
Verus diuitiarum usus. nis erga egenos declaremus. Hic uerus diuitiarũ esset usus, hunc omnes benedictiones sequẽtur, quas Dauid in Psalmo suo enumerat, cùm inquit, Mutuabitur peccator, & nõ soluet: iustus autẽ miseretur & tribuet. Tota die miseretur & cõmodat: & semẽ illius in benedictione erit, &c. Hoc est,
1. Tim. 4 quod Paulus dicit, Pietas ad omnia utilis est: promissionem habens uitæ quæ nũc est, & futurę. Et quæ sunt illę promissiones? Dauid docet, quid bono homini in hac & in futura uita promissum sit, cùm tẽporale tum æternum. Beatus uir (inquit) qui timet Dominum: in mandatis eius uolet nimis. Potẽs in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in seculũ seculi. Exortũ est in tenebris lumen rectis: misericors,

cors, miserator, & iustus. Iucundus homo qui miseretur & cōmodat, disponit sermones suos in iudicio: quia in ęternū nō cōmouebitur, ab auditione mala nō timebit: cornu eius exaltabitur in gloria. Hę sunt benedictiones hominis pij: & ad hęc omnia cōfert pietas, liberalitas, & misericordia. Etenim primo illa hominē beatū reddit etiā in hac uita, etiā in I.
media tribulatione: adfert enim illi lætā ac trāquillā cōscientiā & Deū propitiū, quæ summa bona sunt, quę habere homo potest, imò quę hominē beatū faciūt. Nec possibile est quēquā saluū fieri posse, nisi cōsciētiā habeat bonā, & Deū benignum. *Pietas & charitas in miseros quid praestet.* Secūdò facit pietas & liberalitas hominē poten II.
tem & fortē, nō solum cōtra homines, sed etiā contra peccatū, mortē, & diabolū. Charitas enim (inquit Petrus) operit multitudinē peccatorum. *1. Pet. 4.* Et Tobias dicit, Eleemosyna *Tob. 4.* non patitur animam ire in tenebras, sed liberat eam à morte. Tertiò, liberalis pietas, & pia liberalitas, etiam benedi- III.
ctionem Dei super hominē adfert, quam benedictionē impij non habent, & propterea quantumcunq; bonorū congregant, diu tamen in ipsorum familia nō manent, imò rarò ad tertium perueniunt hæredem. Sola enim benedictio domini diuites facit. *Prou. 10.* Quāobrem olim optimi patres omnē adhibebant diligentiam, ut benedictionē Dei, filiis suis ante omnia pro hęreditate relinquerēt, ut in Isaac uidere est, *Gen. 27.* erga suos duos filios. Item in sancto Iacob erga suos filios. *Gen. 33.* Item in sancto Moyse erga duodecim tribus Israël. *Deut. 43.* Et talis benedictio Dei filiis relicta, melior illis erat, quàm si amplā bonorum hæreditatem reliquissent. Cōtrà uerò ubi benedictio Dei nō est, nihil esse stabile potest: unde fit, ut sæpe incassum laborem', & ut una hora nobis auferat, quod multis annis multo labore uix parauimus & cōtrasimus. Neq; sanè mirum. Nam si quis quod optimū habes in tua domo accipere & usurpare uelit, te īsalutato, certè ea res tibi haud quaquam placitura esset, sed domo illū tua pulsurus esses. Quid igitur mirū, si Deus similiter faciat iis, q illius utuntur bonis, nec unquam tamen illum discunt agnoscere, amare, laudare, colere & metuere? Quartò adfert liberalitas & pie IIII.
tas etiam homini honorem & diuitias, imò uerū honorem, de quo Christus dicit, Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. *Luc. 6.* Et rursus, Diligite inimicos uestros, &c. *Matth. 5.* ut sitis filij patris uestri, q in cœlis est. Hic uerus honos est, *Verus honor.* filium & hæredem Dei esse, & hæ sunt uerę diuitię, sapiētia, *Vera diuitiæ.*

scien

Isa.11. scientia, & timor Dei, ut Isaias dicit. Item iustitia, pax & gau-
Rom.14. dium in spiritu sancto. Et quid opus multis uerbis? Qui benignus est & pius, huic lux splendet ueritatis, etiã aliis in tenebris omnium errorũ ambulãtibus. Iustitia eius in seculum seculi corã Deo, memoria eius æterna apud homines. Non est itaq;, ut sinistrã famã pertimescat, æternum manebit, ubi omnes peccatores funditus peribunt. Vide, hæc habere omnia possemus, si nos deuotos erga Deum, & liberales seu misericordes erga pauperes exhiberem'. Hoc uidelicet molitur Ecclesia hodierno Euãgelio & Epistola, condẽnationẽ infœlicis diuitis ita nobis ob oculos ponens, ut tamẽ interim doctrina & admonitio bona atq; efficax nobis non desit. Nemo diuite felicior, dum in uiuis esset, uidebatur: nihil illi deerat, qđ uel animo illius adlubescebat, uel ad gaudiũ & felicitatẽ faciebat. Verùm res lõge secus habere deprehẽsa est, nimirũ ꝙ is qui anteà omnibus abundauerat, summã pati inopiã cogebatur: qui uiuus in terris mendicum uidere nullum poterat, ipse post mortẽ, imò qui Lazaro etiam micas de mẽsa cadẽtes inuidebat, petebat deinde guttã aquę, quã tamen impetrare nõ poterat. Tãtò iustius uobis hodie acclamatur, Diligamus inuicẽ: imò tantò iustius prælegitur nobis hodie Epistola, in qua Ioãnes tam multa de charitate Dei loquitur, ter cõmemorans, ꝙ Deus ex charitate filium suum miserit, dicẽs, Deũ esse charitatẽ, & palàm ostendens, charitatẽ summũ præceptũ esse. Sub hoc docet nos Ecclesia quoq; pulchrã facere orationem, nimirũ hunc in modum & hisce uerbis: Deus in te sperantiũ fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris: & quia sine te nihil põt mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis, & uolũtate tibi & actione placeamus. Hũc in modum nos hodie Ecclesia circa iam dictũ Euangelium & Epistolã orare docet. Atq; hæc oratio nõ solùm Christiana, sed etiã necessaria est. Etenim confitemur in ea primũ prauam nostrã & perniciosam imbecillitatẽ. Sine te (dicimus) nihil põt mortalis infirmitas. Interim uerò cõfitemur, Deũ esse nostrã fortitudinẽ, si in eum speremus. Vocatur & est talis Deus, qui etiã fortitudo est omnium sperantium in eum. Ideò rogamus & petimus auxilium gratiæ eius, sed ad nihil aliud, quàm ad impletionẽ mandatorũ ipsius. Ad hæc autẽ duo pertinent, primò uoluntas, deinde opus. Vtrũq; à Deo petimus eo: Domine præsta ut in exequendis mãdatis tuis,

Mendicare cõpulsus est.

1. Iohan. 3.

Precatio Ecclesiæ.

Mandata Dei uoluntate & actione coluntur.

& uo

& uoluntate tibi & actione placeamus. Neutrũ enim horũ ex nobis ipsis habemus. Deus operatur in nobis & uelle, & perficere, pro bona uoluntate. Incipit in nobis opus bonũ, & perficit. Sed nunc mihi uide, an non hodierno Euãgelio & Epistolæ cõueniens oratio sit. Diues neq; uoluntatẽ neq; opus habebat ad obseruationem mandatorum diuinorum. Non enim sciebat & agnoscebat suã miseriã, & ad quã rem Deo opus haberet. In illo impletum erat quod Dauid dicit: Ecce homo qui nõ posuit Deũ adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarũ suarũ, &c. Quid diuiti defuerit, docet Iohãnes in hodierna Epistola, nimirũ charitatem in corde habere, eamq; ipso opere exhibere. Istud est uolũtate simul & actione Deo placere. Horũ autem neutrũ ex nobis ipsi habemus, à Deo petamus necessum est. Et hæc duo cõiuncta esse uolunt. Diues eorũ neutrũ habebat, neq; uoluntatem, neq; opus. Inueniũtur homines qui quidẽ uoluntatẽ habent erogandi & opitulandi pauperibus, sed ipso opere nequeũt. Alij quidã opus quidẽ ipsum præstant, sed tristes & inuiti. Domine Deus (inquit & orat Ecclesia) fac utroq;, hoc est, uolũtate & actione, corde & facultatibus nos tibi placere: tibi, nõ mũdo, nec nobis ipsis. Rursum hæc necessaria cõditio est. Alioq enim sũt, q uolũtate & opere bene agũt, sed pprĩu suũ honorẽ & humanã laudẽ seu fauorẽ p id q̃rũt. Verum nullã hi apud Deũ mercedẽ habẽt, quinimò iam acceperũt suã mercedẽ. Quapropter rectè dictũ est, & positum, ut tibi placeamus. Fratres mei, omnia ordine optimo disposita sunt, si forent homines qui rem diligenter animo secũ perpenderẽt. Vos oẽs uolo admonitos: Ne contemnamus quæ nostræ utilitati inseruire possunt. Quiuis horrẽdũ isti[9] diuitis exẽplum euitare studeat: quiuis doctrinæ Iohannis sese attẽperet in hodierna Epist. quiuis utatur oratione quã ipsum Ecclesia hodie docet: ea ratione haud male hodiernã Dominicã trãsegerit. Deus nos oẽs sua donet gratia, Amẽ.

Psal. 51.

Charitas cordis & operis.

Matth. 6.

Exhortatio.
1. Iohan. 4.

SEXTVS SERMO DICTA ETHNICORUM aliquot componit cum isto Euangelio.



HODIERNVM istud Euangelium non admodum dissentit à figmento illo, quod olim acutis quibusdã Ethnicis placuit de litera, quã Latini à Græcis mutuati sunt, quæq; est in nostro Alphabeto penultima. Nos Germani eã

uoca

uocamus oy aut ey, hanc habens figuram, Y. Latini eam nominant I Græcum, seu ypsilon. Aliqui eam nominant literam Pythagoræ. Circa eam literã (inquam) nonnulli uirtutis & honestatis cultores Ethnici, non ineptè speculati sunt, quod haud malè congruit cum hodierno isto Euangelio. Nã ut illa litera præcipuè apud nos formata est, ut inferius non nisi una linea sit, superius uero bicornis, ita tamen ut altera linea recta protendatur in altũ, altera autem ad sinistram uergat, sitque paulo latior, nec tam alta, sed nonnihil præcisa. Tali figuræ & formæ huius literæ quidã sapientes Philosophi humanam uitam compararunt. nam hanc simul ordimur omnes, quẽadmodũ hæc litera infra non nisi unã lineã habet: mox uerò diuiditur humana uita in duas uias: altera uocatur uia uirtutis, altera uia uoluptatis. Et prima uia rectà sursum tendit in altitudinem uersus dextrã: ea est angusta, aspera, ardua & laboriosa: sed tamen homini interdum etiam corã mundo honores & opes conciliat. Huc pertinet quod Virgilius dicit: Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni, Humanæ uitæ speciẽ præferre uidetur. Nam uia uirtutis dextrũ petit ardua callẽ, Difficilemq; aditum primũ spectantibus offert. Sed requiẽ præbet fessis in uertice summo. Cæterùm altera uia ad sinistrã uergit, lataq; est, & bene trita, nec difficilis, sed homini probrũ & ignominiam etiam coram mundo cõcilians. Et hoc est quod Virgilius ait: Molle ostentat iter uia lata, sed ultima meta Præcipitat captos, uoluitq; per ardua saxa. Vide, hoc cõsiderauit Ethnicus iste circa hanc literã. An non autem uidetur tibi, quod nobis similia quoq; proponantur in hodierno Euangelio? Id cõmemorat nobis diuitẽ & pauperem, qui utriq; certè homines fuerunt, diuitiis, probitate & intellectu pares in hanc lucẽ editi sunt. Hic primus ingressus est, hac cõditione nascimur omnes. Quam uerò simili modo hi duo homines uitam inchoarunt, tam dissimili eam finierunt. Alter saluus fiebat, alter condemnabatur. Quę causa, quòd tam diuersus utriusq; exitus erat? Non una ingrediebantur uia. Pauper rectà tendebat per longam, angustam & arduam uiam uersus cœlum. Diuiti durior ea uidebatur: itaque ad læuam exorbitabat, per latam & bene tritã uiam incedens. Quid igitur mirum, si non ad unum peruenerint locũ, quos uia tam longè lateq; discrepans diuisit? Vide, hoc pacto Euangelium istud iuxta externã speciẽ idem habet, quod Virgilius scribit de

De litera Pythagora.

Humana uita cui similis.

Via duplex humanæ uitæ.

Luc. 16.

litera Pythagoræ. Nobis Christianis cum primis cõsiderandum est, quod etiã Ethnici his rebus animũ intẽderint, quæ tamen nobis rarò in mentẽ ueniunt. Inò Christianũ hominem capere admiratio nõ immeritò posset, quõ Ethnici, qui Dei nullã notionẽ habuerũt, in has inciderint cogitatiões. Sæpenumero in antiquis historiis & scriptis Ethnicorũ, eiusmodi inueniũtur uerba, ut nos Christiani sine pudore ea legere & audire nõ possimus. Huius rei exẽpla recẽsere possem plurima, sed uni acquiescã, quod etiã ad istud Euãgeliũ inseruire nobis põt. Cato Romanus, uir senex & prudẽs, rogatus aliquãdo à discipulis uirtutis cãdidatis, num illi senectus grauis esset, hũc in modũ respõdit: Et si qs Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascã, & in cunis uagiam, ualde recusem: nec uerò uelim, quasi decurso spatio, à calce ad carceres reuocari. Quid enim habet uita cõmodi? quid non potius laboris? Sed nõ habeat sanè, habet certè tamen aut satietatẽ, aut modum. Non libet enim mihi deplorare uitã, quod multi, & hi docti sæpe fecerunt. Nec me uixisse pœnitet: quoniam ita uixi, ut non frustra me natum existimẽ. Et ex hac uita ita discedo, tanquã ex hospitio, non tanquam è domo. Cõmorandi enim natura diuersorium nobis, nõ habitandi dedit. O præclarũ diem, cùm ad illud diuinũ animorum concilium cœtumq; proficiscar, cumq; ex hac turba & colluuione discedã. En, Ethnici hæc uerba sunt. Et qd æquè Christianè quidue sanctius dici possit? An non magnũ est, quod dicit, etsi illi liberum sit, ut repuerascat, se tamen recusaturum? Quàm uerò pauci tales inueniũtur inter nos Christianos! An nõ magnũ est, quod ait: Nõ pœnitet me uixisse, quoniã ita uixi, ut nõ frustra me natũ existimẽ. Putabat se nõ frustra uixisse, eò ꝙ in cõmuni statu bonus ciuis, in officiis integer administrator fuisset: & qđ filiis ac posteris suis famã bonã & uirtutis exẽplum relinquere uolebat. Hoc nõ est frustra ĩ terris uixisse. Bone Deus, ꝗ̃ pauci id genus hominũ sunt inter nos Christianos! Maior pars inutilis turba, fruges cõsumere nati. Alij, si multas pecunias coaceruẽt & magnificas ædes extruãt, se nõ frustra uixisse existimãt. Verùm Ethnicus iste rem lõgè aliter secũ reputabat, ut nunc audistũ est. Ad hæc, credebat & sentiebat etiã post hãc, meliorẽ futurã uitã. Ex hac uita discedo (inquit) tanꝗ̃ ex hospitio, non tanquã è domo. An nõ autẽ hoc cõsentit cum diuo Paulo, qui præsentem hanc uitam tabernaculum, futuram autem

Ethnici ut pudefaciãt Christianos.

Catonis notatu dignißima sententia.

Vide Ciceronem de Senectute.

Etiam ethnici animorum immortalitatem crediderunt.

2. Cor. 5.

domum

domum appellat? An tu uerò arbitraris diuitẽ in hodierno Euangelio id credidisse? Et quid dico de illo solo? Interroga inter Christianos, eos, q magnas opes quærũt, agros agris accumulãtes, magna erigẽtes ædificia, &c. interim uerò nihil cogitantes de rebus futuris, num permanentem ciuitatẽ in illo seculo sperent. Ita pauci quoq; inter nos Christianos inueniũtur, qui cum Paulo cupiãt dissolui & esse cum Christo. Et tamen Ethnicus iste ex hac præsenti uita ad meliorẽ aspirabat, quantũ ipsius assequebatur ingeniũ. Verùm nónne nos Christianos meritò pudeat, cùm hæc & similia apud Ethnicos legimus? Hoc ideo commemorare exempli causa libuit, quò hodiernum Euangelium tantò diligentius ad animũ reuocemus. Si te exemplum Lazari non mouet, qui post uarias huius uitæ tribulationes, ab angelis deportabatur in sinum Abrahæ, saltem te moueãt uerba huius Ethnici, aut pudeat te nominis Christiani. Si te nó terret exemplũ huius diuitis, qui post uitam suam in omni uoluptate exactã in terris, in infernalem proiectus est flammam, saltem apud te ualeat, quod etiam Ethnici uiderũt, sciueruntq;, uoluptatem ad mortem & perditionem ducere. Proxima & expeditissima uia est, ut cum Dauide dicamus: Domine in misericordia tua speraui, exultabit cor meũ in salutari tuo: Psallã nomini tuo altissime. Et cum Ecclesia: Sãcti nominis tui Domine timorẽ pariter & amorẽ fac nos habere perpetuum: qa nũquã tua gubernatiõe destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Hæc (inquã) proxima esset uia istum in modũ circa hoc Euangeliũ cogitãdi & orãdi, quando Euangelium hoc clarè nobis indicat, nos neq; mundo, neq; præsenti huic uitæ fidere posse. Quinimò qui Euangelium hoc propius intuetur, & à capite ad calcẽ usq; considerat, is deprehendit, uitã hanc nostrã in terris nihil esse aliud quàm ludum, qui in theatro exhibetur: ubi multæ quidẽ inducuntur personæ, sed omnes habitu transformatæ, prout ab actore quæq; induitur. Et is scit, quã ad rem uti unoquoq; debeat suã cuiq; psonã tribuẽs & laruã, ut ludi postulat ratio. Aliũ fingit senẽ, licet iuuenẽ: aliũ iuuenẽ, licet alioqui senẽ. Hũc auro, monilibus & pretiosis uestibus ornat ceu diuitẽ, qui quandoq; pauperrimus est: illi cõtrariũ facit, mendico eum assimilans, alioqui diuitem: alium producit tanquam mirè potentẽ, principẽ, seu regẽ, personã alioq p se cõtẽptã, &c. Et quotquot in hoc ludo sunt, nullus genuinã suã formam habet:

Phil. 1.

Psal. 12.

Vita nostra quid.

habet quādiu lud⁹ durat, null⁹ agnosci pōt, senex an iuuenis, dominus an seruus, diues an pauper sit. At ubi ludi finis est, & actor suā cuiq; laruā detrahit, tū apparet quis unusquisq; sit: tū quandoq; mendicus inuenitur, qui in ludo rex erat: alius qui in ludo pauper erat, lōgè nunc alius deprehēditur.

Idē de hac uita in terris censeas licebit. Mundus theatrum est, in quo oēs transformati incedimus, nullo suā ueram formā & speciē habente. Honoratur aliquis, qui tamē nullo honore dignus est: alius contēnitur, qui omni honore dignus esset. Deus magister ille est, qui nos in theatrū suum producit: is scit quid ad ludū pertineat, nostrū omniū opera ad suū uitur opus: scit quomodo omnia destinare debeat ad suam gloriā. Is unus est, qui nos oēs nouit, quenq; in sua uera forma: alioqui scire nō possumus, quis quilibet sit, donec uitæ nostræ fabula peracta sit, & Deus unūquēq; larua sua nudet. Tū multi Dei filij inuenientur, qui in hac uita contēptissimi fuēre. Vti Sapiens ait: Mali & condēnati homines in extremo iudicio turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatę salutis, dicentes intra se: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinē improperij, ecce quomodo cōputati sunt inter filios Dei, & inter sancto sors illorū est. Cōtrà multi miserabiles & condēnatę reperient creaturæ, imò nihil aliud quàm infernales titiones, qui in terris omnibus suspiciēdi fuēre. Huius rei in hodierno Euāgelio pulchrū habemus exēplum. Diuitem Deus insignē induerat personā: uitā degebat in honore & potentia, diuitiis, gaudio & uoluptate. Quis autē credidisset sub larua tam formosa tā miserabilē, abiectā, cōdemnatā personā latere, quę corā Deo indigna cēsebatur, cui guttula aquę porrigeretur? Contrà Deus Lazaro personā adeò uilem induit, ut ab omnibus derisus & derelictus, in summa necessitate famis & ęgritudinis, ne micas quidē impetrare posset, quæ de mensa diuitis cadebāt. Et quis credidisset sub tā contēptibili larua filiū Dei, hęredē cœli & cōciuē angelorum latêre? Nō igitur ęstimādus est homo ex eo, qualis in theatro ambulat, sed qualis corā Deo in cōscientia est. Quid hūc diuitē aliud ad tantā duritiā & immisericordiā erga pauperem adduxit, q̄ quod non posset credere, aliquid magni sub humili specie latêre? Eodē adhuc uitio laboramus: quapropter diuitū consortio magis q̄ pauperū gaudemus. Laruā tantùm consideramus: ubi bona & potentia, illic Deum ipsum pręsentē putamus.

Mundus theatrum.

Iohan. 1.

Sap. 5.

Persona diuitis epulonis.

Persona Lazari.

Iohan. 7.

Error popularis iudicij.

mus. Vbi nihil aliud præter paupertatẽ & crucem, ubi Deũ adesse existimare nõ possumus. Hinc fit, ut pleriq; Dei filij in terris cõtempti & deserti sint: cõtrà uerò pleriq; filij diaboli honore afficiantur euehãtúrq;. Quocirca Paulus nõ ab re docuit & scripsit, ne ante tempus iudicemus, quoadusq; ueniat dominus, qui & illuminabit absc̃odita tenebrarũ, & manifestabit consilia cordiũ. Optimũ & certissimũ in his omnibus foret, si quisq; seipsum inspiceret, & excuteret, nõ qualis à mundo cẽsetur, sed qualis corã Deo est. tũ diues suę fortunę felicitate nunquã efferretur, aut pauperẽ cõtemneret: cõtrà etiã pauperi inopia nunquã molesta futura esset, neq; diuitis inuisa felicitas. Hic charitas locum habere posset, de qua Iohannes tã magnificè loquitur in hodierna Epistola. Deus (inquit) charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniã filium suũ unigenitũ misit Deus in mundũ, ut uiuamus per eũ, &c. Hęc hodierna fuit Epistola. Atq; hìc auditis, quòd Iohannes nos Christianos longè alios esse uelit, q̃ fuit hic diues. Haud is secum reputabat, oĩa se à Deo habere, quã ob causam ꝓximo suo tã immitis erat. E diuerso autẽ Iohãnes nos primò ad charitatẽ Dei relegat, docẽs deinde, ut erga ꝓximũ nostrũ similiter nos geram᷑. Quod si obseruaretur, neq; diues suis opibus sese elaturus esset, & pauperem grauaturus, neque pauper futurus esset impatiens & iniquè laturus diuitis fortunam. Hoc pius quisq; Christian᷑ circa hodiernum Euangelium considerare habet. Deus nobis omnibus det suam gratiam, Amen.

1. Cor. 4. — *γνῶναι πάντα* [margin, partly illegible] — *Charitas Dei & proximi.*

SEPTIMVS SERMO DE *Euangelio & Epistola.*

Christi in docendo moderatio.



QVISQVIS Euãgelium hoc probè intuetur, inueniet quàm Christus doctrinã suã omnibus in locis ita tẽperauerit, & tam circũspectè instituerit, ut nusquã modum excesserit: imò uerba sua ita sciuerit moderari, ut nemo nõ suã in iis partẽ inueniat, qui modò aures habet audiẽdi. Quippe primò multũ quidẽ boni oĩbus Christianis in hoc Euãgelio indicatur, utpote post hãc uitã, aliã & meliorẽ uitã esse: itẽ bonis tribulationẽ ipsorũ in gaudium, malis uerò lætitiã eorũ & uoluptatẽ in pœnã uersum iri, & utrobiq; loci ęternitatẽ fore, &c. Hęc & id genus alia denuntiat Euãgeliũ omnibus Christianis in cõmune, ita tamẽ ut singulariũ personarũ nõ obli

obliuiſcatur:diuiti dicit ac monet eum, ne diuitiis ſuis fidat: pauperẽ docet, ne deſperet, & in ſua paupertate animũ deſpondeat. Et quę fieri exhortatio melior & admonitio poſſet? Vbi diuitię & bona tẽporalia, fermè ſemper ſuperbia & faſtus miſtus eſt, quẽadmodũ Dauid de eiuſmodi hominib⁹ dicit: In labore hominũ nõ ſunt, & cũ hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua, &c. Cõtrà uerò ubi paupertas, ibi plerũq; impatientia. Vt iterũ Dauid dicit: Dũ ſuperbit impius, incenditur pauper. Diuiti pietas deeſt, pauperi patiẽtia. Cæterũ Euãgelium iſtud cuiq; quod conueniens eſt tribuit, diuiti metũ, pauperi ſolatiũ. Diuiti pio nõ officiunt diuitię, ſed cõferunt. Pauperi patiẽti nihil obeſt paupertas, ſed utilis eſt. Quid autem diuitẽ melius in timore Dei continere poteſt, quàm cũ cogitat & uidet, quod Euangeliũ iſtud diuitẽ in inferno collocat? E diuerſo, quid pauperẽ in patientia retinere melius poteſt, q̃ cùm cogitat & uidet, ꝙ Euangeliũ hoc pauperem in ſinu Abrahę reponit? Neq; tamẽ ita accipiendũ eſt, quaſi Chriſtus propterea omnes diuites inferno addicat, & omnes pauperes in cœlo collocet. Nequaquam: diuitem ſua bona in infernum non deduxerunt, ſed abuſus, quin immiſericordia illius. Neque Lazarum paupertas ipſius in cœlum euexit, ſed fides eius & patientia. Etenim ſi omnes diuites cõdemnari deberent, multi ſancti è cœlo in infernum deturbandi eſſent. Si porrò omnes pauperes ſaluandi eſſent, multis quoque impiis hominibus cœlum pateret. Non: Chriſtus diſcretè loquitur, ut dixi, modum obſeruans. Diuites monet, pauperes conſolatur, &c. Idipſum quoque Dauid docet in alio Pſalmo, ueluti in alio ſermone oſtendi. Et hoc quidem præcipuum eſt, quod in iſto Euangelio eſt obſeruandum, nimirum ut ne temporalia bona, ſed Deum quæramus: nec offendamur, uidentes malorum proſperitatem, bonorum uerò calamitatem. Si quis uerò ſit, quem eiuſmodi admonitio Chriſti nõdum moueat, is Iohãnẽ addat in hodierna Epiſtola, ubi magno conatu dehortatur, ne diuitem hũc imitemur: imò ut nõ ſolùm ex temporalibus bonis nõ ſupbiamus, uerũ etiã charitatẽ, miſericordiã, & cõpatiẽtiã ꝑ eas declaremus. De⁹ charitas eſt (inquit Iohãnes) In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniã filiũ ſuũ unigenitũ miſit Deus in mũdũ, ut uiuamus per eũ, &c. Hæc hodierna fuit Epiſtola, cuius uerba tantum habent ponderis & authori-

Pſal. 72.

Pſal. 9.

Pſal. 48.

Diuitijs ut utendum.

1. Iohan. 4.

tatis, ut qui illa legit, & ad animum reuocat, haud ita immise ricors erit, quẽadmodum diues hic fuit. Quid ita? Sic Iohannes loquitur de charitate, ut quin hominẽ moueat, fieri non posit. Cõtrà, qui pauper hanc Epistolã legit, huius tẽporis felicitatẽ sibi non optabit, neq; grauabitur, etiãsi cum Lazaro omnẽ pati miseriã & ærumnas eum oporteat. Quãobrẽ? Videt in hac Epistola, bonum quemlibet pauperẽ multo habere plura quàm diuitem. Quod ut uerum esse intelligamus, Epistolã aliquantò fusius disquiremus. Et primò, quid Iohãnes diuitibus prędicet de charitate, & scribat uidebim⁹: Hanc summopere cõmendat eo uerbo, ubi ait: Deus charitas est. Ante hęc uerba dixerat Iohannes, charitatẽ ex Deo esse: nũc ait, charitatẽ ipsum Deum esse. & quibus prędicationis charitatẽ ornare magis potuisset? Prędicatur quidẽ charitas & aliis in locis, ídq; magnificè, ut cum Christus de peccatrice dicit: Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. Et quod ad discipulos suos dicit: Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eũ ueniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Et quod Petr⁹ ait: Charitas operit multitudinẽ peccatorũ. Et quod Paul⁹: Et si habuero omnẽ fidẽ, ita ut montes transferã, charitatẽ autẽ nõ habuero, nihil sum. Hoc certè est charitatẽ summè & magnificè cõmendare. Attamen longè maius est, quod Iohannes hic dicit: Primò charitatẽ ex Deo esse: secũdò Deũ ipsam esse charitatẽ. Duo hęc sunt certissima & infallibilia uerba. Principiò enim charitas ex Deo est. nã per spiritum Dei diffunditur in corda nostra. Secundò ex Deo est, siquidem sancta & diuina res est. Tertiò ex Deo est, quia prior ipse nos dilexit. Quartò ex Deo est, quoniã lege Moysi sublata, unicum charitatis pręceptũ renouauit & confirmauit. Nõ solum autẽ charitas ex Deo est, sed Deus ipsa charitas est, inquit Iohannes. Quod ita intelligamus licebit, ut de malo homine dici cõsueuit, eũ non modo malũ, sed malitiã ipsam: & de probo, cum nõ solum misericordẽ, sed ipsam misericordiã esse. Hunc in modum quoq; de Deo dicitur, eũ ueritatẽ esse, sapientiã ipsam, eò quòd talia excellentissimè & perfectissimè omnium in eo apparebant. Sic & Iohannes hoc loco dicit, Deum esse charitatẽ, eo quòd charitas incredibilẽ in modũ in ipso sese exeruit, quẽadmodum Iohãnes postea exemplis cõmonstrat: quanquã tamen sensus hic non undiquaq; satisfacit. Iohannes nõ solũ indicare uult, charitatem exube

Pauper diuite beatior.

Charitatis cõmendatio insignis.

Luc. 7.

Iohan. 14.

1. Pet. 4.

1. Cor. 13.

Vide quid sit fides sine charitate.

Rom. 5.

Iohan. 13.

Deus ut sit charitas.

exuberantißimam in Deo esse, sed Deum etiã essentialiter charitatẽ esse. Quid hinc cõsequetur? Primò, quòd qui charitatẽ non habet, Deum nõ nouerit. Deus enim charitas est. Secundò, quòd qui cõtra charitatẽ agit, agat contra Deum. Deus enim charitas est. Et quid terribilius esse posset, quàm cõtra Deum ipsum agere & delinquere? Quomodo itẽ nos Iohannes ad charitatẽ allicere magis posset, quàm quod dicit, charitatẽ esse ex Deo, & Deum ipsam charitatẽ? E diuerso, quomodo nos uehementius deterrere posset ab omni immisericordia, quàm uerbo illo, quod dicit: Qui non diligit, non nouit Deum, nõ est ex Deo, nec agit contra hominẽ, sed contra Deum ipsum. Infelix mũdus & filij Adæ, haud magnopere curant, si cõtra hominem peccent, nec sit à quo corripiantur. Iohãnes autẽ dicit, Deum charitatẽ esse. Super hoc quisq; suam exploret conscientiã. Si te fortẽ inuenis in charitate, tantò cor tuũ certius testimoniũ habet, te ex Deo esse. Sin debilẽ & frigidum te sentis in charitate, cõtrà uerò fortem in immisericordia, meritò ad ista Iohãnis uerba obstupescere potes. Bone Deus, quàm uerò penitus mund' hanc doctrinã ex oculis submouit! Quid charitate minus in nobis deprehenditur? Quídnam duritia, immisericordia, & infidelitate uulgarius? Omitto nunc multiplicia dissidia, inimicitias, inuidiam, odia, quę inter nos mutuò exercemus. Oseas querebatur suis tẽporibus, nullã in terris ueritatẽ amplius, nullã misericordiã relictã. Similiter faciebat & Isaias. atqui incõmodi istud nõ minus, imò decuplo plus est inter nos Christianos. At quę uitæ nostrę cõgruentia, cũ eo quod Iohãnes hic tã grauiter loquitur & docet? Enimuerò aut Iohãnes perperã docuit, aut à uia lõge nos deflexisse necesse est. Sed quomodo Iohãnes perperã docere potest, qui idem docet, quod Christus ipse docuit? Ipsi nos fallim': Prophetę nostri nos seducunt, qui nobis uiã tam leuẽ faciunt, perinde ac si nihil aliud ad Christianismũ pertineat, pręter nudã fidẽ. Talibus (inquã) hominibus acceptũ ferẽdum est, quòd charitatis, fidelitatis, & misericordię, inter nos Christianos tanta sit raritas. Quilibet enim cogitat: si in fide omnia posita sunt, quid opus est, ut me multũ defatigem? Iohannes uerò præter fidẽ etiã charitatem poscit, ad quam nos pellicit, dicens charitatem ex Deo esse, & Deum esse charitatem. Imò quò nos efficacius ad charitatẽ prouocaret, multis enumerat, quomodo & qua ratione nobis Deus charitatem exhibuo

Charitas quàm necessaria. *1. Reg. 2.*

Charitatis doctrina quàm explosa hodie.

Ose. 4. *Isa. 59.*

In solim fidei amentißimos prædicatores.

buerit. In hoc (inquit) apparuit charitas Dei in nobis, quoniā filium suū unigenitum misit. Hoc repetit Iohannes & iterat tertiò, sed tamen semper speciali cum additamento. Etenim primò, inquit: Deus misit filiū suum, ut per eum uiuamus. Secundò dicit: Deus misit filiū suum propitiationē pro peccatis nostris. Tertiò dicit: Deus misit filium suū saluatorē mundi. Horum omniū nō aliā reddit causam, q̄ charitatē. In hoc (inquit) apparuit charitas. Et iterum: In hoc est charitas, nó quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniā ipse prior dilexit nos. Nō ab re autē Iohannes ter repetiit, idq; semper cū peculiari additamento, quòd Deus ex charitate filium suū unigenitum nobis miserit ac dederit. Haud frustranea est repetitio: Nobis ad solatium id ita posuit. Nā si Deus filium suū propterea misit, ut per illum uiuamus, mortē profectò non est quod pertimescamus. Si Deus filium suum misit propitiationē pro peccatis nostris, nō est nobis desperandū ob peccata nostra. Si deniq; filium suū Saluatorē misit, nō est quod interitum uereamur. Proinde Iohānes hoc exēplo Dei patris, nos ad charitatē extimulat & hortatur: quinimò opere isto & exemplo demōstrat, charitatem ex Deo esse, & ipsum esse Deum, perinde ac si dicat: Quod modò dixi, Deum esse charitatem, non nuda sunt uerba, sed ipsa res est & ueritas. Vnigenitus filius Dei in humana natura, quin etiam in crucē traditus, palam id contestatur. Imò nullum certius argumentum charitatis Dei habere possumus. Israēlitę pro certo ducebant indicio charitatis Dei & exauditę orationis, cùm illis mitteret Moysen. Quod ipsum & Dauid magnificis uerbis prędicat, adhortās eos propterea ad laudem Dei & gratitudinem. Quàm multò sumus certiores de charitate Dei, dum nobis etiam filium suum misit, & non simpliciter misit, sed dedit: quin etiam ꝑ nobis omnibus dedit, ut Paulus ait. Nec quēlibet filium, sed unigenitū suum filium. Et quis hoc fecit? Deus. imò Deus qui nostri non egebat, & qui nos potuisset pœna afficere & condēnare. Ad quid filiū suū misit ac dedit? Nō ut iudicaret mundū, puniret & cōdemnaret, quēadmodum olim duo angeli mittebantur ad perdendā Sodomam, & unus mittebatur ad delēda castra Sennacherib. Nō ita Deus misit filium suum, sed ut esset uita nostra, propitiatio nostra, & seruator. Sed magnis id impendiis factum est: siquidem mori eum oportuit, quò uita, recōciliatio & redēptio ad nos peruenire posset. Eius enim liuore sanati sum⁹.

Exod. 4. *Psal. 104.* *Iohan. 3.* *Rom. 8.* *Iohan. 3.* *Gen. 16.* *4. Reg. 19.* *1. Pet. 2.*

Ex his

Ex his omnibus liquet, quantopere Iohannes charitatem Dei commendet. Nam si exhibitio operis uera est probatio charitatis, ut Gregorius dicit, summę indubie argumentum est charitatis, quòd Deus filium suum dedit, & ita dedit, ueluti indicatum est. Et quid Iohannes ex hoc concludit? Charissimi (inquit) si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Hoc uult Iohannes: hoc propriè ad hodiernum pertinet Euangelium, hæc pars diuiti deest. Non satis est nos considerare, quomodo Deus suam erga nos charitatem declarauerit, nos ipsos charitatem quoque exhibere oportet: non solum sciendum, quid nobis Deus ex charitate fecerit, sed ipso præstandum opere est. Nam si Deus, qui nullius eget, nos miseras adeóq; indignas & ingratas creaturas sic dilexit, ut nobis non solùm creaturas suas & dona, uerumetiam seipsum, & filium suum dederit, & in mortem dederit, certè nullus nobis relinquetur prætextus, nisi fratres nostros & conchristianos dilexerimus. Nec proderit quicquam, quòd quis uelit dicere, Quid hic uel ille ad me attinet? Homo ille de me meritus non est, ut ei benefaciam: quid illo opus habeo? nullam illi benefaciendi causam habeo, sed causam magis malefaciendi. Si illi succurrero, nimio mihi constabit, magnus impendendus labor, &c. Omnes hæ tergiuersationes haud proderunt tibi, quemadmodum nec diuiti profuerunt, qui proculdubio talibus quoque cogitationibus sibi ipsi blanditus fuit. Iohannes dicit, Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrũ diligere. Hæc charitas Dei & Christi, omnem nobis aufert excusationem. Nam si Deus suam nobis charitatem in tanto opere exhibuit, quo aliud maius esse non potuit, & nos mutuis charitatis officiis prosequi debemus. Quapropter si esse Christianus uis, si ab infernali flamma, in qua immisericors diues cruciatur, tutus & liber esse uelis, itidem tu fac, quemadmodum tibi fecit Deus, qui illo longè es inferior. Exhibe fratri tuo, quo ipse etiam indiges, imò quod tibi Deus exhibuit, qui tui non eget. Da & dabitur tibi: adiuua, & adiuuaberis: esto misericors, & misericordiam consequeris. Eadem quippe mensura, qua mensus fueris, tibi remetietur, ut in hoc diuite uides, qui Lazaro ne micas quidem patiebatur contingere, unde nec ipse in sua pœna guttulam aquæ impetrare potuit. Deus nos sua dignetur gratia, Amen.

Gregorius.

1. Iohan. 4.

Charitatem Dei opere imitari debemus.

Proximus necessario diligendus.

Luc. 6.

Matth. 5.

Luc. 6.

OCTAVVS SERMO ITIDEM de Euangelio & Epistola.



CIRCA hodiernum Euangeliũ, siue historia, id est, eiusmodi quippiá, quod re uera gestum sit, siue parabola ea sit, bonus bona multa cõsiderare potest. Siquidẽ quædam fidei nostræ capita ex eo demonstrari possunt haudquaquam cõtẽnẽda. Vtpote primò, post hãc uitã aliã esse uitã. Secũdò, certã mercedẽ cũ bonis tum malis repositũ iri, sed ualde disparẽ. Tertiò, in inferno neq; redẽptionẽ neq; misericordiã sperãdã. Quartò, fidẽ absq; bonis operibus non sufficere ad salutẽ: imò nõ esse uerã eã fidẽ, quæ per opera charitatis sese nõ profert. Quintò, mercedẽ in futuro seculo nõ pro cuiusq; fidei magnitudine aut paruitate, sed pro rectè aut malè factorũ ratione repositum iri. Sextò, defunctos etiã affectu erga nos tãgi, q in terris adhuc degimus. Septimò, in omnibus hisce rebus uel probandis uel dãnandis, certiorẽ regulã & amussim inueniri nõ posse, quàm sacrã scripturã. Hæc & id genus alia plura, ex hoc Euangelio cõuinci possent, ut certè bono Christiano multa circa illud cõsiderãda sint. Attamẽ si ea inspiciamus, quæ in Luca paulò ante istud Euãgeliũ præcedũt & scripta sunt, cõperimus, Christũ hũc sermonẽ potissimũ cõtra auaros instituisse. Sic enim paulò suprà dicit, Nõ potestis Deo seruire & mãmonæ. Statim subiicit Lucas hæc uerba: Audiebant omnia hæc Pharisæi, q erãt auari: & deridebãt illũ. Quapropter etiã terribilẽ hãc historiã aut similitudinẽ audire cogebãtur. Idẽ uerò nobis quoq; dictũ est. Etenim in hac parabola ob oculos nobis positũ est, quẽ in usum Deus nobis diuitias & facultates huius mũdi largiatur, nimirũ ut pauperibus p eas opitulemur, & minimè propterea, ut eas inhonestè profundamus, ad superbiam tantũ, fastũ, & uoluptatẽ iis utamur, aut alioqui auarè reponamus. Quinimò parabola ista maximè dicta est & scripta, cõtra duritiã & immisericordiã eorũ, q Deũ agnoscũt, de Deo & fide sese iactitãt, inter populum Dei uiuũt, & omniũ Dei bonorũ affluẽtiã habẽt, nec tamẽ pauperũ cõfratrũ suorũ & proximorũ, quorũ illis miseria & necessitas nota & perspecta est, nec in minimo subleuãt calamitatẽ. Talibus (inquã) hominib' Christus hoc exẽplũ & speculũ ob oculos posuit, ad quod expauescere meritò debeant.

Fides sine operibus, uera nõ est.

Merces pro factis reddenda à Deo.

Luc. 16.

Fidei iactatores.

beant. Eo enim exemplo illis annũciare, minari, & certò indicare uoluit, hanc illorũ duritiã ipsis nihil allaturam aliud, quàm certam condemnationẽ, nunquã finiendã pœnã, & æternã iram Dei. Quem uerò tam triste exemplum nõ terreat? Leo rugiet, inquit Amos, quis non timebit? Loquitur quidem Christus hîc nõ nisi de uno diuite, idq; in singulari. Alibi autẽ in plurali loquitur & de multis. Væ uobis diuitibus (inquit) q̃a habetis cõsolationẽ uestrã. Et in Matthæo, Diues difficilè intrabit in regnũ cœlorũ. Optimè igitur ordinatũ, quòd Euãgelio huic tam seuero, seuera quoq; adiũcta est Epistola, quò miseros fratres nostros, uicinos, conchristianos & proximos mitius tractemus, quàm diues hic. Charissimi (inq̃t Iohãnes) Deus est charitas, &c. Habet hæc Epistola opus diligẽti cõsideratione, ut quæ nõ nisi serius atq; insigni cũ grauitate cõiũctis cõstet uerbis. Tum quoq; Iohãnes q̃ eã scripsit, fide satis dign⁹ est, ut q̃ tenerè à Christo adamatus fuit, quiq; in cœna recũbebat sup pectus Domini. Hic Iohannes (inquam) est, qui tãtopere charitatẽ urget, nõ minus strenuè, quàm in suo Euãgelio uerã fidẽ. Sũt nostra ætate, quib⁹ Epistola S. Iacobi tãquã supposititia reprobatur, eò quòd etiã operibus nostris aliquid tribuat, dũ dicit, fidẽ sine operib⁹ mortuã esse, idq; probat ex eo quòd Abraham nõ solùm ex fide, sed etiã ex bonis operibus placuerit Deo. Quid autẽ hi homines de Iohãne dicẽt, qui in hac tota Epistola nihil facit aliud, quàm quòd commendat charitatẽ & omnes homines ad eã uocat, hortatur & urget? Primò nãque, nónne magnificè de charitate dictum est, q̃ bis ait, Deus est charitas? Secundò, nónne hoc humaniter & tamẽ seuerè ad charitatẽ inuitare est, quòd nõ semel, sed tertiò dicit, Deum ex charitate filiũ suum unigenitũ misisse ac dedisse, ut uita nostra, ꝓpitiatio nostra & seruator esset? Attamen Iohãnes his nõ cõtentus, tres insignes & magnas res prætérea cõmemorat. Principiò charitatem Dei & proximi cõiungit. Deinde ostẽdit hæc duo nobis præcepta esse. Postremò quoque indicat multiplicẽ utilitatẽ, quam charitas nobis affert. omnia in eum finẽ, quò nos citius ad charitatem adducat, & lõgius abducat à duritia & immisericordia, quam in hoc diuite conspicimus. De his tribus plura audiamus. Primò cõiungit Iohannes & copulat charitatẽ Dei & proximi: loquitur primò de charitate Dei, sed mox etiam de charitate proximi seriò agit. Diligamus Deum, inquit,

Amos. 3.
Luc. 6.
Matth. 19.
Iohan. 13.
Iohan. 13.
Iacob. 2.
Gen. 22.
Charitatem quantopere urgeat Iohan.

quoniam Deus prior dilexit nos. Hoc uerbo complectitur quicquid de charitate Dei locutus est. Diligamus Deum, inquit, hoc uolo, hoc quæro, hæc mẽs mea est. Charitas Christianum decet, & ornat omniũ maximè: charitas uirtus est, quæ Deo potissimũ placet. Charitas est uestis nuptialis ad mensam diuini cõuiuij pertinẽs: charitas oleũ est, quo lampades nostræ fouentur usq; ad aduẽtũ sponsi: charitas unicũ opus est, iuxta quod omnes homines in extremo die iudicabuntur. quapropter diligamus. Obserua autẽ quòd Iohannes inter omnia, quæ amari possunt & debent, Deũ primò ponit, & meritò quidem. Nõ enim solùm natura bonus est, sed etiã summũ bonũ. Ad hæc (inqt Iohãnes) prior nos dilexit: hac re oleũ igni infundit, charitatẽ nostrã per id excitans & incẽdens: siquidẽ nõ est res alia efficacior ad accendẽdũ in nobis ignẽ charitatis, quàm diligẽs & assidua meditatio diuini erga nos amoris. Sed satisne est nos amare Deũ? sufficeret sanè, atq; adeò sufficit, si charitas uera & germana sit. Qui enim diligit Deũ, mãdata eius seruat. Sed hypocrisis quædã sub ea nõ rarò latere solet, dum aliqui sibi ipsi persuadent se diligere Deũ, eò quòd uerbũ Dei audiũt, & cum aliis Deũ laudant, externũ Dei cultũ promouẽt, aut aliud quippiã externũ in honorẽ Dei faciũt, cùm tamẽ interea nihilo sint meliores & probiores, & præterea aduersus proximũ modis omnibus iniquissimi sint & durissimi. Cõtra hos Iohãnes apertè pronuntiat: Si quis dixerit, quoniam diligo Deũ, & fratrẽ suũ oderit, mẽdax est. Hic uides, quàm Iohãnes hypocrisim non ferat: quinimò non uult, ut charitatem Dei, uerbis tantum prædicemus, sed etiã operibus cõtestemur. Nã ut fidẽ charitate Dei probari & agnosci oportet, ita & charitas Dei probãda est charitate proximi. Ideò statim subiicit: Qui non diligit fratrem suum quẽ uidet, Deum quẽ nõ uidet quomodo potest diligere? Verissimum est: nam si te nõ mouet quod uides, nũquam mouebit te, quod uidere non potes. Eundẽ quoq; in modũ dicit Iohãnes alio in loco: Qui habuerit substantiã mũdi, & uiderit fratrẽ suũ necesse habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Hunc in modum Iohannes charitatem Dei & proximi connectit: mox subiicit, utraq; nobis præcepta esse, ne quis putet, in suo positũ esse arbitrio, nũ proximũ suũ diligere uelit nécne. Hoc mãdatũ, inquit, habem' à Deo: ut q diligit Deũ, diligat & fratrẽ suũ.

Charitas præcipua uirtus et ornamentum Christiani, & uestis nuptialis

Matth. 22.

Matth. 25.

Ibidem.

Charitas sola sufficit ad salutem.

Iohan. 14.

1. Iohan. 4.

Ibidem.

1. Iohan. 3.

Hoc

Hoc uerbo nos ad id remittit, quod Christus dicit in Matthæo ad Pharisæos, Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo,& in tota anima tua,& in tota mente tua,& proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mãdatis uniuersa lex pendet & prophetæ. Imò hoc uerbũ Iohãnis optimè etiã cũ eo quadrat, quod Salomon in fine sui Ecclesiastę dicit,Deũ time,& mãdata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Iohãnes omnia quidẽ ad charitatẽ refert, Salomon autẽ ad timorẽ Dei. Nec tamen inter se pugnãt:nõ enim Salomon de seruili, sed de filiali loquitur timore, q charitatẽ nõ excludit,sed illã semper sociã habet & habere uult,quando etiã Deus ipse promisit, se timorẽ illũ per spiritũ suũ infusurum in corda credentiũ. Quisquis enim Deũ uerè diligit,is indubiè etiã illũ timet & colit tanquam patrẽ. Audis itaq; charitatẽ Dei & proximi nobis pręceptã. Audire porrò cupis,quam nobis charitas utilitatẽ adferat? Hoc Iohannes multis indicat. Si diligamus inuicẽ(inquit)Deus in nobis manet. Idipsum postea repetit: Qui manet in charitate (inquit)in Deo manet,& Deus in eo. Omnia hæc nobis ad solatiũ & admonitionẽ dicta sunt. Atq; hìc uides,quãtus thesaurus quãtúmq; bonũ sit charitas,quę nos cũ Deo,& Deũ nobiscũ iũgit & cõglutinat. Quis ergo beatior & ditior homine charitatẽ habente? Is enim in Deo manet,& Deum in seipso habet. Vtrobiq; autẽ loci ad hominẽ omne,imò maximum emolumẽtũ redit. Nã nostri Deus nõ eget: dat nobis,nos illi dare nil possumus. Ei nihil accedit,si maneamus in ipso:nec decedit aliquid,etiãsi nõ manem' in illo. Vtrobique utilitas ad nos spectat,siue ipse in nobis, siue nos in ipso maneamus. Etenim per illius præsentiã & inhabitationem purificamur,cõsolamur,cõfortamur,cõseruamúrque. Huc pertinet quod Dauid dicit, Dixi Domino, Deus meus es tu,quoniam bonorũ meorum non eges. Ad hæc omnia inseruit nobis charitas. Si diligamus inuicẽ (inquit Iohannes)Deus in nobis manet,& nos in eo. Hinc apparet,quantopere charitas Deo placeat, quandoquidẽ esse ipse uelit, ubi charitas est. Huc seruit etiã quod in Matthæo dicit, Vbi sunt duo uel tres cõgregati in nomine meo,ibi sum in medio eorum. Et,Si duo cõsenserint super terram, de omni re quancunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Si itaque charitas res Deo tam accepta est,facilè exinde colligere est,quàm eos abominetur,q non solùm charitatẽ nullam

Matth.22. *Eccle.12.* *Ad charitatẽ omnia referẽda.* *Ezech.36.* *Vtilitas multiplex charitatis.* *Psal.15.* *Charitas quã sit grata Deo.* *Matth.18.* *Ibidem.*

In hæreticos & schismaticos. nullam erga aliquem declarāt, sed etiā omnem charitatem unitatemq; inter credētes dirimūt. Enimuerò Deus (ut Paulus ait) non est Deus dissensionis, sed Deus pacis. Facilè ex hoc animaduerti potest, quā illi seipsos turpiter fallant, qui se solos ueros Christianos & Euāgelicos profitentur, eò quod suo iudicio in Christum credūt, cùm interim non minus duri & immisericordes sint erga pauperē, quàm diues hic fuit: & præterea quoq; omnia sua cōsilia & cogitationes eò referant, ut Christianā concordiam scindant, omnibus uiribus prohibentes, ne Ecclesia ad aliquam concordiā redigatur. Sed hæc missa facio. Nos ex Iohāne audiemus, discemusq;, ad quid charitas nobis conducat. Si diligamus inuicem (inquit) Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est, id quod perinde est, acsi dicamus: Tum certi sumus, quòd nos Deus diligit, si nos mutuò diligamus. Et rursum ex utilitatibus & fructibus hic unus est, quos charitas nobis adfert, quòd de charitate nos certos reddit. Et quid maius optare possumus, quàm quòd certi sumus, nos à Deo amari? Hoc aūt nobis affert charitas. Si diligamus inuicē (inquit Iohannes) Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. Et quid amplius? In hoc (pergit dicere) perfecta est charitas nobiscū, ut fiduciā habeamus in die iudicij. Rursum hic unus fructus est & utilitas, quā nobis generat charitas, ea, inquā, charitas, quæ ex fide proficiscitur, & cum fide cōiūcta est: aut (ut Paulus dicit) per quam fides operatur. Vult enim Iohannes, ut fides & charitas coniunctæ sint: & his duabus simul & non diuisis, transcribit summā Christianæ religionis & doctrinæ. In suo Euangelio quidem ita loquitur de fide, tāquam omnia in fide sola posita sint: in hac Epistola sic loquitur, quasi in charitate omnia sita sint: attamen quemadmodū in Euangelio suo charitatē non excludit à fide: ita nec in sua Epistola fidem excludit à charitate. Vbi de fide loquitur, eam tantùm fidem intelligit, quæ per charitatē operatur. Atq; hęc sola uera & uiua fides est: porrò ubi de charitate loquitur, eā intelligit charitatē, quæ suā radicē & originē ex fide habet. Eapropter Iohannes cōmēdat nunc fidem, nunc charitatem, & tamen semper neutrum sine altero intelligit. Sic quòd hîc charitati tribuit securā fiduciam in die iudicij, non ita accipiendū est, tanquam sola charitas absq; fide in Christū, id posit. Nā qui nobis opera nostra per se ipsa talē securitatē libertatemq; dare possint, nisi

1. Cor. 14.

In Euangelicos nostros.

Gal. 5.

Fides cum charitate semper iungenda.

Vera fides quæ sit.

1. Iohan. 4.

nisi fides in Christū præcederet? At ubi fides & charitas cõiunctæ sunt, ibi sine cõtrouersia, hominis cõscientia & animus habet perfectā libertatē, pacem & securitatem: nec ullus põt ibi metus aut desperatio locū habere. Hoc uult Iohannes cùm inquit: Charitatē (intellige quæ ex fide proficiscitur, & cum fide cõiuncta est) facere & dare nobis fiduciā in die iudicij, nec in tali charitate ullum esse metū aut desperationē. Nam si quid adhuc metus aut dubij adesset, argumentum præberet, charitatē perfectam non esse, ut esse debebat. Vera enim charitas foras mittit timorē, secura & intrepida corā iudicio Dei cõparere potest. Ex his omnibus liquet, q̄d nobis charitas utilitatis adferat. Quis igitur beatior, quàm is qui charitatē habet & exercet? Talis enim homo Deum in se habet: scit se Deo charū esse, & est securus coram iudicio Dei. Contrà, quid infœlicius & miserabilius homine charitatē non habente? Enimuerò apud talē Deus non est: quin talis extra Dei gratiam est, nec coram iudicio Dei subsistere potest, uti hæc omnia apparent in diuite, quē nobis hodiernū depingit Euangelium. Agedum igitur charitatem apprehendamus, inuicem diligamus, opera charitatis & misericordiæ nobis mutuò exhibeamus: tum securi erimus, ne in gehennam cum hoc diuite proiiciamur. Deus nobis omnibus suam det gratiam, Amen.

Charitas præstat fiduciam.

DOMINICA TERTIA
POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM
LVC. XIIII.

HOmo quidā apparauerat cœnam magnā, & uocauit multos, misitque seruū suum hora cœnæ, ut diceret inuitatis: Venite, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse est mihi exire, & uidere illam, rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo ad probandum illa, rogo te, ha

Matth. 20.

te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non poſſum uenire. Ac reuerſus ſeruus, renũtiauit hæc domino ſuo. Tũc iratus paterfamiliâs, dixit ſeruo ſuo: Exi citò ĩ plateas & uicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, claudósque & cæcos introduc huc. Et ait ſeruus: Domine, factum eſt ut imperaſti, adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo: Exi in uias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico enim uobis, quòd nemo uirorum illorum qui uocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

EADEM DOMINICA EPISTOLA S. IOHAN. APOST. I. CAP. IIII.

NE miremini fratres mei, ſi odit uos mundus. Nos ſcimus, quòd translati ſumus de morte ad uitam, quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. 1. Iohan. 3. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis quòd omnis homicida non habet uitam æternam in ſe manentem. Per hòc cognouimus charitatem, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui uerò habuerit ſubſtantiam mundi, & uiderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, ne diligamus uerbo, neque lingua, ſed opere & ueritate.*

PRIMVS SERMO QVATVOR *ex hodierno Euãgelio & Epiſtola indicat, quæ nos in uia impediunt uerſus cœlum.*

HODIER



HODIERNVM istud Euangelium rursum quiddam peculiare habet, quod Christianum hominẽ in sua peregrinatione considerare oportet. Proximè elapsa Dominica monebamur per Euãgeliũ, quippe cùm sint duæ uiæ in mundo, quarũ altera ad interitum, altera ad uitam ducit, ut angustã & duram crucis uiã eligeremus, ut quæ certò nos ad uitã ducit, licet non admodũ bene trita: & ut latam & amœnã uiam uitaremus, ut quæ certò nos ad interitũ ducit, licet maior pars hominũ ea ingrediatur. Nõ enim q cũ multis pit, min⁹ perit, q̃ si solus pereat. Hodie uerò p illud Euãgelium monemur, posteaquã ueram ingressi sumus uiam, ne quid nos impediat, teneat, aut retrahat. Verè necessaria admonitio iter facturo. Nam etsi hic in uera sit uia, nunquã tamen aut sero admodũ ad quẽ destinauit locũ, perueniet, si sit aliis rebus occupatus, iisq; detineatur. Itidẽ nobiscum fit nisi diligenter caueamus. Tria in hoc Euangelio cõmemorata sunt, quæ nos facilè ab instituto itinere uersus cœlum, impedire & remorari possunt, si animum illis nimium intendamus. Sunt diuitiæ seu tẽporalia bona, mũdanus honor, & carnalis uoluptas. Hæc sunt tria impedimenta, tres unci, & tres laquei, quibus maior Christianorum pars non solùm impediuntur detinenturq;, uerũetiam quandoq; penitus retrahuntur: atque ita, ut aliud nihil cogitent, obliti se Christianos esse, & pretioso sanguine Christi redemptos, & ad æternã cœnã inuitatos. Idq; nõ opus habet multa demõstratione. Quòd diuitiæ & tẽporalia bona cõplures homines à fœlicitate remorẽtur, uidemus in adolescente, de quo Matthæus & Marcus scribũt, quòd uenerit ad Christũ, interrogans de uia, quæ illũ ad cœlũ & æternã uitã duceret: uerũ cùm audiret quòd Christus dicebat: Vade, quæcunque habes uende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ueni, sequere me, abiit mœrens. habebat enim multas possessiones, inquiũt Euãgelistæ. Vide, hic in bona & recta erat uia, sed tẽporalia bona non solùm eum remorabãtur, sed penitus retrahebãt, ut Christus nõ ab re statim subiecerit, magis possibile esse, camelũ p foramẽ acus transire, quã diuitẽ intrare in regnũ Dei. Sic & Christus dicit de mundi honore: Quomodo uos potestis credere, qui gloriã ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? En, hi mũdanis honoribus præpediebãtur. Quomodo autẽ

Via duplex. Matth. 7.

Tria nostrum iter ad cœlum impedientia.

Diuitiæ ut plerosq; distineat.

Matth. 19. Marc. 10.

Iohan. 5.

etiam carnalis uoluptas hominē à uera uia abstrahat & abducat, describit Salomon pulchrè sub exēplo procacis fœminæ. His tribus uncis qui fuerit irretitus, nō facilè extricabit sese. triplex enim funiculus (inquit Salomon) non facilè rūpitur. Quid igitur Christianus peregrinus faciet, si illi hæc tria impedimēta, unci, & laquei in uia occurrant? Ait Christus: Dico uobis, ꝙ nemo uirorū illorū, q uocati sunt, gustabit cœnā meā. Quapropter si te tēporalia bona, mūdan⁹ honor, aut carnalis uoluptas à fœlicitate tua remoratur, dic: satius est his reb⁹ carere, quàm ab æterna Dei cœna excludi. Quid enim prodest homini, si mundū uniuersum lucretur, animæ uerò suæ detrimentū patiatur? Atq; ita, si uno uerbo summā huius Euāgelij indicare deberē, nihil aliud est, quàm quod Iohānes omnibus Christianis acclamat: Nolite diligere mundū, neq; ea q̄ in mūdo sunt: quoniā mundus transit & cōcupiscentia eius: imò omne quod est in mundo, cōcupiscentia carnis est, & cōcupiscentia oculorū, & superbia uitæ. Sed obserua, præter hæc tria impedimenta, uncos & laqueos, aliud quiddā etiam esse, quod multis in uia felicitatis obstaculo est, eosq; quandoq; prorsus repellit. Est odiū, infidelitas, ꝑsecutio mūdi. Cōplures enim sunt, quos neq; diuitiæ, neq; honores, neq; uoluptas impediat, sed hoc eos pusillanimes facit, quādo in uia salutis procedūt, ꝙ odia, ludibria, & ꝑsecutiones sustinere cogātur: imò ꝙ oēs suos amicos amittant, & quotidie nouos sibi aduersarios faciant. Quid igitur Christianus peregrinus hac in re faciet? Diligēter audiet & obseruabit, quod Iohānes in ipso statim principio hodiernæ Epistolæ dicit ac monet: Nolite mirari fratres, si odit uos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad uitā, quoniam diligimus fratres. Hoc uerbo docet Iohannes, qūo se Christianus peregrinus gerere debeat, cùm illū mundi odiū & persecutio impedire conatur. Primò dicit, ne miremur, si odit nos mūdus. perinde acsi dicat: Non modò incipit hoc facere: fecit id iam inde ab initio Eius rei statim subiūgit exemplū de Abel, qui à germano suo fratre tutus nō erat, à quo nō tantùm odio habebatur, sed etiā interficiebatur non aliam ob causam, quàm ꝙ Abelis opus seu sacrificium bonum erat & Deo acceptum, Caini uerò malum, nec Deo placebat. Respiciebat enim De⁹ ad munera Abel, & nō ad Caini. Hinc aūt Cain causam accipiebat, fratrē suum Abel occidendi. Ne itaq; infirmi, ob eiusmo

Marginalia: *Prou. 7.* — *Eccle. 4.* — *Luc. 14.* — *Matth. 16.* — *1. Iohan. 2.* — *Mundi odium & persecutio ut multis obstaculo sit.* — *1. Iohan. 3.* — *Gen. 4.* — *Abel curà Cain peremptus.* — *Ibidem.*

eiuſmodi exẽpla animo frangãtur in ſuo itinere, hanc Iohãnes facit exhortationẽ. Nã alioqui ſi boni aduerſa fortuna premi, mali uerò ſæpenumero proſpero rerũ ſucceſſu uti cõſpiciuntur in terris, exiſtimant filij mundi, fruſtrà Deo ſeruiri: aiunt, quẽadmodũ in libello Iob ſcriptum habetur: Quis eſt Omnipotẽs, ut ſeruiamus ei? & quid nobis prodeſt, ſi orauerimus illũ? Huic ſcãdalo Iohãnes obuiat, ubi inquit: Ne miremur, ſi nos odit mundus. Haud enim naturã facilè mutauerit: qualis ab initio erga bonos fuit, talis in finẽ uſq; manebit. Quapropter ob mundi infidelitatẽ & perſecutionẽ, à bono deſiſtere nequaquam debemus, ſed tanto animoſius progredi in uia uerſus cœlũ, quãtò uidemus nobis nihil noui aut inſoliti accidere, ſed idipſum quod omnibus bonis Dei filijs ſemper accidit, ueluti Paulus multis exẽplis probat & demonſtrat in Epiſtola ad Hebræos. Et poſtremò ſubdit: Ideóq; & nos tantã habentes impoſitã nubem teſtium, deponentes omne pondus & circunſtans nos peccatum, per patientiã curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpiciẽtes in authorẽ fidei & conſummatorẽ Ieſum, &c. Hunc in modũ Chriſtus quoq; ipſe ſuos Apoſtolos cõſolatur: Si mũdus uos odit (inquit) ſcitote quia me priorẽ uobis odio habuit. Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si patremfamiliás Beelzebub uocauerũt, quantò magis domeſticos eius? Hũc ipſum in modũ conſolabatur olim quoq; Mathathias filios ſuos, cõtra tyrannidem Antiochi. O filij, inquit, æmulatores eſtote legis, & date animas ueſtras ꝓ teſtamẽto patrum ueſtrorum, & mementote operũ patrũ, quę fecerunt in generationibus ſuis. Abrahã nónne in tentatione inuentus eſt fidelis? Ioſeph in tẽpore anguſtiæ ſuæ cuſtodiuit mandatũ, & factus eſt dominus Aegypti, &c. Sic & Iudith ad ſuũ populum: Memores ſitis, quomodo pater noſter Abrahã tentatus eſt, & per multas tribulationes ꝓbatus, Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & oẽs qui placuerunt Deo, ꝑ multas tribulationes tranſierunt fideles. Sed attẽde in uerbis Iohãnis initio hodierni Euãgelij q̃ ingẽs faciat diſcrimẽ inter mũdũ & ueros Chriſtianos: quin cõfert ea tanquã duo cõtraria. Quoniã omne quod eſt in mundo, cõcupiſcẽtia oculorũ, cõcupiſcentia carnis, & ſuperbia uitæ eſt. Contrà uerò regnũ Dei, iuſtitia, pax & gaudiũ ſunt in ſpiritu ſancto: & fructus eorũ, qui in luce uiuunt, iuſtitia, ueritas & ſanctitas. Sed hęc quomodo cõſentire poſſunt cũ eo quod mũdus ha

Mala. 3. *Iob 21.* *Heb. 12.* *Matth. 10.* *1. Mach. 2.* *Gen. 22.* *Gen. 41.* *Iudith 8.* *1. Iohan. 2.* *Rom. 14.* *Ephe. 5.*

bet & magni facit? Aut quomodo is se Christianum appella bit, qui adhuc corde suo & cupiditatibus mundo addictus est? Enimuerò Christus Apostolis suis prædixit, eos pressurã
Iohan.16. habituros: tum etiã in Matthęo apertè dixit, neminẽ duob᷒
Matth.16. dominis seruire posse. Vnde & diuus Iacobus ait, amicitiam
Iacob. 4. huius mũdi, esse inimicã Dei. Agè, bonum Christianũ moue
Mũd᷒ ut Deũ & seipsum odit. re nõ debet in instituto itinere ac peregrinatione, si illũ mũ dus propterea oderit: imò nec mirari debet. nunquã enim mundus aliter fecit. Porrò mali non solùm bonos oderunt, sed etiã Deum à quo omnia bona acceperunt: quin se ipsos oderunt, etenim qui diligit iniquitatem, odit animam suam,
Psal.10. inquit Dauid. Quia ergo mundus oẽs eos, qui illi rectè con sulunt, & Deum ipsum, imò etiã suã ipsius animam odit: no lite mirari (inquit Iohannes ad oẽs uerè Christiaños) si uos odit, qui illi usquequaq; dissimiles estis. si sciret melius, mé lius faceret: imò quãtũcunq; uos odit, & persequitur, uobis
1.Iohan.4. tamen dãnum inferre non potest. Nos scimus (pergit Iohã nes dicere) quoniã translati sumus de morte ad uitã. Hoc alterum solatiũ est, quod nobis Iohannes in nostra peregri natione dat cõtra odiũ, infidelitatẽ, & persecutionẽ mundi. Et hic aduerte, quòd nõ dicit: Nos credimus, aut speramus: sed, Scimus. Nec dicit: Scimus quoniã transferemur de mor te ad uitã: sed, Scimus quoniam translati sumus de morte ad uitã. Hęc omnia dicta & scripta eò sunt, ut nequaquã dubitã dum sit. Ita enim certa sunt promissa Dei, perinde ac si iam
Iohan. 5. impleta sint. Eundem in modum quo Iohannes hic facit, lo quitur Christus ipse in Iohanne: Qui credit in me, inquit, in iudicium non uenit: sed transiit à morte in uitam. non dicit, transibit: sed, transiit. Sic loquitur & Paulus in præterito:
Ephe.2. Deus qui diues est in misericordia, conresuscitauit nos cum Christo, & consedere fecit in cœlestib᷒ in illo. Et iterum: Nõ
Tit.3. ex operibus iustitiæ quę fecimus nos, sed secundum suã mi sericordiam saluos nos fecit. Nõ dicit, Faciet: sed, saluos nos fecit. Nam ut arbores in hyeme mortuæ uidentur, eò quòd neque folia, neque flores, neque fructus in illis apparent, cùm tamen ea omnia occultè in se habeãt, ut in ęstate uide-
Luc. 18. re licet: ita regnum Dei etiam nũc in nobis est, sed clàm suo tempore in nobis manifestandum, ueluti Paulus dicit: Mor-
Col.3. tui estis, & uita uestra est abscondita cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit, uita uestra: tunc & uos apparebi tis cum ipso in gloria. Hanc ob causam loquitur & Iohãnes
hic

hic in preterito: dicit nos iam translatos de morte ad uitam.

Si itaq; etiam nunc uitam & regnum Dei, imò Deũ ipsum in nobis habeamus, quid mũdi odium nobis obesse potest? Nos scimus (inquit Iohannes) quoniam translati sumus de morte ad uitam. Et quid Christianum hominem terrere pos set, contristare, aut à bono remorari, qui hoc unicum uerbũ ad animum reuocaret? Quid aliud Sanctos Apostolos, Martyres, aliósq; Sanctos, tam patientes & constantes fecit in uia peregrinationis, quàm quòd cum S. Iohanne dicere poterant, Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad uitam? Hunc in modum loquitur & diuus Paulus: Certus sum, quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei. Et rursum: Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem, &c. Item: In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Et iterum: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis, &c. His & id genus aliis uerbis Sancti nostri Apostoli & Martyres corda sua confirmarunt, confortarúntque contra omne odium, infidelitatem & persecutionem mundi. Nec aliud quicquam est quod nos tam pauidos & exanimatos reddit, quàm quòd non cogitamus, quanta bona nos per fidem uiuam in Christum accipimus, & non solum certa spe expectamus, sed iam possidemus, habemúsque.

Rom. 8. *2. Tim. 1.* *2. Tim. 4.* *2. Cor. 5.* *Pusillanimitas unde.*

Hoc pacto ex hodierno Euangelio & Epistola breuiter, sed tamen clarè indicauimus, quid nos in uia felicitatis remorari posit aut retrahere, & quomodo ei occurrendum sit. Auaritia, superbia, & uoluptas infestant nos à dextra. Eã retundi melius non possunt, quàm si consideremus, sententiam esse latam, quisquis temporalis alicuius commodi gratia Dei gratiam respuit & contemnit, eius in futuro seculo nunquam illum participem atque capacem fore. A læua nos impugnat mundi odiũ. Ei autem occurri melius nõ potest, q̃ si cogitemus, mundũ quantúcunq; furiat & extrinsecus noceat, nõ tamẽ posse cũ omni suo odio nobis adimere, quod nobis Deus p Christũ dedit ac ꝓmisit. Tantò alacrius in nostra peregrinatione ꝓgredi debemus, & secũdũ Paulũ armis

Infestant nos à dextra. *A sinistris.*

1. Cor. 6. iustitiæ discrimē omne superare, nec re ulla moueri, neq; ad
2. Tim. 2. dextrā, neq; ad sinistrā. Nemo enim coronatur nisi legitimè certauerit. Deus nos omnes sua dignetur gratia, Amen.

SECVNDVS SERMO DE Euangelio & Epistola.

Quatuor hoc Euangelio declarata.



EX hoc Euāgelio multa quidē, qui omnia diligēter rimari uellet, bona desumere posset: peculiariter autē Christ⁹ quatuor res per illud indicare uoluit.
I. Primò quòd De⁹ oībus suā gratiā offert, nec tamē quenquā præter eius uoluntatē ad eā cogat.
II. Secundò quòd oēs ij, qui spiritualiter pereūt in animabus suis, suo uitio pereāt.
III. Tertiò, ꝙ nulla excusatio corā Deo locū habebit, cùm ob tēporalia negliguntur æterna.
IIII. Quartò, ꝙ Deus semper alios inuenit ac nouit, quibus suā exhibeat gratiā, & qui eā libenter accipiunt, etiamsi maior pars hominū eiusmodi gratiā spernunt & reiiciūt. Hæc quatuor animis nostris Christus cumprimis in hac parabola seu similitudine infigere uoluit. Eáq; omnia sunt eiusmodi, quæ diligentē considerationē requirunt: atq; ubi oīa hęc accuratè excuterentur, multi per ea compellentur ad quærendā suam salutē, alioqui omniū pigerrimi & ignauissimi: imò qui sibi ipsi nonnunquā in sua inertia persuadent, quod nequaquā ita se habet; ut quotidie audiuimus & deprehendimus in socordibus Christianis. Vtpote primò cōplures sunt, & maximè his tēporibus, qui sibi ipsis ex falso scripturarum nonnullarū intellectu persuadēt, nec palàm dicere uerētur, se ad suā salutē nihil facere posse, ut uel semel de ea cogitarent, uel semel Dei gratiā implorarent, uel semel Dei uerbū audirent, & sibi aliquid boni proponerent: existimant se à Deo cogi debere, idq; miraculosè, ut in Paulo factū, & sine omni ipsorū opera seruādos esse. Sed falsa planè hęc est ꝑsuasio. In hoc Euāgelio cōtrariū adeò audis, ꝙ De⁹ nemmē cōtra uoluntatē suā cogat. Deus suas partes explenit, cœnā parauit, gratuitò nos ad eam uocauit, seruos suos nō modò ad ueteres misit, sed adhuc semper ut currāt procurat, & oēs homines inuitēt: iubet nos uenire, offert nobis suā gratiam. Et quid amplius faceret? An ad salutē nostrā nos inuitos cogat? Nequaquā. Scriptū est: Si uolueritis, & audieritis me, bona terrę comedetis. Qui nolit nec desiderat, haudquaquā talibus bonis dign⁹ est. In fine Euāgelij dicit quidē Christus

Socordia quorundam.

Act. 9.

Isa. 1.

ad

ad feru um, ut compelleret eos intrare: cæterum, compelle intrare, non eò respicit, ut eos contra ipsorũ uolũtatem ui in domũ & ad mensam traheret, sed ut sedulò instaret, nec desisteret compellere, uel terrore etiã & minis (si bonis uerbis nihil proficeret) donec eò adducerẽtur, ut ultro salutẽ appeterẽt. Hoc sibi uult, compelle intrare. Sũma, Deus excusatus est, suũ munus obiit, id quod adhuc facit. Quare si qs perit, suapte indubiè perit culpa. Hoc unũ est, quod prętexunt ij q cõdẽnationis suæ culpã in Deũ trãsferre libẽter uelint, eò quòd ipsos nõ compellit. Sed cõmodè nobis respõdere nouit: Quoties uolui cõgregare filios tuos (inqt) quemadmodũ gallina cõgregat pullos suos sub alas, & noluistis? Et rursum, Non uultis uenire ad me, ut uitã habeatis. Item, Vocaui & renuistis: extẽdi manũ meã, & non fuit qui aspiceret. Desp existis omne consiliũ meũ, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu uestro ridebo, &c. Secundò, contra eos quoq; Euãgeliũ istud est, qui uidẽtur sibi negligẽtiæ suæ erga cultũ Dei & spirituales res bonã & iustam habere excusationẽ: hic uillã emit, ille bouẽ, tertius uxorem duxit: omnes putant, se iustã excusationẽ habere, etiamsi rarò aut nunquam de Deo cogitẽt, & suam salutem quærant. Alius prætendit, muneris & officij sui curã, ne ueniat in cõtemptum: alius dicit sibi incũbendũ labori suo & negotiis, alioqui nõ succedere. Tertius ait uxorem & liberos alendos esse, eisq; colligendas facultates, ut & ipsi aliis hominibus pares esse possint. Hoc pacto excusatum uolũt, quòd nõ solùm rarò aut nunquã de Deo & suæ animę salute cogitant, omniáque bona intermittunt aut negligũt, sed etiam ob fastũ, auaritiã, & domesticã curã, multa mala contra Deum & animæ ipsorum salutẽ faciunt & instituũt. Sed & hæc profectò falsa persuasio est. Christus indicat in hoc Euãgelio, excusationũ istiusmodi nullam corã Deo ualituram. Vnũ est necessarium (inquit Christus ad Marthã) & illud unũ quod cunctis mortalibus necessariũ est, non est reticendum, nimirum ubi æternum manere nos oporteat & possimus. Cæteris carere omnib' possumus, & ea relinquere etiam nos oportet. Quapropter tu tibi ipse cum tua potentia, bonis, rebus domesticis, quãtũcunq; potes negotij facesse, nõ tamen excusaberis, si tuã ipsius salutẽ ob id neglexeris. Publicis præesse muniis, bona & facultates, uxorem & liberos habere, haud malum est: sed hoc malum, si

Compelle intrare, quid sibi uelit.

Matth. 23.

Iohan. 5.

Prou. 1.

Cõtra caluas quorũdam excusationes.

Luc. 10.

Vnum necessarium.

ea salutem tuã impediant. Atq; ita hodiernum Euangelium hanc etiã persuasionem demolitur. Et hoc alterum est. Tertiò sunt alij homines, qui sibi ipsis persuadent, & quãdoque etiã ridiculè planè & nõ sine blasphemia aiunt, Deum hominibus, & nõ brutis animantibus cõdidisse cœlum, tum Christũ pro hominibus mortuũ, idcirco nõ posse se falli. Deũ nõ posse ipsos cœlo excludere. Verùm falsa ea est persuasio. In hodierno Euangelio lõgè aliud uides. Dico uobis (inquit) quod nemo uirorum illorum, qui uocati sunt, gustabit cœnã meã. Si primi comparere nolebant, attamen alij inuenti sunt, qui mensas occuparunt. Deus regnum suum & cœlũ nõ ideo uacuum relinquet, quòd multi ad id non admodum properẽt. Scio quos elegerim (inquit Christus) & cognouit dominus qui sunt eius. Si non sunt nati, ut nascantur efficere potest. Quapropter etiam nõ est, quòd quis in hoc cõfidat. Hoc reliquum fuerit, ut pro oblata gratia grati simus, ad nostrã uocationẽ attendamus, seruos & ministros, quos Deus ad nos mittit, diligẽter audiamus, nec sinamus nos re ulla tẽporali impediri à salute nostra. Sic enim Christus paulò post Euãgelium istud dicit: Si quis uenit ad me, & non odit patrẽ suũ & matrẽ, & uxorẽ, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autẽ & animã suã, non potest meus esse discipulus. Tantum in genere de hodierno Euangelio dictum sit. Verba in sequentibus sermonibus etiam excutiemus. Epistola, quę circa hodiernum Euangelium legitur, tota agit de charitate, hac in parte pulchrè consentiens cum isto Euãgelio, eò quòd charitatis defectus non minima causa est, quamobrem tot homines suæ salutis & felicitatis iacturam faciant. Etenim qui superbię uincitur affectu, is nullius recordatur pauperis, nullius tangitur & mouetur calamitate: scilicet hoc timens, ne si quid eroget in pauperem, id suo fastui decedat. Porrò quẽ auaritia uincit, is planè nihil discrepat à cane in aceruo fœni, qui neminem admittit quidem, nec ipse tamen de eo comedit. Sic etiam auarus ex suo comedere quod satis est, nõ audet: nec enim ut id faciat, tribuit ei potestatem Deus, tantum abest, ut talis saccus inexplebilis alios homines alat & consoletur. Manus habet solum ad accipiendum, & non ad dandũ. Ita quoq; qui cura domestica & carnali amore suorũ uincitur, is sẽper timet, ne perdat suos liberos, aut ipse perire cogatur, si quid pauperi cuipiã tribuẽdũ, mutuò dandũ, aut gratificãdũ sit. Sic itaq; uidemus, defectũ charitatis, nõ mini

Impia quorũdam de Christi satisfactione persuasio.

Luc. 14.

Iohan. 13.

2. Tim. 2.

Gratiæ cooperemur.

Luc. 14.

1. Iohan. 3.

Charitatis defectus.

Eccle. 6.

minimam esse causam, quòd omnes ij, quos nũc cõmemoraui, tãtò magis ex potẽtia, facultatib⁹ & cognatis suis, propriç suç salutis dispẽdiũ patiãtur, & ab ea impediãtur. Quapropter optimo cõsilio institutũ est, ut illis seria uerba benè insigantur, quibus Iohãnes plurimis utitur in hodierna Epistola, uti cùm ait: Qui nõ diligit, manet in morte. omnis qui odit fratrẽ suũ, homicida est. Et iterũ: Qui habuerit substantiã mũdi, & uiderit fratrẽ suum necesse habere, & clauserit uiscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Hęc utiq; grauissima uerba sunt, quę meritò apud nos Christianos ualere & operari non parũ debebant. Quocirca de unoquoq; horũ amplius quiddam dicam, ad eorum commonitionem, quos neq; benigna Dei inuitatio ad suã mensam, neq; lacrymabilis pauperum clamor, in rebus afflictis mouet. Primò dicit Iohãnes apertis & rotũdis uerbis, Qui non diligit, eũ manere in morte, id quod necessariò sequitur ex eo, quod paulò ante dixit: Nos scimus quoniã trãslati sumus de morte ad uitã, quoniã diligim⁹ fratres. Vt enim anima corporis, ita Deus est animæ uita. At ubi fides nulla est, ibi neq; De⁹ est. Sine fide enim ĩpossibile est placere Deo. Atqui uera & uiua fides esse nõ potest, nisi charitatẽ indiuiduã secũ habeat. Rectè ergo Iohãnes cõcludit, eũ, q nõ diligit, manere in morte. nam ubi charitas non est, ibi nulla uiua fides: ubi fides nõ est uiua & efficax, ibi nõ est Deus: ubi nõ est Deus, ibi nulla uita, sed mors & interit⁹. Sequit itaq; certò, qđ q charitatẽ nõ habet, eũ manere in morte. Clarissimè igit apparet, quã res sit uana & fallax, qđ tot homines nũc sese de nuda fide iactitãt, cùm ne uel minimũ qdẽ fraternæ in illis deprehẽdatur charitatis. Siquidem satis apertè dictum est, quod Iohãnes dicit, Qui nõ diligit, manet in morte, sed q fratrẽ diligit, iã trãslatus est de morte ad uitã. Verùm si cui hæc uerba nõdum satisfaciũt, audiat quid Iohannes porrò dicat: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Vehementiora hęc sunt uerba. etenim hîc comparat Iohannes inuidiam & odium erga proximum, homicidio. Et quomodo rem exaggerare magis potuisset? Neque uerò id Iohannes solus dixit, Christus ipse simile dixit: Audiuistis qđ dictũ est antiquis (inquit) Nõ occides. qui autẽ occiderit, reus erit iudicio. Ego autẽ dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, &c. Verùm obserua, φ Iohannes nõ dicit, Qui odit fratrẽ suũ, reus est iudicio, aut à Deo

1. Iohan. 3.

Charitatis expers, in morte permanet.

Ibidem.

Heb. 11.

Iacob. 2.

Vera fides quæ sit.

In fidei solius buccinatores.

1. Iohan. 3.

Matth. 5.

reprobatus: sed, est homicida, quia nemine ad desperationem adigere uult, aut illi gratiā Dei denegare, sed tantùm grauitatem peccatorū indicare, ut hoc citius ab iis desistere incipiamus. Atq; hoc etiā innuunt uerba sequentia, ubi ait: Scitis quoniam omnis homicida non habet uitam ętternā, intellige, quandiu in suo homicidio impœnitens manet. Quî enim uitā in se habere potest, q opera mortis facit? Ex hoc igit obserua, quàm inuidia & odiū cū illorū fructibus, qui exinde sequuntur, ut detractio, conuicium, contumelia, magna & grauia sint peccata, quandoquidem illa Iohannes homicidio comparat. Verū Iohannes quantū nos ab inuidia, odio, & omni duritie erga proximū nostrum deterret, tantum hortatur nos ad charitatē, Deum ipsum aut Christū nobis pro exemplo statuens. In hoc (inquit) cognouimus charitatem Dei, quoniā ille animā suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Per hoc nobis ostendit uerum modū charitatis, docens quousq; sese illa porrigat. Quinimò per hoc indicat se nō de naturali, sociali, aut etiam carnali amore loqui, sed de Christiana solū & diuina charitate. Ea autē Christiana charitas est, quę iuxta exēplum Christi instituta est, dicentis in Euangelio, Ego sum pastor bonus, & animā meā pono pro ouibus meis. Et iterum: Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate. Hæc forma est & modus Christianæ charitatis, atq; hic summus illius gradus est. Maiorē enim hac dilectionē nemo habet, ut animā suā ponat qs ꝓ amicis suis. Ideo autē Iohānes à summo gradu īcipit, ut significet Christianū amorē reliquos amores oēs, qbus homines sese mutuo ꝓsequūtur, excellere debere, atq; ita, ut etiā parat⁹ sit, uitā impēdere ꝓ dilecto. Ne qs autē dicat, Durus est hic sermo, qs potest eū audire? qs hoc exēplum Christi imitari potest? Mox Iohānes à summo gradu charitatis sese uertit ad infimū. Qui habuerit substātiā mūdi (inquit) & uiderit fratrē suū necesse habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Sētētia est, perinde ac si dicat: Si summū charitatis gradū assequi nequis, saltē infimū fac apprehēdas. Imò si summū gradū assequi cōtēdis, ab infimo incipe. Summus charitatis gradus est, ubi qs uitā suā ꝓ aliis hominibus dat, ut in Iob habetur: Pellē pro pelle, & cūcta quæ habet homo, dabit ꝓ anima sua. Infimus gradus charitatis est, substantiā huius mūdi erogare in pauperes. Hunc infi

Odium & inuidia homicidio cōparātur.

1. Iohan. 3.

Charitas Christiana quæ sit.

Iohan. 10.

Iohan. 15.

1. Iohan. 3.

Charitatis gradus summus.

Iob 2.

Infimus.

infimum gradū qui nondū assecutus est, ad summum nunquam perueniet. Si tibi graue uidetur, pecuniæ tuæ partem aliquā pro tuo proximo expēdere, quādo uitā tuā ꝓ illo impēderes? Charitas nō statim pfecta est, sed curare nos oportet, ut semper in nobis augeatur & crescat. Nam ut in rebus malis dicere solem⁹: Qui spernit modica, paulatim decidet in maiora, ac deteriora: Sic & in rebus bonis, q in minimo se exercet, ad maiora paulatim & pfectiora peruenit. Assuescamus igitur nunc fratribus nostris subuenire bonis tēporalibus, ut aliquādo, si usus poposcerit, etiā uitā nostrā ꝓ illis impēdamus. Sed aduerte, quòd Iohānes nō dicit, Si hominem: sed, Si fratrē tuū uides necesse habere, &c. Nec dicit, Quomodo charitas Dei: sed, Quomodo charitas patris manet in te? His duobus uerbis omniū maximè nos ad charitatē prouocare uult, perinde ac si dicat: Cogita eū, quē uides, necesse habere & egere, fratrē tuū esse, & Deū esse patrē tuū, nō grauabit te, quicqd in rē proximi faciēdum erit. Quid autē sit claudere uiscera sua à paupere, nusquā uideri melius potest, quàm in Lazaro, cui diues, ad cuius ianuā iacebat, etiā in summa necessitate micas denegabat, quæ de mēsa cadebant, licet eum eiúsq; miseriā quotidie præ oculis uideret. Isthuc est claudere uiscera. Hoc nos admonet Iohannes. Iudæus aut Turca aliū sua destitui ope nō patitur, quāto minus Christian⁹ Christianū debebat deserere? Ideo Iohannes ad postremū dicit, Filioli mei, nō diligamus uerbo, neq; lingua, sed opere & ueritate. Esset hæc uera cōclusio sup hodierno Euāgelio, ut oblatā gratiā Dei, gratis animis acciperemus, & præterea etiā amorē & beneficētiā ergā ꝓximū declararemus. Cum primis obseruādū, ꝙ Iohannes in præstādo charitatis officio, opus & ueritatē cōiūgit. Enimuerò multi homines habēt opus, sed nō ueritatē, hoc est, dant & opitulantur quidē, sed nō ex animo, nō propter Deum, nō ex charitate, sed ob humanā tantummodo gloriam. Cæterum Iohannes opus & ueritatem cōiuncta esse uult. Sic & Paulus, Et si distribuero in cibos pauperum oēs facultates meas, charitatē autē nō habuero, nihil mihi prodest. Eundē in modū docet Christus ipse, Attendite ne iustitiam uestrā, aut, ut qdā legūt, eleemosynā uestrā faciatis corā hominibus, ut uideamini ab eis: alioqui mercedē non habebitis apud patrē uestrū. Hæc omnia hodierna dominica nobis insculpūtur: nimirum, ne gratiā Dei respuamus, &

Eccle. 19.

Incitamenta præcipua fraternæ charitatis.

Luc. 16.


1. Iohan. 3.

1. Cor. 13.

Matth. 6.

erga proximũ fidelitate & charitate officiosi ut simus. Hæc duo ad domũ & ad mẽsam Dei pertinẽt, q sua gratia efficere dignet, ut id & cõsiderem', & opere ac re ipsa præstemus.

TERTIVS SERMO DOCET, *quæ sit præcipua hodierni Euangelij sententia cùm in genere, tum speciatim.*


PPIDO elegantem hodiernum istud Euangeliũ parabolã seu similitudinẽ habet. Nemo uerò nescit, ubi parabolæ dantur, aliud intelligendum esse, quàm uerba sonant. Nam hoc discrimen est inter historiam & parabolam. Historiam uocamus, quæ ut uerba habent, gesta est: in parabola aliud quiddam subesse considerandũ, nemo est qui non sciat. Sunt igitur hic nõ uerba, sed sententia spectanda: uerũtamen nõ est opus magno labore, ad uerã istius Euangelij sententiã capessendam. Nam quod Christus hic simpliciũ animis per similitudines infigere uoluit, id alibi expressis uerbis indicauit. Imò in Iohanne uno uerbo ostẽdit, qd in hac parabola uoluerit. Hoc est iudiciũ (inquit) q lux uenit in mundũ, & dilexerunt homines magis tenebras, q̃ lucẽ. Breuiter dictũ, & ita qdẽ, ut quis intelligere posit. Sed summa est hodierni Euãgelij. Nihil aliud indicare nobis uoluit Christus in genere, q̃ quòd oẽs ij q pereũt, & cõdẽnantur, suapte culpa pereant, cõdẽnẽtúrq;, ne aliis ĩputare debeãt, q̃ sibi ipsis. Etenim Deus suis functus est partibus, cœnã apparauit, eãq; sumptuosissimã, utpote morte & p̃cioso sanguine unigeniti sui filij instructã: ad eã nos oẽs uocauit, iussit nobis nũtiare, omnia parata esse, & iã tẽp' esse & horam discũbẽdi, & cœnã gustãdi: uocat nos adhuc quotidie, nullius meminit antecedẽtis meriti nostri, nullã mercedem aut remunerationẽ reposcit. Si uolueritis (inqt in Isaia) bona terræ comedetis. Et rursum, Venite, emite absq; ulla cõmutatione uinũ & lac. Sũma, lux uenit ĩ mũdũ. Nemo queri põt. Deũ quicq̃ neglexisse aut intermisisse eorũ, quæ p Prophetas pmisit. Nos in culpa sumus, nos magis diligim' tenebras, q̃ lucẽ, tẽporalia pluris facimus quàm spiritualia & æterna. Facimus ut impatiẽtes & rebelles ægroti, q malunt perire q̃ iuuari. Facimus ut Esau, q ius suũ primogenituræ p lentis edulio uẽdidit, malẽs omni honore priuari, quàm ad tẽp' famẽ pati, haud cogitãs, appetitui breui momẽto lẽte satisfie

Inter historiã & parabolã quid intersit.

Iohan. 3.

Isa. 1.

Isa. 55.

Iohan. 3.

Gen. 25.

satisfieri posse, cæterum pristinã dignitatẽ & ius nõ ita facilè recuperari. Eodẽ & nos quoq; modo facimus. Quapropter rectè cũ Bernardo dicere possum: Quibus assimilabimus infelices filios Adæ, aut q̃bus cõparabimus illos, quos uidemus à terrenis & corporalibus consolationibus auelli separaríq; nõ posse? Profectò, similes sunt iis, qui submersi periclitãtur in aquis. Nimirũ uideas eos tenẽtes tenere, nec ulla ratione deserere quod primũ occurrerit manib⁹, quicquid sit illud, licet tale sit aliquid, qđ oĩno ꝓdesse nõ possit, &c. Sic nãq; etiã nos iacemus in aqua, ferimur in ꝓfundum, sursum cupimus, & satis q̃dẽ adminiculi haberemus, si uel paulũ eniteremur. Deus stat & offert nobis manũ, nõ solum tẽporaliter, sed æternaliter nos iuuare paratus est: non uult nostrũ interitũ, sed salutẽ nostrã: nos ꝓximũ quodque apprehẽdimus, hoc est, tẽporalia, eáq; ita fortiter tenemus, ut nequaquã dimittam⁹, cùm tamẽ uideam⁹ experiamúrq; quotidie, nobis tẽporalia, & q̃cquid in mũdo est, ne q̃quã ꝓdesse, neq; à morte asserere posse, &c. Nẽpe sic faciebãt ij, de q̃bus hodiernũ Euãgeliũ loquit: sciebãt se ad meliora uocatos, sed tamẽ ad id adhærescebãt, quod illis primũ occurrebat. Alius uillã, alius bouẽ emerat, tertius uxorẽ duxerat. Primũ remorabatur mundi fastus, aliũ auaritia, tertiũ uoluptas. Et tamẽ uidebãtur sibi iustã excusationẽ habere. Christus autẽ harũ excusationũ nullã recipit, sed simpliciter fert sentẽtiã: Dico uobis (inquit) quòd nemo uirorũ illorũ, q uocati sunt, gustabit cœnã meã. Hoc illud est, qđ in Iohãne aliis uerbis effert: Hoc est iudiciũ (inquit) q̃a lux uenit in mũdũ, & dilexerũt tenebras magis q̃ lucẽ. Hìc oculos aperiamus fratres. Res est quæ nos oẽs cõcernit, & quæ maximi momẽti est. Audiuimus quomodo primi, q ad cœnã inuitati erãt, sese gesserint, & quid ex eo illis acciderit. Scimus Iudæos primũ fuisse uocatos, tanq̃ ueros filios & amicos ex Abrahæ semine, sed uidemus in quã uenerint calamitatem, cùm temporalem, tum spiritualem, eò quòd uenire recusabant, uocante eos Christo ad gratiam Dei. Nos sumus ceu mendici, alienigenæ, cæci, pauperes, claudi, à sepibus & ex omnibus plateis collecti, & gratuitò planè ad hanc cœnam Christi uocati. Tantò iustiorem nobis irascendi causam habet, si etiam nos ingrati esse uolumus. Huc pertinet dictum Pauli inquientis: Si Deus naturalibus ramis nõ pepercit, sed propter incredulitatem eos excidit à bona radice, undo

Bernard⁹ Sermone 1. de aduẽtu Domini.

Ezech. 18.

1. Tim. 2.

Superbia.

Auaritia.

Luxuria.

Iohan. 3.

Iudæi primũ uocati.

Rom. 11.

unde enati erant, tu qui oleaster es, & nunc insertus oliuæ, meritò timere potes, ne & tu rursum excidàre. Si sententia in illos lata est, eorũ neminem amplius uenturum ad Christi mensam, & gustaturũ cœnã suam, existimare secũ quiuis potest, quid nobis quoq; expectandũ sit. Quod pater non tolerat in filiis & suffert, multo id minus in seruis patietur & æquo animo feret. Quod Magistratus in suis ciuibus punit, id peregrinus impunè non feret. Hoc cõsidera optime Christiane, ne te remoretur mũdanus fastus, temporalia bona, corporalis uoluptas, ab eo ad quod te Deus uocat. Hoc sibi uult hodiernũ Euangelium: monens scilicet nos in his tribus rebus, superbia, diuitiis & uoluptate, ne hotũ aliquo uincamur. Tres unci sunt, qui fortiter trahunt & asseruãt: si quem cõprehendunt, haud facilè dimittunt, ut nusquã non ob oculos uidemus Quot homines impedit mũdi fastus, ut animæ suæ & felicitatis obliuiscantur? Qui hoc unco irretitur, nõ amplius audit, quid dicat Deus: abit, uillam suam sibi placere sinit: uidet quõ fastũ suum conseruare possit: ad se trahit quicquid põt: rapit ubi inuenit: nullũ ius & æquitatẽ curat: hoc unũ cogitat, ut nidũ suum in alto ponat: non curat reddere, quæ ipse & parentes illius iniquè acquisiuerũt. Si quis illi dicit, an nõ cogitet se Christianũ esse, & uocatũ ad cœnã Dei, hanc in prõptu habet excusationẽ: Statũ meũ tueri me oportet: nobilis sum, eques sum, comes, princeps, &c. nisi hoc facerẽ, si hoc & illud uitarẽ, pro dignitatis meæ ratione me gerere non possem ut moris est. Vide, hoc pacto talis huic unco affixus hæret, in uilla sua manet, Deo suum relinquit cœlũ. Gedeõ autem hoc unco teneri se nõ patiebatur. Huic omnis Israël offerebat dominiũ, non pro ipsius tantùm persona, sed etiam pro filiis eius & posteris. Non (inquit ille) dominabor uestri, sed dominabitur uobis dominus. Vide, hic à superbia teneri non poterat. Dauid multo minus. Is potẽs erat rex, attamen dicere poterat, uermis sum & non homo. Item: Ego mendicus sum & pauper: dominus solicitus est mei. Samuel totũ populũ testabatur, si unquã potentia sua fuisset elatus., eaq; ad opprimendos alios homines usus esset, &c. En, hi etiã potentes erant, uillas, prædia & uicos habebãt, nihilo tamẽ minus audiebant quoq; quid Deus loqueretur, haud obliuiscẽtes, ꝙ ad cœnã & gratiã Dei uocati erant. Verũ exempla talia nunc tẽporis rara sunt. Cui dignitas & potentia debetur, is putat se huic rei ua

Tres unci, quibus retrahimur.

Mundi fastus.

Abac. 2.

Iudi. 8.

Psal. 21.

Psal. 39.

1. Reg. 12.

rei uacare oportere, & uidere, quomodo eã augeat & amplificet, ubiubi maneat Christus & cœlum eius. Itidem fit in bonis tẽporalibus & diuitiis: uncus est, ad quẽ multi homines defixi adhærescũt. Si Christus uenit cum suo Euãgelio, mox hæc prætẽditur excusatio: Meis ego uacẽ rebus oportet, tantũ mihi tẽporis non superest, ut audiam Euangeliũ, aut tẽplum frequentẽ, & æternæ meæ salutis studiosus sim. nũc est messis, nunc autũnus, nunc nũdinæ, nũc aliud, nunc domus, nũc ager emẽdus: nunc hoc uẽdendũ. quantũcunque Christus & ministri eius interim clamẽt: Væ, qui cõiungitis domũ ad domũ, & agrũ agro copulatis usq; ad terminum loci. Itẽ: Væ, qui ædificat ciuitatẽ in sanguinibus. Væ, q cõgregat auaritiã malam domui suæ, ut sit in excelso nidus eius, &c. Et quod Christus dicit: Ne soliciti sitis animæ uestræ quid mãducetis, neq; corpori uestro, quid induamini. Et iterum: Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, &c. Et quod diuus Paulus dicit: Qui uolũt diuites fieri, incidunt in tentationẽ & laqueũ diaboli, &c. Hæc omnia (inq̃) nihil ualent apud diuitẽ & auarũ: oportet illũ boues suos probare, & instituere: oportet illũ uidere, ne aratrũ cesset, ubicũq; etiã Christus & Euangeliũ eius maneat. Idem quoq; fit cum tertio unco, hoc est, cum uoluptate. In hunc uncũ quisquis incidit, is neq; Deũ, neq; animæ suæ salutẽ curat. Si illi ex diuo Paulo dicitur, Tẽpus breue est, reliquũ est, ut qui uxores habent, tanquã non habentes sint. Itẽ: Nescitis quia tẽplum Dei estis & spiritus Dei habitat in uobis, &c? Responsum datur, Nõ possum uenire. Hic est mũdi cursus & uita: sic nobis cordi est, quod Christus nostra causa fecit. Sic excusationem paratã semper habemus, cum ad bonũ admonemur, & ad Deũ inuitamur. Sed hac re quẽ dãno afficimus, præterq̃ nos ipsos? Si nõ uis ire in domũ Dei, attamẽ semp inueniet homines, quibus hoc beneficiũ loco erit. Tu uideris, q̃diu tẽporalia seruare tibi fuerit licitũ: cogitare itẽ potes, unde uelis uiuere, cũ tẽporalia tibi relinquẽda erũt, nec tamẽ partem ullã in regno Dei habiturus es. Fratres, accipiamus, qđ Deus nobis offert: abiiciamus q̃ trãseũt, & de æternis cogitemus. Eme uillas & pagos quantũ uoles, collige argentum & bona quantũ potes: deliciare dum tibi liberũ est, attamen omnia tẽporalia sunt: Deus & regnum eius sunt æterna. Est itaq; hæc sententia illius Euangelij, si ad nos tantũ Christia nos referamus: cæterum si etiam Iudæos simul includimus, sicuti

Diuitiæ. *Isa. 5.* *Matth. 6.* *1. Tim. 6.* *Voluptas carnis.* *1. Cor. 7.* *1. Cor. 3.* *Ludim⁹ nos ipsos.*

sicuti te uera eòdē ptinēt (siquidē Christus parabolam hāc potissimū propter illos locutus est)is adeò sensus est, quē-
Matth.21. admodū Christus alio in loco ad illos dicit: Auferetur à uobis regnū Dei, & dabitur gēti faciēti fructus eius. Et qđ illis Christus in illis uerbis minatus est, idē etiā p hāc similitudinē ostēdere uoluit, Vtrobiq; loci denūtiat illis, & ob oculos ponit. qd cōmoditatis p̄ cæteris hominibus habuerint. Vtrobiq; loci illis ingratitudinē ipsorū obiicit, atq; ita, ut negare
Iudæis ablatū nō possint. Vtrobiq; loci sentētiā fert, ipsos regno Dei ex-
regnum Dei. cludēdos & alios recipiēdos esse. Et ut illis minatus est, ita nos impletū uidemus. Regnū Dei ab iis ablatū est, nec partem aliquā cœnæ habēt, quā nobis parauit Christus. Hac ratione, hæc prima pars iampridē impleta esset. Nam ab Apostolorū tēpore Christus nullū seruū & nuntiū amplius misit ad Iudæos, sed tantùm per omnes uias ad gentes. Primi serui, sancti Apostoli occupati erant cū Iudæis. Petrus clama-
Act.3. bat ad eos: Vos estis filij Prophetarū & testamenti, quod di
Gen. 22. sposuit Deus ad patres nostros, dicēs ad Abrahā: Et in semine tuo benedicētur omnes familiæ terrę. Vobis primū De⁹, suscitās filiū suum, misit eum benedicentē uobis, ut cōuer-
Act.13. tat se unusquisq; à nequitia sua Paulus quoq;, uobis, inquit, uerbū salutis huius missum est. Itemq;: Vobis oportebat pri-
Act.28. mùm loqui uerbum Dei, &c. Sed frustra in illis fiebant oīa. Idcircò postremò dicebat ad illos: Rectè de uobis dictū est, Aure audietis, & nō intelligetis, & uidētes uidebitis, & non p̄spicietis. Incrassatū est enim cor populi huius, &c. Notū ergo sit uobis, quoniā gētibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audiēt. Hoc ultimū erat, qđ Apostoli cū Iudæis agebāt. Ab eo tempore nobis gentibus prædicarūt. Hic iam nostra res agitur. Atq; hæc altera pars est istius Euangelij, ea etiānum actitatur: seruus adhuc instat, clamat in omnibus plateis, in omnibus terris, quærit retrò sepes oēs, inuitat ut ueniatur: ait oīa parata esse, neminē aspernatur, quātūuis cæcū & claudum, nec cessabit donec domus impleatur, donec oēs electi introiuerint. Tū seruus cōquiescet, & p̄dicatio finē habebit. Eāq; ob causā Christus cœnā uocauit. est enim ultimū, qđ nobis Christus in terris dare uult. Post hāc cœnā nihil expectādū præter æternā requiē: post Euāgeliū nulla sequetur lex amplius, sed uita æterna. Hic attentione opus est fratres. Iudæi neglexēre, cū inter illos ageret seruus, p̄inde suā recipiant mercedē. Tantò itaque magis admoniti

simus

ſimus. Pro ſumma gratia ducamus, ꝙ ad Euangelium uocati ſumus, ſiquidē ꝓmeriti id nequaquā ſumus, nihilo plus q̃ qui ex omnibus plateis & à ſepibus in domū ducti, ad menſam accubuerūt. Cogitemus quāta ſit ſeueritas, ꝙ Deus illū populum Iudaicū uſqueadeò deſeruerit: contrà, quàm ineffabile ſit beneficium, quòd nos tam clementer ſuſceperit. Diſcamus ex hoc Euangelio, nullā rem Deo tātopere diſplicere, quàm ſi oblata eius gratia cōtemnatur reſpuaturque: *Ingratitudo quam diſpliceat Deo.* contrà uerò nihil magis placere, q̃ ſi cum gratiarū actione accipiatur recteq; uſurpetur. Hoc addo & nō ab re, ut quod eò pertinet. *Vita corrigenda.* Pauperes & deformes, cæci, & claudi, praui & condēnati uenimus ad Euangeliū, ſed tales manere nos nō oportet. Eratis aliquādo tenebræ, nūc autē lux in domino. *Ephe. 5.* Vt filij lucis ambulate. fructus enim lucis eſt, in omni bonitate, & iuſtitia, & ueritate. Hūc fructū urget Iohānes etiā in hodierna Epiſtola, maximè bonitatē & charitatē. hāc nobis Chriſtianis ſummè cōmendat: ait charitatē uerū ſignum & teſtimoniū eſſe, quo certificamur, nos trāslatos eſſe de morte ad uitā, & niſi quis diligat, eum manere in morte. Verbū ſeuerū, ſed ueriſsimū, licet ægrè huic noſtro ſeculo pſuaderi poſsit. *1. Iohan. 3.* Vulgus enim haudquaquā iſtiuſmodi dicta curat: ea tantū accipit q̃ factu facilia ſunt. Sed nō ita fieri oportet. Aut totū aut nihil. Euāgeliū ab Apoſtolorū ſcriptis non eſt ſegregādū. Chriſtus de illis dicit: Qui uos audit, me audit: & qui uos ſpernit, me ſpernit. *Luc. 10.* Et rurſum: Ego dabo uobis os & ſapientiā, cui non poterunt reſiſtere & contradicere oēs *Luc. 21.* aduerſarij ueſtri. Et iterū: Non uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri q loquitur in uobis. *Matth. 10.* Quiſquis igitur in Euāgelio uidet quod Chriſtus dicit, Qui credit in me, in iudicium non uenit, ſed tranſiuit à morte in uitā: *Iohan. 5.* uidere eum pariter quoq; oportet hîc qđ Iohānes ait: Nos ſcimus quoniam trāslati ſumus de morte ad uitā. Si uidere in Euangelio poſſumus, quod Chriſtus dicit: Qui non crediderit, condemnabitur: *Marc. 16.* uidere nos quoque oportet, quod Iohānes dicit: Qui nō diligit, manet in morte. Facit hoc ueros Chriſtianos, ubi fides & charitas cōiūcta ſunt. *Chriſtianū uerum quid efficiat.* Et ſic omnino ut fiat Chriſtus uult. Alioqui ſi alterutrū horum accipias tantùm, ſiue fidem, ſiue charitatem, dimidiatus tantū fit Chriſtianus. *Iac. 1.* Charitas abſq; fide cęca eſt, nec eſt uera charitas: fides abſq; charitate mortua eſt. Qui nolit errare, utrūq; cōiungat. Si p fidē in ſanctā Chriſtianitatē & ad Euāgeliū ueniſti, poſthac

ſtude

ſtude charitati, ne rurſum eiiciare. Non ſolus ad mēſam accumbis, ſed alij tecum. Mēſam uerò decet charitas & cōcordia, & non diſcordia. Eſt itaq; pulchrè ordinatum, quòd hæc Epiſtola de charitate Euangelio iſti aſsignata eſt. Reliquum fuerit, ut id nos eodem quoque modo conſideremus, acceptemusque. Deus nobis omnibus ſuam det gratiam, Amen.

QVARTVS SERMO DE PRI-
mis huius Euangelij *uerbis.*



Parabolis cur christus uſus.

ALIIS tēporibus multū, & prolixè, &, meo quidem iudicio, ſatis indicaui, quāobrē Chriſtus uſus ſit toties parabolis in ſuis cōcionibus, atque haudquaquā opus eſſe arbitror, ut id repetam. Sed ut q̃ breuiſsimè & uno uerbo dicam, ideò parabolis uſus eſt, ut indignis Dei myſteria abſcondita manerēt, ſimplicibus uerò externis rebus aſſuetis, eiuſmodi res diuinæ tātò melius & altius infigerētur. Si terrena dixi

Iohan.3.

uobis (inquit Chriſtus) & non creditis, qūo ſi dixero uobis cœleſtia, credetis? Hac de cauſa ſimplicis eſt tāto diligētius auſcultare & attēdere, ſi quando id genus ſimilitudines occurrūt, & cogitare: hoc tibi & tui ſimilibus dictū eſt. Nec fieri melius poſſet, q̃ ſi talibus hominibus abſolutiſsimè exponerētur, ut qui in aliis rebus oībus ſermonis obſcuritatem prætendūt. Verū hic in talibus parabolis hanc excuſationē habere non poſſunt. Quid enim in hoc toto Euangelio tam difficile eſt, quod uel quiuis ſimplex non intelligat? Dicit de patrefamiliâs, de cœna, de inuitatione cōuiuarū, quorū aliq uenire detrectāt, alij uerò i eorū locū ſuccedūt, &c. Hoc autē fieri quotidie uidemus. Et tamē Chriſtus nobis ſub eiuſmodi rebus externis ꝓpemodū oīa ob oculos poſuit, q̃ ſcire hominē Chriſtianū cōuenit: nimirū qd Deus, qd Chriſt⁹, qd Euāgeliū ſit, quāobrē Iudæi excluſi, Ethnici autē recepti ſint, & qs utrūq; ſit futurus finis. Hæc oīa (inquā) in iſto Euā-

Deus quid ſit.

gelio indicata ſunt. Primò nanq; rogas qd Deus ſit? Verus eſt paterfamiliâs, qui ſemper ꝓ ſuis creaturis ſolicitus eſt, &

1.Pet. 5.

præcipuè pro homine, uti Petrus dicit: Omnē ſolicitudinē ueſtram proiicite in eum, quoniam ipſi cura eſt de uobis. Et

Matth. 6.

Chriſtus ipſemet: Ne ſoliciti ſitis animæ ueſtræ quid manducetis, neq; corpori ueſtro qd induamini. Scit enim pater ue-

Chriſt⁹ quid?

ſter, q̃ his oībus indigetis. Quis igitur Chriſtus? Ab æterno De⁹ eſt, i tēpore uerò homo factus eſt, ut Paul⁹ iterū dicit:

Cùm

Cùm in forma Dei esset, formam serui accepit, &c. Sed quid Christus in terris egit? Cœnā nobis parauit, quā nulla seque tur fames, imò quam æterna quies comitabitur. Etenim hic pascit & reficit animas nostras uerbo Euangelij, & Christianis Sacramentis. Ceterùm in futuro seculo corpus & animā pascet ac exhilarabit seipso. Ego merces tua magna nimis, inquit ad Abrahā. Quomodo autē Christus hanc nobis cœnā parauit? Magnis impēdijs. Ob id enim impēdit, quicquid boni & pretiosi habuit, corpus suū, sacrosanctū suū sanguinē, animā suā & uitā, quemadmodū in Iohāne dicit. Animā meā pono pro ouibus meis. Quid porrò Euangeliū? Est inuitatio & uocatio omnium hominū ad hanc cœnā salutis & felicitatis. Quē autē uocat Euāgelium, aut Apostoli per Euangeliū? Omnes homines sine respectu personarū. Est enim Deus diues in oēs, qui inuocant eum. Quur igitur Iudæi ad hanc cœnam & conuiuium non uenerunt? Nolebant, licet inuitati. Illis enim Euangelium primum prædicari oportebat, ut Paulus dicit. Nunquid nostris id factum est meritis, quòd nos in eorum locum uocati sumus, posteaquam ipsi defecerunt? Nequaquam. Nos enim eramus pauperes, & ægroti, cęci & claudi, nihil habebamus eiusmodi gratia dignum: imò iacebamus in omnibus plateis & ad sepes oēs, sicut oues errauimus, unusquisq; in suā uiā declinauit. Ex mera gratia uocati sumus. Qui fit igitur, quòd inter nos non oēs ueniunt & accurrunt, sed multi retrò maneāt? Captiuos nos diabolus tenebat, aut amore mundanæ gloriæ, aut rerum tēporaliū, aut corporalis uoluptatis. Sed quis tandē huius rei futurus exitus? Qui ad hāc cœnā uocati cōparuerunt, æternum pascentur & exhilarabuntur. Verùm qui eiusmodi cœnā spreuerunt, siue Iudęi, siue gentes, nunquā futurū amplius est ut admittantur. Et ultra hoc quoq; patremfamiliās experientur minimè benignum. Vide, hoc pacto simplex ex hac unica parabola fermè oīa discere posset, quæ scitu necessaria sunt. Hoc solùm deest, quòd rē non ita nobiscū perpendimus. Quapropter paulò fusius Euāgeliū etiā per singulas propè dictiones uestigabimus, idq; omne in eū finē, quò nobis hęc omnia altius imprimātur. Tria nobis in hac parabola ostēsa sunt. Primò ineffabilis bonitas Dei. Secūdò animaduertēda ingratitudo hominū, & postremò quoq; pœna ingratorum. Hęc autē illa sunt adeò, quæ semper animis nostris obseruari debēt. Talis enim meditatio plurimū efficit

Gen. 15. *Iohan. 10.* *Euangelium quid?* *Act. 10.* *Rom. 10.* *Act. 14.* *Isa. 53.* *Cogitāda quæ sint.*

ii in

in nobis boni:cõtra uero agmẽ malorũ sequitur, sicubi hæc tria obliuioni traduntur. Nã qui nõ semper Dei gratiã, charitatẽ, & beneficia in memoria habet, facilè remissus fit, frigidus & piger ad bonũ: qui suã ipsius ingratitudinẽ non agnoscit & cõsiderat, facilè fit præsumptuosus & tumidus. Porrò cui nũquã futurũ iudiciũ in mẽtẽ uenit, is ferox & petulans fit. Quare ne segnes & ignaui fiam⁹, cõsiderem⁹ in hoc Euãgelio bonitatẽ Dei: ut in humilitate maneamus, nostrã ipsorum ingratitudinẽ agnoscamus. Quò autẽ in timore etiam Dei remaneamus, futurum iudicium mẽte nobiscũ reputemus. Ad hæc omnia similitudo ista nobis inseruire potest.

Misericordia & bonitas Dei. Verba itaq; audiamus: Homo quidã (inquit Christus.) Hoc primum uerbũ cõmendat nobis misericordiã Dei. Is enim scripturæ mos est, cùm Dei irã, indignationẽ & iudiciũ indicare uult, Leoni eum assimilat, aut alij terribili animanti. Vt cùm Propheta Amos de Deo dicit: Leo rugiet, quis nõ time- *Amos 3.* bit? Sic Ieremias in Threnis suis sub persona ciuitatis Hie- *Thre. 3.* rosolymę & populi eius: Vrsus, inquit, insidiãs factus est mihi, Leo in abscõditis. Eundẽ in modum dicit Deus in Osea: *Ose. 13.* Ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in uia Assyriorum. Occurrã eis quasi ursa raptis catulis, &c. ubi autẽ scriptura Dei bonitatẽ & amorem ostẽdere uult, homini eum cõparat. ut *Daniel. 7.* in Daniele, ubi gratia noui testamẽti describitur, Deus pater simul & filius Dei homini cõparãtur. Nã quales nos sumus, talẽ se quoq; nobis exhibet Deus. Si homines sumus, & uiuimus ceu rationales creaturę, ipse etiã Deus homini cõpara- *Psal. 31.* tur: sin autẽ belluarum more uiuim⁹ ut equus & mulus, quibus nõ est intellectus, à quo tamẽ nos Dauid seuerè dehortatur, fit nobis Deus quauis fera terribilior: id quod Dauid *Psal. 17.* de illo dixit: Cum sancto sanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris.

Euangeliũ cibus animarũ. Homo quidã (inquit Christus) fecit cœnã magnam. Per hanc cœnã primò intelligere possumus Euangelium Iesu Christi, quod sanè nihil aliud est, quàm cibus & refectio animarũ nostrarum & cõscientiarũ. Nã ut naturalis cibus hominẽ oblectat, reficit, confortat, & uitã in eo conseruat: itidẽ quoq; facit uerbum Euãgelij: exhilarat cõsciẽtias, refocillat pusillanimes, corroborat infirmos, & fouet etiam *Iohan. 8.* uitam animarum in nobis, uti Christus ipse dicit: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in ęternum. Ideò autẽ Euangelium nostrum cœna uocatur, quippe uerbum

bum istud in ultima hora & tempore mundi ad nos missum est, quemadmodum Isaias prædixit: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in uertice montium, & eleuabitur super colles: & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & docebit nos uias suas, &c. Quia de Siō exibit lex, & uerbum domini de Ierusalē. Sic dicebat & promittebat etiam Deus in Ioēle, ultimis temporibus se effusurum Spiritum suum super omnem carnem, ita ut homines prophetarent. Verùm non propterea solum Euangelium cœna uocatur, quòd ultimis tēporibus datū est & annuntiatum, sed ideo etiam, quòd quēadmodum cum cœna dies concluditur, ita etiam Euangelium Christi ultima prædicatio est, quam Deus in terris dedit ac daturus est. Non est quòd quis aliam & nouam legem aut doctrinam expectet. Deus pater cœlitus Christum ostendit, ut ipsum audiamus. Quapropter ex Deo esse non potest, quicquid post Christum nouæ doctrinæ exortum est, & adhuc exoriri posset, quæ à Christi doctrina diuersa sit. Vnde Paulus dicit, etiamsi angelus de cœlo euangelizet prēterquam quòd ipse euangelizauerat, eum anathema esse. Summa, Euangelium Christi nostra cœna est: aliam nouam doctrinam non est quod expectemus. Non immeritò autem magna cœna uocatur. Primò propterea, quòd omnibus hominibus annuntiatum & prędicatum fuit & adhuc, quemadmodum Christus ipse commisit & iussit. Euntes, inquit, in orbem uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Secundò, ideò quoque Euangelium cœna magna uocatur, quòd multi splēdidi nobis in ea cibi proponuntur: nimirum remissio peccatorum, pax conscientiæ, pax cum Deo, iustitia, gratia, uita, adoptio filiorum Dei, & hæreditas æterni cœlestis regni. An non autem hęc magna & præclara sunt? Et hæc tamen hic inueniuntur in uerbo Euangelij. Quocirca Christus in Matthæo non immeritò clamat & dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus uestris. Et in Isaia: Omnes sitientes uenite ad aquas, &c. Secundò, nihil prohibet quin per hanc cœnam, ęternam felicitatē intelligamus, quæ electis à cōstitutione mūdi à Deo parata fuit, imò ab ęterno. Hęc meritò uocatur cœna, erit siquidē ultima refe-

Isa. 2.
Ioel. 2.
Matth. 17.
Gal. 1.
Euāgeliū magna cœna.
Mar. 16.
Isa. 55.
Matth. 25.

ctio electorũ, nõ sequetur alia. Tũ quoq; felicitas propterea cœna appellatur, quòd illã æterna requies cõsequatur, quẽadmodũ cœnã nocturna quies sequitur. Sed & felicitas magna uocatur cœna: magnus est enim qui eã parauit ac fecit,
Psal. 47. ut Dauid dicit: Magnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in mõte sancto eius. Secũdò, æterna felicitas est magna cœna, siquidẽ in amplissima domo parata est, ue-
Baruch 3. lut Baruch dicit: O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Tertiò est magna cœna, quia ingẽtia ac ineffabilia nobis in ea prȩstantur bona, quemad-
Isa. 46. modũ Isaias & post eũ Paulus dicit: Oculus nõ uidit, nec au-
1. Cor. 2. ris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quȩ præparauit Deus iis, qui diligunt illũ. Quartò est & erit magna cœna, ob summã dulcedinẽ, quam Deus in ea abscõdit & præseruauit timentibus se. De hac cœna dictum est, quod paulò ante ho-
Psal. 30. diernum Euangelium scriptum est: Beatus qui manducabit
Luc. 14. panẽ in regno Dei. Et quod Iohannes dicit Apocalypsis 19. Beati qui ad cœnã nuptiarum Agni uocati sunt, quia in illis mors secunda locum non habebit. Hãc cœnã nobis Christus magnis sumptibus emit & apparauit, siquidem pretioso suo sanguine nobis promeruit. Ad eã cœnam nos Deus hic uocauit, ut in Euangelio sequitur: Et misit seruum suum ho-
Hora cœnæ. ra cœnæ. Hora istius cœnȩ est ultimum tẽpus mundi, quod
1. Iohan. 2. etiã Iohannes nouissimam horam uocat. Est tẽpus gratiȩ &
Rom. 13. diuinȩ miserationis, de quo Paulus dicit: Hora est iã nos de
2. Cor. 6. somno surgere. Et rursum: Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies salutis, &c. Ad hãc horam Deus seruum suũ mi-
Heb. 1. sit, uti Paulus dicit: Multifariam multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio. Hic ille seruus est, de quo Deus in Isaia cap. 42. loquitur: Ecce seruus meus quem elegi, super eũ dedi
Isa. 61. spiritum meum: iudicium gentibus proferet. Et ipse Christus in Isaia: Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me, &c. Et id quidem Christus fecit, cum inquit:
Marc. 1. Pœnitemini, & credite Euãgelio, quoniam impletũ est tempus, & appropinquauit regnũ Dei. Et iterum apud Iohannẽ cap. 7. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat, &c. At quid Christus in hoc & similibus uerbis aliud fecit, quàm quod inuitatos uocauit? Ueruntamen per seruum quoque intelligere
Serui per quos uocantur. possumus totam multitudinem Sanctorum Apostolorũ & prædicatorum, ad quos Christus dicebat: Posui uos, ut eatis

& fru

& fructum afferatis. Et iterum Marci ultimo: Euntes in orbem uniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Hos autẽ Christus uocat seruos, nõ dominos, ad iudiciũ, quòd munus eorum nõ est fastus mũdanus, sed graue onus, & nõ ut dominẽtur, sed seruiãt, quemadmodum Christus quoq; alio in loco docet, Qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Vnde & Paulus, Sic nos, inquit, existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. Serui & ministri esse debent, nõ tamen quorũlibet, sed solius Dei: huius gloriam quærere, huius uoluntatẽ peragere debẽt. Vnus esse seruus debet, hoc est, omnes unũ cor, unũ spiritum & uniusmodi doctrinã habere, ac profiteri debent. Mandatum autem eorum est, inuitatos uocare, quia parata sunt omnia. Inuitati primùm erant Iudæi, quia Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius de Christo Iesu. Illi testamentum, promissionem, legem & adoptionem filiorum Dei habebant. Hi primùm uocari debebant: illis Euangeliũ & uerbum Dei primũ annũciari oportebat, ut Paulus dicit. Ideo & Christus apud Matthæum cap. 15. de seipso dicit, nõ se missum nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Tũ etiã suis discipulis uetabãt, ante suã passionem ne in uiam gentium abirent, ut habes Matthæi cap. 10. Ad quid uerò eos misit Christus? ut dicerent inuitatis ut uenirent. Hoc Apostolorum & prædicatorum munus est. Et quid facere amplius possunt, quàm uocare, adnuntiare, monere? Quemadmodum Paulus dicit 2. Corinth. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, &c. Quia parata sunt omnia, intellige quæ ad beatitudinem pertinent: diabolus uictus est, mors oppressa, cœlum apertum, ira Dei reconciliata, nihil amplius restat, nisi ut ad iter nos accingam⁹ & properè in eam requiem ingrediamur. Quocirca & Christus in cruce dicit: Cõsummatũ est. O quantum gaudij antiqui patres habituri fuissent, si illis hoc audire cõtigisset! Vocabantur quidem, sed nondũ omnia parata erant. Quinimò sperabant futuro tempore paratũ iri. Nihil itaq; mirum, quòd Christus ad suos dicit: Beati oculi qui uident quę uos uidetis, &c. Imò meritas Deo debemus gratias, quòd tam diuites facti sumus in omni gratia & cognitione, ita ut nihil amplius reliquum sit nobis, quàm aduentus Seruatoris nostri, qui etiam reformabit corpus humilitatis nostræ, configu-

Iohan. 15. *Matth. 10.* *1. Cor. 4.* *Gal. 3.* *Rom. 9.* *Act. 1.* *Prædicatorũ munus.* *Heb. 4.* *Iohan. 19.* *Luc. 10.* *Phil. 3.*

tatum corpori claritatis suæ. Hoc bonus quisq; Christianus considerare habet circa primam partẽ istius Euangelij. Quæ supersunt uerba, in alium differemus sermonem.

QVINTVS SERMO DE *secunda parte hodierni Euangelij.*


ODIERNVM istud Euangeliũ loquitur de cœna quadã magnifica & cõuiuio, de cõuiuis & inuitatis. Cogitare idcirco quis posset, id ad res tantũmodo externas spectare. Verùm qui Lucã in manus sumit, & legit quę ante hodiernũ Euangeliũ habentur, facilè uidebit, Christũ in hac similitudine de nulla externa comessatione & cõuiuio dicere seu loqui. Quid igitur scribit Lucas ante hodiernũ Euãgelium? Christus semel mensæ assidẽs in domo cuiusdã Pharisæi, hospitem simul & cõuiuas increpabat, eò ꝙ utrobiq; loci uidebat & obseruabat defectũ. Hospes amicos suos dũtaxat inuitauerat, omissis pauperibus: inter cõuiuas quilibet locum honoratiorẽ ambiebat. Ad inuitatos dicebat: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, recũbe in nouissimo loco, ut cùm uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascẽde superius. Tunc erit tibi gloria corã simul discũbentibus. Dicebat autẽ & ei qui se inuitauerat: Cũ facis prãdiũ aut cœnã, noli uocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; uicinos diuites, ne fortè te & ipsi reinuitẽt, & fiat tibi retributio: sed cùm facis cõuiuiũ, uoca pauperes, debiles, claudos, & cęcos: & beatus eris, quia nõ habẽt retribuere tibi. retribuetur enim tibi in resurrectione iustorũ. Hæc cùm audisset quidam de simul discũbẽtibus, dixit illi: Beatus qui mãducabit panẽ in regno Dei. Tunc Christus parabolã hanc dicere cœpit. Ex quibus apparet, quàm pulchrè de corporali cibo & cõuiuio, ad spirituale & æternũ sermonẽ flectat, quẽadmodũ & in Iohãne facit, cùm quinq; millia hominũ quinque panibus pauisset, mox incipiebat sermonem de spirituali cibo corporis sui & sanguinis. Quæritis me, inquit, quia mãducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini nõ cibũ qui perit, sed qui permanet in uitã æternam, &c. Similẽ quoq; in modũ hìc facit. Eãque propter totũ istud Euãgeliũ nihil aliud est, quàm respõsum ad uerbũ quod ille dixerat: Beatus qui mãducabit panẽ in regno Dei. Ad hoc (inquã) uerbũ respõsum Christus dedit hac similitudine. perinde ac si uoluisset dicere: Rectè & bene facis,

Luc. 14.

Iohan. 6.

Luc. 14.

facis, quòd in corporali conuiuio memor quoq; es æterni. Vtiq; enim Deus suis quoq; æternũ parauit cõuiuiũ. Vtiq; etiã omnes ij & quidẽ soli beati sunt, qui cõuiuiũ illud gustabũt. Sed solis uotis eò nõ peruenies. Si ad cœlũ uoles, ea ingredi te uia oportet, quæ sola ad cœlũ ducit. Si quæ æterna sunt speras, nõ aspernari te oportet, si qd tibi Deus etiã hic in terris gratiæ offert. Frustrà in cœlum suspicis, si nõ curas, quod Deus in terris tecũ facit. Hîc in terris incipias necesse est, Dicit Dauid de Deo, gratiã & gloriã dare dominũ. *Psal. 84.* Cæterum gratia præcedit, gloria sequitur. Vtrũq; dare uult Deus, & neutrum sine altero. Quò autẽ uideas Deũ nõ defuisse, nec defuturũ unquam, ecce parauit iam cœnã, in qua uobis Dei gratia absq; uestris præcedẽtibus meritis offert, & ex qua pacẽ, gaudiũ & quietẽ habere ac haurire potestis. Id est Euãgeliũ, quod uobis prædico, hoc cœnam uoco. Nã ut cœna plerũq; breuis est: ita quoq; meũ Euãgeliũ nihil aliud est, quàm causa & initiũ maioris rei secuturæ. Neq; tamen inconuenienter etiã magna cœna dicitur, propterea quòd omniũ hominũ cõmunis est. *Euangelium cœna.* Hãc uobis iam Deus parauit, & multos ad eã uocauit, imò omnes homines, Iudæos & gentes. Et quò id omnibus palàm fiat, omnésq; uideant, rem seriò agi, nõ meros homines, ut antea fecit, sed iã nũc unigenitũ suum filium misit, ut uos uocet. Etenim nunc tẽpus & hora cœnæ est, & omnia iã parata sunt. Vide, hæc causa est, quãobrẽ in terras ueni: hoc munus est, quod in terris obeo: hoc quæro cum omnibus meis prædicationibus: Venite, parata sunt enim omnia. Verùm quàm minimè neque Deus, neque ego defuimus, tam magnũ hactenus defectũ in uobis deprehendi. Voco, & nemo me audit. Deus nobis æterna offert, uos temporalia sectamini. *Nostra ignauia.* *Prou. 1.* Quinimò ob temporalium rerum amorem æterna negligitis. Et tamen uidemini uobis eiusce rei iustas habere causas, Alius dicit, uidendum sibi esse, quo pacto statum suum & dignitatem tueri possit: alius ait de uictu sibi cogitandum: tertiò pro uxore & liberis cura gerenda. Sic uobis pro excusatione sumitis, quæ nulla excusatio est: & impedimentum uobis fingitis, quod per se impedimentum nullum est. Deus non in hoc te ad dignitates & potestatem euehit: non ideo dat tibi uxorem & liberos: non propterea te laborare iubet, ut impediare à tua salute. Non malum est, quod uillam aut bouem emis, & uxorem ducis, sed quòd propterea spiritualia

& æterna negligis. Hocauté in uobis hactenus Iudæis dèprehédi,& adhuc deprehédo. Quapropter etiá uobis quid euéturum sit,prędicá. Si uos nó uultis,inueniet Deus alios, qui alacribus animis Euágeliú meú accipiét:imò citius mutilos, claudos & cæcos recipiet, quàm ut tantos sumptus p me frustrà instituisse uelit. Quàm uerò benignus erga eos erit, tam certò ira eius super uos ueniet:imò séntétia iam la ta est,ne cœnam hanc unquam gustetis. Hoc considera,&
Luc. 14. uidebis nó satis esse,optare ac dicere: Beatus qui manduca bit panem in regno Dei. Quod id pro re beata ducis,rectè tu quidé facis:quod ipse tibi hoc optas, laudabile est: uerú quemadmodú tu & tui similes uos hactenus ad id accómo daueritis,nó solùm repreh é sione,sed etiá æterna ira dignú est. En,hoc sibi uult Euágeliú istud. Et quidé hoc ipsum nobis quoq; dictú est: calamitati obnoxij oés sumus, omnes felicitaté expetim',sed facili de causa impedimur, & ob res
Matth. 23. friuolas. Ierusalé Ierusalé(inquit Christ')quoties uolui con gregare filios tuos quéadmodum gallina cógregat pullos suos sub alas,& noluisti? Hoc Christus de Iudęis quest' est, & uehementer quoq; coarguit. Nostrú est attédere, ne nobis simile qddá accidat. Quapropter quéadmodú in proximè præcedente sermone bonitaté Dei cósiderauimus ac uidimus:ita nunc quoq; in hoc sermone uidebimus, quàm
Ingratitudo nostra. pulchrè Christus & perspicuè humaná ingratitudiné describat. Et cœperunt simul omnes,inquit, excusare. Hæc uerba cófer cú benignissima inuitatione,uidebis quanta ingratitudo sit,præsertim quia uox(omnes)addita est, unde cósta re potest,nó unú aut aliquos,sed omnes excusasse. Nec tamé ulla ualet excusatio,ubi dominus omniú rerú,homines ad uitá uocat. Etenim omnia sunt postponéda, ubi æterna
Phil. 3. nobis offeruntur. Quemadmodú Paulus faciebat ad Philippenses. Quòd si hoc uerbú ad Iudæos flectere uoles,ostendere Christus peculiariter per id uoluit,eorú perpaucos ad
Isa. 10. fidé uéturos,quéadmodú & Isaias idipsum prædixit: Si fuerit populus Israël quasi arena maris,reliquiæ conuertentur
Isa. 1. ex eo. Imò nisi dominus reliquisset iis semé, quasi Sodoma fuissent,& quasi Gomortha similes essent. Quæ igitur eorú fuit excusatio? Primus dicebat,uillam emi:& necesse habeo
Superbi. exire & uidere illá. Per hunc primú omnes superbi & ambitiosi significantur, qui honorum & potestatis huius mundi studio incumbunt,adeò ut negligant quicquid spiritualium
& diui

& diuinarum rerum est:haud morantur ęternum honorem, sed temporalia pluris faciunt, quàm æterna:superbiæ tumore excæcantur impediuntúrq; , ut animũ suũ Deo nõ subiiciant, per quod riuus illius grâtiæ ad eum dimanare possit. Vnde & Christus ad tales dicit: Quomodo uos potestis credere, qui gloriam ab inuicẽ accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, nõ quæritis? At quot homines inueniũtur, qui per superbiam & ambitionem à propria sua salute impediũtur? Sed quid stultius, quàm temporarios caducósque honores maioris pendere, quàm æternũ honorem Dei? Quid quæso tantopere curas mundanũ honorẽ & fastum, ò infelix creatura? An nescis te hominẽ esse? An ignoras hominẽ esse fœnum, & gloriam eius quasi florẽ agri? Exiccatur fœnũ, cadit flos: Verbum autẽ Domini manet in æternum. Quẽ teipsum facis? An ignoras quòd Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiã? An te fugit, quòd Deus deponit potẽtes de sede, & exaltat humiles? An nõdũ etiã scis, quòd quò altius ascẽdis, hòc grauius cadis? Quare caue ob tẽporariũ honorẽ salutẽ tuã negligas. Sin tibi mundanus honor obtingit, ne illi adiice cor tuum. Sed iam uerò uide, quid impij agant. Rogo te (inquit hic) habe me excusatũ. Semper excusant in peccatis suis. Nunquam ex animo confitentur se deliquisse, maximè superbi. Nã ut accusatio sui ipsius argumẽtum est humilitatis, quin uerũ ipsius opus est: ita quoq; excusatio certissimũ est indicium superbiæ. Eáq; de causa minabatur Deus olim Iudæis, se cum illis ad iudiciũ uenturũ, quòd excusarent, neq; iniquè fecisse uellent. Ideo & Dauid dicit, Pone Domine custodiã ori meo, & ostium circũstãtiæ labiis meis. Non declines cor meũ in uerba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Sed nihil apud nos Christianos usitatius, quàm quòd nõ modò negligẽtiã & omissionem boni, sed etiam manifesta peccata, scelera, dedecora, iniustitiã & scandala defensare conamur. Sed nihil iuuerit corã iudice qui omnia uidet, & cui nota sunt etiam cordium secreta. Arguam te, inquit, & statuam contra faciem tuam. Per alterum, qui prætexebat, se quinque iuga boum emisse, eos se probare oportere, intelliguntur & denotantur auari, qui tẽporalibus bonis ita occupati sunt, soliciti & anxij, quomodo ea acquirãt, augeãt, & cõseruẽt, ut omniũ spiritualium & cœlestium bonorum obliuiscantur: ita pecuniis & bonis suis affixi sunt, perinde ac si ea nũquam amittenda

In ambitiosos.
Isa. 40.
1. Pet. 5.
Luc. 1.
Hiere. 2.
Psal. 140.
Psal. 49.
Auari.

tenda sint, & tanquam hanc uitam non alia sequatur: imò
1. Tim. 6. quasi corpus sit anima potius. Eiusmodi auaritiam Paulus
Ephe. 5. radicem uocat omnis mali. Alio in loco auaritiam compa-
Eccle. 10. rat idololatriæ. Similiter dicit & Sapiens quidam: Nihil est
Ibidem. iniquius quàm amare pecuniam. Et iterum, Auarus animã
suam uenalem habet. attamen & talis audet dicere: Rogo
te, habe me excusatum. quod perinde est, ac si quis dicat:
Ora pro me, non possum nec uolo me conuertere, & ad
meliorẽ redire frugem. Humilem se quidem exhibet, dum
dicit, Rogo te: sed arrogantiæ est, quòd uenire recusat. Per
Luxuriosi. tertium, qui pro excusatione prætendebat, se uxorem duxis
se, ideóque comparere non posse, omnes ij intelliguntur,
qui corporalem uoluptatem salute sua potiorem habent.
Nam et si matrimonij status bonus est & honestus, quinetiam à Deo institutus, ad propagandum conseruandúmq;
humanum genus, attamẽ plurimi sunt, qui in eo nihil aliud
quærunt quàm uoluptatem. Quia uerò carnalis uoluptas
hominem arctissime tenet & uincit, imò penitus sibi subijcit & captiuum seruat, propterea hic nõ dicit, Rogo te habe me excusatum: sed simpliciter, Non possum uenire. Etenim carnalis uoluptas homini nauseam prorsus & fastidiũ
Ose. 4. parit rerum diuinarum. Quemadmodũ & in Osee habetur,
fornicationem, & uinũ & ebrietatem auferre cor. Proinde
indicare Christus uoluit, homines potissimũ per superbiã,
auaritiam, & carnis uoluptates, spiritualis suæ & æternæ salutis iacturam facere. Atque hæc quidem omnia sunt, quæ
in mundo magnifica apparent, honor, diuitiæ & uoluptas,
1. Iohan. 2. ut Iohannes dicit: Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia uitę.
Et in hoc humana consistit ingratitudo, quòd mundanum
honorem, temporalia bona, corporalem uoluptatem, gratiæ & charitati Dei anteponimus. Contra eiusmodi ingratitudinem Euangelium istud finaliter tendit. Nihil aliud est,
In nostram ingratitudinẽ. quàm si Christus dicat, primò ad Iudæos, deindę etiam ad
nos omnes: O uos ingrati Adæ filij, quàm multa habeo de
Iohan. 8. uobis loqui & iudicare? Quoties uobis auxiliari uolui, &
noluistis? Omne meum consilium despicitis. Iustã habui uobis irascendi causam, imò perdendi uos: sed misertus sum
Ezech. 34. uestri. uidebam miseriam uestrã, & mox auxiliari uobis decreui. Videbã uos ĩ exilio errare lõge à patria uestra, ideoq;
in propria persona de cœlo ueni: uidebam uos famem pati,
idcir

idcircò cœnam uobis paraui,& magnis impēdiis, imò proprio meo sanguine. Sciebā uos omni bono indignos, attamen ego uos misericorditer uocaui & inuitaui. Videbā uos passim dispersos in oībus mōtibus & plateis, curaui tamen uos cōgregari per meos seruos. Et ne qd deesset, uobis per ministros meos nūtiaui, omnia parata esse: ad hæc oīa diu expectaui & expecto adhuc. Hæc mea bonitas & humanitas uos utiq; allicere debebat. At nihil in uobis deprehēdo aliud præter indiligentiā, cōtemptū, ingratitudinē & rebellionem: beneficia mea nō cōsideratis, uerba mea non auditis, præcepta mea non seruatis, iram meam nō timetis, seruos meos & ministros calūniamini. Dura ceruice, & incircuncisis cordibus & auribus, uos semper spiritui sancto restitistis: à seculo confregistis iugum meum, rupistis uincula mea. Vide, hoc nobis Christus parabola ista indicare uult. *Ierem. 2.* *Act. 7.*

Et quāquam prima pars propriè Iudæos tangit, abundè tamen uita nostra testatur, nos eiusdē quoque farinæ esse, & similia facere. Et licet terribile satis foret, etiamsi non nisi unus populus in terris ingratus esset erga dominū & Deū suum, quemadmodum & Hieremias & cœlū & terram obstupescere iubet ad ingratitudinē Iudæorum, multis tamen in rebus deteriores illis inuenimur. Nos enim plerunq; superbiæ, auaritiæ, & libidinis tāta uorago tenet, ut quid doceat Christus, nō curamus. Nemo cogitat temporaria esse oīa & fluxa quæ uidētur. Nemo secum æstimat, q̃ miseri & calamitosi fuerimus, māsissemusq;, nisi in domū Dei uocati fuissemus. Nemo animo secū recolit sententiā, quam Christus pronuntiauit in omnes eos, qui ad suā cœnam nolunt uenire. Sed hoccíne Christiane factū? Aut hoccíne Christo placeat? Quanta ignominia afficimus summam diuinā maiestatem hac nostra ingratitudine & contemptu? Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniā dominus locutus est (inquit Isaias) Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Væ gēti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Hæccíne reddis domino popule stulte & insipiens? inquit Moyses. Si itaq; hæ & id genus querelæ, etiam nunc contra nostrā ingratitudinem sparguntur, quid futurum est in extremo iudicio, ubi omnes creaturæ nos accusabūt, quinetiam armatæ sunt ad uindictam inimicorum Dei? Hoc consideremus circa alteram huius Euangelij partem, &c. Deus nos omnes sua gratia donet, Amen. *Ibidem.* *Christiani Iudæis deteriores.* *2. Cor. 4.* *Isa. 1.* *Deut. 32.* *Sap. 5.*

SEX

SEXTVS SERMO DE TERTIA hodierni Euangelij parte.



IRCA hodiernũ iam dictũ Euangelium, facile uidere est, unde accidat, ꝙ cùm Christus tãtum promeruerit gratiæ, pauci tamen homines illa fruantur: ꝙ cùm tot homines uocet, pauci uerò ueniant: ꝙ cùm Euangeliũ tot seculis prædicatũ sit, omnibus autem tẽporibus minor pars illud ex animo & uerè acceptauerit: & in summa, quòd cùm nostrûm tot ex Aegypto, è seruitute peccatorũ & potestate diaboli per mare rubrũ, hoc est, ꝑ baptismũ traducti simus in uiam uersus terrã promissam, tam pauci uerò in eam ueniant, quinimò maior pars in deserto huius mundi pereat. Id ĩde adeò fit, ꝙ magis quę à tergo, q̃ quę à frõte sunt, cogitamus: ꝙ ollæ carniũ in AEgypto, magis palatũ nostrum afficiũt, quàm mãna: quòd tẽporalia magis nobis arridẽt, quàm spiritualia: & quẽadmodũ Christ⁹ ait, quòd tenebras magis, quàm lucem diligimus. Rogas quę illæ tenebræ sint? Est inter cætera quod ad istud Euangeliũ attinet, mũdanus fastus; tẽporalia bona, & corporalis uoluptas. Dicuntur rectè meræ tenebræ, si cum uera luce cõferantur, hoc est, cum uero honore, quẽ largitur Deus, cum spiritualibus & æternis bonis, & cum gaudio bonæ conscientiæ. Sed iam uerò ito in mundũ, quin etiã ad nos Christianos, & uide, an hic maximus defectus fit. Scimus, audimus ac legimus, quantũ dignitatis, bonorũ, ac iucunditatis in Deo & apud Deũ nobis promissum sit: uidemus & cõperimus quotidie, mundi honorem amœnitatemq; nihil esse, attamen plus diligimus tenebras quàm lucẽ. Quot sunt eorũ, qui ob mundanã potentiam & honores, corporalem uoluptatem & temporalia bona, Dei honorẽ & regnum, spiritualia bona & æternum gaudium negligũt? imò quot eorũ sunt, qui tẽporalia acciperent, & Deo suum cœlum relinquerẽt? Vnde prouerbium fluxisse putamus, Princeps rara auis in cœlo, quàm quòd eiusmodi hominum maior pars ob temporalem suũ fastum non solùm spiritualia negligunt, sed etiam quandoq; multa iniquè & tyrannicè agunt? Vnde fit quòd Christus dicit, Camelum facilius per foramen acus transiturum, quàm diuitem intraturum in regnum cœlorum, quàm quòd tales homines ita addicant se auaritiæ & temporalibus bonis, ut

Causa perditionis nostræ.

Num. 11.

Iohan. 3.

Tenebræ mysticæ.

Potentes.

Diuites.

Matth. 19.

capita

capita sua nequeant attollere ad res cœlestes? Hinc fit, quod propheta Abacuc diuitias & temporalia bona uocat densum lutum; annunciat iis æternum Væ, qui cœno illi sese immergũt. Vnde fit quòd Christus dicit, Væ uobis qui ridetis nũc, quia lugebitis & flebitis: nisi quòd tales homines plerunq; gaudium & uoluptas à spiritualibus rebus impedit? En, hoc est de quo Euãgeliũ istud dicit, quòd nobis Deus per Christum tam magnificum conuiuiũ, seu cœnam fecit, & homines uerò tam facilè ab ea sese segregant. Alius prædium emit, fastu suo impeditus: alius boues emit, auaritia impeditus. Tertius uxorẽ ducit, uoluptate aut etiam cura domestica impeditus. Et tamen omnes sibi uidentur iustas habere excusationes, etiãsi non tam pro eo ac debebant, grauiter spiritualibus rebus addicti sũt, quemadmodũ in præcedẽtibus sermonibus multũ & prolixè indicatum est. Scire autẽ uis, quàm Deo hoc placeat? Audi quid amplius dicat in Euãgelio: Et reuersus seruus, nunciauit hæc domino suo (intellige) quòd inuitati nollẽt uenire, sed omnes aliorũ negotiorum & externarum rerũ prætextu sese excusarent. Tunc iratus paterfamiliâs, &c. Per hunc seruum omnibus prædicatoribus exemplum datũ est & doctrina, ut post factam cõcionem & administratas res externas, in seipsos redeant, sese cum Deo occupent, & cor suum coram illo effundant. Sic enim Christus faciebat ipsemet, die prædicabat, noctu ad montẽ oliueti sese oratũ cõferebat. Idem fecere sancti Apostoli; prætorquã quòd prædicabant, etiã statutis temporibus oratum ad templum ibant. Sic & Petrus Actorum 9. cap. faciebat in Ioppe; circa horam sextam ibat in superiora domus, ut oraret. Cæterùm quòd seruus hic suo domino renũciat ingratitudinẽ inuitatorũ, non factum est ex uindictæ cupiditate, quemadmodũ Lucæ 9. discipuli Samaritanos igne de cœlo perire optabant, sed ex condolẽtia, quemadmodũ in alia parabola quoq; serui dicebant & querebãtur, Domine, nõnne bonũ semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Nam ut bono pioq; pastori summũ gaudiũ est, si plurimi homines ad Deum conuertãtur, uti in Diuo Paulo & Dauide uidere est, Os nostrum patet ad uos ô Corinthij, cor nostrũ dilatatũ est. Et post: Multa mihi fiducia est apud uos, multa mihi gloriatio pro uobis repletus sum consolatione: superabundo gaudio in omni tribulatione nostra, & præcipuè cum Titus uobis retulit uestrũ desiderium, uestrũ fletum,

Haba.2. *Luc.6.* *Luc.14.* *Institutio concionatorum.* *Luc.22.* *Act.3.* *Matth.13.* *2.Cor.6.& 7.*

fectum, uestram æmulationem pro me, &c. Sic & Dauidi in-
1. Par. 29. gens gaudium erat, cùm uideret populũ suum uolentem &
ultro ad templum contribuere: Domine Deus (inquit) uide
cum ingenti gaudio populũ tibi offerre donaria, Domine
Deus custodi in æternum hanc uoluntatẽ cordis eorum. Sic
uerò & è diuerso omnes boni pastores magno tãguntur do
lore, si parum aut nihil proficiant. Id tum cõqueruntur uero
domino & patrifamiliàs, quẽadmodum Isaias facit cap. 53.
Domine, inquit, quis credidit auditui nostro, hoc est, uerbis
nostris quæ à te audiuim⁹? Et Elias: Altaria tua destruxerũt,
& Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego
solus, & quærunt animã meã ut auferant eam. Quid autem
Ingratitudo tãdem has bonorũ seruorum super ingratitudine hominũ,
quàm inuisa pias querelas & gemitum consequitur? Tũc iratus paterfa-
Deo. miliàs (inquit Christus) Nihil tam Deũ ad iram & uindictam
cõcitat, quàm ingratitudo & contẽptus oblatæ gratiæ. Alia
peccata, quæ ex humana fiunt imbecillitate, ad tempus fer-
re potest: potest aliquid largiri nostræ infirmitati, quoniam
Psal. 102 ipse cognouit figmentum nostrum. Sed hoc est excedere
modum, quum nõ modò quotidie peccatur, sed etiam Dei
gratia sponte procaciterque contemnitur & reiicitur. Sic
etiam inuenimus uidemusq; in sacra scriptura, quod Iudai-
cum popolum etiam in multis & grauibus peccatis longo
tempore ferebat, sustinebatque: & tametsi quandoque eos
duriter puniebat, semper tamen sese rursum illis pœnitenti
bus benignum exhibebat. Verùm quum gratiam Euangelij
per Christum ipsis primò oblatam repudiarẽt, Deus omnẽ
iram suam in eos effundebat. Ideoque dicebat ad eos: Im-
Matth. 23. plete mensuram patrum uestrorum. Implete mensuram, ut
ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super
terram, à sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zacha-
riæ filij, &c. Sic & Christus dicebat ad suos discipulos, ut si-
cubi non reciperentur, etiam puluerem de pedibus excute-
Matth. 10. rent. Et addit: Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ So-
domorũ in die iudicij, quàm illi ciuitati. Eundem quoq; in
modum loquitur Christus aliis in locis, ubi Iudaico populo
in genere, & nõnullis ciuitatibus speciatim, ingratitudinem
ipsarum exprobrat. Viri Niniuitæ surgẽt in iudicio cũ gene-
Matth. 12. ratione ista, & condẽnabunt eam: quia pœnitentiã egerunt
in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hic. Regina
3. Reg. 10. Austri surget in iudicio cũ generatione ista, & cõdemnabit
eam:

eam: quia uenit à finibus terræ audire sapientiã Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic. Et alio in loco: Væ tibi Corozain, Væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidône factæ essent uirtutes quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiã egissent. Veruntamẽ dico uobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, q̃ uobis. Et tu Capharnaum, nũquid usq; in cœlũ exaltaberis? Vsq; in infernũ descendes. quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mãsissent usq; in hanc diem. Verũtamẽ dico uobis quia terræ Sodomorũ remissius erit in die iudicij, quã tibi. Oĩa hæc uerba indicãt, neminẽ diuinã indignationẽ, iram & pœnã maiorẽ certioremq; expectare posse, q̃ eos q oblatã gratiam aspernãtur. Hoc uult Christus ubi ait; Tũc iratus paterfamiliàs. Et quid sequitur? Dixit seruo suo: Exi citò in plateas & uicos ciuitatis, &c. Videm' hîc Abacuc rectè dixisse de Deo, cum etiã in ira sua non obliuisci misericordiæ suæ. Iratus erat paterfamiliàs in homines illos ingratos, neq; id iniuria: nec tamẽ propterea alios eius ingratitudinis pœnas dare uoluit. Sũma animaduersio erat, & certum argumentũ iræ eius, ꝙ ingratis nullum amplius seruũ mittebat, sed auferebat ab eis regnũ & uerbũ suum. gratia uerò & misericordia erat, ꝙ eiusmodi suum uerbum & regnum alijs hominibus offerebat & annũtiabat, idq́ue adeò etiã in hodiernũ usq; diẽ. Quãdiu Deus sanctum suũ uerbũ & regnũ nõ aufert à nobis, nondũ extremè iratus est, quãtiscunq; etiã nos pœnis afficiat. Nam hoc promisit Christo, si filij sui malè agãt, uisitaturũ se quidẽ eos in uirga, sed tamẽ misericordiam suam non dispersurum se ab eis. At ubi Deus uerbũ suũ & regnũ à populo aliquo auertit, ibi hauddubiè summa ira & indignatio est. Quare meritò Deo gratias agere possumus, quòd in tantis peccatis & prorsus impia uita, uerbum tamen suum & regnum nondum à nobis abstulit. Porrò iram suam declarat erga ingratos, dum nullũ amplius seruũ ad eos mittit, sinens eos perire in peccatis suis, quemadmodũ illis prædixerat, se abiturũ ab eis, & morituros ipsos in peccatis suis. Verùm non ideò cessabat cœnam suã ut cœperat perficere, & alios homines inuitare. Et hoc est quod Paulus pulcherrimis uerbis indicat in Epistola ad Romanos cap. 3. Quid enim (inquit) si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus uerax, omnis autem homo mendax.

Matth. 11.

Abac. 3.

Matth. 21.

Psal. 88.

Iohan. 8.

mendax, Imò, inquit Paulus postea eiusdem Epistolæ 11. capite, adeò primò inuitatorum, hoc est, Iudæorum ingratitudo Dei propositum impedire non potuit, ut etiam eorum delicto, salus sit gentibus, & illorum delictum diuitiæ sint mundi. Eorum enim incredulitas & ingratitudo causa fuit, quòd Deus seruum suum ad gentes misit. Exi citò (inquit) in plateas & uicos ciuitatis. Hæc ciuitas est mundus, is multas plateas habet, multas regiones, multa genera hominum: ad hos Apostoli missi sunt, postea quam Iudæi credere noluerunt. Quemadmodum Paulus ad eos dicebat: Vobis oportebat primùm loqui uerbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis dominus. Sed quid sancti Apostoli inter gentes inuenerunt? Miseros & inopes, debiles, claudos, cæcos homines. His uerbis ipsissimæ gentium conditiones, quales illi aliquandò fuêre, descriptæ sunt. Verè enim pauperes & miseri erant, quoniam gratia Dei & omnibus spiritualibus salutiferisque donis orbati erant, necnon separati à Deo eiusq; populo: erant sine Deo, sine Christo, alienati à cõuersatione Israël, hospites testamẽtorũ promissionis, spem nõ habẽtes, &c. Ad hęc debiles erãt, ægroti & claudi ad bonũ faciendũ. Etenim peccatũ oẽs naturales uires animæ sauciauit debilitauitque. Tertiò cæci erãt, & cognitione ueritatis destituti. Postremò quoq; claudi erãt, siquidẽ à regula & amussi iustitiæ lõgè recesserant. Ad hos homines Deus seruos suos misit, posteaquam Iudæi tanquam primùm inuitati uenire recusabant. Per hoc clarissimè indicatũ est, Deũ nõ esse acceptorẽ psonarũ, imò quòd non solùm Iudęorum, sed etiam gentium Deus est & esse uelit, & quòd diues est in omnes qui inuocãt illũ. Quare posthac non refert, qualis quisque fuerit: hoc unum cura, ut ad Christum curras, & alius homo fias. Hoc Dei mandatum fuit, quantum ad nos qui ex gentilitate uenimus, pertinuit: & id sancti Apostoli eorumq; posteri, summa fide executi sunt: & tamen semper inuenerũt adhuc plus loci superesse. Hoc in primis in hac parabola indicatum est, ea significatione, non esse cessandum & remittendum à prædicando, quàm diu numerus electorum impletus non est, aut quandiu supersunt homines, ad Deum & Euangelium Christi nondum conuersi. Sed quid Christus ob tales etiam homines mãdati dat? Exi (inquit) in uias & sepes: & compelle intrare,

[Margin notes: *Ciuitas, mundus.* — *Act. 13.* — *Pauperes.* — *Ephe. 2.* — *Debiles.* — *Cæci.* — *Claudi.* — *Act. 10.* — *Rom. 10.*]

intrare, hoc est, urge eos in stando, quin etiā pœna & minis æternæ condēnationis, ut cōuertantur. In eandē sentētiam docet & præcipit quoque Paulus suo Timotheo: Testificor corā Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, & per aduentū ipsius, & regnū eius: prędica uerbū, insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in oī patiētia & doctrina, &c. Nō ab re autē Dei & Pauli mādatū est, ut uerbo Dei homines peruicaces urgeātur cogantúrq;. Sunt enim uerba Dei quasi ignis, & quasi malleus cōterēs petrā. 1. Tim. 4. Hiere. 23.

Hic rursum apparet incredibilis bonitas Dei, qui nos tot modis uocat ad nostrā salutē. Interim uocat nos uerbo externo, interim diuina scriptura, interim interno instinctu, interim beneficiis & felicitate. Sæpenumero quoq; nos cōpellit pœnis & rebus aduersis ad nostrā salutē. Verum si his omnibus nihil proficitur, & hāc Dei bonitatē contēnimus, dicitur sententia: Dico uobis, quòd nemo uirorum illorum, qui uocati sunt, gustabit cœnā meam. Horribilis sententia & ualde metuenda. Nam quid aliud est, ab hac cœna excludi, quàm ab omnibus Dei bonis repelli, & omni malo ac infortunio æternū obnoxiū esse? Hanc sententiā Christus in ingratos, peruicaces homines tulit, & is Christus, cui pater omne iudiciū tradidit. Quare caue ingrat⁹ ut sis: caue gratiā Dei negligas aut contemnas, ne in hanc sententiam & iudicium incidas. Nā hæc omnia pro nostri emendatione, castigatione & admonitione scripta sunt. Deus nobis omnibus suam largiatur gratiam, Amen. Iohan. 5. 1. Cor. 14.

SEPTIMVS SERMO COMponit hodiernum Euangelium cum Epistola & collecta seu Ecclesiæ oratione.



QVISQVIS Euangelium hoc rectè intuetur & considerat, facilè intelliget, quid sibi uelit quòd Deus per ueteres prophetas toties conqueritur & dicit contra Iudæos, se manè cōsurrexisse, seruos suos ad eos misisse, uocasse eos, monuisse, contestatúmq; esse, & tamē semper rebelles inuenisse. Hęc querela (inquā) frequens est apud antiquos Prophetas. Christus ipse id confirmat in Euangelio, ubi ait: Ierusalem Ierusalem, quoties uolui cōgregare filios tuos, quēadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Diuus Stephanus rem adhuc magis exaggerat: Dura ceruice Hier. 7. & 11. Matth. 23. Act. 7.

uice (inquit) & incircuncisis cordibus & auribus, uos semper spiritui sancto resistitis: sicut patres uestri, & uos. In hoc Euágelio apparet, eiusmodi querelas nō iniustè contra eos esse factas: imò apparet Deum nunquā suis partib⁹ defuisse. Est paterfamiliâs, cui res uehementer curæ erat, ut conuiuas ad cœnā suam conquireret. Idcirco mittebat seruos suos, non semel, sed ter. Primò, in domos ad eos, quos speciatim inuitauerat. Deinde in omnes plateas ciuitatis. Tertiò etiam in uias & sepes: nō cessabat, donec oēs mensæ impletæ essent. Si quidā uenire nolebant, alios uocabat, quos in proximo inueniebat. Quòd si nec ij sufficiebāt, alios forinsecus adduci curabat. Cœnā suam non frustrà paratam uoluit: gratiam suam nō frustrà hominibus annuntiatam & oblatam uoluit. Seruum non patiebatur quiescere, donec iustum conuiuarum numerum coëgisset, nec illum adhuc quiescere finit.

Ter missi serui à Deo.

I. II. III.

Missi primò prophetæ.

Antiqui Prophetæ primi erant, quos mittebat Deus: sed præstare haud multum poterant. Moyses primùm experiebatur, imò animus illis præsagiebat, futurū ut non multum efficeret: Domine (inquit) non credent mihi, neq; audiēt uocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi dominus. Et quod ille suspicabatur, hoc alij experiebantur, qui post ipsum ueniebant. quin etiā ipsemet Isaias conquerebatur, illos Prophetam nullum amplius audire nolle: Domine (inquit) quis credidit auditui nostro? Elias 3. Reg. 19. conquerebatur, eos omnes Prophetas interfecisse, nec ullum rectum præter se. Hieremias dicebat & conquerebatur: Væ mihi mater mea, quare genuisti me uirum rixæ, uirum discordiæ in omni terra? Micheas 7. capite ait: Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos uindemiæ. Ita nāque etiam illi usu uenit in prędicando. Ezechieli prædicebat Deus, fore ut ipsum nō audirēt. Fili hominis (īquit) nō ad populū ꝓfundi sermonis, & ignotę līguæ tu mitteris, ad domū Israēl: etsi ad illos mittereris, ipsi audirēt te. Domus autē Israēl nolūt audire te, quia nolūt audire me. Et licet ꝓphetę aliquot homines in suam sententiam pertrahebant, haud tamen in ea persistebant. Moyses magnam in Aegypto multitudinem coëgerat, qui ipsum sequebantur, sed in terram eos perducere non poterat, eò quòd rebelles essent. Isaias inueniebat eos quidem in magno numero in terra quam illis dederat De⁹, sed parum illi eorum probatur animus: paucos reperiebat quibus cœna curæ erat, quam eis parauerat Deus. Domine (inquit)

Exod. 4.
Isa. 53.
Hiere. 15.
Ezech. 3.
Num. 14.
Isa. 9.

(inquit) multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Et *Isa.10.* iterum: Si fuerit populus tuus Israël quasi arena maris, reliquiæ conuertētur ex eo. Sic cum primis seruis sanctis Prophetis actum est. Post Prophetas mittebat Deus filium *Missus secūdò* suum. Is uerò aliud tentabat. Nam etsi diuites, potentes, & *filius Dei.* docti Dei gratiam aspernabantur, colligebat ille pauperes, quin etiam cæcos, debiles, & claudos, & quoscunque in omnibus plateis obuios habebat. Erant primò pauperes, indocti piscatores. Erat deinde uulgus, quod ad illum agminatim confluebat. Erāt tertiò publicani & miseri peccatores, Matthæus, Zachæus, peccatrix apud Lucam, latro in cruce, &c. Tales homines cogebat Christus: sed quærebat eos tantum in ciuitate & plateis: non exibat ciuitatem: manebat cum sua prædicatione in terra Iudaica. Non sum missus *Matth.15.* (inquit) nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Gaudebat quòd congregasset tales pauperes & claudos. Confiteor tibi pater domine cœli & terræ (inquit) quia abscon- *Matth.11.* disti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater: quia sic fuit placitum ante te. Post hos, mox *Ibidem.* alios uocabat pauperes & claudos. Venite ad me (inquit) omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos.

Sed neque hi sufficiebant adhuc, locus noster adhuc uacabat, & idcircò tertius seruus mittebatur, non solùm in proximum & in plateas, sed in longinquum etiam in om- *Missi tertiò A-* nes uias, per omnes sepes. Is est Apostolatus & prædican- *postoli et præ-* di munus, quod non cessabit, donec uel homo in terris *dicatores.* fuerit reliquus aut nascetur, & in terras uenturus est, qui ad hanc cœnam pertinet. Hoc dicit & annuntiat nobis Euan *Hier.7.* gelium istud de Deo nostro. Tantum fecit erga nos mortales & adhuc. Tantò melius etiam iam inde ab initio dicere potuit, se manè consurrexisse, mittere ad nos seruos suos: nullo enim tempore hoc intermisit, nullum hominem neglexit, multi autem seipsos neglexerunt. Triplex ille unicus, de quo Iohannes loquitur, omnes nos retrahit. *1. Iohan.1.* Ea est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia uitæ. Hęc præcipua sunt, quę nos remorāt, sūpbia, auaritia, uoluptas. Propterea etiā multi homines in ęternū ab hac cœna & cōuiuio diuinę gratię & glorię exclusi erūt. Sic in illis impleri oportet qđ Christus alio ī loco dicit: Multi sunt uocati, pauci uerò electi. Hoc bon⁹ Christianus cōsi- *Matth.2.*

deret, nec harũ rerum ulla moueatur, sed libens uocationi Dei pareat, priusquã domus claudatur: nec grauetur quiduis etiã ob id pati ac facere, sed rectà progrediatur quæ illi ostẽsa est uia. Huc pertinet hodierna Epistola, Nolite mirari (inquit Iohãnes) si odit uos mundus, &c. Hunc in modũ nobis hic seruus & minister Dei acclamat. Rectã nobis ostẽdit uiã, quæ certò nos ducit ad Deũ, & æternã eius cœnã. Ea est fides quæ per charitatẽ operatur, aut charitas de corde puro, & cõscientia bona, & fide nõ ficta. Ad hanc uiã oẽs se dirigant, qui ad Deũ & æternã felicitatẽ uenire exoptant: non moueantur, ꝙ charitas aliquid requirat: etenim nõ uerbo tãtũ, sed etiã opere & in ueritate declaranda est, nec moueantur, si illos ob hoc mundus odit, aut etiã persequitur: agitur de uita æterna. Quò autẽ id facere melius, & expeditius procedere posimus in uia ad cœleste conuiuiũ, necessariũ est, ut hodiernã Ecclesiæ orationẽ cum omni studio & diligẽtia usurpemus, dicamúsq; : Sancti nominis tui Domine timorẽ pariter & amorẽ fac nos habere perpetuum, quia nũquã tua gubernatiõe destituis, quos in soliditate tuę dilectionis instituis. Sic nos docet Ecclesia orare circa hodiernũ Euangelium & Epistolã. Necessaria profectò oratio, siue ea super Epistola, siue super Euangelio utare. Atq; utinã orationem hanc unicam ex animo & cum deuotione facere possemus. Posset ea nobis in hoc inseruire, ut neq; oblatã gratiã aspernaremur, neq; uiã, quã Iohannes nobis mõstrat, cũ tædio & animo difficili curreremus. Est autẽ Euangeliũ istud, ut abundè suprà ostensum, eò propriè destinatũ, ut discamus cognoscere & uidere, quę gratia nobis oblata sit, & quàm nobis ipsi malè cõsulamus, si eã despiciamus aspernemúrq;. Dico uobis (inquit Christus) ꝙ nemo uirorũ illorum qui uocati sunt, gustabit cœnã meã. E diuerso hodierna Epistola eò respicit, ut ex cõsideratione acceptę gratię Dei, etiã necessitatẽ proximi nostri cõsideremus, aut ne filios Dei nos profiteamur. Qui habuerit substantiã mundi (inquit Iohannes) & uiderit fratrẽ suum necesse habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Hęc pręcipua sunt, quę nobis proponũtur hodie, nõ contẽnere quæ nobis dat Deus, & non denegare proximo aliquid in sua necessitate petenti. Duo sunt magni sanè momẽti, nec pauca ad ea pręstanda requiruntur: imò illa adeò duo requiruntur, quę hodie à Deo petere docemur, nimirũ timor & amor sancti nominis

1. Iohan. 3. *Gal. 5.* *1. Tim. 1.* *Charitas opere præstanda.* *Precatio ecclesiæ.* *Luc. 17.* *1. Iohan. 3.* *Timor & Amor Dei.*

minis Dei. Quippe ubi Deus & sanctum illius nomen, neq; timetur neq; diligitur, neutrū horum ibi fit. Eius rei cùm in Euangelio, tū in Epistola clara argumenta habemus. Principiò in iis, qui res ob tā friuolas præpediebantur, quò minus ad cœnā uenirent, ad quā tamen ex mera gratia & præ cæteris omnibus hominibus uocati & inuitati erant. Hi primùm erant Iudæi, nunc sunt oēs ignaui & ficti Christiani. Quid autē illis deest aliud utrobique, q̃ timor & amor sancti Dei nominis? Non aliunde illa ingratitudo est, q̃ quòd neq; timor neq; amor Dei in nobis est. Non reformidamus ullum peccatū, quādo persuasum habemus, ut ubi fides est, nullū ibi posit nocere amplius peccatum & condemnare, quotcunq; etiā quotidie & sine formidine cōmittantur. existimamus Deū non posse amplius irasci, qualitercunq; uiuamus. Verùm longè aliud uidemus in hoc Euangelio. Iratus paterfamiliâs (inquit Christus) aduersum eos quos inuitauerat, sed non propterea, quòd nō credebant, sed quòd uenire nolebant, sectantes superbiā, auaritiā & uoluptatē suā. Hanc irā Dei quisquis timere posset, Dei uocationē haudquaquā spreturus esset. Sic & de aliis. Si uera in nobis charitas esset, oblatā illius gratiā, fauorē & bona nunquam ob nullā, boues & uxores nostras contempturi essemus & aspernaturi, pluris Deū facturi, quàm totius mundi honorē, bona & uoluptatē. Sed Dei nobis timor & amor deest. Tēporale solatiū plus diligimus q̃ Deum: tēporale incōmodum plus metuimus, quàm irā Dei. Quid igitur circa istud Euangeliū melius & necessariū magis possemus orare, quàm ut timorē & amorē sancti sui nominis nostris aspiret cordibus, inq; iis cōseruet? Nec mundus quidē caret timore & amore: imò ij præcipui affectus sunt, qui in mūdo regnant, timor & amor: cęterū non est timor & amor diuini nominis, sed merè inordinatus, mundanus, paruus timor & amor, & qui ultròin nobis nascuntur, & tā potenter, ut etiam homo bonus ad eos cohibendos per omnē uitam satis negotij habeat. Enimuerò ipse Dauid cōtra eiusmodi inordinatū amorē & timorē orare cogebatur: Cor mūdū (inquit) crea in me Deus, & spiritum rectū innoua in uisceribus meis. Et rursum: Domine auerte oculos meos, ne uideant uanitatē: in uia tua uiuifica me. Inclina cor meum in testimonia tua, & nō in auaritiam, &c. E diuerso autē, timorē & amorem diuini nominis rogabat: Domine (inquit) cōfige timore tuo carnes meas. Si hoc

Solā fidē sufficere, quam uana persuasio.

Timor & Amor mundi.

Psal. 50.

Psal. 118.

sanctus Dauid rogare à Deo necesse habuit, mirũ non est, si idẽ rogare nos doceat Ecclesia, maximè circa istud Euangeliũ: quandoquidẽ uidemus iis, cõtra quos dictũ potissimum est, nihil aliud defuisse prẹter timorẽ & amorẽ Dei. Etenim si Dei irã timuissent, haudquaquã illius gratiam & fauorem spreuissent. Si Deum uerè & supra omnia dilexissent, nulla re tẽporali se impediri siuissent. Circa hodiernã Epistolã eadẽ quoq; opus habemus oratione. Nã paulo antè scribit Iohannes de impio Cain, qui tã immaniter contra charitatẽ egit, ut etiam germanũ fratrẽ suum occideret. Et quid ei deerat aliud, quàm timor & amor Dei? Si Deũ timuisset, tã crudele homicidium nõ designasset: porrò si Deũ dilexisset, seruum eius fidelẽ nequaquã illi è medio sustulisset. Res itaque ipsa loquitur, in Cain neq; timorem neq; amorẽ Dei fuisse. Cõtra uerò pro certissimo Iohannes argumento ducit charitatis, quòd Christus animã suam seu uitam pro nobis dedit. Egregiè itaq; etiã cõcludit, nullum esse in homine amorem posse, qui fratri suo egenti non succurrit. Quòd si igitur res ita habet, uti esse dubium nemini debet, rursum patescit, nos circa hodiernam Epistolam rogare melius nil posse, q̃ amorem & timorem diuini nominis. Nam qui in amore Dei firmatus est, ei diuina gubernatio nunquam defuerit. Nunquam tua gubernatione destituis, ait Ecclesia, quos in soliditate tuę dilectionis instituis. Hoc sibi sancta Ecclesia omnibus modis de Deo promittit: hanc illi laudẽ defert: neq; dubitare Christianus ea in re ullus debet. Hoc itaq; iam nũc restabit, ut quando in Euangelio audimus, quid Christus loquatur contra ingratitudinem eorum, qui gratiam ipsius respuunt, & quid Iohannes loquatur de iis, qui ita duro & immisericordi animo sunt contra fratres suos, hodiernam Ecclesiæ precationem tanto feruentius usurpemus exerceamúsq;. Deus nos omnes sua donet gratia, Amen.

1. Iohan. 3. Gen. 4.

OCTAVVS SERMO DE *Euangelio & Epistola.*



ODIERNVM istud Euãgeliũ, quia præter parabolã seu similitudinẽ nihil habet, simplex uidetur, ueruntamen ad multa nobis inseruire potest. Etenim primò scripturę quædam ex eo cõciliari possunt, quæ alias sibi cõtrarię uidetur. Secũdò, tria cõtinet in se, quę cuiuis Christiano scitu necessa

necessaria sunt. Tertiò quoque triplex prædicandi modus in eo ostensus est, quo Christus usus est, quóq; adhuc quotidie in Ecclesia & Christianitate concionatores utuntur. Primò uideri alicui posset, non posse constare, quod Paulus dicit, Deũ uelle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire: Et quòd Christus dicit: Multi sunt uocati, pauci uerò electi. Si enim, quemadmodũ Paulus affirmat, Deus uult omnes homines saluos fieri, quomodo igitur constare hæc sibi possunt, quòd Christus dicit, paucos fieri saluos? Enimuerò uoluntati Dei nemo resistere potest: & omnis uoluntas eius fiat necesse est. Si itaque pauci electi sunt, quẽadmodũ Christ⁹ dicit, quomodo quod Paulus dicit locũ habebit, Deum uelle omnes homines saluos fieri? In hoc Euãgelio perspicuũ fit, hæc utraq; dicta esse uera, & nõ contraria. Primò nãq; rogas, quomodo Deus uelit omnes homines saluos fieri: respõsum tibi sit, quòd omnes homines ad cœnã suã, hoc est, ad gratiã suã uocauit & inuitauit: quippè cùm annunciatio & prædicatio Euãgelij nihil sit aliud, quàm inuitatio & uocatio hominũ ad gratiã Dei. Atqui Euangeliũ omnibus hominibus prædicatur, nemine excluso, & sic quidẽ Christus mandauit. Euntes (inquit) docete omnes gentes, imò prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Hunc in modum uult Deus omnes homines saluos fieri, utpote omnibus suã offerens gratiam. Cæterũ quòd pauci salui fiunt, nõ ex eo fit, quòd Deus nolit: sed quòd homines illi⁹ inuitationẽ spernãt, gratiã illius reiiciãt, seruos eius & ministros audire nolint, suã quisq; currat uiã quocũque ipsum sua praua cupiditas ducit & impellit. Quòd si igitur nolũt, haud illos coget Deus. Volũtas eius adest, cupientis & auxiliãtis, ut omnes homines salui possint fieri: quia uerò nostra desideratur uoluntas, accidit inde, ut necessariò pauci homines salui fiant. Sic itaq; ex hoc Euangelio utraq; hæc dicta conciliari possent, &c. Et hoc unũ est, quod ex eo obseruari potest. Deinde & secũdò, tria quoq; in hoc Euangelio indicata sunt, quæ scire cuiusuis Christiani interest. Primũ, est magna gratia ad quam uocati sumus. Secũdum, est causa, quãobrẽ eiusmodi gratia ad nos peruenerit. Tertiũ, modus est quomodo illa gratia uti debeamus. Vt autẽ hæc tria quilibet Christian⁹ sciat, nõ parũ refert, imò hac ipsa adeò de causa illa Christus nobis sic proposuit externis similitudinib⁹, quas intelligere & memoria tenere nemo nõ facilè

1. Tim. 2.

Matth. 20.

Rom. 9.

Isa. 46.

Deus ut uelit omnes saluos fieri.

Matth. 28.

Marci 16.

Cur pauci salui fiant.

Tria scitu necessaria.

I.

II.

III.

pótest, quò nemo ignorantiam prætexere posſit. Eſt ergo magna cœna nihil aliud q̃ gratia noui Teſtamenti, quam Christus ſacroſancto & pretioſo ſuo ſanguine promeruit, & per ſuos Apoſtolos orbi annuntiauit ac propoſuit, atq; etiam per ſpiritum S. effudit. Hæc autem gratia meritò cõuiuio cõparatur, ſiquidem hominem reficit, paſcit, confortat, eiq; gaudium, uoluptatem, & ſolatium affert. Vocatur cœna, quia hæc gratia non manè initio mundi, ſed ueſperi, hoc eſt, in ultima ætate & tempore mundi, data & effuſa eſt, quemadmodũ Prophetæ expreſsis uerbis dixerũt, futurum in nouiſsimis diebus. Porrò meritò uocatur cœna magna, non ideò tantũ, quòd ad eam multi homines uocati ſunt, & omnibus hominibus ianua aperta eſt, nec quiſquam excluditur, quẽadmodum Chriſtus dicit, eſſe uoluntatem patris, ut neminẽ eiiciat foras: ſed propterea etiam magnæ cœnæ nomen habet, quòd in ea multi prę ſtantes & opipari apponuntur cibi: ut eſt remiſsio peccatorum, gratia, pax, gaudiũ, ſecuritas, uita, ſalus, & felicitas. Cauſa uerò, quamobrem hæc gratia etiam ad nos peruenerit, duplex eſt. Præcipua cauſa eſt Dei miſericordia, amor & bona uolũtas: hic enim de nullis audis pręcedentibus meritis. Vnde & Paulus dicit: Gratia ſaluati eſtis: nõ ex operibus. Et iterum: Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundũ ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Secunda cauſa, quãobrem etiam nos ad hanc cœnam & conuiuiũ uenimus & inuitati ſumus, eſt accidentalis: nimirum qui primùm inuitati erant, uenire recuſabant. Erat hæc accidẽtalis cauſa, quòd gratia Euangelij etiam ad nos peruenit, ueluti Paulus dicit, illorũ delicto ſalutem eſſe gentibus. Dicit item apertè: Quoniam repellitis Euangelium, ecce cõuertimur ad gentes. Hîc duo nos Paulus iubet conſiderare, nimirum Dei ſeueram iuſtitiã in eos qui lapſi ſunt, & illius bonitatẽ in nos, qui in illorũ locum recepti ſum⁹. Noueris itaq; optime Chriſtiane, te ad magna bona uocatum, idq; gratuitò. Sed interim etiam uide, ut illa gratia rectè utaris. ſunt enim & alij ante nos uocati & inuitati, ſed ita ſe geſſerũt, ut paterfamiliâs ſententiã in eos diceret, neminem uirorum illorum guſtaturũ cœnam. Rogas quid ita? Contempſerunt eam, uenire nolebant: faſtum, diuitias, & uoluptatem gratia Dei potiorem habebant. Hoc diſplicet noſtro Deo, ſicubi illius gratiã, amorẽ & fauorem ita flocci

Cœna magna. *Ioël. 2.* *Iſa. 2.* *Iohan. 6.* *Ephe. 2.* *Tit. 3.* *Act. 13.* *Rom. 11.* *Gratia rectè utaris.*

ita flocci pendimus, illam spernimus & negligimus, idq; ob exiguum temporale emolumentum. Hinc facilè uidere est, quomodo gratia noui testamenti uti nos conueniat, nimirũ ut grati simus, cupidè eam sectemur, deuotè recipiamus, eámq; pluris faciamus quàm omnia mũdi bona, honorem & uoluptatem. Sunt igitur hæc illa tria, quæ scire unũquẽq; Christianum plurimum refert. Ad hæc omnia quoq; in isto Euangelio triplicem concioné habemus. In initio enim ualde consolatorium est, in progressu luctuosum, in fine autẽ horribile. Qui initium legit, & secum ipse cõsiderat ac perpendit, quale nobis Deus conuiuium per filium suum parauit, & quòd primò Iudæos, deinde etiã nos gentes uocauerit, & quòd seruos adhuc suos in uiis habeat, qui nõ desinũt clamare, monere & impellere, ne quis retrò maneat, & eiusmodi gratiã negligat: hoc, inquam, qui secum cõsiderat, eũ gaudere necesse est. Etenim hæc omnia indicant nobis clementissimã & beneficentissimam Dei uoluntatẽ erga nos. Quòd si progredimur in hoc Euãgelio, & legimus quomodo & qua ex causa Iudæi Euangeliũ istud contempserint ac neglexerint, & quòd nos Christiani idem quoq; nũc faciamus, occupemus nos aliis rebus, fastũ nostrũ, auaritiam, & uoluptatem sectantes, committentes ut Deus cœnã suã frustra parauerit, & ut serui frustra currãt & clament: hoc uidelicet secũ quisquis reputat, is intra se ingemiscat necesse est super cæcitate & ingratitudine nostra. Porrò qui in fine Euangelij audit, quòd Christus contemptores suæ gratiæ, æternum à sua gratia excludit, is, fieri non potest, quin obstupescat ad tam seueram sententiam & iudicium. Atq; hæ triplices illæ conciones sunt, quas Christus in hoc Euangelio facit, quinimò triplices conciones sunt, quibus in sancta Christianitate nos uti necesse est. Pusillanimes consolandi sunt, indiligentes increpandi, proterui perterrefaciendi. Ex prima concione considerãda est gratia Dei: ex altera propria nostra ingratitudo: è tertia futurum iudiciũ. Hęc omnia utiliter considerari possunt, etsi aliud alio lætius sit. Dei gratiam considerare nunquam non gaudium adfert. Atq; ideo etiam illud semper nobis agendũ erat, & ita ut à nobis fiat, magnopere cupit Deus, ut nihil ab ipso acciperemus præter omnia bona. Quia uerò id contẽnimus, nostra quoque obiicit peccata, & iram suam seu iudicium nobis minitatur. Sunt quidem hæc parum læta, sed tamen utilia. Etenim pri-

Triplex concionandi ratio.

Tria consideranda.

 mum

mum nobis affert humilitatem, alterum metum. Hęc autem duo, humilitas & timor, parant gratiæ Dei uiã ad nos. Quisquis enim non timet, is gratiam nullam quærit. Idcircò timor Domini meritò uocatur initium Sapiẽtiæ. Etsi qs gratiam roget, cæterum humilis non est, gratia Dei ad eũ peruenire non potest. Deus quippe superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quapropter Christus hæc tria coniunxit in hodierno Euangelio. Gratia quidem omnibus hominibus offertur, uerùm si eam non acceptemus, hoc grauius fit peccatum nostrum, nostráque condemnatio certior. Attamen Deus cœnam suam non frustra parauit, etiamsi nostrûm multi non compareant. Potest domum suam replere & mensas suas uel sine nobis. Imò non eget nostri, sed nos egemus illius, neque nobis obstrictus & obligatus est: promissa sua multis in millibus hominib⁹ adimpleuit etiã priusquam nati eramus: implere etiamdum potest, uel nobis nõ amplius existentibus. Hoc consideremus circa hodiernum Euangelium, & ad gratiam Dei nos conuertamus. Est enim hæc una uia ad illius iram & iudicium euitandum. In hodierna Epistola pergit Iohãnes usq; urgere charitatẽ, quẽadmodum & Dominica pręterita: uerũtamen nõ incongruè quadrat cum isto Euangelio, quo ad charitatẽ proximi impellamur, quẽadmodum Euãgeliũ nos ad charitatẽ Dei pellicit. Nam hæc duo coniuncta simul esse oportet. Hoc mandatũ habemus à Deo (inquit Iohãnes) ut qui diligit Deũ, diligat & fratrem suum. Et quidẽ de charitate Dei seu erga Deum, proximè præterita Dominica satis dictum est. In hodierna Epistola loquitur de charitate proximi: atq; ibi paucis uerbis tam multa complectitur, ut nemo dubitare possit, quin charitas quoque magni momenti sit. Etenim primò indicat magnũ fructum & utilitatẽ charitatis. Nos scimus (inquit) quoniã translati sumus de morte ad uitã, quoniã diligimus fratres. Secũdò indicat ingens eorũ incõmodũ, qui charitatem nõ habent: Qui nõ diligit (inquit) manet in morte. omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniã omnis homicida nõ habet uitã æternam in semetipso manentẽ. Tertiò, proponit nobis omniũ perfectissimũ exemplum charitatis, nẽpe Christũ. In hoc (inquit) cognouimus charitatem Dei, quoniam Christus animam suam pro nobis posuit. Quartò, ostendit quoque nobis ueram formam & modum charitatis, ubi latissimè charitatem diducit. Vult primò,

Humilitas & timor gratiã conciliant.

Psal. 110.

1. Pet. 5.

1. Iohan. 3.

Amor Dei & proximi.

1. Iohan. 4.

primò, charitatem illā non in lingua tantummodo, sed etiā in corde: non uerbis solùm, sed opere declarari oportere. Secundò uult, ut exhibeamus charitatem cum facultatū nostrarum erogatione in eos qui necesse habent: & addit prçterea, quòd qui hoc non faciat, nō habeat in se charitatem. Tertiò uult, ut sicubi usus poscit, etiam uitam nostram pro fratribus nostris impendamus: & hac in parte nobis præcipuè Christum pro exemplo statuit. Anne uides iam, quàm magnificè Iohannes de charitate loquatur, quámq; late eā diffundat? Bone Deus, quid non secuturum esset, si hanc unicam Epistolam sequeremur? Atq; reuera sat multa exempla eorum nobis suppetunt, qui charitatem ad eum modū declararunt. Vt Ioseph, qui fratres suos aluit fame periclitātes: imò totā suam progeniem, tempore caritatis annonæ. Machabæi parati erant etiam uitæ suæ discrimen subire pro suo populo. Moyses & Paulus cupiebant etiā pro fratrum suorum salute è libro Dei deleri, & fieri anathema. Nostri sancti martyres & ueteres Christiani, etiā hostibus nostris & persecutoribus opem ferebant tēpore necessitatis. Hæc & id genus exempla confer cum uerbis Iohannis, uidebis maiores nostros salutem suam non in nuda & otiosa fide collocasse, ut nos nunc facimus. At uide nunc, an non felices essemus cùm in hoc, tum in illo seculo, si hęc duo, nimirum charitatem Dei & proximi, in cordibus nostris ita con iuncta haberemus, quēadmodum hodie nobis simul proponuntur? Quid diabolus nocere nobis posit, si gratiam Dei consideraremus, & illi charitate asidua adhærеremus? Quid mundus etiam obesse nobis queat, si fraterna charitate copulati conglutinatiq; essemus? Deus Optimus Maximus faxit, ut & hoc & alia seriò consideremus, réque ipsa præstemus, Amen.

Charitas factis testanda.

Gen. 47.

Exod. 32.

Rom. 9.

Contra nudā fidem.

DOMINICA QVARTA

POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM

LVC. XV.

ACcedebant autē ad eum omnes Publicani & peccatores, ut audirent illū: & murmura

Matth. 4. *Marci. 3.*

murabant Pharisæi & Scribæ, dicẽtes: Hic peccatores recipit, ac cibum capit cum illis. Dicebat autem ad illos parabolam hãc, dicens: Quis ex uobis est homo, qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nónne relinquit nonaginta nouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: ueniensque domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico uobis, quòd gaudium erit in cœlo super uno peccatore resipiscente magis, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigẽt pœnitentia. Aut quæ mulier habẽs drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, non accendit lucernam, & uerrit domum, quærítque diligenter, donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico uobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore resipiscente.

EADEM DOMINICA EPISTOLA S. PETRI, I. CAP. V.

Iacob. 4. H*Vmiliemini igitur sub potenti manu Dei, ut uos extollat, cum erit oportunum, omni cura uestra coniecta in illum. Nam illi cura est de uobis. Sobrij estote, uigilate: quoniam aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens*

rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Cui resistite solidi fide, scientes easdem afflictiones, uestræ, quæ in mundo est fraternitati, consummari. Sed Deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æternam suam gloriam per Christum Iesum, paurumper afflictos, idem instauret uos, fulciat, roboret, stabiliat: ipsi gloria, imperium in secula seculorum.

PRIMVS SERMO IN GENERE dicit de Euangelio.



DIGNVM hodiernum Euãgeliũ est, de quo prolixè dicatur, infigaturque animis Christianorum diligentissimè: tantùm nobis boni & consolatorij in duabus similitudinibus, de perdita oue, & perdita drachma proponitur, sed ita tamẽ, ut nemò facilè uideat, nisi qui quærat diligenter. Siquidẽ Deus sua mysteria ita proponere solet, ut indignis abscõsa maneant, ne uideant licet uidentes, nec intelligant licet audientes. E diuerso autẽ suos petere iubet, & dabitur illis: iubet eos quærere, & inuenient: iubet eos pulsare, & aperietur illis. Proinde quædam in duabus hisce similitudinibus contenta paucissimis indicabo, daturus per hoc occasionem bono cuique latius ea de re cogitandi & perquirendi. Tribus uerbis audire uis summam istius Euangelij? Primò pulchrũ, iucundum & consolatorium argumentum est diuinæ gratiæ & charitatis Christi. Secundò peculiare solatium est omnibus miseris peccatoribus: interim tamen condemnat omnes hypocritas. Tertiò confirmat doctrinã pœnitentiæ. Quartò docet, quanta diligentia & studio animæ salus quærenda sit. Et postremò quoque exemplum est diligentis curæ omnibus pastoribus, præfectis, & antistitibus. Hæc Euangelij sententia est; hæc omnia in eo comprehensa sunt. Et quis non uidet, quàm prolixè quis eiusmodi de rebus loqui possit? Imò quis tantum bonæ rei & utilis, in simplicibus istis parabolis & similitudinibus quæsisset? Principiò, habemus in hoc Euangelio tam clara diuinæ gratiæ indicia, ut nunquam nobis sit desperandum, semper uerò prædicanda sit Dei gratia, & tota fiducia ad ipsius misericordiam currendum, etiamsi aliud nihil de eiusmodi donis Dei nobis cõstaret. Etenim triplicia opera & indicia diuinæ

Luc. 8. *Luc. 11.* *Summa huius Euangelij.* I. II. III. IIII. V. *Triplicia diuinæ gratiæ argumenta.*

gratiæ

gratiæ sunt in hoc Euangelio nobis commemorata, tamq; magna seu præclara, ut fidem propè superent, ni ea Christus
I. ipse exhibuisset. Primum est, quòd peccatores ad se uocat:
II. secundum, quòd eos suscipit: tertium, quòd illos etiam con
III. tra Pharisæos defendit & excusat. Et quid nobis miserrimis peccatoribus magis consolatorium annuntiari posset? Imò
Rom. 8. quomodo nobis Deus suam gratiam & misericordiam magis certiúsue declarare potuisset, quàm in his adeò tribus rebus? Si filius Dei nos ad se uocat, si suscipit nos ac tuetur, quis diabolus nobis nocebit? Si Deus nos iustificat, quis est qui condẽnet? Si Christus interpellat pro nobis, quis accu-
Luc. 15. sabit nos? Dicit quidẽ Lucas appropinquasse Christo peccatores, quod perinde est, acsi ipsi ultrò uenissent, & ex se ipsis
Iohan. 6. ad eum conuersi fuissent. Reuera autẽ fuit opus diuinæ gratiæ. Nemo enim uenit ad eum, nisi pater traxerit eum, quẽadmodũ ipsemet dicit. Imò quomodo alioqui peccator ex se ipso conuerti posset, nisi eum Deus præueniret sua gra-
Psal. 77. tia? Siquidẽ homo est spiritus uadẽs & nõ rediens: seipsum in peccatum coniicere, uerum liberare seipsum inde rursus nõ potest. Quapropter etiã haud dubie publicani isti & peccatores à Christo tracti fuerunt: in quod etiam innuunt sequentia uerba, ubi S. Lucas dicit: Erant appropinquantes ei publicani & peccatores, ut audirent illum. Hic uides, quòd illos traxerit uerbum Christi. Ni Christus prius prædicasset, & homines uerbo Euangelij, hoc est prędicatione & annũ-
Vocat Christ⁹ peccatores. tiatione gratiæ, ad se attraxisset, Publicani & peccatores nõ facilè eum accepissent. Hoc primum argumentũ est diuinæ gratiæ, quòd peccatores sua gratia præuenit & uocat, aut etiã trahit, dum adhuc in peccatis sunt: imò certissimum signum diuinæ gratiæ est, quòd nõdum cessat nos uerbo suo uocare & trahere. Non igitur ulli peccatori desperandum, quandiu adhuc nos uocat Deus. Nisi enim misereri nostri uellet, haudquaquam nos uocaret & traheret suo uerbo. Secundum indicium diuinę gratiæ in hoc Euangelio est, quòd Christus etiam peccatores suscipit. Id quoque re uera gratię est. Qua enim re peccator id promereri potuisset? Imò quid mali & pœnæ peccator iam non promeruit? Nihilo minus autẽ de Christo dicitur, eum suscipere peccatores. Et quanquam id Pharisæi inuidia moti de illo dicebant, uerissimum
Luc. 15. tamen est, & uerum manebit. Nec uerbum illud ab iis primum profectum est. Omnes Prophetæ iam inde ab initio
dixe

dixerunt de nostro Deo, quòd peccatores iterum suscipiat. Moyses primus est, qui Deo hunc titulum & nomé tribuit, quòd sit misericors & clemens, patiens & multæ miserationis. Propheta Ioël repetit omnia uerba hæc, addens, præstabilé eum esse super malitia. In Hieremia testatur Deus ipse: Vulgò, inquit, dicitur: Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit uirum alterum: nunquid reuertetur ad eam ultra? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit dominus, &c. Et post: Reuertere auersatrix Israël, & non auertam faciem meam à uobis, dicit dominus. Et in sequenti capite: Si reuerteris Israël, ad me conuertere. Et per alium quendam Prophetam: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus uestris: & non erit uobis in ruinam iniquitas. Quia nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat, &c. Ex his & similibus sententiis diuinæ scripturæ, uides Deum nostrum iam inde ab initio nomen habuisse, imò etiam habere uoluisse, quòd peccatores iterum susciperet. Et hoc testatur tota sacra scriptura, tum etiam confitemur in nostrę fidei symbolo, in sancta Christiana Ecclesia esse remissionem peccatorum. Quapropter mouere nos nō debet, quòd Iudaici Pharisæi Christo contumeliose obiiciebant & exprobrabant, eum suscipere peccatores. Christum huius non pudebat, sed id gloriæ sibi ducit. Tum quoque nobis omnium lætissimum est Euangelium seu bonum nuntium, & maximè cùm consideramus, quomodo & qua ratione Christus peccatores susceperit. Porrò uidemus in hoc Euangelio, quòd Christus facilè peccatores recipiebat: non opus erat multis precibus, nec erat opus multa largitione & donis, sed quicunq; ueniebat, hunc recipiebat absq; omnibus pręcedentibus meritis. Videmus in latrone qui iuxta Christū pendebat, quòd Christus sine mora peccatores recipit, si conuertantur. Amen dico tibi, inquit, hodie mecum eris in paradiso. In filio prodigo uidemus, quòd Christus peccatores lubens suscipit. Mā ducemus & epulemur, inquit, quia hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. In peccatrice, qua de Lucas dicit, uidemus quòd Deus peccatores penitus etiam suscipit, si conuertantur, nullam iram & indignationem ergo eos fouens. Remittuntur tibi peccata (inquit)

Exod. 34. *Ioël. 2.* *Hierem. 3.* *Ibidem.* *Hier. 4.* *Ezech. 18.* *Luc. 23.* *Peccatores cōuersos libēter suscipit Deus.* *Luc. 15.*

Luc.7. uade in pace, fides tua te saluam fecit. Eundem quoque in modum dicit in Ezechiele: Si impius egerit pœnitētiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, omnium iniquitatum eius non recordabor. En, alterum hoc indicium est di-
Luc.15. uinæ gratiæ, quòd Christus etiam peccatores suscipit. Peccatores, inquam, suscipit. nam si iustos tātùm susciperet, mirū non esset. Lucas uerò nō uulgares nominat peccatores, sed Publicanos, quorum impia facta omnibus nota sunt. Atque hoc nobis uerum solatium præbet: imò quid nos alioqui, qui tot peccatis quotidie grauati sumus, solatij haberemus, si Christus iustos tantùm susciperet? Atqui uerò nullum melius, clarius & certius argumētum habere possumus gratiæ apud Deum semper inueniendæ, quàm hoc adeò uerbum, Hic recipit peccatores. Quippe si Deus recipit peccatores, proculdubio benignus & misericors Deus est, apud
Psal.119. quē multa & magna misericordia sit necesse est. Et nisi Deus peccatores in gratiam reciperet, omnibus nobis desperan-
Ibidem. dum foret: quemadmodum & sanctus Dauid confitetur: Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Tertium diuinæ gratiæ indicium est in hoc Euāgelio, quòd Christus peccatores etiā defendit, nō solùm corā Pharisęis, sed etiam coram Deo, quēadmodum Paulus in epistola ad
Rom. 8. Romanos, nec non Iohannes in prima sua Epistola. Defen
1. Iohan. 2. dit autem eos non tanquam peccatores, sed tanquam pœnitentes, qua de re postea plura dicentur. Atque hinc, opinor, uidere quiuis posit, Euangelium istud ueram & egregiam esse annuntiationem diuinæ gratiæ. Sed indicat etiam
Charitas Christi. præterea nobis charitatē Christi. Atq; hoc alterū est, in quo solatium nostrū cōsistit, Charitas Christi & eius meritū. Ea autem in hoc consistit, quòd ipse nos, & non nos ipsum per
Iohan.15. quisiuimus: non nos eum elegimus, sed ipse nos elegit: ipse
1.Iohan.4. nos prior dilexit, non nos illum. Ipse inuenit nos in uasto deserto & solitudine, hoc est, in peccatis, in morte, & in con
Deut.32. demnatiōe. Magno labore nos humeris suis imposuit, hoc
1.Pet.2. est, peccata nostra, mortem & condemnationem in cruce portauit, imò ꝓ summo suo gaudio duxit, nobis omnibus modis suppetias tulit. In hoc cognouimus charitatem Dei (inquit Iohānes) quoniam ille animam suam pro nobis po
1.Iohan.3. suit. Quis autē hic non gaudeat? Quis non lætus & alacris ad eum currat? Scimus quippe quòd in humana natura nobis similis est. Videmus illum mansuetum in suis gestibus,

affab

affabilem in uerbis, potenté in miraculis, magnum & diuité in misericordia & gratia. Ecquid uolumus amplius? Si Deus suscipit peccatores, si tantopere nos diligit Christus, non est quòd desperemus. Atq; hoc alterum est, quod in hoc Euangelio nobis est indicatum. Aliç consolationes, quas peccator plures ex hoc Euãgelio habere potest, hæ sunt: Primò quòd Deus, Secundò quòd Christus, Tertiò quòd S. Ecclesia, Quartò quòd etiã Sancti angeli illius cupiunt salutem. *Peccatoris salutem qui cupiant.* Quòd Deus saluté nostram cupiat, ex eo intelligitur, quòd dicit: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. *Ezech. 18.* Quòd Christus saluté nostrã cupiat, ex eo colligitur, quòd in Euangelio Matth. cap. 11. clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. & ego reficiam uos, &c. Quòd Ecclesia saluté nostram cupiat, ex eo animaduerti potest, quòd nobis quotidie acclamat per diuum Paulũ: Adeamꝰ ad thronum gratię, ut misericordiã consequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno. *Heb. 4.* Deniq; quòd etiã sancti Angeli nostram saluté cupiant, ex eo cognosci potest, quòd etiã in cœlis gaudeant, si conuertamur & pœnitentiam agamus: & quod in natiuitate & resurrectione Seruatoris nostri, nobiscum & nostra gratia gauisi sint, ut habes Lucæ 2. & Marc. 16. *Luc. 15.* Hoc rursum solatium est ex isto Euãgelio. Hoc trahebat miseros peccatores ad Christum, ut audirét uerbum eius. Hoc reprehensione maiore digni sunt Pharisęi, quòd miseris peccatoribus tale solatiũ inuidebant. Ipsimet peccatores erant, attamen nullo misericordiæ affectu tangebantur erga peccatores. Peccatorum resipiscentia & conuersione gaudere debebant, si ueri pastores fuissent, atqui inuidebãt illis ipsorum saluté. Ex charitate & gratia Christi, qua peccatores suscipiebat, ad melioré menté redire debebãt, iam deteriores fiebãt. Quæ res indicio erat, nullam in illis uerã esse iustitiã. Etenim uera iustitia (ut diuus Gregorius ait) habet compassioné, falsa auté indignationé. *Gregorius.* Tria in peccatore cõsiderãda sunt. Primò natura, deinde peccatũ, & tertio pœnitétia. Naturæ compatiendũ est, peccatum odio habédũ & puniendũ pœnitentia gaudendum. *Tria in peccatore cõsideranda.* Isti uerò hypocritę neq; naturam neq; pœnitentiam considerabãt in peccatoribus, sed solum peccatum: nõ meminerant illos homines esse: non uidebãt ut illi iam sese corrigerent, & uitam in melius commutarent, sed id solum quod peccauerant, respiciebant. Ob hoc indignab antur, ubi compati potius, imò gaudere debuerant.

En, quatuor hęc sunt, quę in isto Euãgelio cõsiderari possunt. Gratia Dei, charitas Christi, peccatorũ solatium, & hypocritarum pœna. Reliqua quoq; tria audiẽda sunt, ut quod Euangelium istud nõ simpliciter de peccatoribus loquitur, sed de peccatoribus pœnitentiã agẽtibus. Hos recipit Christus, hos defendit contra hypocritas: super his gaudent angeli in cœlo. Hoc præcipuè obseruandũ in isto Euangelio, Christus id singulari cum diligẽtia exprimere uoluit, & cõfirmare doctrinã pœnitentiæ. Nã pœnitentia sola est, per quã peccator in gratiã redit. Quod si tibi placet, quod Christus peccatores suscipit, placeat etiam tibi, quod pœnitentiã uelit: imò scito quòd neminem suscipere uelit, nisi pœnitentiã agentem. Hoc unum est, de quo plura postea. Alterũ quod circa hoc Euangelium considerandum est, quòd bonus pastor Christus ouẽ perditã tam diligenter quęrit, neq; intermittit quicquam, quod ad id inseruire possit, nec desinit donec eã inueniat. Exẽplum hoc est omnibus antistitibus, non solum spiritualibus pastoribus, sed omnibus etiã personis, penes quas aliqua potestas est, quin etiam cuiuis patrifamiliâs. ij tales pastores esse omnes debent, talẽ curam gerere pro illis debent, qui ipsis cõmissi sunt. Omni enim potestati hæc incumbit cura. Simon Iohannis (inquit Christus) amas me? pasce agnos meos. Quiuis etiam ob hoc summo pastori rationem reddere cogetur. Quinimò Deus è manibus ipsorum requiret sanguinem omnium eorum, qui per ipsorum negligentiam pereunt. Hoc considerarę ij possunt, qui magna munia & officia ambiunt. Omnes gaudẽt dici patres & pastores, nemo tamen curã gerit ouiũm, &c. De hoc aliâs plura. Tertium, quod in hoc Euangelio adhuc obseruandum est, quòd hæc mulier tã diligens est in quærenda drachma sua, aliarum rerum omnium oblita, hoc unum agẽs, &c. Hoc iam nos docebit, quanta cum diligentia illud quærere debeamus apud Christum, quod in Adam amisimus, nimirũ similitudinẽ Dei. Quicquid enim tẽporale alioqui habemus nihil est ad istud: hoc nos exhilarare & tandem quietos nos reddere potest. Tum dicere possumus cum diuo Iohanne: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. Tantum in genere & breuissimè de hoc Euangelio dictum sit, in sequentibus sermonibus hęc omnia fusius explicabuntur. Deus nobis omnibus suam adspiret gratiam, Amen.

Cuiusmodi peccatores recipiat Christus, &c.

Pœnitentia agenda.

Iohan. 21.

Ezech. 33.

1. Iohan. 3.

SECVNDVS SERMO COMponit istud Euangelium cum quibusdam uerbis in Epistola Iohannis.



SI quidem hodiernum istud Euangelium succin ctè & paucis uerbis, at germane tamen & syncere exponendum foret, haud melius id & cōmodius facere me posse putarem, quàm uerbis illis, quæ Iohannes in ipso statim Epistolæ suæ initio ponit & usurpat, ubi ait, se suósque condiscipulos seu Apostolos, nobis ideò tam exertè & uerbis & scriptis indicasse annuntiasséq;, quicquid boni & consolatorij de uerbo uitæ, quod in principio erat, & nunc apparuit, hoc est, quicquid de Christo audiuerunt ac uiderunt, ut & nos cum illis, imò cum Deo & Christo societatem & communionem habeamus: attamen cum hoc additamento, ut ex eiusmodi an nuntiatione, non segniores, sed deuotiores: nō in uitia propensiores, sed probiores efficiamur. Hoc, inquam, Iohannes insinuat. Et quid Lucas facit aliud in isto Euangelio? Sanè nū corporeis ille oculis uiderit, quod Christus tam benignus erga peccatores fuerit, non ita certò constat. nonnulli existimant fuisse eum unum ex septuagintaduobus discipulis. Proinde uidere & audire ipse potuisset, quod hic scribit: quanquam initio Euangelij nō obscurè innuit, se ab aliis accepisse, quod literis mandauit. Sic enim inquit: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completę sunt rerum: sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt sermonis, &c. Hæc uerba id uelle uidentur, tanquam Lucas Christo ipse non adfuerit. Sed ut res habet, uidemus eum longè fidelissimè annuntiasse & in hoc Euangelio descripsisse, quę ab aliis audiuerat & acceperat: & quidem non alia de causa, quàm ut spem nobis daret, nos etiā quālibet miseros & peccatis inquinatos, cū Deo & Christo recōciliari posse, si facimus, quod alij homines pœnitentes ante nos fecerunt. Est tamen eą indubiè Euāgelistę mens, ut eiusmodi benignā & lętā annūtiationē, nō ad malū, sed ad bonū usurpemus. In hoc pulchrè S. Lucas concinit cū Iohāne. Imò propterea bono Christiano tria circa Euangeliū istud considerāda sunt. Primò historia, deinde fruct⁹, & tertiò finis seu uerus usus. Historia indicat & dicit, quòd Christus peccatores susceperit, cum illis comederit,

Iohan. 1.

Vt cum Christo redeamus in gratiam.

Peccator peccans. atq; illos etiã coram Pharisæis defenderit, ueruntamen non tanquã peccatores, sed tãquã pœnitẽtes. Longè enim aliud *Peccator pœnitens.* est Peccator peccãs, & peccator pœnitens. Cũ peccatoribus semper peccantibus, & in peccatis sese oblectantibus, neq; illa coram Deo unquam agnoscentibus & deflentibus, nihil *Marc.1.* Christo rei. Siquidẽ primum uerbum Euãgelicę illius doctrinę est: Pœnitemini, quoniã appropinquauit regnum Dei. E diuerso dicit sapiens: Altissimus odio habet peccatores. Di- *Ezech.18.* cit item Christus ipse, se ad tales in extremo iudicio dictu- *Matth.7.* rum: Discedite à me qui operamini iniquitatẽ. Cum illis uerò qui sua peccata confitentur, atq; cum Deo redire in gratiam auidè suspirant, Christus libenter agit. Hos benignè ad *Iohan.7.* se uocat: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Et iterum: Veni- *Matth.11.* te ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã uos. Hos pœnitẽtes peccatores, uerbis illis amicabilibus al- *Matth.9.* loquitur: Confide fili, remittũtur tibi peccata tua. Et rursum Luc.7. Fides tua te saluã fecit, uade in pace. Item Luc.19. Hodie salus domui huic facta est: uenit enim fili⁹ hominis quęrere & saluum facere quod perierat. Et rursum Luc.23. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. His uerbis Christus pœnitẽtes peccatores alloquitur. Si quis hypocrita hoc illi malè interpretatur, ei cõmodè obuiare nouit, & os obtu- *Matth.9.* rare. Euntes (inquit) uos hypocritæ discite quid sit, Misericordiam uolo, & nõ sacrificium. Et iterum Iohan.8. Qui sine peccato est uestrũm, primus in adulterã lapidẽ mittat. Et rursum Luc.7. Simõ, intraui in domũ tuam, aquã pedibus meis nõ dedisti, hęc autẽ peccatrix lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit: propter quod remittuntur ei peccata *Matth.9.* multa, quoniam dilexit multum. Et iterum: Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris? Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata: an dicere, Surge & ambula? &c. His uerbis nouit Christus illis obuiare, quibus Christi erga peccatores clementia offendiculo est. Atq; hæc est historia illius Euãgelij. Hunc in modũ cum peccatoribus egit Christus. Id autem Lucas nõ ideo scripsit, ut sciamus tantùm: sed ut omnes peccatores sibi ipsis solatium inde hauriant. Non enim simplicem historiam eam existimare debemus, uerum etiã Euãgelium. Nam quid nobis alioqui prodesset, quòd Christus erga illos peccatores tam clementem sese exhibuit, nisi idẽ ab ipso sperare nos possemus? Minimè sanè. Quod Christus in certis quibusdã personis fecit, id non solum propter illas

fecit,

fecit, sed ut homines potentiam illius & bonā uoluntatem ex eo cognoscerent, ipsiq; tanto alacrius ad eum currerent. Eam ipsam ob causam Lucas quoq; hanc historiam descripsit, ne dubitaremus, Christū eius adhuc esse potentiæ, gratiæ & bonæ uoluntatis erga pœnitentes peccatores, cuius tum erat. Id quod cum primis obseruandū. Nam hoc si neglexerimus, cætera omnia nihil nobis proderunt. Omnes peccauimus, & egemus gratia Dei, inquit Paulus. Hoc fundamentum est & initium, ut nos peccatores agnoscamus, qui omni Dei gloria & gratia orbati sumus. Id Iohānes uehementius adhuc effert duobus uerbis grauissimis. Primū est, ubi inquit, Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis nō est. Alterum est, ubi ait, Si dixerimus quoniā nō peccauimus, mendacē facimus eum, & uerbum eius non est in nobis. Duæ sententiæ, graues illæ quidem & seriæ, at uerissimæ tamen. Nam primò quia uerbum Dei certa est & infallibilis ueritas, & illud uerò uerbum Dei in sacris literis cōprehensum, omnes homines sub peccato & incredulitate concludit, merū mendacium & fraus sit oportet, si quis peccatorem se non agnoscat. Et maximè quum audimus Iohannem quoq; sese inter peccatores numerare. Et Dauid dicit, omnes sanctos pro remissione peccatorum orare. Et Christus ipse suos Apostolos & fideles hunc in modum orare docuit: Pater, dimitte nobis debita nostra. Hinc porrò sequitur, quòd qui peccatorem se nō agnoscit, Deum faciat mendacē, quādoquidem aliter de seipso sentit, quàm Deus, qui omniū cogitationes perspectas habet, in sancto suo uerbo enuntiat. His omnibus ostendit Iohannes, quòd qui ex animo peccatorē se agnoscit, & dolet, Deum colat: cæterū qui seipsum pro peccatore non agnoscere uult, Deum conuicietur, & blasphemet, & mēdacij arguat, nō credēs illius uerbo: id quod propterea haud dubiè fit, quòd peccator uerè pœnitens, q peccatum suū agnoscit, plorat, & confitetur, Deo multo fit acceptior, quàm hypocrita, qui de multis bonis operibus sese iactitat & extollit. Etenim qui peccatorem se ritè cōfitetur, cōfitetur simul se gratia Dei egere: & hoc Deum colere est. Verū qui sibi ipsi probitatis nomen falso arrogat, & sine peccato se putat, dicere uidetur, se Deo & gratia illius nō opus habere: qđ utiq; cedit in iniuriā & cōtumeliā Dei. Quapropter, qa ꝑ peccatorib' agnoscere nos oēs necesse

Rom. 3.
Iohan. 11.
1. Iohan. 1.
Ibidem.
Rom. 3. & 11.
1. Iohan. 1.
Psal. 31.
Matth. 7.

habemus, ut modò ex Iohanne demonstratū, aperiamus hic oculos, quandoquidē nobis hic duo indicata sunt, in quib' omne nostrum solatiū consistit, contra angorē & inquietudinē nostræ cōscientiæ. Primum est misericordia Dei: secundum, meritū Christi. Ex charitate & misericordia misit Deus filium suum, ut perditā ouē quęreret. Christus igitur non solùm multum operæ & laboris, sed etiā nobilē suam uitam & preciosum sanguinē impēdit, donec perditā ouē reduceret. Considera itaq;, quanta gratia sit, quòd Deus unigenitū suū filium misit ac dedit nobis peccatoribus hominibus ad salutē & redēptionē. Cogita quanta sit charitas, quòd filius Dei non solùm pro nobis laborauit, sed etiā pro nobis mortuus est: atq; ita nunquā desperandi occasionē habebis. Superbi Pharisæi illi & hypocritę pro re intolerabili ducebant, quòd Christus peccatores suscipiebat. Nos uerò iunctis manibus & flexis genibus gratias agimus, quòd talē Deum, talē Christum habemus. Sed quiddámne clarius audire cupis de duabus hisce rebus, hoc est, de misericordia Dei & merito Christi? attende quid Iohānes iterum de utraq; hac re dicat: Si cōfiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emūdet nos ab omni iniquitate. Dictū hoc est de misericordia Dei. De merito Christi sic inquit: Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus adinuicē, & sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. In his duabus sentētiis summā habes Dei misericordiā, simul & meritum Christi. Diuina misericordia est, quòd remittuntur nobis peccata. Qua re indicat nobis Iohannes, quòd Deus non solum natura bonus est & misericors, aut etiam peccata libenter dimittit, ut Ioēl dicit, sed etiā fidelis & iustus: atque ideò etiam si peccata non dimitteret ex innata essentiali bonitate, dimitteret tamen ea ad tuendam ueritatē suam, quandoquidem illud ab initio multis in locis scripturę promisit. Ego sum (inquit) ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me. Et in Ezechiele: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omniū iniquitatum eius nō recordabor. Ad meritum autem Christi pertinet, quòd Iohannes dicit: Et sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Hîc obserua, quòd non quemlibet sanguinem nominat, sed sanguinem tantùm Christi. Nullus enim alius sanguis id unquam potuit, nec poterit unquam. Specialiter autem addit, Sanguis Iesu Christi filij Dei emun

Christi charitas erga nos.

1. Iohan. 1.

Marc. 10.

Ioel. 2.

Isa. 43.

Ezech. 18.

1. Iohan. 1.

emundat nos, quò uideamus, unde accidat, quòd solus sanguis Christi nos à peccato emundet: nimirum quòd non homo solùm, sed etiam Dei filius est & Deus. Nam ut mundus iam inde ab initio nihil maius & mirabilius uidit, quàm passionem & mortem filij Dei: ita quoque non est certius remedium contra omnia peccata, quàm sacrosanctus sanguis Christi. Ideo & Iohannes expresse dicit, sanguinem Christi non modò à quibusdam, sed ab omnibus peccatis nos mundare. Idipsum quoque confitetur Iohannes Baptista, ubi de Christo dicit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Neq; hic de quibusdã tantùm, sed de omnibus peccatis loquitur. Id autem omne eò spectat, ne quis cũ desperato Cain dicat, Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniã merear: maior est iniquitas mea, quàm ut ea sanguis Christi emundet. Mea impuritas maior est, quàm ut sperare possim societatem cum Deo aut Christo. Has omnes pusillanimes cogitationes Iohannes unico uerbo tollit, ubi ait: Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. Hic fons est, in quo sordes omnes peccatorum abluere possumus: qui iam pridẽ nobis paratus est ea ratione, qua Deus in propheta Zacharia de eo locutus est. Omnia igitur, quæ in hodierno Euãgelio dicta sunt de misericordia Dei & merito Christi, eò diriguntur & dirigi debẽt, uti rursum Iohãnes dicit, Filioli mei, hęc scribo uobis, ut nõ peccetis. Vtiq; Christ⁹ peccatores suscepit, ueluti Lucas ait. Vtiq; adhuc eos suscipit, & suscipiet usq; ad cõsummationem seculi, quotquot cõuersi fuerint. Sed uidere oportet, ne eiusmodi rebus abutamur. Quàm enim certò felicitas nostra est, si Dei misericordiã & meritũ Christi rectè apprehendamus cõsideremúsq;: tã certò cõdẽnatio nostra est, si iis rebus abutamur. Hoc diligenter perpẽdẽdũ est. Nam carnalis homo, quò illi magis Dei misericordia cõmẽdat, hoc minus sibi ipsi displicet, aut etiã timet in suis peccatis. Quapropter scito, Deum cor suũ non ideo tanto cum amore & misericordia erga nos aperuisse, ut eo magis & insolẽtius peccemus. Nec Christus propterea tantum sustinuit laborem, tantáq; passus est, ut hoc uilioris peccatum pendamus. Et hoc æquè circa istud Euangeliũ considerari oportet, atque aliæ res, de quibus audiuimus. Id quod non temere dico. Hic enim maximo laboramus defectu. Audimus gratulabundi, quòd Deus in gratiam recipit peccatores, & quòd eos Christus quærit, ac uocat.

Iohan 1.

Zach. 13.

Misericordia Dei & merito Christi rectè ut sit utẽdum.

Abutimur gratia Dei, et meritis Christi.

Sed quomodo utimur tali annuntiatione & prædicatione? Ita uidelicet, ut passim uidere est: nempe ut si quis increpetur, & ut à peccatis desistat, moneatur, primum sit quod dicat: Ha. Deus misericors est, etiam peccatores recipit in gratiam Si qs porrò ad bona opera aliquẽ exhortatur, hoc responsi datur: Quid iis mihi opus est? Christus pro me laborauit, ex meipso nihil possum: illius est quærere me, & ad ueraȝ caulam adducere & portare, &c. Vide, hinc fit, ut nõ modò segnes & tardi fiamus ad bonũ, sed semper in peccatis maneamus, imò tantò impudentiores & proniores fiamus ad omnia flagitia, facimúsq; ea re, ut nobis neq; misericordia Dei, neq; meritum Christi bono sit. Sed dicit Iohãnes: Res tam lætæ & cõsolatoriæ nõ idcirco nobis scriptæ sunt, ut tanto plus & licentius peccemus. Similiter & diuus Paulus loquitur, hominum damnationem iustã esse, qui ex annuntiatione diuinæ gratiæ dicere audebant, Faciamus mala, ut ueniãt bona. Deus nobis manum offert, de profundo cœni eripere nos cupiens, in quo fundus non est, hoc est, de profundis peccati & desperationis. Quòd si quantum in nobis est, facere noluerimus, sed in cœno usq; hęrere libuerit, abstrahet tandem & ipse manum suam. Faxit Deus, ut id probè consideremus, Amen.

Cur nobis Christi gratia prædicata sit.
1. Iohan. 2.
Rom. 3.
Psal. 68.

TERTIVS SERMO DE *primis uerbis huius Euangelij.*



QVI hodiernũ Euangelium probè considerauerit, uidebit Sapiẽtem rectè benéq; ad Deũ dixisse: Domine misereris omniũ, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominũ propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quę sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: parcis omnibus, quoniã tua sunt Domine, qui amas animas. Et quidẽ sacra scriptura satis alioqui in aliis locis indicat, quàm Deus iã inde ab initio omnibus tẽporibus benignũ se declararit erga bonos & iustos, ut uidere est in sancto Abrahã, Isaac, & Iacob, Ioseph, Moyse, Dauid, &c. Aequè benignũ se exhibet Christus in hoc Euãgelio, nec ullius tamẽ boni aut sancti in eo mentio fit, sed Publicanorum tantum & peccatorũ, quos tamen ipsos Christus nõ reiicit, sed suscipit illos, consolatur & excusat: honori sibi ducit, quòd peccatores pœnitentes in gratiam recipit: dicit se propter peccatores in terras uenisse,

Luc. 15.

palàm

palàm cõfirmans, etiam angelos in cœlo gaudere, si resipiscat peccator. Id autem omne argumento satis magno est, Deum omnium hominum misereri, & creaturarum suarum nullam odisse, quẽadmodum Sapiens dixit Quamobrem si bonus es & iustus, iam habes Deum propitium. Nihil enim aliud diuidit inter hominẽ & Deũ, quàm iniquitates, eæq; à nobis auertunt omnia bona. Si autem peccatores, Deũ tibi conciliare non difficile fuerit. Quid igitur conquerimur? In Deum culpam damnationis nostræ reiicere non possumus. Hoc unum curandum est, ne eiusmodi bonitate Dei abutamur. Diligenter itaq; considerandum, quos peccatores Christus in gratiam recipiat, & quibus hominibus tanta bona polliceatur. Non enim omnes peccatores uenia dignatur, alioqui Euangelium istud nostram confirmaret leuitatem. Protinus enim homo carnalis diceret: Si Deus peccatores quoque suscipit, quorsum attinet me uirtuti operá nauare? Manebo peccator: quò plus pecco, hòc illustrior fiet Dei misericordia, si me susceperit. Lucas uerò id pernegat: suscipit quidem Deus peccatores, sed eos tantùm, qui ipsi appropinquant. Porrò angeli quidem gaudent super peccatoribus, sed non super iis qui in peccatis manent, sed super pœnitẽtiam agentibus. Ad hæc duo uerba cum primis aduertendum est, Appropinquantes & pœnitentes. Euangeliũ solùm loquitur de peccatoribus Christo appropinquantibus & agẽtibus pœnitentiam. Si peccator es, suscipiet te quoque Christus, & libens. Si uerò non appropinques illi (siquidẽ peccator omnis longè à Deo & salute est) aut etiam si ore uel etiam corpore Deo appropinques, nec uerò ad pœnitentiam & meliorem mentem redeas, scias nullam harum cõsolatoriarum promissionum istius Euangelij ad te pertinere. Id quod pro initio sermonis dicere uisum est, quò quis in ipso statim principio intelligat, quorsum Euangelium istud respiciat, & ne quis sibi persuadeat pacem esse, ubi pax nulla est, quemadmodum in propheta habetur. Audiamus itaque prima istius Euangelij uerba. Et primò summa istius Euangelij est, quòd Christus uerbis simul & factis ostendere uoluit causam sui aduentus & incarnationis, nimirum quòd propterea uenerit, ut peccatores saluos faceret, & omnes homines ad agnitionem ueritatis adduceret, si ipsi obtemperarent, nec sibi ipsis impedimento forent. Hæc (inquam) summa est istius Euãgelij: quapro-

Sap. 11. *Isa. 59.* *Hier. 5.* *Quales peccatores Christus recipiat.* *Luc. 15.* *Peccatores Christo appropinquantes & pœnitentes.* *Psal. 118.* *Ezech. 13.* *Luc. 19.* *1. Tim. 2.*

pter infirmis & peccatoribus hominibus summũ adfert solatium. Quid ergo ait Lucas? Erant appropinquantes domino Publicani & peccatores, ut audirent illũ. In hisce primis verbis duæ personæ indicatæ sunt, publicani & peccatores. Per Publicanos ferè intelliguntur telones. Erãt autẽ nõ solùm telones, sed eiusmodi homines, qui cùm teloniũ, tum alia munia & officia certa pecunia redimebãt, & idcirco homines immodicis exactionibus grauabant, suũ quærẽtes compendiũ cum incõmodo & detrimẽto aliorũ hominum: aliorũ bonis sua bona accumulantes, attrahentes ad se sub prætextu permissi telonij aliorúmq; officiorũ, quod modũ excederet, & præter æquũ & honestũ esset. Talis erat Matthæus, priusquam in discipulorum Christi albũ ueniret: talis erat Zachæus, qui ultro offerebat quadruplum se redditurum eorũ quæ ab aliis hominibus iniquè extorserat. Id genus homines hoc loco per Publicanum intelligũtur. Rectè sic uocari possent ij, qui officia sua redimunt, quò crudelius pauperes deglubãnt. Per peccatores intelliguntur, qui quidem eiusmodi auaris & iniquis artibus non utuntur, quibus alij homines grauantur: sed tamen alioqui aliis tetris & scãdalosis criminib⁹ onerati, & apud omnes infames sunt. Tales homines ueniebãt appropinquantes Domino Iesu. Et quid facere melius poterant? Ad quem peccator tutius habere refugiũ potest, quàm ad Christũ, qui nõ uult mortem peccatoris, sed nihil in illo quærit aliud, quàm ut conuertatur & uiuat? Cum ægroto melius agi non potest, quàm ut medico sit proximus: alioqui facile illi morb⁹ exitiũ afferat. Sed ubi morbus grauior, quàm apud peccatorem? Ad istiusmodi autem morbum depellẽdum, Christus unus medicus est. Is enim sustulit peccata mundi, & dolores nostros portauit, & liuore eius sanati sumus. Vnde primũ istud uerbum solatium nobis & doctrinam præbet. In eo consolatur nos, quòd is, coram quo etiã omnes angeli tremore corripiuntur, imò ad cuius nutum etiam colũnæ cœli cõtremiscunt, in tantũ sese humiliauerit, & sublimi sua maiestate seueráq; iustitia ita exinaniuerit, ut etiam publicani & peccatores ad eum accedere ausint. Præterea uerbũ istud hanc nobis dat doctrinam, ut & nos iuxta peccatorum istorum exemplum ad Christũ properemus. Sic enim docet Isaias cap. 55. Quærite Dominum dum inueniri potest (inquit) inuocate eum dum prope est. In eandem sententiam docet & Iacobus capite

Publicani qui. *Matth. 9.* *Luc. 19.* *Peccatores qui.* *Ezech. 18.* *1. Pet. 3.* *Isa. 53.* *Iob 26.* *Phili. 2.*

pite quarto: Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis. Quæ res magno indicio est, quòd peccatum nos longè à Deo abducit, quemadmodum Dauid dicit: Longè à peccatoribus salus. Et Isaias: Iniquitates nostrę diuiserunt inter nos & Deum nostrũ. Et Paulus ad gentes: Aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Est autẽ hoc nõ ita accipiendũ, quasi corpore & externi loci ratione à Deo recedamus, uel ad Deum concedamus. Non: Deus ubique est, & loci ratione neque ad eum uenire, neque ab eo recedere possumus. Complet enim cœlum & terram. Similitudine uel dissimilitudine res agitur. Qui Deo & diuinæ eius uoluntati sese conformat, is illi appropinquat: cæterũ qui Deo & uoluntati eius reluctatur & resistit, longè ab eo se submouet. At quid Deo & præceptis eius aduersum magis, quàm peccator? Sicut exaltãtur cœli à terra (inquit Deus in Isaia) sic exaltatæ sunt uiæ meæ à uiis uestris. Et res sanè hoc loquitur. Viæ per quas ad nos Christus uenit, sunt humilitas, amor, ueritas, iustitia, &c. Viæ peccatoris sunt superbia, auaritia, mendacia, iniustitia, & omnia flagitiorum genera. Hoc profectò longè à Deo recessisse est. Non itaque mirum, si nobis acclametur, ut appropinquemus Deo per pœnitentiam, & conformationem nostræ uoluntatis ad illius uoluntatem: sicque futurum esse, ut uicissim ipse nobis appropinquet per suam gratiam. Quapropter qui ægrotus est, ad Christum festinet: is enim uerus animarum medicus est. Si quis sitit & æstu premitur, ad Christum currat: is fons est aquæ uiuæ, salientis in uitam æternam. Qui infirmus & debilis est, ad Christum ueniat: is enim uirtus est Dei. Qui mortem fugit, Deo appropinquet: is enim uita est, ut habes Iohannis undecimo capite. Qui tenebras uitat, ad Christum ueniat: is enim uera lux mundi est, quæ illuminat omnem hominem, Iohannis primo capite. Qui famelicus est, ad Christum currat: is enim est uiuus & substantialis panis, per quem animæ nostræ ab æterna morte liberantur. Sed uideat quisque, ne fictè sed in ueritate & toto corde ad Christum accedat, ne ad illum quoque dicatur, quemadmodum olim Iudæis dicebatur: Populus iste ore suo & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me. Porrò diuus Lucas initio dicit, publicanos & alios peccatores ad dominũ uenisse: causam addit, quid eos ad hoc mouerit. Propterea id fiebat, ut audirent Christũ. Vera hæc & Christiana

causa

Psal. 118. *Isa. 59.* *Ephe. 2.* *Hier. 23.* *Isa. 55.* *Viæ Christi.* *Viæ peccatoris* *Iacob. 4.* *Iohan. 9.* *Iohan. 4.* *2. Cor. 1.* *Iohan. 6.* *Isa. 29.*

causa est. Non enim omnes hac de causa adeunt Christum,
Matth.26. ut illum cupiant audire & ab eo discere. Appropinquabat &
Iudas Christo, sed aliam ob causam, nimirum falso osculo
proditurus eum. Iudæi sæpe illi appropinquabant, sed tan-
tummodo ut caperent eum aut in uerbis illius, aut etiã cor-
pore. Sed hoc laude dignum est, si ad Christum ueniamus,
Isa. 55. audituri ipsum, idq; fit non sine ingenti fructu. Nam ut plu-
uia & nix non sine fructu dilabuntur, sed perficiunt id, ob
quod missa sunt, humectant terram, & frugiferam reddunt:
ita quoque uerbum Dei non sine fructu abit. Sed quid Lu-
cas dicit amplius? Et murmurabant Pharisæi. Hic uide, quid
animus impius cogitet & loquatur. Non solùm ipsi nõ ad-
ibant Christum, sed adeuntes quoque ipsum cõdemnabãt,
quin etiam ipsum Christum eos suscipientem. Et unde id,
nisi ex falsa iniustitiæ præsumptione, quòd seipsos iustos &
bonos censebant? Atque hîc uides, quàm sit res pestifera &
perniciosa, præsumptio & sui fiducia. Quin eam ipsam ob
causam passim nos conuincit scriptura, nos esse peccato-
1.Iohan.1. res, ne nimium nobis ipsis tribuamus. Vt cùm Iohannes di
Iob 4. cit: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos
seducimus, & ueritas in nobis non est. Sic habetur in Iob:
Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis re-
Iob 15. perit prauitatem. Et rursum: Quid est homo, ut immacula-
tus sit coram Deo? Ecce inter sanctos eius nemo immuta-
bilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius. Quãto ma-
gis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam
iniquitatem? Quòd si igitur ne ipsi quidem cœli mundi sunt
in conspectu Dei, neque sancti sine defectu, quis igitur ia-
ctabit se puro corde esse? Corã hominib⁹ multi sanctimo-
niæ opinionem habent, sed coram Deo oẽs peccatores
Isa. 64. sumus, & omnis nostra iustitia per se est quasi pannus men-
struatæ coram illo. Sic & Paulus in seipso deprehendebat
legem peccati legi mentis suæ repugnantem. Vnde & dice-
Rom. 7. bat ac conquerebatur: Infœlix ego homo, quis me libera-
bit de morte corporis huius? Iob à Deo testimonium pro-
Iob 39. bitatis, innocentiæ & pietatis habebat, attamen in uerbis
Psal. 142. suis reprehensibilis inueniebatur, idq; fatetur ipsemet. San-
ctus Dauid deprecatur, ne Deus in iudicium secũ eat, quin-
imò dicit, Psal. 129. si Deus obseruare uelit iniquitates, nõ su
stinere posse ullum hominẽ. Quid igitur stultius, quàm ho-
Psal. 50. minem in peccatis conceptũ & natum, quiq; nil nisi terra &
cinis

cinis est, imò nihil aliud quàm caro est, magnificè de se ipso sentire, & sibi ipsi placere? Contra hos homines dicit spiritus Dei Apocal. 3. Dicis, quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Docet igitur nos murmur istud Pharisæorum, ne quis suæ probitati fidat. Secundò, ne quē peccatorem contemnamus. Quis enim scit, si cõuertatur & uiuat? Si hodie peccator est, fieri potest, ut cras surgat & pœnitentiam agat. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. E diuerso nec tu certus es ipse, num in bono in finem usque sis perseueraturus. Considera teipsum ne & tu tenteris, inquit Paulus ad Gal. 5. cap. Hic peccatores recipit (aiunt Pharisæi) & manducant cum illis. Reprehendunt in Christo, quod in illo probare omnium maximè debuerant. Enimuerò nihil esse nobis consolatorium magis potest, quàm quòd Christus etiam peccatores recipit: imò unica nostra spes & fiducia est, quòd Christus nullum peccatorem quantumuis improbum exclusit & repulit, nec quenquā qui se ad ipsum conuertebat gratiamq; petebat sine gratia & misericordia à se dimisit. Omne quod dat mihi pater (inquit) ad me ueniet: & eum qui uenit ad me nõ eiiciam foras: quia descendi de cœlo non ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me. Hæc est enim uoluntas eius qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitē illud in nouissimo die, &c. Et ut hæc uerbis prolocutus est, ita opere etiā adimpleuit, seq; per id declarauit tanquam uerum medicū animarum, & certā salutem peccatorum. Hoc experti sunt Matthæus, Zachęus, Magdalena, Petrus, Paulus, Latro & alij innumeri, quos post eorum pœnitētiam & conuersionem tenerius dilexit, quàm plerosq; alios. Ita quoq; in hoc Euangelio fecit, dum nobis ad solatium, non obstante Pharisæorū murmuratione, publicanos aliosq; peccatores suscipiebat, cum illis manducans & bibens, eos excusans & longè Pharisæis præferens, necnõ multis similitudinibus ostēdens, se peccatores libenter recepturū in gratiam, seq; ea gratia in terras uenisse. Quapropter nullā desperandi causam habemus. Si quæritis (inquit Deus) quærite: conuertimini & uenite. Et in Osee: Tollite uobiscum uerba (confessionis) & cõuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnē aufer iniquitatē, & accipe bonum: & reddemus uitulos labiorum nostrorum. Quare si hodie

Iohan. 3.

Rom. 14.

Iohan. 6.

Isa. 21.

Ose. 14.

Psal. 94.

si hodie audieritis uocem eius, nolite obdurare corda uestra, &c. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

QVARTVS SERMO DE SIMIlitudine de perdita oue.


RINCIPIVM hodierni Euangelij indicat, quòd Christus tempore peregrinationis suæ hic in terris, etiã publicanis & peccatoribus ualde familiarem & humanũ se præbuerit. Est autem hoc opus, quod non solùm Iudaicos Pharisæos offendit, uerum etiam in hodiernũ multos Christianos offendit, quanquam alio modo. Illi, Pharisæi existimabant talem, qualis Christus erat, magnificentius de seipso sentire debere, quàm ut cum eiusmodi hominibus cõmercium haberet. Apud nos inueniuntur homines, qui pro summo gaudio ducunt, & rem triumpho dignam, quum audiunt Christum etiam cum peccatoribus consuetudinẽ habuisse, minimeque refugisse illos propter peccata: putant se iam damnari amplius non posse, quantumuis turpiter & incomposite uiuant. Vtrobiq; uerbum hoc usurpatur, Hic peccatores recipit. Quomodo hũc Messiam dicam (inquit Iudaicus Pharisæus) qui cum tam leuibus hominibus commercium habet? Hic peccatores recipit, & mãducat cum illis. Cõtrà inquit leuis Christianus: Quorsum attinet curare me, quomodo uiuam & probus sim? Christus tamen etiam peccatores recipit. Vide, hoc pacto non solùm Iudaici Pharisæi in hoc Christi opus impegerunt, sed etiam multi Christiani. Verùm enimuerò si Euangelium istud penitius introspicimus, utrinq; illis sat responsum uidebimus. Pharisæis satis responsum est duabus similitudinibus, de perdita oue & perdita drachma: cæterùm si hoc responso contenti non sunt, proprios suos prophetas consulant, num Messias quoque cum peccatoribus consuetudinem fuerit habiturus nécne. Imò nónne Isaias expressis de illo uerbis dicit, eum calamum quassatum non contriturum, & linum fumigans non extincturum? Et iterum: Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Nonne Ezechiel de Messia dixit ipsum effusurum super populum suum aquam mundam, & emundaturum eos ab omnibus inquinamentis? Nónne Deus in Hiere

Misericordia Christi quib⁹ offendiculo fit.

Luc. 19.

Isa. 42.

Isa. 40.

Ezech. 37.

Hieremia promisit, tempore fœderis noui, quod per Messiam pacturus esset, propitiaturũ se omnibus iniquitatibus nostris? Nónne Micheas dixit Messiam depositurum iniquitates nostras, & proiecturum in profundum maris peccata nostra? Nónne Dauid dixit, Messiam populum humilem saluum facturum, & oculos superborũ humiliaturum? Nónne Zacharias capite decimotertio dixit, In die illa fore fontem patentem domui Dauid, in ablutionem peccatoris? Et quid multis opus est? Nihil Prophetæ tam dilucidè annuntiarunt de Christo seu Messia, quàm quòd peccatores ad gratiam promoturus esset. At uerò Pharisæi noluerunt Christũ propterea pro Messia agnoscere & recipere, quòd etiã peccatores ad pœnitentiam uocabat recipiebatq;. Adeò scite suã ipsi intelligebant scripturam: quinimò adeò illos excæcauerat philautia, qua placebant oppidò sibi ipsis, atque inuidia aduersus Christum, ut illum respuerent eam ob causam, ob quam illum maxime pro uero Messia agnouisse & recepisse debebant. Leuibus ac dissolutis Christianis, qui sua crimina hoc uiliora æstimant, & tanto minus ab iis desistunt, quandoquidem audiunt, quòd se Christus etiam erga peccatores tam humanum exhibuerit, commode quoq; respõsum est in hoc Euangelio. Etenim primò causa expressa est, quamobrem peccatores ad Christum recurrerint, nimirum ut audirent illum. Atque hæc causa erat, quamobrem illos Christus recipiebat. Secundò, indicat Euangelium hoc perspicue, Christo non omnes peccatores placere, sed pœnitẽtes solùm. Dico uobis, inquit, ꝙ gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Quid igitur leuis Christianus ex hoc Euangelio sibi promittere potest? An nõ ingens discrimen est inter peccatorẽ semper peccantẽ, & peccatorem, qui peccare desinit, & pœnitentiã agit? Atqui audis, quòd Christus solùm loquitur de peccatoribus pœnitẽtiam agentibus, uerbumq; suum audientibus. Cùm his libẽter negotium habet. Dum enim ad eum sese conuertunt, & pœnitentiam agunt, non amplius uocandi sunt peccatores. Quod si igitur lubet à peccatis desistere, & Christum audire, est quod de hoc Euãgelio meritò graturleris. Enimuero Christus est, qui tales suscipit, eosque non solùm coram mundo, sed etiam coram Dei iudicio defendere uult ac potest. Et quidem omnibus illis pariter & per omnia sufficit, aut, ut Paulus dicit ad Roman. decimo cap. diues est in omnes

Hiere. 31.

Mich. 7.

Psal. 17.

In eos, qui Christi misericordia ad peccandum abutuntur.

omnes qui inuocant illum. Si quis ægrotum se sentit, Christus medicus est: si intelligis te peccatis grauatum, Christus reconciliatio nostra est & iustitia, 1. Iohan. 2. Si auxilio eges, uirtus est & fortitudo Dei est, 1. Corinth. 1. Si metuis mortem, uita est. Iohan. 11. Si fugis tenebras, Christus lux est. Iohannis 8. Si sitis, Christus est fons aquæ uiuæ. Iohann. 4. Si esuris, Christus est panis uitæ, Iohann. 6. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, inquit Matth. 11. Tollite iugum meum super uos, &c. Hunc in modum recipit Christus peccatores. Quòd si is es, qui hoc cupias & quæras, est quòd gaudeas, quum audis, quòd Christus peccatores recipit. Sin uerò usque in peccatis manes, & proteruis, scito Christum eiusmodi peccatores non recipere, sed in extremo iudicio ad illos dicet: Discedite à me qui operamini iniquitatem. Matth. 7. Hoc pacto in isto Euangelio non solùm Iudaicis Pharisæis blasphemũ os obturatum est, sed etiam leuibus Christianis uia prępta, ut uitæ suæ licentiam hoc Euãgelio non sint excusaturi. Sed uerba, quemadmodum Christus Pharisæis responderit, accuratius uestigabimus. Quis ex uobis, inquit, homo q habet centum oues, etsi perdiderit unã ex illis, nónne dimittit nonagintanouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? &c. Hæc prima similitudo est, qua Christus Pharisęis respõdet. Aliis in locis similibus Christus usus est parabolis. Vt cùm Pharisæi aduersum eum murmurabãt, quòd homini ægroto manũ suam aridã restituerat die Sabbati. Itẽ quòd hydropicũ sanauerat. Dicebat tum ad illos: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Et cùm murmurabãt, quòd mulierẽ inclinatã, quæ omnino nõ poterat sursum respicere, die sabbati erigebat, dicebat ad eos: Hypocritæ, unusquisq; uestrũ sabbato nõ soluit bouẽ suũ, aut asinũ à pręsepio & ducit adaquare? Hãc aũt filiam Abrahę, quã alligauit Satanas, ecce decẽ & octo annis, nõ oportuit solui à uinculo isto die sabbati? Sententia eius parabolæ est: Si homines tantum diligentiæ adhibent, & tantam curam gerunt pro brutis animantibus, quanto magis opera danda, ut animæ hominum non pereant? Hoc loco parabolæ de perdita oue & fideli pastore, sensus est: Si pastor tanto amore prosequitur suas oues, quas tamen non creauit, quòd illi plus curę est una perdita & errabunda, quàm nonagintanouem incolumes

columes, maioríq; afficitur gaudio propter unam ouem ite rum inuétam, quàm propter totū gregem: quid igitur miri, si Deus, qui natura bon' est, solicitus est, ne qua earum pereat, quas secundum imaginē suā creauit: imò quarū gratia etiam filium suum in mortē dedit, aut si qua deuiarit, protinus ad gregē & in caulam reducatur, priusquā eam lupus cō prehendat? Hęc sententia est huius similitudinis. Sic eā Christus ipse exponit in Matthæo, capit. 18. Similem in modum dicit: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de pusillis istis. Idē hoc & in aliis locis scriptura dicit. In Ezechiele 18. capi. ait Deus: Quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, sed ut conuertatur & uiuat. & in secundo libro Regum, capite decimoquarto: Nō uult Deus perire animam, sed retractat, cogitans ne penitus pereat qui abiectus est. Et Sapiens: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum. Et Paulus: Deus omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Idq; Deus omnibus temporibus re ipsa declarauit, se uindictæ minimè cupidum esse. Quoties monebat Pharaonē, priusquam eum penitus deleret? Quoties monebat Israelitas, priusquam eos in manus hostium traderet? Ita cùm mundum diluuio punire uellet, prius illis centum & uiginti annos agendi pœnitentiam dabat, in quibus iram Dei auertere potuissent. Imò nec Sodomitas perdebat, donec uidebat & experiebatur, quòd in sua malitia persistebant perseuerabántq;. Quid autem omnes hæ sententiæ & exēpla sibi uolūt aliud, quàm quòd Christus circa hanc similitudinem dicit in Matthæo: Sic non est uoluntas ante patrem meum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Sed obserua, quàm pulchrè nobis Christ' hac similitudine indicauerit: qui aliquādo fuerimus, & quid nobiscū fecerit Deus. Perdita ouis significat humanum genus, quod in primo Adam perditum erat, longè à uia salutis aberrans. Erraui (inquit Dauid Psal. 118. in persona generis humani) sicut ouis. Et Isaias adhuc clarius: Omnes nos quasi oues errauimus. Tum scriptura aliis quoq; in locis plurimis oues nos nominat, uti cùm Dauid dicit Psal. 94. Nos popul' pascuę eius, & oues manus eius. Et in Ezechiele cap. 34. non semel, sed sæpius Deus oues nos appellat. Et Christus: Oues meæ uocem meam audiunt. Sancti Angeli manserunt in sua perfectione, sed homo cecidit per peccatum. Tales natura omnes sum'. Nihil calamitosius & desolatius oue erronea.

Dei erga animas amor. *Gen. 1.* *1. Tim. 2.* *Gen. 6.* *Matth. 18.* *Ouis perdita.* *Isa. 53.* *Iohan. 10.*

Nihil homine peccatore miserabilius. Hãc nostram miseriã
Christus nobis ostendere uult per ouem perditam, quò nos
melius cognoscamus, diligentiúsq; & fortius bono pastori
Christo adhærescamus. Deinde uerò uidemus in hac simi
litudine summum quoq; amorem, bonitatem & misericor-
diam Dei. Siquidem profectò certissimum signũ est diuinæ
bonitatis, amoris & misericordię, quòd post tantã inobediẽ
tiam hominis, post tam magna peccata & scelera, cùm pec-
catũ iam omnes occupauerat, & homo meritò summã pati
pœnã debebat, imò penitus deleri, tanto illum afficit benefi
cio: filium suum unigenitum pro inimicis suis, qui se aliena-
uerant ab ipso, qui illum oderant, eiq; omnibus modis resi-
stebant, in mortem dedit, per quam mortẽ etiam effecit ut
simus reconciliati: nobísq; regnum cœlorum, uitam æternã,
& uariã cœlestia diuináq; bona promisit, quę nullus homo
unquam uel uidit uel audiuit, &c. Quid autem huic benefi-
Isa.64. cio simile excogitari potest? Ideóque Deus ipse dicit: Sicut
Isa.55. exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt uiæ meæ à uiis ue-
stris, & cogitationes meæ à cogitationib9 uestris. Et Dauid:
Psal.102. Secundum altitudinem cœli à terra, corroborauit misericor
diam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occi
dẽte, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo mi
seretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se:
quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. De hoc amo-
Psal.110. re & cura Dei in nos, loquitur etiam Dauid alio in loco: Le-
uaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi.
Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Non
det in commotionem pedem tuum: neq; dormitet qui custo
dit te. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit If-
raël. Dominus custodit te, Dominus protectio tua super ma
num dexterã tuam. Per diem sol non uret te: neque luna per
noctem. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat ani-
mam tuam dominus. Dominus custodiat introitum tuum &
Psal. 44. exitum tuum, ex hoc nunc & usq; in seculũ. Hinc uides eun-
dem Dauidem rectè dixisse, ubi inquit: Miserationes eius es
1.Cor.6. se super omnia opera eius. Tertio quoque indicat nobis
hæc parabola, quanti redẽpti simus, nõ corruptibilibus au
ro uel argẽto: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati
Christi. Magno labore nos quæsiuit fidus pastor, prędican-
do, docendo & clamando. Plus adhuc negotij habuit, do-
nec nos in ueram caulam & ad alias oues reduxit. Imò suis

hume

humeris nos imposuit, hoc est, omnem nostram condemnationem & miseriam, peccata nostra, atque etiam pœnam eorum in se suscepit & portauit in cruce, ut Petrus dicit, & Isaias multo ante compluribus & elegantibus uerbis annunciauit: Attritus est, inquit, propter scelera nostra: omnes errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm: sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Summa, reduxit nos in ouile suum ad congregationem sanctorum Angelorum, imò ad montem & ciuitatem Dei in cœlo ædificatam, ad cœlestem Hierosolymam, ad ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, hoc est, ad seipsum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel. Hinc discamus, quomodo etiam nos uicissim erga hunc bonum pastorem gerere debeamus. Diligamus eum, quoniam prior dilexit nos, & animam suam seu uitam pro nobis dedit. Discamus illi etiam aliis in rebus fidere, quemadmodum illum tam benignum & fidum experti sumus in summa necessitate. Nam si tum nos non deseruit, sed tam fideliter quæsiuit, neque nunc nos deseret. Si pro nobis impendit uitam, quomodo nobis aliud quippiam denegaret? Discamus porrò, quàm ex nobis ipsis nihil simus ac possimus. Nam ut ouis seipsam neque à lupis, neque ab aliis periculis tueri potest, sed opus habet pastore, ita indubiè nos quoque miseri atque egeni sumus sine Deo. Quare apud nostrum fidum pastorem maneamus, eúmque fideliter sequamur. Tertiò, discamus ex hoc exemplo Christi, ut etiam nos alios homines à peccatis abstrahamus, ad bonum ducamus, & deinde etiam ad salutem ipsorum perducamus. Mandauit enim Deus unicuique de proximo suo. Discamus specialiter ex hac similitudine, ut miseris peccatoribus compati possimus, præsertim iis qui à peccatis resipiscunt, quemadmodum Paulus docet: Suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit uos in honorem Dei. Et iterum: Si præoccupatus fuerit homo in delicto aliquo, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, consyderans teipsum ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Et rursum: Corripite

1. Pet. 2.
Isa. 53.
Heb. 12.
1. Iohan. 4.
Rom. 8.
Eccli. 17.
Rom. 15.
Gal. 6.
1. Tess. 4.

pite inquietos, cõsolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patiẽtes estote ad omnes, &c. Ante omnia autem omnes pastores, animarum curatores, Episcopi, Parochi, Cõcionatores ex hac similitudine discere debent, quid officium ipsorũ requirat. De hoc legere possunt Ezechielem 34. cap. & Iohãnem 10. Deus det nobis oĩbus suã gratiã, ut hoc exẽplũ bene consideretur, nõ solùm à iã dictis pastoribus & animarũ curatoribus, sed etiã ab omnibus iis, qui pro aliis hominib' curã gerũt. Omnes enim eiusmodi esse pastores debẽt, curare & laborare, ne pereãt qui illis cõmissi sunt: alioqui enim
Ezech. 33. Deus sanguinẽ ipsorum de manibus eorum postulabit, &c.

QVINTVS SERMO DE *ultimis uerbis hodierni Euangelij.*



TRITVM est uulgi ore prouerbiũ, ídq; uerissimum sanè, quò quisq; ditior est, hòc plures illi esse inimicos, qui diuitias ei inuideant, & diripere conentur. Pauper, cuius nota paupertas, diuite multò securior est. Quia enim nihil habet, nihil potest amittere. Quod ipsum in rebus quoq; spiritualibus usui uenit. Non est populus sub sole, cui diabolus magis insidiatur, quàm nobis Christianis. Neq; mirum. Nusquã enim plura bona & diuitias uidet, quàm apud nos Christianos. Quicquid mundus externi & temporale habet, nihil est ad id quod nos Christiani habemus. Iudæi olim ueris bonis locupletes fuẽre: nam illorum erat adoptio Dei, gloria, testamẽtum, legislatio, obsequium, & promissa. Quapropter & Moyses de illis dicit: Hæc est uestra sapientia, & intellect' coram populis, ut audientes uniuersi pręcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quę habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. At nunc uerò hac in parte ad summam paupertatẽ redacti sunt, posteaquam Dei gratiam per Christum illis oblatam aspernati sunt. Ethnici multo adhuc pauperiores sunt, ut qui in hodiernum usque diem post sepes in peccatis iacent & animi cæcitate. Nos uerò ex singulari gratia in domũ Dei uocati sumus, & admissi, illius mensæ accumbimus, omnium bonorum eius participes facti sumus. Hoc malè habet diabolum. Proinde omnem adhibet operam, quomodo talibus bonis nos aut omnino priuet, aut ea ad minus perdat & inutilia nobis

Christianos præcipue insectatur diabolus.

Rom. 9.

Deut. 4.

nobis reddat. Quod ut uerum intelligatur, Euangeliũ istud egregium nobis proponit exemplum & argumentũ. An nõ ingentia bona sunt & diuitiæ nõ æstimandę, hominẽ Christianum lætè & confidenter dicere posse: Credo in S. Christiana Ecclesia esse remisſionẽ peccatorũ? Hic autẽ articulus mirificè cõuincitur ex hodierno Euãgelio. Primò ex eo, ꝙ Christus filius Dei & unicus seruator mũdi, peccatorũ curam habet, ad se uocat eos, humaniter illos alloquitur, edit & bibit cum illis. Secũdò ex eo, ꝙ seipsum pastori cõparat, qui tanta cura & amore suas oues prosequitur, ut nullã ex iis perire sinat, licet multas adhuc seruet & habeat: imò nõ dubitat uel unicã ouẽ errantẽ sequi, & alias nonagintanouem in deserto relinquere, neq; quærẽdi finẽ facere, donec perditã ouẽ iterũ inueniat, & ad aliũ gregẽ reducat. Tertiò ex eo quod dicit, esse etiã gaudiũ in cœlo super uno peccatore pœnitentiã agẽte. Hæ sunt diuitiæ Christiani, quòd benignum seruatorẽ habeat Christum, & per illũ etiã clementem Deum. Si quis peccauerit (ait Iohãnes) aduocatũ habemus apud patrem, Iesum Christũ iustũ, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Nunc uerò uide, quomodo diabolus eximium hunc thesaurũ nobis eripere laboret, & cõsolatorium Euangeliũ perdere nobis & infrugiferũ reddere, ut iam plerisq; perditum est penitus & inutile factum. Duo nobis Euangelium istud proponit. Primò, quòd Deus misericors est: secundò, quòd nos Christus magno labore quæsiuit. Sunt res duæ pretiosæ, misericordia Dei, & meritũ Christi. Hæc autem utraq; nobis perdit diabolus. Ex misericordia Dei ad impœnitentiã nos adducit: persuadet nobis peccata non ita grauia esse, Deum nõ tantopere ea curare. Ex merito Christi adducit nos ad negligentiã & omisſionẽ boni: persuadet nobis, nihil opus esse nostro labore, Christum omnia ipsummet & solũ expediuisse. Hinc fit, quòd quãdo hoc tempore peccatorem carpimus & deterremus à peccatis, respondeat: Deus misericors est, nullum reiicit peccatorem. Tum Christus ipse ad peccatores & propter peccatores uenit. Quum uerò pigrum ad bona opera & pia exercitia hortamur, illico dicit: Christus pro me laborauit & passus est: imò omnia pro me executus est, &c. Hac re fit, ut aut in peccatis maneamus, aut ad omne bonum segnes & tardi fiamus: denique perdimus nobis prorsum Dei misericordiam & meritum Christi. Quantumuis enim Deus misericors

[Margin notes: I. / *Luc. 15.* / II. / III. / *Misericordia & merito Christi abutimur.* / *O uanam persuasionem!*]

sericors est, nullam tamen tibi affert utilitatem, nisi à peccatis desistas. Et quantumcunq; etiam Christus pro nobis fecit ac passus est, haud tamen tibi prodest, nisi bonis rebus studeas. Scriptum est: Exéplum dedi uobis, ut quéadmodũ ego feci uobis, ita & uos faciatis. Quare uide, ne diabolus duplicia hęc bona tibi perdat & inutilia faciat, Dei misericordiã & meritum Christi. Etenim nõ otiatur ille: atq; nisi etiã misericordia & meritũ Christi subsidio nobis ueniant, uę nobis in æternũ. Faciamus igitur, ut his duobus recte utamur. Cum gaudio quidem audire debemus, quòd Christus peccatores susceperit, sed propterea in peccatis manere nõ debemus. Cum gaudio audire debemus, quòd Christus, cũ perditi eramus, laborauit: sed ob id feriari & otiari nõ debem⁹. Proin reliquã partẽ hodierni Euangelij ad finẽ usq; audiamus. Parabolam de perdita oue & fido pastore proximè audiuimus. Hos taxat Pharisęorũ iniusta murmuratio, carpẽtium in Christo, quod ipsi, idq; in rebus uilioribus faciebãt. Nullus eorũ erat, qui, cùm ouem brutum animans perdidisset, nõ horsum illorsum cucurrisset & quęsiuisset, &c. & Christus filius Dei mundi seruator, animas, quæ secundum imaginẽ Dei creatæ essent, perire sineret? Si Adæ filiis tantæ curæ sunt temporalia, si quid eorum perditũ est, ut ita anxiè iterum quærant: nónne maiore diligentia & labore illud quæreretur quod omnibus temporalibus bonis longè præstantius est? Hęc erat sentẽtia illius parabolæ. Qua re docet nos Christus, ne murmuremus contra peccatores, qui sese pœnitentiæ dedunt, sed unà cum illis gaudeamus. Nam si tantum gaudium affert, cùm ouis, quod animal rationis expers est, rursus inuenitur: quid nobis Christianis gaudij adferet, cum homo, rationalis creatura & secundum imaginem Dei creata, per pœnitentiam ab æterno interitu uindicatur, & ad æternam suam salutem redit? Eadem alterius parabolæ sententia est de perdita drachma. Quæ mulier (inquit Christus) habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernã, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? &c. Perinde est ac si dicat Christus: Si quærit mulier tanta diligentia amissum nummum, tantóq; afficitur gaudio, cùm illũ iterum inuenit: quãto iustius est, ut ego filius Dei, summo studio perditas creaturas Dei quæram & reducam? Quemadmodũ nemo contra mulierem murmurabat, quòd perditam drachmam tam diligenter

Christi meritũ quib⁹ nihil profit.

Iohan. 13.

Gen. 1.

Congratulandum peccatori pœnitẽtiam agenti.

Luc. 15.

ter quærebat: ita haud æquum erat contra me murmurari, sed coli & honorari potius debebã, qui perditos peccatores requiro, & in rectam uiam reduco. Atque hoc pacto uidem⁹, ꝙ is ipse, q̃ p̃ fidũ pastoré intelligit, intelligatur quoque per mulierem, nimirum Christus dominus noster, æterna uirtus & sapientia Dei. Hæc illa mulier est, quę tam fideliter pro perdita drachma, hoc est, pro homine Dei nomine & imagine insignito laborauit. Lucerna, quam hæc mulier (æterna sapiẽtia Dei) accendit, est corpus Christi. Ellychniũ sancta illius anima est: Oleum, est plenitudo omnis gratiæ: Lux, est sancta eius diuinitas. quemadmodum Isaias ciuitati Hierosolymitanæ denuntiauit: Egredietur, inquit, ut splendor iustus eius, & Saluator eius ut lampas accendetur. Hoc lumine, hoc est, per Christum uerum Deum & hominem, æterna diuina sapientia perditam drachmam, humanum genus quæsiuit, atque etiam inuenit. Quanquam hoc lumen etiam de prædicatione Euangelij nõ incommodè intelligi possit. Hoc lumen nobis æterna sapientia accendit in eum finem, ut perditæ, erroneæ animæ rursum inuenirentur, & in ueram uiam reducerentur. Hoc lumine quoque mulier ista totam domum perquisiuit, hoc est, totum mundum prædicatione Euangelij impleuit. Tali medio diuini uerbi quęrit sapientia Dei in hodiernum diem futuros beatos. Non latuit hoc etiam Dauidem, quòd uerbum Dei lucerna est pedibus nostris. Petrus adhuc clarius hac de re loquitur: Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus uestris. Quidam per hanc mulierem tanta sedulitate quærentem drachmam, intelligunt sanctam Christianam Ecclesiam, ídque non immerito: siquidem à sponso suo Christo, tanquam à fido pastore exemplum capit: habet porrò & spiritum eius. Itaque non cessat errantes suos perditos filios quærere: ad quam rem triplici utitur lumine, nimirum seria admonitione, deuotis precationibus, & piis exemplis. Et quàm tristatur quum filij eius errant, tam lætatur quum ad Deum conuertuntur. Hoc quiuis fatebitur, qui diligenter considerat, quid per annum in catholica Ecclesia canatur, legatur, fiátque. Hoc certè incitamentum esse nobis debebat ad pœnitentiam, quando audimus quòd nos Christus non solùm fideliter quæsiuit, &

Mulier. Christus. *Lucerna.* *Ellychnium.* *Oleum.* *Lumen.* *Isa. 61.* *Psal. 118.* *2. Petr. 1.* *Mulier sancta Ecclesia.* *Iohan. 14.* *Lumẽ triplex Ecclesia.* *Incitamẽta ad pœnitentiam.*

tanto sumptu ex interitu nostro redemit: sed etiam optima mulier, mater nostra unicè chara, adhuc quotidie pro nobis curam gerit. Summus illi dolor est, quum in proprium nostrum exitium ruimus: contrà uerò summum illi gaudiũ est, cùm in recto itinere ambulamus. Hæc sanè magna satis incitamẽta nobis essent, inquam. Verùm Christus hoc nõ cõtentus, addit etiam Angelos in cœlo gaudere, si cõuertatur peccator, & pœnitẽtiã agat. Hoc primò nobis speciale præstat solatium, cùm audimus & diligẽter cõsideramus, ꝙ omnes angeli & electi nostrã salutẽ & cõuersionem cupiũt, & nobis congratulantur, si cum Deo simus cõiuncti & con gregati. Imò hoc unũ uerbum nos quàm celerrimè ad pœnitentiam adducere debebat, quippe cùm minimè nos deceat, ut dormiamus, omnibus creaturis Angelis & sanctis, imò Deo ipso & Christo pro nobis curãtibus, & nostra salute gaudentibus. Huc pertinet, quòd etsi Christus in hoc ultimo uerbo Euangelij, solũ de sanctis Angelis dicit, ꝙ hi cum pœnitente gaudeant: attamen antea indefinitè dixit, plus esse gaudij in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouẽ iustis, qui nõ indigent pœnitentia. Et sunt hæc duo quidẽ uerissima. Sancti Angeli gaudent pœnitẽtia & cõuersione peccatoris, primò propterea, quòd eorum officium & ministerium, quod ex man dato Dei erga nos homines exhibent, in pœnitente non frustra est. Secundò, quòd numerus eorum per huiusmodi pœnitentes impletur. Etenim quoadusq; in peccatis iacẽt, in castris diaboli sunt: cęterum si ad pœnitentiam cõuertun tur, sub uexillũ confugiunt Christi. Hoc uerò sanctis angelis adfert gaudiũ quòd diabolo regnum eius minuitur, Deo uerò regnum eius adaugetur: & quòd etiam ex humano ge nere quotidie noui ueniunt, qui cum illis Dei bonitatem & misericordiam laudent ac prædicent. Et quid ego solos angelos sanctos cõmemorem? Tota beatissima Trinitas gau det nostra conuersione & pœnitentia. Deus pater gaudet, ꝙ per eiusmodi pœnitentiam & conuersionem peccatorũ, quotidie nouos adipiscatur filios. Deus filius gaudet pœni tentia & conuersione peccatorum: hinc quippe cognoscit fructum sacrosanctæ suæ passionis, & quòd non frustra sit passus. Secũdò, simul uidet, imaginẽ suã & similitudinẽ, quę in peccatore obscurata erat, restitui ac reparari. Et tertiò multos per hanc fratres adipiscitur, inter quos primogenitus ipse

Luc. 15.

Angeli cur gaudeant pœnitentia peccatoris.

Heb. 1.

S. Trinitas lætatur nostra pœnitentia.

Rom. 8.

tus ipse est. Deus spiritus sanctus gaudet quoq; conuersione & pœnitentia peccatoris. Per hanc enim rursum acquirit suum templum, in quo habitet: rursum acquirit mēbrū suū, quod uiuificet: & postremò quoq; rursum acquirit per eiusmodi cōuersionem peccatoris suū uas, quod gratia sua impleat. Vide, idcirco dicit Christus nō simpliciter, quòd sancti Angeli nostra pœnitentia & cōuersione gaudeāt, sed dicit etiā in genere, esse quoq; propter pœnitentē peccatorē gaudiū in cœlo. Quapropter uide ò miserrime peccator, ne tua pernicacia Deum honore suo & laude defraudes. Vide ne Christus frustra pro te sit mortuus: uide ne etiā sanctos Angelos téque ipsum tua salute spolies. Quia itaque in hoc Euangelio Dei gratiam & misericordiā tam clarè uidemus, semper cauere debemus, ne ingrati inueniamur, & oblatā gratiā repellamus, eáue abutamur. Ignoras, ait Apostolus, quoniam benignitas Dei te ad pœnitētiā adducit? Quò autem magis nunc misericordiam suā declarat, hòc seuerius quoq; postea suā iustitiam ostēdet, si ingrati simus. Sed unū adhuc docet postremū hoc uerbū, nimirū quomodo Deus, Christus, sancti Angeli, sacrosancta Trinitas, omnésq; sancti nostra salute gaudent, ut similiter & nos faciamus erga proximum nostrū: Illius salute gaudeamus, & illius duritiē deploremus. Scriptum est enim: Diliges proximū tuū sicut teipsum. Dicit itē Paulus: Multi unū corpus sumus in Christo capite nostro. Deus nobis omnibus suam adspiret gratiam, Amen.

1. Cor. 3. *Rom. 2.* *Matth. 22.* *1. Cor. 10. & 12.*

SEXTVS SERMO COMPONIT *Euangelium cum Epistola & Ecclesiæ oratione.*

DICTVM modò Euangelium desumptū est ex 15. capite Lucæ Euangelistæ: quod uniuersum caput ualde consolatorium est, præcipuè pro nobis miseris peccatoribus, quibus quotidie peccatis nostris occupatis, gratia & uenia roganda est. Enimuerò in eo ipso capite habetur quoq; consolatoria parabola de filio prodigo, quæ hodiernum Euāgeliū cōtinenter sequitur: quò omnes uideant, omnia hæc cōiūcta esse oportere, Christúmq; pœnitentibus peccatoribus perfectū solatiū dare uoluisse. Idq; nō iniusta de causa, nō ꝓpterea solū, ꝙ Publicani ipsimet ad eū ueniebāt cupiētes illū audire, sed etiā quòd Pharisæi suo murmure id *Luc. 15.*

conabantur impedire, seu ad minus, in suspicionem adducere. Atq; illis merito sane attulisse gaudium debebat, quòd peccatores glomeratim sese cõuertebant. quinimò summa diligentia eam rem promouisse debebant, quãdoquidẽ pastores & erant, & sese profitebantur. At inuidebant pauperibus solatium, quòd ex Christo capiebant: imò in peiorem Christo interpretabãtur partem quòd uerbis illos lenioribus & consolatoriis alloqueretur. Idq; non hacuice tantũ, sed multum & sępe declarabant eiusmodi cor suum immite erga miseros peccatores. Vt cùm Christus Matthæũ ex te-
Matth. 9. lonio uocaret, obiiciebãt id sanctis Apostolis, ꝙ pręceptor ipsorũ cum Publicanis, telonibus & peccatoribus manduca-
Luc. 19. ret. Cùm Zachæus Christum in domũ suã reciperet, similiter murmurabant, ꝙ ad peccatorem diuertisset. Imò ut illũ
Iohan. 8. per omnia ob peccatores suspectũ facerent, adulterã quandoq; ad eum adduxerunt, tentaturi num eiusmodi hominibus etiam misericors esse uellet. Christus uerò ubiq; locorum illis sic obuiare poterat, ut nil nisi probrum inde repor-
Matth. 9. tarent. Siquidem cùm in cõuersione Matthæi murmurarẽt, hoc illis responsi dabat: Hypocritæ, euntes discite quid est, misericordiam uolo, & non sacrificium: id nimirũ hoc ipso significare uolens, Deo gratissimum esse sacrificiũ, si in peccatores pœnitentes misericordia declaretur: atq; adeò sub-
Ose. 6. indicare uolens, frustra ipsos sua facere sacrificia; quando pœnitẽtes peccatores tam nulla prosequerẽtur charitate & cõdolẽtia. Tale respõsum dabat & Michęas, cap. 6. interrogatus à Iudæis, quid facere eos oporteret, ut Deo gratũ sacrificium offerrent. Indicabo tibi ò homo, inquit, qd sit bonum, & quid dominus requirat à te: utiq; facere iudiciũ, & diligere misericordiã, & solicitũ ambulare cũ Deo tuo. Hoc
Iohan. 8. docet Christus immisericordes Pharisæos. In Iohãne cùm illũ cũ adultera tẽtarẽt, maior illis adhuc inurebãt nota ignominię. Qui sine peccato est uestrûm, inquit, primus in illã lapidẽ mittat. His uerbis propriã eorũ cõscientiã illis ostendit: imò peccata eorũ propria ita ob oculos statuit, ut aliorum hominũ peccatorũ obliti, rubore suffusi, omnes tẽplo excederent. Hunc in modum respondere illis Christus sem-
Ezech. 34. per posset. Ezechiel eiusmodi elingues pastores nõ modò confundebat, sed etiam penitus condemnabat. Væ pastoribus, inquit, Israël, qui pascebant semetipsos, gregem autem meum non pascebant. Quod infirmũ est non consolidant,
quod

quod confractum est, non obligant, & quod abiectum est non reducunt. Vide, hoc Christo isto in loco causam dabat tam copiose de peccatoribus & pœnitentia dicendi, contra superbos immisericordesque Pharisæos. Tres illis proponebat similitudines, quæ omnes peccatori Dei gratiā denūciabant: primā de oue perdita, secundam de drachma perdita, tertiam de filio prodigo. In prima parabola clarè indicatum est, quid Christus peccatorum causa fecerit ac perpessus sit. In secūda uidemus, quid Christus in hodiernū adhuc faciat apud nos peccatores in sancta Christiana Ecclesia. In tertia uidemus, q̃ Deus seipsum clementē erga peccatores exhibeat, & quid ipsos etiā ad suam salutē facere oporteat. Omnia cōsolatione plena sunt. Atq; hæ tres parabolæ recto ordine sese mutuò consequūtur, docētes nos, in iustificatione peccatoris qd agatur. Christus suis functus est partibus: addit & Ecclesia sua partes, peccator suam quoq; adiungat operam necesse est. Christus incipit, Ecclesia prosequitur, peccator ad finē perducit. Primo, & ante omnia meritum Christi præcedat necesse est, ut sine quo omnis nostra actio quālibet in specie bona, nihil est. Nemo enim uenit ad patrem, nisi per Christum: is unicus mediator est inter Deū & nos, uti Paulus dicit. Atq; idcirco etiā similitudo de bono pastore meritò priore loco stat. Nam si ianua est ad salutē, meritò de seipso primum locutus est. Deinde uerò, quia etiam Ecclesia tanquam sponsa Christi, iustificationē Christi adiuuat, cum administratione diuini uerbi & Christianorum Sacramentorum, meritò parabola de solicita muliere, sequitur parabolam de bono pastore. Attamen nondū hæc omnia quæ Christus fecit, & Ecclesia adhuc facit, sufficiunt, nisi peccator suas quoque addat partes: cum filio prodigo in seipsum descendat, suam miseriam deploret, à peccatis resurgat, ad Deum patrem suum currat, peccata sua humiliter confiteatur, & suppliciter ueniam & remissionem petat. Hoc peccatorem in iustificatione sui facere necesse est. Qui enim creauit illum sine ipso, non iustificabit illum sine ipso. Vide, propterea Christus quoq; tertiam similitudinem de filio prodigo appendit. Summa, Christus propter peccatores uenit: è tartarei lupi faucibus nos eripuit: magno nos labore, & sumptibus ad ouile reduxit: imò mortē & supplicium pro nobis passus est: sacrosancto sanguine suo nos redemit: ꝑ nostris peccatis in ligno crucis depēdit, & nos in

Luc. 15.

Christus.
Iohan. 14.
1. Tim. 2.

Ecclesia.

Peccatori in sui iustificatione quid agendum.

Augustinus.

Exech. 18. scipso ad cœlum reuexit. Quæ sanè omnia argumenta sunt, quòd non mortem & interitũ, sed salutem & uitam peccatoris cupiat. Et maximè, quia nondum cessat, sed etiam post suam ascensionem suæ sponsæ sanctæ Ecclesiæ spiritũ infudit ac dedit, ne desisteret à quærendo perditam drachmã triplici lumine, quotidianæ doctrinæ, deuotarum orationũ, & *Triplex lumẽ Ecclesiæ.* salutiferorum exemplorum. Hoc triplici lumine mulier ista quotidie adhuc occupata est, quærẽs ac uidens, ne nobilis monetæ, cui Deus suum proprium nomen & imaginem im *Gen. 1.* pressit, ulla pereat. Animæ nostræ secundum imaginẽ & similitudinem Dei creatæ sunt. Tum Deus ipse est is, qui filio prodigo obuiam uenit, si cõuertatur, eumq́ue amplexatur, pristinæ eum dignitati restituẽs, omnis iræ & indignationis *Exech. 18.* oblitus, non recordaturus amplius iniquitatũ illius. En, hęc omnia indicat Christus ĩ isto capite: gloriæ sibi id uerti uult, quòd peccatores recipit, ostendens quòd Deus ipse neminem repellat: dicens, gaudere etiam angelos in cœlo, si conuertatur peccator: simul indicans quid nos quoque facere *Zach. 1.* oporteat. Conuertimini ad me (inquit) & cõuertar ad uos. *Iaco. 4.* Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis, inquit Iacobus. Accedite ad eum & illuminamini (inquit Dauid Psal. 33.) & facies uestræ non confundentur. Surge qui dormis, ait Apostolus ad Ephes. 4. & exurge à mortuis: & illuminabit *Matth. 11.* te Christus. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, inquit Christus. Quapropter etiam annotatum est in principio istius Euangelij, ꝙ publicani & peccatores ad Dominum Iesum ibant. Nec alios qui ad ipsum nollẽt accedere, recepit Christus. Erãt & Pharisæi peccatores: quia uerò nõ adiungebãt se Christo, sed oderãt illum, non erat illis seruator. Cum filio prodigo dicendum *Luc. 15.* est: Surgam, & ibo ad patrẽ meũ, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus uocari filius tuus, &c. Sic in gratiã reditur. Circa hoc Euangeliũ, in quo Christus, ut modò dictũ est, se per omnia humanũ declarat erga miseros peccatores, tum factis tum gestis, tũ exẽplis, tum similitudinibus. Circa tale Euangeliũ (inquam) in quo tam læta nuntiantur, quodq́; nobis peccatoribus tam multiplicem subministrat consolationẽ, Petrus hodierna in Epi *1. Petr. 5.* stola eiusmodi admonitionẽ fecit: Humiliamini sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tẽpore uisitationis, &c. Hæc hodierna fuit Epistola: quæ docet, quomodo multiplici gratiæ Dei,

Dei, quæ nobis in hoc Euangelio denuntiatur, occurrere, eaq; uti debeamus. In Christo nihil desideratur. Quod illi Pharisęi contumeliose exprobrabant, id laudi sibi duci uult, nimirum quòd peccatores recipit, cumq; illis mãducat. propter tales enim homines uenerat. Non est opus ualentibus medicus (inquit) sed malè habentibus: nec ueni uocare iustos, sed peccatores. Et iterum: Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Sed appropinquare nos illi oportet, ut superius demonstratum est. De Christo scriptũ est, quòd peccatores & Publicanos receperit: sed præmittitur, quòd appropinquauerint illi. Hoc illi faciebant, & facile illis factu erat, dum Christus uisibilis inter eos ageret. In nobis appropinquatio ad Christum aliter fieri oportet, quandoquidem Christus non amplius hoc modo, hoc est, uisibiliter nobiscũ degit. Petrus duobus id uerbis indicat. alterũ est humiliari, alterum credere. Sunt duo adeò uerba, quæ etiam Christus in Marco coniungit: Pœnitemini, & credite Euangelio. Vtitur quidem Petrus prioris Epistolæ cap. 5. aliis uerbis, sed sententia est eadem, humiliamini sub potenti manu Dei, &c. omnem solicitudinẽ uestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de uobis. Hoc est nostrum appropinquare. Qui sese humiliat in pœnitentia, & credit ueritati, Deo appropinquat. Et iuxta est dominus iis qui tribulato corde, & humiles spiritu saluabit. Ad eundẽ modum loquitur & in Isaia cap. 66. Ad quẽ respiciam, nisi ad cõtritum spiritu? &c. Et Petrus: Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiam. Sic prope est, ut habes Psal. 144. inuocantibus eum in ueritate, & in uera fide ac fiducia. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Quisquis igitur ad Deum appropinquare uult, is humiliet se & credat, aut, ut Petrus ait, curã suam proiiciat in eum. Sed hoccíne sufficit? Nequaquam. Non satis est hoc Petro. Neque nos uidere tãtummodo oportet, quomodo Dei gratiam consequamur, sed etiã quomodo eam conseruemus. Rursum Petrus duo uerba ponit. Alterũ est aduigilare: Sobrij estote (inquit) & uigilate: quia aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Alterũ est, crescere & augeri. Deus (inquit) qui uocauit uos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitq;. Requirũtur & hæc duo simul. Hostem habemus, qui nobis omnem gratiam, & dona Dei inuidet. Contrà Deum habe

Matth. 9. *Luc. 19.* *Mar. 1.* *1. Petr. 5.* *Heb. 11.* *1. Pet. 5.*

habemus, qui omnia largiter dare potest ac dat. Hosti resistere, Deo adhærere debemus. Atque hoc est gratia Dei recte uti, cùm non modò quæritur, sed in ea quoque manetur. Hac in parte Epistola ista cum hodierno Euangelio cōcinit. Super his uerò duobus Ecclesia hodie hunc in modū orat: PROTECTOR IN TE SPERANTIVM DEVS, sine quo nihil est ualidū, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuā, ut te rectore, te duce sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Sic nos docet hodie Ecclesia orare: estque ea oratio uerè Christiana. Etenim hic primum Deo debitum deferimus honorem, deinde id petimus quod nobis maximè necessarium est ad æternam salutem. Quis igitur honos ille est quem Deo tribuimus? Quòd sit protector omnium in se sperātium, & quòd sine ipso nihil ualidum, nihil sanctum esse possit. Secundò, quòd ex nobis ipsis persistere aut perseuerare nō possimus in bono. Tertiò, quòd hæc duo certò apud Deum inuenimus, quatenus in uera fide ac fiducia apud illum quæsierimus. Hunc sibi honorem poscit Deus circa istud Euangeliū: & qui illi hoc honoris, ita ut oportet, deferre potest, eum indubiè recipit, quantumuis profundè in peccatis iacentē. Hoc audiuimus in Euangelio: quinimò unica erat causa, quamobrē Publicani & peccatores ad Christum currebant: uidebant peccata sua & imbecillitatem. Credebant Christū utrobique auxiliari posse. Atque hæc etiam causa erat, quáobrem illos Christus tam clementer recipiebat. Ita & nos fateri ac dicere debemus: PROTECTOR in te sperantium Deus, sine quo nihil est ualidū, nihil sanctū. Hæc confessio præcedat necesse est, mox uerò subsequi oratio debet: Multiplica super nos misericordiam tuam: ea nanq; cum primis habemus opus, nec simplici quidē, sed multiplici misericordia, ut nedum à peccatis, quæ multa sunt, repurgemur, sed etiā in bono cōfirmemur ac cōseruemur. At quid uerò opus habemus multiplici misericordia? Vt Deo rectore & duce, sic trāseamus per temporalia cōmoda & incōmoda, ne amittamus æterna. Ille nimirū scopus est, ad quē cuncta referre debemus, nempe ut nō amittamus æterna. At hoc opus habemus multiplici gratia Dei, imò ut nos ipse regat & ducat. Nam alioqui facilè tēporalibus adhærescimus, iisq; deliniti impedimur, & amittemus æterna. Quapropter apud Deum quæramus oportet. At nūc uide, an non etiā hęc oratio cum hodier

Opus habem' multiplici misericordia Dei.

hodierno Euangelio quadret. Quàm nos facilè Christus in gratiam reciperet, si tanto feruore & instantia gratiam & misericordiam peteremus. Faxit Deus, ut id omne consideremus, & opere compleamus, Amen.

SEPTIMVS SERMO, DE VERbo, *Hic peccatores recipit.*



VLTVM & quotidie prædicatur in Christianitate de Euãgelio, nec quicquam est, de quo nunc sermo frequentior est & disputatio: attamen uehementer dubito, num omnes intelligant, quid sit Euangeliũ & uocetur. Verùm id q paucissimis, & tamẽ clare cupit scire, is obseruet historiã modò auditã, imò unicũ uerbũ quod Pharisæi dicebãt: Hic peccatores recipit. Vide, hoc est Euangeliũ nostrũ, lætũ nostrum nuntiũ in nouo testamento nobis annuntiatũ, nimirum ꝙ filium Dei nostri nõ puduit, aut sese à nobis nõ alienauit, sed nostrarũ rerũ curã gerens, nullum peccatorẽ contempsit: imò per sanctos suos Apostolos omnibus hominibus gratiã & remissionẽ peccatorũ obtulit. Iudaici quidẽ Pharisæi pro re iniqua ducebant, ꝙ Messias peccatores reciperet. Sed Deo gratia, ꝙ talem Messiã habemus, qui peccatores recipiat, hoc est, qui cõpati nobis possit. Et quidem tali opus habemus. Nobile itaq; & pretiosũ esse nobis uerbum debet, ꝙ Christus etiã à suis inimicis hoc nomen & testimonium habeat, ꝙ peccatores recipiat. Non erat quidẽ syncerus eorum animus, ueruntamen cõtra suã ipsorũ conscientiam ueritatẽ profiteri cogebãtur. Imò quemadmodũ Pilatus aliiq; Ethnici Christo in passione ipsius summos tribuebant titulos, nimirum, Ecce homo, Ecce rex uester, Ecce filius Dei, Verè filius Dei erat iste: Ita quoq; Iudæi Christo ad perpetuum honorem hanc laudẽ deferre coacti sunt, ꝙ peccatores recipit. Et summus indubie illius honor est, summaque nostra utilitas, quòd peccatores recipit. Quapropter quò omnibus appareat, quãtũ nobis solatij unicũ istud uerbũ adferat, si rem recta uia perpendamus, amplius quiddã de eo dicendũ arbitror, quid in se habeat. Cæterùm meliorem illi adhibere interpretationẽ non possum, quàm quemadmodum Iohannes dicit in prima sua Epistola: Filioli mei, hæc scribo uobis, ut nõ peccetis. Sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum,

Luc. 15. *Hebr. 4.* *Iohan. 19.* *Matth. 27.* *1. Iohan. 2.*

iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. En, hæc est uera interpretatio istius uerbi, Hic peccatores recipit: Imò hæc omnia in uerbo isto cōprehensa sunt. Hac etenim ratione Christus peccatores recipit, ut sit illorū aduocatus corā Deo, quin etiā propitiatio pro peccatis illorum. Quis uerò non uidet, quantū nobis solatij in uerbis Iohannis denūtietur? Quinimò hoc uerū Euangelium est, & lætum nuntium diuinæ gratiæ, & summa Christianæ doctrinæ. Et qui hęc uerba rectè cōsiderat & intelligit, nunquam desperabit. Cōtrà uerò quisquis ea nō credit, aut non intelligit, nondū profectò scit quid sit Christus, etiamsi totum Euangelium & omnes Epistolas Pauli memoria teneat. Obserua itaq; primò, quòd Iohannes hisce uerbis omnibus hominibus gratiam & remissionem peccatorum per Christum denuntiat, modò tamen cōuertantur. id quod haud paruum solatium fuerit iis, qui peccata sua uerè sentiunt. Secundò, attende, quòd Iohannes peccatores ita contra desperationē munit, ut tamē eos non super arenā, sed super petrā ædificare doceat. Non enim dicit, Si quis peccauerit, Deum gratiam roget, aut Deum pro illo orabo, &c. Siquidem illud adhuc minus certū quiddam esset. Iohannes uerò indicat certum & infallibile medium, nimirum Christum. Quem ita nobis describit, ut dubitare nemo possit, quin sit certa firmaque petra, super quam ædificare nos tutò possumus ac debemus. Quot enim diabolus laqueos habet & tēdit, quibus nos ad desperationē inducat, tot uicissim nobis cōsolationes pbet istud uerbū. Atqui uidemus nō oēs homines uniusmodi causam pusillanimitatis habere. Alij ppterea pusillanimes fiūt, φ existimant non ad se pertinere, sed solùm ad sanctos amicos Dei, si quid boni in Euangelio audiunt. Alij dubitant num uerum sit, quod sancta scriptura de remissione peccatorum dicit & indicat. Alij credunt quidem uerum esse, sed nesciunt per quem id accidat & fiat. Alij sciunt ex scripturis, Christo datam esse potestatem remittēdi peccata, cæterùm dubitant, num id Christus solus posit. Alij credunt, Christum posse & uelle peccata dimittere, uerùm dubitant, num id Deus cōfirmare uelit, quod Christus nobiscū agit. Vide, tot laqueos habet diabolus, quibus homines ad pusillanimitatem & desperationem impellit. Cæterùm Iohannes hoc uno uerbo, oēs eiusmodi laqueos rumpit ac dissoluit, &c.

Remissio peccatorū & gratia quibus annuntientur.

Pusillanimitatis causa diuersa.

Luc. 5.

Primò

Primò nanq; non quasi dubitandi ratione hic agit Ioannes. Non dicit: Si peccauerimus, fortaſsis exiſtet quiſpiam, qui nos cum Deo in gratiam reponat. Id enim minimè ſufficeret. nam conſcientia perterrita non poteſt pace & tranquillitate perfrui, quandiu res in dubio verſatur. Scire nãq; vult, non opinione duci, nunquam aliàs quiete potitura. Itaq; certò hic Ioãnes loquitur. Indicat iam habere nos certum aduocatũ apud Patrem: tanquã dicere velit, nihil opus eſſe vt eum expectemus, quemadmodũ in Teſtamento veteri: nec etiam neceſſe eſſe, vt trans mare quæratur, aut multo ære redimatur, quò ſe nobis aduocatũ præbere velit: ſed habere nos iam illum, & quidem voluntarium prorſus atq; paratum, atque etiam ſine præcedentibus meritis noſtris. Secundò quoque perſonã huius tam neceſſarij aduocati exprimit, dicens: Ieſum Chriſtum aduocatũ habemus, &c. eodem ferè loquendi modo vſus, quo Petrus, vbi ait: Certiſsimè ſciat omnis domus Iſraël, quia & Dominum eũ & Chriſtum fecit Deus hũc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. Itémque alio loco: Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Atque rurſus alibi: ipſe eſt, qui cõſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum.

Act. 2. *Act. 4.* *Act. 10.*

Tertiò, nominat Ioannes hunc noſtrum aduocatum non nomine tantùm, ſed etiam conditiones eius indicat, vocans eum primò Ieſum Chriſtum iuſtum. Hoc neceſſariũ additamentum eſt. Niſi enim hic Ieſus iuſtus eſſet & abſq; peccatis, quomodo nos iuſtificare poſſet à peccatis? Quapropter & Paulus ad Hebr. 7. dicit: Talis decebat, vt nobis eſſet põtifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſsitatem quotidie (quemadmodum ſacerdotes) prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi. Reliqui omnes homines peccatores ſunt, tum etiam omnes alij ſacerdotes pro ſuis delictis orare & offerre debent. Chriſtus ſolus ex ſeipſo iuſtus eſt: nõ enim fecit peccatum, vt Petrus ait, prioris Epiſtolæ cap. 2. nec eſt inuentus dolus in ore eius. Atque ideo ſolus dicere poterat Ioan. 14. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Tantò confidentius ad Deum accedere auſus eſt, tãtò facilius nobis omnia impetrauit, tantò ſecurius illi fidere poſſumus.

Ad hæc omnia Ioannes ponit maius quiddam. Et hic Iesus (inquit) non solùm noster aduocatus est, sed etiam propiciatio pro peccatis nostris. Hoc verbo nobis pusillanimitas adempta est. Non solùm (vult dicere) hic Iesus iustus est: imò illius iustitia non modò sibi ipsi vtilis fuit, quemadmodum

Exec.74. aliorum hominum probitas, qua neque amicos, neque libe-

Ezech.18. ros possunt eripere, sed seipsos tantùm: quilibet enim in sua iustitia viuit. Sed secus res habet cum Christo. Illius iustitia & meritum profuit nobis & adhuc prodest: imò illius iusti ia & meritum nostra est præcipua iustificatio. Omnes enim alij homines rationem reddere coguntur, quisq; pro seipso, sed Christus pro nobis omnibus interpellat. Ideóq;

Psal. 109. dicit S. Dauid, fore vt sacerdotium Christi in æternum ma-

Hebr.9. neat. Dicit item Paulus, Christum introiuisse in Sancta, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Cæterùm ꝙ Ioannes Christum aduocatum nostrū nominat, non ita intelligere debes quasi in cœlo, perinde, vt in mundano iudicio, agatur: vbi plerunque quatuor personæ sunt, nimirum accusator, & reus, iudex & aduocatus. Non: tale iudicium non est in cœlo. Ioannes tantummodo dat exemplum & similitudinem. Nā vt in mundano iudicio reus omnē spē suam collocat in aduocato, huic suum negotium cōmittit: is si causam obtineat, reus liberatus est: sin vincitur aduocatus, reus omninò causa cadit. Hunc in modū quoq; nobis Ioannes Christum proponit, seu fidelissimum aduocatum coram Deo, & cui causam nostram tutò & securè committere possumus: imò in quo omnis nostra vita & salus pendet ac constituta

Christū orare pro nobis, quid sit. est. Secundò, quum audis Christum esse aduocatum & mediatorem nostrum, non debes existimare, ꝙ genibus flexis pro nobis oret, quemadmodū hic in terris, & maximè cum

Luc. 22. in monte Oliueti oraret, in genua sua, imò in faciem suam procumbebat. Nec cogitare debes, quòd verbis pro nobis oret, quēadmodū hic in terris fecit. Nequaquā: illius oratio & aduocatio, quam in cœlis pro nobis facit, nihil aliud est, quàm quòd illius sancta incarnatio, passio, mors, sanguinis effusio, & meritum, imò ipsemet coram Deo semper est, & quòd coram Deo nunquam in obliuionem venit, quid Christus pro nobis fecerit ac passus sit. Tertiò cùm audis, quòd Christus mediator noster & aduocatus est, caue existimes

Exod.32. quod orando solùm inter Deum & nos medius intercedat,

1.Reg.12. quemadmodum olim Moyses & Samuel faciebant. Nequaquam

quam non ita vulgariter de Christo sentiendum est, vt nihil posſit aliud quàm orare, quod tamen etiam homines & angeli poſſunt. Sed ita Christus aduocatus & mediator est coram Deo, quòd ſolus ex ſeipſo Deo patri placeat & acceptus ſit. Secundò, ꝙ propter ipſum aliorum hominum oratio & actiones Deo placeant. Tertiò ꝙ nos per ipſum acceſſum habemus ad Deum. Quartò, ꝙ ipſe medium & via eſt, *Ioan.14.* Dei promiſsionem & æternam ſalutem conſequendi. De *Ioan.1.* plenitudine enim eius accepimus omnes: & omnes promiſſiones Dei ſunt in illo Eſt & Nõ. Sũma: Sic Chriſtus noſter *2.Cor.1.* aduocatus eſt, vt etiam ſit propiciatio, ſanctificatio, & redẽ- *2.Cor.1.* ptio: imò non ſolùm pro noſtris, ſed pro totius mundi peccatis, inquit Ioannes, quò palam fiat, acerbiſsimam paſsionem Chriſti & meritum omnibus hominibus, modò ipſi *1.Ioan.2.* velint ſufficere, nec eſſe cuiquam cauſam deſperandi. Ne quis verò apud ſeipſum cogitet & dicat: Audio quidẽ & credo, ꝙ Chriſtus cauſam noſtram vrgeat & agat corã Deo: ſed quis ſcit num Deus ſit probaturus? Vide, ad hãc puſillanimitatem ex animis noſtris eximendam, ſpecialiter Ioannes addit hoc verbum, ꝙ Ieſus ſit noſter aduocatus, non coram iudice, ſed coram Patre, perinde ac ſi dicat: O homo, non eſt ꝙ hac in parte ſis ſollicitus: nõ enim Chriſtus agit cauſam noſtram corã ſeuero & inclemente iudice, ſed coram benigniſſimo Patre. Si itaque is, qui pro nobis interpellat, per ſeipſum fidelis, amabilis, ſufficiẽs & omniũ efficaciſsimus me- *Rom.8.* diator eſt: is verò coram quo cauſa noſtra agitur, Pater eſt, nullam certè cauſam puſillanimitatis habemus, vel deſperationis. Hic vide, quàm diligenter & dilucidè diuus Ioannes articulum de remiſsione peccatorum indicauerit & explicuerit. Hec omnia in iſta voce comprehenſa ſunt, Hic pec- *Luc.15.* catores recipit: imò hunc in modum Chriſtus peccatores recipit, vt nunc ex Ioanne auditum, nimirùm ꝙ illorum aduocatus & mediator coram Patre, quia etiã propiciatio pro peccatis noſtris eſt. Hoc noſtrũ eſt Euangelium. Hoc lætum nunciũ affert nobis verbum, Hic peccatores recipit. Videre quiuis poteſt, quid nobis ſolatij in eo detur. Sed miſerandũ eſt & deplorandũ, ꝙ tot homines his cõſolatoriis verbis abutuntur, vtpote ij qui ex illis cõcludunt (quãdoquidẽ Chriſtus propiciatio ſit pro peccatis noſtris) nihil ad ſe amplius pertinere quod Ioannes Baptiſta dicit, Facite fructum dignum pœnitentiæ. Minimè opus eſſe arbitrantur, vt ſuper pecca-

In eos, qui Chriſti ſatisfactione cõtenti, pœnitentiam reſpuunt. *Matth.3.*

tis suis doleant, orent, ieiunent, eleemosynas erogent, ignoscant, bona malè acquisita reddant, &c. Imò sibiipsis persuadent, Christo id dedecori esse, imò esse potius Christum à suo officio depellere. Sed est falsa persuasio: non propterea intermittenda est pœnitentia, aut reiicienda, quòd Christus nostra est propitiatio. Non enim in mortem ideo se dedit, vt non amplius pœnitentia opus habeamus, sed quòd sua morte promeruit vt pœnitentia nostra Deo placeat, quæ alioqui per seipsam Deo accepta non esset. Nam vt ferrum aut anulus æreus per se non est magni valoris, cæterùm inclusa gemma magni æstimatur emitúrq;, non propter seipsum, sed ob gemmam: ita sacrosancta passio & meritum Christi gemma est, ob quam Deo Opt. Max. pœnitentia nostra grata est. Verùm non propterea pœnitentia respuenda est, quòd per seipsam Deo non placet, sed videndum, vt gēmam, passionem & meritum Christi in ea comprehendamus. Vera & certa via est, vt in Christum credamus, eúmq; confiteamur, tanquam aduocatum nostrum & propiciationem, & interim tamen etiam pœnitentiam agamus, attamē in fide & fiducia in meritū & passionem Christi. Sic quoq; credebant publicani & peccatores in hodierno euangelio, ꝙ Christus mediator eorum esset & propiciatio erga Deū. At nihilo minus quidā ex illis dicebat: Ecce dimidium bonorum meorū, domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Vide, hic credebat in Christum, nihilominus autem dignos etiā fructus pœnitētiæ faciebat. Abi, fac & tu similiter, iam vtiliter euangeliū istud audiuisti. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

Agenda pœnitentia.

Placet Deo pœnitentia nostra.

Luc. 19.

OCTAVVS SERMO DE *Euangelio & Epistola.*



Irca Euangelium istud videmus, Deum non semper & erga omnes homines eodem modo & medio vti, quo ipsos ad salutem eorum perducat. Alios enim impellit pœna, minis, & variis malis: alios amore & beneficiis inuitat & trahit. De primis dicit Dauid: Cùm occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculò veniebant ad eum. Et iterum: Clamauerūt ad Dominum cùm tribularētur: & de necessitatibus eorū liberauit eos. Et in Osea: In tribulatione sua manè cōsurgēt ad me: venite & reuertamur ad dominum

Psal. 77.

Psal. 106.

Ose. 6.

dominũ, quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet & curabit nos, &c. Hunc in modum magnus Nabuchodonozor ad pœnitentiam & agnitionẽ Dei adductus est. Huic suum denunciabatur iudicium, illum non solùm de regno suo deiectum, sed omni humana ratione & forma priuatum iri donec cognosceret Deum in cœlis esse, qui omniũ regnorũ in terris dominus foret, eáq; dare cui vellet. Contrà dicit & promittit Deus, se in funiculis Adam tracturũ nos, in vinculis charitatis. Et pòst dicit: Sanabo contritionẽ eorũ, diligã eos spõtaneè: quia auersus est furor meus ab eis. Ero quasi ros Israël, germinabit sicut liliũ: & erũpet radix eius vt Libani, &c. *Dan. 4.* *Ose. 11.* *Ose. 1.*

Vt ergo Deus quosdam peccatores pœnis ad pœnitẽtiam adducit, quosdam verò amore & beneficiis trahit: ita quoq; facit Spiritus sanctus in sacra scriptura erga nos. Impellit nos proponendo & commemorando miseriam nostram & calamitatẽ, & trahit nos quoq; annunciãdo diuinã gratiã & misericordiam. Atque hæc duo sunt, quæ hominem intelligentem omnium maximè mouent ad orationẽ & pœnitentiam. Primò, cùm præsens periculum videt & sentit: secũdò quum audit ꝙ is qui solus auxiliari potest, etiam misericors est, & ad auxiliandum paratus. Christus quoq; dominus noster duobus modis peccatores conuertere tentauit. Nam feram capturos non vno modo ei insidias tẽdere oportet, sed nunc hoc, nunc aliud tentandum, nunc hîc, nunc illic laquei ponendi, & retia tendenda: imò omnes viæ præuertendæ, ne effugiat. Atqui sic fecit Christus. Venerat peccatores capere non ad interitum, sed ad eorum salutem. Ad hãc rem primò Ioannem adhibebat. Is venabatur, & vehemẽter vrgebat feras terrore & minis, seuerus in verbis. Progenies viperarum (inquit) quis demonstrabit vobis fugere à vẽtura ira? Facite ergo fructũ dignũ pœnitẽtiæ. Et ne velitis dicere intra vos: patrem habemus Abraham. dico enim vobis quoniam potẽs est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iá enim securis ad radicẽ arborũ posita est. Omnis ergo arbor, quæ nõ facit fructũ bonũ, excidetur & in ignẽ mittetur. His & similibus seueris verbis vrgebat Ioannes peccatores, imò exẽplo suo multò adhuc seuerior erat. Ioannes (inquit Euangeliũ) erat vestitus pilis Camelorũ, & zona pellicea circa lumbos eius: & locustas & mel syluestre edebat. Christus veniebat post Ioãnẽ: aliud tẽtabat, humanũ sese exhibẽs cũ in verbis cũ in factis erga homines, edẽs & bibẽs cũ illis. Attamen *Ad pœnitentiam quæ nos inuitent.* *Matth. 3.* *Mar. 1.*

Matth.11. in plerisq; eorũ nec hoc, nec illud profecit, quẽadmodũ ipse-met conqueritur: Cui similẽ (inquit) æstimabo generationẽ istã? Similis est pueris istis sedẽtibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicũt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamẽtauimus, & nõ planxistis. Venit Ioannes neq; mãducãs neque bibẽs, & dicunt: Dęmoniũ habet. Venit filius hominis manducans & bibẽs, & dicũt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorũ & peccatorũ amicus. Veruntamẽ nõ ideo cessabat Christus. Qui ad Deũ pertinebant, vltrò se sinebãt capi. Alios impellebat Ioannes metu, alios trahebat Christus mi-
Ibidem. sericordia & amore. Pater, inquit Christus, confiteor tibi, quia abscõdisti hæc à sapiẽtibus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis. Cæci Pharisæi eiusmodi Dei opus videre nõ poterant: vtrobique illis perperam actum erat. Ioannes illis nimium seuerus erat, Christus nimium bonus: nihil nõ carpebant. Quãtumcunque Ioannes lamentabatur, plorare tamen nolebant: quamtumuis humanũ Christus sese exhibebat, saltare nolebant: ex hoc consolatorio opere nihil aliud depromere poterant, quàm quòd acerba irrisione, imò in-
Luc.15. uidiosè dicebant: Hic recipit peccatores, Christo per hoc ignominiæ notam inurere volentes, sed prodentes interim suam in sacris literis inscitiam, quãdoquidem in sacra Scriptura nihil vulgarius est, quã quòd Deus pœnitentibus peccatoribus gratiam & remissionem peccatorum promittat.
Hier.3. Sic enim loquitur in Hieremia: Vulgò dicitur, Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltrà? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu antẽ fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me. Et post: Reuertere auersatrix Israël, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis: quia sanctus ego sum, & non irascar in perpetuum. Veruntamen scito iniquitatem tuã, quia in dominum Deum tuum præuaricata es. Et mox sub hæc: Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus: quia ego vir vester: & introducã vos in Sion. Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Et in fine capitis iterum dicit: Conuertimini filij reuertẽtes, & sanabo auersiones vestras. En, quater habes in vno capite, quòd Deus pœnitentibus peccatoribus gratiam & veniam promittit.
Hiere.18. Similem in modum alijs quoque in locis facit, vti cùm ait: Repentè loquar aduersum gentem, & aduersus regnum, vt eradicem

vt eradicē & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eā: agā & ego pœnitentiā super malo quod cogitaui vt facerem ei. In Ezechiele integrū & longū caput in eā sententiā habetur, id quod Deus concludit his verbis: Cōuertimini, & agite pœnitentiā ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinā iniquitas. Proijcite à vobis oēs præuaricationes vestras, in qbus præuaricati estis, & facite vobis cor nouū, & spiritū nouū: & quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortē moriētis, dicit dñs Deus: reuertimini, & viuite. Tales sentētiæ & in alijs Prophetis multæ & insignes inueniūtur, vtpote Isa. 45. cap. Osee 14. Ioelis. 2. Zachar. 1. Actuū 3. capite, &c. His omnibus in locis pœnitētibus peccatoribus gratia & remissio peccatorū promittitur. Id omne in hodierno Euāgelio cōfirmatū est, quādoquidē Christus etiam peccatores, qui illi appropinquabant, eiúsque verbū audire desiderabāt, recipiebat: attamen non tanquā peccatores, sed tanquā pœnitētes. Quòd si itaque Pharisæi propriā suā scripturā sciuissēt legissentque, haud Christo dedecori & ignominiæ dedissent, ꝙ peccatores ab se non repellebat. Quippè in peccatore (vti alio quoque in loco latiùs ostēsum) tria cōsiderāda sunt, Natura, peccatū, & pœnitētia. Naturæ compatiēdū, peccatū puniēdū, pœnitētia & cōuersiōe peccatoris gaudēdū. Verū cæci Pharisæi ad solū peccatum respiciebāt, idcircò aliud nihil poterāt, quā culpare & dānare. Idē quoq; faciebant, quū Christus miserā peccatricē gratia dignaretur. Hic si esset Propheta, inquiebant, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eū, quia peccatrix est: & tamen ita certa & aperta veræ pœnitentiæ & cōuersionis signa videbant in ea muliere. Veruntamē nō poterāt nō redarguere, cū Christus diceret, illi remitti peccata. Eodē modo cum filio prodigo agebatur. Frater maior natu ferre nō poterat, quòd pater filiū degenerem in gratiam receperat: interesse nolebat: nolebat in domū introire: nō solū fratri suo fauorē patris inuidebat, sed etiā murmurabat & indignabatur patri. Hæc Pharisæorū natura erat. Nō respiciebāt naturā: nō cogitabant alios æquè homines & infirmos esse, atque ipsi erāt. Ideò nullo cōmiserationis affectu tāgebātur. Nec videre volebāt, ꝙ peccatores sese conuertebāt: ꝓpterea nō gaudebāt cū illis, sed inuidebāt illis oīa bōa. Sed quales pastores ij sunt, imò quales hoīes, qui quod malum solum in alijs est,

Ezech. 18.

Recipit Christus peccatores, sed pœnitentes.

Luc. 7.

Luc. 15.

vident,& non etiã quod bonum. Summa, Qui alterius peccatis nõ compatitur,is nescit se quoque hominem esse. Porrò qui cum pœnitente peccatore non gaudet,Christianus nõ
Luc.15. est. Si gaudent Angeli in cœlis,quum conuertit se peccator ad pœnitentiam,non Angelos esse,sed diabolos oportet,qui irascuntur & æmulantur,peccatore ad meliora redeunte.

Quapropter cæcis Pharisęis omissis, Euangeliũ nostrum habet, ꝙ Christus peccatores recipit , veruntamen non tanquàm peccatores,sed tanquàm pœnitentes. Atque hoc confirmant Scripturæ sanctorum Apostolorum & Euangeli-
Luc.24. starum egregiè. Lucas scribit Christum præcepisse suis disci pulis,vt pœnitentiam & remissionem peccatorum suo no-
2.Pet.3. mine omnibus gentibus & populis prædicarent. Petrus hãc vnam refert causam, ꝙ Deus promissa sua tám diu differt, ꝙ
Rom.2. omnes cupiat ad pœnitentiam adducere , nec vult, vt quisquàm pereat. Ignoras ô homo , ait Paulus , quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Et in alio loco: Pro
3.Cor.52. Christo legatione fungimur,tanquàm Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo,reconciliamini Deo. Is ipse
Act.10. Paulus contestatur coram Ephesiis,se tam Iudæis quàm Gẽ
Apoc.2.3. tibus pœnitentiam prædicasse. Similiter S. Ioannes in sua Apocalypsi multùm & sæpe vtitur hac voce , pœnitentiam age,& memor esto vnde excideris. Quod nisi feceris, hoc & illud tibi eueniet. &c. Ex his omnibus satis demonstratum est , ꝙ Christus peccatores pœnitentes in gratiam recipit. Quod ergo Christus cum peccatoribus agit , id haud dubiè
Ioan.5. ratum habet Deus. Ei enim Deus omne iudicium dedit.
Ioan.14. Tum expressè dicit in euangelio: Qui me videt, videt & Pa
Ioan.6. trẽ. Et iterum : Omne quod dedit mihi Pater,ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eiiciam foras: imò hæc est voluntas patris mei, vt omnis qui videt filium , & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quia ergo neque in Christo neque in Deo aliquid desideratur: & Chri
In eos qui misericordia Dei abutuntur. stus non solùm pœnitẽtes peccatores recipit , sed Deus ipse ita vult: reliquum erit, vt cum publicanis & peccatoribus ad Christum quàm celerrimè curramus: atque interim etiã
Eccl.5. videamus, ne gratia illius & humanitate erga miseros peccatores abutamur. Ne dicas (inquit Sapiens quidam) miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meo-
2.Pet.5. rum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant &c. Diuus Petrus docet nos in hodierna Epistola

quomodo

quomodo in his duobus nos gerere debeamus: Humiliamini sub potenti manu Dei, inquit, vt vos exaltet in tempore visitationis,&c. Hæc hodierna fuit Epistola, non inconuenienter hodierno Euangelio iuncta. Hic enim videmus principiò, quomodo & qua ratione Christus peccatores recipit. Cum peccatoribus eum agere oportet, quandoquidem iustum nullum reperit. Peccatores recipit, quoniã nos omnes in peccatis inuenit. Sed non vult vt peccatores maneamus, sicuti prius. In cuius rei argumentum, assimilat sese nõ venatori aut equiti,&c. sed pastori ouium,&c. Quiuis facilè ex eo cognoscere potest, ꝙ quia pastor ouium esse vult, non feras & indomita animantia, non tetros spurcósq; sues, non superbos & elatos equos, non inuidos rixosósq; canes habere velit, sed oues humiles, innocentes, minimè malitiosas, quæ ipsum pro pastore suo agnoscant, quemadmodum ipse eas pro suis ouibus agnoscit. Et tales fecit ex Matthæo, & Zacchæo, Paulo, ex latrone & peccatrice. Hac de re loquitur Petrus in hodierna Epistola, indicans quomodo ouis miser peccator, qui aliquando errauit, cæterùm per Christum ad gregem reductus, posthac se gerere debeat. *Christus oues nos esse vult.* *Ioan.10.*

Primò, inquit, humiliamini sub potenti manu Dei. Hîc incipit Petrus, hic & nos incipere oportet. Initium superbiæ hominis, ait Sapiens quidam, apostatare à Deo. Contrà, humilitas primus gradus est ad Deum. Superbis enim resistit, humilibus autem dat gratiam. Alterum est vt omnem solicitudinem in Deum proiiciamus, quod fit per veram germanámq; fidem, & firmam fiduciã. Tertium est ne posthac diabolo rursum locum demus, sed illi resistamus. Quartum, ne malis vllis & infortuniis moueamur frãgamúrq;. Quintum, vt feruenter ad Deum oremus, vt nos conseruet, corroboret & confirmet,&c. Quinque hæc sunt cuiuis bene consideranda, per Christum à peccatis liberato. Primum est humilitas, alterum fides, tertium prudentia, quartum patientia, quintũ oratio. Hic Petrus suam vnicuilibet addit appendicem, quò faciliùs animos penetret. Vtpote ad humilitatem addit potẽtem manum Dei, & præterea insignẽ promissionem. Et hæc duo quisquis considerat, is non grauabitur sese humiliare. Etenim humiliatione opus est, quæ nisi volũtariè fiat, Dei potẽti manu extorquetur, quẽadmodũ in superbo Angelo, & in primis nostris parẽtibus factũ. Nimirũ ita necesse est, vt subditus fiat omnis mundus Deo. *I.* *1.Pet.5.* *Eccl.10.* *1.Pet.5.* *II.* *III.* *IIII.* *V.* *Rom.3.*

Luc.18. Quod si spōte facimus, certa sequitur exaltatio: nam qui se humiliat, exaltabitur. Ad alterū verbum, vbi diuus Petrus docet, vt omnem nostram curam in Deum proijciamus, hoc addit: Quoniam ipsi cura est de nobis. Hoc qui credit, tantò facilius, quod est & habet, Deo concedere poterit. Ad tertium verbum, vbi ait, Vt vigilemus contra diabolū, causam addit, Quia tanquam leo rugiens circuit, quærens quē deuoret: non hoc tantū agens, quēadmodū nobis perniciem & malum afferat, sed etiam quomodo nos totos perdat corpore simul & anima, tēporaliter & spiritualiter, quinetiā æternaliter. Ad quartū, vbi docet, ne passionibus in mundo moueamur, addit, nihil nobis fieri noui, sed illud ipsum, quod omnibus electis euenit. Ad orationem addit laudem Dei, vt prius gratias agamus illi, qui nos ad æternam suā gloriam vocauit. Deinde verò etiā rogemus, vt nos cōfirmet. En, hæc illa sunt, quæ à nobis fieri cupit Christus. Humilitas & fides præcedant necesse est, & faciant nobis viam ad gratiam Dei: prudētia seu tēperātia, patiētia & oratio gratiā Dei in nobis cōseruent. Hūc in modū recipit nos Christus tanquā peccatores, vt ad pœnitentiā adductos iustificet. Hoc qui cōsiderat, nō iniquè feret, quò d peccatores recipit: neque mouebitur, quòd Iudaici Pharisæi Christū propterea calūniati sint & condēnauerint. Notū est, quid in peccatoribus quæsierit, nimirū propriā ipsorum & æternam salutē. Notū est, quòd peccatores nō aliter receperit, quā quemadmodū medicus ægrotum recipere solet. Ego, inquit, veni, vt vitā habeant & abundantius habeant. Saltem videamus, ne è manibus talis Pastoris excidamus. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

Humilitas *Fides.* *Prudentia* *Patientia* *Oratio.* *Ioan.10.*

DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN,

EVANGELIVM, LVC. VI.

ESTOTE ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condēnare, & non condemnabimini

Mat.5.

bimini. Remittite & remittetur. Date & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & concussam atque exundantem dabunt in sinum vestrum. *Marc. 4*
Eadem quippe mensura qua metimini, mentientur alij vobis. Dicebat autem illis similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nónne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus supra magistrum suum: perfectus autem omnis erit, sicut magister ipsius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo proprio est, non animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eiiciam festucam quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, eiice primùm trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies, vt eiicias festucam quæ est in oculo fratris tui. *Matth. 19.*

EADEM DOMINICA
EPISTOLA SANCTI PAVLI
ROM. VIII.

FRatres, reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Etenim solicita creaturæ expectatio expectat, vt palàm fiant filij Dei. Quippe vanitati creatura subiacet, non volens, sed propter eum qui subiecit illam sub spe. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura congemiscit, simúlque nobiscum parturit vsque ad hoc tempus.

Non

Non solùm autem illa, sed & ipsi qui primitias Spiritus habemus, & nosipsi in nobisipsis gemimus, adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri.

PRIMVS SERMO DE EVANgelio in genere, vnà cum Epistola.



ODIERNVM istud Euangeliũ haud quidem multa opus habet expositione, siue in Latina lingua, siue Germanica, siue Græca, siue Hebraica. Verba enim per totum in omnibus linguis adeò clara sunt, vt vel simplex & idiota capessere posśit, quid iis sibi velit Christus, nimirum vt boni probíque simus, & bona faciamus. Hæc duo à nobis poscit Christus, attamen nõ eo modo & specie, quemadmodum Pharisæi iidémque hypocritæ olim fingebant, sed secundum exẽplum Dei patris. Non enim dicit, Fingite: sed, Estote misericordes. Atque hoc esse discrimen debet manere inter nos Christianos & Iudaicos illos Pharisæos. Illi seipsos probos existimabant, sed non erant: nos probi esse debemus. Illi ostentabãt suam probitatem externis duntaxat quibusdam operibus Legis, & propriæ suæ traditionis contemptis potioribus: nos exhibere eam debemus charitate & misericordia. Est enim hoc exẽplum Patris nostri in cœ-
Marc.10. lis, qui nõ solùm nomen habet, quòd sit bonus, verùm etiam bonus est, & solus bonus. Sed in quo consistit illius bonitas? Quòd non solùm miserator, misericors & clemens, patiens
Exod.34. & multę miserationis sit, quemadmodum illum Moyses appellat, sed etiam ipsa Charitas, quemadmodum eum vocat
1.Ioan.4. Ioannes. Quomodo autem demõstrat suam bonitatem? Au-
Exod.20. ferendo à nobis malitiam nostrã, & faciendo misericordiam in millia his, qui diligunt eum, solem suum oriri faciendo
Matth.5. super bonos & malos; & pluendo super iustos & iniustos: imò aperiendo manum suam, & implendo omne animal be
Psal.144. nedictione, vt Dauid dicit. Istud exemplum est Patris nostri cœlestis. Estote misericordes (inquit Christus Lucæ sexto) sicut & Pater vester misericors est. Hoc primum dictum est Apostolis, deinde verò nobis etiam omnibus. Sancti Apostoli propterea vocati erant, vt illud quod nobis Christus acquisierat, in vniuerso orbe proclamarent annunciaréntque, nemine excluso. Quapropter necesse habebant, vt patris sui

cœlestis

cœlestis exemplum semper ob oculos haberent: secundum *Matth.20.*
hoc exẽplum misericordes esse erga miseros peccatores debebant: consolari debebant, nõ iudicare: auxiliari, & nõ condemnare: gratis dare quod gratis accepissent: & ne essent similes iis, qui cæci cæcos ducunt, qui aliis monstraturi viam, ipsi aberrant: alios facturi probos, ipsi in inferno manent. Ne itaque, inquam, sancti Apostoli essent tales cæcorum ductores, prius suas proprias cõscientias explorare debebant, ne ad eos dici posset: Medice cura teipsum. Et quemadmodũ *Luc.4.*
Paulus Iudaicis Rabbinis dicit: Qui alium doces, te ipsum *Rom.2.*
non doces? qui prædicas nõ furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idôla, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per præuaricationẽ legis Deum inhonoras? Hunc in modum Euangeliũ istud principiò sanctis Apostolis eorúmque posteris dictum: attamen non illis solis, sed & nobis omnibus. Si Apostòlatũ suum recte expedire debebãt, omnia hæc pręcepta & regulæ necessarię erãt. Si Christiani esse aut vocari debemus, & quiuis suæ vocationi satisfacere, profectò huic Euangelio conformes nos fieri *Luc.6.*
oportet. Nulla nos hîc glossa, nullus prætextus iuuabit: verba clara sunt. Si discipuli esse Christi volumus, per nos manere ita debet, quemadmodum talis magister docuit ac fecit. Nam hîc verbum præcipuè locum habet, ne discipulus sit supra magistrũ. Quod homines docent, & instituunt, per eos quandoque qui sequuntur, emendari potest, quemadmodum quotidie fit & necessariũ est. Errare enim homines & falli possunt. Cæterũ quod Deus docet, id corrigere potest nemo. Hic acquiescendũ: hunc scopum qui propius attingit, is optimus & perfectissimus est. Hîc vigilãtia opus, ne *Christianos veros quid deceat.*
nos ipsos fallamus. Si esse Christiani volumus, omnia amplecti nos oportet, quæ Christus docuit. Neque hic delectus valet, vt dicat quis: Hoc mihi acceptũ, illud durum & graue. *Ioan.6.*
Nequaquàm: si audiamus quid Christus aliis in locis dicat, audire nos quoque oportet, quid hîc dicat. Eius rei vobis aliquot dabo exempla. Vt in Ioanne dicit: Qui credit in filium *Ioan.3.*
Dei, non iudicatur. Verùm hic dicit & docet, ne iudicemus quenquam, ne & nos iudicemur. Sed æquè hoc valere apud nos debet, atque illud: quandoquidem vtrunque à Christo dictum est. Hoc qui vellet negligere, aut nõ curare, sed proximũ suum temere semper iudicare, & fidere illi quòd Christus dixit, qui in ipsum credat, eũ non iudicari: talis, inquam,

proculd

Matth.6. proculdubiò sibi ipsi imponeret. Aliud Exemplum: In Mattheo dicit Christus, Scit Pater vester quibus indigetis. Et in Ioan.ca.16. Pater amat vos, quia vos me amastis, & credistis quia à Deo exiui. Hæc verba auditu iucunda sunt. Contrà non æquè iucundũ est quod hîc dicit, Luc.6. & Mat.5. Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est, vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est. Veruntamen æquè hoc Christi verbũ est, atque illud: quapropter etiã tantum apud nos va- *Luc.11.* lere debet atq; illud. Aliud exemplũ: In Luca dicit Christus, *Ioan.16.* Petite, & accipietis. Et in Ioan. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hic autẽ dicit, Date, & dabitur vobis. Est quidem hoc non tam gratum, quàm illud, attamen *Fides sola non sufficit.* æquè atque illud considerandũ est. Et quid ex his omnibus colligere possumus, quàm primò ꝙ Christus non solùm fidem à nobis poscit, sed etiã charitatem? secundò, ꝙ Scriptura, vbi de fide loquitur, non simplicẽ, nudam, otiosam fidem intelligat: sed fidem quæ per charitatẽ operatur, quemadmo- *Galat.5.* dum diuus Paulus ait? tertiò, ꝙ ad perfectã iustitiam Christiani, non solùm fides, sed etiam charitas requiritur? alioqui has & id genus sentẽtias & loca sacræ Scripturæ, non facilè concordabimus. Quantũ enim Scriptura vno in loco fidei tribuit, tantum aliis in locis charitati ascribit. Quòd si igitur alterum accipimus, & alterum non, nihil inde aliud fit, quàm quòd cæcus cæcum ducit, & ambo cadunt in foueam.

Fides initium, charitas finis Christianæ iustitiæ. Proindè qui aberrare nolit, vtraque cõiungat, fidem tanquàm initium Christianæ iustitiæ: charitatẽ verò tanquàm finẽ, & perfectionẽ. Sic docet beatus Petrus posterioris Epistolæ cap.1. Vbi ait: Vos curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutẽ, &c. Hęc enim si vobiscũ adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos cõstituent in domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorũ. Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certã vestram vocationẽ & electionem faciatis, hæc enim faciẽtes, non peccabitis ali- *Ephes.2.* quando. Itidem & Paulus dicit: Dei sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in *Vis esse discipulus Christi? fac quod iussit.* illis ambulemus. Quocirca Euangeliũ istud hodiernũ seriò à nobis considerandũ est. Si volumus discipuli esse Christi, iuxta Magistri nostri doctrinã nos facere oportet. Si filii esse Dei volumus, Patrem nostrum imitari nos oportet, & quoad

quoad fieri poteſt, illi cõformes fieri. Imò ſi miſericordiam à Deo conſequi volumus, miſericordes nos eſſe oportet erga proximum noſtrũ. Si nolumus iudicari & cõdemnari, neminem temere iudicare ſeu condemnare debemus. Si volumus vt Deus nobis trabem noſtram nõ ob oculos ponat, nec proximo noſtro ſuam feſtucam malè interpretari debemus.

Vide, hunc in modum monet nos Chriſtus in Euangelio, ad amorem & miſericordiam erga proximũ noſtrum declarandam. An non autẽ pulchrum & iucundũ foret inter nos, ſi ita viueretur? imò nónne miſerandũ eſt, & quod animum pium ad ſuſpiria meritò commoueat, quòd nunc eiuſmodi res tam raræ videãtur deprehenduntúrque, & maximè, ſi cogitemus propterea tam miſerabilem in mũdo ſtatum eſſe, quinimò in ſancta Chriſtianitate? Siquidẽ fateri cogimur, omne infortunium, iram, rixas, diſsidium, inimicitias, homicidia, bella, inuidiã, odium, & diffidentiã, quibus inter nos mutuò flagramus, nõ aliunde venire, quàm quòd charitas in animis noſtris refrixit, & extincta eſt. Hunc amoris ignem ſi quis rurſus accendere poſſet, incommoda hęc facilè euaneſcerẽt. Charitas nobis deſit fratres, quapropter totus mundus plenus temerariis iudiciis eſt. Quælibet pars alteram iudicat: quiuis alium condemnat: vnuſquiſque videt quid alium dedeceat: nemo miſeretur pauperum: nemo dat & ſuccurrit egentibus: quiſq; ad ſe ſicubi poteſt, trahit: hoc ſedulò agens quomodo aliis imponat, claudens viſcera ſua à fratre in anguſtiis cõſtituto, &c. Quia itaque eum in modum inter nos agitur, vt iis in rebus, quæ ad animã pertinent, nos inuicem damnemus, in temporalibus verò alij alios prorſus perdamus: mirum nõ eſt, omne infortunium ſequi. Tantò magis videre, & omnem operam adhibere debebamus, vt charitas in nobis reſtitueretur: ea enim ſola omni incommodo obuiare poſſet. Quid autẽ Chriſtus facit aliud in hoc euangelio, quàm vt charitatem in nobis excitet & inſtauret? Eſtote miſericordes, inquit, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Trahit nos primò exẽplo Dei noſtri & cœleſtis Patris: deinde quoque magnis promiſsis: eſt fermè ea ſententia, quemadmodum & poſtea dicit, Neſcitis cuius ſpiritus ſitis? Sic hoc loco ad omnes Chriſtianos vult dicere, Neſcitis cuius filij ſitis? Non cogitatis, quomodo vobiſcum agat Deus? Miſſos vos facere vtique potuiſſet, ſed miſertus eſt veſtri. Suo iudicio aduerſum vos agere potuiſſet: iam paratus eſt remitte

Cauſa malorũ omnium.

Matth.24.

1.Ioan.3.

Luc.6.

remittere vobis peccata vestra. Damnare vos potuisset: iam vos saluos facere vult. Et quid vicissim aliud cupit, quàm vt similiter etiã vos faciatis? Veruntamen non gratis id cupit, imò liberaliter vos vult remunerari, promittit vobis suã misericordiam: tutos vos reddit à seuero suo iudicio: ab inferno vos securos faciet: promittit vobis bonã, & confertam, & coagitatam, & superefluentẽ mensurã: Estote misericordes, inquit, & misericordiam consequemini: Nolite iudicare & nõ iudicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini: Date & dabitur vobis. At nũc vide, quomodo nos Christus exemplo Dei eiúsq; promissionibus, tanquàm duobus funibus tam seriò trahat: cùm primis tamen obseruandum, quòd in vltimo illo, Date & dabitur vobis, pluribus vtatur verbis. Etenim de dando ægrè audimus. Pateremur sanè nobis dici, vt proximis condoleamus, neminem iudicemus condemnemúsve, &c. sed vbi ad dãdum ventum est, hic demum hæretur: tum vnicuiq; videtur, si quid eroget, perditum esse: quilibet timet si multũ eroget, sibi ipsi carendum esse. Et tamen nihil opus esset hac cura. Nam quomodo esse perditũ potest, quod pauperi das, cùm tamen Christus apertè dicat: Eadem mẽsura qua mensi fueritis, remetietur vobis? nihilo etiã propterea sis pauperior. Quemadmodum & Sareptana vidua nihilo fiebat pauperior, quòd Prophetæ Eliæ de tenui suo victu communicabat. Nobis apparet quidem, quòd deficiant nos necessaria ac defluant: sed certè nihil aliud quàm incredulitas in culpa est: quandoquidem vbique in Scriptura inuenitur ac legitur, nullum opus quod ab homine fieri possit, maiora promissa habere, quàm misericordiã & benignitatẽ erga pauperes. Hinc fit, quòd Dauid hominẽ illum beatũ dicit, qui intelligit super egenũ & pauperem: In die mala (inquit) liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eũ, & beatum faciat eũ in terra, & nõ tradat eum in manũ inimicorũ eius. Dominus opẽ ferat illi super lectũ doloris eius: vniuersum stratũ eius versasti in infirmitate eius. An non autẽ hæc magna promissa sunt? Lege è diuerso, quid Dauid aliis in locis de inhumanis dicat: inuenies nemini atrocius malum Deum minatum esse, quàm eiusmodi hominibus: imò certò videbis, tales homines non nisi maledictionem expectare debere. Deus (inquit) laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Et postea: Constitue super eum peccatorem: &

Exemplũ & promissa Dei.

3. Reg. 17.

Psal. 40.

Psal. 108

& diabolus ſtet à dextris. Cùm iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, & epiſcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua, &c. Id genus verbis ſanctus Dauid vtitur multis per totũ illũ pſalmũ: addens cauſam, vnde tot mala ſuper hominẽ veniant. Pro eo (inquit) quod nõ eſt recordatus facere miſericordiã, & perſecutus eſt hominẽ inopem. Hoc iam conſideremus circa hodiernum iſtud Euãgelium: apprehendamus benedictionem Dei, & maledictionem Dei fugiamus. In hodierna Epiſtola ponit diuus Paulus duo alia, quibus nos ſimiliter ad charitatem trahit. Primùm eſt exemplum omnium creaturarum: alterum eſt futura fœlicitas. Principio quemadmodum Chriſtus vult, vt exemplum capiamus à patre noſtro cœleſti: ita quoque vult Paulus, vt exemplum ſumamus à creaturis. Hoc autem eorũ officium eſt, vt bonum, quod à Deo acceperunt, etiam aliorum vſibus permittant. Et cui ſeruiunt? Hominibus, imò peccatoribus, qui tamen omni bono indigni ſunt, quãdoquidem tot modis conditorem ſuum inhonorant. attamen illis ſeruiunt creaturæ: quia Deo ita viſum eſt, & quoniam ſe liberatum iri ſperant. Secundum tale exemplum, etiam nos ſeruire aliis debemus, & efficere vt bonum quod accepimus, etiam ad alios commeet: nec conſiderare, quòd officio noſtro indigni & ingrati ſint, ſed ad voluntatem Dei ſolùm reſpicere, qui hoc nobis iubet, & ad futuram mercedẽ, quæ longè maior eſt, quàm omnia quæ hic facimus aut damus, vel etiam pati poſſumus. Atque hac in parte vtitur diuus Paulus inſignibus verbis. Ait, nos expectare gloriã filiorum Dei, perfectam libertatẽ, æternam hæreditatẽ, immortalitatémq;. Et quid maius optare poſſemus? Fratres, nõ ſit nobis graue quod agimus, damus, atque etiam patimur. Vili emptum eſt, ſi paruo dolore, exiguo labore, & temporali dono tanta & æterna bona conſequi queamus. Faxit Deus vt hoc conſideremus, ipſoque facto exhibeamus, Amen.

Benignitatis incitamenta duo.

I.

II.

Rom. 8.

Merces bonorum operum.

SECVNDVS SERMO DICIT *item in genere, quid circa Euangelium iſtud conſiderandum ſit, cum adiuncta Epiſtola.*



QVIDEM sic mihi persuadeo, etiamsi nos Christiani nihil aliud haberemus, quàm hæc duo Euangelia, quæ hodiè & proximè præterita Dominica lecta sunt: nihil nobis defuturum spiritualis consolationis, licet alioqui in tribulatione omnium grauissima constituti essemus. Nec vllo vnquam tempore rectam & salutarem doctrinam desideraturi essemus, etiamsi pluribus mundus erroribus implicatus esset, quàm nunc est: adeò iam cõmemorata duo Euangelia, ad duo illa, hoc est ad consolationem & doctrinã rectã respiciunt. In Euãgelio superioris Dominicæ, quot verba habet, tam multiplicem consolationem quis inde depromere potest. Porrò etiam quot Euangeliũ istud hodiernum verba habet, tãtum vtique doctrinæ præbet homini, si quis modò salutarem & rectam doctrinam expetat. Alios verò, qui nullam doctrinam curant, imò qui voluntatẽ Dei sciunt & nõ faciunt illã, nec etiã facere cupiunt: illorum, inquam, quot Euangelium istud verba habet, toties incuriam, negligentiam, segnitiem, & impietatem redarguit. Non est hîc opus multa demonstratione. Quilibet suum ipsius cor interroget, quid illi conscientia sua dictet, quòd si vitam suam cum hoc Euangelio conferat, se reprehendi facilè sentiet. Rogas quomodo? Docet Christus vt simus misericordes: vult vt hac in parte omniũ maximè declaremus nos veros esse filios Dei, & non nothos. Hæc in genere dicta sunt. Quò autem omnes intelligãt, quã Christus misericordiam intelligat, ipsemet exponit, perinde ac si dicat: Tum misericors es erga proximum tuum, cùm te in corde tuo non meliorem iudicas illo. Secundò, cùm illi in peccata lapso cõpateris, & eiusmodi errata illi non in pessimam partem interpretaris, sed te ipsum consideras in eo, ne & tu similiter tenteris. Tertio, si illum non condemnes verbis, aut illi detrahas. Quartò, si illi libenter condones, vbi quid aduersum te admisit. Quintò, si illi libenter in necessitate succurras ac tribuas. Hac ratione veram misericordiam exhibes, & imitaris Patrem tuum cœlestem: nam in iis rebus omnibus declarat, & ipse suam misericordiã erga nos homines, quin etiam erga malos. Ipse scit figmentum nostrum: propterea miseretur nostri, quemadmodum pater miseretur suorum filiorum: nõ in perpetuũ irascitur, nec retinet irã: non secũdũ peccata nostra facit nobis: neq; secundũ iniquitates nostras

Luc. 15. *Misericors in pauperes quis sit.* I. II. *Gal. 6.* III. IIII. V. *Matth. 5.* *Psal. 102.*

ftras retribuit nobis. Quoniã secundũ altitudinẽ cœli à terra, corroborauit misericordiã suã super timentes se. Quãtũ distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Non ita præcisè quęrit, vt causam cõtra nos habeat: alioqui nemo nostrũ subsistere posset, imò tacet etiam cùm peccamus: facit perinde acsi non videat, cùm nulla creatura inuisibilis sit in conspectu eius. Differt pœnam, licet bene meritis: non iudicat statim nec condemnat, sed pœnitentibus ignoscit, condonat & gratificatur, idque totum gratuitò: quia nihil eorum nobis debet. Hæc est misericordia Patris nostri in cœlo, cui conformare nos debemus. An non autem videtur tibi ꝙ per hoc iã reprehensa, & tanquã merè impia & minimè Christiana res damnata sit, primò & in genere, nostra immisericordia, durities, incompatiẽtia, & infidelitas, quam quãdoque, imò quotidiè erga nostros confratres exhibemus? secundò, temerariũ iudiciũ, quo nobis inuicẽ omnia in peiorẽ partẽ rapimus? tertiò, virulenta obtrectatio & famę denigratio, qua nobis mutuò detrahimus, & alij alios omnibus inuisos reddimus? quartò, omnis ira, inuidia, odiũ & rancor animi? quintò, execrabilis auaritia, quæ solùm ad se attrahit, & nihil in alios confert? Omnia hæc, inquam, in isto Euãgelio redarguuntur tanquã eæ res, à quibus omnes filij Dei longè abesse debent. Quia enim ipsi misericordia indigemus, æquũ certè est, vt misericordiã exhibeamus. Alioqui Christus quoque ad nos dicet: Serue nequam, omne debitũ dimisi tibi, quoniã rogasti me: nónne ergo oportuit & te misereri cõserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Sic etiã, quoniã ipsi quotidiè ex aliena manu accipimus quod habemus, quẽadmodum Dauid dicit: Quis ego & quis populus meus, vt posśimus hæc tibi vniuersa promittere? tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim sumus coram te & aduenę. Quoniam itaque res ita habet, æquũ est sanè, vt etiam alij è manibus nostris accipiant. Quia verò ipsi quoque peccatores sumus, haudquaquam nos decebit, vt alios condemnemus, & festucã videamus in oculo alterius, atque interim trabis nostræ obliuiscamur. Quinimò quia videre nõ posśimus corda hominũ, quod solius Dei est, imposśibile est, vt rectę de aliis hominibus iudicare posśimus. Quoniã autẽ ipsi quoque serui sumus, minimè conueniẽt, vt alios iudicemus. Et vt semel oĩa dicã, quia nos ipsos remisśionẽ pecca-

Heb. 4.

In duritiam & inhumanitatẽ nostram, &c.

Matth. 18.

1. Par. 29.

Luc. 6.

torũ rogare oportet iuxta doctrinam & mandatũ Christi, certè par est, vt nos aliis etiã condonemus, maximè cũ sciamus, Deũ hæc omnia remunerari velle. Nam si misericordes simus, & ipse misericors esse erga nos vult: si non iudicemus, damnemúsque, nec ipse nos iudicare vult & cõdemnare; si remittimus, & ipse nobis vult remittere: si demus aliis, & ipse nobis dare vult, & quidẽ abũdè. Atqui verò hæc omnia sunt verba Christi, qui nos nõ fallet. nõ igitur vẽto tradenda sunt. Quocirca rẽ recta reputemus via. Enimuerò proximo nostro tãtũ præstare nõ possumus, quin lõgè maiora fecerit nobis Deus, & plura etiã facturus. Si nos itaq; nostra compatientia. cõdonatione & largitione tantũ cõsequi & obtinere possumus, vt nos Deus non iudicet neque condẽnet, sed nostri misereri velit, nobis dimittere ac dare: certè facili pretio mercati sumus. Quare non est ꝙ quis grauetur eo, quod proximo suo facit aut facere debet. Omnia affatim redeunt tã in hoc, quã in illo seculo.

Merces recto factorũ: ergo & meritum.

Hoc singulari studio obseruandũ circa istud Euangeliũ. Alioqui enim, quia merã doctrinã & præcepta habet, posset homo carnalis (cui omnes leges & præcepta cõtraria sunt) facilè fastidiũ cõcipere, præterire ac dicere: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? quis tot præcepta seruaret? Non ignorauit hoc Christus, & consultò præuertere voluit. idcircò Euangeliũ istud ita tẽperauit, & præceptũ suum sic proposuit, vt grauari nemo posit, quãdoquidẽ parua postulat, & cõtrà magna promittit, Etenim primò qñ cogitamus, ꝙ Christus in ipso statim principio Euãgelij dicit, nos habere patrẽ in cœlo, imò Deũ ipsummet esse nostrũ patrẽ, nos autẽ filios eius nequaquã graue nobis fuerit, quicquid in gratiã talis patris faciemus. Quid enim honestius in cœlo & in terra, quàm Deum patrẽ habere, & filiũ esse Dei? Videte (inquit Ioannes) qualẽ charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. Quid quis non libenter faciat ac tolleret, vt talẽ conse qui honorẽ posit? Sed quid ait Christus? Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calũniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est, qui solẽ suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Secundò introducit Christus pulchram similitudinẽ de discipulo & eius magistro, id indubiè propterea faciẽs, vt tãto minus præceptis illius grauemur. Discipuli est obsequi, præceptoris iubere & docere: hominis

Ioan.6.

Deus pater noster.

1.Ioan.3.

Matth. 5.

hominis officium est obedire, Deus verò potestatem habet mandandi & iubendi. Quisquis igitur cogitat, se discipulũ esse & hominem, etiam is tantò minus grauabitur, quod illi Christus præceptor eius; imò Deus ipse imponit. Est enim voluntas eius, vt Christum audiamus. Hic est filius meus dilectus, ait Deus Pater, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. E diuerso dicit Christus: Qui me spernit, spernit patrem meum. Maximè verò hæc præcepta leuia nobis facere debet, quod Christus & ad vnum quodlibet peculiarem promissionem addit, & quæ semper præcepto maior est. Quid autem vnicuique homini laborem suum leuiorem facit, quàm spes lucri? Mercator relinquit domum & possessiones, vxorẽ & liberos: peregrè proficiscitur, mari sese committit, periclitatur de vita & corpore, labores & molestias sustinet, tollerat æstum & frigus, imò varia incõmoda: & interim tamen est animosus atque impiger. Quid verò id efficit? Spes lucri. Sic facit quoque miles, sic mercenarius: is laborat totũ diem in æstu & sole, attamẽ omnem laborẽ sibi leuẽ facit, cogitãs de mercede. Verùm vbi lucrũ, solutio & vtilitas certior, quàm apud Deũ? Alioqui nusquã nõ locorũ aliquid deest. Mercator suas res tã certas nõ habet, quin falli possit, vt nõ solũ nihil lucretur, sed etiã summã amittat. Ita de milite & mercenario. neq; id mirũ: nemo enim literas habet & sigilla, vt cũcta ipsi eueniãt ex sententia. Præterea omnes homines sunt mendaces, solus verò Deus verax est: quocirca etiã merces certa & infallibilis est apud eũ. Dixit & non faciet, inquit Balaã? Quomodo essentialis veritas fallere aut decipere posset? Hic autẽ stat Deus ipse, & ait: Nolite iudicare, & nõ iudicabimini: nolite cõdẽnare, & nõ cõdẽnabimini. Dimittite & dimittemini: date & dabitur vobis. Nõ est igitur quod præceptis istis grauemur, quãdoquidẽ promissiones adiũctæ simul sunt, & certi sumus, Deũ nõ fallere. Est enim fidelis, seipsum negare nõ potest. Atq; hoc modo vides, quàm pulchrè Christus sua præcepta mitiget, non aliã sanè ob causam, quã vti ne quis retrò currat, quẽadmodũ Capernaitæ, & dicãt: Durus est hic sermo, quis potest eũ audire? Nequaquã fratres. Etiã si Christus maiora nobis imponeret præciperétq;, non tñ conqueri possemus: quantò minus nos habemus quod queramur de illo dicẽte, Nolite iudicare & nõ iudicabimini? &c. Tantũ in genere de hodierno Euangelio. Beatus Paulus conatur in hodierna

Matth. 17.
Luc. 10.
Spes lucri.
Psal. 115.
Rom. 3.
Num. 23.
2. Tim. 2.
Ioan. 6.
4. Reg. 5.

Epiſtola quoque oẽs afflictiones & tribulatiões hominũ Christiano leues facere. Id quod haud malè ad hodiernum Euãgelium quadrat. Nam quorſum alioqui attinet, vt quis volens & impiger in via diuinorum præceptorum ambulet, ſi in via crucis ſuccumbat ac deficiat? Atqui vtrumque doceri oportet in ſchola Chriſti, bonũ facere, & malum pati, imò hæc omnia ex animo & non grauatè. Hilarẽ enim datorem diligit Deus. Horũ vbi alterutrum deeſt, nimis parum eſt. Quando igitur Chriſtus in Euangelio nos docuit benefacere, & quomodò illud ſine difficultate poſsimus præſtare, docere etiam nos vult Paulus, quomodo in cruce quoque ipſa & afflictione, ſine grauamine ſubſiſtere queamus. Exiſtimo (inquit) quòd non ſunt cõdignæ paſsiones huius temporis, ad futurã gloriã quę reuelabitur in nobis. &c. His & ſequẽtibus verbis docet diuus Paulus, quibus rebus homo Chriſtianus ſibi ipſi crucem ſuam & paſsionẽ mitigare & leuem facere poſsit. Sententia eſt, perinde ac ſi dicat: Homo, cogita crucem & tribulationem tuam non fore diuturnam, ſed crucem tuam finem habituram, mercedem autem magnam ſecuturã: tanto fiet tibi facilior. Hoc vnũ eſt.

Bona facere, mala perpeti. *2. Cor. 9.* *Rom. 8.* *Afflictiones vnde mitescant.* I

II *Creaturas ingemiscere quod sit.*

Secundò, conſidera exemplũ omnium creaturarum, quæ & ipſæ pati ac experiri coguntur, quod illis nõ placet. Ad cultum quidem Dei creatæ ſunt, idque proborum bono, nihilominus verò pati eas oportet, quòd improbi varijs modis ipſis abutuntur ad cõtumeliam Dei, & ad iniuriam bonorum: ſed expectant redemptionẽ. ſiquidẽ impoſsibile eſt, vt creaturæ malis æternum ſeruiant, quandoquidẽ non illis ſed bonis bono creatæ ſunt: quapropter etiam miniſterium earum finem adipiſci oportet. Ita quoque dolet quidem bonus, ſi res ſint inauſpicatæ, & ipſe cruce ſeu tribulatiõe grauatus eſt, & maximè, ſi neſciat quò ſeſe vertat: tædet eum ſi Deus non celeriter ſuccurrit, ſicuti Moyſes olim & Iſraëlitæ in maximis anguſtijs erant, cùm illos Aegyptij ſequerentur. Sed expectandum omninò eſt, quemadmodum & creaturæ expectant, quando eas liberet Deus. Hoc conſidera (inquit Paulus) rurſum crucem tuam tolerabilius feres.

Exod. 14.

III Tertiò, cogita quòd nos etiã Apoſtoli, qui primitias Spiritus, hoc eſt, maiora dona accepimus: attamẽ intra nos ipſos

2. Cor. 7. ingemiſcimus, extrinſecus tẽtamur, interius certamus aduerſum machinationes & terrores Diaboli: varia offendicula nos videre oportet: ſed tamen redemptionem expectamus.

mus. Spe quidem salui facti sumus, sed nondum re ipsa. In terris adhuc sumus, necdũ in cœlo. Exhilarare autem nos debet, quòd scimus omnia habitura finẽ, secuturáq; omnia bona. Hic vides, quomodo Paulus se & alios in cruce & passione pulchrè consoletur. nobis scriptũ est, ad animũ reuocemus. Siquidem magni refert, quippè quod geminus sit labor, si quid inuitus facias aut patiaris. Hunc in modum facit nobis Euangeliũ istud omnem laborẽ, Epistola verò omnẽ crucem & passionem leuem. Deus Opt. Max. faxit, vt id consideremus præstemúsque, Amen. Rom. 8.

TERTIVS SERMO DE principio, & primis verbis Euangelij.



ODIERNVM istud Euangeliũ nihil aliud habet, quã moralẽ doctrinã seu adhortationẽ ad virtutẽ & bona opera: sed tamen non vanam, fallacẽ & inefficacẽ doctrinã, cuiusmodi olim ethnicorũ Philosophorũ & eruditorum aliqui professi sunt, sed nouã & Euangelicã prorsus doctrinam atque præcepta. Atque eiusmodi institutio seu exhortatio ad virtutis studia, bonos mores, & piam vitam, altera pars est Christianæ & Euangelicæ doctrinæ. Duo quippè nos docet Euangelium Christi. Primò fidẽ, deinde etiam piã vitã seu bona opera, mores ac virtutes. Ad doctrinam de fide, pertinẽt promissiones ac miracula Christi: quæ ideo Christus præmisit, quò per ea homines discerent, tempus adesse, in quo genus humanũ reduci ac liberari deberet: atque hoc pacto vnusquisque certa & summa fiducia Christo sese dederet & adiungeret. Ad doctrinam autẽ seu adhortationem ad piam vitam & bona opera, præcipuè pertinent verba quę Christus in hodierno Euãgelio loquitur: id quod quiuis Christian⁹ summo studio audire ac obseruare debet. Primò contra eos, qui nudæ ac otiosæ fidei sese credũt, persuasum habentes, se nihil opus habere amplius, solã id facere fidem, Deũ nihili pendere bona opera. Secũdò cõtra eos, qui quidẽ curam bonis operibus impendũt, sed præposterè: sibi ipsis hoc vel illud facere eligũt, cæterũ quod Deus præcepit, haudquaquam curant: rẽ nihili religiosè tenent, si qua pluris momenti est, eã negligũt, queẽadmodũ Iudaici Pharisæi, de quibus Christianus loquitur. Decimãt mentã & anethum & cyminum, & relinquunt quæ grauiora sunt legis,

Fides. *Bona opera* *Sola fides, otiosa.* *Matt. 23.*

iudiciũ, & misericordiã, & fidẽ. Quare audiamus, cuiusmodi Christus opera bona doceat præcipiátque. Estote misericordes (inquit) sicut & Pater vester cœlestis misericors est. Hoc Christus in principio ponit, & nõ immeritò. Nã simile quoque aliàs inuenis passim in sacris literis, misericordiã & charitatẽ ante omnia alia opera cõmẽdari: nec

Matt. 9. vllum tam multa támque magna promissa habet, siue temporalia, siue spiritualia. Euntes (inquit) discite qd est, misericordiã volo & nõ sacrificiũ. Indicabo tibi ô homo (in-

Mich. 6. quit Michæas) quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudiciũ, & diligere misericordiã, & solicitum ambulare cũ Deo tuo. Frãge esurienti panẽ tuũ (inquit

Esa. 58. Isaias) & egenos vagósque induc in domũ tuã: cùm videris nudũ, operi eũ, & carnẽ tuã ne despexeris. Tunc erũpet quasi mane lumen tuũ, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuã iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum. Beatus vir (inquit Dauid) qui intelligit super egenũ

Psal. 40. & pauperẽ: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manum inimicorum eius, &c. Et iterũ: Iucundus homo qui miseretur & cõmodat, dispo-

Psal. 11. nit sermones suos in iudicio, quia in æternũ non cõmouebitur. In memoria æterna erit iustus. Ex substãtia tua fac eleemosynã (inquit Tobias quarto capi.) & noli auertere

Prouer. 22. faciẽ tuã ab vllo paupere. præmiũ enim bonũ tibi thesaurizas in die necessitatis. Cõsiliũ meũ placeat tibi (inquit Daniel cap. 4.) & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperũ. Qui pronus est ad misericordiã, benedicetur, &c. His sententijs plena est tota Scriptura. Nihil itaque mirũ, etiã Christũ ab hac parte incipere bona opera docere. Estote misericordes (inquit) sicut & Pater vester misericors est. Hoc nõ ad vnũ aut aliquot homines solum dicit, sed ad omnes Christianos. Hic enim nemo excipitur, neque diues, neque pauper, neque ciuis, neque rusticus, imò neque publicanus neque miles. Hoc vno verbo complectitur Christus summã Christianorũ bonorũ

Rom. 13. operum, quẽadmodum & Paulus dicit, charitatem esse legis plenitudinẽ: &, qui diligit proximũ, legem impleuisse. Eiusmodi verò charitatis & misericordiæ proponit nobis Christus neminem aliũ pro exemplo, quàm Deum patrem,

quemadmodum

quemadmodum & aliàs vult, vt illum loco exempli sumamus in charitate erga proximum. Hoc (inquit) est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Imò, vt nõ potest maior esse dilectio, quã Christus declarauit moriendo pro inimicis suis, veluti ipsemet dicit: ita nõ est maior misericordia, quã apud Deum & in Deo. Huc pertinet, quod ipsemet dicit: Ego sum dominus Deus tuus, faciẽs misericordiã in millia, &c. Huc quoque seruit, quod Manasses dicit in sua pœnitentia, Inuestigabilis misericordia promissionis tuæ. Et Dauid Psal. 102. Misericordia eius ab æterno, & vsque in æternũ super timẽtes eũ. Et rursum Psal. 85. Misericordia tua magna est super me: eruisti animã meã ex inferno inferiori. Itẽ Psal. 56. Magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua. Et iterũ Psal. centesimo quadragesimo quarto: Miserationes tuæ super omnia opera tua. Rogas, qua in re misericordia Dei consistat seséque declarat? Respõsum accipe: Sic Deus misericors est, vt nobis oĩa tam tẽporaliter quã spiritualiter tribuat ex immẽsa misericordia. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt oĩa. Videt nos in peccatis & in morte hęrere, sed miseretur nostri, & dat nobis vitã, modò ipsi velimus. Deus (inquit Paulus) qui diues est in misericordia, cũ essemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos Christo: imò non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundũ suã misericordiã saluos non fecit, per lauacrũ regenerationis, &c. Sic videt nos filios iræ & inferni esse, & conuersos facit nos filios gratiæ, & æterni sui regni. Eripuit nos (inquit Paulus ad Coloss. 1.) de potestate tenebrarũ, & trãstulit in regnũ filij dilectionis suæ. Et Christus ipse Luc. 12. Noli timere, ait, pusillus grex, quia cõplacuit Patri vestro dare vobis regnũ. Ita quoque videt Deus nos miseros esse & egenos, famelicos & sitibundos, ægrotos & debiles, & dat nobis cibũ & potũ, & amictũ & alia: imò aperit manũ suam, & implet nos sua benedictiõe, hoc est, multifarijs bonis. Præter hæc videt nos quotidie peccare, nec tamẽ protinus nos relinquit, abijcit & dãnat, sed quomodo misereretur pater filiorũ, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentũ nostrũ. Postremò misericordia Dei tanta est, vt sese etiã in improbos protendat. facit enim oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Talis quoque nostra esse misericordia debet, ui-

Ioan. 15. *Ioan. 13.* *Exod. 20.* *In fine paralip.* *Rom. 11.* *Ephe. 2.* *Tit. 3.* *Psal. 102.* *Psal. 102.* *Matth. 5.*

mirum tota simplex & cādida, vt pari ratione erga quosuis
Ibid. tum amicos, tum inimicos sese exhibeat. Et hoc est quod
Christ⁹ in Matthæo, imò etiã partim in Luca, & paulò ante
hodiernũ Euangeliũ dicit: Audistis quia dictũ est antiquis:
Diliges proximũ tuũ, & odio habebis inimicũ tuũ. Ego autẽ
dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his q̃ ode-
rũt vos: & orate pro persequẽtibus & calũniãtibus vos, vt si-
tis filij Patris vestri qui in cœlis est, &c. Hæc oĩa in voce
ista cõprehensa sunt: Estote misericordes, sicut & pater ve-
ster misericors est. Et hîc obserua primũ, quòd Christus oĩa,
quæ in his verbis docuit, etiã proprio suo exẽplo impleuit.
Rom.5. Cũ inimici essemus (inq̃t Paulus) recõciliati sum⁹ Deo, &c.
Apoc.2. Et Ioannes: Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, &c.
Ergo verbis simul & factis seu exẽplo nos docuit. Ad hæc
Luc.11. promisit quoq; spiritũ charitatis dare petẽtibus se. Nulla
nobis excusatio reliqua erit, si à talibus mãdatis nos aliena-
uerimus. Secũdò attende, quẽadmodũ Christus nos pul-
chrè à paruo & infimo veluti p̃ grad⁹ quosdã ducit ad sum-
mũ & perfectissimũ: in quo præcipuè nostrã imbecillitatem
I. cõsiderauit. Primus gradus est, ne irascamur. Secundus, ne
II. primi sim⁹ in offendẽdo alios. Terti⁹, ne plus mali reddam⁹
III. quã nobis illatũ est. Quartus, ne nos quoque nostrã vicem
IIII. vlciscamur. Quint⁹, vt ad maiora etiã p̃ferẽda volẽtes nos
V. offeramus. Sext⁹, ne ægrè nobis faciẽtẽ odio p̃sequamur.
VI. Septimus, vt talẽ amem⁹. Octau⁹, vt ei bñfaciam⁹. Non⁹,
VII. vt etiam pro illo oremus. Ex his vide, quàm latè pateãt ista
VIII. verba. Quàm verò paucos inuenit inter nos, qui nec infi-
IX. mum gradum eiúsce charitatis attingant? Porrò in verbis
iam dictis Christi ex Matthæo & Luca, tres vltimi gradus
commemorati sunt. Quia ergo Christus vtrisque in locis
gradus illos charitatis concludit eo verbo, Estote ergo mi-
sericordes, sicut & pater vester misericors est: aliquantò
Matth.5. tres istos grad⁹ penitius vestigabimus. Primò, inquit Chri
stus: Ego autẽ dico vobis, diligite inimicos vestros. Eius
rei causam sub finẽ ipse reddit: Si enim diligitis eos, qui vos
diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani
hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm,
quid amplius facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt? Perin-
de ac si dicat: Quòd quis amantem redamat, non est Euã-
gelica virtus, sed opus, ad quod ipsa etiam prouocat natu-
ra: hoc enim nõ facere, etiam apud Ethnicos animaduer-
tenda

tenda ingratitudo est. Vult ergo Christus per hoc, vt nos Christiani reliquis omnibus populis perfectiores simus. Vndè facilè colligere est, qua pœna digni simus, ꝙ Christus nos iubeat vitam nostram instituere iuxta exemplũ Dei, & nos verò sæpe multisq; in rebus Ethnicis deteriores simus: nec eos sępè diligimus, quin persequimur, qui nos diligunt, puta parentes nostros. Sed dicet hìc humana ratio, & naturalis, imò prauus effectus: Hic & ille homo tantis me affecit iniuriis, vt amare eum non possim. Audi mi frater: non hostis tuus, sed Deus per illum hoc tibi fecit. Tu autem facis instar rabiosi canis, lapidem mordes quo ictus es, nec vides eum qui lapidem proiecit. Et facis in morem pueri, qui irascitur virgæ, qua cęsus est: nõ cogitat alium fuisse qui duxerit virgam. Id verò certũ prorsus ac indubitatũ habere debes, ꝙ nec mortales omnes, nec etiã mali spiritus, vllam super te potestatem habent, nec in minimo quidẽ te lædendi, nisi Deus, qui cuncta gubernat, hoc illis permittat. Nam si omnes capilli capitis nostri numerati sunt: nec passer sine eius voluntate in terrã cadit, quantò minus aliquid incommodi tibi imminere potest absque illius voluntate aut permissione? Sic nec diabolus optimo Iob ouem poterat perdere, nisi Deo prius permittente. Sic nec vniuersa legio dæmonum suibus nocere quicquam poterant, donec illis permittebat Christus. Quod autem Deus aduersum te agit, id non odio tui facit, sed ex immensa benignitate & charitate, & ad æternã tuam salutẽ. Quam ob rem nõ est ꝙ illos odio prosequare, sed potius diligas, qui eiusmodi bonam Dei voluntatem in te perficiũt. Atqui pergis dicere: Si hic saltem, aut ille homo nõ esset, quem cũ ego tantis ornarim beneficiis, ille contrà tantis iniuriis me onerauit, vt tolerare non possim. Audi frater: quemadmodum iudex reo vel malefico nõ permittit delectum, qũo & à quo puniri velit, sed ipse facit hac in parte quod sibi æquũ videt: ita Deus nõ imponit tibi pœnam & crucẽ pro tuo arbitrio, alioqui haud grauem tibi crucẽ electurus esses. Nec te punit per eos quos tute eligis, sed quos ex ęterno cõsilio ad hoc ipse destinauit. Quemadmodũ ergo Deum in prosperis & aduersis rebus diligere debemus: ita quoque inimicos nostros propter Deũ diligere debemus, & cõpatientiam erga illos gerere, ꝙ illos Deus virgam esse voluit, quam mox deindè in ignẽ proiicit. Sequitur: **Benefacite his, qui oderunt vos.** Sic dicit etiã Moyses:

Christiani debent caeteris esse perfectiores.

Nihil nobis, nisi Deo permittente, accidit.

Mat. 10.
Luc. 21.
Iob. 1.
Mat. 8.
Marc. 5.
Exod. 23.

Si vid

Si videris asinum odientis te, iacere sub onere, nõ pertransibis, sed subleuabis cum eo. Et Paulus: Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ: si sitit, potum da illi. hoc enim faciẽs, carbones ignis congeres super caput eius. Hoc est, quantũcunque malus est, vinces tñ eum beneficiis, & emollies ad redamandum te. Porrò vult Christus, ne inimicos nostros minis, ira, detractionibus oderimus, &c. sed amore, beneuolẽtia & beneficiis vincamus. At enim dicis: Indignus est homo ille, vt boni quid illi à me fiat: Respondetur: At æquum est, & tibi honestũ, vt hoc illi facias. Et Christus dignus est, in cuius gratiam id illi pręstes: atque hoc Deo longè gratissimũ est. Lucas addit: Benedicite maledicẽtibus vobis. Vult enim Christus, ne cuiquam malè velimus, aut precemur. Homo Christianus ad benedictionẽ vocatus est, non itaque decet illũ vt maledicat. Sed ais: Tamen quãdoque etiã sancti aliis hominibus imprecati sunt. Sic maledicebat Noë filio suo Cham: sic Dauid precabatur Ioab multa mala. Helizæus maledicebat filiis ridẽtibus se. Et Petrus ad Simonẽ Magũm: Simon (inquit) pecunia tua tecum sit in perditionẽ. Itidem & Paulus dicit: Vtinam abscindãtur qui vos conturbãt. Respõdetur: Quod tales viri hac in re fecerunt, non ex ira, odio, aut vindictæ cupiditate id factũ est, sed ex magno zelo, pro honore Dei & salute hominũ. Videbãt enim per hoc honorem Dei temerari, ideo optabant, vt blasphemia Dei tolleretur, nõ quærentes hominũ exitium, sed gloriam Dei. Satius est autẽ peruersos homines pessum ire, quàm Dei honorẽ imminui. Sequitur: Et orate pro persequẽtibus & calumniantibus vos. Talibus hominibus potius compatiendum quàm irascendũ est, quia profectò nesciunt, quid faciũt: imò proculdubiò sibiipsis maximũ afferũt damnũ, probis verò summo bono sunt. Idcircò & Christus statim subiicit: Vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est, &c. O honorificum titulum. Hîc vides, quantum boni tibi pariant inimici tui, si persecutionem eorũ patienter feras: imò oẽs amici tui cũ omni sua adulatione tibi tantũ boni procurare nõ possent. Nam qui filius Dei est, erit & hæres Dei. Quocirca ne cogites quantũ patiaris, sed quid emolumẽti inde ad te redeat. Ex hoc autem vltimo verbo apparet, nos præcipuè per charitatẽ filios Dei declarari. In hoc cognoscent oẽs, ait Christus, quia discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis adinuicem. Et Ioãnes: In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Diabolus odit Deum

Rom.12. *Luc.6.* *1.Pet.3.* *Gen.9.* *2.Reg.3.* *4.Reg.2.* *Act.8.* *Galat.5.* *Luc.23.* *Galat.4.* *Charitas nos efficit filios Dei.* *1.Ioan.3.*

Deum & homines,& ad id prouocat suos filios: Dei autē filij contrariū faciunt. Attamen verò etiā hac in parte ingens discrimen est inter naturalem filiū, & adoptiuos filios Dei. Christus naturalis Dei filius, nō eo nomine filius Dei factus est, ꝙ inimicos suos dilexit, sed quia filius Dei erat, fecit vt Deus pater,& inimicos suos dilexit. Alij omnes boni homines diligunt inimicos suos, nō quòd filij Dei sint, sed vt filij Dei fiant. Porrò quæcunque hactenus ex Euangelio dicta sunt, hoc pacto cōcludit Christus in Luca: Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Verùm in Matthæo hoc cōcludit verbo: Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Atqui Deus perfectus est in veritate, æternitate & bonitate: ita nos quoque perfecti esse debemus in fide, spe & charitate. Quid ad hoc dicēt, qui existimant hæc verba nihil ad se pertinere? An nō autem audis infœlix, ꝙ Christus dicit, Vt sitis filij Patris vestri? Si nō cupis esse filius Dei, hæc verba nihil ad te attinent. Cæterùm si filius Dei esse & vocari voles, non aliena tibi hæc verba esse debent. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen. *Luc.6.* *Matth.5.*

QVARTVS SERMO DE VERbis, Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.



IRCA hodiernum atque etiam alia dominicalia Euangelia, nō immeritò quis demirari posit, ꝙ in Ecclesia nunc hîc nunc illic pars ex scripturis Euangelistarū desumitur populo proponēda & prædicanda. Et quidē ineptorum sat magna suppetit copia, & sanè nimia, præsertim nostro tēpore, qui de ejusmodi Ecclesiæ ordinatione nimis temere loquūtur, & omnia in peiorem interpretātur partem. Verùm qui rem recta secum reputat via, non habebit quod in eo carpat: sed dicere cogetur, rectè ita institutum esse, & prouisum. Vnicum cape exēplum: Præterita Dñica Euangelium habuimus prorsus consolatorium, vt quod ab initio ad finem vsque misericordiam Dei, & comitatem Christi erga miseros peccatores nobis cōmendaret. Qui autē fructus sperandi essent, si per totū annum nihil aliud prędicetur, quàm de eiusmodi misericordia Dei? Haud dubiè maior pars tantò remissior futura esset ad bona opera, vt liquidè videmus *Vinum dolio miscendum.*

nostris

nostris tēporibus, nusquam bona opera minus curari, quin etiam peccata nusquam minus vitari, quàm vbi frequentissimè de misericordia Dei & gloria Christi sermo fit. En, ea de causa subconsolatoriū illud Euangeliū, statim hodiernū positum & ordinatū est: quod totū nihil habet aliud, quàm adhortationes ad bona opera, vt quum audiuimus, qualis Deus sit erga nos, audiamus quoque, quales nos esse velit.

Veri Christiani sunt hęc vtraq; sciēda. Atque ij demum veri efficiūtur Christiani, qui Christianismū suum nō solùm verbis, sed etiam operibus & tota via demonstrant. Hodiernū Euangelium à capite ad calcem, ad charitatē eiúsq; opera seu fructus respicit. Inter omnia autē, quæ nos ad charitatē trahere possunt ac debēt, nihil fortius est & efficacius, quā quod charitas illa tam sublimiter & luculenter in Deo & in Christo apparet. Vnde & Christus hac in parte ante omnia se & Patrē cœlestem exemplū statuit: quin Deus ipse, licet se nonnullis crea-

Gene.3 turis per iustitiam suam cognoscendū dedit, vtpote supèrbo angelo & inobedienti homini: aliis verò per suā potentiam,

4.Reg.9. vt Pharaoni & Sennacherib, &c. attamen se in genere & erga oēs homines potissimùm per suam charitatem & misericordiam manifestare voluit, & per id cognosci, quemadmodum antiquitus Moysi promiserat, Num.14. Viuo ego (inquit) & implebitur gloria Domini vniuersa terra. Quando igitur vel maximè charitatē & misericordiā in nos declarauit, in quos tamen iure animaduertere potuisset: vult nimirùm, vt & nos amorem & misericordiā in proximos cōferamus. Huc quadrat quod initio huius Euangelij dicit: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Non dicit: Estote potentes, sapientes, aut intelligentes, & diuites, sicut Pater vester potens, sapiēs, aut intelligēs ac diues est. Nam Angelus Deum æquare volebat potētia, sed præceps ob hoc

Esa.14. agebatur. Homo Deo par esse volebat scientia, sed interim

Gene.3. Dei gratiam & fauorem deperdebat, incidēs in Dei iram & maledictionem. In hodiernū diem periculosum est, vbi quis

1.Corint.8. magnam potentiā & scientiam aucupatur. Sciētia enim inflat. Porrò quò quis altius ascēdit, hòc grauior casus timēdus

Luc.18. est. Qui enim se exaltat, humiliatur. Idcircò nihil melius, tutius & vtilius, quàm vt Deū imitemur in charitate & misericordia. Quò autem oēs videant melius, quid misericordia sit, quam proximo nostro debemus, tria Christus addit

1. ad eam rem pertinētia. Primum, ne quem iudicemus damnemúsue

nemúsue. Alterum, vt proximo nostro remittamus. Et tertium, vt egenti demus auxiliemúrque. De primo nũc audiemus. Nolite iudicare (inquit Christus) & non iudicabimini. II. III. *Luc.6.*

Hic principiò obserua, Christũ hîc non loqui de iudicio, quo quis secum de seipso cẽsuram facit: vbi quasi pro tribunali sedet, vitã suã proponit: audit qua in re illũ conscientia sua accuset: corripit deinde & condemnat seipsum, &c. Tale iudicium nõ inhibet Christus, vtpote bonũ & salutare: imò diuus Paulus id à nobis poscit. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, inquit, non vtique iudicaremur. Secundò, loquitur Christus hoc loco nõ de mundano iudicio, quod Magistratus exercet, tanquàm talia iudicia interdixerit: nolit, vt Christianus iudex sit, gladio vtatur, & malos castiget. Dicit quippè Paulus, potestatẽ esse hac in re ministram Dei, imò Deum ipsum cõmisisse ei gladiũ in vindictam malorũ, & in defensionem bonorũ. Perperam itaque illatum fuerit, si quis dicat, Christũ à iudicando nos prohibuisse, nõ ergo fur suspendendus, latro nõ occidendus, adulter non lapidandus, & in nullum hominem gladius exercendus. Nequaquàm. non est hæc intentio. Christus mundanam potestatem non abrogauit, sed confirmauit. Tertiò, non est ea mens Christi, vt ad omnia peccata taceamus, nec proximum corripiamus. Minimè: Christus nos aliter docuit. Si peccauerit in te frater tuus, inquit, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Hic vides, ꝙ Christus non iubeat nos tacere ad peccatum proximi nostri, sed vult vt increpemus eum, sed tamen eum in modum, vt nunc auditum. Idcircò verbum istud, Nolite iudicare, nec eò quidem referendum est. Quartò item, non est ea intentio, vt quod palàm malum est, non malum vocemus. nam vbi res quæpiam palàm mala est, vt scortatio, adulteriũ, furtum, blasphemia, &c. neminem decuerit sanè, vt bonam appellet. Alioqui cadet in eum ea maledictio Isaiæ: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponẽtes amarum in dulce, &c. Cui conuenienter dicit & Sapiens: Qui iustificat impium, & qui cõdemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum. Non ergo hæc mens Christi est, vt quod euidenter malum est, non reprehendamus: quanquàm hac in re

Iudicare seipsum. *1.Corint.11.* *Iudicium forense.* *Rom.12.* *Matth.22.* *Matth.18.* *Esa.5.* *Prouer.17.*

in re duobus modis delinquere possumus. Primò, cùm nimis accuratè & curiosè aliorum scrutamur vitia. Secundò, cùm nimis acerbè de iis loquimur: id quod charitati contrarium est, vt aliis in locis indicabitur. Loquitur autē Christus hîc solùm de temerario iudicio, vbi quis aut secretas & occultas res suspiciosè, vel etiam huiusmodi res, quæ benè & malè fieri possunt, temere iudicat, & in malam interpretatur partem. Hoc est illud iudicare, quod Christus inhibet, quum aliorum peccata inquiris, nō quòd cupias illa corripere, sed vt proximum tuum traducas, illius famā denigres, tibi ipsi virtutis & probitatis opinionem concilies: dúmque places tibi quòd mala de aliis scias, facísque aliorum crimina maiora, quàm per se sunt, &c. Hoc Christus non vult. id enim plerunque ex superbia & odio proficiscitur, imò ex peruerso animo, semper occultū odium & philautia mixta est. Contra hoc etiam loquitur Moyses: Nō oderis fratrem tuum, inquit, in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Hîc audis, vt proximum peccantē corripiamus, & non oderimus. Temerarium iudicium quomodo accidat, videri melius nusquàm potest, quàm in externo & forensi iudicio. Ibi primùm inquirūtur maleficia accusati, deinde illi proponuntur, tertiò quoque aperiūtur aliis, postremò fertur sententia, & pœna statuitur. Hæc omnia fiunt in mundano iudicio rectè & meritò: in temerario iudicio similiter ea fiunt, sed perperam & condemnabiliter.

Iudicium temerarium.

Leuit. 19.

Etenim primò, vbi hypocrita quispiam est, propriā laudem aucupans, & quem alterius honor & existimatio malè habeat, is explorat & quærit, num aliquid mali & reprehensibile in eo inuenire posit: cæterùm non in hoc quærit, vt illi consulat (id enim Christianum foret, & bonum) sed vt traducat eum & perdat. Quòd si tum etiam inter multa bona vnum inueniat malum, recipit illud, bonum verò relinquit, vt vel ex hac vna re appareat, quàm res sit perniciosa peccatum, quando etiam vnicum peccatum hominum corda plus mouet, quàm omnia bona opera, quæ quis facit. Quocirca Christus non absque causa dixit: Væ homini illi, per quem scandalum venit: quia mūdus semper citius videt quod malum est, quàm quod bonum. Deinde cum hypocrita aliquid mali in proximo suo videt ac deprehēdit, gaudet: rem seriò & acriter ad animū reuocat, haud memor doctrinæ Pauli inquiētis: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo

Matth. 18.

Gala. 6.

quo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, cōsiderans teipsum, ne & tu tenteris. Attamen hoc nondū contentus hypocrita, & proximi quoque sui peccata detegit aliis hominibus, vt illum bona fama priuet, sibiipsi verò pariat nomen. Vera enim conditio hypocritarum est, vt magis ex aliorū hominū defectibus, quàm ex benefactis suis sibiipsi nomen & laudem arrogent. Postremò dānat proximum suum apud seipsum & apud alios: facit sæpenumero, vt ex nimia & magna pusillanimitate funditus pereat. Hæc omnia deprehenduntur circa temerarium iudicium: idcirco interdicit illud Christus. Hinc apparet, quàm latè hoc peccatum pateat. Quandoquidem nihil vulgatius est, quàm de aliorum peccatis loqui: neque hìc timemus vllum periculum. Præ se fert enim hypocrisis, se id etiam cum dolore facere, cū reuera ex inuidia & odio proficiscatur. Sed audi hypocrita: Si compateris proximo tuo, cur illius publicas peccata, & aliis narras? Cur non in eam potius curam incumbis, ne pateat ignominiæ? Sed ita est, vt S. Iacobus dicit: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: nec vspiam melius & clarius apparet, quid vera aut falsa iustitia sit, quàm si de alienis peccatis fiat sermo. Vera enim iustitia (inquit Gregorius) compassionem habet, falsa indignationē. Qui ergo verus Christianus est, & spiritum Christi habet, non parum apud eum valet quod Christus dicit: Nolite iudicare. Imò duas ob causas bonus Christianus temerarium iudiciū reformidat; etenim primò scit, se non iudicem, sed conseruum esse sui proximi: & ꝙ ille suus proximus (vti Paulus ait) Domino suo stet vel cadat: adeóq; ex charitate quam erga proximum suum habet, atque etiam ex cupiditate Deo placendi, omnem adhibet operā, vt cōseruus suus aut non cadat, aut si cecidit, vt surgat. Hæc argumenta sunt veræ charitatis. Ceterùm qui proximum suum temere iudicat, iam charitatem in se non esse prodit. Quippè præceptum charitatis, quinetiam natura & ratio docet, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quia ergo Christus modis omnibus ad charitatē nos ducere cupit, præcipit primò, ne alios temerè iudicemus. Atq; ita docet Paulus: Nolite ante tēpus iudicare quo ad vsq; veniat Dominus &c. Et iterū: Tu quis es qui iudicas alienū seruū? Domino suo stat aut cadit. Quisq; igitur sua admissa secū reputet, & ꝙ Deus nostrū omniū est iudex & erit: ita nō facilè iudicauerit alium.

Iacob.3. *Gregorius.* *Rom.14.* *Matth.5.* *1.Cor.4.* *Rom.14.*

imò nec ipse iudicabitur, id quod Christus propterea addit, quò nos magis à temeraria iudicandi audacia abstrahat.

Duobus autē modis hoc verbū intelligere possumus, vt quod dicit, Nolite iudicare, & non iudicabimini, primò accipiamus quasi dictum sit, Non iudicabimini ab hominibus. Plerunq; enim fit, vt qui aliis hominibus vitia eorū amice & in bonam partē interpretatur, eius vicissim quoq; vitia mitius accipiantur: contrà, qui omniū iudicē agit, & in omnia exactissimè ac seuerissimè inquirit, is inuenit homines, qui par pari referant, & ei mensura metiantur eadem, qua aliis ipse metitur. Summa, bene loquere de aliis, & vicissim de te non nisi honorificè dicetur. Secundò, hoc verbū etiā intelligere possumus de iudicio Dei, perindè acsi dicat: Si nolis à Deo iudicari, nec tu iudicato alios. Quòd si autē vsqueadeò aliorum hominū verba & opera seuerè censere lubet, scito & te Deum habiturum seuerum iudicē. Sed vbi manebis, si Deus omnia & verba & opera tua ad amusim exigere velit?

Psal.142. Enimuerò orare Dauid coactus fuit, ne Deus secum in iudicium intraret. *Psal.129.* Dicit alio in loco: Si obseruaueris iniquitates Domine, Domine quis sustinebit? *1.Cor.11.* Rectè igitur Paulus: Si nosmetipsos diiudicaremus, non iudicaremur à Deo. Sequitur: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Hoc *Condemnare duobus modis.* cōdemnare, duabus quoq; viis intelligere possumus. Primò, vbi quis pro condemnato habetur. Id autē facere vetamur. quandiu enim homo hîc viuit, quamlibet malus, resipiscere potest & emēdare sese. Nemo enim scit quis denique bonus *Act.9.* aut malus māsurus sit. Paulus ad tempus malus erat, sed deinde bonus fiebat. E diuerso erāt Saul & Iudas ad tēpus bo- *Matth.27.* ni, sed finis eorū miserabilis erat. Ita quoq; nemo credidis- *Luc. 23.* set fore, vt latro in cruce in extremis suis gemitibus, ex malo homine filius Dei fieret. Neminē itaque condēnare debe- *1.Cor.10.* mus in hac vita, quādoquidē nec ipsi scimus, quomodo simus conclusuri. Qui se existimat stare (inquit Paulus) videat ne cadat. Secundò possumus hoc condemnare, etiā ita intelligere, vbi quis non solùm proximū suum temere iudicat, sed præterea etiā fert sentētiā ac dicit absolutē: Hic homo impius est, hoc facit ex superbia, hoc ex auaritia, hoc autē ex inuidia: hypocrisis est quicquid loquitur & facit, &c. Hoc, inquā, est hominē condēnare, quod tū pessimū est, si in iis fiat *Act.1.* rebus, quæ vel bono vel malo animo fieri possunt: aut in iis rebus, quæ nos latent. Nā talia iudicare solius Dei est, quoniam

niã ei soli corda hominũ patẽt. Itaq; ne condẽna, ne & tu à Deo, cui oĩa tua occulta perspecta sunt condẽnẽre. Sententia enim lata est, Quo iudicio alios iudicaueritis, eodem & vos iudicabimini. Deus Opt. Max. faxit, vt ita inter nos agamus, ne in iudicium eius & animaduersionem cadamus, Amen.

QVINTVS SERMO de verbo, Dimittite.



PRO initio huius sermonis summoperè optãdũm foret, hodiernum istud Euangelium, omnium eorum qui nomen Christi profitentur, & Christianos se dici volunt, cordi inscriptum esse, aut ad minus ob oculos eorũ positũ esse. Fieri enim non posset, quin omnes ignauos & falsos Euangelicos nostros suæ impiæ vitæ puderet: alij verò tantò magis ad Christianã pietatẽ prouocarentur accenderentúrq;. Nam multi inueniuntur nunc, qui sibiipsis persuadent, aut quibus ab aliis persuadetur, non referre qualiter viuamus, siue benè, siue malè, si modo in Christum credamus. Hinc fit ꝙ in Euangelio eas solùm aduertunt sententias, in quibus Dei nobis gratia commendatur, reliquas verò quæ nos ad bona opera & Christianam bonámque vitam ducunt, prætereunt, perinde acsi nullius momenti sint. Sic mirè sibi plaudunt in eo quod Christus dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Verùm quod Christus hìc dicit, Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est, non audiunt neque vident. Vnde factum, vt apud plerosque charitas vehemẽter debilitata, imò penitus mortua & sepulta sit: quinetiam omnis misericordia & condolentia: è diuerso autẽ regnet & passim inualuerit proprius amor, durities & omnis immisericordia. Itémq; quod Christus dicit: Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum, libenter audiunt: cæterùm quod hic dicit, Nolite iudicare, & non iudicabimini, nemo curat: imò nemo amplius de futuro iudicio sustinet audire. Contrà, temerarium iudicium nunquã maius fuit & vsitatius. Non enim solũ iudicamus externas res, sed etiã arcanas occultásque cogitationes cordiũ: & in hoc nemini parcitur, siue sit magnus siue paruus, siue mortuus siue viuus. Flagellũ linguæ omnes tangit, nemini parcit. Sic

In pseudoeuãgelicos nostrorum tẽporum.

Ioan. 3.

Ibidem.

Iob. 5.

Matth.11. quod Christus dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,& ego reficiã vos, omnibus auditu iucũdũ est; sed quod nos ipsos quoq; dare iubet,& aliis succurrere, nemo videt:imò omnes facimus perinde acsi nũquam audissemus,prædamur,furamur,fœneramur, decipimus quęcũque possumus. Est ne hoc scripturã legere &, Euangeliũ audire? Et quid fit denique?vt cæcus cæcũ ducat,& ambo in foueam cadant:prædicator & auditor,magister & discipulus eiusdẽ sunt farinæ,hoc est,ad vnũ omnes iniusti & impij. Hæc iam nostra Christiana vita est.Quid igitur miri, ꝙ nos Deus aliis atque aliis malis affligit?Vt illũ colimus,ita visitat nos. Cum sancto sanctus est,cũ peruerso,peruersus. Hoc consideremus, & tantò diligentius obseruemus, quid Christus in hoc Euãgelio à nobis requirat. Duo audiuimus, reliqua porrò audienda sunt. Estote misericordes,inquit, sicut & Pater vester misericors est: nolite iudicare & non iudicabimini: nolite condemnare,& non condemnabimini. De his in prę cedentibus sermonibus dictum. Sequitur: Dimittite & dimittemini. In his verbis alterum habemus in quo proximo nostro misericordiã exhibere debemus,nimirùm vt libẽter dimittamus,cõdonemúsq; iis qui nobis ægrè fecerunt. Non est parua misericordia, vbi hoc fit, sed tamẽ homini carnali difficilis. Id quod in diuo Petro adhuc infirmo apparet. Is quadã vice rogabat Christũ, quoties proximo suo ignoscere deberet:rogans præterea,num sufficeret si septies dimitteret,existimans plus satis id esse. Ita enim omnes cõstituti sumus,vt magni faciamus quod aliis hominibus damus,remittimus,aut etiam in iis ferimus. Quod autem alij & prę cipuè Deus nobis dant,remittunt,& in nobis ferunt, id nihili facimus,aut certè parui admodum: cùm tamen, si æqua lance ponderaremus,longè superaturum esset. Imò si illud quod aliis damus remittimus,& in illis ferimus,cõferre velimus cũ eo quod nobis dat Deus, remittit, & in nobis fert, nõ ausi fuerimus oculos nostros attollere ad cœlũ, sed cum Publicano pectus nostrũ tundere ac dicere: Deus propitius esto mihi peccatori. Et cũ Manasse: Peccaui super numerum arenæ maris. Et cum Dauide: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ,& sicut onus graue grauatæ sunt super me.

O Euangelici cæci duces. *Luc.6.* *Psal.16.* *Luce.6.* *Matth.18.* *Luc.15.* *In fine Paral.* *Psal.37.*

Cæterũ nobis nihil aliud deest,quã ꝙ nos ipsos nõ agnoscimus,& multitudinẽ peccatorũ nostrorũ. Idcircò Christus dicit ad Petrũ: Nõ dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies

Matth.18.

septies

septies dimittes fratri tuo. Eximere hoc pacto vult omnẽ cupiditatem vindictæ ex animis nostris. Talis enim vlciscendi affectus altius inhæret nobis. Benefacere sibi benefaciẽtibus, diligere amãtes, bene loqui de illis qui de ipsis bene loquantur, norũt & Ethnici: sed benefacere & dimittere malè nobis facientibus, hic labor est, ad id difficulter adducitur vetus Adam, quia calumnia cõturbat sapientem, & perdet robur cordis illius (inquit Sapiens) cùm tamẽ sapiens alioqui multa posit perferre ac perpeti. Verùm quod Adam non potest, hoc potest Christus: hoc est, quod naturæ graue & impossibile est, id gratia Dei facile reddit. Sic & Dauid suo calumniatori non solùm parcere nouerat, sed penitus etiam dimittere. Similiter & diuus Stephanus diuina fretus gratia, pro suis inimicis & lapidatoribus orare poterat. Quapropter semper cũ beato Augustino orare debemus: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Sed inquis: Quomodo dimittere illi possum, qui honori meo & bono nomini notam inussit? Respõsum: Itáne insanire lubet, vt ab alio læsus, maiorem etiam tibi perniciẽ consciscere velis? An non pro insano illum habeas, cui decẽ sunt aurei, & vno amisso, alios ipse abiiciat? Idem de illo censendum, qui ipse suam vicem vlcisci vult, & contumeliam cõtumelia retaliare. Nã quid tibi inimicus tuus diripuit? Honorẽ meũ, inquis. Esto: damnum est. Est enim nomen bonum melius quàm multæ diuitiæ. Attamen meliora adhuc & maiora habes: hic vide ne illa vltrò à te abiicias. Habes enim fidẽ, quæ certum te facit, tibi restitutũ iri quicquid amiseris. Adhæc charitatẽ habes & patientiam. Hæc quoad tibi permanserint, paruum & exiguũ est, quod tibi inimici auferunt. Sin autem vindictæ cupidus es, iã omnia ista vltrò à te abiicis: plus tibi damni hoc pacto infers, quàm tibi inimicus tuus intulit, aut adhuc inferre potest. Quò autem tibi non adeò graue videatur cõdonare proximo tuo, proponit tibi Christus in Matthæo Dei misericordiam, ad quam veluti guttula aquæ est ad totum mare, etiamsi proximo tuo plusquàm septuagies septies dimiseris. Quod enim remittis proximo tuo, vix sunt centũ denarij: cæterùm quod tibi Deus dimisit & adhuc dimittit, sunt decies mille põdo. Sũma, homo Christianus non ita excandescere debet, quò minus omni tempore paratus sit, nõ modò septies, sed etiã septuagies septies fratri suo dimittere. Ideò nãq; Deus nobis

Eccl. 7.
2. Reg. 16.
Act. 8.
August.
Prou. 22.
Nemo læditur nisi à seipso.
Matth. 18.

gratuitò condonat omnia peccata nostra, vt nos similiter
Eccli.28. aliis cōdonemus. Vnde & Sapiēs quidā dicit: Relinque proximo tuo nocenti te, & tūc deprecāti tibi peccata soluētur. Et Christus ipse: Cū stabitis ad orandū, dimittite si quid habetis aduersus aliquē, vt & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Si enim nō dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis. Hoc ipsum nos quoque oramus,
Matth.6. cū dicimus: Pater, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Atq; hoc est quod Sapiens multis indicat: Qui vindicare vult, inquit, à Domino inue-
Eccli.28. niet vindictā, & peccata illius seruās seruabit. Relinque proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominē similem sibi non habet misericordiā, & de peccatis suis deprecatur? Ipse dū caro sit, reseruat irā, & propiciationē petit à Deo? Rectè igitur & meritò Christus, dimittite,
Misericordia Dei. inquit, & dimittemini. Hîc mihi vide infinitam Dei bonitatē, quòd ipsemet promittat se dimissurum nobis peccata nostra, si nos cōfratribus nostris dimittamus: cùm tamen sine omni comparatione maius sit, quod cōtra Deū admisimus, & adhuc quotidiè facimus, quā quod alij aduersum nos
Hominum amentia. faciunt, aut facere possunt. Deinde videmus hic, in quātū periculum se homines cōiiciant: qui suis cōfratribus nō dimittunt. Per hoc enim certè seipsos condēnant, quandoquidem nihil certius expectandū est, quā æterna cōdēnatio, vbi Deus nō dimittit peccata. Stipendia em̄ peccati, mors:
Rom.6. &, Maledicti omnes, qui nō permanent in sermonibus legis
Deut.27. Dei. Vnde & Christus ipse dicit: Sic & pater meus cœlestis
Matt.18. faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris. Hæc verba quid sibi velint, postea, Deo volente, dicetur, vbi Euāgeliū de immisericordi seruo legetur in ecclesia. Sequitur: Date & dabitur vobis. Tertium est, in quo misericordiam declarare debemus, nimirū vt secūdum exemplū Patris nostri cœlestis, etiam nos pauperibus gratificemur & benignè faciamus, siue eleemosynas præstando propter Deum, siue mutuum dādo absq; spe fœnoris vel lucri. Hæc enim duo à nobis requirit Christus, vt demus &
Matth.5. mutuemus. Petenti à te, inquit, da. Et iterū: Date eleemosy-
Luc.11. nam: & ecce omnia munda sunt vobis. Et rursus: Facite vo-
Luc.16. bis amicos de mām̄ona iniquitatis: vt cùm defeceritis, reci-
1.Ioan.3. piant vos in æterna tabernacula. Et hoc est, quod Ioannes docet,

docet, vt diligamus non verbo neq; lingua, sed opere & veritate. nam qui habuerit substantiā mundi, & viderit fratrē suū necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Hoc de eo dictū est, vbi de manu datur inopi. In Luca vult Christus, vt etiam proximo nostro mutuò demus, nec tamē lucrū inde aliquod speremus. Nā si mutuū dederitis his à quibus speratis accipere, inquit, quæ gratia est vobis? nā & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Hæc omnia cōprehensa sunt in vocula, Date. Quomodo autem nos Christiani in duobus istis geramus, in dando & commodando, nimium (proh dolor) notū est. Tolerabile adhuc in quibusdā esset, eos ad dādum contractos esse, nisi vsuris suis, & multiplicibus grauaminibus pauperes penitus perderent. Sed hi quid à Deo sperare possunt? Quādiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, inquit, mihi fecistis. Attamē verò ne quis dare & mutuare grauetur, non simpliciter dicit Christus, Date: sed statim subiicit, Et dabitur vobis. Siquidē nunquā sine fructu abit quod ex charitate pauperibus datur. Conclude (inquit Sapiens) eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo: (intellige) etiamsi eleemosynā tuā accipiens ingratus fuerit, non ideò frustranea erit. Qui em̄ miseretur pauperis, fœneratur Domino. Et iterū: Qui pronus est ad misericordiā, benedicetur. Huc pertinet, quod Tobias 4. cap. ad filiū suū dicit: Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciē tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multū tibi fuerit, abūdanter tribue: si exiguū tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Primū enim bonū tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & nō patietur animā ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus faciētibus eā. Quæ sanè omnia Christus IESVS iis confirmat verbis, quibus ait apud Matthæū, 5. capite: Beati misericordes: quoniā ipsi misericordiā consequentur. Tum iis quoq;, quibus in hodierno vtitur Euangelio: Mensurā bonā, & cōfertam, & coagitatam, & supereffluentē dabunt in sinū vestrum. Eadē quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Quibus tam multis verbis nihil sibi Christus vult aliud, quā vt intelligamus, quicquid proximis fecerimus boni, licet id mi-

Luc. 6.

Matth. 25.

Eccli. 29.

Prouerb. 19.

Prou. 22.

nimum sit, tamen à Deo abundè remuneratũ iri: quẽadmodum perspicuè declarat alio loco, dicens eũ qui vni ex minimis eius calicẽ aquæ frigidæ dederit, nõ perditurũ mercedẽ suã. Et alio in loco, eũ qui propter nomen illius reliquerit aliquid, centuplum accepturum. Huc seruit, quod Salomon Prouerb. 11. dicit: Bene facit animæ suæ vir misericors: qui autẽ crudelis est, etiã propinquos abiicit. Et postea eodem cap. Alij diuidũt propria & ditiores fiunt: alij rapiũt nõ sua, & semper in egestate sunt. Anima quę benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur. Qui abscõdit frumẽta, maledicetur in populis: benedictio autẽ sup caput vendentiũ. In eandẽ quoq; sententiã loquitur noster Apostolus: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et postea: Qui autẽ administrat semen seminanti, & panẽ ad manducandũ præstabit, & multiplicabit semen vestrũ, & augebit incrementa iustitiæ vestræ: vt in omnibus locupletati, abũdetis in omnẽ simplicitatẽ. Quod ita accipiẽdũ est: Deus iis qui munifici sunt, bona illorum conseruabit augebitq;. Vti clarissimè videmus in vidua Sareptana, quæ non nisi vnam manũ habebat plenam farina: quia verò Prophetæ Eliæ eam tam cupidè cõmunicabat, augebat Deus farinam ita, vt ipsa & filius eius, tres annos & sex menses ea viuerent. Summa, qui dat pauperi, nõ indigebit. Hoc vult Christ⁹, vbi ait Lucæ capite sexto: Mensuram bonã, & confertã, & coagitatam & supereffluentẽ dabunt in sinũ vestrũ. Id quãdoq; etiam in hac vita vsu venire solet. Reuera autẽ in futura vita implebitur. Dominus Deus faxit, vt id consideremus, & illi conuenienter viuamus, Amen.

Matth. 10. *Matth. 19.* *2. Cor. 9.* *3. Reg. 17.* *Prov. 28.*

SEXTVS SERMO.



HODIERNVM istud Euangeliũ vniuersum nihil aliud habet, quã doctrinã, præcepta & exhortationẽ ad bona opera: attamẽ nõ sine magnis promissis adiũctis. Fieri itaq; potest, vt plerisque hominibus id nõ perinde arrideat, atque alia Euangelia, gratiã tantùm nobis denunciantia. Nã vt in externis rebus semper proniores sumus ad accipiendũ quã ad dandũ, etsi Paulus dicat, beatius esse dare quã accipere: attamen vbi datur, nõ opus habemus impulsore, vltrò accurrimus: cæterũ si quid à nobis dandum, vel de-

Act. 20.

cies deliberamus:cōtracti sumus,etiamsi multi sint,qui instigent & impellāt. Itidē quoq; in spiritualibus facimus rebus,animæ nostræ salutē concernentibus. Vbi de Dei gratia & misericordia prædicatur,oēs accurrimˀ:verū si quid Deus in verbo suo vel Paulum à nobis requirit,id verò est mors in olla:non sapit nobis,effugiū quærimus qua possumus ratione:sequimur quandoq; cæcū ductorem,qui nobis loquitur placentia,& blanditur nobis iis rebus,quibus gaudemus,donec postremò in foueam interitus simul cū illo incidamus. Atqui verò dicit Christus in hoc adeò Euangelio, non oportere nec debere discipulū esse supra magistrū,nec in rebus spiritualibus sentire nos aliter oportet,quā Christus docuit. Is quidem in sua doctrina ante omnia Dei gratiam denunciauit:in hoc enim missus erat, vt pauperibus Euangeliū & lætum nunciū annunciaret de Dei gratia:nihilominus verò tamē etiā verba istius Euangelij locutus est. Itaq; nullus nobis excusatiōis aut effugij relictus est locus. Deus,qui nostri misertus est,& adhuc miseretur,quique gratificatur,& ignoscit nobis,vult vt nos similiter faciamus. Et quid grauaminis prætexere possumus? Si magna accepimus à Deo,imò adhuc quotidiè accipimus,cur nō paruū contrà libenter demus? Porrò ostendit nobis hodiéque Deˀ misericordiam suam septem modis. Primò, dum diu satis nostram conuersionē & resipiscentiam expectat. Secundò, quòd nobis etiam peccatis adhuc obnoxiis benefacit. Nō enim longè est ab vnoquoque nostrum:imò in ipso viuimus & mouemur & sumus. Nec sine testimonio semetipsum relinquit;benefaciens de cœlo,dans pluuias,& tēpora fructifera,implens cibo & lætitia corda nostra. Tertiò, quòd non cessat nos per sanctū suū verbum vocare. Quartò, quòd nobis dimittit peccata nostra,si cōuertamur. Quintò,quòd nos Spiritu suo confortat & promouet ad bonum. Sextò,quòd nos sancto suo verbo consolatur in tentatione. Et postremò,quòd præter hæc omnia etiā nobis mercedem restituere velit in cœlis. Meritò ergo à Paulo vocatur pater misericordiarū, & Deus totius cōsolatiōis. An nō autē hæc oīa magna sunt? Neq; tamē hæc nobis dat ex aliquo præcedente merito nostro,sed ex mera misericordia seu gratia: quippè cū horū nihil nobis deberet. Quis enim prior dedit illi,& retribuetur ei? Dei donum est,& non ex nobis,vt ne quis glorietur. Et quid contrà à nobis exigit? Dimittite

4.Reg.4. — *Esa.30.* — *Luc.6.* — *Esa.61.* — I — *Misericordiam suam se septem modis erga nos testatur Deus.* — II — *Act.17.* — *Act.14.* — III. — IIII. — V. — VI. — VII. — *2.Cor.1.* — *Rom.11.* — *Ephe.2.*

& date,inquit. An'non autem hæc exigua sunt ad ea,quæ à Deo accepimus?Attamen ne quis grauari posſit,prius Deũ proponit loco exempli,mox ſua promiſſa ſubdit:imò promiſſa æternæ remunerationis.Menſurã bonã,& cõfertam, & cogitatã & ſupereffluentẽ,inquit,dabũt in ſinum veſtrũ. Et hiſce quatuor verbis promittit nobis quadruplicẽ remu nerationẽ,nimirũ fœlicitatem animarũ,glorificationẽ corporis,ſocietatẽ S.Angelorũ,& æternũ conſpectum diuinæ eſſentiæ. Hæc eſt menſura bona,& conferta,& coagitata & ſupereffluẽs:ea dabitur nobis in ſinũ noſtrũ,vt ſimus eã tam certò habituri,quã certò habemus illud quod in ſinu noſtro eſt. Hæccine autẽ magna promiſſa? Ex hodierna Epiſtola poſſumus hanc bonã & cõfertã,& coagitatã & ſupereffluentem menſurã etiã aliũ in modũ intelligere. Quippè Paulus illic quatuor inſignes nominat remunerationes,quas in futura vita expectamus,vtpote reuelationẽ filiorum Dei,glorioſam libertatem,redẽptionẽ noſtri corporis,& æternam gloriã,de qua Iſaias dicit: Non oculus vidit,nõ auris audiuit,nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus iis qui diligũt illũ. Quòd ſi itaq; Dei tibi præcepta nimis grauia videntur,cogita,non ſolũ omnẽ laborẽ,verumetiã oẽs paſsiones huius tẽporis,non eſſe condignas ad futurã gloriam quæ reuelabitur in nobis. Vt enim Deus neminẽ pœna afficit vltra condignum:ita maiorem, quã mereri poſſumus,nobis reponit mercedem. Audi ergo quæ porrò dicat: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere?nónne ambo in foueam cadunt?Hac ſimilitudine aliis etiam in locis vſus eſt Chriſtus, vti cùm ad ſuos diſcipulos dicit de Iudaicis Phariſæis: Sinite illos: cæci ſunt, duces cæcorum. cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. Id in genere ſic intelligitur, vt quiſquis ſpiritualiter cæcus eſt, hoc eſt, inſciens & imperitus, alios non poteſt ducere ad ipſorum ſalutem, ſed ipſe vnà cum illis cadunt in hoc ſæculo in profundum omnium errorum & peccatorum, de quo Salomon dicit: Impius cùm in profundum venerit peccatotum, contemnit. Deindè in altero ſæculo cadunt quoque in foueam æternæ condemnationis, de qua loquitur Dauid: Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum. Proindè docet nos verbum iſtud, ſapientiam & cognitionem rerum diuinarum, periciam & ſcientiam ſacræ ſcripturæ, illuminationem

Luc.6. *Quadruplex merces.* *Rom.8.* *Item aliæ quatuor remunerationes.* *Eſa.64.* *Rom.8.* *Matt.15.* *Prou.18.* *Pſal.87.*

nationem animi & ſplendorem virtutis omnibus hominibus, regendi muniis fungentibus neceſſaria eſſe. Deindè docet nos verbum iſtud ſeu parabolā, non eſſe rem æquè periculoſam, quàm ſi vigil aut cuſtos cęcus eſt, doctor ignarus, prædicator mutus, dux debilis aut claudus, paſtor & antiſtes indiligēs, rector malus & iniuſtus. Imò quemadmodum cæco multò præſtat, non habere ducem, quàm ſi cæcus ſit is, à quo duci debet. nam nullum habens ductorem, baculo hinc indè tentare poteſt, & veſtigare vbi lapis & fouea aut periculum ſit. cæterùm ſi & is cæcus eſt qui ducit, vnà cadunt: Ita longè ſatius eſt, nullum habere doctorem, quàm indoctum aut infidelem & falſum habere doctorem. Etenim qui nullum penitus doctorem habet, ignarus ſimpliciter manet: verùm ſi imperitum aut infidelem doctorē habet, in errorem abducitur. Atqui melius eſt, nihil ſcire, quàm quod malū eſt, diſcere ac facere. Sæpè etiam accidit, vt ſimplex ex ſeipſo quod rectum eſt faciat: verùm ſi malum paſtorem & ducem habeat, ad malum quoque ei aperitur feneſtra. Nam vbi paſtor in præruptis montibus incidit, hoc eſt, in locis periculoſis, neceſſariò ſequitur, vt oues cadant & pręcipites agantur. Huc ſpectat, quod Chriſt' dicit ad ſuos Apoſtolos: Vos eſtis lux mundi, & ſal terræ, Quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & cōculcetur ab hominibus. Nihil ſale vtilius: contrà, nihil inutilius ſale infatuato: imò nullus eius vſus eſt, neque quidem vt in fimum abiiciatur, cùm tamen aliæ res, licet decreſcentes & pereuntes, alicui vſui ſint, vt vinum, etſi vim ſuam amiſerit, in acetum tamen verti poteſt. Secus res habet cum ſale. Sic nihil vtilius in Chriſtianitate bono Paſtore, qui & benè docet & viuit: E diuerſo nihil pernicioſius malo Paſtore, qui malè docet & viuit. Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erūt, inquit Chriſtus? Si dux cæcus eſt, quomodo qui ſequūtur, viam inuenient? Hoc ſibi vult Chriſtus verbo illo, vbi inquit: Nunquid poteſt cæcus cęcum ducere? &c. Præcipuè verò Chriſtus hoc verbo eos tetigit, qui alios homines temerè iudicant, omnes probos facere conantes, interim ipſi vſque improbi manentes: cæcorū duces eſſe volentes, nec ipſi viam cernentes: alios homines docentes, ſed non ſeipſos: peccatores damnantes, deteriores ipſi aliis. Contra hos homines hæc agit parabola de cæco, & cæci ductore. Nam qui aliū condemnat, & tamen ipſe ſimili peccato obnoxius

Matt. 5.

Matth. 6.

Doctor cæcus & impius.

Roma. 2.

obnoxius est, ambo cæci sunt, ambo peccatores, neuter oculum habet diuinæ gratiæ, simul ad infernũ & æternum exitium deferuntur. Quapropter si alium ducere voles, vide vt ipse prius veram viam ambules: si vis alium iudicare & condemnare, vide prius, ne in simili aut maiori peccato ipse iaceas: altoqui cæco cæcus dux est, vnà in foueam perditionis incidunt. Sequitur: Nõ est discipulus super magistrũ: Hoc dicto & similitudine sæpius quoque vsus est Christus: sed tamen non in eandem semper sententiam. Vtpotè primò, hoc vsus est verbo in Matthæo, ad confirmationem sanctorum Apostolorum, ne grauarentur pati id quod passus ipse erat. Si patrẽfamiliâs (inquit) Beelzebub vocauerũt, quantò magis domesticos eius? Satis itaque seruo est, si sit vt est dominus: & discipulo, si sit vt est magister eius: nec quidem illum excellere, aut meliori esse cõditione, quàm ille est, desiderare debet. Si ego, qui vester magister sum, non inueni certiorem viam ad æternam gloriam, quàm crucem & passionem: nec vos, qui mei discipuli estis, aliam viam quærere deberis. Si ego in terris neque diuitias, neq; voluptates, neque mundanos honores mihi elegi, sed crucẽ: & vos in hoc me sequi par est. Haud enim cõuenit, vt membra voluptatẽ sectentur & exerceant sub capite spinis coronato. Hanc in sentẽtiam quoque vtitur Christus hoc verbo in Ioanne: Mementote (inquit) verbi quod dixi vobis, Non est discipulus super magistrum. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, &c. Nam quos Deus præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Ideo dicit Christus: Si quis vult post me venire, tollat crucem suam & sequatur me, &c. Et Petrus: Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Secundò, Christus hac similitudine de magistro & eius discipulo ad id vsus est, ad permouendos discipulos suos vt exemplum humilitatis suæ & charitatis sequerentur. Vos vocatis me (inquit) Magister & domine: & benè dicitis. sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, dominus & magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci vbis, ita & vos faciatis. Mox subiicit: Amen amen dico vobis, nõ est seruus maior domino suo, neq; Apostolus maior est eo qui misit illũ. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Id eo loco adiecit, & non immeritò. Multi enim homines, imò nos omnes id scimus, sed non semper iuxta id facimus.

Marginalia: *Matth. 10.* — *Crux, via ad cœlum.* — *Bernardus.* — *Ioan. 15.* — *Roma. 8.* — *Matth. 16.* — *1. Pet. 2.* — *Ioan. 3.* — *Si nosti bonũ, beatus eris si feceris.*

Omnes

Omnes scimus, ꝙ Christus, cũ in forma Dei esset, formam serui accipiẽs, humiliauit semetipsum vsque ad crucem, &c. Nos autem fugimus & odimus humilitatẽ, semper magnos aucupantes honores. Sic etiam scimus, ꝙ Christus nobis seruis suis ministrauerit, & animam suam redemptionẽ dederit pro nobis; nos autẽ nemini ministrare volumus, sed ministrari, &c. Hunc immodũ Christus eo in loco vsus est verbo isto, Cęterùm hic sentẽtia hęc est: Quoniam homo certò & verè cæcus est, qui aliorum tantùm hominum, & non sua propria vitia cernit: nõ potest etiã suos discipulos alios facere, quàm qualis ipse est, nimirùm miserè cæcos homines. Quia enim errat, necessariò & illi errant: quandoquidem ipso perfectiores non sunt. Porrò quod sequitur, Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius, propriè de Christo intelligẽdum est. Nam qui eum sequitur, hòc perfectior euadit, quo propius ad conformitatẽ Christi accedit. Huius enim magistri imitatio, Christianorum omnium perfectio est. Et quò longiùs recedimus ab exẽplo Christi, hoc etiam longiùs absumus à perfectione. Facile hìc intelligere est, quàm indignè faciamus, qui nos nunc veteribus anteponimus Christanis, qui tamen exemplum Christi multò nobis diligentius omnibus in rebus secuti sunt, &c. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

Philip.2. *Mat.20.* *Christi exẽpla imitanda.*

SEPTIMVS SERMO DE vltimis Euangelij verbis.



IN hodierno isto Euangelio pulchrè nobis simul ob oculos positũ est, & quales Deus filios, & Christus discipulos habere velit: ita vt diuidi in duas partes rectè posit, sic vt primum de omnibus Christianis in genere, alterũ verò specialiter de Apostolis & prædicatoribus dictũ sit. quanquam, vt rem ipsam dicam, ad omnes Christianos æquè pertineat quod in hoc Euãgelio dictũ est. Nam qui filius Dei est, Christi discipulus est, posteaquàm audimus ac legimus, ꝙ Deus omnes suos filios ad Christũ remittit: Ipsum audite, inquit. Sic etiam qui discipulus Christi est, Dei nimirum filius est. Propter hoc nanq; Christus venit, vt ex Adæ filiis Dei filios faceret, & ipse primogenitus esset in multis fratribus. De hoc quoq; dicit Ioãnes: Quotquot receperũt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

Math.18. *Rom.8.* *Ioan.1.*

Quia

Quia ergo res eadẽ est, filium Dei & discipulũ esse Christi, ad hos etiam vtrosq; attinere oportet quod Deus in suis filiis, & Christus in suis discipulis requirit ac vult. Sed hoc loco inter eos discrimen quoddam efficimus: & principiũ quidem huius Euangelij ad oẽs filios Dei in genere, finẽ autem ad eos, qui peculiari quadã ratione discipuli Christi vocantur, vt sunt sancti Apostoli, & qui post hoc officium eorũ gerunt ac administrãt, puta, Concionatores & Pastores, referemus. Rogas igitur quid Deus potissimũ à suis filiis requirat? Hoc videlicet, vt studeãt illi conformes fieri, & maximè in charitate & misericordia. Estote misericordes, inquit Lucæ 6. sicut & Pater vester misericors est. Et in Mat. ca. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, &c. Et diuus Paulus: Estote, ait, imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos. Et Ioannes: Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. Hoc illud est, in quo quiuis Dei filius studere debet cõformis fieri cœlesti suo Patri. Hoc docet Christus in isto Euangelio, multis ostendẽs, in quo eiusmodi charitas cõsistat, & misericordia. Cor, lingua, & manus adhiberi debẽt: corde dimittere nos oportet, diligere & bene velle: manu dare oportet, lingua autẽ neminem iudicare aut condẽnare. Sic Deus misericors est: remittit, vbi irasci meritò poterat: parcit, vbi meritò punire & condemnare poterat: dat, vbi nihil debebat, imò dat longè plus quàm quis promereri potest. Hoc exemplũ nobis Christus hodie ob oculos ponit, vnũquemq; remittens ad conscientiam suam rimandam, quomodo cor suum, lingua, & manus cum exemplo isto conueniant. Hic quisque sui experimentum facere debet, num germanus Dei filius sit nécne. Verbis siquidẽ nihil proficis coram iudicio Dei. Si charitatẽ habes & cõmiserationem ac cõdolentiam in corde, si linguã tuam custodis, ne temerè iudicet & condemnet, & obtrectet: si manus & sinus tuus apertus est erga pauperes, agnoscit te Deus pro filio suo, & in morem Patris erga te geret se, nec iudicabit te cõdemnabitque, sed remittet, ac dabit. Sin cor tuũ ira plenum, inuidia & immisericordia: si os tuũ maledictione & amaritudine plenum est: si claudis manus tuas & cor erga pauperẽ, nequaquam ille te agnoscet pro filio, quantũcunq; dicere possis: Dñe dñe, Pater pater

A filiis suis quid Deus exigat.

Ephe. 5.

1. Ioan. 4.

Charitas præstanda corde.

Nõ verbis, sed factis efficimur filij Dei.

Psal. 13.

Mat. 7.

ter. Enimuerò hîc ad te dicet: Si dn̄s ego sum, vbi est timor meus, & obediētia quā mihi debes? Si tuus ego pater, vbi est honor & amor mei? En, hæc nobis omnibus dicta sunt, & ab eo dicta, quem Deus ipse doctorē nobis dedit, iubétq; ac præcipit, vt eū audiamus: imò minatur, qui prophetā hunc & doctorē non audiat, seipsum vltorē fore. Incuriosi itaque homines simus necesse est, qui res istas tam nihili pēdimus. Quid minus in nobis deprehenditur ac videtur, quàm hoc ipsum adeò, quod Christus tanta cū authoritate dixit, ac facere præcepit, adhibitis etiā tam præclaris promissis? Deum nobis ipsum pro exēplo dedit. Quid in terris vsitatū magis, quàm temerariū iudicium? Quid obtrectatiōibus crebrius? Quid aliud facimus, quàm ꝙ alius aliū condēnat? Qua in re duriores sumus minúsq; flexibiles, quàm vbi remittēdū est? Quid ægrius facimus, quàm sicubi quid dandū? Nemo hîc cogitat, Deū morem tam degenerē in filiis suis nolle, Christum contrariū docuisse, ab vna parte tam magna promissa, ab alia minas tam atroces esse? Ecquid maius promitti nobis possit, quā quod Christus dicit, si misericordes simus, misericordiam nos consecuturos: si demus, datū nobis iri? &c. E diuerso, quæ minæ nos vehemētius cōmoueant, quàm cū Christus dicit: Eadē mensura qua mensi fuerimus, remetiendum nobis? Hoc est, si nō simus misericordes, nec nobis misericordiā contingere debere? &c. Hoc in genere nobis omnibus considerandū est circa istud Euangeliū. Et sanè, ni fallor, magni momenti est, qn̄ ipse Christus id ita exaggerat. Vtinam omnibus insculptū esset, atque ita, vt in nobis etiam videri ac deprehēdi posset: quàm facilè alia in Christianitate facies rerū futura esset? At facit hostis omnis boni, vt nihil curemus amplius in nostris Euangeliis, quàm quod de Dei gratia & fide dictū est. Reliqua vana oīa nobis sunt & inania, quæ ad Christianā vitam & cōuersationē inseruire possunt. Sic etiā de altero. Quemadmodum Deus vult, vt filij eius misericordes sint, ita quoq; Christus discipulos suos ad suū exemplū vult esse cōpositos. Discipulus nō est super magistrū (inquit) perfectus aūt omnis erit, si sit sicut Magister eius. Atqui Christus apertè dixit etiā ad suos inimicos: Quis ex vobis arguet me de peccato? Tales quoque esse vult suos discipulos & prædicatores: vt prius trabē ex suo ipsorū oculo dimoueāt, quàm conent̄ festucā ex oculo sui ꝓximi eiicere, iuxta exemplū Pauli, inquiētis: Castigo corpus meū, & in seruitu

Malac.1. *Matth.16.* *Deut.18.* *Matth.5.* *Luc.6.* *Solam gratiā & fidem iactitamus, cætera contemnimus.* *Ibid.* *Ioan.8.* *1.Corint.9.*

seruitutē redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Quis autem non videt, quantum etiam hac in parte nobis desit? Omnes clamamus & vociferamur cōtenta voce, sed nos ipsos non exaudimus: omnes bonos facere volumus, demptis nobis ipsis. Verùm nō sic docuit nos noster magister Christus: longè secus in illo videmus. Et quid tandem sequetur fratres? Vt neque in genere germani filij Dei, neque in prædicandi aut pastorali officio nostro veri simus discipuli Christi. Huius nos conuincit Euangelium istud. Agè, hæc vltima verba de festuca & trabe ex oculo eiicienda, explicanda adhuc sunt, quæ nunc paulò diligentius disquiremus. Quid autem vides (inquit Christus) festucam in oculo fratris tui, trabem autem quę in oculo tuo est, nō cōsideras? Aut, quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabē non videns? Innuit hac similitudine Christus, quid senserit verbo illo, vbi ait: Nolite iudicare & non iudicabimini. Nimirum de iis locutus est, qui quandoque tam pleni peccatis & iniustitia sunt, vt suam propriā conscientiam intueri reformident: oblectant itaque sese aliorum hominū vitiis & defectibus, hos inquirunt, de his loquuntur. Hoc autem potissimùm faciunt ii, qui omni iustitia vacui sunt: etenim qui propria sua peccata agnoscit, & Dei maiestatē considerat, suúmque proximum diligit, haudquaquam tale quippiam facit. Vult ergo Christus hac similitudine ostendere, quàm turpe ac probrosum sit, si quis alios corripere paratus sit, ipse grauioribus peccatis obnoxius. Atqui nemo acerbius & immitius in aliena inuehitur vitia, quàm qui peccatis maximè onustus est. Tales erant homines Iudaici Pharisæi, qui non verebantur Dei etiam præcepta abrogare, & transgredi ob suas ipsorum constitutiones: neque hîc laborabāt quicquā in sua conscientia, cæterùm Apostolos cōdemnare volebāt, quòd nōnunquā illotis & impuris manibus ad mēsam accedebāt: imò ipsum Christū non dubitabāt reprehēdere, ꝙ sabbato ægrotū sanabat, peccatores in gratiā recipiebat, &c. cū tamen omni iustitia vacui, cōtrà verò omni iniustitia pleni essent. Talisquoq; erat Semei, qui optimo Dauidi, quum fugam caperet, cōpulsus à filio suo, maledicebat, vocans eū virū sanguinū, & virū Belial: cū tamē ipse Semei & inuidia & sanguinariis cogitationib⁹ plenus esset. Tales homines nos nūc quoq; sumus. quod alij delinquūt, illicò

Luc. 9.

In eos, qui vitiis pleni alios temere iudicant.

Matth. 15.

Ioan. 5.

Matth. 23.

2. Reg. 16.

ilicò videmus, cæterùm ad nostros ipsorum defectus cæcutimus. Sic vnusquisque alium reformare vult & emendare, sed nemo seipsum. Veruntamen obserua hîc, ꝙ Christus his verbis nõ vetuit, ne peccata arguantur, sed solùm arguit & improbat peruersum animum hominũ, qui sua propria peccata & vitia non considerant, & solùm delectantur de aliorum hominũ peccatis loqui ac iudicare. Alioqui enim si bono solùm animo ad consulendum proximo, & à peccatis secuturáque condemnatione abstrahendum, vitia illius inquiruntur, eáque carpuntur, nõ solùm non malè fit, sed exhibetur etiã opus verę charitatis & diuini zeli. Sic etiã docet Christus ipse: Si peccauerit in te frater tuus (inquit) vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, ne tamen desine, vel coram aliis etiam redargue, attamẽ ea discretione, vti eo loco dictum, &c. Melius est enim à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Vnde & sanctus Dauid dicit: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris nõ impinget caput meum. *Castigatio fraterna.* *Matth. 18.* *Eccl. 7.* *Psal. 140.*

Sed audi iã quomodo peccatũ in proximo tuo corripere debeas. Hypocrita (inquit Christus) eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucã de oculo fratris tui. Hinc reformatio incipiẽda, nimirũ à nobis ipsis. Sic etiam docet Salomon: Iustus (inquit) prior est accusator sui. Si peccatũ & iniustitiã tantopere odisti, in teipso primò corripe. Miserere animæ tuæ (inquit Iesus Syrach) placens Deo. Si tã exquisitè rimari vis & explorare, quid faciãt alij mali, prius purga oculũ tuũ, & trabẽ eiice. Nã qui rectè videre posses & iudicare quid alius agat, si trabem in oculo habeas? Si peccatũ ex animo execraris, cur in teipso id adolescere sinis & inualescere? Si in te vera charitas est, quur in teipsum eã nõ declaras? An nescis vulgatũ illud dictum, Qui ipse sibi prodesse nequit, alteri quomodo prosit? Hinc ergo sequitur, ꝙ cùm fratrẽ tuũ temerè iudicas, te aut inuidia & odiũ erga proximũ tuũ, aut verò cupiditas proprię laudis ad id impellat. id quod vtrobiq; reprehẽsibile & dãnabile est. Audi de hoc quid Paulus dicat: Requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti volũtatẽ eius, & probas vtiliora instructus per legẽ: confidis teipsum esse ducẽ cæcorũ, lumẽ eorũ qui in tenebris sunt, eruditorẽ insipientiũ, magistrũ infantiũ. Qui ergo aliũ doces, teipsum nõ doces? Et rursum dicit *Prou. 18.* *Eccl. 30.* *Rom. 2.*

Paulus initio eiusdē capitis: Propter quod inexcusabilis es ô homo oīs qui iudicas. In quo enim iudicas alterū, te ipsum cōdemnas. eadē enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniā iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agūt. Existimas autē hoc ô homo, qui iudicas eos qui talia agūt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Et alio in loco iterū Paulus: Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit: & omnes coram tribunali Christi sistemur, &c. Vult itaque Christus, vt proximum nostrū correpturi, nosipsos prius consideremus. Nam aut in simili peccato iacemus, aut in id incidere possumus. Quòd si in simili peccato iaces, aut grauiori, primùm trabē ex oculo tuo eiice, ingemisce super peccata tua, & mone proximum tuum, vt similiter faciat. Sin autem liber à peccato es, de quo alterū arguis, cogita saltē, te illo tentari posse: ergo tanto maiorem compatientiā erga proximū tuum exhibe, quemadmodū rursus Paulus docet. Deinde ad correptionē proximi tui nihil te moueat aliud, quā amor hominis, & odiū peccati. Deniq; ita te habe in correptione proximi tui, vt posſit intelligere, te nō alia re quàm amore ad id pertrahi. Sic prudens faciebat Abigail erga Dauidē. Is magnā trabē habebat in oculo, hoc est magnā irā cōtra Nabal, consiliūq; malū animo versabat: cęterū prudēs mulier trabē ei extrahebat, hoc pacto, Prælia Domini, domine mi, tu pręliaris (inquit) malitia ergo nō inueniatur in te omnibus diebus vitę tuæ. Cū ergo cōstituerit te Dominus ducē super Israël, non erit tibi hoc in singultū, & in scrupulū cordis, quod effuderis sanguinē innoxiū, &c. Hoc verbo frāgebat eius irā, vt statim ex itinere reuerteretur, nullius vindictæ amplius memor. Abi, fac & tu similiter, & correptio tua in proximo tuo nō carebit fructu. Deus nobis oībus suā det gratiā, Amē.

Rom. 14.

Alium obiurgaturo quid agendum.

Gal. 6.

1. Reg. 25.

OCTAVVS SERMO DE Epistola & Euangelio.



HODIERNA ista Dominica Epistolam habet & Euangelium, quæ haud dubiè summa diligentia coordinata sunt: quanquā quis existimare posset, Epistolā nihil penitus cū Euangelio congruere, quandoquidē nihil eorū cōtinet,

tinet, de quibus Christus in Euangelio dicit. Attamen aptè coniunguntur, vt si quæ alia. Rogas qui? Plerúque sese mutuò comitantur, probum esse, & multa pati oportere. Vsus id quotidianus docet. Tum diuus Paulus expressit verbis dicit, omnes eos, qui piè volunt viuere, persecutionem pati oportere. Et Christus ipse ait ad suos Discipulos: Si de mũdo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo nõ estis, propterea odit vos mundus. Atqui necesse est. vt Christus hæc duo in se habeat, feruens studium ad bonum, & patientiam in malis. Indicat & Paulus vtrumq; ad Romanos scribens: Odientes malum, adhęrentes bono. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem pręuenientes. Et paulò pòst: Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus, nulli malũ pro malo reddentes. Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam corã omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habẽtes. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit, potum da illi. Noli vinci à malo: sed vince in bono malum. Hic feruor est, quo Christianus homo ad boni studium ferri debet. Sed additum simul est, & quidẽ inter iam dicta verba, Spe gaudẽtes, in tribulatione patientes. Hoc alterũ est, quod ad Christianum pertinet. Vtrunque nobis hodie simul ob oculos ponitur. Christus feruorem ad bonum nobis persuadere conatur: Paulus verò patientiam in malis. Vtrobique loci exempla & promissiones indicatæ sunt: exempla, quæ nos impellant: promissiones, quę illiciãt & trahant nos. Nihil horum frustra & absque causa nobis propositum, quin iis omnibus opus habemus. Peregrè profecturum scire oportet, quomodo vbiq; & erga quosuis sese gerere debeat. Imò necesse habet, vt pacificus transeat, cum nemine rixetur & contendat, sed erga omnes sit humanus & comis: multa oportet vt ferat & faciat, perindè ac si nõ videat aut audiat: sæpè bona dare verba cogitur, vbi non iniustam irascendi caųsam haberet, quandoque omnino silentium continere, etsi lòqui necessitas iubeat. Quod nisi facit, facilè impeditur in suo itinere & profectione. Nã quò inhumaniorẽ sese exhibet, hòc sibi plures cõciliat inimicos. Itidẽ in mundo fieri con-

2. Tim. 3. *Ioan. 15.* *Studium boni.* *Perpessio mali.* *Rom. 12.* *Ibid.* *A simili,*

Sustine, & abstine.

sueuit, vt nemo facilius itineris pericula effugiat, quàm qui iuxta prouerbiũ facit, Sustine & abstine. Nãq; hęc duo verba certissimã ostendunt viã ad tranquillã vitam. Qui nihil vitare vult, & nihil pati potest, is nunquã ad pacẽ perueniit, id quod vsus docet quotidianus. Videmus id & legimus in omnibus historiis. Christus ipse dicit: Beati mites, quoniam ipsi possidebũt terram. Mundus quidem eos laudat, qui alacres sunt & feroces, neque sibi (vt vulgò dici solet) os contingi patiũtur, aut dentẽ effringi, sed ad defensionẽ sese parãt, verba dantes pro verbis, pugnos pro pugnis. Christus autẽ cõmendat mites, atque etiã beatos vocat. Ij autem mites dicuntur, qui neminẽ lædunt, & vt maximè cõtingat eos lædi, libenter ignoscunt: patienter ferunt, si quid eis iniuriæ infertur: nulla ira exasperantur, nullã vindictã expetunt, sed id Deo committunt: malunt expendium pati, quã rixari & altercari: pluris faciunt cor tranquillum, quã multa bona & possessiones: malunt tranquillam paupertatẽ quàm cũ contentione diuitias: ad iram prouocant neminẽ, nec se cõmoueri ad irã seu exacerbari patiuntur: nemini incommodãt, nec in animũ inducunt cuiquam nocere; benè volunt omnibus absque omni duritie aut maleuolentia animi. Talis erat Christus, ideóq; dicebat ad suos discipulos: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: quod ipsum Zacharias quoq; de eo dixerat, eum fore Regem mansuetũ. Talis erat Paulus, vbi ait: Maledicimur & benedicimus; persecutionẽ patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Tales homines omnium optimè salui euadunt, possidẽt terrã, sua retinent, vbi contentiosus omnium iacturam facit. Etsi quandoque suis possessionibus eiiciuntur, vniuersus mũdus illis est ceu patria eorum, & præterea iam habent terram viuentium in spe: imò quò plus malorum illis ingruit, hoc certius cœlestem patriam possident. Hæc omnia nobis hodierna Dominica consideranda proponuntur. Id quod imprimis obseruandum, quandoquidem etiã nos in via sumus versus veram nostram & ęternam patriam: sed per medium mundum nos ire oportet, qui nos remorari facilè potest, si nõ erga quenq; nos gerere possumus vti decet, nõ sustinere & abstinere cum comitate & patientia. En, huc inseruit nobis hodiernũ Euangeliũ & Epistola. Hic docet nos Christus, quomodo erga vnũquélibet nos gerere debeamus, tam amicũ quã inimicum. Estote misericordes (inquit Christus) nolite

Matth. 5.

Mites qui sint.

Matth. 11.
Zac. 9.
2. Cor. 4.

Vt erga quosuis gerere nos debeamus.

nolite iudicare, nolite condemnare, dimittite, date: alteri suam festucam, suum paruum vitium ne exaggera, ipse grauiorum criminum reus. Hoc caueas oportet, si rectà & pacificè per mundum transire voles. Hoc Christus multis iisque efficacibus vrget argumentis. Et primò proponit nobis ipsum Deum pro exemplo, cuius bonitas & misericordia nos mouere omnes debebat, vt neminem dolore afficeremus, sed de omnibus benè mereremur: quippe cũ puerũ nihil adæquè deceat, quàm vt parentum virtutem & honesta facta imitetur. Vnde & Christus Iudæos corripiebat, ꝙ se Abrahæ filios iactabant, nec tamen vel in minimo Abrahæ facta exprimerent. Imò conuincit eos Christus, ꝙ neq; Abrahæ, neque Dei, sed diaboli filij sint, eò ꝙ illum in mendacio & sanguinario animo plus imitarentur, quàm Abraham, vel etiam Deum. Tantò iustius ad animũ reuocare debemus, quòd nobis Christus ante omnia exẽplum Dei proponit. Estote misericordes (inquit) sicut & Pater vester misericors est: nec tamen hoc contentus est, sed aliis insuper pluribus argumentis vtitur, admonens nos propriȩ nostræ nudæ imbecillitatis & infirmæ conditionis, vt qui ipsi tales homines sumus, qui alios aut ope & beneficiis promouere, aut tollerare & sustinere cogimur. Ad hæc omnia etiã monet nos Christus, ne mandata eius contemnamus, aut mundi magis cursui & propriæ nostræ rationi obtemperemus, quàm ipsi. Alioqui si cæci ipsi, cęcum mundũ sequi vellemus, vnà cademus in foueã ȩternȩ cõdẽnationis. Hîc vide, quàm vehementibus argumentis nos Christus eò velit deducere, vt erga quosuis humani simus. Et quis nocere nobis posset, si boni imitatores essemus eiusmodi doctrinȩ? Paulus (vti dixi) vtitur exemplo creaturarũ, adhortans nos primò per hoc ad charitatem. Omnes creaturæ (inquit) seruiũt nobis, attamen pati coguntur, vt illis multifariam abutamur, imò vt earum nostrúmque creatorem blasphememus: nec tamen desinunt nobis, imò vanitati nostræ seruire. Cur igitur & nos similiter non facimus? Non oportet te considerare mũdi ingratitudinẽ sed Dei voluntatem, & futurã mercedẽ: imò mundi ingratitudo nihil nobis obest, sed magis confert. fit enim per eam, vt cũ omnibus creaturis pro futura redemptione ingemiscamus. Deinde quoque Paulus creaturarum exemplo nos ad patientiam inuitat. Vanitati (inquit) creatura subiecta est, seruire co-

Ioan. 8.

Humana conditio.

1. Pet. 3.

Rom. 8.

Patientiæ incitamentum.

gitur, nunquã quieta: mallet libera esse, sed tamẽ sustinet ea spe nõ fore perpetuã, sed finẽ habiturã hanc ipsam seruitutem: id quod fiet, vbi gloria filiorũ Dei aduenerit. Cur igitur non etiã nos patientes essemus? Enimuerò non soli sumus, omnes creaturæ ingemiscunt nobiscum: & scimus oẽs passiones huius tẽporis finẽ habituras: videmus etiã atque experimur quotidiè, finẽ consequi, & cæt. En, hæc illa duo exẽpla sunt, quæ nos meritò impellere debent, alterum ad charitatẽ, alterũ ad patientiã. Porrò promissiones quoq; audiamus, quæ nos trahere debẽt: quæ vtique certè magnæ sunt. Quid honestius, quã filium esse Dei? Quis tutior, quàm quem Deus non iudicat? Quis hilarior, quàm quem Deus non condẽnat? Quis beatior, quàm cui Deus remittit. Quis ditior, quàm cui Deus bonam & cõfertam & coagitatam & supereffluentẽ mẽsuram dat in sinum eius? Atqui promittit Christus in hodierno Euãgelio, hæc omnia hominibus Deũ in charitate imitãtibus. Et quẽ tantæ promissiões nõ traherent? Atq; hoc est, quod Deus olim in Osee prædixit, se tẽpore Christi homines in funiculis Adã tracturum. Hi autẽ Adæ funiculi qui sunt alij, quã promissiones & beneficia? Quo homo citius & libentius trahitur, quàm si illi multa promittãtur, & dentur magna? Eia, si humanis promissionibus, quæ tamẽ incertæ, & humanis beneficiis, quæ tamẽ exigua sunt, trahimur: quãtò magis Dei nos promissiones trahere debẽt, quibus nihil certius, & eius dona, quorum magnitudo efferri non potest? Deus verax est (inquit diuus Paulus) sed omnis homo mendax. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum. Id genus promissiones multas quoq; habet diuus Paulus, quæ nos meritò ad patiẽtiam trahere debẽt: vt est, reuelatio filiorũ Dei, gloriosa ac beata libertas ab omni malo, quo hic premimur: redẽptio corporis nostri ab interitu, & æterna gloria, ad quã omnes passiones huius tẽporis nihil sunt. Hoc promittit Paulus iis qui patiẽtes sunt, idque non in hoc tantũ, sed in aliis locis pluribus Epistolarũ suarum facit, maxime ad Hebræos, vbi nos multis hortatur ad patientiã. Quid autẽ etiã ad illũ hominem trahere melius potest, quã promissio? Imo quid homini obesse potest, quòd hic in terris contemnitur, sciẽs videlicet & cogitans, se in extremo iudicio coram omnibus hominibus, angelis & creaturis, pro filio Dei agnitum iri?

Promissiones Dei vt nos illiciant.

Ose.11.

Funiculi Adam.

Rom.3.

Esa.64.

Præmia pœnitentiæ.

Cur

Cur grauaretur aliquid in hoc mundo pati,cũ tamẽ ſciat,ſe non mundo liberandum,ſed etiã glorioſa libertate donandum ab omni malo?Cur impatiẽs fieret in paſsione ad breue tempus duratura,cũ non ignoret,æternũ gaudiũ ſecuturum?Quod in præſenti eſt(inquit ſanctus Paulus) momentaneum & leue tribulationis noſtræ,ſupra modũ in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis,non cõtemplãtibus nobis quæ videntur,ſed quæ non videntur,hoc eſt, æterna.Sic Chriſtus ipſe dicit:Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum,vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo,& ſedeatis ſuper thronos,iudicantes duodecim tribus Iſraël. Vide,hæc illa ſunt,quæ hodierna Dominica nobis proponuntur,conſideranda.Ex quibus quiſq; videre facile poteſt,Euangeliũ huius diei cũ ſua Epiſtola,rectè ac ordine ſummóque ſtudio & exacto iudicio cõiunctũ atq; copulatũ eſſe.Reliquũ fuerit,vt ad animum id non minus diligẽter reuocemus.Deus nos omnes ſua dignetur gratia,Amen.

2.Cor.4.

Luc.22.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM.

LVC. V.

Factũ eſt autem cùm turba immineret,vt audiret verbum Dei,& ipſe ſtabat iuxta ſtagnum Genezaret,& vidit duas naues ſtantes ad ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant ex illis,& abluebãt retia.Ingreſſus autẽ in vnam nauim,quæ erat Simonis,rogauit eum,vt à terra abduceret puſillum,& ſedens docebat de naui turbas. Vt ceſſauit autem loqui,dixit ad Simonem: Duc in altum,& laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi. Præceptor,per totam noctem laborantes nihil cepimus,tamen tuo iuſſu laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent,concluſerunt piſcium multitu-

Marc.14.

dinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in altera naui, vt venirent & adiuuarent ipsos. Et venerunt, atque impleuerunt ambas naues, ita vt mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, accidit ad genua Iesu, dicens: Discede à me domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo fuerant, super captu piscium quem ceperant: similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socii Simoni. Et ait ad Simonem Iesus: Ne metuas: posthac homines capies. Et subductis in terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

EADEM DOMINICA

EPISTOLA SANCTI PETRI I.

CAP. III.

Prou. 20.
Rom. 12. *CHarissimi: In summa, omnes sitis vnanimes, similiter affecti, fraterna prædìti charitate, misericordes, affabiles, non retaliantes malum malo, aut conuiciũ conuicio: sed contrà benedicentes, scientes vos in hoc vocatos esse, vt benedictionem hæreditate possideatis. Nam qui vult vitam diligere & videre dies bonos, coërceat linguam suã à malo, & labia sua ne loquãtur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eam, quoniam oculi Domini super iustos, & aures eius ad deprecationem illorum.*
Matth. 5. *Rursus, aspectus Domini super eos qui faciunt mala. Et quis est qui sit afflicturus vos, si bonitatis æmulatores*

ves fueritis? Imò si quid etiam acciderit incommodi propter iustitiã, beati tamen estis. Cæterũ terrore illorum ne terreamini: neque turbemini, sed dominum Deum sanctificate in cordibus vestris.

PRIMVS SERMO.



HODIERNVM istud Euangelium, tametsi simplex tantũ historia videatur, potest tamẽ, vt rem ipsam dicamus, pio homini ad multa bona vsui esse. Par itaque est, vt hoc diligentius id consideremus, vt tantò plures ad bonum occasiones, & incitamenta habeamus. Nam audiens Sapiens, sapientior erit, inquit Salomõ. Et iterum: Da Sapienti occasionem, & addetur ei Sapientia. Atqui verò homo Christianus semper habet, quod vtiliter discere, & in quo in dies in agnitione Dei rerúmque diuinarum crescere & proficere possit. Quinimò hac ipsa de causa prædicandi officium in sancta Christianitate ordinatum & institutum est, vt in dies crescamus & spiritualiter proficiamus. Sic enim inquit Paulus, Christus ascendens in altum, dedit dona hominibus: nimirũ dedit quosdã Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationẽ sanctorũ in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virũ perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circũferamur omni vento doctrinæ, &c. Quamdiu hanc perfectionem nõ assequimur, semper quod discamus habemus. At vbi eum assequuti erimus, hoc externum prædicãdi munus cessabit, nec opus amplius habebimus prædicatione aliqua, quẽadmodum Paulus iterum dicit: Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Etenim imperfectum est, quicquid hic scimus ac discimus. Interea verò tẽporis facere nos oportet, quemadmodũ Petrus docet: Habemus (inquiens) firmiorem Propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, &c. Hunc in modum nos quoque Euangelium istud accipere oportet. Siquidem profectò lumen est, multa nobis salutifera indi-

Prou. 1. *Prou. 9.* *Concionandi munus cur institutum.* *Ephe. 4.* *1. Cor. 13.* *2. Pet. 1.*

cans etiam secūdum historiam. Id iam in hac concione audiemus. Alioqui enim Euangelium istud pulchram habet allegoriam, quæ & ipsa pòst indicabitur. Quantum ergo ad historiam attinet, fecit Christus in hoc Euangelio, perinde acsi quis magnifica de seipso loquatur & præ se ferat: ita tamen vt verba mox sequantur facta. Aut tanquàm qui in literis suis & scriptis multa, magnáque pollicetur, protinus tamen appendens sigillum suum ad certá cautionē. Ita verò etiam hîc Christus fecit. Initio huius Euangelij habetur, eum populo concionatum, mox autem à concione miraculum hoc erga piscium capturam fecisse. Et quanquàm hoc loco non indicatum est, quid Christus hac vice prædicauerit: scimus tamen, omnem eius prædicationem & doctrinam verum & nouum fuisse Euangelium seu lætum nuncium, in quo multa egregia de seipso suáque diuinitate manifestauit, & iis qui in ipsum rectè credunt, magna promisit. Nam in Ioanne seipsum nominat Messiam, nominat se fontem aquæ viuæ, nominat se panem viuum, seu panem vitæ: nominat se lucem mundi, Ioan. 9. nominat se vitam & resurrectionem, Ioan. 11. nominat se viam, veritatem & vitam. In Matthæo dicit, omnia sibi esse data à Patre suo, & datam sibi potestatem in cœlo & in terra: Hæc & alia multò plura Christus de seipso manifestauit: quæ tamen omnia ipso etiam facto demōstrauit, vt nemo cogitare possit, ipsum sui ipsius buccinatorem agere voluisse. Dicturus enim, Ego sum panis viuus, pascebat prius miraculosè magnam multitudinem populi. Sic vbi dixerat, Ioan. 9. Ego sum lux mundi, ilicò miraculo id comprobat, cæco nato visum largiens. Itidem miraculo fidem faciebat verbis, quæ dixerat: Ego sum vita & resurrectio, &c. Lazarum è monumento euocans, Ioannis 12. Fecit similiter & aliis in rebus. Suas promissiones pariter quoque confirmauit hoc Dei sigillo, hoc est, miraculis. Omnibus in se credentibus promittebat Dei gratiam & fauorem. Pater, inquit, amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui. Et iterum: Luc. 12. Placuit patri vestro dare vobis regnum. Et rursus: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eū Pater meus. Hæc & id genus plurima, Christus in se credentibus Dei nomine promisit. Ne itaq; quis dubitaret, huic promissioni rerū & certū sigillū Dei appendit, hoc est, talia opera, quæ facere, excepto

Christus sua dicta factis confirmauit. Ioan. 4. Ioan. 6. Ioan. 14. Matth. 28. Ioan. 6. Ioan. 16. Ioan. 12. *Miraculis Deus sua promissa confirmauit.*

excepto Deo, nemo poteſt. Creaturis enim imperare, vnóq; verbo omnia efficere, in vnius Dei poteſtate eſt. Talia itaq; Dei opera vbi cernũtur, dubitari nõ poteſt, quin Dei verba ſint, quæ circa ea dicta ſunt. Quippe Deus nõ appendit ſigillum ſuũ incertis & fallacibus promiſsis hominũ, nec cõfirmat hominibus mendacia eorũ ſuis operibus. Diabolus conabatur quidem olim etiam miracula facere per Aegyptios maleficos & incantatores, paria facturus cũ Moyſe, qui iuſſu Dei miracula edebat, ratus (diabolus) ſe ſimilitudine diuini ſigilli mendacia ſua cõfirmaturum: res quidẽ illi aliquoties ſuccedebat, ſed nõ in omnibus Moyſen imitari poterat: imò deprehendebatur, ꝙ nõ vera miracula, ſed prętigię & faſcinura oculorũ fuerat, quod per maleficos fecerat. Chriſtus autẽ vera edidit miracula & vera Dei opera, ac proinde verum ac certũ ſigillum Dei, ſuæ doctrinæ & promiſsioni appendit. Quapropter nemini eſſe dubiũ debet, quin verbum eius ſit verbum Dei. His duabus de cauſis, Chriſtus quoque hoc miraculum in captura piſcium fecit, nimirùm primò, vt declararet ſe dñm terræ & maris, & deinde verum Meſsiam & naturalem Dei filium. Secundò, vt verbo ſuo fidẽ faceret. Hunc in modũ reliqua etiã omnia miracula Chriſti nos accipere oportet, vt diſcamus eũ ex illis cognoſcere ceu verum Meſsiam, & per ea confirmemur in fide in illius verbum. Si nõ facio opera Patris mei, inquit, nolite credere mihi. Si autem facio, etſi mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre. Hoc pręcipuum eſt, quod in miraculis Chriſti obſeruandum eſt, nec quidẽ res eſt parui momenti, imò omnis ſpes noſtra in hoc conſiſtit, ꝙ Chriſtus verus eſt Meſsias, & ꝙ verbum eius, ſit Dei verbum. Hæc petra eſt, cui nos ſuperſtruimus, atque etiã perſiſtimus contra oẽs portas & poteſtatẽ inferorum. Hęc victoria noſtra eſt, qua vincimus mundũ. Hæc fortitudo noſtra, qua perſiſtimus cõtra omnem poteſtatẽ diaboli. Hæc fides nulla re efficacius cõfirmatur, quàm miraculis. Quare ſi incidit tibi ſcrupulus, num Chriſtus verus Meſsias, & an verbis illius fides habẽda ſit, ad miracula eius aduerte. Quod ſi facis, dicere cum cæco nato cogeris: Niſi eſſet hic à Deo, nõ poterat facere quicquam. Et cũ Nicodemo, Ioan. 3. Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cũ eo. Et cum Martha: Ego credidi quia tu es Chriſtus filius Dei, qui in hunc

Exod. 7.

Ex miraculis Chriſtus agnoſcendus.

Matth. 16.

1. Ioan. 5.

Ioan. 9.

Ioan. 11.

Consolatio inopum. in hunc mundum venisti. Sed de hoc satis. Porrò Euangelium istud quoque insignem consolationẽ habet pro pauperibus, nimirùm quòd Deus pro illis curam gerit, eis alimẽtum & sustentationẽ præbet ac procurat. Sic cùm sancti Apostoli, imò qui deinde adhuc Apostoli futuri erãt, tota nocte laborassent, & alimẽtum suũ quæsissent, nec tamẽ nacti essent quicquam, miserebatur illorũ Christus, efficiens, vt in magna copia caperẽt pisces. Et quoties frustra laboraturi essemus, nisi Deus pro nobis solicitus esset? Imò quid omnis noster labor vtilitatis allaturus esset, nisi Dei accederet benedictio? siquidem nõ noster labor, sed benedictio Dei hominem diuitem facit, vti Salomon ait. *Prouerb. 10.* Similiter quoq; Dauid dicit: *Psal. 126.* Nisi dominus custodierit ciuitatẽ, frustra vigilat qui custodit eam. Et Paulus. 1. Cor. 3. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementũ dat Deus. Et alio in loco dicit, *2. Corint. 9.* Deum administrare semen seminãti, & panem ad manducandũ præstare, & multiplicare semen nostrũ, & augere incremẽta frugum iustitiæ nostræ, vt in omnibus locupletati abundemus. Hęc omnia, inquam, Deo transcribit.

Hoc solatium pauper habet in vocatione Dei ambulans. Huc pertinet quod diuus Petrus ait prioris Epistolæ cap. 5. Omnem solicitudinẽ vestram proiicite in eũ, quoniam ipsi cura est de vobis: *Matth. 6.* Et Christus: Ne soliciti sitis animę vestræ, quid manducetis, &c. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Primùm autẽ quærite regnũ Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicietur vobis. Sic quoque docet Dauid Psal. 54. Iacta super Dominũ curam tuam, & ipse te enutriet. Hoc idem ipse quoque fecit, imò in seipso deprehẽdit ita se habere. Ego, inquit, mendicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei. *Psal. 39.* Et iterũ Psal. 33. Iste pauper (Dauid) clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum. *Exod. 26.* Huc pertinent historiæ de Israëlitis, quos Deus quadraginta annos pascebat cœlitus: de Elia, quẽ Deus primò per coruum, deinde per Angelum pascebat: *3. Reg. 17. & 18.* de vidua Sareptana, quẽ Deus triennio farina, quãtum manus capere potest, conseruabat, vnà cum filio necnon Elia. Postremò quoque de Daniele, quem etiã Deus mirabiliter pascebat in lacu leonum. Saltem hic aduertendum est, vt verè credentes simus. *Verè credentes qui.* Eos autem verè credentes vocat Paulus. Galat. 5. quorum fides per charitatem operatur. Tantum de isto solatio.

Habet præterea hodiernũ Euangelium insignem doctrinam,

nam nimirùm eum duntaxat laborē homini vtilem ac proficuum esse, qui in & secundū verbum & volūtatem Dei fit. Ait quidem Salomon, quemadmodū ferrum prius retusum, multo labore exacuitur: ita post industriā sequi sapientiam. mens illius est, assiduo labore nihil non fieri: non tamen de solo loquitur labore, nec hoc sentit, quasi solus id labor faciat. Non. alio in loco longè secus loquitur, parum admodū tribuens nostro duntaxat labori. Vidi, inquit, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapiētium panem, nec doctorū diuitias, nec artificum gratiam: sed tēpus casúmq; in omnibus, intellige, ita vt Deus de supernis largitur. Atq; hoc pacto vides, laborē nostrū in sacris literis nonnunquàm cōmendari, nonnūquam, si sit absque gratia, pro nihilo æstimari. Nec tamen cōtraria censenda sunt, quemadmodū ex hoc Euangelio clarè videre in diuo Petro eiúsque sociis est, qui tota etiā nocte laborabāt frustra, imò priusquàm Christum agnoscerēt; deindè verò cùm Christus eos laborare iubebat, & retia laxare, nō amplius frustrabant̄ laboris fructu, sed conatui respōdebat vberrimus prouentus. Sic de nobis & nostro labore sentiendū est. Vbi Deus nō operatur, omnis labor noster irritus est: cæterùm sicubi Deus labori nostro benedicit, fructus sequitur cumulatim. Quocirca, cùm sacra Scriptura laborem nostrum reiicit, non id fit eo animo, vt otiemur, & omnem laborē omittamus, sed vt hinc discamus, in nostro labore ad solum Deum respicere, & illi plus fidamus, quàm nostris factis, eique vni omnem fructum & successum laboris transcribamus. Verùm vbi Scriptura nos ad laborem hortatur, nō ita intelligendum est, quasi ex nostris viribus aliquid possimus citra Deum: sed vt laborem nostrum discamus agnoscere, & æstimare tanquam medium, per quod nobis confert Deus sua dona. Quisquis igitur hac in parte rectè agere vult, eum neq; Dei neque laboris obliuisci oportet. Nam si obliuisceris Dei, frustra laboras: sin laborem intermittis, tentas Deum. Corpore ergo labora, & animū tuum ad Deum dirige, tum omnia fœliciter tibi succedent, vti vides in Apostolis, hi faciebant laborem, quod reliquum erat, Christo committebant, idcircò laboris præmium nō pœnitendum referebant. Summa, omnis labor noster inanis est & casus, quandiu sine Christo laboramus, & in labore nostro nō ad Deum respicimus. Hæc vnica causa est, quam ob rem aliqui labores & molestias tollerent die ac nocte,

Eccle. 10.


Eccle. 9.

Luc. 5.

Nostra industria medium, per quod gratiæ Dei capaces efficimur.

ac nocte, miserè fatigentur, nec vnquam tamen è paupertate & miseria sese expedire & emergere possint. Nam in labore suo Deum nō vident, nec de illo cogitant: non labo-
Prouerb. 3. rant in fide & spe erga Deum. Vnde monet nos Sapiens: In omnibus viis tuis cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos.
Psal. 36. Sic & Dauid dicit: Reuela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet. Porrò autem ꝙ etiam Apostoli totam noctem frustra laborabant, argumētum est, eos adhuc omnes frustra laborare, qui alto mari sese totos committunt, & in æstuantibus fluctibus huius mūdi ita occupati sunt, vt cœle-
Psal. 75. stis suæ patriæ obliuiscātur. De his dicit Dauid: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt oēs viri diuitiarum in manibus suis. Id quod etiam in inferno & gehenna confiteri eos oportet. Quid nobis profuit, inquiūt, superbia? &c.
Sap. 5. Transierūt omnia illa tanquam vmbra. In spiritualibus rebus eodem modo res habet. Quicquid nō fit in Deo & in fi-
Matth. 6. de, frustra est. Ideò dicit Christus de Iudaicis Pharisæis, inanem esse eorū cultum Dei, imò iam eos accepisse suam mercedem: quia hominū laudes aucupabantur, nō Dei gloriam. Quisquis ergo vtiliter laborare vult, is nō nocte laboraret, sed die, hoc est, in luce fidei, pia & recta animi intentione, & secundum verbū Dei, nauiculam suam à litore deducat, animum suū submoueat ab inordinato amore mundi & rerum mundanarū. Tantum in genere de hoc Euangelio, & iuxta literam. In sequētibus sermonibus de his omnibus fusiùs dicetur. Deus suam nobis gratiam perpetim aspiret, Amen.

SECVNDVS SERMO DE initio Euangelij.



HODIERNVM istud Euangelium eiusmodi apparet, quasi homini Christiano non ita multum inseruiat ad peregrinationem suam, quando nihil aliud est, quàm nuda historia, & talis historia, cuius pars maxima de S. Apostolis est. Verum enimuerò si penitius consideres, nihil habes
Christianus quæ nosse debeat. aliud, quàm eiusmodi verba, quę vnumquenq; Christianum in fide ambulātem, & currentē ad futuram spem, nouisse & habere oporteat. Nimirum primò scire debet, nihil nobis absque Deo bene cedere, quemadmodū diuus Petrus eiúsq; socij, Christo nondum cognito, laborē inutilem sumebant. Secundò, in verbo Dei, si illud ritè audiamus & accipiamus, omnia

omnia nos posse, quemadmodũ etiam S. Petrus, cùm ad verbum Christi rete suum laxaret, plus piscium vna vice capiebat, quàm antea per omnem vitã ceperat. Tertiò, Deũ omnia dare, nec exprobrare, sed dare spiritualia simul & tẽporalia, quemadmodũ in hoc Euãgelio populo primũ verbum suum pro cibo animarũ, deinde pisces pro corporali cibo dabat. Hæc tria cuiq; Christiano scienda, tenenda & credenda sunt. Ea verò omnia clarissimè in isto Euangelio sunt indicata: imò non hæc sola, sed alia multò plura, quibus Christianum præditum & instructum esse oportet. *Luc. 5.* *Iacobi. 1.*

Inter hæc primũ est flagrans amor erga Dei verbũ, vt in populo videre est glomeratim & cupidè ad Christũ currente, ad audiendum sanctum illius Verbũ. *1. Feruens studium verbi Dei.* Alterum est velox & parata seu voluntaria obediẽtia absque omni mora & excusatione, vt videmus in facto Petro. *2. Obedientia prompta.* Tertium est vera charitas, quæ citra moram proximo subsidio venit, vt apparet in sociis Simonis, qui protinus aderant, & Simonem in reti trahẽdo adiuuabant. *3. Charitas.* Quartũ est intima humilitas absque omni hypocrisi sese Deo subiiciẽs, quemadmodũ Petrus faciebat, inquiens, Luc. 5. Exi à me, quia homo peccator sum domine. *4. Humilitas.* Quintũ est perfecta imitatio Christi, absque omni post tergum respectatione, quemadmodũ in sanctis istis piscatoribus videre est, qui, omnibus relictis, Christũ sequebantur. *5. Imitatio Christi.* Quàm verò facilè quis ad Christianã perfectionẽ perueniret, qui hæc quinque in se habeat, imò qui fide & Christiana cõuersatione ita sit paratus & accinctus? Quapropter nemo Euangelium istud hoc minoris facere debet, eò quod nihil aliud quàm historia est, & videatur ad solos Apostolos spectare. Nihil enim tam vile & humile est in sacris literis, quin homini vsui esse posit. Quod vt verũ intelligatur, in hoc Euãgelio exploratum habebimus, quod nobis miraculum ob oculos ponit, à Christo aliquando tempore peregrinationis suę hic in terris gestum. Vbi ex simplici litera non ita magnum quid sumi potest: cæterùm qui in litera etiam spiritũ quærit, protinus videbit, quanto interuallo sacra Scriptura vnà cũ suis historiis, reliqua omnia scripta mundana & historias antecedat: imò videbit, etiam opera & miracula Christi nihil aliud esse, quàm salutiferam doctrinã. Etenim Christus nobis, hoc est, ad nostram vtilitatẽ, penitus datus ac natus est, ideóq; verba eius & opera nobis pretiosissima clarissimáq; esse debẽt. Quò autem videre quisque vsum & fructũ huius historiæ *Esa. 9.*

historiæ possit, ordine verba audiemus ac indagabimus.

Luc. 5. Factum est (inquit Lucas) cùm turbæ irruerent in eũ (hoc est, Christum) vt audirẽt verbum Dei, &c. In his primis verbis statim videmus, Dauidem rectè benéque de Christo va- *Psal. 44.* ticinatum: Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in ęternũ. Quid enim populum hũc aliud ad Christum pellexit, quàm amicabilis ejus vultus & iucũda vox? Neque id mirũ. Quis enim non cupiat sapientiam Dei audire? Quis non libenter *Ioan. 1.* Dei potentiam videat? Quis non expectat Verbum, quod *1. Cor. 1.* caro erat factum, contingere? Atqui dicit Paulus, Christum Dei esse sapiẽtiam & virtutem. Non itaque mirũ, vnamquã- *Cant. 2.* que animam amãtem ad ipsum clamare: Ostende mihi faciẽ tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Hęc causa fuit, quam ob rem turbæ tanta cum cupiditate ad Chr[illegible]ũ currebãt, vt in eum etiam irrue- *Esa. 2.* rent. Isaias prædixit: Fluent ad eum omnes gẽtes, inquit, & ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad mõtem Domini, & ad domum Dei, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Hæc verba propriè de Christo dicta sunt. hic mons est, quem Deus exaltat, & domus in qua *Col. 1.* diuinitas etiam corporaliter conquieuit. Ex hoc nobis lex & verbũ Dei prodiit: ad hunc etiã currere omnes mortales debebant, & ex eo discere. Hoc in Euangelio isto & in populo isto compertum habemus: his nõ satis erat, vt in templo & in synagogis, imò in ciuitatibus & plateis viderẽt ac audirent eum, sed quocunque pergebat, sequebantur eum, etiam vsq; ad mare, vel in desertũ vsq;. Nihil eos remorabatur aut deterrebat, neque inamœnitas deserti, neq; difficilis & laboriosus mõtium ascensus, neque itineris longitudo; nec verebantur in alienas irruere ædes, si qua eũ diuertisse intelligebant. Postremò quoque sequebantur illum vsque ad lacum; nõ poterãt eum deserere, etiam aquã & mare iam traiecturum. De tali studio populi erga Christũ, multa legis in Euã- *Luc. 4.* gelio. Atque hoc est, de quo Christus dicit: A diebus Ioãnis *Matth. 11.* Baptistæ vsque nũc, regnum cœlorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. Porrò autem studium istud, quod populus declarauit, confert cũ magna indiligentia, quæ in nonnullis Christianis deprehenditur, videbis Christum etiã ad eos dicere posse, atque illis negligentiam eorum exprobrare,

quemad

quemadmodum olim ciuitatibus aliquot faciebat, vtpote *Ibidem.*
ciuitati Corrozaim, Bethsaidæ & Capernao, in quibus potissimùm docuerat, & miracula ediderat: sed nusquam maiorem ingratitudinem expertus erat, quàm apud eos. Sic, inquam, ad nos etiam dicere posset: Væ vobis ingratis Christianis, quia si in Tyro & Sidône factæ essent virtutes quæ factę sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiā egissent. Quinimò contra ejusmodi ingratos Christianos rectè dici posset, quod Christus contra Iudęos in genere dicit: viri *Matth. 12.*
Niniuitæ surgēt in iudicio cū generatione ista, & condēnabunt eam, quia pœnitētiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquam Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hic. Sequitur: Et ipse stabat secus stagnum Genesaret. Secundum historiā & literam, nihil habent peculiare verba ista. Veruntamen magna mysteria in his latent & indicata sunt. Nam quod Christus hac in parte temporaliter fecit, id spiritualiter quoque fecit & executus est. Primò antequam incipiebat docere & nauiculam cōscendere, stabat, inquit Lucas, id quod verissimum est. Prius enim quàm in terris & in humana natura apparebat, visibilis stabat tāquā paratus ad auxiliandum. Ab æterno enim decreuerat, hominem, cùm cecidisset, rursum subleuare, vti in Dauide dicit: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperū, nunc *Psal. 11.*
exurgā: ponā in salutari, fiducialiter agā in eo. Et iterum: Sacrificiū & oblationem noluisti Domine, &c. tunc dixi, Ecce *Psal. 19.*
venio. In capite libri scriptū est de me, vt facerē voluntatem tuā, &c. Hunc in modū stabat filius Dei: sed stabat secus sta- *Stagnum,*
gnum, per quod in Scripturis mundus significatur, multis *Mundus.*
de causis. Vt enim mare magnum & vastū est, habēs omnia *Psal. 103.*
animantium genera, tum paruorum, tum magnorū, quæ numerari non possunt, habens simul etiā prodigiosa monstra, est amarū, fluit ac refluit, huc illuc impellitur, nunquam est sine periculo, neque vnquam sine vento, &c. sic etiam in hoc mundo nihil certum est & constans; sed plenus est aduersitatibus & ærumnis plenus peccatis & tribulationibus, plenus periculis & laqueis, plenus inquietitudine, & magnis ventis, &c. In mare protrusi omnes eramus ob peccatum primi parentis, & ita submersi, vt nulla salutis spes apud nos esse potuisset, nisi filius Dei ipse quoque in hoc mare de- *Act. 17.*

misisset sese ac contulisset. Sic itaque stabat secus stagnum, non longè erat ab vnoquoque nostrũ. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, licet pauci homines tum eum videbant & agnoscebant. Sic etiam indubiè nunc stat secus stagnum: videt nos laborantes, est & manet apud nos vsque in finem mundi: semper nobis acclamat, quemadmodum olim discipulis suis dicebat, in aqua periclitantibus: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Et iterum: Confidite, ego vici mundum. Hoc summum & vnicum nostrum solatium, quod Christus propè est nobis, imò propè omnibus inuocantibus eum in veritate. Quis alioqui non desponderet animum, & succumberet in procelloso mari huius mundi? In me, ait Ioan. 16. pacem habebitis, in mundo autem pressuram. Sequitur: Et vidit duas naues stantes secus stagnum. Hæ duæ naues duos significant populos in terris & in mundo, nimirùm Iudæos & Gentes. In hos enim duos populos genus humanũ antiquitus diuisum est. Te (inquit Moyses, Deute. 1. ad Israëliticum populum) elegit Deus, vt sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ sunt super terram. Non immeritò autem hi duo populi duabus comparantur nauiculis. Nam quod nauis in mari est, id homo in mundo est. Nauicula in mari semper fluctuat, nec tuta est, quemadmodum diuus Iob ait: Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Has duas naues, hos duos populos, Christus simul vidit. Non est enim apud illum, vt Act. 10 legitur, respectus personarum: nec solùm Iudæorum, sed & Gentium Deus est, imò Deus omnium hominum: atque ita, vt quicunque nomen eius inuocat, saluus fiat. Veluti Paulus ibidem ex Iohelis cap. 2. demonstrat. Non simpliciter autem vidit Christus hos duos populos, sed oculo misericordię, quo olim etiã videbat miseriã & afflictionẽ Israëlitarũ in Aegypto. Vidit duas naues stãtes, sed vacuas. Omnes enim peccauerãt, Iudæi & Gentes: quapropter orbati erãt & indigebant gratia Dei. At quid homo omni gratia Dei vacuus, aliud est, quã nauis in medio mari absq; moderatore? Piscatores autẽ (inquit Luc.) descẽderãt, & lauabãt retia. Quod sanè nõ caret singulari mysterio: imò implet̃ quoq; in nobis prius quã Christus cũ suis donis venit, nihil facimus aliud quã pretia nostra cõtaminamus. Etenim in oĩbus operibus nostris

Matth. 28. Matth. 14. Ioan. 14. Psal. 144. *Duæ naues duo populi.* Iob. 14 Rom. 10. Exod. 3. Rom. 3. *Lauabant retia.*

nostris nihil puri, nihil mũdi esse potest, vbi fides nulla est, iuxta Paulum, Rom. 14. Omne quod non est ex fide, peccatũ est. Itaq; rectè dictum est, Lauabant retia. Quid Moyses cũ lege sua fecit aliud, aut facere conatus fuit, quàm opera nostra purgare & mundare? Eodem modo conabantur & Ethnici philosophi virtutibus suis moralibus hominũ vitã corrigere. Sed actum agitur, nisi nos lauet Christus. Eáque de causa dicebat ad Petrum: Nisi lauero te, nõ habebis partem mecum. Exterius præ nobis ferre quidẽ possumus speciem, perindè ac si mundi simus, intus verò manet peccatũ, & omnes sordes, donec nobis Christus corda nostra per gratiam suam purgat. Et ob id cõparat Christus Iudaicos Pharisæos sepulchris dealbatis, quæ à foris quidem patent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sequitur: Ascendens Iesus in vnam nauim, quæ erat Simonis. Tum Christus in mare huius mundi sese demisit, & nauiculam ascendit, cũ semetipsum exinaniret, formam serui accipiens, in similitudinem hominũ factus. Specialiter expressum est, eũ in vnã nauim ascẽdisse, quæ Simonis erat, quia primũ solũ ex Iudaico populo & genere humanã naturã assumpserat, vti Paulus dicit, Rom. 1. eum ex semine Dauid, secundũ carnẽ factũ. Deinde etiam non nisi in vnam nauiculam ascendit: non est enim nisi vna Ecclesia & Christiana cõmunio, in qua Christus moratur ac manet: ni mirũ quæ super fundamẽtũ Apostolorũ & Prophetarũ ædificata est. In ea vna manet & est Christus, quẽadmodũ promisit Mat. 28. Ego vobiscũ sum omnibus diebus vsq; ad cõsummationẽ seculi. Extra hanc Ecclesiã & Christianã cõmunionẽ nulla sperãda salus est, quẽadmodũ in diluuio nullus homo extra arcam Noë seruari poterat. In Iona similiter præfiguratũ fuit, quẽ è naui proiectũ, ilicò absorbebat cete: ita qui ab Ecclesia & cõmunione Dei sese segregat, hũc deglutit diabolus, nisi diuinitus eripiatur, vt Ionas. Quãobrẽ quisque videat, vt in hac nauicula maneat, & in Ecclesia inueniatur, in qua Christus, Petrus, Paulus, sancti Apostoli & Martyres fuerunt, & adhuc sunt. Si vel latũ pedẽ ex Ecclesia excedis, peristi. ¶ Summa, sectarũ & hæreticorũ Ecclesiæ cõplures sunt, sed non nisi vna Ecclesia Christi. Cæterùm non est magna nauis, sed nauicula: quippe bonorũ semper rarior numerus quàm malorum. Et semper Ecclesia nauiculæ similis esse debet, infra conclusa versus temporalia, suprà verò

Ioan. 13.
Hæc est iustificatio baptismi.
Matth. 23.
Philip. 2.
Nauis Simonis.
Vna Ecclesia.
Gen. 7.
Ion. 1.
Ecclesia nauicula.

aperta versus Deum & cœlestia. Ideo autē vnica vocatur Ecclesia & cōmunio, non ꝙ vno in loco sit aut esse posit, sed ꝙ omnes ij, qui in ea sunt, etsi corpore longè disiuncti, vnā tamen habeāt fidē, vnū baptisma, vnū Deum, vnū Christum, *Ephe.4.* vnā spē suæ vocationis, vnā eandémq; æternā hęreditatem, vnū Spiritum, vniusmodi lumen & eadem sacramenta, imò *Ecclesia cur Nauicula S. Petri.* omnes vnum corpus sunt sub capite Christo. Hæc Ecclesia nō ab re vocatur S. Petri aut Simonis nauicula. Primò nāq; super petrā ædificata est, quā Petrus confessus est, Matth.16.
I. vbi ait: Tu es Christus filius Dei viui. Confitetur hoc Eccle-
II. sia in hodiernum diē adhuc. Secundò propterea S. Petri nauicula nominatur, ꝙ sancto Petro peculiariter cōmissa est, dicente ad eum Christo, Ioan.21. Simon Ioannis diligis me?
III. pasce oues meas. Tertiò, hac etiam de causa Petri appellatur *Vera Ecclesia.* nauicula. Simō enim obediētē sonat. Ibi autē vera Ecclesia est & Christiana cōmunio, vbi vera obediētia est. Hoc autē *Fides.* est verè morigerari & obedire, cùm credimus vbi credere iubemur, nō dubitādo, nec renitēdo, aut hinc inde causam vel *Spes.* rationē quærendo. Itē cū speramus vbi sperare iubemur, & *Charitas.* toti ab eo pēdemus, cujus nos fidei semel dedidimus. Postremò cū per verā charitatē facimus quod jubemur, nullā excusationē prętexētes. Hi veri sunt obediētes, hi ad Ecclesiā Dei *Gen.12.* pertinent. Talis erat Abrahā, qui ad vnicū verbū Dei domū & fundū omnémq; cognationē relinquebat, nescius quò se *Gen.22.* Deus ducturus esset. Deindè cùm ei Deus mandaret, vt propriū & vnicū filiū suum offerret, nihil etiā contradicēs abibat ad id perficiendū. Hæc erat vera obedientia. Sequitur: Et sedens Iesus docebat de nauicula turbas. Primum hoc & præcipuū est, quod Christus in nauicula in Ecclesia sua fecit & facit, nimirùm quod docuit & adhuc docet. In hoc enim *Esa.61.* missus erat, quemadmodū in Isaia ait: Spiritus Domini super me, eò ꝙ vnxerit Dominus me, ad annunciandū mansuetis misit me, &c. Hoc pacto Christus hac sua prædicatione indicauit, se ante omnia curā gerere pro animabus nostris earúmque æterna salute. Atqui animarum vita absq; verbo Dei nihilò plus subsistere potest, quā corpóralis vita sine pane. Idcircò primum est, quod Christus docet, & quidem non simpliciter, sed de nauicula. Quia sola vera catholica vel vniuersalis Christiana Ecclesia, verbum Dei & veram doctrinam habet. Si itaque Deum audire vis, ne recede ex hac nauicula, vniuersali Ecclesia. Hoc bono Christiano circ

ho circa initium istius euangelij considerandū est: equidem nihil dubito, quin prudens quisque facilè sit intellecturus, historiā hanc haud leuis momenti esse. Et sic planè res habet, vti in sequentibus sermonibus ostendetur. Deus nos omnes sua donet gratia, vt hoc & alia studiosè consideremus, & secundū ea vitā quoq; nostram instituamus, Amen.

TERTIVS SERMO
de altera parte Euangelij.



ODIERNVM istud Euangelium eiusmodi videtur, vt quod simplicē tantummodo habeat historiā, quæ non ita magnopere vsui nobis esse & conducere queat. Quia verò Lucas hanc historiā nobis Christianis tanquam Euangelium scripsit ac proposuit, dubitandum nō est, quin magna in ea comprehēsa sint. Quorsum alioqui attinuisset eum tam diligenter describere, quomodo Christus ad stagnum venerit, illic duas naues repererit, in alteram ascenderit, & de illa populo concionatus sit? Horum omnium nihil absque singulari causa & mysterio factum. Imò in hac historia, si eam vniuersam inspicias, veluti nobis depictus est ac præostensus totus status & conditio sanctæ Christianitatis, initium, progressus & finis. Omitto nunc, quòd quilibet cuiuscunq; etiam status, ex hoc Euangelio doctrinam & institutionem suæ conditioni accomodam habere posit.

Scire vis quale fuerit sanctæ Christianitatis rudimētum? Primò filius Dei, cū in eum irrueret populus, hoc est, cùm Patres veteris Testamenti indesinentibus gemitibus illius aduentum desiderabāt, ad mare, hoc est, in mundum venit. Secundò, non solùm ad aquā & mare venit, sed illi se quoq; commisit ac exposuit, hoc est, non modò in mundum & ad nos mortales venit, sed etiam defectus nostros & peccata in se suscepit: imò nobis in littore & terra relictis, ipse verò mari ac tempestati passionis suæ dedit se, ac in cruce pro nobis mortuus est. Tertiò, vidit ac inuenit duas naues stantes in mari, in mundo, hoc est duos populos, Iudæos & Gentes. In alteram ascendit genus Abrahæ apprehendens. Siquidem ipse dicit se missum ad oues quæ perierant domus Israël. In illa nauicula, in terra Iudæorū & populo primū prædicauit, sed non iis solùm qui in nauicula, hoc est, in Iudaico populo erāt, sed etiā iis, qui extra nauiculā in terra

Initia S. Ecclesia.

Heb. 1.
Matth. 15.

ſtabant. Nã quod Chriſtus Iudæis prædicauit, ad nos etiam pertinet, qui ex Gentilitate oriundi ſumus. Quartò, cùm Chriſtus prædicationẽ ſuã finiſſet, Petro eiúſque ſociis iubebat, vt nauiculã in altũ ducerent: id quod tum reuera factum eſt, cùm in genere ad illos diceret, Mar. 16. Euntes in orbẽ vniuerſum, prædicate Euãgeliũ omni creaturæ. Et iterum, Ioan. 20. Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritũ ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Et ad Petrum ſpeciatim: Simon Ioannis, diligis me? Paſce oues meas. Hoc initium fuit ſanctæ Chriſtianitatis. Progreſſus fuit, quòd Petrus eiúſque ſocij ſancti Apoſtoli, eorúmque poſteri retia laxarunt, in vniuerſo orbe prædicarunt, multos piſces ceperũt, multos homines ad fidẽ adduxerunt: ſed multa interim pericula perpeſsi ſunt, vt poſtea audietur. Hic progreſſus fuit ſanctę Chriſtianitatis, qui etiamdũ durat. Finis autẽ erit, cùm ad terrã ſubducetur nauis: tum omnis labor & periculũ ceſſabit: imò tum omnia poſt nos relinquemus, & vni Chriſto æternũ adhærebimus, eúmque ſequemur. At vide iam, an non magna nobis in hoc Euangelio propoſita ſint? Hoc diligentiùs id audire debemus, & mente reuoluere. Vnde & reliqua verba diſquirere operæpretium duco. Nimirum cũ Chriſtus poſt factã cõcionem ad Simonẽ dicit, Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Non ſolũ Chriſtus pro ſe prædicauit, & rete Euangelicæ ſuæ doctrinæ laxauit, ſed alios etiam ad id deſtinauit & miſit. Sic enim promiſerat per Hieremiam: Ego mittam piſcatores multos (inquit) & piſcabuntur eos: & poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. Attende verò hîc, quã Chriſtus pulchrè, idque breuibus verbis indicauit, quid ad Apoſtolicũ & prædicatiõis pertineat officium. Primò, iubet Petrũ nauem ducere in altum. Etenim ad Apoſtolum & prædicatorẽ in primis requiritur, vt ſit vocatus. Nemo ſumit ſibi honorem (inquit Paulus) ſed qui vocatur à Deo, tãquam Aaron. Nam qui ex ſeipſo venit, & non vocatus ſeſe ingerit, fur eſt & latro. Tales erãt pſeudoprophetæ, de quibus Deus dicit: Non mittebã Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Atque hi etiã omniũ erant perniciosiſsimi tempore Hieremiæ, ducentes populum in falſam perſuaſionẽ, vt putarent eſſe pacem, cùm nulla eſſet pax, permanẽtes hoc pacto in

Ducta nauis in altum.

Ioan. 21.

Eccleſiæ progreſſus.

Extrema eccleſiæ.

Hier. 16.

Heb. 5.

Ioan. 10.

Hier. 23.

Vt noſtri Euãgelici.

Ezech. 13.

cto in impœnitentia, donec eos iudicium Dei in illa opprimebat. Sic passim inuenimus in nouo & veteri Testamento, neminem vnquam magnum fecisse fructum, qui seipsum ingessit ad prædicationis prouinciam: sed semper eiusmodi temerarij plurimùm Ecclesiæ nocuerunt. Cæterùm quos Deus vocauit, ij cumulatè fructum attulerunt. Ita sancti Apostoli non prædicarunt, nisi postea quàm vocati erant. Antiquos Prophetas Deus cogere interdum ad id necesse habebat, vt in Moyse, Iona, Hieremia, aliisque videre est. Idcircò orare nos Christus Deum iubet, vt operarios mittat in messem suam. *Matth.9.* Secundò, iubet Christus Petrum nauiculam suam peculiariter in altum ducere. Nam Altum, hoc loco idem est quod profundum: quẽadmodum & in Ioanne, *Ioan.4.* vbi mulier Samaritana dicebat, Puteꝰ altus est, hoc est, profundus. Et Dauid: Veni in altitudinem maris, hoc est, in profundum. *Psal.58.* Tum autem Christus Apostolos suos in altum ducere iussit, cùm ad eos dicebat, Mar.16. Euntes in orbẽ vniuersum, prædicate Euãgelium omni creaturæ. Tertiò, iubet Christus retia laxare in capturam. Rete autẽ sanctorum Apostolorũ est sacra scriptura, qua animas hominum *Rete, sacra scriptura.* trahunt & ducunt è profundo peccatorum, & errore in liberam auram, è tenebris ad lucem, & fœtida sentina ad puritatem vitæ, & ex vagis cupiditatibus ad perpetuæ innocentiæ constans studium. O fœlices illos, qui hoc reti trahuntur: siquidem non ad mortem aut interitum, sed ad vitam & salutem trahuntur. Habet quidem & mundus ac diabolus sua retia & laqueos, quibus ad æternum exitium animas trahunt: quemadmodũ Propheta queritur: Domine Deus (inquit) quare non respicis super iniqua agentes? Facis homines quasi pisces maris, hostis totũ in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit, &c. *Habac.1.* Sed rete Apostolorum cedit hominibus ad salutem: contextum non ex Pharisaicis funibus, neque ex Ethnicorum Philosophorum subtilitatibus, sed ex verbis & præceptis sacræ Scripturæ: imò ex verbis & operibus Christi: & ita contextum, vt multos homines non solùm capiat, sed retineat etiam, vt elabi iterum nequeant, nisi sua sponte velint. Duo autem præcipit Christus suis Apostolis & prædicatoribus, dum iubet vt retia laxent: nimirum primò, vt illud rete, hoc est, sacram Scripturam apud se semper habeant, quo docere omnes possint, ad- *Tit.1.*

uersarios vincere, & semper parati sint vnicuique, qui id petat, rationem suæ fidei ac spei dare. Sic vult etiam Christus: Omnis scriba doctus, inquit Matth. 13. in regno cœlorum, hoc est, in sancta Christianitate, similis est homini patrifamiliàs qui profert de thesauro suo noua & vetera. Secúdò, non satis est, vt talis rete suum, hoc est, cognitionẽ Scripturæ apud se habeat, sed laxet illud insuper quoque oportet. Audies de ore meo (inquit Deus) & annunciabis eis ex me. In eundem quoque modum Paulus docet suum discipulum: Prædica verbum (inquit) insta opportunè, importunè, &c. Et de seipso dicit, 1. Cor. 9. Væ mihi, si non Euãgelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Nox significat incredulitatem, quemadmodum dies aut lux, fidem. Nox (inquit Paulus, Rom. 13. Gentibus scribens) id est, tempus incredulitatis præcessit: dies autem, id est, tempus fidei appropinquauit. Et iterum: Eratis aliquando tenebræ, nũc autem lux in Domino. Hinc cognoscis, quæ sit causa, quam ob rem interdum frustra laboremus. Iudaici Pharisæi multa faciebant bona opera, sed frustra omnia: quia non ex fide & rectâ intentione, sed humanæ laudis studio & appetitu proficiscebantur. Sine causa me colunt (inquit Christus.) Et rursum: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Sic etiam frustra illi laborãt, qui præsunt reip. cùm suæ tantùm rationi fidunt, nec Deum etiam in sua consilia adhibent: quia nocte laborant. Sic vsu quotidiano comperimus, nos magnis fatigari quandoque laboribus, qui nobis tamen proficui non sunt. Quod tamen non aliundè fit, quàm quòd noctu, hoc est, sine viua fide laboramus, Dei non recordamur. quomodo igitur labor noster nobis benè vertere possit, & fructum afferre? Quare, si nolis inanem sumere operam, in luce & die operare, hoc est, in vera fide & cũ Deo. Sola enim benedictio Dei diuites facit, & omnes res prosperas. Pergit Petrus, inquiẽs: In verbo autẽ tuo laxabo rete. Hîc vides veram & simplicẽ obedientiam. Non recusat, licet antea frustra laborauerit: omnibus incidentibus cogitationibus spretis, solo nitebatur verbo Christi. Hæc est obediẽtia veræ & viuæ fidei. Hũc in modũ obediens quoque erat Abrahã, absque omni tergiuersatione. Docet nos hic locus, vt verbo Dei in omni simplicitate

1. Pet. 3.
Ezech. 3.
2. Tim. 4.
Nox.
Lux.
Ephe. 5.
Matth. 15.
Matth. 6.
Prou. 10.
Gen. 12.

plicitate credamus & obtēperemus, nec multū disputemus, interrogemúsque, quā ob rem Deus hoc & illud faciat vel præcipiat, & quomodo hoc & hoc esse posſit. Nā licet rumparis, nō tamē omnes Dei vias expiscaberis. Sequitur. Et cū hoc fecissent, concluserunt pisciū multitudinē copiosam. Hic vide, quātam fides virtutē habeat. Vis scire quātum ad rem faciat, quum in nomine Domini, hoc est, in fide laboratur? Audi quid Christus dicat: Si habueritis fidē sicut granū sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc: & trāsibit. Fides autem sicut granū sinapis, est humilis, & tamen flagrās fides. Humilitas enim & charitas nunquam à fide separari debent. Vbi itaque fides humilis est, nihil de seipsa magni sentit, nec propriæ fidit rationi, & viribus: éstque fortis & flagrans, & per charitatem operatur: ea nimirū omnia potest, veluti Christus ait, Credenti nihil impossibile. Secūdò vides hic, sat pisciū fuisse in aqua: quòd autē Petrus eiúsque socij nullū capere poterant, ea sola causa erat, quòd nocte & sine fide memorata piscabantur. Sic etiā Deus idem Deus est, qui fuit ab æterno: æquè posset nos alere & protegere, atque alios fecit. Non enim abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, &c. Nostra dūtaxat iniquitas & peccata præpediūt nos, efficiúntque quòd tantis affligimur malis. Tertiò item Christus hac piscatione docere voluit, quantū adferat fructus, vbi rectè & piè docetur prædicatúrque. Nam quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltrà nō reuertitur, sed inebriat terrā & infundit eam, & germinare eā facit: sic erit verbū meū, (inquit Deus) non reuertetur ad me vacuū, & cæt. Videmus hoc in diuo Petro, qui post acceptū sanctū Spiritū, vna concione tria millia hominum conuertebat. Sequitur. Rūpebatur autem rete eorū. In his & sequētibus verbis, duo indicata sunt. Primò, quòd Petrus rete solus trahere non potuit. Secundò, ꝙ rete rūpebatur. Quæ duo adhuc fiūt in sancta Christianitate, & in spirituali piscatione. Id autem inde fit, quòd boni simul & mali capiūtur. Sūt enim qui grauāt solū nauem & opprimunt, Ecclesiæ sunt grauamini & offendiculo, graues terrenis cupiditatibus, semper cupiētes reuerti ad limū rerū tēporaliū. Hi sunt carnales & belluini homines, qui Christianitati nō sunt honori, sed probro tātū. Eorū quippè causa nō modò Christiana Ecclesia, sed etiā nomē Christi & Dei blasphematur. Cōtrà, sunt alij, qui rete lacerāt, puta,

Matth. 17.
Fides humilis & ardens.
Ibidem.
Esa. 59.
Esa. 55.
Act. 2.
Homines carnales.
Esa. 52.

qui scripta diuina perperã interpretantur & detorquent,& Ecclesię vnitatẽ scindũt atque perturbãt. Verũtamẽ nõ ideo electi excidũt. Nam Deus non patitur eos tentari vltra id quod possunt: nec ex manu Christi eos eripere quisquã potest. Sequitur. Et annuerũt sociis, qui erãt in alia naui, vt venirẽt & adiuuarẽt eos, &c. Petrus seu Simon, primus erat qui laxabat rete, sed solus trahere non poterat, quin etiam aliorũ auxiliũ implorare cogebatur. Nã in Ecclesia nõ solùm prædicatores necessarij sunt, sed etiã alij ministri. Sic etiã Moyses in lege sua nõ modò sacerdotes habebat, sed & Leuitas: itémque Dauid nõ tantũ sacerdotes & Leuitas, sed etiã cãtores & ianitores instituit. Hoc modò Petrus quoque in ipso statim initio aliquos diaconos cõstituere necesse habebat, ne ipsum & alios Apostolos mora aliqua à prædicãdo detineret. Sic erãt etiã in Ecclesia Antiochiæ Prophetæ & doctores, vt habes, Act. 13. Sic cũ Gẽtes cateruatim ad Euãgeliũ & fidẽ Christi venirẽt, Apostoli qui Hierosolymis erãt, Paulũ & Barnabã in suũ cooptabant consortiũ, vt inter Gẽtes, quẽadmodũ illi inter Iudæos, laborarẽt: Et res vtrobique fœliciter succedebat: nauiculæ ambæ implebantur, multi credebãt ex Iudæis, plures ex Gentibus. Imò quòd nõ solùm Petrus suã implebat nauiculã, sed etiã alij, argumento id erat, nõ modò eos qui prædicãt, suã recepturos mercedẽ, sed eos quoque, qui aliis in rebus Ecclesiæ ministrant. Et postremò ꝙ nauicula ob copiosam pisciũ multitudinẽ penè fuerit mersa, ꝑfiguratio fuit, Ecclesiã & Christianitatẽ vẽturã qdẽ aliqñ in magna discrimina, sed nũquã tñ penitus obrutũ iri, qñ Christ' semel eã clemẽter respexit. Ex hoc iterũ clarè apparet, quã multa & magna in hoc Euãgelio nobis ꝓponãtur. Beat' homo, q res eiusmodi rectè & accuratè cõsiderare potest. De' nobis omnibus suã largiatur gratiã, Amẽ.

1. Cor. 10. *Ioan. 10.*

Diuersæ functiones in Ecclesia.

1. Par. 15. & 26.

Act. 6.

Ecclesiæ nauicula nunquã mergetur.

QVARTVS SERMO
de vltimis verbis Euangelij.



HODIERNVM istud Euãgeliũ insigne miraculũ habet, ꝙ Christ' olim cũ corã discipulis suis, tũ corã populo Iudaico gessit: sed ita scriptũ est & factũ, vt nemo dubitet, quin Christ' hac vice nõ solũ suã doctrinã per id cõfirmare, quẽadmodũ aliis suis prodigiis, sed voluerit etiã spirituale quiddã & futurũ significare. Quod colligi cũ primis potest ex verbo,

ex verbo, quod postremò ad Petrum dicebat: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. En, hoc verbo Christus ipse miraculum exponit. ait præfigurationem esse debere eorum quæ Apostoli postea in mundo essent facturi. Eò Euangelium istud referre nos oportet. Non itaque satis est, nos Dei potestatem & omnipotentiam, vel etiam bonitatem eius in eo considerare, vt in aliis eius operibus: sed porrò videamus oportet perpendamúsque incomprehensibilem eius sapientiam, quòd omnia tam clarè sciuit ac præuidit, quid in Ecclesia sua futurum esset vsque ad consummationem seculi, omniáque tam sapienter instituerit quæ in Ecclesia sua & Christianitate fieri vellet. Quod sanctis Apostolis tum accidit, id adhuc vsu venit in Christianitate: ita iam inde ab initio compertum est, & comperietur vsque ad finem mundi. Quod ergo Christus per id voluit, idem illud adhuc desyderat in Apostolis iuxta ac in populo. In vulgo Christianorum tales homines esse vult, qui Verbum suum cupidè & attentè audiant, celeriter & sine mora obedientes sint, & vsque in finem perseuerent. Sic faciebat populus in Euangelio. Irruebant in Christum, quod illorum indicabat diligens studium: sequebantur Christum vsque ad stagnum, id quod arguebat eorum obedientiam: audiebant prædicationem eius vsque ad finem, quod illorum significabat constantiam. Tales homines vult Christus inter Christianos in genere. In Apostolis & Ecclesiæ ministris aliquid amplius requirit: nimirũ primò, ne otientur. Secundò, ne inanibus & inutilibus negotiis sese occupent: sed ad id suum conferant omne studium, vt quàm plurimos capiant homines, non ad eorum cædem, vt mundus solet, sed ad ipsorum æternam salutem. Pulchrè simul indicatum est, quomodo illud suum munus aggredi debeant, ne frustra & inaniter laborent, sed fructus aliquis inde sequatur. Pimò nanque oportet eos non noctu, hoc est, in inscitia & ignorantia laborare. Secundò, omnia oportet eos ex verbo Dei instituere. Tertiò, vnanimes esse eos oportet. Quartò, non solùm homines capere, sed trahere etiam debent: non modò prædicare, verùm etiam impellere & exhortari. Quintò nõ oportet eos cessare, donec rete cum piscibus ad terram subducant. Sextò, soli Deo in iis omnibus gloriam transcribere debent. Postremò, Christum sequi, & bonis exemplis etiam alios homines conseruare, ne retrocedant,

Luc. 5.

Christi sapientia.

Vulgus Christianum quale velit esse Christus.

Ecclesiæ ministri quales esse debeant.

I. II. III. IIII. V. VI.

eos op

eos oportet. Et quomodo, obsecro, mihi meique similibus ex spirituali multitudine melius, clarius & breuius indicari posset, quid ad officium nostrũ pertineat, quàm in hoc adeò Euangelio indicatum est? Imò quid in causa aliud est, ꝙ nostrûm quandoque tam multi sunt, & tamen Ecclesia parum admodum commodi ex nobis sentit & vtilitatis, nisi ꝙ non cõsideremus, quid officium in se nostrum habeat? Videmus id nonnunquam, & quidem cum magno offendiculo simplicium, nec non detrimento sanctæ Christianitatis, inter nos alios prorsus otiari, alios laborare quidem, sed in temporalibus tantùm rebus. Tum varij alioqui inueniuntur defectus etiã inter eos qui laborãt: alij in nocte oberrãt, ignorantes & cæci, nescientes ipsi quid dicãt. Alij quidẽ lumen habent, sed non verũ lumen, magis suam rationẽ & iudicium quàm verbũ Dei sequẽtes. Alij verũ habent lumen & verbum Dei, sed nouam & peregrinã illi adhibent expositionẽ, non contenti peruulgato atque vsitato sensu, qui sanctæ vniuersali Christianæ Ecclesiæ ab initio probatus est. Alij habẽt verbũ Dei, & germano intellectui acquiescũt: possunt homines capere, complecti, & mouere verbo Dei, cęterùm ex aqua non extrahunt eos, relinquẽtes illos in pristinis eorum peccatis & vitiis. Alij seriò quidem interdum incipiunt clamare, & peccata arguere, sed nõ perseuerant. Alij rectè quidẽ omnia expediunt, sed sibiipsis placẽt, non Deo gloriam deferunt. Alij Deo vt maximè gloriã deferant, malo tamen exemplo destruunt, quod verbis ædificãt. Nusquam igitur non defectus, & in populo, & in Ecclesiæ ministris, & in prædicatoribus, & in auditoribus. Vt plurimùm sicut populus, sic sacerdos. Quàm parum veri studij obedientiæ, & constantiæ in vulgo deprehenditur, tam parum verę fidelitatis & diligentiæ in prędicatoribus cernere est. Vnde fit, vt parum fructus in Ecclesia videatur: quinimò propterea vndiquaq; pessimè agitur in nostra nauicula. Optandũ idcircò foret, vt Euangelium istud benè diligentérq; consideraretur, quò vnusquisq; suæ cõditionis & vocationis melius admoneretur: maximè verò etiam propterea, quò iis, qui omnem pacem & ordinationem inter nos Christianos perturbant, melius obuiari posit. Non minus enim hac in parte istud nunc seculũ laborat, quàm in priori illa. Multos hoc tẽpore inuenias, qui sibi ipsis persuadeant, aut ab aliis persuaderi sinant, quandoquidem oẽs credentes, vnũ Deum, vnam fidem, & vnum Baptisma

Vitia diuersa in Clero & populo.

Ose. 4.

Hæreticos intellige.

Ephes. 4.

ptiſma habent, etiam reliqua omnia in Eccleſia æqualia eſſe debere, ita vt nemo plus minúſue functionis habeat altero. Hinc fit, vt nemo ſuæ vocationis rationem amplius habeat, ſed quiſque falcem ſuam in alienam meſſem mittat, & aliorum officiũ ſibi vſurpet: quiſque vult eſſe Sacerdos, prædicator, Epiſcopus, & ſummus Pōtifex. Quæ omnia verbis Pauli confirmare nitemur, iis videlicet. Vna fides, vnũ Baptiſma, vnus Deus. Item illis, quæ idem alio in loco dicit: In Chriſto non eſt maſculus, neque fœmina, neque ſeruus, neque liber, ſed vnum oẽs ſumus. *Galat.3.* Atqui hodiernũ Euangelium longè nos ſecus docet. Etenim hîc vides non niſi vnum Chriſtum, non niſi vnũ populum, attamen Chriſtus non eodẽ modo ad omnes loquitur: imò manifeſtò diſcrimẽ inter eos facit. Primò loquitur de nauicula, id quod ad oẽs homines pertinet: nec ab eo excuſatus quiſquam habetur aut immunis. Et ſi Chriſtus nihil vlterius feciſſet, cogitare quis poſſet, omniũ rerum æqualitatẽ eſſe oportere inter nos Chriſtianos. *Diuerſi in Eccleſia gradus.* Atqui Chriſtus hoc nõ contentus fuit, ſed mox vt ceſſabat in genere loqui, verſus ad Simonẽ eiúſq; ſocios, in altum ducere iubebat, & retia laxare, inquiens deinde, ex hoc iam capturos ipſos quoque homines. Hoc aũt dicebat nõ ad omnem populum, ſed ad piſcatores ſolũ. Et ſi quis alius ex iis qui in terra ſtabant, hoc verbũ ad ſe pertinere exiſtimaſſet, voluiſſétque nauim vel rete ſibi vſurpare, dixiſſet haud dubie ad eũ Chriſtus: Heus, hoc negotij non tibi dedi, ſed Simoni. Imò ſi ad hæc verba Chriſti, quæ ad Simonem dicebat, oẽs pariter nauem inſiluiſſent, nihil effeciſſent aliud, quàm ꝙ ſeipſos & nauiculam ſubmerſiſſent. Sed nemo hoc conabatur: nouerant omnes, ſolis id piſcatoribus dictũ eſſe. Magna itaque ſit dementia oportet in temerariis quibuſdam, qui in aliorũ hominum officia irruunt nõ vocati & requiſiti, pérq; hoc omnem ordinẽ diſſoluunt ac tollunt. *In Eccleſiaſticorũ ordinum & fundationũ temerarios perturbatores.* Frater, nõ ſatis eſt te dicere poſſe, Chriſtus hoc locutus eſt: ſed videre te quoque oportet, num ad te ſit locutus. Pœnitentiã agite: appropinquauit enim regnũ cœlorum. *Mat.3.* Item: Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Matth.11.* Itẽ: Si quis vult poſt me venire, tollat crucem ſuam & ſequatur me. *Matth.16.* Hæc & id genus verba, oĩbus Chriſtianis dicta ſunt. Cæterũ qđ dicit Mar.16. Euntes in orbẽ vniuerſum prædicate Euangeliũ omni creaturę. Itẽ Ioan.20. Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum: quorũ remiſeritis peccata, remit-

tuntur eis,&c. hæc & similia verba,solis Apostolis eorúmq; posteris & successorib⁹dixit. Atq; hoc pacto Euágeliũ istud ordinẽ facit in Christiana Ecclesia vel cõgregatione. Et est hic ordo summè necessarius. Quapropter errãt ij,q eiusmo
Rom.12. di ordinẽ tollunt & infringũt. Hinc fit ꝙ diuus Paulus Chri
1.Corint.11. stianã nostram cõgregationẽ cõparat humano corpori,multa habenti mẽbra, sed tamẽ discriminatim,vnumquodlibet in suo ordine & proprio officio ac opere,&c. Et ad Ephe.4. cap.inquit,Christum dedisse alios Apostolos, alios Euangelistas,alios Pastores & Doctores,&c. Sic etiam sunt etiamnum in Ecclesia,ad quos Christus dicit: Ducite in altum, & laxate retia vestra. Alij mandatum hoc non habent,verumtamen in mari sunt,laxantes retia,adiuuant,vt ad terram subducant. Hi sunt quibus officium quidem prædicationis demandatum non est, gerunt tamen alia munera, quibus Ecclesiæ ministrant,& prædicatoribus adminiculantur. Talibus etiam indiget Ecclesia: vnus enim Petrus reti trahẽdo non sufficiebat. Quamobrem etiam nemo eiusmodi officia damnare debet. Sunt adhuc alij in Ecclesia, qui neque retia laxant,nec in trahendo operã præstant,nullo peculiari munere fungentes in Ecclesia: his satis esse debet,quòd Christum audiãt: haud mari sese cõmittere debẽt,sed in littore manere,& Deo gratias agere, quòd ad grauia & periculosa munia vocati non sunt. Nam cui cõmendatũ est mul-
Luc.12. tum,plus petetur ab eo. Sed audiuimus quid ex hac mirabili pisciũ captura cõsecutũ sit. Quod cũ videret Simõ Petrus (inquit Lucas)procidit ad genua Iesu,dicens: Exi à me, quia homo peccator sum domine. Videmus hîc primò in diuo Petro naturam & conditionem boni & pij hominis. Nam etsi nauis illius erat,& ipse rete laxauit & traxit,intelligebat tamẽ,talem piscium capturam non humanis viribus & labore,multò minus casu factã esse,sed diuina virtute: quapropter non sibi ipsi,sed Christo omnem laudem & gloriã huius operis transcribebat,seipsum,nõ alium agnoscẽs, quàm peccatorem,& indignum,per quem Deus eiusmodi operaretur miracula. His autem satis ostensum est, quid Euangelicum doctorem facere oporteat,cùm videt, suam prędicatio-
Math.11. nẽ afferre fructũ: nimirũ laudare Deũ, & ei soli gloriam tribuere,queãdmodũ quoq; ipse Christũ faciebat, vbi inquit: Cõfitebor tibi Pater dñe cœli & terrę,qa abscõdisti hęc à sapiẽtib⁹,& prudẽtib⁹,& reuelasti ea paruulis,&c. Sic etiã Paulus

lus in oĩbus suis Epistolis vni Deo assignat gloriã, sibi nihil 1.Corint.8.
tribuẽs, præter laborẽ. Neque qui plãtat, aliquid est, inquit, neq; qui rigat, sed qui incrementũ dat, Deus. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementũ dedit. Huic debẽt gloria. Quod aũt Petrus postea dicit, Exi à me, quia homo peccator sum Dñe, figura & typus fuit eorũ, qui infirmã habent fidem, & tepidũ amorem in Deũ, & quò magis reos ac peccatores se intelligũt, hoc lõgius à Deo fugiũt. Sed malè. Nam qui auxiliũ petit, nõ debet medicũ fugere, sed ad eum currere: & væ homini peccatorẽ se sentienti, & tamen à Deo fugiẽti. Talis enim proculdubio currit in foueam desperationis. Sic faciebat etiã hic Petrus: sic faciebat Adam in Paradi Gene.3.
so: sic faciunt oẽs perturbatæ cõscientiæ. Sed audi quid Christus dicat: Noli timere. Verbũ verè Euãgelicũ, & per omnia consolatoriũ. Expauefacta conscientia meritò quidẽ fugere, verùm nõ à Deo, sed ad Deũ fugere debet. Bonũ & salutare est, ꝙ nos ipsos pro peccatoribus agnoscimus: & quò profundius nos agnoscimus & humiliamus, hòc melius: sed hòc magis, & cupidius ad Dei quoq; misericordiã, & agendam pœnitentiam currere debemus. est enim hoc certũ & verũ verbum, ꝙ Iesus Christus venit peccatores saluare. Sequitur: 1.Timot.1.
Ex hoc iam hoĩes eris capiens. Hoc verbo innuit Christus, in quem finẽ miraculum hoc cũ piscibus fecerit. Sentẽtia est perinde acsi dicat: Admiraris, ò Simon, miraculum copiosæ pisciũ capturæ: sed maiora adhuc videbis & experieris, quin ipse maiora facturus es. Vtique verũ. longè enim maius miraculum fuit, ꝙ ipse Petrus pauper & indoctus piscator, in Act.2.
prima sua prædicatione tria millia hominũ ad Christũ conuertit, quàm ꝙ nũc duas naues vno iactu piscibus impleuit.
Vbi primò obseruandũ, ad quid nos Christus vocauerit: Eccle.17.
nimirum vt etiã alios ad ipsum trahamus. mandauit enim Deus vnicuiq; de proximo suo. Secũdò considerandũ hìc est, cuiusmodi Christus homines ad Apostolatum elegerit: ni 1.Corint.1.
mirum nõ multos sapiẽtes aut potẽtes, sed qui coram mũdo infirmi & contẽpti erant. Id aũt principio factũ est propter- I.
ea, vt nemo iactare posset ac dicere, se sua scientia ac peritia hoc vel illud præstitisse, quod ipsum nec Apostoli dicere aut Christus cur
cogitare poterant, se ob doctrinæ suæ excellentiam ad hoc rudes Aposto-
munus electos: & ne profectus ac fœlix successus Euangelij les elegerit.
humanis viribus aut mundanis promotionibus transcriberetur. Secundò, Christus ideò simplices piscatores elegit, II.
ne host

ne hostes & aduersarij Christi & Euangelij, dicere possent, eum simplici mundo per versutos & vafros homines imposuisse. Quemadmodũ Paulus de seipso dicit: Ego cùm venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis & sapientiæ, annuncians vobis testimoniũ Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christũ, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & sermo meus & prædicatio mea nõ in persuasibilibus humanæ sapiẽtiæ verbis, sed in ostentione Spiritus & virtutis, &c. Sic & alio in loco ait; Nunquid per aliquem eorũ quos misi ad vos, circumueni vos? nónne eodem Spiritu ambulauimus? nónne iisdẽ vestigiis?

1. Cor. 2. *1. Cor. 12.*

III. Tertiò, Christus propterea etiã primò pauperes piscatores in Apostolos elegit, ne quis cogitaret, eum hominũ aucupari fauorem, & acceptorem esse personarũ, si diuites ac potentes, & nõ pauperes recepisset.

IIII. Quartò, ideò quoque pauperes recepit piscatores, vt illũ tantò expeditius sequi possent, & illud perficere, ad quod illis vti cõstituerat. Nam per magnas diuitias & honores mundanos multi homines retrahuntur. Vnde & Paulus dicit, eos qui volunt diuites fieri, incidere in tentationẽ & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

1. Tim. 6.

V. Quintò, eam etiã ob causam id factum est, vt ipsis sanctis Apostolis id esset institutioni. Nam qui paupertatem suam cõsiderat, magnam habet causam in vero ordine manendi, de quo Paulus dicit: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula. Hic est verus ordo, vt vnaquæq; creatura, ad quantuncumq; tollatur fastigium, Creatori tamen sese subiiciat, & cõfiteatur ex ipso vno esse & proficisci quicquid boni habeat. Ad eam cognitionẽ plurimũ facit, si quis meminerit prioris suæ paupertatis: imò quò plus Deus per S. suos Apostolos efficere volebat, hòc plus eis necessarium erat, vt superioris suæ paupertatis & inhabilitatis meminissent, vt eiusmodi dona seruarent, dum bene fundati essent & firmati in Spiritu humilitatis.

Rom. 11.

VI. Postremò quoque Christus ideo piscatores ad Apostolatum elegit, ꝙ officium simul & opus piscatorum, & prædicatorum, pulchrè inter se conueniant. Nam quemadmodum piscator suo reti pisces è profundo & è tenebris sursum & ad lucem extrahit: ita quoque prædicator educit verbo Dei homines è tenebris ignorantiæ, & ex surdidis curis huius mundi, ad lucem veritatis,

Piscatorũ & prædicatorum conuenientia.

ritatis,& amorẽ rerũ cœlestiũ. Et queadmodum piscatores sua retia laxant,incerti quid sint capturi, nec protinus cessant,etiamsi non semper capiant, nec metuũt periculũ , vbi capiendi aliquid spes est: Sic quoque facit Euangelicus prædicator:verbum Dei annunciat,ignarus quis illud accepturus sit. Hi enim soli,quibus Deus cor mouet , verbum eius accipiunt. Nec ideò Euangelicus prædicator statim cessat, cùm emendationis spes nulla apparet:sed secundum doctrinam Pauli,arguit, increpat, instat opportunè , importunè: nec illi graue est seipsum periculo exponere ad aliorũ æternam salutem promouendam,vti rursum Paulus dicit : Ego autẽ libentissimè impẽdam,& superimpendar ipse pro animabus vestris. Sequitur: Et subductis ad terrã nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum. Hîc vide, quantum hi piscatores nos anteiuerint. Vnicum verbũ audiebãt ex Christo, vnicum miraculum videbant, & protinus omnia relinquebant. Nos ne vniuersi quidem miraculis, quæ Deus iam inde ab initio mundi fecit, mouemur. Proinde obseruandum primò hoc loco , quantam fidem & deuotionem optimi Apostoli ex hoc miraculo hauserint , vt omnia statim postponerent : non domum irent ad valedicendum suis, simpliciter Christum sequentes, haud cogitantes vnde victuri essent. Etenim verè credens , Christo nihil potius & charius habet. Id quod potissimùm videmus in Ioanne & Iacobo, Simonis sociis: hi non solùm relicta sua naue & retibus,sed etiam patre suo Zebedæo , sequebantur Christum; Huc pertinet , quod Christus dicit:Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Patrem & matrem debemus quidem post Deum præ omnibus hominibus amare, sed tamen Deum præponere. Ad hæc quoq; videmus Apostolorum promptam obedientiam , vt qui in medio opere erant,habentes pisces in magna copia, sed relictis iis, Christum vocãtẽ sequebantur:in quo declararunt se tanquam veros Abrahæ filios, qui similem Deo præstabat obedientiam. Sed audi præterea,quãtam vim vox Christi habeat. Enimuerò sanè nullus est magnes,qui tam potenter ferrum ad se attrahat,vt Christus corda hominum. Fœlicem hominem , qui Christum cognoscit , habet & audit, eiq; morigerum se prębet. Beati oculi inquit , qui vident quæ vos videtis. Deus nobis omnibus suam largiatur gratiam, Amen.

2.Tim.4. *2.Cor.12.* *Matth.4.* *Matth.10.* *Gen.12,22.* *Luc.10.*

QVINTVS SERMO DOCET *Euangelium non solùm historiam, sed etiam figuram fuisse.*



NEMINI circa Euangelium istud mirum videri debet, ꝙ non solùm enarratur tanquàm historia semel gesta, & tanquàm miraculum à Christo semel in mari editum, sed etiam tanquàm figura, qua suis Apostolis futuri aliquid indicare voluit. Id enim Scripturæ nõ rarũ est, vt res quæpiã
Gen. 3. verè gesta, futuri aliquid significauerit. Vt quod Deus ex costa ex Adã sumpta, mulierẽ creabat faciebátq;, verè quidem ita accidit, sed tamẽ mysterio nõ caruit: nimirũ quãdo Christus in cruce obdormiturus esset, fore vt Ecclesia & Christiana cõcio ex latere eius crearetur. Et ita euenit, ex latere eius aqua & sanguine fluentibus, sacramentis duobus præcipuis: altero, quo regeneramur, id est Baptismo: altero, quo
Ioan. 19. pascimur, quod Sacramentum est altaris. Ita quod de Noë scriptum habetur, eũ fecisse arcã, in qua se suósq; à diluuio
Gen. 6. seruauerit, reliquis omnibus hominibus mersis, verè gestũ est, nihilominus tamẽ futuri etiã aliquid significauit: nimirùm Baptismũ nostrũ, in quo seruamur, vti Petrus exponit:
2. Pet. 3. sine quo Baptismo omnibus mortalibus pereundũ est. Sic quod Scriptura dicit, Abrahæ duos fuisse filios, alterum ex
Gen. 29. ancilla, alterum ex libera matrefamiliàs, & tamen ancillæ filium domo pulsum, hæreditatem verò soli filio liberæ relictam: verè sic accidit, attamen futuri quiddã interim designauit: nimirùm duo Testamenta, quorũ alterũ est cessare, alterũ perpetuum esse debebat, veluti Paulus exponit. Sic
Gala. 4. ꝙ Iacob scalã videbat à terra ad vsque cœlũ stantẽ, &c. om-
Gen. 28. nino ita factũ est: sed tamen præterea futuri aliquid significauit: nimirũ ex semine illius nasciturũ quendã, qui cœlum nobis aperturus esset, nos mortales non solùm cũ Angelis, sed etiam cum Deo ipso reconciliaturus. Sic quod Scriptura dicit de duobus fratribus Iacob & Esau, quemadmodum
Gen. 27. inter se certauerint pro benedictione patris ipsorum, & primogenitura, existimante Esau, eam ad se pertinere, vtpote primogenitum, Iacob verò clam sese ingerente, & benedictionem reportante, eámque retinente, quantumuis indignante fratre: verè ita gestum est, nihilominus tamen futuri etiã aliquid denotauit: nimirũ, etsi Iudæi primũ

Deum

Deum cognouissent, Gentes tamen longè antecessuras, & attracturas ad se omnia quæ Iudęi prius habuissēt. Sic quod Ioseph vendebatur in Aegyptū à suis fratribus, cæterū illic ad amplissimos euehebatur honores, cui etiā fratres ad genua accidere cogebantur: verè ita contigit, attamen non vacauit mysterio suo de futuro: nimirū fore, vt Christus à suo proprio populo crucifigeretur: at verò per hoc exaltandus, vt eum cùm Iudæi, tum Gentes pro vnico suo domino & seruatore agnituri essent, & adoraturi. *Gen. 37.*

Eiusmodi adferre exempla plurima possem ex tota Scriptura. Tantò minus admirari debemus, ꝙ etiam istud Euangelium duabus hisce viis exponitur, nimirùm tanquam historia, & tanquam figura rerum futurarum. Vtiq; Christus miraculum gessit in mari cum piscium captura, quo populus, cui antea prædicauerat, confirmaretur in doctrina, ne dubitarent, quin Dei esset verbum, quandoquidem tā magnum & diuinū opus sit secutum. Nihilo minus verò quoniam Christus hac vice Apostolos suos primùm vocabat, statim illis ostendere voluit, ad quid eorum opera vti velit: nimirùm vt eos mitteret in orbem, ad homines de profundo omnium peccatorum & errorum, verbo Euāgelij ad lucem veritatis & cognitionis Dei ducendos. Ad hoc illis vti Christus volebat. Huic rei subseruiebat, quicquid hoc miraculo nominatur, mare, nauicula, pisces, &c.

Mare significabat illis mundum vehementer ob hoc sæuiturum, quemadmodum Christus multifariam prædixit: Absq; synagogis, inquit, faciēt vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et iterum: In synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & ad reges ducemini propter me. Tradet frater fratrē in mortem, & pater filium, & eritis odio omnibus propter nomen meum, &c. Hæc est tempestas maris & mundi. *Mare, mundus.* *Ioan. 16.* *Matth. 10.*

Per nauiculā pręfigurabatur illis sancta Christiana Ecclesia, fluctuatura quidem horsum illorsum, & sæpè ventura in pericula, sed tamen in finem vsq; perstitura mansuráque: veluti etiam aliis in locis verbis indicat, Ecclesiam suam immotam staturam contra omnes inferorum portas, hoc est, contra omnem humanam diabolicámque potestatem. Per rete significabatur, non externa eos vi aut potentia, sed verbo prædicationis ad se adducturos homines, non quidem in mortem, sed ad vitam & lucem. *Nauicula Ecclesia.* *Matth. 16.* *Rete, prædicatio.*

Captura piscium successus prædicationis. Per capturã piscium, præfigurabatur illis prædicationem eorum fœliciter successuram, sat illos hominum capturos, sed difficulter ad terram adducturos: imò omnia pericula subituros, quẽadmodum in pisciũ captura nunc experti erãt: tandem tamen ambas naues plenas piscium reportaturos, hoc est, magnam populi Iudaici multitudinem ad Christum conuersuros, & ad salutem perducturos, multò autem plures ex Gentibus: quemadmodum etiam Ioannes in sua Apocalypsi duas videbat turbas, nimirùm primò centum quadraginta quatuor signatorũ ex duodecim tribubus Israël: deinde verò adhuc aliã turbã, quã dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis. *Apo. 7. 4.* Vide, hæc erat copiosa multitudo piscium: imò hæ illæ duæ naues erant piscium plenæ, nimirùm multitudo credentium ex vtrisque populis collecta.

Hæc omnia Christus suis discipulis præmonstrare, & ob oculos ponere voluit, simúlque nobis indicare quàm fuerit bonus suus in nos Adæ filios animus, vtque nostrę misertus miseriæ, ex mera gratia constituerit nobis sibi obtẽperantibus auxiliari. Deinde Apostolos docere voluit, hoc non illorum artem aut vires, sed suam facturam potentiã. Tertiò item vniuerso orbi manifestare per hoc voluit suam sapientiam, dum ad tale opus non profundè doctos, sed pauperes piscatores accepit, veluti Paulus quoque dicit: Non multos sapientes, non multos potentes, non multos nobiles: sed quæ stulta & infirma sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes & fortia, vt gloria illi vni relinquatur. *1. Cor. 1.* Hoc nobis in isto Euangelio indicatum est.

Facilè hinc apparet, quid Christus potissimùm quæsierit in terris. Prædicare volebat, & prædicatores instituere. Et ea quoq; duo in hoc Euangelio fecit. Initiò prędicabat ipsemet, deinde piscatores etiã prædicatores faciebat. Hoc summè necessarium ducebat: hoc illi potissimùm curæ erat, vt videre est in Matthæo clarissimè. *Matth. 9.* Videns turbas, inquit, misertus est eis: quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. *Matth. 10.* Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatẽ spirituũ immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem lãguorem, & omnẽ infirmitatem. Misit eos, præcipiens eis, dicẽs:

Euntes

Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum, &c. Id genus verbis eo in loco multis vtitur per totum caput. Nemo non videre potest, eum rem seriam & necessariã indicasse. quã enim ardenti studio ipse per se prędicabat: tam quoq; diligẽter alios sufficiebat prædicatores.

Et quod illis verbis effecit, id in hodierno Euãgelio opere præsignificauit. Populus irruebat in eum, magnus erat concursus, vt audirent eum. Hæc erat messis illa multa. quinimò argumentum id erat, mirum in toto mundo pro regno Dei studium & conatum oriturũ. Multa messis aderat, sed nulli operarij adhuc apparebant. Christo negotium curæ erat, primus rem aggrediebatur, prędicãs de nauicula, alios deinde etiam prædicatores instituens, nec vnum, sed multos. Ii ad eiusmodi officium opus habebant doctrina & solatio, pręmonitione & exemplo. Quod quoq; illis Christus mirificè dedit in hoc Euãgelio. nihil præteritum in eo, quod ad prædicationis munus pertinet. Christus tamen vno verbo omnia expedit, quod est, Noli timere, ex hoc iam homines eris capiẽs. Perinde acsi dicat: Simon, quod tu & socij tui nunc vidistis in externa piscium captura, id in posterum quoq; experiemini ac videbitis in officio ad quod vos vocaui, & in quo vobis vtar. Homines capietis non ex aqua, sed ex errore, tenebris & peccatis: attamen non reti aut laqueis, sed verbo Dei: non ad eorum interitum, sed ad æternam illorum salutem. Quare nunquam vobis memoria excidat, quod modò vidistis, audiuistis & experti estis. Siquidem eiusmodi deinceps vestra in functione identidem persentietis. Hoc Christus suis Apostolis in ipso statim initio pro ipsis ipsorúmque posteris hoc miraculo & adiunctis verbis animis eorum infigere voluit. Et erant quidem hæc omnia, quæ eos scire oportebat.

Luc. 5.

Matth. 11.

Luc. 5.

Vera nauicula Ecclesia catholica.

Etenim primò, qui piscatorem agere vult in flumine magno, nauim & rete habeat oportet. Ex quo ista capitur institutio, quam Christus suis piscatoribus, suis Apostolis dat: vt primùm & ante omnia despiciant de vera naui in qua Christus sedet, hoc est, de vera vniuersali Christiana Ecclesia, ínque ea maneant verbo Dei instructi & parati.

Secundò nullus piscator ita solers & prouidus est, quin rete suum interdum in limo & cœno immundum faciat, vt lauare illud necesse habeat: aut palo adhærens laceret quandoque, vt reparare & sarcire cogatur. Est

altera doctrina Apostolis & omnib' prædicatoribus ex hoc Euangelio data, vt rete eorũ mundũ & integrum, prędicatio pura & illibata, imò cõmuni doctrinæ Christianæ Ecclesiæ conformis sit. Tertiò, non potest piscator semper in terra manere, sed cogitur aliquãdo in altũ nau: prouehere, varia subire pericula & experiri. Tertiũ id est, quod Christus hîc suis Apostolis insinuare vult, nimirũ eos in officio suo omnifaria discrimina expectare oportere. Siquidẽ profectò vere periculosum officiũ est, siue quis taceat, siue loquatur. Si tacet quis, nec loquitur, prædicat, arguit aut monet, iã hoc illi periculum imminet, de quo Isaias dicit 6. cap. Væ mihi, quia tacui. Et Paulus 1. Cor. 9. Væ mihi si nõ Euãgelizauero. Et Deus ad Ezechielẽ: Si dicẽte me ad impiũ, Morte morieris, nõ annũciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinẽ autẽ eius de manu tua requirã. Hoc periculum instat prædicatori tacenti, vbi loquendũ erat. Et vt maximè non taceat, sed loquatur ac prædicet, verũ non vt conueniebat, sed hominũ magis fauorẽ quã Dei emereri cupiẽs, periculũ adest, de quo Isaias dicit: Væ qui dicunt malũ bonum, & bonũ malũ: ponentes tenebras lucẽ, & lucem tenebras: ponẽtes amarum in dulce, & dulce in amarum. Popule meus, qui te beatũ dicunt, ipsi te decipiunt. Et Hieremias: Væ Prophetis, qui omni qui ambulat in prauitate cordis sui, dixerunt: Non veniet super vos malum, cõfortantes hoc ipso manus pessimorũ, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua. Et in Ezechiele: Erit manus mea super Prophetas qui vident vana, & diuinant mendaciũ, dicentes: ait Dominus, cũ ego non sim locutus: dicentes populo meo, Pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis: consuunt puluillos sub omni cubito manus: occidunt animas quæ nõ moriuntur, & viuificant animas quæ non viuunt, propter pugillũ hordei & fragmen panis, hoc est, ob paruum tẽporale lucellũ, &c. Hoc prædicatorem manet periculum, qui in gratiã hominis loquitur. Tum etsi prędicator vera doceat, & tamẽ malo suo exẽplo seu vita destruit, quod verbis ædificat, iam rursum in periculo stat. Vti Paulus dicit: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autẽ non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Dicit itaque alio in loco, nempe, 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo,

Prædicatio sit integra.

Tacentis periculum.

Ezech. 3.

Pseudo doctori, periculum.

Esa. 5.

Hier. 23.

Ezech. 13.

Periculum doctoris malè viuentis.

1. Cor. 13.

tedigo,ne fortè cū alijs prædicauerim,ipse reprob⁹ efficiar.

Postremò,vt maxime omnia prædicator bene peragat cū verbo,tum exemplo,omne tamē periculum expectet oportet à mundo improbo eiúsque principe.Queādmodū multis in locis Epistolarum suarū de eiusmodi periculis scribit Apostolus,quæ ipse & alij experti sunt.Hoc Christ⁹ suis discipulis indicare voluit,atque monere eos,cū in altum vt ducerent,iubebat.Aliis in locis expresſis verbis illis dixit, qui suus esse discipulus velit,eū omnibus renunciare oportere.Et hoc tertium est. Quartò,nullus piscator tam imperitus est, quin licet pro virili laborarit, nouerit tamen omnē fortunam & prouentum sui laboris à Deo pendere. Ea quarta doctrina est,quam Christus suis Apostolis in hoc Euāgelio dat:nimirū vt qui in Apostolatu fructū facere velit,is neque suæ scientiæ,neque labori,neque diligentiæ fidat,sed solùm dicat cum Petro: Domine in verbo tuo laxabo rete,hoc est,vt simpliciter secundum fidē & ex præscripto verbi Dei suum exequatur munus. Quintò, nullus piscator rete suum propterea duntaxat laxat,vt pisces comprehendat,sed vt ad terram eos pertrahat,atque isthic primum verus labor & periculū incipit,isthic sociis opus habet,à quibus iuuetur:imò vnà cum illis obseruare debet,vt æqualiter trahant,non vnus huc,alius aliò,alioqui non solùm piscium iacturam facerent,sed seipsos etiam in discrimen adducerent.Adhæc leniter oportet vt trahant,ne rete forsitan ad palum adhærens rumpatur. Et tertiò,etiāsi pisces in nauim attollunt,videre eos oportet,ne naui onere nimium depresſa,labor inanis sit sumptus.Atque ea omnia eiusmodi sunt,quæ Christus infigere suis Apostolis voluit.

1.Cor.11.

Luc.14.

Primò,ne contenti sint,quòd multos habent auditores, sed omnem adhibeant diligentiam,vt eos ad salutem ipsorum adducere posſint. Secundò,vt semper sibi ab hæreticis caueant,ne illis rete rumpatur,& homines ex vera doctrina ad alias & falsas doctrinas abducantur. Tertiò,vt peccata etiam & vitia arguant eorum, qui Ecclesiam affligunt,& Christianam congregationē offendunt. Postremò,vt vbi hæc omnia fecerint,& nullo non modò laborauerint ad conuertendos homines,soli tamen Deo deferant gloriam,seipsos cum diuo Petro tanquàm miseros peccatores agnoscant,& tam diuino officio indignos iudicent, iuxta doctrinam Christi: Cùm feceritis omnia quæ præce

I Prædicatori obseruanda. *II* *III.* *IIII.* *Luc.17.*

1.Cor.3. pta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Nam reuerà, vti Paulus ait, neque is qui plantat, neque qui rigat, aliquid est, sed qui incrementum dat. Is autem Deus est, & huic vni omnis debetur honor. En, hæc Christus suis discipulis in hoc Euãgelio voluit proponere, quæ omnia eiusmodi sunt, quæ ad eorum pertinent munus, & simul omni cum diligẽtia considerari debent. Quemadmodum igitur Christus Apostolis & prædicatoribus officium eorum & legationem hac admirabili piscium captura deliniauit: ità quoque Pe-
1.Pet.3. trus in hodierna facit Epistola, omnibus Christianis infigere volẽs, quod illorũ etiam munus sit & vocatio, quò vtrinque res bene peragatur. Nam vt Sancti Apostoli & prædicatores peculiarem suam vocationem habent: ita nos etiam ex promiscua multitudine nostram vocationem habemus. Neque sanè in Sancta Christianitate melius ageretur vnquam, quàm si Pastores & Duces hodiernum Euangelium, nos autem ex vulgo hodiernam Epistolam semper ob oculos haberemus. Sed quantum in vno loco deest, tantum deest in altero quoque. Nemo secum animo recolit suam vocationem: ideò non mirum, si confusè pleráque & inordinatè in Ecclesia gerantur. Deus nobis oculos aperire dignetur, vt id videre posimus: & gratiam donare, vt bonũ quod videmus & audimus, fideliter sequamur, Amen. Qua de re, optime Christiane, hodiernam Epistolam diligenter videas, vtpote mirificè tibi profuturam ad bonum.

SEXTVS SERMO de Euangelio in genere.



IRCA hodiernum istud Euangelium eiúsque mysterium, de quo in præcedentibus sermonibus dictum, non immeritò quis demirari posset, quòd sancta, & vniuersalis Christiana Ecclesia hoc loco nauiculæ seu scalmo piscatorio comparatur: quæ tamen alioqui aliis in locis sacræ Scripturæ, interdum magnæ, celebri & regiæ ciuitati comparatur. Vti cùm Dauid ait: Magnus Dominus & lauda-
Psal.47. bilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni. Deus in domibus eius cognoscetur, cùm suscipiet eam. Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit

dauit eam in æternum,&c. In his verbis, atque adeò in toto illo Psalmo, loquitur Dauid de nulla alia ciuitate, quã de ea, quam Christus in terris ædificare debebat, non ex ligno & lapide, rebus sensu carentibus, sed ex viuis rationalibus hominibus. Ea autem non alia est, quàm S.& vniuersalis Christiana Ecclesia, quam Paulus vocat domum & templum viui Dei. Ioannes verò nominat sanctam, spiritualem, nouam & cœlestem Hierosolymam. Vidi, inquit sanctam ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus,&c. Hæc verba quoque propriè dicta sunt de sancta Christiana Ecclesia, quæ verè domus Dei est, & ciuitas, in qua Deus per Christũ & Spiritum sanctum apud nos homines degit. Est autem hæc prorsus magnifica comparatio sanctæ Christianitatis, si cum ea conferas, qua in hoc Euangelio nauiculæ comparatur. Quid enim disiunctius? Quid incongruè magis comparari potest, quàm magna ciuitas, & nauicula? Neque tamen mirum, quòd sancta Christiana Ecclesia duabus tam diuersis rebus comparatur: quandoquidẽ Christus ipse agno & leoni assimilatur. Ne fleueris (inquit Angelus ad Ioannem) ecce vicit leo de tribu Iuda: cæterùm circumspiciens de leone Ioannes videbat agnum stantem tanquã occisum,&c. Si itaque Christus agnus simul & Leo esse potuit, agnus secũdum humanitatem suam & in passione sua, Leo verò secundum diuinitatem suam & in resurrectione sua: potest vtique etiam Ecclesia & Christianitas ciuitati pariter & nauiculæ comparari. Dauid vocat eam magnam & insignem ciuitatem, sicuti reuera est: Euangelium istud eam nauiculæ in mari cõparat. & rectè quidem. Attamẽ vnũquodlibet suam causam habet peculiarem. Quum consideramus, quomodo Deus Ecclesiam suam ædificauerit, cõseruauerit, immunem reddiderit dotarítque, præclaram certè videmus ciuitatem. Verùm si eam cum mundo conferimus, quid iam inde ab initio in mundo passa sit, quæ pericula sustinuerit, quin adhuc etiam patiatur ac sustineat, nihil sanè aliud est, quàm nauicula in magno flumine. Porrò de gloriosa ciuitate Dei, aliàs dictum est. Christum eiúsque nauiculam nunc considerare nos oportet. Multa & magna

1. Tim. 3.
Apoc. 21.
Apo. 5.
Ecclesia cur ciuitati,
Cur nauiculæ similis.

nobis Christus per hanc nauiculā indicare voluit: imò nullum verbum est in hoc Euangelio, quod non magnū quiddam significet. Mare est mūdus: nauicula est sancta Ecclesia: piscatores sunt Apostoli & prædicatores: rete est verbum Dei: pisces sunt omnes homines: terra seu litus, est æterna salus. Aptæ sunt comparationes, ad id omnes inseruientes, quò melius appareat, quis sanctæ Christianitatis hic in terris sit status. Imò cui mundus congruentius cōparari potest, quàm mari? quod semper tempestuosum est, & nusquam penitus tranquillum, nunc ab hoc, nunc ab alio vento impellitur: imò quantumuis placidum est, nusquam non tamen tempestas & procella in eo metuenda est ac expectanda. Sic etiam in mundo fieri consueuit: alius euehitur, alius deprimitur: nec aliud in mundo expectandum est, quoad mundus vocatur, & diabolus princeps mundi dicitur. Si enim tranquillus & sedatus esset mundus, non mundus esset, sed vita æterna, Sed manet scilicet id quod Christus alio in loco dicit: Mare est seculum. Qui in hoc mari fortior est, is opprimit debiles, vt in omnibus videmus ac legimus historiis, & ipse vsus quodianus docet.

Mare, Nauicula, Piscatores, Rete, Pisces, Litus.

Ioan.14.

Matth.13.

Hoc mare habet & alit varia animantium genera. præterea innumeri in eo merguntur homines: nimirum qui ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis. Secundò, quid aptius nauiculæ comparatur, quàm sancta Christianitas? Ea parua est ad mundum collata: semper est in periculo. semper enim habet quòd pugnet, non cum carne & sanguine, sed cū principibus & potentibus, cum mundi rectoribus tenebrarum harum: huc illuc iactatur. Primitus parua fuit & angusta, vnde & Christus suos discipulos pusillum gregem vocat: in medio verò hæc nauicula latior nōnihil est & spaciosior, in fine autē rursum in arctū cōtrahitur. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Tertiò, homo sibi ipsi relictus, quid aliud est, quā piscis in aqua, hærens in profundo & tenebris, diffluens in omnia peccata, prauas cupiditates & luxū? Vt Paulus dicit: Eratis aliquādo tenebræ, nunc autē lux in Domino. Et iterū: Eratis mortui in delictis & peccatis vestris, In quibus aliquādo ambulastis secundū seculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius, facientes voluntatem carnis

Ephe.4.

Ephe.6.

Luc.12.

Matth.22.

Ephe.5

Ephe.2.

carnis & cogitationum: eratis naturâ filij iræ, sicut & cæteri. Deus autem, qui diues est in misericordia, conuiuificauit vos Christo, &c. Et rursum: Eratis aliquando adulteri, scortatores, fures, auari, &c. sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi. *1.Cor.6.*

Quartò, quid olim fecerunt, hodiéque faciunt Apostoli & prædicatores aliud, quàm quod miseros condẽnatos Adæ filios, è tenebris erroris, è profundo condẽnationis, & ex fluxis ac momẽtaneis gaudiis flagitiosæ & impię vitæ, ducunt & trahunt ad lucem diuinę gratię, ad agendã pœnitentiam, & ad æternã salutem? Annũciamus vobis (inquit Paulus) ab his vanis cõuerti ad Deũ viuum, qui fecit cœlum & terram. *Act.14.* Et Ioannes: Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, *1.Ioan.1.* annũciamus vobis, vt & vos societatẽ habeatis nobiscum, & societas nostra sit cũ Patre & cum filio eius Iesu Christo.

Quintò, cui verbum Dei melius comparari potest, quàm reti? Etenim primò ex multis restibus contextum est: habet nanq; doctrinam, adhortationes, exempla & promissiones. Et ita sanè necessarium est. Quippè non omnes homines huiusmodi verbo capiuntur: alij volentes trahuntur docentúrque, alij terrendi sunt. Proinde monet Paulus discipulum *2.Timot.4.* suum, vt omnibus modis instet docendo & increpando, arguendo & obsecrãdo, opportunè, importunè, &c. Secundò, latè sese verbum Dei porrigit, fortiter trahit, hominem capit nec opinantem. est enim viuus & efficax sermo, & pene- *Heb.4.* trabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est creatura vlla inuisibilis in conspectu eius. Non solùm autẽ trahit fortiter, sed tenaciter quoque tenet, vt in Petro videre est, dicente: Domine ad quem ibimus? verba vitæ *Ioan.6.* æternæ habes. Tertiò, quemadmodum rete varios complectitur pisces, magnos & paruos trahens, bonos & malos: sic etiam verbum Dei neminem excludit: omnibus prædicatur. Deus enim non est acceptor personarum, licet homines *Act.10.* valde dissimiles sint. & dispari modo teneantur in hoc reti.

Quidam enim ita lubrici sunt, cùm sentiunt se verbo captos, omnes elabendi & excusandi quærunt vias. Quemad- *1.Reg.15.* modum Saül faciebat à Samuele correptus. Et Achaz iussus ab Isaia petere signũ, Non petam (inquit Esa.7.cap.) & non *Hæretici* tentabo Dominum. Alij non solùm elabuntur, sed rũpunt *scilicet.*

etiam

etiã rete, per falsam interpretationẽ Scripturarũ, & direptionem Christianæ cõcordiæ, aliis vt excidant authores. De his
2. Pet. 2. multa Petrus in secunda sua Epistola. Christus ipse Mat. 24. prædixit, tales vẽturos. Alij ita pressi sunt terrenis cupiditatibus, vt non solùm ad tẽporalia propensi sint, sed trahant
Matt. 15. etiam verbum Dei ad quęstum suum temporalem, quemadmodum Pharisæi faciebant apud Iudæos. Alij talem præ se ferunt speciem, perinde acsi sint boni pisces, ratione simula-
Matth. 13. tæ probitatis: sed coram Deo mortui sunt, & in fine mundi eiicientur. Quartò, vt videri quid in sagena sit, non potest: malum ne sit an bonũ, donec ex aqua extrahatur: ita etiam quoad in mundo isto sumus, nemini certò constare potest,
1. Cor. 4. qui sint futuri beati, qui condemnati. Quapropter nemo de seipso nimium sentire debet, aut alium condemnare, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscõdita tenebrarũ, &c.

Postremò, quemadmodum rete, quandiu nõ extrahitur, adhuc semper alios capere pisces & complecti potest: ita quoq; quandiu Euangeliũ in mundo prædicatur, nulli peccatori Dei misericordia denegatur aut præcluditur. Proinde rursum de nullo mortalium desperandum est. Quem rete hodie non cepit, forte cras capiet. Hinc, arbitror, quiuis videre posset, non absurdè per rete verbum Dei & prædicationem Euangelij significari.

Quis autem non videat, quàm multa Euangelium istud consideranda præbeat? Imò in hoc Euãgelio indicatum est, quomodo sancta Christianitas inceperit & accreuerit, & æqualis adhuc sit, & in fine futura sit. Iesus Christus filius Dei, principium est huius ædificij. Cùm in terra veniret, & homo fieret, inciperétq; prædicare, primum iactum est fun-
Marc. 16. damentum. Deinde magis etiam adhuc crescebat, cùm Apostoli à Christo missi exirent, & vbique prędicarent: imò Dominus ipse vnà operaretur, eorúmque doctrinam signis sequentibus confirmaret. Tum enim numerus credentium ita augebatur, vt vniuersus mundus fateri cogeretur, ac di-
Galat. 1. cere, Dei esse opus. In me, dicit Paulus, clarificabant Deum. Nauicula implebatur, Apostoli soli oneri impares erant: omnibus in locis constituebant episcopos, sacerdotes & diaconos, quorum mutua in trahendo opera vtebantur. Vel
Act. 6. vnus Paulus ita in altum ducebat, & ibat in Gẽtes, vt orbem
Rom. 15. Euangelio impleret, à Hierosolymis ad Illyricum vsque. Petrus à Hierosolymis Romam vsque, passim capientes pisces in

sces in magna copia, conuertentes totas vrbes, regiones & regna ad Christum & eius Euangeliũ. A quo prohibere eos nemo poterat, proficiscẽtes hoc pacto læti ad portum æternæ patriæ. Hoc erat incremẽtũ Ecclesiæ & Christianitatis.

Quàm ergo sancti Apostoli diligentes erant in adducendis omnibus hominibus ad fidem, tam quoque erant industrij in omnes homines in vera & viua fide conseruãdo. Huc pertinent tam multiplices Epistolæ, admonitiones, obsecrationes & preces, quibus vsi sunt erga eos, qui iam credebãt, vt videre est ad Roma. 12. ad Ephe. 3. 4. & 5. in prima Epistola ad Thessal. 2 in Actibus Apostolorum 20. cap. &c. Et ita sanè res postulabat, quia non plantandum modò, sed etiam rigandum est: non modò fundamentum iaciendum, sed superstruendum quoque: non solùm homines ad bonum ducendi, verùm etiam in eo conseruandi. Alioqui res fructu caret, vt videmus nostris temporibus in prædicatoribus nonnullis, qui omnem suam operã eò conferunt, vt blandis politisque sermonibus multos ad se pelliceant: cæterùm non curant, quo pacto homines ad veram & æternam eorum salutem ducãt: sed relinquunt eos in aqua, hoc est, in pristinis eorum vitiis, vnumquenque pro sua libidine viuere sinunt: pisces ex aqua non trahunt: homines ad emendationem vitæ non ducunt: nullum peccatum arguunt: ad omnia conniuent, modò credatur. Hinc postea fit, vt multi qui nunc in Ecclesia se esse putant, in extremo iudicio eiiciãtur foras. Multi (inquit Christus) dicent in illa die: Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem. Non omnis enim qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei.

1. Corint. 3.

In molliculos Euangelicos nostros.

Matth. 7.

Non verbis, sed factis cœlũ obtinetur.

Porrò sancti Apostoli non solùm homines ad fidem traxerunt, sed etiam fide imbutos, ad omne bonum duxerunt. Hoc Ecclesiã ad meliora prouehit & auget. Sed non fit sine periculo: diabolus incipiebat irasci. mũdus & mare incipiebãt furere, vt hæc nauicula sępè in magnũ discrimẽ veniret.

Primò, magni turbines cooriebantur externæ persecutionis: miserè nauicula iactabatur: nemo cogitare aliud poterat, quàm vt mergeretur. Sed Deus eam seruabat: Christus surgebat, & imperabat mari ac ventis, vt trãquillitas fieret.

Mat. 8.

Ventis

Hæreticorum studia. Ventis autem & procellis persecutionis sedatis, hæretici oriebantur, rumpentes rete, adulterantes Scripturā, multos homines ducentes in errorem & interitum: ex vna Ecclesia plures Ecclesias faciētes: imò sectas perditionis, vt eas vocat *1. Pet. 2.* Petrus. Hîc Patres nunquam non occupati erant, quo pacto in Conciliis rete sarcirent, Scripturā rectè interpretarētur: præcauerántque, ne tot homines seducerentur, & ex nauicula iterū in mare, ex Ecclesia in hæresim, imò ex regno Dei, in condemnationem inciderent.

Hoc mali cùm ad tempus longum durasset, & tamen Dei gratia & magno labore Patrum sopitum esset: in aliud nauicula discrimen veniebat. Piscatores seu Pastores quidam desides esse incipiebant, laborem detrectabant, incipiebant diuitias appetere, honores, voluptates, & mollem vitam: nauiculam ferri & agitari, vt poterat, sinebant. Ad hæc sui similium, hoc est, socordium, ineptorum, carnalium, proprij compendij studiosorum, & mundi cultorum hominū tot in nauiculam recipiebant, vt plures capere non posset, propemodum submergenda.

Et talis in hodiernum adhuc nauis est. Alacri cursu ferri debebat præ charitate erga Deum, & desiderio cœlestium bonorum: cæterùm pecuniæ studium, & amor mundi, quibus plerique dediti sunt, ita eam deprimit, vt mouere se nō possit: & iam pridem interisset, nisi eam seruasset Christus, & ipse in ea esset.

Ad hæc omnia, etiamsi nauicula portum adepta fuerit, fiet primùm segregatio bonorum & malorum. Bonos (inquit Christus) Angeli eligent in vasa, malos autem foras *Matth. 15.* mittent. En, hæc omnia in hodierno Euangelio indicata sunt. Hæc omnia bono Christiano circa illud consideranda sunt. In principio magnam Dei gratiam videmus, quo nomine gaudendum nobis est: in progressu Dei opus videmus, quo nomine gratiæ nobis agendæ: in medio aliud post aliud periculum ingruit, vbi prospiciendum est. In fine aliqui rursum eiiciuntur, qui quidem nunc in nauicula manent, sed non sunt nisi graue onus nauiculæ, imò scandalum & impedimentum illius: vnde timendum nobis est. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

SEPTI

SEPTIMVS SERMO DE *Euangelio & Epiſtola.*



HODIERNVM iſtud Euangelium ratione hiſtoriæ,& iuxta literam apparet, tanquam nihil peculiare admodum ex eo depromi poſsit: cæterùm qui poſſet & vellet illud penitius introſpicere,inuenturus nimirum eſſet,optatum eſſe euangelium,hoc præſertim tempore.Rogas quomodo? Planum dat nobis reſponſum ſuper quibuſdam rebus, quas mundus nunc omniū maximè demiratur:quarum duæ potiſſimùm ſunt.Prima eſt,quòd tātùm laboratur,& omnia in ſatis magna creſcunt copia,& nos tamen vſq; pauperes manemus:nihil nobis benè vertit, neq; labor noſter, neq; fruges terræ.Altera eſt,quòd tantùm prædicatur & ſcribitur, nec tamen quiſquā ad meliorem frugē redit.Duæ res ſunt, quas homines vehemēter demirātur, maximè boni & ſimplices, in quibus adhuc aliquid timoris Dei reſidet. Verùm Euangeliū hoc pulchrā & facilē dat nobis informationē his duabus de rebus. *Duæ res admirabiles.* Scire ergo deſideras,qui fiat,ꝙ tam graues ſæpè exhaurimus labores,& tamen laboris noſtri fructū penè nullum referamus: imò ꝙ etiā inter maximos labores, ſemper tamē pauperes & egeni maneamus. *Cur tanta ſemper annonæ caritas.* Laboramus nocte,& ſine verbo Dei,hoc eſt,abimus in ignorātia,neq; Deū neq; res diuinas curantes:de tēporalibus ſolùm cogitantes, nihili facientes ſpiritualia. Et licet lucē & diem habeamus, audientes,legentes & ſcientes,quæ ſit Dei voluntas & mandatum,attamen non curamus ea,ſed ſemper in noſtris hæremus vitiis, hoc eſt, in nocte manemus & in tenebris. Hæc cauſa eſt,cur nocturnis & diurnis defatigemur laboribus,& tamē pauperes ſemper maneamus. Enimuerò quid faciat labor noſter, Deo ſepoſito?Benedictio Dei(inquit Scriptura) diuites facit. *Prouerb.10.* Deus dat incrementū laboris,inquit diuus Paulus. *1.Cor.3.* Quot autē crudorū Chriſtianorū inueniūtur,qui per totam ſeptimanā nocte & die laborāt, & ne ſemel quidē Dei recordātur? En,hoc eſt in nocte laborare.Quot deinde inueniuntur,qui laborem ſuum tantùm ad quæſtū,falſitatē,fraudem,impoſturam & infidelitatem referunt?Sed hoc non eſt in verbo Dei, ſed contra verbum Dei laborare, quod talia omnia inhibet. At quid dicit Petrus? Domine in verbo tuo laxabo rete.Atque hinc labore ſuo dignū præmium retulit,

vt plu

vt plures pisces caperet vno iactu, quàm antea tota nocte ceperat. Vbi viua fides & timor Dei est, ibi interdiu laboratur, ibíque res meliorem habet successum. Verùm vbi fides nulla neque timor Dei est, ibi dubio procul noctu laboratur, fieri nõ potest, vt in longũ succedat. Si cui nõ libet credere, *Agg.1* is audiat quid Deus in Aggęo dicat: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & nõ estis satiati: operuistis vos, & nõ estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. Respexistis ad amplius, & ecce factũ est minus: & intulistis in domũ, & exufflaui istud: quã ob causam? Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domũ suã. Quod perinde est ac si dicat: Ideo nihil vobis succedit, quia sine charitate & Dei timore laboratis. Hoc pacto ex Euangelio isto responsum illis est, qui admirantur, quòd tot homines in tantis loboribus, pauperes tamen sunt & manent.

Cur multas conciones paruus consequatur fructus. Ad alteram quęstionem, vnde accidat, quòd tantum prædicãdo insumatur operæ: cæterùm verò tam pauci homines sese emendẽt, similiter quoque respondet Euãgelium istud, indicans, quandoque prædicatorum, quandoque auditorũ, quandoque etiã magistratus culpa fieri, non vrgentis, vt verbo Dei conformiter & cõuenienter viuatur. Primò, nõnunquam prædicatores in culpa sunt, quòd tam pauci homines, ex multa prædicatione meliores euadunt, duplici de causa: Primò, quòd interdum prorumpant nudis verbis, non iussi nec vocati à Deo, confisi solùm suis ingeniis et eloquentia: quisque vult optimus esse, nemo alteri auscultare & opẽ ferre. *Ita faciũt suaves Euangelici nostri.* Secundò, quòd aliquando pro magnis Apostolis sese ostẽtant, retia sua magnificè laxant, multos capiũt homines: norunt inescare pisces, verba sua componunt, vt cupidè audiantur, sed paucos homines ad litus subducunt: imò omnes in suis peccatis relinquũt: adulantur diuitibus & potẽtibus: omnem illis excusant ipsorum iniustitiã; annunciant pecca- *Ezech.13.* toribus pacem, cùm tamen nulla pax sit, contenti quòd magnum eorum numerum ceperũt, haud amplius curãtes: metuentes fortè si conarentur homines è peccatis eripere, defecturos aliquos, aut se quoque in discrimen adducturos. Quapropter leniter eos tractant, quod ipsum tamen vtrorumq; exitium est. Quorsum enim attinet, vt quis Euangelium audiat, & tamen nihilò minus in peccatis maneat? Quid prodest prædicatorem diu clamare, si neminẽ ad litus traducat?

neminem

neminem ad salutẽ transportet? Tertiò, prædicatores quoque nonnunquam in causa sunt paruæ emendationis in populo, eò quòd vita destruunt quod verbis ædificant.

Verùm non Apostolicè id omne actũ est. Etenim primò sancti Apostoli vnanimiter laborarunt, mutuã in reti trahendo sibi inuicẽ operã præstantes. Et hoc nisi fecissent, piscibus frui non potuissent. Quòd si etiam huius tẽporis prędicatores ita affecti essent, plus indubiè fructus facerent. Quia verò alius aliò tendit, & quod vnus ædificat, alter destruit: mirum non est paucos homines emendare sese, etiãsi quotidie conciones audiant. Vel homini constanti etiam fastidium pareret, si videat tot nunc sectas esse, & vnamquãlibet suã tuendo sententiam vires intẽdere, quo iure quãq; iniuria. Verum non est hoc Deum & animarum salutẽ, sed seipsum & propriam quærere gloriã. Secundò quoq; Apostoli non modò rete Euangelicæ prædicationis laxarunt, ad homines ad fidẽ adducendos, sed etiã omnẽ nauarunt operã, vt omnes ad vitæ emendationẽ & perfectã salutẽ adducerent: vti superius in alio sermone indicatum fuit. Atq; hic etiã verus Apostolus est, qui homines ex aqua peccatorũ trahit, nulli parcens labori, nullum timens periculũ: quemadmodũ Apostoli rete cũ piscibus ad terrã subducebãt, nõ obstãte, quod rete ruptũ esset, & ipsi propemodũ submersi essent.

Sectarij multi & eíque in sua sententia obstinati.

Tertiò non solũ Apostoli verbis, sed etiã exẽplis docuerunt. Quòd si prædicatores in his tribus Apostolos non sequantur, magnã præbẽt occasionẽ, vt prædicatio eorũ tãtò minus fructus adferat, & populus eò minus sese emendet.

Exemplo doceas, non verbis tantùm.

Deinde verò etiam nonnunquam auditores in vitio sunt, id quod ex hoc Euangelio apparet. Petrus habebat verbum Dei, eóq; rectè ac legitimè vtebatur, sicq; multos capiebat pisces, socios habebat, qui illũ vnanimiter adiuuabãt: nihil desiderabatur in piscatoribus, attamẽ non sine magno labore pisces ad litus transportabantur. Quidã etiã rumpebãt rete, iterũ elabentes in aquã: alij manebant in reti, trahi se patientes, sed ita graues, vt nauim propè opprimerent. Ita adhuc vsu venit: faciles captu sumus, sed difficulter promouemur: libenter Euangelium accipimus, verùm egrè illi obtemperamus. Facilè trahitur piscis, dum sub aqua est: imò sponte sequitur: cæterùm vbi extrahere paras, vt aquam cui assueuit, relinquere debeat, tum demum incuruat & intorquet sese, videns quo pacto elabi possit. Itidẽ res habet no-

biscum: Euangelium vltrò sequimur, quandiu de sola fide loqui videtur,& relinquere nos in aqua & peccatis nostris. Verùm vbi ex aqua extrahendi sumus,& nobis indicatur,in Euangelio nostro præter fidē etiam pœnitentiam priorum peccatorum,& nouam prorsus vitam,secundū Deum & verbum eius institutam,à nobis requiri, hic nobis Euāgelium non amplius tā bene sapit:hîc reluctamur,si qua possumus, erumpimus,malentes nos prorsus alij cōmittere viæ,Deum & Ecclesiam deserere, omnē virtutē & honestatem seponere,quā hoc vel illud abiicere,& corrigere.Si qui verò in Ecclesia maneamus,nihil facimus aliud, quàm vt eam ita grauemus mundana nostra & carnali vita,vt non nos ipsos tantùm perdamus,& alios homines scandalizemus,sed sæpenumerò etiam Ecclesiam in discrimen adducamus. Et hunc in modum quoq; auditores in culpa sunt,ꝙ crebras conciones exiguus sequitur fructus Tertiò ij etiam quādoq; in culpa sunt,qui Petrum in trahendo rete iuuare debebant, cæterùm non faciunt.Hi primùm sunt omnes magistratus,& potestate tum Ecclesiastica tum seculari præditi. Est deinde vnusquisq; dominus & paterfamiliàs in sua domu. Hi prædicatores iuuare debebant,omnem adhibere diligētiam, vt verbo Dei mos gereretur,& quod in prędicatione auditum esset,in opus cōferretur: cordi illis esse debebat,quod Deus toties in lege sua dicit:Auferes malum de medio tui. serio illud secū recollere debebāt, quod Deus in Ezechiele dicit, se sanguinem eorū,qui per ipsorum negligentiam pereunt, ex manibus ipsorum requisiturum. Et quod ad Iosue dicit, eum & populum eius non vsuros amplius secundo bello aduersus hostes,donec sacrilegum, qui inter illos erat, extinxissent. Et quod Paulus dicit, non eos modò morte esse dignos qui mala faciunt,sed etiam qui illis cōsentiunt. Atqui in malum consensus est,si vbi obuiari poterat,non fiat, aut vbi bonum poterat promoueri,intermittatur. Quid autem hactenus omnibus bonis prędicatoribus defuit aliud,quàm quòd in trahendo rete ab omnibus sunt destituti? Sed quid solùm de istius temporis prædicatoribus dico? Quid etiam antiquitus omnibus Prophetis magis defuit, quàm quòd magistratus prædicationum illorum effectum non vrgerent:nemo illis in trahendo opem ferebat: clamabant, vociferabantur, & prædicabant vel vsque ad lassitudinem, rauim & ægritudinem: nemo operam aliquam addere volebat

Euangelium nō fidē solam, sed etiam pœnitentiā &c. requirit.

Deut.13.
Ezech.7.
Iosu.6.

Rom.7.
Consentire malè agentibus.

volebat, vt verbũ & lex Dei obseruaretur, peccatũ puniretur, malum emendaretur, & bonum institueretur promoueretúrque, &c. Væ mihi (inquit Hieremias) mater mea: quare genuisti me virum rixæ? virum discordiæ in vniuersa terra, nõ fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi. Væ mihi (inquit Michæas) qui factus sum sicut qui colligit in Autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum. Domine (inquit Isaias) quis credidit auditui nostro? Bonus Hieremias seuera sua prædicatione & increpatione rem semel eò deduxerat, vt ciues Hierosolymis emendationẽ promitterent & instituerent quibusdam in rebus, id quod ei placebat, sperãs se ab illis adiutum iri, vt & alia pleraque reformarẽtur. Sed res instabilis erat. nam cùm pœna non statim sequeretur, quam illis minatus fuerat Propheta, desistebant rursus, deteriores facti, quàm vnquam prius. Vnde quoque Propheta de nouo minari cogebatur, nec tamen proficiebat quicquam: neque promissis neque minis tantum obtinere poterat, vt meliorem instituerent vitam. Nullum habebat in trahendo rete socium: potestas ipsa mala & impia erat: imò deridebatur, grauissima insuper persecutione afflictus: insimulabatur conspirationis cum hostibus, vt qui ciues perterrefacere, & pusillanimes reddere vellet, donec postremò magno suo malo experirentur, & ita experirentur, vt misero eiulatu suam deplorarent fortunam. Vnum inuenio inter Prophetas, qui paruo labore, imò vnica concione multa milia hominum conuertit ad pœnitentiam. Is erat Ionas. Sed hic homines habebat, à quibus in trahendo iuuabatur. Mox vt cõcionem suam fecerat, aderat Rex Niniues mandatum promulgans, vt omnes ad Deũ sese conuerterẽt, vitã improbã omitterẽt, ieiunio & gemitibus Deum gratiã & veniã rogarent. Hoc ad rem aliquid faciebat: hic Prophetam adiuuabat, rete vnà trahens: alioqui futurum erat, vt frustra clamaret, æquè ac Hieremias & alij. Apud nos etiam non minor causa est, quòd ex tam crebris prædicationibus fructus & emendatio penè nulla apparet. Iubetur quidem sanctus Petrus laxare rete, sed qui ei ratione officij adesse debebant, hoc est, potestas & magistratus, qui verbi Dei effectum promouere poterant, astant, spectant, Petrum infœlicem prædicatorem magnos exantlare labores sinunt: ipsi vel in minimo non attingunt: atque interdum primi adeò illi sunt, qui bono

Hier.15. *Mich.7.* *Esa.53.* *Hier.34.* *Ioan.3.* *Iniuria Magistratuum.*

Petro in magnis versanti laboribus, pessimas agunt gratias, vbi vel parum hallucinatur, & verbo vno modum excedit. Hic defectus est iam passim inter Christianos, vt nulla potestas (loquor tam de Ecclesiastica quàm de seculari) instet, vt verbo Dei conformiter viuatur, & quod illi aduersum est, corrigatur. Quid faciet sanctus Petrus, cùm videt se à nemine iuuari? Clamare debet, inquis. Probè: sic enim docet illũ quoq; Scriptura: sic ei præcipit Deus. Quorsum autẽ

Esa.58. attinet, Petrum diu multúmq; clamare, potestatem verò remissam esse? Ais: Petrus ad Deum orare debet, atque etiam ad orationẽ hortari. Rectè quidem & meritò orare debet,

2.Par.20. & ad orationem hortari. est enim hoc vnicum nostrum refugium, si omnia fallant, vt oculos nostros ad Deũ leuemus. Sed quid oratio prodest absq; pœnitentia & emendatione?

Ioan.9. Summa: Petrus solus nihil proficit, nisi socios habeat. Sola prædicatio non sufficit, nisi rem vrgeat potestas, nec oratio satis est, nisi sequatur emendatio. Non enim Deus peccatores audit. Sic itaque videtis, vnde fiat, quòd tam multa prædicatio, emendatio verò perexigua in mundo est: omnes ei rei causa sumus, prædicatores, auditores & speculatores. Hæc omnia circa hodiernum Euangelium nobis cõsideranda sunt. Hodierna Epistola, si rectè consideretur, atque ei conformiter viueretur, posset nõ parùm inseruire, vt & spiritualis piscium captura hoc fœlicius & egregiè ma

1.Pet.3. gis succederet, & prædicatio vberiorẽ faceret fructũ. Estote omnes vnanimes (inquit Petrus) compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, humiles, nõ reddentes malum pro malo, &c. Sic Petrus docuit. Hoc non solùm est pisces capere, sed etiam pisces ad terram subducere. Hic videmus, quid ad eam rem pertineat, vt homines ad salutẽ adducãtur.

1. Vnitas Fidei. Primò adsit oportet vnitas fidei. Nã simulatq; in fide erratur, ad litus non deuenitur. Huc pertinet quod Petrus primum vult, vt vnanimes simus. Atq; hoc vnum est, sed non-

2. Charitas. dum satis: charitas adsit necesse est, alioqui etiam si in fide concordia est, & non etiam in charitate, impedimentum ad-

1.Ioan.4. fert. Hoc mandatũ (inquit Ioannes) habemus à Deo, vt qui diligit Deũ, diligat & fratrẽ suum. Huc quadrat illud Petri, dicentis: Estote cõpatientes, fraternitatis amatores, &c. De-

3. Vita mutatio. inde iã ad aliã quoq; vitã nos trãsferamus oportet. Scriptũ est: Gen.12. Egredere de terra tua, & veni in terrã quã mon

Psal.33. strauero tibi. Huc pertinet quod Petrus in hodierna Epistola

ſtola dicit, Qui vult vitã diligere, & dies videre bonos, coërceat linguã ſuam à malo, &c. Poſtremò quoque patientia adſit neceſſe eſt, ne quis terreri ſe patiatur. Alioqui enim quidam inueniuntur, in quorum neque fide, neque charitate, neque vita deſideratur aliquid, ſed nimium puſillanimes ſunt & trepidi. Ad hos dicit S. Petrus: Quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Et iterum: Timorem eorum ne timueritis, & non conturbemini: Dominum autem Christum ſanctificate in cordibus veſtris. Hac ſanè ratione quippiam poſſet effici: hoc homines ad portum ſalutis deduceret, ſi illis hæc quatuor proponerentur, attamẽ vnũquodque in ſuo valore. Primò fides, deinde charitas, tertiò pia vita, & quartò patiẽtia. Hæc omnia ſancti Apoſtoli prędicàrunt: atque ideò tam facilè mundũ ad pœnitentiam & ſalutem adducere potuerunt. Et hunc in modũ nobis etiam hæc Epiſtola ad ſpiritualem piſcium capturã inſeruire poſſet. Alioqui eſſet etiam ipſa egregia concio, quæ hiſce temporibus non modò in omnibus ſuggeſtibus, ſed in cunctis etiam caſtris haberi deberet: nõ minus fortè profutura, quàm ex, quibus hodie modis omnibus ad ſeditiones concitamur, & alij in alios inflãmamur, idque maxima ex parte mendaciorum cuniculis quibuſdam. Imò ſi hanc Epiſtolam ſequeremur, iam pacem haberemus: nemo gladio ſuo vteretur contra ſuos Conchriſtianos. Sed quis huic mũdo perſuadebit, vt his Petri verbis obſequatur? Quàm difficulter adduci poteſt magiſtratus, vt ſeueritatem oſtendat in animaduertendis peccatis, & prohibendis, tam difficulter iſti inquieto & ſeditioſo mundo perſuadebitur, vt deſinat fratres ſuos perſequi. Iudiciũ nũc feruet inter nos Germanos, quẽadmodum olim inter Madianitas, vt vniuſcuiuſque gladius contra fratrem ſuum directus & ſtrictus ſit: finis porrò etiam ſequetur, de quo Paulus dicit: Quod ſi inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini. Victus cadit: victor non admodũ eiuſmodi victoria gaudebit. Inteſtinũ diſsidium & ciuile bellum, vt nunc nos ea exercemus, meliores fructus haud ferunt. Roma diu Roma manſiſſet, niſi bellũ ciuile fuiſſet. Germania diu adhuc à Turcis & externis Nationibus tuta fuiſſet, niſi Satan per ſuos adminiſtros tantũ inteſtinarum diſcordiarum inter nos ſeminaſſet. Tantò diligentius nos hanc Epiſtolam conſiderare debebamus. Deus nobis ſuam largiatur gratiam, Amen.

4. Patientia.

Hi ſunt conatus Euangelicorum noſtrorum.

Iudic. 7.

Gal. 5.

Vtinam vel ſerò ſapiant Phryges.

OCTAVVS SERMO DE *Euangelio, Epistola, & Ecclesiæ oratione.*



ODIERNVM istud Euangelium præter historiam nihil aliud habet. In initio quidem indicatum est, Christum etiã interim de nauicula prædicasse, sed non additum est, quomodo aut quid hac vice prædicauerit. Veruntamen diuus Lucas historiã silentio præterire noluit: id quod argumentum præbet, magnum ea in re momentum situm esse. Et ita reuera habet. Si Christus miraculo aliquo præstare aliquid vnquã voluit, & significare, in hoc id fecit miraculo. Etenim primò, quia coram populo id fecit, & statim sub concionem, dubiũ non est, quin popelli præsentis rationem, & suum ad eos respectum habuerit. Secundò, quoniam Simoni miraculũ ipse interpretatur, verbo illo, vbi inquit, Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens: certum est, eum Apostolorum quoque cum primis rationem habuisse. Tertiò, quia statim Apostolos ad se recepit, cæterùm nõ alia de causa, quàm vt eos mitteret ad prædicandum: dubiũ non est, quin etiam nostri respectum habuerit, imò etiã omniũ fidelium secuturorum, vsque in finem mundi. Sic itaque Christus triplicium hominũ in hoc Euangelio rationem habuit, populi, Apostolorum, & nostri: & vnicuique ibidem indicauit, quid singulis scitu necessariũ sit. Populus prædicationem audierat, opus habebant, vt eis benè imprimeretur. Itaque Christus subsequẽter facit hoc miraculum, ostendens illis per hoc, quòd quemadmodum reipsa cognoscebant, non hominis, sed Dei hoc esse opus & oportere, ita quoque verbum suum audire & recipere deberent, nõ tanquam hominis, sed tanquam Dei verbum. Hoc populo dictum erat. Sanctis Apostolis Christus adhuc aliud subindicare voluit: imò nõ vnum quiddã, sed plura. Primò namque quia illis ad Apostolatũ vti volebat, voluit illis per hoc miraculũ indicare quid officij essent habituri. Secundò, quòd iubebat illos retia laxare, argumento erat, eorũ officiũ fore, homines verbo Dei de tenebris errorũ, & profundo peccatorũ trahere, & perducere ad pœnitẽtiã. Tertiò, dum procurat, vt tot pisces caperent, quòd & ipsi demirari cogebantur, & fateri Dei esse opus: indicare illis voluit, laborẽ ipsorũ nõ inanem fore, Deũ incremẽtũ daturũ, & abũdanter,

Luc.5.

danter, quantūcumq; simplices erāt. Hoc de illis Isaias multò ante dixit: Minimus erit in mille. Et iterū: Afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Quartò, dū illis Christus tam liberaliter remuneratur, ꝙ ei nauiculæ copiā fecerāt, & ad illius iussum in altū ducebant, & rete suū laxabant: ostendere illis voluit, eis in rebus quoque spiritualibus mercedem nō pœnitendā repositum iri, quemadmodū & alijs in locis ait: Luc. 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnū. Vnde etiā Paulus tam cōfidenter ait. 2. Tim. 4. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositū meum seruare in illū diem. Et iterū: Bonum certamē certaui, cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex, &c. Et rursum. 1. Corinth. 9. Si volens euangelizo, mercedem habeo, &c. Quintò, ne nimium his in rebus insolescerent, indicat Christus quid illis periculi esset occursurū. Vtpote primò, cū eos in altum ducere iuberet, ostēdit illis per hoc, totum mundū sese eis oppositurum, nec habituros aliud auxilium, quā ab vno Deo. Atque hoc factū est tēpore Tyrannorū & persecutorū, quo ferebatur nauicula inter medios fluctus: & ita iactabatur, quòd cōsistere nō potuisset, nisi Deus eam conseruasset. Secundò, quòd rete trahere non poterant, argumētū dabat, & figura erat, ipsis quoq; fidos socios defuturos. Id quod nō multò pòst experiebantur, vti Paulus ait: Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Item: Omnes me dereliquerunt. Et iterū: Multi ambulant: quos sæpe dicebā vobis (nunc autē & flens dico) inimicos crucis Christi, &c. Et rursus: Etiā si decē millia pœdagogorū habeatis in Christo, sed non multos patres. De eiusmodi infidis Pastoribus multū loquitur Paulus in Epistolis ad Galatas & Corinthios. Atqui verò magnū periculū est, vbi aut Pastor & prædicator nullus est, aut tales homines habētur, qui indiligētes aut infidi sunt: vt nunc etiam experimur, qui sanè nō minimus defectus est in Christianitate. Optimus Gregorius hoc idē suo quoq; cōquerebatur tempore, quòd totus mūdus sacerdotibus refertus esset, & tamē pauci inuenirētur, qui in vinea Dei laborarent. Quid nunc dicturū eū putamus, si in viuis esset? Attamen tolerari posset, ꝙ pauci sunt, qui in prædicationis officio laborāt, modò fidi essent. Hic iā quæritur inter dispensatores (inquit Paulus) vt fide-

Esa. 60. *Esa. 49.* *Merces bonorum operum, ergo & meritum.* *Corona Iustitiæ.* *2. Tim. 4.* *Philip. 3.* *1. Cor. 4.* *Gal. 5.* *2. Cor. 11.* *1. Cor. 4.*

lis quis inueniatur. Sed vbi nũc maior infidelitas, quàm in prædicationis munere? Multi profitentur se doctores Euangelicos, & tamẽ nihil sunt aliud quã lupi. Vocãt se prædicatores, & tamẽ nõ sunt nisi seductores, promittẽtes aliis libertatẽ, cũ sint ipsi serui corruptionis, &c. Tertiò, quòd illis pisces rete rũpebant, figura erat, ꝙ hæretici scripturam essent deprauaturi, Christianã vnitatẽ dirempturi, se ipsos à cõmuni Ecclesia separaturi, & alios vnà cũ seipsis seducturi. Hoc quãtũ periculũ sit, & quantũ dãni adferat, sæpè Ecclesia experta est, experitur adhuc. Nunquã fortior est, quã cũ est cõcors: nunquã debilior, quàm cũ est diuisa. Quartò, ꝙ reliqui pisces in naui tam graues erant, vt nauim penè submerserint, argumentũ præbebat, ꝙ etiamsi nullus tyrannus amplius futurus esset & hæreticus, quin etiã Ecclesia bonos Pastores habitura foret: carnales tamen sua carnalitate ita Ecclesiam grauaturos, oppressurósque, vt nõ rarò in magnũ esset ventura periculũ, vti sæpe vsus docuit & docet adhuc. quòd aliqui propter opes, potentiã & fastum suũ Ecclesiam disturbant, & totã penè perdunt: tantũ occupant spacij, imò totã nauẽ, vt aliis nihil loci relinquatur: premũt & grauant alios, vnde dissidia & rixæ nascũtur, quæ omnia communi Ecclesiæ ad periculũ & magnũ incõmodũ cedunt. Vide, hæc omnia Christus annunciauit suis Apostolis in hoc miraculo piscium capturæ, quæ omnia eiusmodi sunt, quæ illos scire oportebat, quia aduersum ea parati & instructi esse debebant. Neq; verò eorũ qui in vulgo numerãtur, Christus oblitus est in hoc Euangelio, sed multũ salutiferæ doctrinæ iis in ea dedit, cuius partẽ aliquã cõmemorabo: vtpote primò, dũ piscatores post auditã concionẽ, rectà ad laborẽ mittit, & tamẽ illis laborẽ ipsorũ benè fortunabat, docere nos voluit, ne quisquã in Christianitate otietur: interim verò tamen etiam hoc solatij dedit, quòd eiusmodi nobis labor, quem in ipsius nomine & secundum verbum eius facimus ac suscipimus, nũquã sine fructu abire debeat. Quibus duabus in rebus haud mediocre momentum situm est: quæ tamen duo non ita multùm considerantur. Quàm diligentes sumus in audiendo Christũ, tam pigri sumus in faciendo secundum doctrinam Christi. Alius prætexit, non esse necessarium: alius timet ne frustra sit. Attamen vtrobique erratur. Hoc Euangelium qui rectè considerat, is videt Deũ non solùm auditores velle, sed etiam factores: videt præterea et iam,

2. Pet. 2.

Nota hæreticos.

Opera bona mercedem habebunt.

Factores verbi sui vult Deus.

ea etiam, eiusmodi laborem præmium habere copiosissimum. Petrus piscator erat, opere manuario sibi victum comparabat: habebat quidem quod ageret, sed Christum audiebat, atque illi etiam nauiculam suam vtendam dabat, illius iussis obtemperabat. de quo cùm temporalem, tum spiritualem recipiebat mercedem. Temporaliter copiosam capiebat piscium multitudinem: spiritualiter Apostolus designabatur. Eia fratres, non frustra est, quod ex verbo & mandato Dei fit. Nec amissum tempus est, quod cultui diuino impenditur. Sunt qui putant, si vnam horā Dei cultui vacent, sibi cum suis pereūdem esse. nec vident aut cōsiderant, omnem nostrum laborem nihil esse, nisi incremētum det Deus. Diuites eguerunt & esurierunt (inquit Dauid) inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Est igitur præcipuum, quod ad vitæ sustentationē pertinet, quod Christus ait, Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Contrà verò qui Deum deserit, hunc vicissim ille deserit. Vnde & Dauid dicit, frustra esse, quòd ædificauimus & vigilamus, nisi Dominus Deus pro nobis ædificet & vigilet. E diuerso videmus, quòd Petrus, posteaquam prædicationē Christi audiuisset, & secundum illā in verbo Dei laboraret, plures pisces vno iactu capiebat, quàm antea toto mense ceperat. Quod si igitur Deus etiam his pauperibus piscatoribus simplicem illorum obedientiam & promptam voluntatem tēporaliter quoque tam bene remuneratus est: quomodo non mercede afficiet, si quid ex verbo & volūtate eius boni fecerimus? Si vos, inquit, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quāto magis Pater de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se? Si item impius homo mercenarium suum nō frustratur mercede, quomodo Deus labores suorum electorum mercede frustraretur? Summa: merces nobis nunquàm deerit: saltem hoc demus operam, vt iuxta illius voluntatem strenuè laboremus. Bonum facientes (inquit Paulus) non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Hoc vnū est, quod nobis ex promiscua multitudine ex hoc Euangelio discendum est.

1. Cor. 3. *Psal. 33.* *Matth. 6.* *Psal. 126.* *Luc. 11.* *Merces bonorum operum: ergo & meritum.* *Gal. 6.*

Deinde quoque in hoc Euangelio nobis indicatū est, vbi omnium securissimi esse possimus in vasto isto & procelloso mari mundi: nimirùm in nauicula, in qua Christus & Petrus sedent. Quæ rursum necessaria doctrina est, nostris

præsertim temporibus. Id quod externo demonstrari exẽplo potest, hunc scilicet in modum. Qui per mare & alias magnas aquas iter facere destinat, vbi se magna bona posse consequi sperat, is primũ de naui circũspiciat necesse est, quæ per aquã illũ transportare possit: deinde vt rectè in ea se gerat: & tertiò, vt nauẽ ad verũ locũ vertat & dirigat. Quorũ illi si vel vnum desit, nunquã ad locũ destinatũ peruenit. Aquas transire, natura nostra non fert: tranare, nec id quidem nobis possibile est. Nauibus & reliquis rebus nobis opus est, quibus transuehamur, ne submergamur. Porrò etsi quis nauem habeat, quæ illũ transportet, cæterũ inquietus in ea esse velit: iam & se & alios perdere ac submergere poterit. Et licet tranquillus sedeat in naui, tamen si nauim per se ferri sinat, non dirigens ad verum locum, rursum non assequitur locum, ad quem venire constituerat. Ita res quoque nobiscum habet. Magnam aquam habemus inter nos, & nostram cœlestem patriam: idcirco nobis naui opus est. Pericula multa sunt in hac naui, tantò magis est quod timeamus. Facile est aberrare à vera via: quapropter oculos nostros semper dirigere nos oportet ad verum scopum.

Opus habemus naui. Timendum. Prospiciendum.

Euangelium istud veram nobis indicat nauim, quæ nos, & omnes eos, qui illi sese committunt, per aquas procellosas omnium miseriarum & afflictionum huius mundi, quin etiam mortis certò ducit & portat. Hæc nauis nõ est alia, quàm in qua Christus ipse considit, & quæ nomen à Petro habet. Cùm Christus ad aquam veniret, hoc est, cùm homo fieret, & se in mundo visibilem exhiberet, duas quidam nauiculas ad aquam inueniebat: ij erant duo populi, Iudæi & Gentes. Sed nunc ex his duabus, vnam fecit nauiculam, vnum populum, vnam Ecclesiam fecit, vt Paulus ait: Fecit vtraque vnum. Et Christus ipse Ioan. 10. Fiet vnum ouile & vnus Pastor. In hac nauicula inuenitur Christus, vbi vera sagena est, ibi vera piscium captura: atque ea nos etiam indubiè ducit ad veram nostram patriam. Ea est Ecclesia seu Christiana concio & congregatio, quam Christus Petro commisit. Quisquis in hac nauicula nõ inuenitur, is perit dubio procul, nõ peruenit ad portũ & veram patriam. Videntur quidem & aliæ nauiculæ in aqua: hoc est, aliæ Ecclesiæ, cœtus seu congregationes etiam videntur in mundo, Iudæi habent suam congregationẽ, Gentes & Turcæ, similiter hæretici, desertores & schismatici

Nauicula Petri sola nos ad portum perducit.

Ephes. 2.

Ioan. 21.

ſchiſmatici erigunt etiam Eccleſias & congregationes: pelliciunt & trahunt ad ſe omnes:promittunt hominibus eam eſſe veram nauem, veram & vnicam Chriſtianam Eccleſiam:ſed non eſt illa nauicula,in quam aſcendit Chriſtus, & quam Petro commiſit.Probare nō poſſunt,ſuas factiones & cōuēticula verā eſſe Eccleſiā, quæ iā inde ab initio durauit, ab initio inquā,donec ipſi venerūt:imò nec Eccleſię ſuæ verum caput indicare poſſent, nullam veram originem, nullum verum traducem (vt veteres vocant) hodie ſunt, ante paucos annos non fuerunt, poſt tempus aliquod nulla eorum extabit memoria.Tales nauiculæ perplures in mari,id eſt,tales Eccleſiæ multæ fuerunt in mundo, multos homines ſubmerſerunt,qui ſe illis commiſerunt.

Hæretici extra nauiculā Petri ſunt.

Et tamen illi ſe hodie veros Euāgelicos vocant.

Nos de antiqua nauicula noſtra Romana Eccleſia,multò certiora habemus:initium & originem illius indicare poſſumus:poſſumus à nobis retroacta tempora numerare de anno ad annum, de Pontifice ad Pontificem vſque ad Petrum:quæ res nobis certiſsimum præbet argumentum,noſtram nauiculam ſancti Petri eſſe nauiculam, & Eccleſiam noſtram à Petro,ad nos vſque ſtabilem & immotam manſiſſe. Quod ipſum nulla alia Eccleſia facere poteſt, quantumuis bonam præ ſe ferens ſpeciem : nec id facere vlla vnquam poterit.Quare ſi ſecurus eſſe vis, huic te trade nauiculæ:ſi in ea es,mane in ea: nullius delinimentis perſuaſus ex ea abſcedito:ſi excidiſti,omnibus modis fac, vt in eam rurſus venias: alioqui certè periſti. Sed interim memineris, quæ nauiculæ conditio ſit : nimirum quòd inferius verſus aquam clauſa,ſuperius verò verſus cœlum aperta eſt. Talis eſſe noſtra Eccleſia debet.Quæ ſurſum ſunt quærite, inquit Paulus,vbi Chriſtus in dextera Dei ſedet. Et Chriſtus:Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur,& vbi fures effodiunt & furantur.Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo: vbi horum nihil timendum eſt.

Vide Irenæum & Auguſtinum, &c.

Coloſſ.3.

Matth.6.

Cogita ſecundò, noſtram & vniuerſalem Chriſtianam Eccleſiam,non alij nauiculæ comparari, quàm nauiculæ piſcatoriæ:quocirca vide,ne nauim piraticam,non nauim bellicam,non nauim mercatoriam ex ea facias. Noſtra & vera Eccleſia quærit animas hominum,& non bona illorum: laborem requirit,non otium: non cupit animas perdere, ſed ſeruare. Cogita & vide tertiò, vt in hac naui te geras, vti decet

decet, ne iterum excidas, aut nauiculam in latus inclinatum supprimas. In consilium adhibe diuum Petrum in hodierna Epistola: is te omnibus viis docebit, quomodo te habere debeas erga Deum, erga teipsum, & erga proximum tuum.

1. Pet. 3.

Cogita postremò, & vide, quatenus ad te attinet, & tui officij est, vt hæc nostra nauicula etiam ad verum locum & litus dirigatur: nimirum ad bona inuisibilia, quemadmodum in hodierna oratur Collecta, quæ Deus præparauit diligentibus se. Hoc necessariò quoque considerandum simul est. Alioqui enim inueniuntur quidam, qui ad nauiculam Ecclesiæ transcurrunt, & in ea manent, sed ob temporalia solùm. hæc quærunt, hæc eos in Ecclesiam adducunt, hæc illos in ea detinent. Verùm longè aberrant: non norunt nauiculam rectè dirigere. Ideò admonemur hodiè, & circa hoc Euangelium, inuisibilium bonorum: docemúrque vt ea possimus adipisci. Oratio Ecclesiæ eiusmodi est: *Deus qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, vt te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desideriũ superãt, consequamur.*

Precatio Ecclesiæ.

Hæc vnica via est, Dei promissionum consequendarum. Quòd si igitur id assequi voles, optime Christiane, quod Ecclesia hodiè suos filios docet, dispice de vera & vnica nauicula, & in ea mane. non moueat te, quòd parua est cum aliis nauibus collata, quòd nunc contempta est, quòd multi ex ea diffugiunt: neque moueat te, quòd multi homines mali in ea sunt: gere te erga Deum tuúmque proximum, vt te Petrus docet: dirige & verte te ad æterna & cœlestia bona. Deum ora, vt amorem suum in cor tuum infundat: illum sequere, haud dubiè in nauicula tua saluus euades, vbi aliis in suis nauibus pereundum est. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

Constanter in Ecclesia manendum.

DOMI

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM.

MATTH. V.

NIsi abundauerit vestra iustitia plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis quod dictum sit veteribus: Non occides. Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. Quicunq; verò dixerit fratri suo, Racha, obnoxius erit concilio. Quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Itaque si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum coram altare, & abi: prius reconcilieris fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum.

Deuter. 7.

Exod. 20.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI ROM.

VI. CAP.

FRatres: Quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus. Sepulti igitur sumus vnà cum illo per baptismum in mortem: vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nam si insititij facti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirum & resurrectionis participes erimus: illud scientes, quòd vetus ille noster homo, cum illo crucifixus est, vt aboleretur corpus peccati, vt posthac non seruiamus

niamus peccato. Etenim qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus quòd & viuemus cum illo: scientes quòd Christus excitatus à mortuis, nō amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Nam quòd mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vosipsos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo per Christum Iesum Dominum nostrum.

PRIMVS SERMO COMPONIT impiam quorundam hominum vitam cum hoc Euangelio.



QVEM in finē Christus verba hodierni istius Euangelij propriè dixerit, postea ostendetur. Hac vice commonefacit me infelicis æui huius, in quo nunc sumus: facit, vt prius impiam nostram vitam cogar reprehendere, quàm ad enarrationem textus veniam. Principiò enim spes me non dubia habet, neminem inter nos tam esse rudē ac simplicē, quin intelligat, Euangeliū istud, præter genuinū suum sensum, ad id etiam inseruire posse, ac meritò debere, vt inter nos Christianos amor & concordia conseruaretur: ira verò, inuidia, rixa, cōtentio, maledictio, cōuitia, sanguinis effusio, latrocinia, cōtumeliæ, calumniæ, &c. cauerentur. Neq; propterea apud me dubiū vllum est, quin optimus quisq; Christianus in denunciatione istius Euangelij, cùm verba, mandatum, voluntatem & mentē Christi audiuit ac intellexit, apud seipsum fateri coactus sit, fœlicē ac lætā rē esse, si iuxta verba Christi viueretur: cōtrà verò, etiā ingemiscere, quòd nostro tempore omnium istarum rerum adeò nihil videtur ac deprehenditur in nobis, sed omnia planè contraria. Christus prohibet homicidium tanta seueritate, quanta nullus Moyses aut Iustinianus, nulla Iudaica aut Ethnica lex vnquàm prohibuit. apud nos iā penè nihil vilius est. Nulla res in lege est, quā Moyses magis exaggeret, quàm homicidiū & sanguinis effusionem. Omnē adhibet operā, vt homines à tali facinore absterreat. Indicat primò, primum maledictū, quod in hominem extra Paradisum prolatum est, causa homicidij

Malitia nostrorū tēporū.

micidij factum esse, vbi Deus ad Cain ait: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Paulò pòst ponit Moyses etiam generalem sententiam & iudicium Dei in omnes eos, qui humanum effundunt sanguinem. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Imò sanguinem animarum vestrarum (inquit Deus) requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius requiram animã hominis. In tertio libro Moysi interdicit Deus Israëlitis, ne sanguinem alicuius bestiæ comederent, quò magis horrerent sanguinis effusionem. In Exodo Deus multa mandata & constitutiones fecit, qua pœna homicidium puniendum sit, voluntariè vel etiã ignoranter, siue ab homine siue à bestia commissum. Eo in loco dicit Deus expressè, homicidam etiam ab altari auferendum & occidendum esse. In quinto libro Moysi rursum habetur seuerum mandatum, quid faciendum sit, si homo occisus inueniatur in agro, nec author sciatur: tum seniores ciuitatis quæ vicinior est, egredientur, loturi manus suas super mortuum corpus, ac dicturi: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt: propitius esto populo tuo Israël, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinẽ innocentẽ in medio populi tui Israël. Imò voluit Deus, vt nec in bello quidẽ hostes iugularentur occiderentúrq;, nisi pace illis prius oblata. Eiusmodi præcepta plurima inueniũtur in lege Moysi: & hoc certè homicidiũ & sanguinis effusionem seuerè prohibere est, ac ei obuiare. Attamen Christus hac in parte seueriorẽ se præbet. Etenim in lege Moysi is solùm cõdẽnatur & pœnas luit, qui homicidiũ ipso facto ꝑficit. Irã, inuidiã & odiũ in corde, Moyses nõ punit, nec ius aliquod ciuile. Christus verò condemnat non solùm homicidiũ, sed etiam irascentem: imò qui iram suam verbis aut signis prodit. Non minus seuerus est diuus Ioannes, inquiens, Qui fratrem suum odio habeat, homicidam eum esse. Quomodo autem prohiberi res quæpiam seuerius potest, quàm cùm non solùm opus, verumetiam verba & cogitationes vetantur? Si minus Christianum est, aliquem in corde odisse: si condemnatione dignum est, si quis irã suam & inuidiã verbis aut gestibus contra proximum suum declarat: quanto magis

Gene.4. *Gen.9.* *Leuiti.17.* *Exod.21.* *Deut.20.* *Deute.21.* *1.Ioan.3.*

magis in Christianum & condemnabile est, si manu & opere impleat quis quod antea in corde cogitauit?

At vide, quàm nunc doctrinam istam inuertimus? Christus ideò inuidiosas cogitationes, iracundos gestus, & manifestas calũnias proximi nostri prohibuit, quò minor nobis esset ad homicidiũ occasio. Cæterùm multis iam annis plerique nihil fecimus aliud, quàm quòd verbis simul & factis, scriptis & picturis implacabilem irã, maleuolentiam & inuidiam erga nos inuicem declarauimus, & acerbissimè nos mutuò exasperauimus. Vnde cõsequitur, & iam pridẽ natũ est, vt hoc tẽpore magna cum crudelitate & sanguinis siti,
Luc.9. ferrum aduersus nos inuicẽ stringamus, nullo cogitãte, cuius spiritus simus, quemadmodũ Christus ad suos discipulos ait: nullo etiam pensitante, cuius discipuli vocemur: nimirũ
Matt.11. illius, qui inquit: Discite à me, quia mitis sum & humilis cor
Ioan.13. de. Et rursus: In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis adinuicem. Nemo cogitat, quæ
Matt.5. Christiana nostra doctrina sit: nimirum etiam inimicos nostros diligere, benefacere his qui oderunt nos, & orare pro persequẽtibus & calumniãtibus nos, &c. Sed hoc nemo cõsiderat. Sic igitur fit, sic fieri debet, sic oportet fieri, si contemnatur paruũ, vt in maius facilis sit prolapsus. Quòd si diabolo locum nõ dedissemus, cùm primùm discordiam inter nos seminaret, haudquaquàm tantum in Germania incendium nunc videremus, nec illud in dies cũ extremo nostro exitio expectare necesse haberemus. Sed tũ nemo erat, qui audiret: nunc nemo est qui prohibere & flammam restinguere possit. Et tamẽ Christiani nobis videmur, sanguina-
Matt.5. riũ animũ & facta spirãtes. Verùm vbi est Euãgeliũ, in quo Christus non solùm homicidium, sed etiam iram, cõminationes, contemptum, conuitia & cõtumelia prohibet, idque non simpliciter, sed sub æternæ pœnæ & gehennæ cõminatione? Vbi verbum, quod Christus in hoc Euangelio dicit; Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo? Hìc audis, quòd nos Deus etiam ab altari retro mittit, nolens à nobis sacrificium & orationem recipere, quàm diu nobis malè conuenit cum fratre nostro. Attamen miramur,
Esa.1. Deum nos non protinus exaudire orantes, cùm tamen manus nostræ sanguine sint plenæ.

Hoc

Hoc cōſideremus fratres dilecti, meditemur rogemúſque ea quæ pacis ſunt. Inuenias pleroſq;, qui ſuadeant quidem & inſtigent ad ſanguinis effuſionem. Ego verò perquā vellem me omnibus mortalibus pacis & Chriſtianæ cōcordiæ amorē ac ſtudiū perſuadere poſſe, quod ſanè videretur mihi non ſolùm huic Euangelio totiq; adeò ſacræ Scripturæ noſtróque nomini & vocationi conſentaneum, ſed etiam Germanicæ nationi cū primis vtile & proficuū. Meritò ſanè cū Dauide dicere & orare deberemus: Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſaluationum Chriſti ſui eſt: ſaluum fac populū tuū Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vſq; in æternū. & cum Eccleſia in hodierna, vt vocant, Collecta: *Deus virtutum, cuius eſt totum quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis religionis augmentum, vt quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita cuſtodias.* Hæc initiò dicere viſum eſt, & conqueri de deplorata vita & moribus huius temporis. Deus nobis oculos aperiat, & omnia in melius vertat.

Pſal.121.

Pſal.27.

Audiemus porrò etiam aliquid ex hoc Euangelio, breui illo quidem in verbis, ſed mentionē faciente de ſummo articulo Chriſtianæ noſtræ doctrinæ, eúmque ita depingēte, vt certè multum diſsidij & contentionum componi deberet, ſi propius Euangelium iſtud intueremur. Rogas quomodo id? Reſponſum multum hodie dicitur, ſcribitur, prædicatur, diſputatur, & contenditur de iuſtificatione hominis, nec tamen alij alios rectè intelligere volunt: perpetua lis eſt, cùm vel hoc vnum Euangelium nos ſatis hac in re inſtruere poſsit. Nam hîc ſtat Chriſtus, qui ſummam negotij in duobus punctis conſtituit. Primum eſt ꝙ ſine iuſtitia nemo ad cœlum peruenit. Alterum, ꝙ hæc iuſtitia nihil aliud eſt, quàm obſeruatio diuinorum mandatorum, & obediētia erga legem Dei. Duobus in hiſce punctis ſumma negotij verſatur. Primùm demōſtratione opus nulla habet. Scimus ex Moyſe, omnes impuros à caſtris Iſraël arceri: ſcimus ex Ioanne, nihil quod inquinatū ſit, ingreſſurum in cœleſtem Hieroſolymam. ſimiliter ſcimus ex diuo Paulo, adulteros, fornicatores. &c. nullam habituros partē regni Chriſti & Dei. Dicit & Chriſtus ipſe apertè in Euangelio, Niſi quis natus fuerit denuò, non poſſe eum videre regnum Dei. Quòd autē iuſtitia noſtra conſiſtat impletione diuinæ voluntatis, & perfecta obedientia legis eius, ex eo id primùm intelligi

Iuſtitia noſtra quæ ſit.

Leui.13.
Apoc.21.
2.Cor.6.

Ion.3.

potest, quod Christus ad mentionē iustitiæ, mandata Dei exponit, & multis indicat, quid lex à nobis requirat. Secundò, intelligi idipsum potest ex eius contrario. Nam vt Deus peccato & transgreßioni legis suæ mandatorúmque pœnam mortis decreuit: ita quoq; obseruationi legis suæ præmium

Matth. 16. vitæ promisit. Si vis ad vitam ingredi (dicebat ad diuitē adolescentem) serua mandata. Huc pertinet quod Paulus dicit:

Rom. 2. Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Sic ergo totum negotiū in hisce duobus positum est. Si ad cœlum venire nobis animus est, iustos & probos esse nos oportet. Si iustos nos perhiberi volumus, voluntatem Dei facere, mandata eius & legem seruare necesse habemus. Sed oritur hic quæstio, quomodo & qua ratione lex impleatur, & qui seruent mandata Dei. Nostræ rationi videtur, quod lex & mādata Dei solis nostris externis ope

Matth. 5. ribus impleantur, & idcirco etiam iustitiam solis externis ascribit operibus. Sed vtrinque erratum. Etenim primò indicat hic Christus clarè & expressè, mandata Dei non modò opus, sed etiam cor & animum postulare. Etsi enim manu neminem occidis, nondum tamen præceptum (Nō occides) impleuisti, nisi ita in charitate proximi tui constitutus, & firmatus sis, vt nulla ratione erga illum immoderatius exaspereris, neque verbis, neque factis aut signis, neque ira, neque maleuolētia: sed quis tam perfectus inter nos, qui iactare ausit, se mandatum hoc omni ex parte perfectè obseruasse? Imò quis non videt, & ipse fateri cogitur, se quotidie & multipharíam aduersus illud ad minus venialiter delinquere? Et tamen hoc vnum duntaxat mandatum est. Porrò si mandata Dei plus à nobis quàm externa opera exigunt, solis profecto operibus nostris non implētur, nec potest solis nostris operibus iustitia transcribi. Attamen relinquitur fundamentū positum à Christo, nos iustos esse oportere, si modò in regnum Dei venire cupimus, & iustitiam in obedientia solùm & impletione mādatorum & legis Dei sitam esse. Quomodo igitur obseruamus mandata Dei, si solis nostris externis operibus seruare ea nequimus? Vtiq; vera fide & charitate. Et quomodo id fit? Fide & charitate coniungimur & incorporamur Christo: & is est, qui legi Dei perfectè satisfecit, & Patri in omnibus obediens fuit, quē-

Ioan. 8. admodū ad Iudæos dicit: Qui misit me, mecum est: & non reliquit me solū, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

Christo

Christo igitur per fidem & charitatem copulati, participes simus omnium eius meritorum, sicq; iustitia eius, obedientia, & impletio diuinorum præceptorũ nobis communicatur, & eius gratia adiuti, nos quoque pro modulo nostro legem seruamus: & fit hoc pacto nobis quod Paulus dicit, Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitę. Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituẽtur multi. Hinc fit, ꝙ Paulus ait nos fidę iustificari, non tamen sola fide, sed quæ sit cum charitate coniuncta. Tali enim fide coniungimur & incorporamur Christo, qui est perfectio & impletio legis: atque is suo spiritu adiuuat infirmitatem nostrã ad exequendam legem & præcepta Dei. Non est igitur ꝙ putet quisquam, nos iam nihil facere debere, vt qui meritorum Christi participes sumus. Nequaquam: ex nobis ipsis quidem legi & mandatis Dei satisfacere nunquam possemus. per fidem autem & charitatem participes simus meritorum Christi, atque ea compensant, quod in nobis desit. Nihilominus verò studiosè agere nos oportet, vt mãdata Dei pro viribus impleamus. Sanè inconueniens est ea conclusio, si dicamus: Christus impleuit legem, itaque mandata Dei nihil ad me: Christus impartit mihi suam iustitiam, quapropter non est, quòd iustitiæ alicui studeam. Minimè verò. Homo Christianus etiamsi omnium sanctorum bona opera habeat, fiduciam tamen suam nulla alia in re præcipuè collocare, quàm in meritis Christi debet. Hic nostra iustitia est, vti Paulus dicit. Contrà quantumcunque sciat per viuam fidem & in viua fide Christum eiusque merita sibi communicari, omni tamen bono operam nauare debet, & tanto studio, quasi solus bona omnia efficere debeat. Hi veri Christiani sunt, & tales quoque vult Paulus in hodierna Epistola. An ignoratis (inquit Rom. 6.) quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? &c. Hæc Epistola nihil aliud est, quàm seuera admonitio ad omnes eos qui per fidem iustificati sunt, vt ne existiment se nihil facere amplius oportere. Non (inquit Paulus) secus ratio dictat, secus fert baptismus noster & vocatio. Tota sacra scriptura secus fert. Sed de hoc in aliis sermonibus latiùs dicetur. Tantum hac vice sufficiat.

Rom. 5.

1. Cor. 1.

Veri Christiani.

SECVNDVS SERMO DE PRImo huius Euangelij verbo, de Christiana iustitia.



CVM superiori anno de hoc Euangelio prædicarē, talē res nostrarum regionum præ se ferebant faciē, vt melius nihil me facere pos se viderē, quàm vt infœlix tempus & mundi cursum, in quo tum eramus, cū verbis Christi componerem, quò omnes magis perspicerent, quàm nostrum propositum, quod id temporis habebamus, doctrinæ Christi prorsus absimile & contrarium erat, & quiuis tantò maiorem occasionem haberet Deum deprecandi, vt inuidiosum, iracundum, vindictæ cupidum & sanguinarium animum ad perdendum nos inuicem, è cordibus eximeret, & tantum nobis gratiæ faceret, vt vel hoc vnum Euangelium rectè intueri possemus. Hæc (inquam) prædicatio mea erat: imò querela ante annum circa Euangelium istud. Nullam reperiebam similitudinē nostrorum morum cum hoc Euangelio. Videbam omnia verba Christi in hoc Euāgelio eò spectare, vt charitate & cōcordia inter nos Christianos seruata, ira, inuidia, maledicta, calumniæ, conuitia, homicidia, & sanguinis effusio caueretur: videbam etiam maiorem partem inter nos Christianos, omnis charitatis & cōcordiæ oblitam esse: contrà verò in tantam iram, inuidiam, amarulentiam & vindictæ cupiditatem deuenisse, vt nihil potius haberent, quàm vt maledicerent, conuiciarētur, contemnerent, diffamarent: nihil mallent, quàm iugulare, trucidare, perdere, & funditus euertere. Id autem cum hoc Euangelio minimè conueniebat. Quapropter tantum mihi temporis non dabatur, nec oportunitas concedebatur dicendi multa de Christiana iustitia, vt Euangelij istius dignitas postulat. Faciebāt infœlices cursus, vt tantū demirarer nostrā cæcitatē eāq; deplorarē. Nunc verò, quia animi nostri ad pacem aliquātò propēsiores sunt, tātò quoq; plus tēporis & spacij habeo, aliquātò fusius de hoc Euāgelio dicēdi, & præcipuè de primis verbis, quæ magni momēti sunt, & in quibus etiā totus intellectus Euangelij istius consistit ac pendet. Quid enim maius & excellētius iustitia? Quid magis necessarium ad salutem nostram? Quid autem mundus vnquam tardius intellexit, & intelligere voluit, quàm in quo vera & Christiana iustitia posita sit? An non vna hodie ex maximis disputat

Iustiti.

putationibus est inter doctos? Tantò igitur diligentius Euã geliũ hoc considerare debemus, in quo Christus ipse quæstionẽ hãc tractat. Et quis quæstionẽ talẽ determinare melius potest, quàm is quẽ Scriptura nominat doctorẽ iustitię: Ioel.2. & de quo Isaias dicit, iustitiã fore cingulũ lũborũ eius? Esa.11. Breuissimè itaq; ostendã, quid Christus in hoc Euangelio senserit, vbi loquitur de Christiana iustitia, & in quo illo cõsistat, daturus per hoc cuiuis bono occasionẽ latius ampliúsq; ea de re cogitandi. Primò certum est, non solùm apud nos Christianos, sed etiã apud Iudæos, bonis tãtũ & iustis regnũ cœlorũ promissum esse. Quia nihil coinquinatũ intrabit in Apo.21. illud: & foris manebunt canes & venefici, impudici & homi- Apo.22. cidæ, & omnis qui amat & facit mendaciũ. Contrà verò, glo Rom.2. ria, & honor, & incorruptio erit omnibus facientibus bonũ. Hoc indicat Christus apertè, inquiens in hodierno Euãgelio, sine iustitia neminẽ in regnum cœlorum venire. Matth.25. Quod ipsum & aliis in locis dicit: Iusti (inquit) ibunt in vitã æternam. Matth.13. Et iterum: Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. In eundem quoq; modum dicit Ezechiel cap. 18. Iustus vita viuet. Et Sapiens: Iusti in perpetuum viuent, &c. Sap.5. Et rursum Sap. 3 Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tãget illos tormentũ mortis, &c. Et Dauid Psal. 111. In memoria æterna erit iustus. Item Psal. 33. Oculi Domini super iustos. Et Salomon Pro. 12. In semita iustitiæ vita. Rursum: Iustitia Prou.10. liberabit à morte. Id genus sententiis plena est Scriptura, quæ omnes indicant, neminem posse iudicium Dei effugere, neminem in regnum Dei venire, nisi qui iustus & iustificatus est. Christus ipse hoc indicat in primo verbo Euãgelij istius, Matth. 5. Nisi abũdauerit iustitia vestra, &c. non intrabitis in regnum cœlorum. Ostendit is simul, nec qualibet tamẽ iustitia nos iustificari. Habebant enim & Ethnici suam iustitiã, similiter Iudęi: habet item mundus propriam suam iustitiã. De iustitia Ethnicorum quorundam ita mirifica legũtur in veterum historiis, vt etiam nos Christianos, si legamus, rubore suffundi oporteat. De quo quis speciatim Valeriũ Maximum videat licebit, qui eiusmodi exẽpla multa commemorat. Attamen talis eis iustitia non sufficiebat ad æternam salutem: alioqui Christum mori nihil necesse fuisset. De Iudaicorum Pharisæorum iustitia legimus Matth. 6. & multa in Euangelio, qui multùm ieiunabãt, & orabãt proli- 23. xè, eleemosynas erogabãt, seuerè exigebãt vel minima: de-

cinnabant mentam & ânethũ,& alia vilia: crebrò lauabant manus:in nullius Ethnici domũ intrabant,&c.Sed nõ erat illa vera iustitia. Quid ita? Quia propterea solùm hæc faciebant,vt ab hominibus laudẽ mererentur. Sed quid dicit Christus? Amen dico vobis,receperunt mercedem suã.Iustitia,quam mundus infidelium adhuc habet,in eo consistit,vt alter alteri faciat,queãdmodum sibi fieri velit:& alteri non faciat quod sibi fieri nolit:odiat mala,amet,ac colat virtutem & honestatem.Talis iustus est coram mundo. Sed nec hoc quidem sufficit ad fœlicitatem:imò ea ipsa iustitia est, quæ etiam olim in Ethnicis probata & prædicata fuit: per quam tamen fieri salui non potuerunt.Sine fide enim impossibile est placere Deo. Quæ igitur iustitia est,quæ nos ad cœlum perducit, Deo acceptos facit,& nos corã illo iustificat? Responsum: Perfecta obediẽtia erga Deum & legem eius,seu mandata vel præcepta.Hanc iustitiam poscit Deus.

Ioan.28. *Matth.6. & 7.* *Heb.11.* *Iustitia vera.*

Nam vt peccatum nihil aliud est,quã transgressio diuinæ legis:ita iustitia nihil est aliud,quã legi Dei obtemperare. Et queãdmodũ Deus transgressioni legis suæ pœnam mortis constituit:ita quoque obedientiæ erga legem suam, æternã mercedẽ promisit. Huc pertinet quod Christus interrogatus,quid faciẽdũ esset ad vitã æternã consequendã, dicit,Matth.22.Diliges dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, &c. Huc pertinet item quod Ioannes ait,Qui facit iustitiã, iustus est.Sic Ezechiel cap. 8.multa cõmemorat quæ lex à nobis hominibus requirit,dicens postremò, Qui hoc fecerit,hic iustus est,vita viuet.Facit similiter etiam Dauid in duobus Psalmis,rogãs primò,quis habitaturus sit in tabernaculo Domini? mox sibi ipse respondet,addens ad extremum,Qui hæc facit,nõ mouebitur in æternum:imò benedictionem & misericordiã apud Deum inueniet. Ex his omnibus perspicuum fit,iustitiã,quæ ad Deum & in cœlum nos ducit,nihil esse aliud,quã obedientiã mandatorũ Dei. Hoc iam restabit, quomodo illam iustitiã simus consecuturi:siquidem ex nobis ipsis solis eam habere nõ possumus. Christus in hoc Euangelio non nisi vnum mandatum exponit,sed ita,vt nemo facilè dixerit, se mandatum illud perfectè seruasse. Etenim quis tam mansuetus, quem primus iræ motus non aliquando vincat,vt erga proximum suum non ita se gerat, vt merito deberet? Quis porrò tam mitis est, qui semper mox ex animo eiicere possit

Aeterna merces. *1.Ioan.2.* *Psal.14.* *Psal.23.*

iniuriam

iniuriam sibi illatam, &possit protinus ei à quo læsus est, ex animo condonare? Atqui dicit Christus hic, quàm diu non fecerimus hæc, vt ne cogitemus Deum non conspecturos, nisi ea vitia prius expietur. Hunc in modum etiam alia mandata exponit, vtpote mandatum de adulterio, de charitate, &c. Hinc apparet, in quantū Christus sua præcepta intendat, vt certè nullus sit, qui non ea præcepta vel corde, vel opere aliqua ex parte trāsgrediatur. Atqui dicit Scriptura, nihil coinquinatū ingressurum in regnum Dei, vel Hierusalem supernam. Videte fratres, rerum nostrarū statū. Sine iustitia in cœlum non venimus, Sine impletione mandatorum Dei esse iusti aut fieri non possumus. Nec potest quis ex seipso legi Dei perfectè satisfacere. Vnde nullus mortalium saluus fieri potuisset absque Christo. & hoc est quod queritur Dauid: Domine, ne intres in iudiciū cū seruo tuo, quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuēs.

Apoc. 21.

Psal. 142.

Eia, inquis, hac ratione omnibus desperandum fuisset. Nam si cœlum adipisci non possumus nisi iusti, si iusti esse non possumus, nisi impleta lege Dei, & illam autem nemo nostrûm perfectè suis viribus implet aut implere possit: sequitur ex eo, neminem nostrûm saluari. Vtique frater, sic se haberet, nisi Deus per gratiam nobis auxilium procuraret. Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omniū misereatur. Gratiæ adminiculo in cœlum veniamus oportet, quandoquidē id ex solis nostris operibus non possumus. Alterius & aliena iustitia nobis succurrat necesse est, quoniā quidem propria nostra iustitia per se infirma nimis est. Rogas quomodo? Audi Paulum dicentem: Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suū mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato dānauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.

Rom. 11.

Rom. 8.

Quia enim legem per nos implere non poteramus, Christus naturâ innocens, & qui sine omni peccato est, legi propter nos sese subiecit, eámque perfectè adimpleuit: & eam ipsam impletionē, qua pro se opus non habebat, nobis donauit cōmunicauítque. Hoc pacto mūdus à legis transgressione liberatus fuit, per impletionem legis, à Christo factā. Sic impletio legis, quā fecit Christus, facta est in satisfactionem nostræ redemptionis. Sic dedit nobis Deus per filium suū quod antea impossibile nobis erat. Sic nobis Christus factus est iustitia, sanctificatio, redemptio, salus & vita,

1. Pet. 2.

1. Cor. 1.

implendo pro nobis legem,& sacratissima sua passione dependendo, quod contra legẽ deliqueramus: ita vt in posterum nobis Adæ filiis extra Christum nulla spes iustitiæ, redẽptionis, salutis & vitæ relicta sit. & quòd in illo vno habemus satisfactionem nostræ redemptionis. Ergo qui Christum nõ habet, nec satisfactionem redemptionis & iustitiæ habet. Qui autẽ Christum re vera habet, is in illo quoque habet causam nostræ redẽptionis, & iustitiæ, hoc est, impletionẽ legis per illũ factam. Nam quẽadmodũ per inobedientiã salutẽ nostrã amisimus: ita per obeditionem eandẽ rursus cõsequi nos oportet. Quia verò nemo inter nos Deo per se perfectam obedientiam præstare potuit, ecce factus Christus Iesus filius Dei pro nobis obediens, etiam in mor-
Philip. 2. tem vsque, eam obediẽtiam pro nobis præstitit, vt per illius obedientiã Deo recõciliemur: quemadmodum antea per in-
Rom. 5. obedientiam Adæ, omnes in Dei iram, & deinceps in iniustitiam & condemnationẽ incideramus. En, hoc modo simul inuenimus, nos certò per impletionẽ legis iustificari & saluos fieri. Nihilominus verò tamen verum quoque manet quod Paulus dicit, nos iustificari & saluos fieri ex misericordia, & gratis sine præcedentibus meritis nostris per Christum. Videntur quidẽ hæc duo pugnare, id quod scrupulum & errorẽ nunc inter nos gignit, eò quòd nos inuicẽ intelligere nolumus. Alius capit sentẽtias, quæ indicãt, nos per impletionem legis iustificari: alius capit sententias, quæ docent nos gratis per Christum iustificari. Ille ait, eum qui implet Scripturam, iustum esse, & qui seruat mandata, eum venire ad vitam. Quomodo igitur id sola gratia & fides facere potest? Hic dicit, Scriptura habet, qui in Christũ credit, eum saluum fieri, & non venire in iudicium: quomodo igitur id impletio legis efficere potest? Verùm si oculos rectè aperire liberet nobis, cogniturì essemus, hæc duo nihil pugnare inter se. Enimuerò sanè nemo saluus fit, nisi per impletionem solam legis, iuxta tenorem Scripturarũ, quas suprà indicaui. Sed debet (imò nec potest quidẽ) impletio nõ nostris viribus fieri: sed quod nos minus possumus, per Christũ nobis debet cõmunicari, id quod mera gratia est. Nã ꝙ Christus propter nos legi se subiecit, atque etiã maledictionẽ & pœnã in se suscepit, nõ id ex debito aliquo, sed ex amore tantùm factum est. Sic itaque compensat Deus in nobis sua misericordia, quod ex nobis ipsis non habuimus

aut potuimus: si tamen quod nostrum est facere nō omittamus. Hoc nostrum solatium est, quo iterū niti nos oportet. Hoc nostrum est Euangelium & vnicum refugium. Confiteri cogimur, absque iustitia neminem saluari. Fateri deinde quoque nos oportet, neminem iustum esse & fieri, nisi per impletionem legis, & obseruationem diuinorum mandatorum. Oportet tertiò credere, neminem legem ex seipso impleuisse aut posse implere. Hoc autem nostrum solatium est, quod nobis Christus meritū suum donat & impartitur in ipsum ritè credentibus, & quod nobis etiā Spiritum sanctū impetrauit ac dat, per quem legi etiam tantò melius satisfacere possumus. Quapropter minimè tibi desperandum est, quicūque es piè Christianus, quū tuam miseriam vides, quòd tantū contra legē Dei admiseris, nec ei satisfeceris. Si te diabolus per hoc ad desperationē adigere conatur, & tibi inculcare, te non posse venire in regnū Dei, nisi iustus sis: nec tamē possis esse iustus, nisi totam legem & omnia mandata Dei obseruaueris impleuerísque. Hoc tibi (inquam) si in mentem veniat, cogita apud teipsum, & dic: Scio me iniustum esse, atque ideo in regnum Dei venire nō posse. Sed scio interim quòd Christus eo, quod fecit ac passus est, sua obedientia & meritis mihi pensare possit ac velit, quod mihi deest. Quinimò scio, quòd illum Deus propterea miserit: hoc me consolor, erigo & confirmo: in hoc sperabo, inde Deo gratias agā, qui mihi & aliis hominibus per hoc clementer opē tulit. Videte fratres, hæc iustitia est, per quā salui simus: non nostra sola iustitia, quæ nunquā tam magna & perfecta est, vt legi plenè satisfaciat, sed meritum Christi: in hoc fiduciā collocare nos oportet, & nō in nobis ipsis. Illius passio depēdat oportet, quod cōtra legē Dei deliquimus: illi⁹ meritis sarciri nobis oportet quod in perfecta impletione legis nobis deficit. Illius Spiritu implere nos oportet, & conari, quod aliàs per nos non possemus. Id quod non ab re addo. alioqui enim friuolū esset, nos passioni & meritis Christi fidere velle, & interim tamen otiari, quin etiam sponte in peccatis manere & perseuerare. Non frater. Christus qui tibi suū meritum & iustitiam donat & largitur, idē tibi dat quoque Spiritum sanctū, vt ipse etiā legem obseruare possit, & iustitiā à Christo acceptā auctiorē perfectiorémque reddere. Et hoc postremū si velis omittere, & primo tātummodo inniti, erraueris profectò. Quēad-

Hæc piorum consolatio est, non in suis vitiis permanentium.

Per gratiam implemus legem.

In meritorum Christi temerarios vsurpatores.

modum nũc plurimi faciunt, qui simpliciter opinãtur, quia Christus legẽ impleuit, & nobis meritũ suũ donauit, se nihil amplius opus habere. Sed falsa eorum persuasio est. Eia fratres, nõ est quod vitiis laxemus habenas propterea, sed magis gratos exhibere nos conuenit, quòd Deus tam benigne nos iuuat & promouet ad regnum suũ. Nónne satis est, quòd per Christum nobis pœnitentibus sarcit quod neglectũ erat? & quòd donat nos Spiritu suo, per quẽ bona facere possumus? Et iam tantò liberius vitiis & affectibus nostris indulgebimus, & talem gratiã ac Spiritũ in vacuũ recipiemus? Nequaquam. Lege Paulũ ad Ro. 6. & 12. capite, multò aliter inuenias. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

TERTIUS SERMO DE *prima parte hodiernæ Euangelij.*

Iob. 5. N libello Iob sententia & verbum habetur, quod, meo quidem iudicio, circa hoc Euangelium consideratu dignissimum est. Deus est (loquitur Eliphaz) qui apprehendit sapientes in astutia eorũ, & consilium prauorũ dissipat. Per diẽ incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie. Si oculos haberemus, visuri quoque essemus iudicium Dei circa istud Euangelium. Verba quæ hîc loquitur Christus, luce meridiana clariora sunt, & quiuis simplex quid à nobis requirat, intelligere potest. Quia autem illud non de gratia Dei, sed de Dei mandatis & nostris operibus, non de fide, sed actione loquitur, atque ideo etiam ægrius auditur: acuti & versipelles quidam valde hic laborant, quomodo id suæ factionis hominibus eleuent, & quasi nullius negocij ac momenti efficiant: sed tandem in propria sua astutia capiuntur illaqueantúrque, vt nusquam promouere possint: omnes videre coguntur, eos in luce meridiana velut in tenebris oberrare, & palpare haud secus ac in intempesta nocte. *Cæcitas Euangelicorum nostrorum.* Rogas quomodo? Patres nostri & veteres Ecclesiæ doctores Euangelium istud simpliciter intellexerunt acceperúntque, vti verba sonant & secundũ textũs nimirũ nos obligatos esse seruãdis Dei mãdatis. verũtamen nõ vt Iudaici Pharisæi intelligebãt, qui ad externũ tãtũmodo opus respiciebant, sed vt Christus præcepta exponebat, nimirum vt singula præcepta non solũ manum & opus, sed etiam linguam, cor, & totũ hominem velint habere ac postulent.

stulent. Hunc in modum maiores nostri Euangelium istud intellexerunt, omnémque adhibuerunt operam, vt vita eorum simul illi responderet. Sed nos simplici hoc intellectu contenti non sumus. nimium laboris impendendum esset, nimis durum id esset nobis delicatis Christianis. Ideo varia mens nostra secum volutat, vt saltem difficultatē subterfugiamus. Et quia in Paulo inuenimus, quòd per legem peccatum appareat, illico opinamur, hunc vnicum esse vsum legis & mandatorum, cōcludentes ex eo, Deum nō propterea nobis dedisse mandata sua, vt ea sit seruare necesse, nec conari quēquam debere, vt ea seruare velit: id enim impossibile esse, nec ob id quēquam solicitum esse debere, si ea nō seruet, quippè cùm in hoc solùm data sint, vt peccata per ea cognoscamus. Hoc est nimirū, quod vel maxime velimus: per hoc arbitramur, nos egregiè refutasse ea quæ ex hoc Euangelio obiici nobis possunt. Sed quid dicit Scriptura? Nō est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Vbi Deus ligat, nullum effugium est. Apprehendit sapiētes in astutia eorum. Nam vt maxime res ita haberet, & Deus legem suam & mandata propterea solùm dedisset, vt per ea peccata cognosceremus, attamen etiam sic capti & irretiti tenemur. Nam præterquam quòd Dei mandata non seruamus, non discimus quoque peccata nostra ex iis cognoscere. Rogas qui id? Christus vult in hoc Euangelio, vt proximo nostro non solùm nō malefaciamus, sed eum amemus etiā, colamus magníque faciamus, ostendens nō modò peccatum esse, occidere, verùm etiam irasci: maius adhuc peccatum esse, si gestibus illum aspernemur: & maius adhuc, si proximū nostrum manifesta contumelia & conuitio incessamus. Hoc speculum est, quod nobis Christus hodie proponit. Sed vide iam, quomodo nos in eo contemplemur, & quomodo peccata nostra ex hoc mandato discamus cognoscere. Quādo plus homicidij, necis & sanguinis effusionis patratum est, quàm hisce temporibus? Quando maior inuidia, odium, ira, indignatio & amarulētia inter nos Christianos fuit, quàm nūc? Quando conuitia, contumeliæ, cōtemptus, derisio atrocior audita, quàm nunc? Quando superbiores, arrogantiores, inhumaniores gestus & mores visi, quàm nūc? Et quod magis est, hoc non contenti sumus: nos peccasse sat non habemus, sed alios quoq; ad similia prouocamus, quoquo modo possumus, verbis, scriptis, picturis, &c. Et in his omnibus nemo timet

Roma. 7.

timet peccatum, ob ea in cõſcientia angitur: imò nemo pro peccatis ducit. pro Chriſtiano zelo habẽtur, cùm tamen reuera nihil ſit aliud, quàm tartareum ſeu diabolicum odium ſeu furor. Vbi iam ſpeculũ, quod Chriſtus nobis proponit? Aut hoccine eſt peccatum ex lege cognoſcere? Hinc intelligis, quomodo nos Chriſtus apprehendat in noſtra aſtutia. Perſuaſum habemus, ſi dictum Pauli vrgeamus, vbi ait, per

Roma. 7. legem veniri ad agnitionem peccati, nos omnem reprehenſionem aut condemnationem euaſiſſe, etiã hoc mandato nõ obſeruato: cæterùm res ipſa loquitur, quòd hoc ipſum Pauli verbum nos apprehendit & aſtringit, ſiquidem nihilo plus hoc quàm illud facimus. Patres noſtri quidem agnoſcebant & conſiderabant peccata ſua ex hoc Euangelio, ſed ea etiam corrigere interim diligenter ſtudebant, & perficere Dei voluntatem. Nihil horum facimus, attamen abundè excuſatos nos putamus. Agedum, ad tẽpus id durat: ſed vide interim, quomodo ſtare velis coram tribunali Chriſti, ne iſthic curuum fiat quod tibi nunc rectũ videtur. Idcircò nihil melius & certius, quàm vt Euangelium iſtud vtriſq; his viis acceptemus conſideremúſque. Sit nobis ſpeculum, ex quo næuos & maculas noſtras, hoc eſt, peccata cognoſcamus: deinde verò etiam amuſsis, ad quam vitam noſtram exigere & inſtituere debeamus. Hunc in modum quoque Paulus Euangelium iſtud accepit. Vnde in hodierna Epiſtola ſimpliciter id vrget, ſi nomini noſtro & baptiſmo ſatisfacere velimus, cum Chriſto peccato & priſtinæ vitę nos mori oportere, & in nouam vitam reſurgere, in illa procedere, creſcere, & perſeuerare vſque in finem. Tantum in genere. Nunc igitur verba aliquantò accuratius diſquiremus, & ab initio incipiemus.

Agnoſcis peccata tua? Fac ea corrigas.

Dico vobis (inquit Chriſtus) Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, nõ intrabitis in regnum cœlorum. Per iuſtitiam hîc omnem virtutem intelligere poſſumus, ita vt iuſtitia hoc loco tantum valeat, quantum probitas. Eſt autem duplex probitas, ſeu iuſtitia: Altera coram mundo, altera coram Deo. Non enim omnis corã Deo iuſtus eſt, quem mundus pro iuſto habet. Homo iuſtus eſt corã mũdo, & probus habetur, qui nihil facit, quod ſecundum mundanã legẽ & ius cõmune in illo reprehendi poſsit: puta qui non furatur, non prædatur, non violat coniugii fidem, pacificus eſt inter alios homines, Magiſtratui paret, facit quod facere eum decet, &c. Hic homo bonus & iuſtus eſt coram

Iuſtitia triduplex.

coram mūdo. Et de tali iustitia Philosophi scripserunt. Atq; hæc iustitia per se bona & laudabilis est: quin etiam homini Christiano necessaria. Nam testimonium habere nos oportet etiam ab iis, qui foris sunt, conuersationem habentes bonam, vt qui malè de nobis loquuntur, per nostra bona opera conuicti, occasionem habeāt Deum laudandi & glorificādi. Et etiamsi mala ac persecutionem in mundo pati cogamur, non debemus ob malefacta, nō tāquam homicidæ, fures aut blasphemi, sed tanquam Christiani pati. Sic etiam Christus probus & iustus erat corā mundo, vt etiam ab inimicos suos dicere non vereretur, Quis ex vobis arguit me de peccato? Sic poterat olim etiam Samuel dicere: Loquimini de me coram Domino, & corā Christo eius, vtrùm bouē cuiusquam tulerim, aut asinum: si quēpiam calumniatus sum: si oppressi aliquem: si de manu cuiusquam munus accepi: & cōtēnam illud hodie, restituámque vobis. Et dixerūt: Non es calūniatus nos, neq; oppressisti, neq; tulisti de manu alicuius quippiam. Sic olim etiam diuus Iob verè de seipso dicere poterat: Liberabam pauperem vociferantem, & pupillū cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduę cōsolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestiui me, sicut vestimēto & diademate, iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperū, & causam quam nesciebā, diligentissimè inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebā prædam, &c. Audebat item Paulus dicere ad suos Corinthios: Neminem læsimus, neminē circūuenimus. Demonstrans postea, se neque per eos, quos ad illos miserat, circūuenisse quēquam eorum. Hæc iustitia est, quam habere etiā corā mūdo debemus: ea bona est & laudabilis, sed nō sufficiens per se ad fœlicitatē & regnū cœleste: alioqui enim multi etiā Ethnici facti fuissent beati, de quibus nihil mali, sed multa bona dici potuerunt. Deinde verò adhuc alia iustitia est corā Deo, per quā homo nō solùm bonum nomen & laudē corā mundo & hominibus habet, sed Deo acceptus est: atq; ita, vt peccata ei tecta sint, & Deus nullam pœnā ab eo propterea deposcat, sed ob eā iustitiā etiam amet illū Deus. Ad eam iustitiā venire nemo potest, nisi per Christū. Si quis diligit me (inquit Christus) sermones meos seruabit, & Pater meus diliget eū. Et iterū: Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exiui. Et rursus: Qui credit in me, in iudicium non venit, vel, non iudica

[Marginal notes: 1. Pet. 2. — 1. Pet. 4. — Ioan. 8. — 1. Reg. 12. — Iob 29. — 2. Cor. 7. — 1. Corint. 12. — Psal. 31. — Ioan. 14. — Ioan. 3.]

1.Corint.1. iudicatur,vt alio in loco habetur. Vnde & Paulus Christum vocat nostram iustitiam,vt per quem corā Deo iustificamur. Ipse enim mediator est inter nos & Deum. Et absq; fide in illum,nullus vnquam Deo placuit,nec adhuc mortaliū quis
Heb.11. quam sine eiusmodi fide Deo placere potest, vti Paulus di-
Ion.16. cit. Et Christus ipse ad Iudæos: Si nō credideritis quia ego
Ioan.5. sum,moriemini in peccato vestro. Et iterum:Qui nō credit, iam iudicatus est.quia iampridem & ab initio in Adam ma-
Matth.5. ledictus est. Ad hāc iustitiā vocat nos Christus,inquiēs: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Phari-
Iustitia Pharisæorum. sæorum,non intrabitis in regnū cœlorum. Quæ autem fuerit Pharisæorum iustitia,indicat Paulus,vbi ait:Iustitiā Dei
Rom.10. ignorantes,& suam quærentes statuere. Christus adhuc clarius dicit, Matth.23. Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus: hoc est,cupiunt videri probi coram homini-
Esa.58. bus,& nō curant,num coram Deo probi sint. Abstinent à ci-
Matth.15. bis quibusdam,sed à peccatis non temperant. Labiis orant, cor autem eorum longè abest à Deo. Extrinsecus sacrificāt,
Mat.23. sed intrinsecus blasphemant Deum. Lauant manus cùm de foro veniunt,sed non conscientiā suā. Decimant mētam & anethum & cyminum,& relinquunt quæ grauiora sunt legis. Mundāt quod deforis est calicis & paropsidis,intus autē pleni sunt rapina & immunditia. Similes sunt sepulchris dealbatis,quę à foris parent hominibus speciosa,intus verò plena sunt ossibus mortuorum,& omnī spurcitia. Hæc Pharisæorum iustitia est,quam Christus prorsus reiicit,& insufficientem iudicat ad ingressum in regnum cœlorum. Hoc
Ezech.13. nobis bene considerandum est,ne in incertum ædificemus, & nobis ipsi persuadeamus pacē esse,vbi pax nulla est. Nam si vitam nostrā inspiciamus in omnibus statibus,iustitia nostra propemodum nihil aliud est,quàm Pharisaica quædam iustitia. Atq; vtinam tantam adhiberemus diligentiā,vt iusti & probi corā Deo simus,quēadmodum interdum coram mundo speciē duntaxat & opinionē probitatis nobis conci-
Iustitia nō syncera in omni statu. liare studemus. Sed omnia inuertimus. Inter magnates nōnulli sibiipsis videntur probi,si per diem sacrum audiant, & suas peculiares oratiunculas dicant,etiamsi non modò nihil agant quod eorū erat officij,sed semper rapiant,deglubant, & pauperes opprimāt. Inter Ecclesiæ ministros aliqui probos & iustos se æstimāt,si in Ecclesia modico tēpore canāt, deinde verò toto die verbis & operib⁹ Deū blasphemēt. In-

ter or

ter ordinis monastici homines quidā probos se & iustos ducunt, si ordinis sui vestitū & habitū gerāt, tēpore pręscripto orēt, ieiunent, &c. etiā si corda eorū omni religione & pietate vacent, sed toto affectu mūdo dediti sint. In vulgo maior pars pro bonis & iustis se reputāt, si hoc vel illud faciāt, Dominica ferientur, feria sexta carnib⁹ nō victitēt: si in anno semel confiteantur, & sacrā synaxin suscipiāt, etiāsi per totū annū omni infidelitati & iniustitiæ studeāt, mētiendo, fallendo, fœnerando, obtrectando, adulterando, &c. An non autē hæc res planè peruersa est, & pharisaica iustitia? Quid refert, si idolū nullū colas corpore, cæterùm in pectore idolum geras? Quid est, quòd manu neminē occidis, si nō cesses virulēta tua lingua proximū tuū iugulare? Quid est, quòd coram mūdo speciē habes iustitiæ, si corā Deo iniustus sis? Quorsum attinet, te ab omnibus hominibus bonū censeri, si cor tuum longè aliud tibi dictet? Sic igitur vides, quod etiā inter nos Christianos ferè nihil aliud est, quàm Iudaica Pharisaica iustitia. Sed audi quid Deus de tali iustitia sentiat: Clama, ne cesses: quasi tubā exalta vocē tuā, & annūtia populo meo scelera eorū, & domui Iacob peccata eorū. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gēs quæ iustitiā fecerit, & iudiciū Dei sui nō dereliquerit, rogāt me iudicia iustitiæ: appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliamus animas nostras, & nescisti? Contrà autem dicit Deus: Nunquid tale est ieiunium quod elegi, ab escis duntaxat, & non etiam à vitiis abstinere? &c. Vide hoc verbum latius in Isaia, similiter quoque primum caput in eodem Propheta. Eundem quoque in modum Christus hic loquitur de iustitia. Dico, inquit, vobis, ego cui Deus omne iudiciū dedit, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Perinde acsi dicat: Si in cœlum venire cupitis, amplectimini iustitiā: quoniā per nullam aliam viam eò venietis, sed arripite verā iustitiam, quæ non in externis duntaxat rebus consistat: vt si orare vis, non solùm os loquatur, sed erige cor tuum ad Deum. Si ieiunare vis, abstine non modo à cibis, sed etiam, imò multò magis à peccatis. Si confiteri vis, & peccata tua explicare, fac vt id non solùm ore fiat, sed vt ex animo proficiscatur. Si Deum laudare vis, vt illum non solùm ore, sed corde etiā laudes. Summa, si aliquid boni facere extrinsecus vis, cura vt bo

Esa. 58.

Mat. 5.
Ioan. 5.

Orare.

Ieiunare.
Confiteri.

Laudare Deum.

vt bonus etiam sis in corde: alioqui hypocrisis est quã execratur Deus. Hęc vera iustitia est, intrinsecus Deo placere, & extrinsecus proximo exẽplum pietatis præferre. Intus ardere per fidem in Christum, & exterius per bona opera lucere erga proximũ. Per hanc iustitiam venitur ad regnum cœlorum. Deus det nobis suam gratiam, vt veram iustitiam amplectamur, & in ea perseueranter ambulemus, Amen.

Vera iustitia.

Ioan. 5.

QVARTVS SERMO DE altera parte huius Euangelij.



HODIERNVM istud Euangeliũ per totum agit de Christiana iustitia, sed metam nobis tam longè figit, & scopum tam altè, vt diligenter circũspiciendũ sit, quomodo illũ assequamur. Duo nobis Christus proponit pro speculo. Primò iustitiam Iudaicorũ Pharisæorum, quæ corã mundo magnæ erat existimationis, quia plus laboris sudorisq; extrinsecus impẽdebant cæteris hominibus. Attamen vult Christus, vt iustitia nostra illorũ iustitiã præcellat. Secũdò, proponit nobis mãdata Dei, eáq; exactissimè exposita, & summè intẽsa. Et hoc etiã præcipuũ est, hoc nos omniũ maximè vrget. Si nõ alia nobis cogitanda essent, quàm quo pacto Pharisæorum iustitiã superare possimus, nõ ita magno opus esset labore. Licet enim iustitia eorũ magnã speciẽ habebat extrinsecus, nõ erat tamen ea valde magna in corde. Quòd autẽ Christus mãdata Dei nõ solùm ad externũ opus, sed etiã ad cor, cogitationes, verba & gestus refert & exponit, & tanta cum seueritate, vt vnicuique suã adiiciat pœnã, hoc homini Christiano diligẽter considerãdum est: maximè nũc istis tẽporibus, vbi res omnes tam leuiter instituũtur, vt pauci inueniantur etiam inter nos Christianos, qui cum Iudęis paria faciant in exercenda iustitia: tantum abest, vt mãdata Dei ea diligentia seruemus, vt hic indicatum est.

Ignauia nostra

Quærimus quidẽ effugiũ vbicũque & quacunq; possumus ratione. Si vrgemur exẽplo Iudęorũ, vt probiores, meliores, perfectiores simus, & in omne bonũ maiori studio incũbàmus, quàm illi, hoc nostrũ effugiũ est: Ha (dicimus) nostra iustitia posita est non in factis, sed in fide. Si vrgemur mandatis Dei, hoc nostrũ effugium est: Ha (dicimus) mãdata non in hoc nobis data sunt, vt ea seruare oporteat: nec seruare quidẽ possumus. Christus ea pro nobis seruauit: ideò tãtũ nobis

O miseros

bis relicta sunt, vt nos per ea tanquam miseros peccatores agnoscamus. Atq; ita vtrinque effugium habemus: sed interim videamus ne nosipsos decipiamus. Facilè quidem dici potest, nostram iustitiam non in factis, sed in fide sitam esse. Item, Per legem cognosci peccatum. At vide vt rectè ea intelligas. *Rom.7.* Etenim primò, cùm loquimur de initio iustitiæ, verum est, eiusmodi nostram iustitiam in viua fide consistere. Solæ enim actiones nostræ nos probos non faciunt seu iustos coram Deo: imò omnis nostra actio inanis est, nisi antea probi & iusti simus: quemadmodum arborem prius bonam esse oportet, si bonos fructus ferre debeat. *Matth. 2.* Quòd si hoc modo intelligimus iustitiæ nostræ initium non in actione sed in fide cõsistere, nulla est controuersia. Sin sic intelligere lubet & accipere, vt ad perfectam iustitiam nihil pertineat aliud, quàm sola fides, & mox vt quis credat, non opus esse, vt amplius circunspiciat, Deum nõ curare actiones seu opera, &c. indubiè falsum est, & à vero remotissimum. Siquidem Scriptura hæc duo passim & simul tractat, nunc fidei, nunc operibus iustitiam transcribens. Vti cùm Paulus dicit: Iustus ex fide viuit. *Rom.5.* Et iterum: Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum, &c. *Rom.1.* In his & similibus verbis, iustitia fidei transcribitur. *Rom.2.* Contrà verò quod Paulus dicit, Non auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Et quod Ioannes ait. Qui facit iustitiam iustus est. *1.Ioan.2.* Et quod Ezechiel ait, Vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam, & vxorem proximi sui non violauerit, & hominem nõ contristauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurièti dederit, & nudum operuerit vestimento, ad vsuram non commodauerit, & amplius nõ acceperit: hic iustus est, vita viuet. *Ezech.18.* In his & id genus verbis, iustitia operibus transcribitur. Quam ob rẽ breuem informationem audi de Christiana iustitia. Primò certum est, nos per fidem in Christum ex gratia, per sanguinẽ quem Christus in cruce & in passione suæ fudit, iuxta diuinũ propositum, absque omni præcedente iustitia, sanctimonia, opere, aut meritis, Deo reconciliatos, ab æterna morte redemptos, filios Dei & regni eius hæreredes factos esse, ita vt nemo nostrum aliquid habeat, de quo corã Deo gloriari possit, tanquã ipse primam hanc iustificationem meritus sit. Ex charitate enim nos ad hæc bona adduxit, cùm tamen adhuc inimici essemus, & iaceremus in cœno incredulitatis & pec *Ephe.2.*

catorum: cùm essemus filij iræ, tenebrarum & diaboli mancipia: fecit id omne ex mera misericordia, & quò omnibus temporibus laudaretur prædicaretúrque, vt qui diues est in misericordia. Quia ergo hæc omnia credidimus, & etiamnum credimus & accipimus, coram Deo iustificati sumus
Apoc.22. in Baptismo, hoc est, probi & iusti habemur pronunciamúrque. Hæc prima est iustitia vel iustificatio. Huc pertinent sententiæ de fide, gratia & meritis Christi. Quam iustitiam vbi consecuti sumus, illud meminisse debemus, Qui iustus est, iustificetur adhuc. En, hîc audis de alia insuper iustitia: Qui iustus est per fidem, iustificetur adhuc per bona opera. Et qui sanctus est per fidem, sanctus fiat adhuc, & sit vita: id quod pertinet ad perfectá iustitiá. Vult enim Deus populum sanctum, vt sanctus & ipse est. Tum Christus spon
Ephe.5. sam habere vult, non habentem maculam & rugam, sed san
1.Cor.6. ctam & immaculatam. Spiritus sanctus vult templa incon-
Tit.2. taminata, Christus vult filios industrios, asiduos & zelosos
2.Cor.4. erga bona opera. Imò propterea se Christus in mortem tra
1.Pet.4. didit pro nobis, vt deinceps non nobis viueremus, sed ei qui pro nobis mortuus est. Ideo mortuus est & resurrexit à mortuis, vt in posterum etiam nos peccato moriamur, & iustitię viuamus. Huc pertinent omnes reliquæ sententiæ, quæ de bonis operibus & vitæ sanctimonia loquuntur, & nos ad eam adhortantur. Hæc duo vbi concurrunt, vt primò credamus, & deinde etiam ex fide secundum voluntatem Dei ambulemus, integra perfectáq; Christiana fit iustitia, quæ per fidem incipit, per charitatem verò & bona opera perficitur. Hîc demùm apparet, S. Paulum & S. Ioannem rectè dixisse: Paulum, vbi inquit, Rom. 3. Arbitramur iustifi-
1.Ioan.3. cari hominem per fidem sine operibus legis: Ioanné autem vbi ait: Qui facit iustitiam, iustus est. Hinc intelligere facile est, de qua Christus iustitia in hoc Euangelio loquatur, Sancti Apostoli iam habebant iustitiam fidei, Deo accepti
Ioan.16. erant propter viuam fidem: quemadmodum ipse Christus dicit, Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis
Ioan.15. quia ego à Deo exiui. Et iterum: Iam vos mundi estis propter sermonem, qué locutus sum vobis. Imò Petrus ob fidé suá etiá beatus dicebatur, Mat. 16 Beatus es Simon Bar iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, &c. Attamé dicit hîc Christus ad illos: Nisi abúdauerit iustitia vestra plusquá Scribarú & Pharisæorú, nó intrabitis in

regnum

regnũ cœlorũ. Videmus hîc certè, eum non de fide, sed de bonis operibus loqui. Id quod totus textus huius Euãgelij demõstrat. Nã paulò antè dicit Christus, Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, &c. Mox sequuntur verba Euãgelij hodierni. Erit itaq; sentẽtia perinde acsi dicat: Si habetis fidem viuã, & in fide iustitiã, imò Deũ & omnia bona: de altera parte etiam cogitate, videte, vt iustitia vestra perfecta sit. In Pharisæis vtrinq; defectus erat: Non credebãt nos propter Christũ acceptos fieri: tum eorum opera nihil erant aliud, quã species quædã & simulationes: ideóq; iustitia eorũ nihil valebat corã Deo. Verũ nobiscũ alia res est; vtrisq; in locis & meliores & perfectiores nos esse oportet Pharisæis, si modò in regnũ Dei venire volumus. Nam sine fide impossibile est placere Deo. Nec quisquã intrabit in regnũ Dei, etiamsi semper habeat in ore, Domine domine, nisi faciat voluntatẽ Dei. Hoc diligenter consideremus, ne nos ipsos decipiamus seducamúsq;. Certa via est, vt primũ vrgeamus iustitiam fidei, deinde verò etiam iustitiã operũ & vitæ. Sic fecit Christus: sic fecerũt omnes Apostoli, vt in illorũ Epistolis clarissimè videre est. Satis de initio Euangelij: audiemus iam quid Christus amplius dicat, & quomodo bona opera doceat: Audistis, inquit Mat. 5. quia dictum est antiquis, Non occides. qui autem occiderit, reus erit iudicio. His verbis incipit Christus mandatum de homicidio explicare & exponere: id quod in aliis quoq; mãdatis facit similiter. Hoc factũ primò propterea est, vt Pharisæorũ reprehenderetur præsumptio, eísq; indicaretur, etiã ipsos, quantũuis mũdo & sibiipsis probi viderentur, coram Deo tamẽ æquè peccatores esse, & gratia Seruatoris opus habere, atq; alios homines. Alioqui enim sibi ipsis bene placebant, boni iustiq; sibi ipsi videbãtur, & ab omnibus tales æstimari & haberi volebant. Hoc sibi volebant lata eorum phylacteria in eorum vestibus, prolixæ eorum preces, quotidiana ieiunia, fastuosæ ac pompaticæ eleemosynæ. Honorificari volebant ab hominibus, inquit Christus. Ideò illis Christus præcepta Dei exponebat, vt peccata sua tanquam in tabula depicta, melius viderent, & deinceps etiam verba & doctrinã Christi eò citius acciperẽt: qua quidẽ in re summus amor & bonitas Christi apparet, vt qui nõ solũ ægrotos sanat, sed etiã iis qui sibi sani videbantur, morbũ eorũ, quẽ ipsi videre nõ poterãt, manifestat, quo etiã citius medi-

Heb. 11.

Matth. 7.

Matth. 23.

Matth. 6.

cũ quærerent. Etenim primus gradus ad sanitatẽ est, cũ quis morbũ suũ agnoscit. Primus gradus ad salutem est, peccata sua agnoscere. Nã qui se ægrotũ intelligit, hòc citiùs medicũ quærit. Qui peccatũ suũ agnoscit & videt, illicò intelligit, se in Dei irã & pœnã incidisse: incipit itaq; timere. Ex timore autẽ clamor ad Deũ oritur. Nec prius homo iustitiã, remissionẽ peccatorũ, & gratiã Dei accipit, quã fame eius & siti, hoc est, magna cupiditate & desiderio teneatur. Atqui homo peccata sua videre nusquã melius potest, quàm cùm mandata Dei sibi ipsi ob oculos ponit. Per legẽ, inquit Paulus Rom. 7. cognitio peccati. Proindè quisq; vitã suã cõferat cum mãdatis quæ Christus hic exponit, videbit quã pauper & egenus, quàm cæcus & nudus sit. Vnde cùm Dauid dicet & orabit: Si obseruaueris iniquitates Domine, Domine quis sustinebit? Et iterũ: Psal. 142. Domine non intres in iudiciũ cũ seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, Secundò explanauit Christus mandata Dei, quò nobis indicaret, quid Deus in talibus mandatis à nobis requirat. Nimirùm nõ solũ externũ opus, verũ etiã cor, imò totũ hominẽ. Cor enim seruat & transgreditur mandata, & nisi adsit cor, nullũ mandatũ vnquã impletur. Quapropter etiam Christus dicit ad Iudæos, Ioan. 7. Moyses dedit vobis legẽ, & nemo ex vobis facit legẽ. Ideò dicit, quia mãdata externis solùm operibus, imò specie implebant, cor eorũ lõgè aberat. Contrà, nisi etiã cor eorũ cũ opere coniunctũ sit, eiq; consentiat, nulla transgressio ibi est. Ex corde enim oritur bonũ & malũ. Adeò nanque peccatũ est voluntariũ, vt nisi voluntariũ sit, nullũ sit peccatũ. Quocircà Christus primũ ipsam veram radicẽ attingit. Quippe vbi cor renouatum non est, semper repullulat lolium quantumcunque eradicetur, nisi cũ radice excidatur. De corde (inquit Christus) exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria &c. E diuerso autem, vbi cor renouatum est & iustificatũ, omnia bona inde exeũt. Atqui cor à Deo mundatur iustificatúrque, vti Dauid ait: Psal. 50. Cor mũdum crea in me Deus. Quã ob rẽ quia Christus à corde incipit nos homines rectificare, vult etiã nos ad se inuitare, perinde acsi dicat: Ego sum qui cor mũdo: idcircò petite & accipite illud à me, &c. Tertiò, item Christus per id, quod mandata exponit, indicare voluit, quàm magnum sit discrimen inter diuinum & humanum iudicium. Homo enim iudicat solũ secundũ externa: Deus autẽ inspicit cor.

Primus gradus salutis. | *Apoc. 3.* | *Psal. 129.* | *Augustin.* | *Matth. 15.* | *1. Reg. 16.*

Fieri

Fieri autem potest, vt qui occidit aliquem, coram Deo homicida non sit. Contrà verò, is qui quidē manum proximo suo non affert, homicida tamen coram Deo sit. Hinc itaque liquet, Deum non ad manum, sed ad cor respicere. Alioqui secundum externum opus, nullum discrimen est inter homicidium quod voluntariè fit, & homicidium quod ignoranter, & non animo deliberato committitur. Iudicabit igitur Deus potissimùm secundum cor. Huc inseruit quod Christus dicit: Nō quemuis intraturum in regnum cœlorū, qui dicat, Domine Domine: imò venturos multos, qui magna iactabunt, quos tamen nolit agnoscere. Sed verba ipsa iā tractando suscipiamus. Audistis, inquit, quia dictum est antiquis. Non occides, loquens indefinitè, nullam nominans personam, quis id antiquis dixerit aut prædicauerit, sed id facit propterea, quò minus quis verbis istis offendatur. Nā si dixisset, Pater meus hoc ad antiquos locutus est, ego autē aliter dico: cogitare quis posset, eū aliam daturum legem, quàm Deus antea dedisset? imò cogitare quis posset, illum velle Dei legem reprehendere & emendare? Quòd si dixisset, Ego hoc ad antiquos locutus sum, rursum homines opinati fuissent, quòd vellet ipse sui præconium canere, tantòque contemptibiliora eius apud illos fuissent verba. Ideò loquitur indefinitè. Audiuistis quia dictum est antiquis, Non occides. Hoc inuenis in multis locis legis. Alterum quod sequitur, Qui autem occiderit, reus erit iudicio, similiter multis inuenitur in locis. Sequitur: Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Hîc obserua discrimen inter Christum & Prophetas. Erant missi serui: propria authoritate loqui nihil poterant, quin adderent, Hæc dicit Dominus. Christus autem poterat & audebat dicere, Ego dico. Erat enim filius Dei, ipsemet dominus erat. Solus erat venturus interpres legis: solus nouerat voluntatem Dei, & solus erat, cui Pater omnia in manus dederat. Qua quidem de causa hæc & alia eius verba, accipere nos tanquam certa & infallibilia verba oportet.

Matth.7.

Exod.20.

Gen.9.

Ioan.13.

Omnis qui irascitur fratri suo, inquit, reus erit iudicio. Hîc vides quòd Christus legem non soluerit: nec enim ideò venerat, vt eam solueret, sed vt impleret. Nam non irasci, haudquàquam contra istud Dei præceptum est, per quod tale præceptum impletur. etenim quem ira non vincit, is ad homicidium non facilè peruenerit. Imò qui ra-

Matth.5.

dicem arboris excidit, securus est, quòd rami non iterum frondescent. Atqui ira vera radix est homicidij: qui enim nō irascitur, neminem occidit. Tolle iram, & non erit amplius homicidium. Veruntamē obserua, Christū non de quauis ira loqui. Exoritur enim nonnunquā ira in homine absque animi consensu, sicuti nullus homo sine huiusmodi affectibus & motibus est: sed de illa ira loquitur Christus, in qua quis ita incandescit & efferuescit, vt animo deliberato alterius damnū notabile aut necem appetat, vindictam moliēs, atque hoc pacto ex ira veniens in odium proximi: quippe cū odiū nihil sit aliud quā ira inueterata. De hac ira loquitur Christus. Nam qui sic irascitur fratri suo, vtique iudicij reus est, quia coram Deo homicida est, vti Ioannes dicit. Et non immeritò iudicij reus est. nam primus ad homicidium gradus est ira, vt in Cain apparet, de quo Scriptura dicit, Genes. 4. Iratus est vehementer, & concidit vultus eius. Hoc homicidij principium erat. Homicidium quidem nōdum perfecerat, sed mortis reus erat corā Deo, quia cædem animo conceperat. Hoc obserua tu hypocrita, qui in aliis hominibus nonnunquam vel minima iudicas & condemnas, cùm tamen tu pectore tuo liuorem & odium alas, & idcircò homicida es coram Deo. Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo: & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui. Sed vnum adhuc obserua, quòd Christus non simpliciter dicit, Omnis qui irascitur, reus est iudicio: sed, Omnis qui irascitur fratri suo. Alioqui bona ira est, qua quis peccatis irascitur. Imò si quem non mouet, & ad iram seu animaduersionem nō trahit, cùm audit Deum blasphemari, is sanè charitatem Patris non habet: si quem porrò non mouet, cū videt, quòd proximus per peccatum sese lædit in anima, neque is profectò charitatem aliquam erga proximum in se habet. Vbi autem vera charitas est, ibi peccatis quidem succensemus, sed tamē proximum diligimus. Sic Christus magno ductus zelo eiiciebat ementes & vendentes è templo: aliàs verò ex commiseratione flebat super ciuitatem Hierosolymam. Sic irascebatur Paulus fornicatori inter Corinthios agenti, tradens eū Satanæ: veruntamen adhortans alios Christianos, vt homini illi iam correcto, charitatem exhiberēt. Sic irascebatur Moyses idololatriæ aurei vituli, vt ira percitus tabulas legis proiiceret frangerétque, & supra id quoque viginti tria millia hominum

Ira à Christo damnata.

Odium.

1. Ioan. 3.

Luc. 6.

Ira laudabilis.

2. Corinth. 5.

Luc. 19.

1. Corinth. 5.

Exod. 33.

ñum è medio tolli curaret. At nihilominus orabat ad Deũ, vt eis peccatum illud condonare dignaretur. Quapropter hac in re exemplum tibi cape à cane, qui ignotos allatrat, domesticis verò blanditur. Oues non lædit, non deuorat, etiam famelicus: lupis autem non parcit, etiam satur. Sic & tu facere debes. Proximum tuum diliges, & tanquam pro domestico & cohærede tuo agnosces. Verùm si quid alieni, quod Christianum non deceat, in illo conspicatis, ibi irasci debes, latrare & corripere: & nunquàm ita diligere proximum tuum, vt etiam ad peccata eius taceas. Contrà verò, nunquam ita peccatis irasci debes, vt charitatis erga proximum tuum obliuiscaris, &c. *Proximus amandus, & eius vitia odio habenda.*

QVINTVS SERMO
de tertia parte Euangelij.



CIRCA hodiernum istud Euangeliũ, in quo Christus tam significanter & pulchrè loquitur de Christiana iustitia, non immeritò demirari quis posit, quòd inter nos, Christianos tamen, de hoc articulo controuersia adhuc est: imò quòd tot annis, & quandoque magna bile, nec non multa contumelia & atrocibus conuitiis, de Christiana iustitia disputauimus scripsimus & prædicauimus: & tamẽ nihil est quod minus in nobis videtur, ac deprehẽditur, quã Christiana iustitia. Nihil vtrinque est quod plerique minus in opus cõferre cogitamus. Vnaquęque pars videtur sibi habere veram doctrinam de Christiana iustitia: interea verò vtrinque nihil propemodum, nisi mera iniustitia in vita & moribus apparet. Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra (inquit Osee) sed maledictum & mendaciũ, & homicidium & furtum, & adulterium inũdauerũt, & sanguis sanguinẽ tetigit. Iniquitates nostras (inquit Isaias) cognouimus, nimirum peccare, & mentiri contra Dominum: & auersi sumus ne iremus post tergum Dei nostri, & loqueremur calumniã & transgressionem: concepimus, & locuti sumus de corde verba mẽdacij. Et cõuersum est retrorsum iudiciũ, & iustitia lõgè stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas nõ potuit ingredi. Circuite vias Ierusalẽ (inquit Hieremias) & aspicite, & cõsyderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virũ facientẽ iudiciũ, & quærentẽ fidẽ. Non est qui faciat bonũ, ait *Ose. 4.* *Esa. 59.* *Hier. 5.*

Psal.13. Dauid, non est vsque ad vnũ. Omnes declinauerũt, simul inutiles facti sunt, &c. An'non autem nũc in nobis Christianis idem videtur, & quidẽ omnibus in locis: ita vt nemo non facilè videat hic & intelligat, quã probrosum nobis sit apud exteras nationes, ꝙ tam cõtentiosè de iustitia disputamus, & tamẽ omnibus in rebus iniustitiã sectamur? Sed quorsum attinet, aliquẽ rem quãpiam acerrimè defendere cõtra aduersarium suũ, tanquã rectam & bonã, nec digito tamẽ eam attingere? Quorsum attinet, te bona multa scire, nisi ea facias? *Luc.12.* An non Christus expressè dicit, Seruus qui cognouit voluntatẽ domini sui, & nõ se præparauit, & nõ fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis? Christiana iustitia non solũ disputari, prędicari, cognosci & credi vult, sed etiã ipso opere exhiberi. Tempus igitur esset, vt cõtentionibus & disputationibus omissis, iustitiam ipso opere aggrederemur. Satis vtrinque nos inuicẽ intelleximus, ipsum opus & energia adhuc semper relinquitur. Et tamẽ hoc est quod Christus potissimũ vrget in hoc Euangelio: iustitiam à nobis exigit, sed peculiarem & perfectam iustitiã, & nõ quandam simulatam iustitiæ speciẽ: alioqui varia iustitia est. De Ethnicis quibusdã mirifica legimus, quanta solertia omni iustitiæ coram mundo studuerint. Iudæi sibiipsis fingebant propriam quandã iustitiam ex frigida obseruatione legis, de qua Paulus dicit: Ignorantes iustitiam Dei, & suã quærentes statuere, &c. Pharisæi etiã præ se ferebãt quãdam probitatem ac iustitiã: sed tamen nihil aliud erat quã species, vnde etiã comparat illos Christus sepulchris dealbatis. Ad nos autẽ dicit, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarũ & Pharisæorũ, non intrabitis in regnũ cœlorum? Atque hic obserua, quòd Christus non modò Pharisæorum simulatam iustitiam reiicit, sed etiam Scribas cum ipsorum iustitia, quam ipsi sibi temerè arrogabant ex lege. Cũ itaque Iudaica illa iustitia nulla sufficiat ad regnũ cœlorum, neque Gentiũ iustitiam suffecisse credere par est: & eo minus, quia hi in incredulitate erant, & nihil certi de Deo habebãt. Hic nobis Christianis circũspectione opus est, vt veram iustitiam apprehendamus, si modò in regnũ cœlorũ venire desyderemus. Rogas quæ illa iustitia sit? Respondeo: In conscientia mundum esse à peccatis, & cum alacritate ambulare in lege Dei. Hæc vera est iustitia, quæ coram Deo valet & subsistit, & cœlum penetrat. Hãc neque Iudæi neque

Christiana iustitia etiam factis declaranda.

Rom.10. *Matth.23.* *Matth.5.*

Iustitia vera.

neque Gentes habuêre. Iudæi quidem ambulabant in lege Dei, sed tum tædio & molestia: Gentes nihil sciebāt de lege Dei, præterquā quòd aliâs in peccatis erant & manebant. Nostra iustitia in corde incipiat oportet, & extrinsecus in opere se declaret. Cor mundū esse oportet coram Deo.

Quicquid porrò secundū legem Dei facimus, id cū alacritate fiat necesse est. Ad hæc autē alieno indigemus auxilio, nihil enim horū ex nobis ipsis habemus. Cor mundum crea in me Deus (inquit Dauid). Et iterū: Viā mandatorū tuorū cucurri, cū dilatasti cor meū. Vide, propterea nobis Deus Christū dedit, vt per eū ad verā iustitiā peruenire queamus, & deinde etiā peruenire ad regnū cœlorū. Christus enim aufert à nobis peccatū, & sanctū nobis largitur Spiritum. *Psal. 50.* *Psal. 118.* *1. Cor. 1.*

Ideo etiā vocatur nostra iustitia. Absque illo enim veram assequi iustitiā nemo poterat: quia naturâ pleni peccatis & filij iræ sumus. Quisquis igitur iustitiā habere vult ad regnum Dei ducentē, is ita vt oportet, quærat apud Christum remissionē peccatorū & Spiritum sanctum. Quæ duo si habeat, alacriter faciet quod bonum est, & Deo placet: semper tenebitur amore legis Dei, & cū gaudio curret viā mandatorum Dei. Huc inseruit, quòd nobis Christus statim ad mentionē iustitiæ incipit mādata Dei exponere. Inter illa autē proposuit primū sibi hoc præceptum, Non occides, & nobis id indicauit, mandatū illud non solū violari externo & corporali homicidio, sed etiā ira, dedignatione & contēptu nostri proximi. In his peccatis aliquot gradus sunt. *Gradus Iræ*

Primus est, irasci in corde. Alter est, iram & animi indignationē externis verbis & signis exhibere, id quod aliquāto maius est, quā iram solū in corde & clam sentire. Tertius est, apertis verbis proximum conuiciis lacerare: quod ipsum rursum maius est & grauius, quā duo illa priora. In primo solùm ira est: in altero ira & vox seu signum, ex quo ira deprehenditur: in tertio ira est, & signum iræ, & præter hæc etiam manifesta calumnia & conuicium. Ideoque Christus triplicem ponit pœnam: nominat iudicium, concilium & gehennam. Hîc vtique semper aliud alio maius est. Qui sistitur iudicio, ei tempus & locus datur defendendi sese. In concilio dicitur sententia, contra quam nulla excusatio amplius valet. Gehenna autem certa condemnatio est. *I* *II* *III.* *Matth. 5.*

Ad hæc, pergit Christus dicere: Qui autem dixerit fratri suo, rhaca, reus erit concilio. Rhaca est interiectio indi-

gnantis,aut vox ab irato prolata,quæ interdum tanta est, efficitque, vt homo verbū rectè proloqui nullum possit: frendet & feruet instar canis. Per hanc voculam intelliguntur,siue signa siue gestus,quo quis iram seu animi impotentiam indicat. Talis proximior est homicidio,quàm prior ille,qui in corde solùm irascitur & commotus est:& ob id etiam hic alter non solùm reus est iudicio,vbi adhuc purgare se posset, sed etiam concilij: sententiæ se reum facit,vnde appellare non possit & effugere. Hinc rursum apparet,quantum humanum iudicium plerunque fallatur. Quis enim cogitasset aut cogitare potuisset,verbum leue, iracundiæ gestum seu signum,tam graue peccatum esse? Iudaici Pharisæi non putabunt se hoc mandatum (Non occides) transgredi,aut in illud delinquere, nisi in fratrem suum Christum potenter manum iniicerent,etsi incredibile,perpetuum,& indesinens odium aduersus illū gerebant: quin etiam verbis illum multifariam conuiciarentur criminarentúrque:ac insuper etiam Gentibus illum non solùm tradebant deridendum,sed etiam flagellandum & crucifigendum. In hisce rebus (inquam) non existimabant se aduersus hoc mandatum peccare.vnde etiā ad proditorem Iudam dicebant:Quid ad nos, quòd sanguinem iustū tradideris in mortem? tu videris. Christus autē multò aliter loquitur ad Pilatum:Qui me tradidit tibi,maius peccatum habet. Illi verò (vt dixi) pro nullo id peccato ducebant,arbitrantes,si Pilatus Christum in sua potestate haberet,in illum solum culpam recidere,& in proditorem. Sed tum peccatum metuebant,si illotis manibus comederent: quod ipsum etiam in discipulis Christi carpebant. Sic etiam pro peccato reputabant, si in die Paschæ in domum Ethnici ingressi fuissent. Cæterùm quòd sanguinem innoxium per alienas manus effundebant, pro nullo reputabant peccato. Quid autem hoc erat aliud,quàm mentham & cyminum decimare,at verò interim quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem relinquere? Imò quid aliud est, quàm excolare calicem, camelum autem glutire? quemadmodum Christus dicit. Tales homines adhuc etiam inter nos inueniuntur,qui vehementer timent, vbi nullum aut exiguum periculum est: vbi autem timere merito debebant, ibi securi penitus sunt, magnam sibi ipsis facientes conscientiæ angustiam,

Matt.20. Matth.27. Ioan.19. Matth.15. Ioan.18. Matth.23. Psal.13.

vbi quandoq; nullum aut perexiguum peccatum est. At vbi magnum peccatum est, ibi in vtraque aurem dormiunt. Sed hæc nunc missa faciamus. Nos Christianos obseruare conuenit, quomodo Christus præcepta Dei exponat, quid pro peccato accipiat & interpretetur. hoc nimirum peccatum est, quantumuis exile & pro nihilo id mundus ducat: qui iuxta suam tãtùm rationem & proprium iudicium iudicat, quod tamen sæpenumerò etiam in externis rebus fallitur, in spiritualibus autẽ & diuinis rarò scopum attingit. Siquidem fallere non potest, quod Deus in Isaia dicit, Cogitationes meæ, non cogitationes vestræ, & viæ meæ non viæ vestræ: imò sicut exultantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. *Esa. 53.*

Porrò circa hanc vocem, Qui dixerit fratri suo, Rhaca, reus erit concilio, docere nos vult, vt erga quosuis simus humani, compatientes, non biliosi, & minimè ad vindictã proni: idque totum ex animo. Nam quid alioqui prodest, si verbis quidem confitearis, te nullum habere rancõrẽ aut odiũ in corde tuo erga proximũ tuum, & tamen in omnibus tuis verbis & operibus aliter deprehenditur? Itaque suspicionem hanc, hoc est, truculentos tuos gestus, & virulenta ac amarulenta verba pone, quò frater tuus tantò melius possit intelligere & animaduertere, quòd illi reuera & ex animo condonaris, atque hoc pacto non ipse solùm, sed etiam alij per id emendentur. Sequitur in Euangelio: Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Hæc vox, fatue, signum est extremi contemptus, indicans summam iram, vindictæ cupiditatem, & proximum conuitiandi libidinem. idcircò omne genus ignominiæ, diffamationis, obtrectationis & maledicti, per eam intelligitur. Et est hæc sentẽtia istius verbi: Omnis qui dixerit fratri suo, fatue, hoc est, manifesto conuicio vel contumelia percutit, reus erit gehennæ ignis. Videtur res quidem grauis & horribilis, quòd ad vnicum & nudũ verbum talis pœna sequi debeat: cæterùm qui cogitat, quanta peccata, probra, & dedecora originẽ suã trahãt ex his verbis, aliter cẽsebit. Etenim Dei blasphemia & abnegatio Dei, etiã fit verbis, attamẽ nihilo leuiora peccata sunt. Idẽ existimare licet de falso testimonio, perfidia, maledictis, criminationibus, obtrectationibus, &c. Ea omnia fiũt verbis, vt sanctus Iacobus nõ frustra dicat, si quis in verbo non offendat, hunc perfectum esse virum. Quin idem ille Apostolus in

Dicere Rhaca

Dicere Fatue.

Iacobi 3.

iam

iam dicto loco comparat linguã igni paruulo, totam nonnunquam syluam incendenti comparat item eam gubernaculo nauis, quo dirigitur nauis, in quamcunque partem lubet: denique comparat eam fræno, quo flectitur etiam fortissimus equus in quamcunque velis partem, subiiciens postremo: Lingua, ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua instituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehéna. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum & serpentium & cæterarum domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum & Patrem: & in ipsa maledicimus homines qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio, &c. Talibus verbis compluribus vtitur diuus Iacobus loco iam dicto, vt ne interim commemorem, quid Scriptura alioqui multis in locis dicit & indicat, quantum peccati & probri, necis & incommodi quandoque indomita lingua instituat.

Linguæ pernicies.

Itaque non solùm hoc te videre oportet, quod sit vnica vox, cùm ad fratrem dicis, fatue, sed quid periculi sæpenumerò ex tali verbo nascatur. Sermo durus (inquit Salomon) suscitat furorem. Nihil est quod homo ferre minus possit, quàm ignominiam. Imò vbi inimicitiæ sunt, & ira in corde ardet, magna, ex re quamlibet minima, excitatur tragœdia: quemadmodum inter amicos res etsi magnæ, paruæ tamen & leues existimantur. Ab amico magna quidem quis pati & boni consulere potest: ab inimico autem ne minimum quidem sustinere potest: imò etiamsi simpliciter quid dicatur, putat tamen id ex inimicitia & maligno animo proficisci. Quapropter quod tu pro simplicibus & leuibus verbis ducis, magnam sæpe cladem attulit, imò magnas sæpe ciuitates & regiones deuastauit ac euertit: Hæc omnia Christus præuertere voluit, dum dicit, Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Mirum non est, quòd talem constituit super hoc pœnam. Etenim calumniator dissipat charitatẽ, proximum suum in varia incommoda & mala inducit: lacerat membra Christi: perturbat pacem etiam Deo placentem, & facit diabolo locum latè patentem & viam inter nos. Vnde Paulus non solùm adulteros excludit ex regno Dei, sed etiam calumniatores & obtrectatores. hortatur nos in aliis locis multis verbis ad charita

Prouerb. 15.

Calumniator quàm exitiosus.

1. Corinth. 6.

charitatem & affabilitatem. Blaſphemia (inquit) tollatur à vobis cum omni malitia. Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, &c.

Nunc verò quiſque in ſuam deſcendat conſcientiam: videbit quoties contra præceptum hoc fecerit, atque ideo etiam iram Dei meritus ſit. Attamen deſperare non debet. Nam Chriſtus id nobis non propterea ob oculos poſuit, vt deſperemus, ſed vt occaſionem nacti, cum Daniele dicamus, Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei: & vt humiliter in ſacramentali confeſsione nos accuſemus. Talis autem confeſsio ſeruiet nobis non ad pœnam, ſed ad honorem & gloriam. Si enim confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus Deus (inquit Ioannes) vt remittat nobis peccata noſtra, &c.

Dan. 9.

1. Ioan. 1.

SEXTVS SERMO DE VLtimis verbis huius Euangelij.



HODIERNVM iſtud Euangelium breue quidem verbis eſt, verũtamen multam & inſignem doctrinam in ſe continet, cuiuis Chriſtiano neceſſariã, modò beatitudinem cupienti. Prima eſt, ſine iuſtitia perueniri non poſſe in regnum cœlorum. Altera eſt, non quamuis iuſtitiam ſufficere ad conſequendam fœlicitatẽ. Tertia doctrina eſt, quòd Chriſtiana iuſtitia fidẽ & bona opera poſtulet. Quarta doctrina eſt, quòd mandata Dei nõ ſolùm manum & opus, ſed etiã cor & totũ hominem requirant. Quinta doctrina eſt, quòd fraterna charitas & vnanimitas Deo gratior eſt quàm omnia ſacrificia, quæ facere poſſumus ex iis rebus quæ noſtræ ſunt. Hæ quinque doctrinæ ita conſiderandæ ſunt, vt eos ſcire noſtra omnium referat: quanquam (proh dolor) pauci ſunt & inueniuntur, qui eas conſiderent. Etenim primò plurimi inueniuntur, qui iuſtitiam nullam curant, imò in manifeſta iniuſtitia manẽt: nihilominus tamen pro Chriſtianis haberi, & cœlo potiri volunt. Secũdò, eorum quoque inueniuntur multi, qui quidem tales apparent, tanquã quærant iuſtitiã, ſed verã iuſtitiã nõ apprehẽdunt. Tertiò, quoq; eorũ nõ pauci ſunt, qui noſtrã iuſtitiã aut ſolùm in fide, aut ſolùm in externis operibus ponũt. Quartò, itẽ multi ſunt, qui mãdata Dei ſolùm de externo opere, & nõ de cogitationibus

Doctrina multiplex.

I. II. III. IIII. V.

Impudentia quorundam.

nibus aut verbis intelligũt. Postremò, vsus vulgatus est, imò animaduertendus abusus penè apud omnes Christianos, quod Deum suis sacrificiis & donariis volunt & conãtur placare, interim charitatem nihil curantes. Sed in omnibus istis rebus defectus est: in omnibus istis partibus erramus. Etenim primò, audis in hoc Euangelio, Christũ ad fœlicitatẽ neminem admittere, nisi iustitiam habeat, eámq; præcellentẽ & abundantem. Et sic etiã Ioannes dicit, nihil intraturũ in cœlestem Hierosolymam, quod coinquinatũ sit. Beatus Paulus quoq; ponit iustificationem tanquam primum gradũ & vnicum mediũ ad glorificationẽ consequendã: Quos Deus prędestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. En, hic habes totum opus & negotium, quẽadmodũ nos Deus ad fœlicitatem perducat. Paulus quatuor nominat, quæ ad eã rẽ pertinent, aut in ea peraguntur, attamen omnia transcribẽs Deo. Primum est prędestinatio hominis ad fœlicitatẽ. Hoc autem facit proculdubio solus Deus, & gratuito. Alterum est vocatio: & hoc rursum facit solus Deus. nemo siquidem credere potest, nisi prius audierit Euãgeliũ. nemo audire potest, nisi prædicatorem habeat: nec prædicare rectè quis potest, nisi mittat eum Deus. Vide, hoc pacto manet etiã vocatio opus Dei. Tertium est iustificatio. Hoc iterũ præcipuè facit Deus in nobis. quia nemo seipsum iustificare potest: quandoquidẽ nemo seipsum è peccatis exoluere & legi per se satisfacere potest. Vnde & iustificatio opus Dei est: quamuis etiam nostræ partes accedãt necesse est, si iustitia absoluta esse debet, quẽadmodum in aliis sermonibus ostẽsum. Verũtamen re uera dicere possumus, Deus est qui iustificat nos, videlicet primò & principaliter. Hoc, inquam, possumus & oportet nos dicere, nec tamen negligere partes nostras. Iustificationem autem proximè sequitur quartum, nimirũ glorificatio, puta in regno Dei. Nisi itaque iustificatio præcedat, glorificatio expectari nõ potest. Hoc primum est quod nos Euangeliũ istud docet. Secũdò, audimus in hoc Euãgelio, quòd Christus manifestè dicit, Iudaicorũ Pharisæorũ iustitiã non sufficere ad fœlicitatem. Neq; mirum. siquidem, vt rẽ ipsam dicamus, non vera iustitia, sed species solummodo iustitiæ fuit. Id quod primò animaduertitur & definitione & descriptione iustitiæ. Iustitia enim virtus est, quæ vnicuique quod suum est tribuit. Iustus autẽ dicitur homo ille, qui primùm

Apoc. 11. *Rom. 8.* *Prædestinatio.* *Vocatio.* *Rom. 10.* *Iustificatio.* *Rom. 8.* *Glorificatio.* *Iustitiæ finitio.* *Iustus quis.*

Deo

Deo dat quod Dei est, deinde etiam proximo suo, atque etiã sibiipsi tribuit quod par est. Atqui Iudaici Pharisæi horum nihil faciebant. Nam primum iustitiæ opus est, Deo suũ tribuere honorem, & eum potissimum honorem, quòd sit solus essentialiter bonus, sanctus, verax & iustus, omnis autẽ homo ex natura vitiata peccator, iniustus & mendax. Imò quòd etiam nullus mortalium fieri iustus possit & esse, præter eos tantùm, quibus Deus peccata eorum remittit, quosque per gratiam suam ex iniustis iustos facit, & sibi obtemperãtes. Hæc Dei gloria & honos est, quòd solus sit ex seipso iustus & nos homines iustos faciat. Hunc honorem Deo tribuere obstricti sumus. Honor Christi est, quòd propter illũ nobis Deus remittit peccata & gratiam impartitur, qua freti, secundum eius voluntatem viuamus. Hunc honorẽ Christo tribuere tenemur. Atqui Pharisæi horum nihil faciebãt. Quippe seipsos pro peccatoribus non agnoscebant, neq; credebant se Christo opus habere, hoc pacto neque Deo neque Christo suum reddentes honorem: atq; ideo iusti esse aut vocari non poterant. Ad hæc, etsi videri poterãt seruare mandata Dei (quia nõ solùm à crassioribus & scandalosis peccatis abstinebãt, sed interim etiã bona multa, licet malo animo, faciebãt) intus tamen pleni erant fastu, ira & liuore. Quæ autem illa esse iustitia potest, vbi non totus homo iustus est? Quapropter mirum non est, quòd Christus iustitiam eorũ reprobat & iudicat insufficientem ad regnum cœlorum consequendum. Vnde porrò sequitur, etiam ciuilem iustitiam, vbi ciuis aduersus ciuem bona fide agit, atque etiã iudiciariam iustitiam, cùm aliis ius dicitur, & iniuria prohibetur, non sufficere ad beatitudinem. hanc enim vtrãque iustitiam habere etiam possunt Ethnici: sed non ideo salui fiunt, vtpote fidem non habentes. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Tertiò, ex Euãgelio isto colligere possumus, quòd vera Christiana iustitia posita est in viua fide in Christum, & in obseruatione mandatorum Dei. Id quod ex eo intelligi potest, quòd Christus suis Apostolis fidem iam habentibus, mandata tamen Dei exponit, & eos ad iustitiam in bonis operibus sitam hortatur. Sed de hoc in aliis sermonibus abundè dictum. Quartò, audimus in hoc Euangelio, quòd Christus præceptum de homicidio, etiam de peccatis cordis interpretatur, atq; etiam oris. Vbi clarissimè innuitur, quòd mandata Dei nõ solùm manum & opus, sed etiam cor

Ephe.4.
Luc.18.
Heb.11.
Vera iustitia.

cor & linguam, ac deinceps totum hominem requirant.

Postremò audimus, quòd Christus præcipit ac docet, vt prius cum proximo nostro reconciliemur, quàm veniamus, & donaria nostra offeramus: id quod sanè argumētum est, Christū pluris facere charitatē, quàm munera nostra, quemadmodum ipse dicit in Osea. Et hoc est, quod adhuc in Euāgelio isto explicādum restat. Audi igitur quid de hoc Christus dicat: Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius recōciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuū. Munera offerendo confitebantur antiqui, quòd omnia bona à Deo accepissent, & quòd det nobis quibus egemus. Vti Dauid dicit: Tua est Domine magnificentia, & potentia & gloria, atque victoria, & tibi laus: tuæ diuitię, & quę de manu tua accepimus, dedimus tibi, &c. Possumus ergo per munus intelligere vnūquodque opus, quo te speras Deo rem gratā facere posse, vt est oratio, ieiunium, castigatio corporis, eleemosyna: quin etiam omnis externus diuinus cultus. Hæc bona sunt donaria, Deóque grata, si tamē tu illi prior acceptus sis. Tum autem Deo acceptus es, quando capiti tuo Christo & cęteris membris per charitatem adhęres. Hoc sibi vult Christus in his verbis. Obserua autem quòd non dicit aut iubet munus omitti, contra eos, qui hisce temporibus omnes externas res & cultum diuinū improbant, sed vult nos simul & præcipuè charitatem præstare & considerare debere. Nam hoc oportet fieri, & alterum non omitti. Secundò, non dicit, Si obtuleris aut offerre vis: sed, Si offers, & munus tuū iam in altari positum est, prius tamen recōciliari debes. Quæ res argumento est, reconciliationem per omnia necessariā esse, & nullo modo differri debere. Nam si diu differatur, in liuorem & odium vertitur. Ex odio autem homicidiū nascitur, & alia infanda crimina, quibus ad iram prouocatur Deus, & proximus noster læditur. Proinde nullū gratius Deo sacrificiū facere potes, quàm præueniēdo peccata per quæ Deus blasphematur, & proximus tuus læditur, pro quo Christus mortē oppetiit: imò diligēdo eum quē Deus diligit. Contrà, quomodo opera tua & munera Deo grata esse possunt, si nō illius cōtumeliam impedias seu anteuertas, & proximi tui cōdēnationē? imò si tibi cū illo malè cōueniat, propter quē Christus sanguinē suū ꝓfudit? Vult ergo Christus hoc verbo nihil

Ose.6.

Munerum oblatio quid sibi voluerit olim.

1.Par.29.

Munus.

In eos, qui externū Dei cultum reiiciunt.

Matth.23.

nihil aliud, quàm quod alio in loco ad Pharisæos dicit, Euntes discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Atq; eã ob causam apud Esaiã dicit se Neomeniam, & sabbatũ & festiuitates alias Iudaicas nolle: Manus enim vestræ (inquit) sunt plenæ sanguine. Hinc apparet, quantum inuidia & odium homini adferat incommodi, nimirùm ꝙ illi omnia sua sacrificia & Dei cultum ineficacẽ & Deo ingratum reddat. Obserua deinde etiam quæ malicia in nobis hominibus hæreat, & quàm inuiti nos humiliemus ac condonemus, semper inuenientes excusationẽ & effugium. Alius dicit: Ignoscerem quidem illi, si non tanta me iniuria affecisset: sed maior ea est, quàm vt illi possim ignoscere: O homo tanti facere potes, quod tibi facit homo, & non cogitas, quanta Deum contumelia afficis? Nunquid credis futurum iudicium? Et quomodo audes oculos tuos ad cœlum attollere & dicere, Pater dimitte nobis debita nostra, cũ proximo tuo dimittere nolis? Sed audi quam Iudex sententiam ferat: Amen dico vobis, sic & Pater meus cœlestis faciet vobis (intellige, vos æterno supplicio & ira implacabili condemnabit) si non remiseritis vnusquisque frati suo de cordibus vestris. Est autem longè maius quod contra Deum facimus, quàm quod alij homines contra nos faciunt. Imò quãtumcunque tibi homo officere potest, etiam si occidat te, tamen ad id quod contra Deum deliquisti, tanquam cẽtum decem denarij sunt ad decẽ millia pondo. Vide igitur quid facias. Sentẽtia iã lata est: Dimittite & dimittemini. Eadem quippè mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Qui tibi præcipit ne in proximum ira incendàre, multò magis præcipit ne inuidiam & odium in corde tuo geras aut serues. O si propria nostra peccata consideremus, non tam duri & inexorabiles futuri essemus, ad ignoscendum alijs hominibus. Vera Christiana charitas nõ ignoscit solùm, sed orat etiam pro persequentibus se. Alius hoc se modo excusat, dicendo: Ego nullam feci illi iniuriã, sed ipse mihi æquum est, vt ipse supplex veniam me roget. Super hoc audi quid Christus dicat: Cùm frater tuus habet aliquid aduersum te (non addit siue causam iustam habeat, siue iniustam) reconciliari illi debes. Non dicit, si habueris aliquid aduersum eum, &c. sed cũ ipse aliquid habet aduersum te. Illud enim antea vetuit, vbi vult ne irascamur, &c. sed si ipse aliquid aduersum te habeat, iã quidẽ operã dare debes, vt illũ ad amo

Matth. 9. *Esa. 1.* *In eos qui nolunt ignoscere* *Matth. 18.* *Ibidem.* *Luc. 6.* *Vera charitas* *Matth. 5.*

rem & amicitiam reducas. Nam qui tibi præcipit diligere inimicum tuum, is idem cum fratre tuo reconciliationem instituere te iubet, etiam si alius discordiæ ansam præbuerit. Summa, hoc habet Christiana charitas, siue fratrē tuum læseris, necne, si vides, illi tecum non conuenire, efficere debes, vt cum illo in gratiam redeas, vt ipse tecum, & tu cum illo filij Dei & pacis esse possitis, propter eum qui pax no-
Philip. 2. stra est erga Deum, qui nō desinit etiam inimicis suis benefacere, quantumcunque etiā ab illis malè audiret. Pater (in-
Luc, 23. quit) dimitte illis, quia non sciunt quid faciunt. Hic vide quàm longè absint ij à Christiana perfectione, qui amicitias & inimicitias aliorū hominū iuxtà æstimāt, dicentes: Nihil mihi cum illius amicitia, siue amicus, siue inimicus mihi sit, súlq; déque fero. Hic autem ex Christo audis, an tua non referat. Imò quamdiu frater tuus nōnihil aduersum te habet, neque operam das, vt tecum in gratiam redeat, tantisper opera tua & munera Deo inuisa sunt. At inquis, Durus hic
Ioan. 6. sermo est. Quis hoc præstabit? Respondeo, Vtique difficile factu est, at multò adhuc difficilius, à Deo separatū esse. Cogita ꝙ Christus vt id faceremus nobis mandauit, & qđ propter eū facere suscepimus, qui propter nos omnia fecit: nihil propter nos tū facere tū pati detrectauit. Cogita deinde tua propria peccata, & futurū iudicium: ita facile tibi fiet, quod graue tibi antè videbatur. Hoc discamus circa istud Euangeliū. Talia omnia pertinēt ad mandatū hoc, Nō occides: & horū aliquod si nō seruetur, mandato perfectè satisfactū nō est. Tantò magis ad Christū nos vt cōuertamus decet, veniā rogemus pro eo quod contra mādatū hoc fecimus, & porrò Spiritum sanctū petamus, cuius gratia adiuti, in posterum facere & seruare possimus, quod Deus in hoc & in aliis mandatis à nobis postulat & requirit, vt demum in vera Christiana iustitia inueniamur, & idcircò cum omnibus sanctis & iustis in regnum cœlorum admittamur, Amen.

SEPTIMVS SERMO de Homicidio.


ODIERNVM istud Euangelium ita à Christo dictum, & à S. Matthæo descriptum est, vt quiuis ex eo videre facilè possit, quàm simus infirmi, ad quid Christi domini nostri egeamus, & quomodo illo vti nos optimè conuen

conueniat. Duo facit Christus in hoc Euangelio: Primò loquitur de iustitia, quæ nos ad cœlum transferre potest: Secundò exponit nobis mandatũ de homicidio: & vtrobique videmus nostram imbecillitatem, & in quo Christi gratia opus habeamus, & quomodo illo nos vti oporteat. Hoc breuiter docebo. Et primò certum est, coram Deo neminem probũ aut iustum esse aut esse posse, qui peccatis mortalibus obnoxius, regi Dei aduersatur. Atqui omnes pariter natura peccatores & filij iræ sumus: adhæc, aliam legem inuenimus in membris nostris, legi Dei repugnantẽ: ita vt etiam bonum, quod interdum libenter facere vellemus, non faciamus. Semper itaq; ex humilitate cum Propheta dicere possumus: Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pānus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Si ergo corã Deo pro iustis haberi debemus & probis, à peccatis mundos nos esse oportet, & spiritum habere, qui legi Dei sese non opponat, sed vltro se illi subiiciat, imò desiderio legis Dei teneatur. Quis autẽ alius est, qui nobis remittere peccata, & nouũ spiritũ dare possit, prçter vnũ Deũ? Sed quis ascendet in cœlum à Deo id accepturus? Profectò nullus nostrûm. Nemo ascendit in cœlum (inquit Christus) nisi qui de cœlo descendit, Quinimò Christus solus est, qui remissionem peccatorum simul & Spiritum sanctũ largitur. Hic nobis hac in re quoq; auxilio veniat necesse est: apud hunc quærenda remissio pariter & Spiritus sanctus. Sed quomodo quæremus aliter & accipiemus, nisi per fidem viuam diuinæ voluntati obtemperantem? Ecce propterea primò necessaria est fides ad veram iustitiam. Per fidem enim viuam consequimur remissionem peccatorum, & nouum spiritum, qui lege Dei delectatur. Et tum etiam verè probi sumus ac iusti, quando cõscientia nostra à peccatis purgata est, & nos in lege & mãdatis Dei alacriter & cupidè ambulamus, quemadmodum Dauid iustum, imò etiam beatum describit in suo primo Psalmo. Ad id autẽ fides viua in Christum nos primùm deducat necesse est. Atq; ideò, quia neque Iudæi, neque Gentes hanc fidem habent, non possunt neque remissionem peccatorum, neque Spiritum Sanctum habere, vsq; manentes peccatores, nũquam legi Dei satisfacere valentes. Quid igitur eorũ iustitia corã Deo valeret, etiã si Gentes in moralibus suis virtutibus, & Iudæi in sua lege diligẽtissimè & diu sese exerceant? Sine fide in Christum nemo coram Deo iustus

Ephes. 2. *Rom. 7.* *Esa. 64.* *Baruch. 3.* *Ioan. 3.*

esse & probus potest. Nam qui non crediderit, condemnabitur, inquit Christus: imò qui nõ credit, iam iudicatus est. *Ioan.3.* Quapropter si in regnum Dei venire cupis, iustitiã sectare. Ne autem speciem & hypocrisin pro veritate secteris, quęre primùm remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum apud Christum: tum etiam de foris facere poteris cum alacritate seu gaudio quod rectum ac bonum est. Et quod sic facis ex fide viua & impulsu Spiritus sancti, indubiè Deo placebit. Atque hunc in modum oportet in nobis iustitiam incipere, augeri & perfici, quæ via recta & certa ad cœlum est. Christus hanc rem potissimùm adiuuat. Largitur enim Spiritũ ad benefaciendum, & ignoscit pœnitentibus si quid minus agamus: imò meritis suis compensat, quod ex nobis ipsis non possumus. Et ob id etiam à Paulo nostra iustitia vocatur. *1.Cor.1.* Nihilominus verò tamen & nos impulsum fidei & Spiritus sancti sequi oportet in fugiẽdo malũ, & perficiẽdo bonũ. Hoc nos facimus ad iustitiam. Quòd si ergo Christus incipit, & nos sequimur, & illius voluntati per omnia obtemperamus, perfecta ex hoc fit iustitia, quæ longè maior & perfectior est, quàm omniũ Iudæorum & Gentiũ sine Christo iustitia: imò quæ nos certò ad regnum Dei perducit. *Christo cooperari debemus.* Et hoc vnum est, ex quo circa Euangeliũ istud videre possumus, quàm ex nobis infirmi simus, & ad quid Christo eiúsq; gratia nos confortante opus habeamus, & quomodo verisq; his vti nos & possimus & oporteat. Alterum sunt mandata Dei, in quibus idẽ videre etiã possumus. *Matth.19.* Si vis ad vitam ingredi (inquit Christus) serua mandata. Tolerabile hoc esset. Hic autẽ in isto Euãgelio multò seuerior est, inquiẽs, Qui transgrediatur mandatũ, siue id fiat opere, siue verbo, siue cogitatione, eum reũ esse iudicio, concilio, & gehennæ ignis. Et supra hæc, ita mandata Dei interpretatur, vt nemo facilè iactare possit ac dicere, se non aliquo modo deliquisse in ea. Rogas quomodo? Clarè Christus indicat in hoc Euangelio, quòd mandata Dei non solùm opus, sed etiam bonos affectus, hoc est, bonam volũtatẽ, animũ, cogitationẽ, desiderium & verba requirãt: & q non solùm mala opera, sed etiã malam volũtatem, cupiditatẽ, cogitationẽ & verba interdicant. Quòd si igitur legi Dei in genere, & singulis mandatis speciatim ritè satisfieri debet, non solùm benè facere nos oportet, sed ex animo benefacere: nõ solũ malũ omittere, sed ex animo malũ omittere. Hoc (inquam) nobis

nobis Christus indicat in hodierno Euágelio. Huc pertinet quod verbis tam grauibus dicit, Ego autẽ dico vobis. Quod tamen non ita accipiendũ, ꝙ mandata Dei plus à nobis exigant quã ab antiquis: aut ꝙ mãdata Dei in veteri Testamẽto nihil aliud requisierint, quã externũ opus. Nequaquã. Moyses satis ostendit, quòd Deus etiã id tẽporis nõ solùm opus, sed etiam cor & affectus in suis mandatis postularit. Idcircò dicit: Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt diligas illum & timeas? &c. Et postea: Circuncidite igitur præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius: quia Dominus Deus vester magnus est & potẽs, &c. *Deut. 10.*

En, hic Moyses apertè dicit, Deum in præceptis suis non solùm externum opus, sed etiam charitatem, timorem, cor mundum, & animum paratum seu bonã voluntatem requirere. Hoc autem cæcus Iudaicus populus intelligere nõ poterat. Velamine oculi eorum tecti erãt: ad opus tantùm externũ respiciebãt. Homicidiũ pro peccato ducebãt: irã, inuidiã, odiũ, vnde homicidiũ plerũq; nascitur, pro nullo peccato reputabant. Accedebant Pharisæi eorũ qui externũ opus tantũ vrgebãt. Hac re motus Christus, legẽ & mandatũ Dei rectè interpretatus est, quo omnes homines, non solũ Iudæi, sed etiã nos Christiani videre possimus, quid nobis desit, & ꝙ nondum iusti sumus, aut Dei mandata impleuimus, etiamsi opere nihil contra ea peccauimus, nisi etiam cor & voluntas nostra cum lege Dei consentiat. Primum quidem in nobis inuenimus, sed non alterum. Manus quidem continere quis potest, ne quem occidat, sed nullã iram, inuidiam, indignationem, & vindictæ cupiditatem in animo sentire, imò inimicum æquè ex animo diligere, atque amicum, vt Christus docet, hoc supra nostras vires est. Hic cogitur etiã Dauid dicere: Cor mundum crea in me Deus. Quæ autem illa est iustitia, quòd extrinsecus bene agis, in corde verò nullo boni amore vel desiderio teneris? Aut quòd extrinsecus nihil mali designas, corde autem malis affectibus & vitiis quæ sentis, præbes assensum? Vide, hoc pacto etiam hac in parte circa istud Euangelium nostram possemus videre miseriam & imbecillitatem: nimirum ꝙ ex nobis ipsis impletionem diuinorum mãdatorum & iustitiã assequi non possimus. Quod vbi cognouerimus, protinus videbimus ad quid Christi eiúsq; gratiæ egeamus: nimirum vt eius gratia cooperante efficiamus, quod per nos solos non possemus. *Rom. 11.* *Psal. 50.* *Matth. 5.*

Ipse cor & affect' seu naturales motus purgare debet, & Spiritum sanctũ largiri, vt legi Dei à nobis satisfiat. Ex nobis enim ipsis horũ nihil habemus. Tantum in genere de hoc Euãgelio. Quia verò Christus prçceptum de homicidio tam exactè & strictè exponit, vt etiam ad vnamquálibet transgressionem peculiarẽ pœnam ponat & denũciet, propter simplices aliquanto fusius de illo præcepto dicendum mihi est, quid in se habeat, & à nobis requirat, siue prçcipiẽdo, siue prohibendo. Nã vnũquoduis præceptũ hæc duo in se habet, vt aliquid & præcipiat & vetet facere, nõ solùm docens nos quid fugere, sed etiam quid facere & præstare debeamus. Audi itaque quid Christus dicat: Audistis quia

Matth. 5. dictum est antiquis, Nõ occides. Istud præceptũ hîc Christus exponit. Ordine quintum est inter decẽ præcepta. Hîc

Exod. 20. primò obseruandũ, qua de causa præceptũ istud datum sit. Quanquã Ioannes illud abunde indicat, dum dicit, Totus

1. Ioan. 5. mundus in maligno positus est. Tum vsus docet, bonos & malos hîc in terris cõmixtim viuere, eósque nõ omnes eodem modo affectos esse: vnde amicitia inter eos nulla esse firma potest. nã malus odit & persequitur bonũ, quod vbi bonus intelligit, naturæ corruptæ impulsu nonnunquã ad irã quoque concitatur, vnde res quandoque ad homicidium redit & sanguinis effusionẽ. Quapropter facit Deus in morem benigni parentis, & interponit sese hoc mandato, litẽ dirimit, ne quis lædatur ab altero: quin hoc præcepto vnũquemque tanquã muro defendere vult, & tueri seruaréque ab alterius ira & malicia. Hæc causa & necessitas est huius præcepti. Secundò obseruandũ, quòd etsi præceptũ istud simpliciter videatur negatiuũ, hoc est, eiusmodi præceptũ, in quo solũmodo malũ inhibeatur, verissimè tamen etiã est præceptũ affirmatiuũ, hoc est, tale præceptũ, in quo etiam

Præcepta Dei & iubẽt & vetãt quippiam. bonũ à nobis exigitur. Id quod & in aliis præceptis deprehenditur. Vtpote in primo mandato videtur alicui idololatriam solũ prohiberi, cùm tamẽ per omnia sit affirmatiuũ. præcipit enim & postulat à nobis, vt Deũ diligamus ex toto

Matth. 22. corde, &c. Itẽ, vt Deũ timeamus, & illi soli seruiamus. Sic à

Deut. 6. nobis secundũ mandatũ exigit honorẽ & sanctificationem, quinetiã inuocationẽ diuini nominis, cũ tamen verba negatiuum tantũ sonare videãtur, interdicens solum abusum & prophanationẽ diuini nominis. Sũma, omne mandatũ, siue affirmatiuè, siue negatiuè detur, aliquid à nobis exigit boni,

&

& prohibet etiã aliquid mali. Id quod in hoc videmus mãdato. Quid prohibet nobis? Nempè homicidiũ. imò omne damnũ, quod personæ proximi nostri inferri potest. Supra hoc interdicit quoque asperitatẽ verborum, & iram cordis. Contrà verò quid poscit à nobis? Nimirũ patientiam, mansuetudinẽ, misericordiã, charitatẽ, & mite cor erga omnes homines. In his duabus rebus mandati & prohibitionis, cõsistit obseruatio huius mandati. Hoc vtrobique aliquãto penitius indagabimus. Et primò, vt dictum est, prohibet mandatũ hoc externũ homicidiũ, super quo etiã pœna homicidij ex diuina lege lata est. Qui percusserit & occiderit hominẽ, inquit Deus, morte moriatur. Et iterũ: Quicũque effuderit humanũ sanguinẽ, fundetur sanguis illius. Et Christus ipse: Omnes qui acceperint gladiũ, gladio peribũt. Nemo hic excluditur præter Magistratũ. ei enim gladiũ cõmisit Deus ad pœnã improborũ. Hoc modo etiam notum est, homicidiũ sub pœna mortis prohibitum esse. Secũdò verò inhibet nobis hoc mandatum etiam signa iræ, quæ Christus intelligit in hodierno Euangelio per voculam Rhaca. Talia enim signa iræ, vt est, immanis & toruus vultus, auersio oculorum, &c. sæpenumero sunt causa homicidij. Atque ideò etiã nonnunquã Deo pro homicidio reputantur. Tertiò, prohibet nobis mandatũ istud, ne proximo maledicamus aut imprecemur. Nã quid est, quòd proximũ tuum nõ occidis, si illi talia preceris, quæ si ei accidãt, viuere nõ possit? Huc pertinet quod Christus dicit: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehẽnæ ignis. Imò in eo ipso vocabulo etiã calũniatores, diffamatores & obtrectatores dãnantur. Eiusmodi enim homines nõ solũ homicidæ sunt corã Deo, sed homicidis deteriores, quia tres homines vno ictu interficiũt: nimirũ eũ, quẽ traducunt, & eũ qui audit, & præterea seipsos. Qui enim peccatũ facit, animã suã occidit. Quartò, prohibet istud mandatum etiam iram & furorem animi, etiamsi ad opus nõ procedat, aut in verba prorũpat. sic enim neque magistratus contentus est in homine facinoroso, quod neminẽ occidat, nisi gladium & alia arma ponat. Quamdiu enim gladiũ tenet, vereri eos oportet, ne nactus occasionẽ, homicidiũ etiã cõmittat. Sic etiã licet non occidas, si tamen gladiũ geris in pectore, Deo placere nõ potes, nisi gladiũ, hoc est, irã ponas. Neque porrò sufficit, te in vagina seruare gladiũ, & irã in pectore: hic enim semper verendum est,

Colos. 3.
Leuit. 24.
Gen 9.
Matth. 26.
Rom. 13.
Signa iræ.
Maledicta.
Obtrectatores peiores homicidis.
Ira.

ne si occasio tibi detur, ad homicidiũ peruenias. Nam hic ille gladius est, nimirũ ira, quo filius Dei occisus est. Quapropter licet neminẽ occidas, corã Deo tamẽ homicida es, cùm in armis inueniris, quibus occisus est filius eius. Quis enim corã principe securè cõparere audet cum gladio, quo principis filius occisus est? Quid autẽ Christũ filium Dei occidit aliud, quã ira & inuidia Iudæorũ? Sciebat Pilatus (inquit Scriptura) quòd per inuidiã tradidissent eũ. Huc pertinet quod Christus dicit, Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Quintò interdicit nobis quoque mandatũ istud inuidiã & odium, quod Ioannes apertè homicidium appellat. Qui fratrem odit (inquit) homicida est. Sextò item prohibet omnẽ cõspirationem, consilia & auxilia in perniciem alterius. Nõ enim mala agentes solũ digni sunt morte, sed etiam cõsentientes. Septimò prohibet nobis quoque mandatũ istud cuncta ad discordias & dissentiones mouendas incitamenta & machinationes. Per hæc enim sæpè ad homicidiũ venitur. Vnde & Sapiẽs dicit: Susurro & bilinguis maledictus: indicans eo in loco, quid tertia lingua mali & incommodi pariat. Quamobrem talis coram Deo homicida est. Octauò prohibet hoc mandatũ magistratui, ne pro lubitu, prout alicui addicti vel secus sint, innocentẽ fundant sanguinẽ: siquidẽ scriptũ habetur, Insontem & iustũ non occides. Et potestas portat gladiũ solùm *malis* in vindictã, bonis verò in laudẽ. Nono, prohibet nobis istud mandatum etiã durum & inhumanũ cor, quod interdum ostendimus in necessitate proximi nostri. Nisi enim proximo tuo succurras in necessitate cũ possis, iam erga illũ reus es. Pasce fame morientẽ (inquit bonus quidã Ecclesiæ doctor.) si non pauisti, occidisti. Eiusmodi duritiẽ Christus in extremo die malis exprobrabit, & dicet: Discedite à me maledicti in ignem æternũ. esuriui enim & nõ dedistis mihi manducare, &c. Neque poteris te hic de homicidio purgare, quia proximo tuo charitatis officiũ negasti, qua vitã suã tueri potuisset. Atque ideo etiã olim dicebat Isaias, ciuitatẽ Hierosolymã plenã esse homicidis, eò quòd oppresso non subuenirẽt, pauperi ius nõ dicerent, viduã & pupillum non defenderẽt. En, hæc illa sunt quæ in hoc mãdato nobis prohibentur. Ea diligenter cõsidera, videbis quã multifariã cõtra præceptũ hoc deliqueris. Sed audire nos porrò oportet, quid præceptũ hoc à nobis requirat. Vtpote primũ exigit,

Gladius, quo Dei filius occisus.
Matth. 27.
1. Ioan.
Rom. 1.
Eccli. 28.
Exod. 23.
Rom. 31.
1. Pet. 2.
Ambrosius.
Matth. 25.
Esa. 1.

git,vt ita se homo exhibeat & gerat erga proximũ suum, quemadmodum vult,vt Deus se erga ipsum gerat, hoc est, mansuetum,humanum,beneficum,misericordem, compatientem,&c. Hoc etiam docet Christus expreſsis verbis, vt misericordes simus,sicut Pater noster in cœlis misericors est:vt diligamus inimicos nostros,&c.vt simus filij Patris nostri qui in cœlis est.Secundò,exigit hoc mandatũ etiam patientiam à nobis.vult enim Deus,vt illi vindictam relinquamus.Vnde vult Paulus,ne malum pro malo alicui reddamus. Et Christus vult, vt si quis nos percutiat in vnam maxillam,etiam præbeamus illi alteram:hoc est, maiora potius pati debemus,quàm vt ipsi nos vindicemus.Tertiò exigit hoc præceptum etiam à nobis comitatem morum & gestuum,hoc est,vt etiam in moribus & gestibus humani simus erga aduersarios nostros. Quemadmodũ Christus docet:Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.&,Quod tibi non vis fieri,alteri ne feceris. Sed quiuis desiderat, vt qui contra se irascitur, signa iræ ponat. Quartò exigit hoc mandatum, vt etiam inimicis nostris & aduersariis benefaciamus, & ex animo condonemus iis qui aduersum nos peccarunt. Quintò postulat à nobis,vt discordes conciliemus. Quippe beati pacifici,inquit Christus,Matth.5.Sextò,requirit etiam hoc mandatum moderationem & continentiam linguæ. Qui enim religiosus sibi videtur,& non refrænat linguã suam, huius vana est religio. Postremò exigit etiam à nobis mandatum,vt illis opem feramus,qui in neceſsitate constituti sunt. Beati enim misericordes,&c. Ex his omnibus vides,quàm longè sese hoc mandatum porrigat,quàm multa,quánque magna à nobis requirat,quæ tamen plerique vel minimo digitulo non attingimus: imò hîc vides etiam,quàm multa bona hoc mandatum doceat. Tandem verò clariſsimè vides,quàm neceſſariò Christi eiúsque gratiæ egeamus,vt nobis non solùm fortitudinem suppeditet ad eiusmodi bona opera facienda, & ad malum fugiendum, sed etiam ignoscat pœnitentibus,quæ contra hoc præceptum fecimus.

Matth.7.
Luc.6.
Rom.12.
Matth.5.
Matt.7.
Iacob.1.
Matth.5.

OCTAVUS SERMO DE Euangelio & Epistola, oratione & cantu Ecclesiæ.



E hodierno Euangelio in præcedentibus sermonibus satis dictũ: videbimus nunc etiã & audiemus, quomodo hodierna Epistola, Ecclesiæ cantus & oratio cũ illo cõcordent. Nõ erit hic opus vsque adeò magno labore: qui vel parũ rem obseruat, sua sponte & facilè videre id potest. Etenim in iam dicto Euangelio reiicit Christus Iudaicis Pharisæis & omnibus hypocritis fictam eorum iustitiam: docet iustitiã nostrã meliorẽ, & perfectiorẽ esse oportere, si nos modò ad ingressum in regnũ cælorũ ꝓmouere debeat. Paulus ergo in hodierna Epistola indicat & docet, qua in re illa nostra iustitia sese declarare debeat. Ostẽdit porrò nobis Ecclesia, vbi & quomodo illã quærere debeamus, hodiernis cantibus & oratiõe. Quatuor sunt magni momẽti, ego paucissimis indicabo. Et primò, quare Christus Pharisæis iustitiã eorũ reiiciat, & pro insufficienti iudicet, in aliis sermonibus satis dictũ. Triplex causa erat: Prima, ꝙ in Christũ nõ credebãt, ideò nullã remissionẽ peccatorum habere poterant, quæ per solũ Christũ datur ita vt oportet, credentibus. Secunda causa est, quòd iustitiã suam in propriis suis operibus collocabãt, quæ tamẽ neque ex fide, neque ex charitate proficiscebãtur. Sed quid Deus magnopere his operibus delectaretur? Imò quomodo homo suis operibus etiãsi bona essent, Deũ ex seipso debitorem faceret? Enimuero ex illo omnia habemus, quicquid boni scimus & facimus. Nec facere nos tantũ possumus, quin ad id obligati simus, & maiora debeamus. Deus ne igitur nobis gratias agat? An dominus etiã seruo suo gratias aget, si quæ iussus est faciat? Nequaquã. nã hoc serui est. Sic dicit & Christus, vt etiãsi omnia fecimus quæ nobis præcepta sunt, tamẽ pro inutilibus seruis nos agnoscamus. Si itaque etiam opera quæ bonus ex fide & charitate facit, ex se ipsis eam vim non habent, vt illi Deus propterea aliquid iure debeat, quid Pharisæorum iustitia multum posset apud Deum, quę nihil aliud, quàm nuda, frigida & indeuota, imò sine fide & charitate opera habet? Tertia causa, quòd Christus Pharisæorum iustitiam reiicit, est, ꝙ nec sua opera ad verum finem dirigunt, non Dei honorem & voluntatem, sed hominum solùm laudem quærentes.

Rom. 6. *Ephe. 2.* *2. Cor. 4.* *Luc. 17.* *Matth. 6.*

quærentes. His tribus defectibus laborabant. Cor mundatũ non erat, opera sine fide & charitate erant: adhæc, nõ Deum quærebant, sed seipsos. Idcircò docet nos Christus, iustitiam nostram perfectiorem esse oportere. Etenim cor purificatũ sit oportet per viuam fidem. Fides extrinsecus exhibere sese debet per opera iustitiæ: tandem Deo trãscribendus omnis honor. Hæc Christianorum est iustitia, quæ nobis cœlũ aperit. Eam Paulus vehementer vrget in hodierna Epistola. An ignoratis, inquit, quia quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? &c. Hæc verba Pauli cum iam dicto Euangelio recitata sunt, & quidem prorsus conuenienter. Nam vt Christus fundamentũ posuit, ita superstruit Paulus. Christus docet & loquitur de vera iustitia: Paulus dicit, qua ex re cognoscatur. Christus vult nõ solùm manum & opus, sed etiam cor & linguam mundam habere: Paulus nouam prorsus vitam à nobis exigit, pulchris vtens verbis simul & efficacibus argumentis, nihil intẽtatum relinquens, quò ex animis credẽtium falsam persuasionẽ eximat, qua sibi quidam ipsi persuadent, se nullis opus habere bonis operibus: quandoquidem meritum Christi omnibus hominibus sufficiat. Item, quòd peccata & mala opera nihil nobis obsint, siquidem Dei gratia tantò melius agnoscitur, quò plura nobis peccata remittit. Cõtra tales homines vtitur Paulus sextuplicibus argumentis & demõstrationibus, quòd homo etiam obligatus sit, & teneatur benefacere.

Roma. 6. — *Contra bonorũ operũ calũniatores.*

I. Primum est, qui se alicuius domini fidei dedit, is illius domini inimicis omnibus abrenuntiat. Nos verò in Baptismo Christo nos dedimus: ideò non decet nos, vt cum inimicis illius, hoc est, cum peccatis, cum mundo, & diabolo pacẽ habeamus. Baptizati sumus (inquit Paulus Roma. 6.) in Christo Iesu. Altera demõstratio est, Ramus suapte natura fert II.
fructus suos iuxta indolem suæ arboris, vnde natus est. Nos verò Christo insiti sumus tãquam veræ viti: ideò etiam nostri fructus & opera esse debent secundum naturam Christi, qui peccatum nullum fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Tertia demonstratio est, Baptismus signum est pœnitentiæ & mortificationis. Atqui omnes Baptismum accepi- III.
mus. Quòd si igitur signum pœnitentiæ in nobis habemus, vtique necessarium est, ne in peccatis, sed in perpetua pœnitentia inueniamur. Baptizati sumus (inquit Paulus Roma. 6.) in morte Christi, vt quomodo Christus surrexit à mortuis,

Sex rationibus obligamur ad opera bona. — *Ioan. 15.* — *1. Pet. 2.*

IIII. tuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Quarta demonstratio est, Homo mortuus desinit peccare. Nos autem in baptismo non solùm mortui in Christo sumus, sed etiam cum illo sepulti. qua profectò de causa à peccando cessare meritò debemus: imo peccato planè esse mortui debemus. Et quemadmodum Christus, postquàm à mortuis resurrexit, non amplius moritur: sic etiam nos, posteaquam semel in Baptismo peccatis mortui sumus, & spiritualē vitam incepimus, æternùm in ea manere debemus. Hoc est, sicubi nos diabolus, mundus aut propria nostra natura ad peccata hortatur, mortui esse debemus, id est, nihil vitiosè videre, audire, agere, & tentationi nullo modo cedere. Cæterùm vbi Deo & iustitiæ seruiendum, ibi viuere debemus, videre, audire, sentire & sequi. Hoc sibi vult noster Baptismus, hoc considerare semper habemus, nimirum quòd in Baptismo incepimus peccato mori & Deo viuere: cur igitur nunc contrarium faceremus? Summa, quod Christo crux fuit, hoc nobis Baptismus esse debet. Christus in cruce peccatis & omni mortalitati mortuus est penitus: ita etiam nos in Baptismo peccatis esse mortui debemus. Et quemadmodū sepulchrum mortale corpus Christi recipiebat & occultabat, immortale corpus reddens: ita Baptismus suscipit nos tanquam peccatores, sed alios nos facit, nimirum bonos & iustos. Proinde duabus in rebus nobis Baptismus inseruit. Primò, quod nobis peccata priora aufert: Secundò, quòd nos etiam præmonet, & abstrahit à futuris. Atque ob id non sufficit, vt consideratione Baptismi nostri, nosipsos confortemus in fide pacti, quod Deus nobiscum iniuit, sed debemus etiam nos eum considerando, ad bona opera & ad nouam vitam hortari ac

Baptismus quid sibi velit.

Baptismi effectus.

V. impellere. Quinta domonstratio est, Viuus homo facit & declarat opera vitæ. Nos autem sumus in Baptismo denuò nati, nouam vitam gratiæ & Spiritum sanctum in eo accepimus: ideò decet, vt opera vitæ, & non mortis declaremus exerceamúsque.

VI. Sexta demonstratio est: Qui bonis frui vult cum aliis, in malis etiam cum aliis cōmunicet necesse est. Atqui desideramus omnes cum Christo bonis eius frui: æquum igitur, vt cum ipso quoque peccatis moriamur. Hæc sententia est huius Epistolæ: in qua clarissimè videmus, Paulum per omnia cum Christo consentire. Quippèij duo manifestè indicant, iustitiam nobis necessariam esse ad salutem: imò veram iustitiam, quæ intrinsecus per fidem incipit,

cipit, & se extrinsecus per bonos fructus iustitiæ declarat.

Sed inquis: Quomodo ad id peruenire possum? quis seipsum mundare potest? quis sibiipsi ita mori potest, vt totus nouus homo sit, & pristinæ iniustitiæ in se nihil sentiat? Audi quid Ecclesia hodie ex Dauide canat: Dominus fortitudo plebis suæ, & protector saluationum Christi sui est. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ. En, in his verbis habes, quis veram iustitiam nobis instituat, vbi & quomodo illam quærere debeamus, & in quo illa iustitia consistat. Dominus Deus noster fortitudo nostra est, qui in nobis operatur quod per nos solos non possumus. Is nobis ad omnia bona agenda gratiam largitur, & salutem Christi vncti sui in nobis conseruat: apud hunc quæramus oportet. Sed rogas, quomodo quærere debeamus? Ad te Domine (inquit Dauid) clamabo, Deus meus, ne sileas à me, ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum. Vtique verum est. nam nisi in hoc nos exaudiat, non solùm similes sumus descendentibus in lacum, sed nos etiam ipsi descendimus in lacum inferni & æternæ condemnationis. Quare ardenter clamandum & orandum pro vera iustitia, quæ cœlũ nobis aperiat. Sed quomodo clamandum? Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vsque in æternum Quatuor breues petitiones, quarum vnaquæque peculiare quiddã habet: ita tamen, vt omnes ad veram iustitiam pertineant. Saluum fac populum tuum Domine (intellige) à peccatis eorum. Primum est quod ad iustitiam pertinet: Benedic Domine hæreditati tuæ, hoc est, da gratiam. Alterũ est: Domine rege eos, conforta & confirma eos, da eis fortitudinem, vt in bono procedere possint, & perseuerare. Tertium est: Domine extolle illos vsque in æternum, promoue eos ad æternam gloriã.

Psal. 28.

Ibidem.

I. II. III.

Quartum est: Iam verò vide an non elegans oratio sit, ad id quod Christus & Paulus hodie in Euangelio & Epistola docent, & à nobis exigunt. Enimuerò hæc omnia ad veram Christianam iustitiam pertinent. Primò petimus præuenientem gratiam. Secundò petimus cooperantem gratiam. Tertiò petimus confortantem gratiam. Quartò petimus gratiam omnia concludentem & perficientem. IIII.

Gratia præueniẽs, cooperãs, cõfortans, perficiens.

Hæc illa quatuor sunt, quæ etiam Paulus enumerat & commemorat, vbi ait: Quos Deus prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, *Rom. 8.*

cauit, illos & glorificauit. Hæc omnia præcipuè facit Deus. Hæc omnia apud illum feruenter quærere, & ab eo expectare debemus. Alio item in loco enumerat Paulus ordine multa quædam, quæ Deus in nobis hominibus temporaliter facit. Administrat semen, inquit, seminanti: & panem ad manducandum præstabit: & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum, adducens nos denique ad gratiarum actionem. Et quia omnia bona nobis dat, vocatur in Isaia, Dominus liberans, per nos transiens, protegens & saluans. Vide, hunc in modum nobis seruiunt iam dicta verba Dauidis, cùm ad hodiernum Euangelium, tum ad Epistolam. Nunquid plura vis quæ ad hanc causam quadrent? Accipe & vtere hodierna Ecclesiæ oratione: vbi rursum tantò melius videre poteris, vbi & quomodo veram iustitiam vnà cum fructibus eius quærere debeamus. Et hic verus vsus est auditi Euangelij & Epistolæ, si mox oratio nostra sequatur. Quę nisi sequatur, frustra est, quantumcunque etiam Euangelium prædicetur & exponatur, legatur audiatúrue. Id quod in nobisipsis deprehendimus. Enimuerò nihil in prædicando & exponendo sacram Scripturam, desideratur in sancta Christianitate, sed in effectu & executione non parum desideratur. Legimus & audimus, scimus & intelligimus satis, sed propè nemo secundum illa viuere conatur: & hic defectus non minus in iis est, qui prædicant, & sacram Scripturam interpretantur, quàm in iis qui eam audiunt solùm & legunt. Sed quæ causa? Non dirigimus ad id orationem nostram. Euangelium canitur, nos spaciamur & nugamur: aut si fortè contingit nos stare & audire, frontem cruce signamus, itémque os & pectus. Hoc totum est, nec vltrà cogitamus. Prædicatur Euangelium: idem fit, auditione contenti sumus: simulátque finitum est, non amplius meminimus. Quomodo autem fructum afferre potest, quod terræ mandatur, nisi è supernis irrigetur? Ego plantaui (inquit Paulus 1. Corinth. 3.) Apollo rigauit, Deus incrementum dedit. Imò (inquit postea) neque qui plantat aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Vide, hîc apertè habes, neque prædicationem neque prædicationis auditionem fructum gignere ac facere, nisi incrementum det Deus. Ego (inquit Deus) scribam legem in cordibus illorum. Hoc iam olim promisit, & quidem impleuit in sanctis Apostolis & primis credentibus: posset idipsum etiamnum præ

2. Corin. 9.
Esa. 31.
Orandum est nobis.
Ibidem.
Hie. 31.

præstare. Sed quid daret, vbi nemo est qui petat? Legimus de antiquis Iudæis, quòd cùm legem ex Esra audirent, incuruati sunt, & adorauerunt Deum proni in terram. Christo in Euangelio prædicanti de viuo & vero manna dicebat simplex populus, Domine, semper da nobis panem hunc. Eodem modo faciebat Samaritana mulier, cùm Christus de viua prædicaret aqua, similiter petens illam aquam. Haud segnior Dauid erat in audiendo simul & docendo verbo Dei: sed eo ne contentus erat? Non. Nihil ardentius petiit, quàm vt eum doceret Deus, intellectum ei daret, vt duceret eum in via mandatorum suorum, vt cor eius inclinaret ad legem suam, vt tolleret ab eo quod à lege sua eum abstrahere vel remorari posset. Vide, hoc adiungendum est ad prædicationem. Quia verò id non facimus, mirum non est, nullum in nobis fructum apparere, quantumcunque etiam prædicemus & prædicationem audiamus. Summa, etiamsi per omnem vitam prædicemus & prædicationem audiamus, aridum tamen id omne manet, & infrugiferum, nisi Deum vt nobis præstet gratiam, rogemus. Pluuia & incrementum apud Deum quærenda. Sed quomodo aliter quæreremus, nisi per orationem? Quomodo autem meliorem formam & modum inuenire possemus super singulis Euangeliis orandi, quam quemadmodum sancta & vniuersalis Christiana Ecclesia tot seculis & antiquitus in vsu habuit? Exemplum petis? Audi quomodo hodie in catholica Ecclesia in omnium nostrûm persona & nomine oratum sit: *Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta nobis religionis augmentum, vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias.* An non tibi apta & hodierno Euangelio & Epistolę conueniens videtur precatio? Aut rogas, quomodo? Audis in hoc Euangelio, Christum iustitiam à nobis exigere, nec tamen quamlibet. non quemadmodum Ethnici docuerunt, neque quemadmodum Iudaici Pharisæi simulabant, & specie sola præ se ferebant: neque quemadmodum Iudæi nunc in vsu habent, sed Christianam & perfectam iustitiam. Audis in Epistola, Paulum ab omnibus baptizatis nouam vitam, imò nouum prorsus hominem exigere, quemadmodum Christus mortuus nouus homo, & ad nouam & æternam vitam resurrexit. Hæc summa est hodierni Euangelij & Epistolæ. Quod

2. Esr. 8. *Ioan. 6.* *Psal. 118.* *Non ergo suffi cit sola fides.* *Precatio Ecclesiæ.* *Mat. 5.* *Roma. 6.*

Quod non vult audiri tantùm, sed etiam in opus conferri.

Sed quis est qui id ex semetipso possit? Igitur apud Deũ auxilium quærendum. Idcircò nihil melius facere possumus, quàm vt Deo deferamus honorẽ, & cum catholica Ecclesia dicamus: Domine apud te omne bonum est, à te venit omne bonũ, tuum est, quicquid in nobis bonum est, tu ipse summum bonũ es. Hoc verè esset Deo suum tribuere honorem. Nondum verò satis est: sed quia iustitiá à nobis exigit, petere nos oportet, vt det nobis quod ad eam necessarium est. Quemadmodũ olim Diuus Augustinus faciebat & dicebat: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Rogas, quid ad eam pertineat? Responsum: Amor diuini nominis, & affectus religionis. Ex amore & pio affectu omnia fiãt necesse est quæcunque facimus, alioqui non dicitur Christiana iustitia. Quocirca docemur primò rogare, Insere Deus pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta nobis religionis augmentum. Deinde verò, quia Christus per Apostolum suũ Paulum etiam nouam vitam exigit à baptizatis, rursum indigemus gratia Dei & auxilio. Absque illo enim nihil possumus: & qui quod bonum est in nobis orditur, & orsus est, is idem ad colophonem deducat necesse est. En, propterea amplius rogare docemur, vt Deus in nobis nutriat ac augeat bonum quod in Baptismo accepimus: & illud ita augeat, vt studio pietatis in nobis vsque conseruetur. Sed vide iam an non hæc pulchra esset oratio super hodiernum Euangelium & Epistolam. Quid vera Christiana iustitia exigit amplius, quàm amorem nominis diuini, & religionis affectum? Quid nobis necessariũ magis post Baptismum, quàm gratia Dei, quæ nos vsque adiuuet & perficiat? Hæc autem illa adeò sunt, quæ Ecclesia hodiè petit. Et quî fieri possit, vt Euangelium istud & Epistola, non ferant fructus in nobis, aut vt Deus non det gratiam si illum sic inuocaremus? Sed hoc nobis deest, vt dixi. Audimus multa, sed pro gratia impetranda nihil oramus. Vnde fit vt iidẽ maneamus qui fueramus & sumus: imò propterea vniuersus mundus videre cogitur, vitam nostram nullo modo respondere Christianæ nostræ doctrinæ. Hoc hodie consideremus.

Augustin.

Rom. 6.

Vita nostra à doctrina Christi aliena.

Deus Optimus Maximus faxit, vt semper in nouitate vitæ & vera iustitia inueniamur, ne illius iudicium nos in veteri vita & iniustitia deprehendat. Amen.

OCTAVA

OCTAVA DOMINICA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM MAR. VIII.

CVm turba admodum multa eſſet, nec haberent quod manducarent, accerſitis ad ſe Ieſus diſcipulis, ait illis: Miſericordia tangor erga turbā, quia iam triduò manent apud me, nec habent quod edant: & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via. Quidam enim ex eis è longinquo venerunt. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Vnde iſtos quis poterit hîc ſatiare panibus in ſolitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi verò dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et acceptis ſeptem panibus cùm gratias egiſſet, fregit, deditq; diſcipulis ſuis, vt apponerent. Et appoſuerunt turbæ, & habebant piſciculos paucos, & cùm benedixiſſet, iuſsit apponi & hos. Comederunt autem & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quæ ſuperfuerant, fragmentorum ſeptem ſportas. Erant autem qui comederant, fermè quater mile: & dimiſit illos. *Ioan. 8.*

EADEM DOMINICA

EPISTOLA SANCTI PAVLI ROM. VI. CAP.

FRatres: Humanū quiddā dico propter infirmitatē carnis veſtræ. Quemadmodū enim præbuiſtis mēbra veſtra ſerua immunditiæ & iniquitati ad aliam atq;

aliam iniquitatem, sic & nunc præbete membra vestra serua iustitiæ ad sanctificationem. Cùm enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ. Quem igitur fructum habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Nunc verò manumissi à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam æternam. Etenim autoramenta peccati, mors: donum autem Dei, vita æterna, per Christum Iesum dominum nostrum.

PRIMVS SERMO DE *Euangelio in genere.*



IN hodierno isto Euangelio Christus re ipsa & facto demonstrauit, quod aliàs in Ioanne verbis indicauit annunciauitq;. Ego, inquit, veni, vt oues meæ vitam habeant, & abundantius habeant. Dum enim populum tam mirabiliter pauit, manifestum indicium præbet, eum vitam seruare, atq; etiam dare posse. Quòd vltro incipit ac dicit, Misereor super turbã, argumento est eum venisse ad auxiliandum nobis hominibus. Quod autẽ præter hæc omnia etiam prædicat & docet, indicio est, eum vitam abundanter dare & seruare posse, hoc est, non solùm corporaliter, sed etiã spiritualiter, non modò hic, sed etiam in futuro seculo. Quisquis igitur nudo verbo, vbi Christus ait, Veni vt vitam habeant, diffidit, is miraculũ addat, videbit verba Christi non inania esse verba. E diuerso, qui vsum huius miraculi nescit, verbum iam dictum addat, videbit & intelliget miracula Christi nihil esse aliud quàm confirmationem verborum Christi. Hunc in modum etiam cum aliis verbis & operibus Christi facere nos oportet. Qui dubitat de verbis Christi, is opera illius intueatur, quæ omnem ei tollent scrupulum, vt dicturus sit intra seipsum: Cur Christo fidem non haberem, cùm tamen magnis & mirificis diuinísque factis declarauerit se præstare potuisse quod loquitur & promittit? Idcircò ipse dicebat ad Iudæos: Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. & si non vultis mihi credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. Sic dicebat

Ioan. 10. (margin, beside "& facto demonstrauit")

Ioan. 10. (margin, beside "promittit? Idcircò")

etiam ad discipulos suos: Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite. *Ioan.14*

Contrà, si cogitationes tibi incidant, quam ob rem Deus hoc vel illud faciat, aduerte ad illius verba, quæ inutiles illas cogitationes tibi excutient, vt apud teipsum dicturus sis: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? An non sufficit tibi, quum audis ꝙ omnia propter salutem tuam fecerit, & adhuc faciat? Sic & verba & opera in vera sua existimatione mansura essent. Quia verò pauci homines sunt, qui id faciunt & considerant, fit, vt verbum Dei non secus nec pluris æstimemus, quàm hominum verba, & vt quiuis os suum in cœlum ponere velit, & Deum iudicare, cur vnumquodq; faciat: id quod Deo in summam ignominiam cedit. Hæc dicere volui pro initio huius Euangelij. Historiam iã aliquãtò latius disquiremus. Cùm turba multa esset apud dominum Iesum, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis, Misereor super turbam: quia ecce iam triduò sustinent me, nec habent quod manducẽt, &c. Similem historiam etiam Marcus ante hoc Euangelium scripsit, & cum illo reliqui quoque Euangelistæ, Mat. 14. Luc. 9. Ioã. 6. Quia itaque etiam aliis tẽporibus, nimirùm Dominica Lætare, de eiusmodi miraculis dixi, hac vice paucis tantummodo verbis sententiam huius miraculi indicabo. Summa autem & præcipua sententia huius miraculi est, ꝙ illis qui Christum syncero & recto corde sequuntur, & in sua vocatione manent seu perseuerant in finem vsque, necessaria & corporalis alimonia nunquam defutura sit. Nã qui tantam turbam etiam non rogatus pauit: imò qui adhuc quotidie omnes homines bonos & malos pascit, multò minus derelinquet ipsi viua fide adhærentes. Quapropter Christus hoc loco opere impleuit quod Dauid verbis dixit: Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Et iterum: Spera in Domino, & fac bonitatem, delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Nouit Dominus dies immaculatorum, non confundentur in tẽpore malo, & in diebus famis saturabuntur. Et postea: Iunior fui, etenim senui: & nõ vidi iustũ derelictũ, nec semen eius quærens panẽ, &c. Sic itaque Christus hoc miraculo docere vult, quod antea verbis docuit, vbi inquit: Quærite primũ regnũ Dei & iusti-

Rom.9.
Marc.8.
Marc.6.
Psal.3.
Psal.36.
Matth.9.

tiã eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Ideo ne solliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neq; corpori veſtro quid induamini. Scit enim Pater veſter quia his omnibus indigetis. Secundò obſerua, ꝙ Chriſtus in paſcendo hîc populum, non nouos facit panes aut creat, ſed paucos panes multiplicat. Habet enim Deus multa media quibus vtitur ad paſcendos ſuos. Vulgatum medium, per quod nobis dat ea quibus ad ſuſtentationem corporis naturalis opus habemus, eſt labor manuarius. Hoc medium ipſe inſtituit & ordinauit, vbi ad Adã dicit: In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo.
Gen.3. Cæterùm ſi hoc mediũ fallat, habet Deus adhuc alia media, per quæ ſuis opem ferre poteſt. Poteſt enim de nouo cibum
Exod.16. creare, vbi nullus eſt & erat. Sic Iſraëlitis dabat panem de cœlo in deſerto, eúmque non ſemel tantùm, ſed quadraginta totos annos. Sic etiam dabat creabátque illis aquam ex
Exod.17. dura petra, vbi antea nulla aqua erat. Sic dabat & procura-
Iudic.15. bat Samſoni aquam è dente aridi oſsis aſini demortui. Se-
3. Reg.16. cundò etiam Deus multiplicare poteſt, quod modicum eſt. Hunc in modum multiplicabat viduæ Sareptanæ pugillum farinæ, adeò vt ipſa & eius filius, quin etiam Propheta Elias ſatis ad manducandum haberent toto tempore famis, quæ tres annos & ſex menſes durabat. Sic multiplicabat etiam
4.Reg.4. Deus alij viduę lecithũ olei, ita vt nõ ſolùm alienũ æs perſolueret, ſed ipſa & duo filij eius inde viuerent. Eodem modo quoque paſcebat Deus tempore Helizæi centum homines viginti panibus, quos ſic multiplicabat. Tertiò poteſt Deus
Deut.9. ſuos etiam ſine corporali cibo ſeruare. Sic ſeruabat Moyſen
3.Reg.19. in monte Syna 40. dies abſque omni cibo. Similiter & Eliã fugientem Iezabel. Sunt autem hæc omnia literis mandata, ne ilicò animũ deſpondeamus, ſi manuariũ opus nos fruſtretur & fallat: quandoquidem Chriſtus tot media habet ſuos ſeruandi. Equidẽ, inquis, ſcio Deũ hæc poſſe, ſcio itẽ illũ hæc aliquando feciſſe: num in me idẽ facturus ſit, id verò dubito. Hãc itaq; obſerua hiſtoriã, & videbis, eũ idẽ etiã nunc velle facere, non tibi modò, ſed vnicuiq; qui illi ex animo confidit. Etenim primò vides in hac hiſtoria, ꝙ Chriſtus ipſe incipit loqui de cibatione populi, omnibus alioqui tacẽtibus: nemo petere audebat, nemo cogitare aut ſperare poterat, ſe in eo loco paſtũ iri. Miſereor ſuper turbam (inquit). Et hoc quid aliud eſt, quã argumentũ, ꝙ ei cura de nobis eſt? Ad hæc dicit, Non dimittã eos ieiunos in domũ ſuã.

Quod

Quod rursum indicio est, ꝙ velit nos alere. Huc pertinet, ꝙ non semel, sed bis populum pauit, ad indicium, ꝙ suos non solùm spiritualiter, sed etiam temporaliter alere velit.

Vnde Dauid non ab re dixit: Dominus solicitus est mei. & hoc nobis etiam promittit Petrus inquiens, vt omnem solicitudinẽ nostram in Deum proiiciamus: esse enim curam ei de nobis. Sed quid de Dauide solũ dico & Petro, cùm ipse Christus Matth. 6. nos doceat, ne soliciti simus quid manducemus? &c. Deum nanq; patrẽ nostrum scire, nos his rebus opus habere. Dicit alibi, nempe Ioan. 16. Patrem nos amare. Et Luc. 12. hortatur ne timeamus, néue simus pusillanimes, Patrem enim cœlestem velle nobis dare æternũ suũ regnũ. Quæ omnia eò spectant, ne de Deo vnquam desperemus. *Psal. 38.* *1. Pet. 5.*

Non absq; causa autem Scriptura tot in locis eò directa est, vt nobis diffidentia erga Deum ex animis nostris eximatur, quãdo ea ipsa nihil nõ mali in terras inuehat. Vnde enim tot leues mulieres, tot fures & latrones, tot mendacia & fraudes in omnibus negociis & opificiis: imò vnde omnis auaritia suã originem habet, quàm ex hac diffidentia erga Deũ? Omnes timẽt, ne si probitate & integritate sese deberent alere, inopiam pati cogantur: perinde ac si Deus non opem ferre & alere posset, nisi malæ artes adhibeantur. E diuerso autem, vbi viua fides & religiosa fiducia in Deum est, omnia bona consequuntur, nimirum amor Dei, obediẽtia, oratio, gratiarũ actio, &c. In hoc itaq; inseruit nobis historia istá, vt discamus Deo piè fidere & credere. Nã qui quod maius est dedit, non denegabit quod minus est. Nónne anima plus est quã esca: & corpus plus quàm vestimentum, inquit Christus? Quòd si igitur Deus sine nostro rogatu, imò sine cogitationibus nostris vitam & corpus largitus est, par uæ fidei nos esse homines oportet, ꝙ propter cibum & amictum tàm sumus pusillanimes & desperabundi. Tertiò videmus in hac historia apud exemplum Apostolorum, quàm res sit magna, sublimis & difficilis, Deo, ita vt oportet fidere, maximè si nullum externum præsidium adsit. Hoc (inquam) ex Apostolorum exemplo discere possumus. Quippè nõ pudet eos proprios defectus & imperfectionẽ literis mãdare. Atqui prius viderãt, ꝙ Christus quinq; panibus quinq; millia hominũ paueret. Idq; nõ multò antè cõtigerat, ita vt idipsum adhuc in recẽti memoria Apostoli habere meritò debuerint. Attamẽ quia rursum in necessitate sũt, nõ amplius *Matth. 6.* *Ioan. 6.*

meminerunt prioris miraculi: perinde se gerunt & faciunt, ac si simile nunquam vidissent aut audiuissent. imò simpliciter impossibile esse opinãtur tot homines in deserto pasci posse: id quod verba eorũ arguunt. Vnde (inquiebant) illos

Mar.8. quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et tamẽ plũ res nunc panes, & pauciores homines habebãt, quã in prio-

Ioan.6. ribus miraculis. Tum enim nõ nisi quinque panes habebãt, & tamẽ hominũ erãt quinque millia: nunc verò duos panes plures, & mille homines pauciores habẽt. Siquidẽ hac vice quatuor millia hominũ solũ erant, panes autẽ septem. Veruntamen ęquè impossibile ducebant, quatuor millia hominũ septẽ panibus saturari posse, ac prius, cũ quinque homi-

Tentationis natura. num millia quinque panibus essent pascendi. Sed hæc tentationis natura est, vt homini omnẽ memoriam & recordationem tollat prioris beneficij. Id ipsum nobis quoque vsu venire solet. Quis est enim inter nos, qui si superiorẽ vitam animo secũ recolat, nõ apud seipsum dicat: Vide, tanto tempore me De⁹ nutriuit, ex his atque illis periculis me eripuit, ab hoc vel illo homine immunẽ me seruauit, hanc & illam mihi fortunã obtulit, &c. Hoc dicimus & cõfitemur omnes, attamen si in præsentia aliud nobis obuersetur periculum, omniũ rerũ præteritarũ obliuiscimur: tremimus & pauemus, ac si nihil vnquã boni ab ipso accepissemus: imò etiam

Num.14. nihil boni vnquã de illo audissemus, vt meritò ad nos quoque dicere possit, quod olim ad Israëlitas nõ sine obiurgatione dicebat: Quousque nõ credẽt mihi in omnibus signis quæ feci eis? Et quẽadmodum Christus in Euangelio dicit Matth.17. O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscũ? vsquequo patiar vos? Si te hactenus aluit Deus, quẽadmodũ ipse cõfiteri te oportet, quur igitur nunc de illo dubitas? Quòd si illũ in omni tua superiori vita clementẽ, beneficũ Deũ inuenisti & expertus es, cur eum in præsenti necessitate pro immisericordi Tyranno iudicas? Cur nõ illi tribuis honorẽ, ꝙ bonus sit? An putas illi placere debere, aut impunè dimissurũ, ꝙ tam iniquè de illo sentis, qui tamen omnia facit & eò dirigit, vt bonus agnoscatur? An nõ peccatũ grande est ignominia, & cõtumelia Dei, si illũ pro duro, infideli, immisericordi ducas, cũ tamen omnia illius verba & opera clament & indicent, cũ bonum esse? Imò an non est hoc eum blasphemare & mendacem facere? Attamen tam cæci sumus, vt id pro peccato nõ reputemus, cùm

tamen

tamen peccata eiusmodi grauissima sint, vt quæ contra primum mandatum fiant. Dicit Deus, Ego sum dominus Deus tuus, nō habebis deos alienos coram me. En, hic Deus ante omnia postulat, vt eū solum pro Deo nostro habeamus, hoc est, omnia bona ab illo piè speremus expectemúsq; in omni necessitate ad illū curramus, de bonitate illius nūquā diffidamus, &c. Hoc illud est, Ego sum Deus tuus. Sed quomodo illū pro Deo tuo reputabis, si nec ventrē illi credas, & in minimo de bonitate eius dubites? Summa, ideo Deus nos in præsentia affligit, vt per hoc admoneamur superiorū eius beneficiorū, vt ex illis beneficiis, quæ iampridem accepimus, etiā in præsenti necessitate discamus omnia bona ab ipso petere & sperare. Nam qui in nobis in multis aliis auxilio fuit, in hoc vno nos nō deseret. Huc pertinet quod in Isaia dicit, Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu. Cū trāsieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, nō comburêris, & flāma non ardebit in te: quia ego dominus Deus tuus, sanctus Israël, saluator tuus. Et iterum dicit: Noli timere, quia non confundêris. quia dominabitur tui qui fecit te: Dominus exercituū nomē eius: & redēptor tuus sanctus Israël; Deus omnis terræ vocabitur. Et rursum in Dauide Psal. 49. dicit: Audi populus meus, & loquar: Israël, & testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum. Et pòst, Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. *Exod. 20.* *Cur affligat nos Deus.* *Esa. 43.* *Esa. 54.*

Quartò obserua circa istud Euangelium, ꝙ Christus non nisi bis populū corporaliter pauit, sæpe autem spiritualiter pane sui verbi. Quo indicauit, se potissimùm animarum salutem quærere. Simúlque docere nos voluit, vt animæ cibum plus & diligentius quæramus, quàm cibum corporalem: imò maiorem curam animæ quàm corporis gerere debemus, quando non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Verbum Dei etiā sine externo pane spiritualem simul & corporalem vitam seruare potest: cùm tamē corporalis panis sine recta fide & Dei verbo sumptus, etiam naturalem vitam tueri non possit. Huc pertinet allegoria de spirituali pascendi ratione, qua adhuc Christus in mundo nos pascit, de qua alibi dixi. Vnum iam addo, ꝙ Christus bis populum pauit. Primò quinque, nunc verò septem panibus. Duplici enim modo pascit nos Deus spiritualiter, lege & Euāgelio. Lex per quinque panes hor- *Deut. 8.* *Dupliciter pascit nos Deus spiritali cibo.*

deaceos denotatur. Vt enim hordeum intus granum habet, exterius autē hispido folliculo tectum est: ita lex spiritualem intellectū intus continet, sed forinsecus multifariis figuris tecta. Verū in nouo Testamento panes multiplicati sunt. Sed non sunt hordeacei panes cum setosis folliculis: quippe gratia multiplicata est, ceremoniæ & figuræ abrogatæ. Atque hoc pacto vides, Christum eū esse, qui nos corporaliter iuxtà & spiritualiter pascit. Gustate itaque & videte, quoniam suauis est dominus: beatus vir qui sperat in eo.

Psal.33.

SECVNDVS SERMO
de prima parte hodierni Euangelij.



AVDIVISTIS modò, quid nobis Christianis hodie in hac Euangelica lectione propositum sit: nimirū insigne miraculū, quod Christus olim in populo famelico fecit. Nō dubito quin multi vestrū iam nunc intelligant, quorsum tendat historia illa: nulla idcircò pro suis personis opus habituri ampliori explanatione. Attamen quia non omnibus hominibus datum est, mysteria regni Dei tam facilè intelligere: & Christus vult, vt sibi etiā pueri adducantur: imò quia prædicandi munus propterea in sancta Christianitate institutum est, vt palā & omnibus creaturis prædicetur, quod Christus clàm & in aurem dixit, in simpliciū gratiam paucis indicabo, quis istius Euangelij sit scopus, & quid ex eo discere debeamus. Primò in genere, deinde speciatim. In genere de hoc Euangelio & historia dicere, nihil est aliud, quā quod Dauid multò antè de Christo dixit: Speciosus forma (inquiens de Christo) præ filiis hominū, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternū, &c. Hîc iam aperi oculos tuos ô bone Christiane, & vide quomodo Christus stet inter turbā tam misericordi & benigno corde, cū tam humilibus & amicabilibus gestibus, manu tam liberali, & tam beneficis operibus: cogeris & tu cū Dauide dicere: Domine Christe speciosus es forma præ filiis hominū. certè enim nō inuenies ei parē pulchritudine inter nos oēs filios hominū, etiāsi oēs historias euoluas. Aperi deinde aures tuas, & attende ad verba quæ Christus in hoc Euāgelio loquitur, quāquā pauca admodū sunt, fateberis nō nisi gratiā esse in ei⁹ ore & labiis. Quæ

Luc.8. *Marci.10.* *Matth.10.* *Psal.44.*

duo

duo si cõiungas, verba scilicet & opera eius, videbis Paulum rectè dixisse: vbi inquit: Benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei. Hoc nos docet istúd Euãgeliũ in genere: nimirũ vt oẽs Christũ tãquã visu & auditu gratiosum & amabilẽ, agnoscamus, accipiamus, eũque sequamur. Cęterũ si quis Euangeliũ istud per partes explicatum velit, & id faciã quã breuissimè. Etenim primò confirmat Euangeliũ istud & historia fidem nostram, quã habemus in Christum, & omnẽ incredulitatẽ vel diffidentiam excludit. Secundò, corroborat & fulcit spem nostram ac fiduciam erga Deũ, & tollit nobis omnem pusillanimitatẽ ac desperationem. Tertiò docet verã Christianam charitatẽ & beneficentiã: simúlque dãnat superbiã nostrã & auaritiã. Quartò, etiã conditionem nostrã nobis ob oculos ponit, & ostendit nobis verã viam ad salutem. Ea autẽ talia omnia sunt, quæ scire Christiani refert. Quã ob rem de vnoquoq; aliquantò plus dicã. Primò confirmat Euangelium istud & historia fidẽ nostrã in Christum, in quẽ certò credimus & confitemur, quòd is ipse crucifixus Christus verus Dei filius & Deus sit, contra omnes blasphemias Judæorũ; Ethnicorum, & nonnullorũ hæreticorũ. Siquidẽ in hodiernũ verum adhuc deprehenditur, quod Paulus suo tẽpore dicebat: Christum Iudæis esse scandalũ, Gentibus autem stultitiam. nihilominus verò tamẽ is ipse Christus nobis credentibus est Dei virtus & sapientia. Id quod egregiè ex hoc Euangelio conuici potest. Increduli Iudæi tentabãt olim Deum probaturíque cogniturique nũ verè inter ipsos esset, si cibũ dare posset. Interrupit petrã (inquiebãt) & eduxit aquam. nunquid, dixerũt, poterit parare mẽsam in deserto? perinde ac si dicant: Si hoc potest, vtique Deus verus est: si facit, sine dubio apud nos & inter nos est. Ad quod dico ego: Age vos increduli Iudæi, si vultis eũ pro vero Deo habere & ducere, qui populo suo mensam parare potest in deserto, accipite istud Euangeliũ: isthic videbitis, Iesum Nazarenum id potuisse, fecisséque. Etenim primò stat hic in deserto, vbi neq; ciuitates neq; pagi, neq; domus neq; villa, neq; arca, neq; penu, sed nil nisi lapis & lignũ, folia & gramina. Secundò, nõ solũ stat, sed quatuor millia hominũ cum eo, qui omnes esuriebant: triduum eũ expectauerant, commeatus nihil habentes. Tertiò, comperimus etiã discipulos non amplius septem panibus habuisse, & paucos pisciculos: at-

Tit.3.
Fides.
Spes.
Charitas.
1.Cor.1.
Exod.17.
Psal.77.

tamē protinus absque omni mora populū discūbere iubet, mandans Apostolis, vt de septē panibus illis apponant, donec omnes saturi essent. An non autē hoc parare mensam
Ioan. 9. est in deserto? Quomodo igitur vos Iudæi de illo dicere ausi fuistis, Hūc nescimus vnde sit? Imò sanè mirabile est (vt cæcus dicebat) quia vos nescitis vnde sit, qui tanta fecit miracula. Enimuero scimus, Deum peccatores nō exaudire: ab initio mundi nunquā auditū est, hominē aliquē tale miraculum fecisse. Quapropter confidenter dicere possumus, Nisi esset hic à Deo, imò nisi ipse esset Deus, non poterat facere
Ioan. 6. quicquam eiusmodi. Ad hæc, vos Iudæi sæpè ad illū dixistis,
Matt. 12. 16. Quid signi nobis facis, ex quo videre & credere possumus, te à Deo aut Dei filium esse? Imò si signa petitis, ecce in hoc Euāgelio inuenitis illa, & nō vnū sed multa, non parua sed magna, nō falsa aut fallacia, sed certa & vera signa. Etenim primò magnum signum est, quòd septem panibus quatuor millia hominum pauit: adhuc maius signū est, quòd tot homines tam paucis panibus nō solùm pauit, sed etiam expleuit. Omnium autem maximum est, quòd ab iis qui comederant & saturati erāt, plus sit reliquum factum, quàm panes primò fuerant. An non hæc tibi sufficiūt signa? Hic vides fieri natura quiddam maius, imò præter omnium spem & fidem. Neque hic dicere vos Iudæi potestis, id eum fecisse virtute & præsidio diaboli, quemadmodum alias ca-
Luc. 11. lumniabamini. Quia enim diabolus hostis hominum est, non tantùm illis fauet, vt eos in fame ipsorum pascat.

Atque ideo etiam hic nihil aliud est, quàm digitus & potestas Dei. Sic ergo confirmat hoc Euangelium fidem nostram in Christum: demonstrat & conuincit, eū verum esse filium Dei & Deum. Et præterea etiam dissipat tanquam dura petra, omnem incredulitatem & contradicendi libidinem Iudæorum, Gentium & hæreticorum.
Exod. 15. Hoc lætamur nos Christiani, & alacres dicimus cū Moy-
Isa. 25. se: Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. Et cum Isaia: Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos: & lætabimur in salutari eius. Tantum de primo. Secundò, cōfirmat hoc Euangelium etiam spem & fiduciam nostram, sicque consequēter etiam consolatur nos in omni necessitate: quod tamen vel solum Euangelium istud nobis commendatius efficere debebat. Quæ autem est spes & fiducia hominis

nis Christiani? Primò certum est, eum non in seipso sperare aut fiduciam collocare. scit enim omnes homines esse mendaces, & qui hodie stat, cras potest cadere. Secundò, non fidit suæ iustitiæ aut probitati. scit enim, quòd etiamsi omnia fecimus quæ præcepta sunt nobis, inutiles tamen serui simus, vt habetur Lucæ 17. Tertiò, non ponit spem suam in mortalibus hominibus. scit enim scriptum esse, Esa. 40. Omnis caro fœnum. Et iterum Hiere. 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Quartò, nõ ponit homo fiduciam suam in diuitiis huius mundi, quandoquidem eas Paulus 1. Timot. 6. vocat incertas diuitias. Et Sapiens Prouerb. 11. dicit aperte: Non proderunt diuitiæ in die vltionis. Quintò, non collocat Christianus spem suam & fiduciam in mundana potentia. scit enim omnem potentiam & fortitudinẽ huius mundi nihil aliud esse, quàm baculum ex arundine factum. Sed dicit cum Dauide: Dominus fortitudo mea, in eo sperabo. Et iterum Psal. 51. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternũ, & nomen eius expectabo. Et rursus Psal. 72. Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terrã? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Hic audis, quòd credentes spem suam & fiduciam in Deo ponunt. Atqui Deus seipsum totaliter & penitus expressit & exhibuit in Christo, quemadmodum Christus ipse dicit Ioan. 14. Qui videt me, videt & Patrem meum. Omniáque sua bona in Christum effudit: omnia nobis per illum dedit, & proposuit eum propiciationem inter nos & ipsum: & omne iudicium ei tradidit, ideóque nostram spem & fiduciam in Christo nos collocare oportet, quemadmodum ipse docet & iubet, Ioan. 16. Confidite (inquit) ego vici mundum. Atque hanc nostram spem seu fiduciam in Christum, constabilit & auget hodiernum istud Euangelium, proponendo nobis Christum, tanquam potentissimum, cui nihil impossibile, omniúmque benignissimum; & qui omnium ad ipsum ex animo sese conuertentium, libenter miseretur. Potentiam eius, & quod omnia possit, miraculum satis arguit. Nam si septem panibus quatuor millia hominum pascere potuit, & ita, vt sint omnes exaturati, & tamen septem cophini panum superfuerint, nihil certè ei impossibile fuerit. Quòd autem etiam omnium sit benignissimus, omnes indicant circunstantiæ. Primò nanque, antequam homo aliquis ex turba

Psal. 114. *1. Corinth. 10.* *Ezech. 29.* *1. Reg. 22.* *Roma. 3.* *Ioan. 5.* *Bonitas Domini Iesu.*

pere

petebat, præuenit, vltro incipit, conuocat suos discipulos; consultat cum illis, quomodo populo succurri possit. Et quid per hoc aliud indicauit, quàm quòd curam pro nobis
1. Pet. 5. gerat & habeat? Vnde Petrus fidenter nobis acclamat, vt omnem nostram solicitudinem in eum, hoc est, in Christum proiiciamus. Secundò, loquitur Christus tam humaniter & consolatoriè, vt homini præ gaudio cor exiliat meritò. Misereor super turbam, inquit. O verbum consolatorium. Legimus in veteri Testamento, quantò olim Patres desiderio & gemitibus Dei implorauerint misericordiam. Vbi
Psal. 88. sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine (inquit Dauid) Vsque quò Domine auertis in finem: exardescet sicut ignis
Psal. 84. ira tua? Item: Nunquid in æternum irasceris nobis Domine? aut extendes iram tuam à generatione in generationem? Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis. Et iterum: Voce mea ad Dominum cla-
Psal. 76. maui: voce mea ad Deum, & intendit mihi. Et post: Nunquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet, vt complacentior sit adhuc? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? Nunc verò hîc stat Christus, & dicit: Misereor super turbam. perinde ac si dicat, tempus iræ præteriit, tempus gratiæ adest: Iam cogito
Hier. 27. non amplius cogitationes afflictionis, sed cogitationes pacis. Et quid iucundius hoc verbo Christi? Tertiò, quò omnes videant & intelligant, eum neminem à misericordia sua excludere velle, non dicit, Misereor super meos discipulos, aut, super bonos, qui in hac multitudine sunt: sed in genere loquitur, Misereor super turbam: in qua proculdubio non solùm multi pauperes & ægroti, sed multi etiam peccatores fuerunt. Attamen Christus nullum eorum segregauit, & misericordiá sua exclusit: sed paratus fuit resipiscentibus & pœnitentibus veniam dare. Et cui verbum hoc non solatium præbeat, qui vel semidesperatus sit? Maximè verò consolatorium est, quòd dicit, se scire quid causa sua fecerint, quid nunc paterentur, & quid periculi eis immineret. Triduò sustinent me, inquit, nec habent quod manducent: deficient in via. Quomodo autem Christus spem nostram efficacius confirmare potuisset? An non solatio alicui sit, imò incitamento, tantò firmius Deo adhærendi, si cogitet, & apud sese possit dicere: Deus scit quid illius nomine
Psal. 54. & obedientia faciam: Deus scit, quid patiar: Deus scit, quid
mihi

mihi immineat. Ideò omnes meas cogitationes in illum iactabo: ipse enutriet me. Et hoc est quod Christus alio in loco dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiē animabus vestris. Et iterum: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Vide, hoc pacto nobis adimit Euangelium istud omnem causam pusillanimitatis, diffidentiæ & desperationis. Nam si quem pristina peccata plus æquè deterrent, is verbum illud sibi dictum existimet, vbi Christus ait, Misereor super turbā. Imò quis non in peccatis suis animum despondeat, si non sciremus misericordiam apud Dominum Christum esse, & copiosam redemptionem? Porrò qui dubitat, num Deo notum sit, quid eius causa faciamus, is ad verbum animum aduertat, quod Christus dicit, Triduò me sustinēt. Qui verò dubius est, num Deus perspectā habeat inopiam & indigentiam suam, attendat quod Christus ait, Non habent quod manducent. Atqui si quis ambigit, num Christus auxiliari nobis velit, is consideret verbum, quód Christus in Matthæo dicit, Dimittere eos ieiunos nolo. Hic audis, quòd Christus nolit nos ope sua destituere. Ecquid amplius vis? Aut quam causam pusillanimitatis habes? Si multum solatij habere possumus in paucis & breuibus verbis, quæ Christus in hoc Euangelio loquitur, quid solatij inuenturi essemus, si omnia eius verba ad animum reuocaremus? Domine (inquit Petrus) verba vitæ habes, ad quem ibimus? Tantum de altera parte. De reliquis duabus partibus, in sequenti sermone audiemus. Nūc discamus tum fidem tum spem nostram ex hoc Euangelio confirmare, ad eum modum, vt auditum est. Deus nobis suam largiatur gratiam, Amen.

Mat. 11.
Ioan. 7.
Psal. 129.
Matth. 15.
Ioan. 6.

TERTIVS SERMO DE ALtera parte huius Euangelij.



CIRCA hodiernum Euangeliū rectè & meritò dicere possum, quemadmodum & in reliquis, bonum & summè necessarium esset, vt eiusmodi Dominicalia Euāgelia summa cum diligentia consideraremus, & nostris inscriberemus pectoribus: siquidē nō casu, sed singulari studio selecta, atq; ita ordinata sunt, vt semper cum tēpore cōgruāt. Id quod cumprimis in hodierno Euangelio videre est, quod ita ordinatum est, vt plerūq; in messem cadat. Et quid congruen

gruentius illo tempore legi posſit? Ex hoc enim miraculo poſſunt ſimplices, qui per totam ſeptimanam in agro laborant & fructus colligũt, diſcere, cui etiam eiuſmodi fructus transſcribere debeant: nimirũ non terræ, neque proprio ſuo labori, ſed potiſsimùm Deo. neque enim qui plantat (inquit
1. Cor. 3. Paulus) aliquid eſt, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat: ſed hoc facere nemo poteſt, præter Deum. In hoc Euan-
2. Corint. 12. gelium iſtud tempore meſsis legitur, vt Dei ante omnia ſimus memores, qui non ſolùm ſeminanti adminiſtrat ſemen ſuum, ſed facit etiã, vt creſcat ſemen & fructus adferat: quin etiam panem dat ad manducandum, vti Paulus dicit. Adhęc, poteſt nobis Euangelium iſtud & miraculum etiam aliis in
I. rebus circa meſſem noſtram inſeruire. Primò nanque audimus & videmus in eo, quid magni Chriſtus promittat &
II. det ſe ſequentibus. Secundò diſcimus ex eo, quomodo fructibus, quos Deus nobis è terra largiatur, vti debeamus: ni-
III. mirum cum laude Dei & gratiarum actione. Tertiò per hoc commonemur mirabilium operũ Dei, quæ adhuc ſemper inter & apud nos facit: nimirum vt paucis frugibus quadruplo maiorem numerum hominum & pecorum paſcat & ſeruet. Pater meus (inquit Chriſtus, Ioan, 5.) vſque modo operatur: & ego operor. Hoc qui conſideraret, non minus admiraretur, gauderet, Deóque gratias ageret, quàm ij fecerunt quos Chriſtus ſemel pauit corporaliter. En, propterea Euangelium iſtud circa hoc tempus vt legatur ordinatũ eſt. Et quis hoc reprehendet aut damnabit, qui modò ſanæ mentis eſt? Deinde quanquam nobis Euangelium iſtud multa alia proponit, quàm Euangelium ſuperioris Dominicæ: attamen vtraque Euangelia rectè ſeſe conſequuntur.

Non ſemper eadem proponenda.

Quinimò ſic poſtulat neceſsitas, vt non ſemper eadem proponantur, ſed viciſsitudine ſeruata, nunc quód fidem ædificat & conſtabilit, nunc quod ad bonos mores & Chriſtianam conuerſationem facit: interim quod nos conſoletur, interim verò quod terreat. Nam horũ ſi aliquod intermittatur, hoc inſtat periculi, vt in alteram partem nimium procumbamus, aut ad deſperationem, aut ad leuitatem. En, propterea ſic ordinatum eſt, vt fermè per totum annum Euangelia legantur, nunc quòd ſolatium, nunc quòd doctrinam præbet: tum verò etiam quòd metum nobis incutit. Imò hoc Chriſtus ita fecit: quandoque nihil aliud quàm verba conſolatoria locutus eſt: quandoque autem docuit

etiam

etiam & indicauit quid nos agere velit. Ita quoque in hoc Euangelio valde consolatorium est, quod dicit, Misereor super turbam: imò quòd turbam tam mirabiliter pascit. Mox verò etiam alia indicantur, vtpote quibus hominibus eiusmodi misericordia contingat, & qui ea digni sint. Nimirum qui è longinquo veniunt, hoc est, peccata deserunt. Peccatum enim diuidit inter hominem & Deum: facit vt procul à Deo & regno eius disiunctus sit, vt etiam in filio prodigo videre est, Luc. 15. & Dauid apertè dicit, Psal. 118. Longè à peccatoribus salus. Deinde etiã ij misericordia Dei digni sunt, qui apud Christum perseuerant, & non simpliciter, sed triduum, hoc est, initio, medio & fine huius vitæ. Idipsum & in aliis Euãgeliis spectare licet. Inconsultè itaque factum, vbi tam bona tàmque vtilis ordinatio temerè reiicitur & contemnitur. Qui hac in re tutissimus esse vult, imitetur Isaac: non effodiat nouos puteos, sed contentus sit iis quos patres sui foderunt: curet verò vt mũdentur, & terra qua eos Palęstini oppleuerant, perpurgentur. Hoc qui facit, ei aqua consolationis & doctrinæ nunquam deerit. Videbimus iam quid Euangeliũ istud nos porrò doceat. In sermone proximè prętérito dixi, bonum quéq; Christianum quatuor habere quæ in isto Euangelio consideret: quorum duo priora indicaui, nimirum quomodo Euangelium istud nobis fidẽ confirmet & spem erigat. Duo posteriora nunc audiemus, nimirũ quomodo Euangelium istud calcar nobis addat ad veram charitatem, & quomodo in ea conditionem nostram videre & agnoscere possimus. Dico ergo primò, quòd nobis Euangelium istud non solùm fidẽ nostrã confirmat, spem & solatiũ præbet, sed docet nos etiam veram charitatem & beneficentiã, quæ nõ minori diligẽtia cõsideranda & accipienda sunt, quàm duo priora illa, etsi ægrius intrat in animos nostros. Non solùm, inquam, fidẽ & spẽ ex hoc Euangelio cõfirmare nos oportet, sed etiã exemplum ex eo capere: non vt conemur miracula facere, vt quod nobis datum nõ est: siquidem peculiare hoc Dei donum est, vt Paulus ait, sed tale tamen donum, quod ex seipso hominem meliorem non facit. Dicit enim Christus multos pseudoprophetas signa facturos, & venturos multos in extremo iudicio, ac dicturos: Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Iudex autem non agnoscet illos, sed cum

Deus quibus benignus sit et propitius.

Esa. 53.

Gene. 26.

Innouatores, meritò cauendos.

1. Corin. 12.

Matth. 7.

Matth. 24.

cum illis qui iniquitatem operati sunt, ad gehennam mittet. Alia sunt, in quibus Christum debemus ac oportet nos sequi. Non enim dixit, Discite à me mortuos suscitare, & multa millia hominum paucis panibus pascere & explere: sed dicit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et iterũ: Si ego laui pedes vestros dominus & magister: & vos debetis alter alterius pedes lauare. Exẽplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis. Et iterum ibidem: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicẽ. Sic & Christus in hoc miraculo tribus in rebus seipsum nobis exempli loco dedit ac proposuit: nimirum in humilitate morum & gestuum, in comitate verborum, & in bonitate operum.

A Christo quid discendũ

Ioan. 13.

Etenim primò, quamuis vnicus naturalis filius Dei, atque adeò etiam Deus erat, nõ tamen efferebatur diuinitate sua, egenos homines non contemnebat: non præteribat videns eorum defectum, sed consistens vertit se ad illos, compatiebatur illis, & opem ferebat. Si regis aut principis filius similiter faceret, omnes homines demirarentur, & in omnia Chronica referretur, quemadmodum à plerisque factum. Adeò rara & insolita res est apud Adæ filios, cùm quis in externa potentia & diuitiis humilis est, & pauperes non contemnit. Hîc autem filius Dei exhibet sese omnium humillimum: quo nostra taxatur arrogantia, qui tam leuibus ventis inflamur ad superbiam. Quid magis fluxũ diuitiis, ob quas tamen multi homines intumescunt & superbiunt? Quid infirmius mundi potentia, qui neque seipsum, neque amicos à morte eripere potest? Attamen extollimus nos, & superbimus ob talem potentiam. Quid vilius & inutilius quàm generis & nobilitatis gloria? neque enim hominem probiorem facit in anima, neque in corpore saniorem, neque viuaciorem: attamen mirum, quàm hinc Adæ filij efferantur & turgeant. Sed quid superbis terra & cinis? cùm in hoc Euangelio filium Dei tam humilem videas in promiscua multitudine agentem, perinde acsi nihil maius sit ac habeat quàm ipsi?

Christi humilitas

Superbia hominum.

Deinde etiam pro exemplo accipere debemus quod Christus tam humaniter & cõpatienter loquitur. Misereor super turbam, inquit. Vtinã omnes homines hunc haberent affectum. Atqui vult Paulus vt omnes hoc animo simus, atque illud in nobis sentiamus, quod in Christo videmus, & de illo

Phili. 2.

illo audimus. Cùm esset in forma Dei (inquit Paulus) neq; illud haberet ex rapina, sed natura, attamen exinaniuit se, formam serui accipiens, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Hîc discite iam primùm vos Prælati, Pastores & Moderatores Ecclesiæ, vt & vos secundum exemplũ Christi misereamini super turbam. Siquidẽ profectò periculosis his temporibus, imò in hac maxima perturbatione sanctæ Christianitatis, omnis populus in vos respicit, à vobis auxilium desiderant, vos expectant, quãdo semel expergiscamini: etsi dormire pergitis, succumbent in via. non habent enim quod amplius manducent, adeò penitus illis Satanas omnem panis & spiritualis cibi commeatum substraxit, aut erroribus perdidit. Cogitate quàm malè nunc agatur in sancta Christianitate: quàm sit miserè scissa in tot sectas & errores: quàm multa millia hominum iam pridem interierint, & quàm innumeri adhuc diaboli laqueis captiui teneantur. Ne sinite rem eò deuenire, vt horribilis sententia Dei in vobis compleatur, qua indiligentibus Pastoribus & custodibus minatur, se sanguinem omniũ eorũ qui per ipsorũ negligentiã pereunt è manibus eorum requirere velle. Discite deinde etiam vos Principes & Regentes, quibus secularis gladius commissus est, Discite (inquã) vt etiam vos misereamini super turbam. Officij vestri est, vt malos prohibeatis, eísq; resistatis, bonos adiuuetis, iustitiam exequamini, viduas & pupillos defendatis: videte quo pacto illud faciatis: explorate quomodo præfecti vestri hîc sese gerant. A vobis ratio poscetur, potestas vobis diuinitus data est, & fortitudo ab Altissimo: is interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniã cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Quapropter cauete, ne hæc verba Prophetæ in vobis compleantur, Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Misereor super turbam, inquit Christus:

Hæreses & secta in Ecclesia.

Ezech. 33.

Officium secularis Magistratus.

Sap. 5.

Amos. 6.

hunc imitamini. Discite tertiò, vos sacerdotes & ministri Ecclesiæ, vt misereamini super turbam, quæ iam tam multifariam errat. Studete verbis & exemplis errantes in veram viam reducere. vos enim estis sal terræ, lux mundi, & ciuitas super montem ædificata. Non comperiatur in vobis quod in Propheta legitur: Sicut populus, sic sacerdos, &c.

Matth.5.

Esa.42.

Discite quartò etiam vos diuites, vt misereamini super ingentem pauperum multitudinē, qui in vos respiciunt, vestrum auxilium implorant, ne super vos veniat quod Christus dicit, Difficilè diuites intrabunt in regnum cœlorum: & quod Salomon ait, Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Discite postremò vniuersi Christiani, vt etiam cum Christo dicere possitis, Misereor super turbam. Alter alterius onera portate: alter alteri succurrat, compatimini inuicem, mutuò auxilio vos iuuate, & sic implebitis legem Christi. Tertiò, exemplum esse nobis quoq; debet, quod Christus & Apostoli eius, etsi non plures septem panibus habebant, qui illis vix sufficiebant, ad propriam ipsorum necessitatem, illos tamen volentes cum aliis qui nihil habebant, partiebantur. Quo quidem insatiabilis nostra auaritia notatur, qui grauamur etiam in summa necessitate, pauperibus largiri de eo quod nobis superest, & alio qui perire sinimus: imò præterquā quod aliis non subuenimus, & illis de nostro nihil erogamus, pauperes etiam grauamus, ad nos rapiētes quicquid possumus, siue cum Deo siue contra Deum: haud curantes, quo id modo consequamur, & quibus surripiamus, modò ad nos trahamus. Est enim auaritia tam truculentum animal, auarus autem tam durus & immisericors, vt nec parēti suo parcat, matrem non agnoscat, neque fratres neque sorores curet, nullam amicitiam cōsideret, nullius misereatur pauperis. Hóccine autem Christianum dicetur? O homo infœlix, quid aggrauas contra te densum lutum seu diuitias, tibi ipsi ad æternum exitium? Siquidem tandem in hoc hærebis & submergêris. An nescis cuius spiritus sis? An nescis habitationem nostrā, patriam nostram, municipium nostrum in cœlis esse? An nescis, quòd propterea te Deus dispensatorem super bona sua constituit, vt tibi facias amicos de mammona iniquitatis, qui te in æterna recipiant tabernacula? Et postremo annon cogitas, quòd Christus hic famelicis tam benignè succurrit? similiter & Apostoli non

Matth.19.

Prou.11.

Gal.16.

Auaritia taxatur.

Auaritia immanitas.

Habac.2.

Luc.9.

Philip.3.

Luc.16.

non grauatè sua cum illis partiuntur? Quomodo autem speras cum illis te saluari posse, quibus hic tam dissimilis es, & inæqualiter viuis? Vide, hoc modo posset nos Euangelium istud etiam veram charitatem docere. Ad hæc omnia autem ponit nobis etiam ob oculos nostram ipsorum conditionem. Nam si nos ipsos verè consideramus, nihil differimus à populo huius Euangelij. Primò longè absumus à patria nostra. Quandiu in hoc corpore sumus, peregrinamur à Domino. Secundò, sumus in magna deserti vastitate, vbi pauci homines, sed multæ feræ sunt. quippè in mundo parum boni, multum autem mali videtur. Deus quidem bonum semen seminauerat, sed diabolus lolij tantum inspersit, vt bonum semen impediatur. Tertiò famem quoque patimur in hac solitudine, & nunc hoc, nunc aliud nobis desit. Postremò quoque tandem in hoc deserto nobis pereundum est, nisi Christus nobis succurrat, & ipse apud nos sit ac maneat. Hæc nostra conditio est, Quod cùm ita habeat, non solùm vtilitas nostra postulat, sed etiam necessitas, vt ad Christum curramus; illum sequamur, illi obtemperemus & adhæreamus, quò ab illo consequamur gratiam in præsenti, & æternam fœlicitatem in futuro seculo: id quod nobis concedat Deus, Amen.

2.Cor.5.

Matth.13.

QVARTVS SERMO DE Euangelio & Epistola.



HODIERNVM istud Euangelium totum consolatorium est, à capite ad calcem vsque. Atque ideò dignum vt pius quisque, qui hic in terris tãquam peregrinus & aduena versus cœlestem patriam proficiscitur, aliquantum circa illud moretur, & Dei bona seu gratiam animo secum recolat. Hic mos in mundo est, & hæc conditio filiorũ Adæ, vt cùm longum sint facturi iter, primùm & ante omnia considerent, vt viaticum & commeatum habeant in via; & vbi de viatico & cibo certi sunt, tantò alacrius itineri sese committant. Quæ itineris adiumenta si illis desint, inuiti domos suas exeũt. Et hæc, mea quidẽ sentẽtia, præcipua causa est, ꝙ Adæ filios tenet ac moratur, ꝙ tã inuiti se itineri versus cœlũ & æternã salutẽ cõmittant. Nam si carnalẽ suã flagitiosámq; vitam, ex qua antea nõ solùm cibum & potum, sed etiam pecuniam & bona, voluptatem & gaudium, fauo-

Quid plerosque à salute remoretur.

rem & amicitiam hominum,& vitam planè voluptuariam habuerunt,omittere debēt,& in posterū in via virtutis ambulare, protinus incipiūt cogitare & vereri,ne famē & inopiam pati eos oporteat. Et propterea ne in tale periculum veniant,imò priusquam volunt famem & inopiam pati, ma lunt in antiqua sua domu manere, hoc est, in peccatis suis, & moriuntur etiam in illis. Et tamen hac cura minimè opus habent,si modò hodiernum Euangelium intueantur. Voluit enim Christus hîc eiusmodi inanē & inutilē metum præuertere.Nam per miracula promisit omnibus iis qui ex animo in illum credunt, eiúsq; vestigia sequuntur, ꝙ nunquàm eos velit relinquere,etiamsi in deserto & summa necessitate ac egestate sint.Et ne quis dubitet, hoc manifesto miraculo indicauit,ꝙhoc facere & possit & velit. Vides enim hic clarè,Christum dare posse vbi nihil est, & multiplicare quod per se nimis parū est. Adhæc,vides quoq; in hoc Euangelio,ꝙ pro nobis sollicitus sit,etiamsi nos non cogitemus. *Luc.1.* Summa,quod Christus hîc dicit,Misereor super turbā, idipsum adhuc dicit,eundem animum semper retinens: *Psal.102.* Misericordia enim eius manet in æternum de generatione in generationem super timentes eum. Et hoc videre clarissimè possemus,si vellemus.Quis enim dat & mutiplicat fructus in campo quotannis,& ita,vt de illis omnes edamus,& tamen superat adhuc?Quis facit id,nisi Deus? Et quid mo uet eum?Nostrum meritum?Nequaquam, sed eius misericordia, quòd miseretur nostri:alioqui propter mala merita nostra, sæpe auxilium & manum suam abstracturus esset, nisi tam bonus& misericors esset. Nunc autem obserua, si Deus non sinit nos fame perire tot peccatis obnoxios,multò minus bono timenda fames est, in via Dei ambulanti. *Matth.6.* Respicite volatilia cœli,quoniam non serunt,neq; metunt, neque congregant in horrea:& Pater vester cælestis pascit illá(inquit Christus.) Nonne vos magis pluri estis illis?

Quid nos simus ex nobis ipsis. Proinde hîc simul habemus speculum humanæ inopiæ, atq; etiam speculū diuinæ misericordiæ,& vtraque hęc tam clarè, vt clarius non possimus.Quod enim ad nos attinet, quid aliud sumus, quàm numerosa multitudo pauperum, egenorum, famelicorum hominum? qui sibiipsis opem ferre non possent:imò perire omnino deberent, nisi de supernis illis succurreretur. *Quid Deus.* Et quid Deus aliud est, quàm benignus pater, qui curam indesinētem gerit pro suis creaturis,

ne

ne fame intereant? Non enim odit aliquid eorum quę fecit. *Sap.11.*
Sacra scriptura indicat nobis hęc duo, & quotidie ea compe rimus. Non itaque optare necesse est, vt etiam Deus apud nos talia miracula faciat. Saltem oculos & aures aperiamus, videbimus & audiemus eiusmodi miracula & gratiæ opera quotidiè apud nos fieri. Quod ita se habere, multifariam Dauid demonstrat in suis Psalmis. Dominus, inquit, regit *Psal.22.*
me, & nihil mihi deerit. Super aquam refectionis educauit me. Parauit in conspectu meo mensam aduersus eos qui tri bulant me. Impinguauit in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est? Et misericordia tua subse- quitur me omnibus diebus vitæ meæ. Et vt inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum. En, in hisce verbis confitetur Dauid apertè, Deum omni die apud ipsum mira- cula facere & gratiam operari. Similiter & in aliis Psalmis confitetur, vti cùm inquit: Domine probasti me, & cogno- *Psal.138.*
uisti me: tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meã. Intellexisti cogitationes meas delongè: semitã meam & funiculũ meũ inuestigasti. Et omnes vias meas præuidi- sti: quia nõ est sermo in lingua mea. Ecce Domine tu cogno- uisti omnia nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero matris meæ. Non est occultatum os meũ à te, quod fecisti in oculto: & substantia mea in inferioribus terræ. Im perfectũ meum viderunt oculi tui, &c. Et quid Dauid omni- bus hisce verbis aliud facit, quàm ꝙ palàm cõfitetur, & prę- dicat gratiam & miracula quæ Deus quotidie apud nos fa- cit? Ne quis autem cogitet, Deum tantũ curam gerere pro iis, qui Dauidi pares sunt, indicat in aliis Psalmis, Deum id- *Psal.144.*
ipsum quoq; erga alios homines facere. Alleuat Dominus oẽs (inquit) qui corruũt, & erigit omnes elisos. Oculi omniũ in te sperãt Domine: & tu das escã illorũ in tẽpore oppor- tuno. Aperis tu manũ tuã, & imples omne animal benedi- ctione, &c. Et in sequẽti Psal. Dominus facit iudiciũ iniuriã *Psal.85.144.*
patientibus: dat escam esurientibus. Soluit compeditos, il- luminat cæcos, erigit elisos, diligit iustos, custodit aduenas, *Psal.20.*
pupillum & viduã suscipiet. Et alio in Psalmo: Miserator & misericors Dominus: longanimis & multũ misericors. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum ini-

quitates nostras retribuit nobis. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timētibus se: quoniam ipse cognouit figmentū nostrū. Recordatus est quoniā puluis sumus, homo sicut fœnū dies eius: tanquàm flos agri sic efflorebit, quoniā spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: & nō cognoscet amplius locū suū. Ex hoc, opinor, videre quiuis posset, Deū adhuc quotidie curā nostri gerere, & in hodiernū dicere, Misereor super turbā. Et reipsa id declarat: imò nisi Dei misericordia semper apud nos, super nos, & circa nos esset, iamdudum funditus periissemus. Quapropter non est quod queramur, quòd Deus nō amplius apud nos facit quod apud alios fecit: queādmodū fortè aliqui facere possent: sed imprudenter & iniquè. Alioqui quidē dici vulgò solet, nec fallit, nihil infœlicius esse, quàm si quis cogitet, se aliquando beatum & fœlicē fuisse. Nec vlli paupertas grauior est, quā ei qui aliquando diues fuit. Talis enim, cùm cogitat quid habuerit, & quibus eum nunc carere oporteat, vix continere se potest, quin apud se ingemiscat, & cōqueratur de sua paupertate, priores suas diuitias cupiens. Circa hodiernum Euangeliū id plerique fortè faciunt, cū audiunt Christū olim tam benignè sequentibus se subuenisse in famis necessitate: cæterū vident, & videtur illis, quòd nūc non idē faciat, sed contrariū, immittens famē & annonæ caritatem, aut permittens, vt nobis per bella aut tempestates eripiantur perdantúrque ea, quibus ad corporis nostri necessitatem opus habemus. Hoc qui experitur, & interim Euangeliū hoc audit, vix cōtinebit se, quin ingemiscat, & deploret infœlicitatē huius tēporis. Sic olim faciebant Iudæi, suis miserrimis considerantes tēporibus, quòd patres eorum & maiores tā clementē Deum habuissent. Deus (inquiebant) auribus nostris audiuimus: Patres nostri annunciauerūt nobis, opus quod operatus est in diebus eorū, & in diebus antiquis. Manus tua Gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorū non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuū, & illuminatio vultus tui: tunc autē repulisti & confudisti nos, &c. Eodem modo dicebant & in Isaia, aut Isaias eorum nomine: Domine Deus, vbi zelus tuus, & fortitudo tua? Tu enim pater noster. Eundem in modum loquitur etiam Dauid sub eorum persona: Vsquequo Domine auertis in finem: exardescet sicut ignis ira

Curam nostri gerit.

Threu. 3.

Psal. 43.

Esa. 63.

Psal. 88.

ira tua? Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut iurasti Dauid in veritate tua? Tales homines etiamdũ inueniuntur, qui causam infœlicissimi huius tẽporis in Deũ reiiciunt. Mirantur, quòd Deus, vt ipsi opinãtur, nõ amplius talia opera facit, queãdmodum aliquando fecit, non aduertentes, quòd Deus adhuc quotidie apud nos operatur, nec considerant, culpá esse nostrã, Deo interdum famem & annonæ caritatẽ immittente. In nobis situm præcipue est, bene an malè habeamus. Ante hominẽ (inquit Sapiens) vita & mors, bonum & malũ, quod placuerit ei, dabitur illi. Eodem modo dicit & Moyses: En propono in conspectu vestro hodie benedictionẽ & maledictionẽ. benedictionem, si obedieritis mandatis domini Dei vestri: maledictionem, si non obedieritis. Sic & Deus ipse dicebat in Isaia: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiã prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Si ergo eos fœlices censes, quibus Christus tam benignè tãque mirabiliter auxilium præstitit in famis necessitate, quemadmodum Euangeliũ hoc indicat, fac & da operã, vt tu similiter ita clementẽ Christum habeas & consequare: quãdoquidẽ certum est, in ipso nihil desiderari, neque in potentia & viribus, neque in bona voluntate. Inquis: Quid mihi faciendũ? Respondeo. Audi S. Paulum in hodierna Epistola, & dictis illius morẽ geras. Humanũ dico, inquit, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, &c. Hæc hodierna fuit Epistola. Atque hic videmus primum, vnde nobis prosperitas & aduersitas veniãt, & quomodo mala vitare queamus, bona verò cõsequi. Scire ergo vis, vnde mala, fames, caritas, & aliæ Dei afflictiões veniant? Stipendia peccati (inquit Paulus) mors. Hic habes, quòd omne malũ, & mors ipsa è peccatis proueniat. Contrà verò, Dei gratia est vita æterna. Hic vides, ex gratia Dei omne bonũ proficisci, etiã vitã æternã. Ais: Sed quomodo mala effugere, & bona adipisci potero? Respõdeo: Sicut exhibuisti aliquando membra tua seruire immunditiæ & iniquitati, ita nũc exhibe mẽbra tua seruire iustitiæ. Hæc via est, per quam mala declinare, Dei verò gratiam & misericordiam æternam conseruare posimus. Hanc rem reputare nobiscum nos oportet. Nã væ nobis, si non Dei gratiam

Eccle. 15. *Deut. 11.* *Esa. 1.* *Rom. 6.* *Causa malorum quæ patimur.* *Gratia vt obtineatur.* *Thren. 3.*

perpetuò habeamus seruemúsque: quandoquidē misericordiæ Dei transcribere oportet, quòd subsistimus & viuimus.

Deus quid poscat à nobis. Atqui verò Deo retribuere nihil dignum possumus pro tali eius miseratione. Nec quidem eget nostræ retributionis. Attamen aliquid à nobis exigit, non aurū nostrū & argentū, sed iustitiā & pietatē. Sanctus est: ideo sanctos filios & domesticos habere vult. Et quid pater min' à filiis suis requirere posit, quā si ad illos dicat: Probitatē sectamini filij, ego vobis omniū rerū quibus indigetis, abundantiā creabo? *Matth. 6.* Hoc verò est, quod Deus à nobis requirit. Quærite regnū Dei & iustitiam eius, pro reliquis non est quòd soliciti sitis: omnia enim adiicientur vobis. Scit enim Pater vester, quibus indigetis: & is tam bonus est, vt etiā volatilia cœli absq; eorū labore alat. Et quis potest vel etiam audet queri se hac in parte grauari? Si diabolo tanto tempore seruiuimus, in perniciem nostram semper vigilanti, quā ob rem etiam non libenter Deo nostro & patri seruiremus, qui tanto tempore nos absque meritis nostris aluit, & adhuc alit? Hoc Paulus persuadere conatur hodierna Epistola, nec quicquā prætermittit, quod ad rem facit. Primò, describit nobis cū iustitiam tum iniustitiā, indicans simul, quid fructus horū vnúquodque adferat. Cū serui essetis peccati, inquit, liberi fuistis iustitiæ. En, hîc habes, quid iniustitia & impia vita sit: nimirùm miseria, dura & pudēda seruitus, cuius pudere nos meritò debebat, vtpote nihil aliud fructus nobis adferētis, quàm inquietudinem in conscientia, dedecus coram mundo, diabolo gaudium, Deo displicentiam & fastidium, nobis verò tandem mortē & æternā condemnationem. Hi sunt fructus iniustitiæ. Contrà autē dicit Paulus amplius: Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrū in sanctificationem, finē verò vitam æternam. *Vitæ piæ fructus.* En, hîc habes quid iustitia & pietas sit: nimirū sancta & gloriosa libertas, quæ cōscientiæ nostræ certam pacem, gaudiū & gratiā, honorē corā mūdo, diabolo fastidium pariat: Deo verò gratissima sit & delectabilis, & nobis denique salutem & æternam vitam adferat. Iam verò vide, vtrū ex his duobus tibi eligendum & amplectendum sit. *Eccl. 15.* Mors & vita, malum & bonū, ignis & aqua tibi apposita sunt: vtrūcunq; elegeris, id dabitur tibi. Si te verteris ad iniustitiam, expectandum tibi erit quod inde sequetur, nimirū inquieta conscientia, probrum, mors, & diabolus ipse, cui per iniustitiam

seruitur.

ſeruitur. Nã iſta omnia cohærent,& qui vnũ habet,omnia habet. Cæterùm ſi ad iuſtitiam te vertis, conſequeris certè omnia bona quæ inde promanãt;vt eſt,gaudiũ,pax,honor, vita,ſalus,& Deus ipſe. Paulus ſuadet nobis,vt iuſtitię ſeruituti nos dedamus. Ne quis autem retrocurrat,& dicat: Durus hic ſermo eſt,quis eum audire poteſt? Deo & iuſtitię ſeruire nimij laboris eſt,&c. hoc Paulus vult præuertere, mitigans ſeu temperans verba ſua,rem quã leniſsimè proponens. Humanũ dico (inquit) perinde ac ſi dicat: Homo, non eſt quòd hac mea doctrina graueris. Nõ ſum ex iis,qui grauia & importabilia onera faciunt,& hominibus imponunt,quæ ipſi tamẽ nullo digito attingunt. Scio te hominem eſſe & infirmũ. Poſſem quidẽ multa à te exigere (ſiquidem multa & magna Deo debemus,vt qui de nobis optimè meritus eſt) ſed ob imbecillitatẽ carnis veſtræ parco. Imò hoc ſolũ à vobis peto,vt Deo & iuſtitiæ tãtũ ſeruiatis ꝓ vita æterna,quantũ diabolo & peccato ſeruiſtis pro inferno & gehẽna. Atque hîc fateri vos ipſi cogimini,me nihil præter æquum poſtulare. Nam ſi diabolo tanto tẽpore,& tam fideliter ſeruiuiſtis,par eſt,vt quod reliquũ eſt tẽporis vitæ veſtræ,Dei ſeruitio nũcupetis. Neque impoſsibile aliquid à vobis requiro: nam ſi tot dominis,vel potius Tyrannis ſimul ſeruire potuiſtis,vtpote diabolo,mundo,carni, ſuperbiæ,auaritiæ,&c. poteritis etiã vnico domino Deo,eius adiuti gratia,ſeruire. Et ſi ſpes magnæ mercedis & lucri (ꝙ tamẽ nonnunquã incertũ eſt) omnẽ laborẽ leuem facit,cur tibi vera & certiſsima promiſsio Dei,omnẽ laborem non leuem faciat? Cogita porrò,quid fructus ſequatur,nullus tibi labor in ſeruiendo Deo & iuſtitiæ grauis erit. Habet enim pietas promiſsionem cũ præſentis tum futuræ vitæ. Quod quia ſic ſe habet,nullã excuſationẽ habebis: imò pudere te meritò debet,ſi de difficultate vel auſteritate huius doctrinæ conqueraris. Videte igitur fratres,quò tendat Paulus,& quomodo vrgeat bona opera,ita vt profectò oẽm excuſationẽ nobis ademerit. Quid enim prætexere poſſumus ad excuſandam otioſam noſtram vitã? Ais, Fides me iuſtificabit. Vtique Paulus fidem & Dei gratiã vehementer commendauit. Sed hîc vides,quantopere etiã iuſtitiam vrgeat: imò iuſtitiã,ad quã exercendam vti etiam membris noſtris poſſumus. Quare vocationem noſtrã conſideremus. Deus quidem promittit nobis ſuum amorem,curam,miſe-

Matth. 23.

1. Tim. 4.

Non tibi de ſola fide blandiaris.

ricordiam, benignitatem & omnia bona in hoc Euangelio: videamus, ne peccato & iustitiæ seruiamus, atq; ita nosipsos omnibus Dei bonis spoliemus. Deus nobis suam largiatur gratiam, Amen.

QUINTUS SERMO DE *historia simul & allegoria huius Euangelij.*



HODIERNVM istud Euangelium breue est in verbis, sed homini pio multa consideranda præbet, & multifariá ei conducere potest, vtpote ad cognitionem suiipsius, ad cognitionem Dei, ad confirmationem fidei, ad solatiũ in tribulatione, ad doctrinã, & denique etiã ad pœnã. Eæ autẽ oẽs res tales sunt, quæ nostra plurimũ intersunt, si modò Christiano nomine digni esse volem⁹. Atqui Euãgeliũ istud nobis ad hæc inseruire omnia potest: & prçterea etiã pulchrã allegoriam habet. Hæc ordine audiemus

Initio huius Euangelij videmus nostram paupertatẽ & egestatẽ in populo, quem Christus pascebat. Erant in deserto longè à suis domibus: nihil habebant quod manducarẽt: domus suas iam lassi assequi non poterãt: succũbendũ illis fuisset in itinere: nihil reliqui erat solatij, nisi à Christo expectandum. Hæ autem sunt conditiones, quæ nobis omnibus adhærent. Quis homine egenus magis? Quis sibi ipsi minus auxiliari potest quàm Ade filius? Quid in toto orbe sub sole est, quod homini suam famem & cupiditatem explere possit? Quis longius à sua domu & vera patria abest, quàm peccator? Tres dies in terris habemus: est ingressus in mundum, progressus in mundo, & egressus ex mundo. Pauperes & egeni venimus in mundum, quẽadmodum Paulus dicit: Nihil intulimus in mundum: laboriosè & ærũnosè viuimus in mundo, tristes & cum dolore emigramus ex mundo. Vbique nobis succumbendũ esset, nisi nostri Deus misereretur. Hoc vnũ est, verùm ad externam tantùm vitã pertinens. In anima multò magis egeni sumus. Omnes siquidẽ quotquot sumus, peccatũ nobiscum inferimus in terras, omnes filij iræ nascentes. Peccatũ autem diuidit inter nos & Deũ, quemadmodum Isaias dicit. Et nisi Christus ilicò interueniat ac prohibeat sua gratia, peccatũ nos semper longius abducit ab Deo: abducit à malis cogitationibus animo incidentibus ad consensum: à

Inopia hominis.

Tres dies mystici.

1.Tim.6.

Ephe.4.

Esa.59.

consensu

consensu ad opus, ab opere in malam consuetudinem, à mala consuetudine in necessitatem, vt putemus nos peccare oportere, nec continere nos posse: à tali necessitate ducit nos peccatum porrò in contemptum, vt Salomon dicit: Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. A contemptu venit in desperationẽ, à desperatione autem in infernum & condemnationem. Tum impletur quod Dauid dicit, Psal. 118. Longè à peccatoribu salus. Sic in filio prodigo compertum est. Is suam protervitatem ducebat in terram peregrinam, lõge à domu patris sui, vbi omnium bonorum suorum dispendium faciebat, & tantam patiebatur famem vt etiã siliquis vesci cuperet, quæ porcis dabantur. Qui tam longè à Deo recedit, per seipsum reuerti non potest: nimis longè abest à patria sua, nec inuenit quicquam quod illi famem sedare possit: imò nihil ibi videt, prȩter æternum exitium. Talis peccatorum status est, & conditio, si Christus nõ succurrat. Atque eius admonemur per populum, de quo Euangelium istud dicit. Sic possemus nosipsos cognoscere. *Prouerb. 18.* *Luc. 15.*

Porrò quando audimus quid Christus loquitur & facit in Euangelio, videre quoque possumus quid Deus sit. Misereor super turbam, inquit Christus, etiam non rogatus & monitus. Sed non contentus his verbis mox interrogabat suos Apostolos, quot panes haberent: & quod illis deerat, hoc ipse diuina sua virtute supplebat. En, hic habes quid Deus sit, faciat ac possit. Natura misericors est, opere beneficus, virtute omnipotens. Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatẽ, & scelera, atque peccata, clamabat Moyses, cùm Deus semel coram facie eius prætergrederetur. Omnem solicitudinem vestram (inquit diuus Petrus) proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël. Tu fecisti cœlum & terrã, & quicquid cœli ambitu continetur: Dominus omniũ es, nec est qui resistat maiestati tuæ, inquiebat Mardochȩus, Hester 13. cap. Nomen eius est Omnipotens, dicebat Moyses, Exod. 15. En, hæc omnia certissimè tibi de illo promittere debes. Non obliuiscitur suarum creaturarum, licet nos non recordemur illius. Dat nobis etiam non petentibus, & plus etiam quàm cupimus: & dare potest vbi nihil est: mul- *Deus quid sit.* *Exod. 34.* *1 Pet. 5.*

tiplica

tiplicare, vbi parum est. Hæc omnia vides in ista historia. Et sic te docet istud Euangelium etiam Deum cognoscere. Alterum hoc est. Vis porrò tertiò videre, Christum non solùm hominem, sed etiam verum Deum esse, contra omnem obiectionem & blasphemiam Iudæorum, Gentium & hæreticorum, rursum tibi propone Euangelium istud: ibi tale opus vides, quod certè nemo potuit vel adhuc potest facere, præter vnũ Deum: imò tale opus, in quo etiam olim Israëlitæ volebant experiri, an Deus ipsorum, qui eos ex Aegypto duxerat, verus & omnipotens Deus esset. Percussit petram
Psal.77. & fluxerunt aquæ (inquiebant) nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam in deserto? Equidem arbitror Christum hoc præstitisse & ostendisse in isto Euangelio, quẽadmodum suprà prolixè in alio sermone indicaui: abundè ergo se per hoc probauit verum Deum. Quid autem nobis Euangelium istud & historia solatij prębeat in omni necessitate & defectu, in alio itidem sermone demonstratum est. Hoc solatij præbet nobis, quòd nobis Deus etiam in necessitate & defectu auxiliari possit & velit, sed eo modo quo hic facit. Ducit populum primùm in desertum: deinde tacet,
Matth.14. donec hora, qua cœnare vt plurimùm moris est, præterlapsa esset: tum primùm quærit ex discipulis suis, quomodo populus pasci posset. Quia autem id discipulis impossibile videbatur, duabus de causis: primò quia pecunias nullas habebant, & longius à ciuitatibus aut vicis erant dissiti: deinde quòd panes quos habebant, non sufficiebant pro tanta multitudine, suadebant igitur, vt turbam dimitteret, ne fortè
Exod.17. fame periclitantes conarentur, quod Israëlitæ in Mosem conabantur, lapidaturi eum, ni cibum & potum eis dedisset. Post hæc omnia (inquam) dicit Christus: Afferte panes vestros, & deinde præcipite turbæ discumbere. Quæ omnia vbi facta essent, tum demũ pauit eos. Eodem modo Deus nobiscum agit: dando nobis vitam, etiam illud promisit,
Matth.6. quod ad sustentationem eiusdem pertinet. Nónne anima (inquit) plus est quàm esca? Perinde ac si dicat: Qui vobis maius, nempè vitam dedit, paruum, id est, cibum non denegabit. Certum autem est, quòd nos Deus alere velit. Sed ducit nos prius in solitudinem: differt nonnunquam opem suam vsque ad summam necessitatem, quò illius potentia tantò melius cognoscatur, vbi alioqui nullum auxiliũ amplius apparet. Vrgente necessitate, idem nobis accidit quod

quod Apoſtolis:hoc ſolùm conſideramus, quòd copioſa populi multitudo eſt,& panes pauci, hoc eſt, reputamus ſolùm nobiſcum,quòd domus noſtra liberis plena eſt:contrà verò, crumena & granarium vacuum : tum adeſt puſillanimitas, cùm ratio noſtra non videt,quò nos vertamus, & quomodo alere nos poſsimus.Cùm igitur ita fluctuamus, dicit Chriſtus ad nos:O vos paruæ fidei,an neſcitis me pro vobis curã gerere?An neſcitis,munus meum & opus eſſe alere & cõſeruare quod creaui? Quid igitur reſpicitis ad multitudinem prolium,& ad granarij veſtri vacuitatem? Cur nõ reſpicitis in me? Afferte mihi paucos veſtros panes: ſine me enim vobis nihil ſufficiet,quantumcũque etiam habeatis. Tantummodo ſedete,vacate veſtræ vocationi,pro reliquo curare me ſinite. En,hoc ſolatium eſt,quod nobis Euangeliũ iſtud prębet. Et hunc in modum loquitur Deus etiam in Iſaia: Quare dicis Iacob,Abſcondita eſt via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum tranſiuit?Nunquid neſcis, aut non audiſti?Deus ſempiternus Dominus,qui creauit terminos terræ:non deficiet,neque laborabit:nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius.Qui dat laſſo virtutem,& his qui non ſunt,fortitudinem & robur multiplicat.Perinde ac ſi dicat:Curam gero pro toto mundo & omnibus creaturis : & licet multæ ſunt, non eſt tamen mihi labor omnes alere & ſeruare : & quãuis hoc diu & iam ab initio mundi feci, non tamen defatigor. Age ergo,& tu me expecta:etenim vniuerſi qui ſuſtinẽt me, non confundentur. Et hoc quartum eſt, quod Euangelium iſtud nobis conſiderandum præbet. Ad hæc omnia, etiam doctrinam nobis præbet. Principio nanque,quando cogitamus,quàm comiter & compatienter ſe Chriſtus erga populum famelicum declararit, & quanta promptitudine ſancti Apoſtoli omnem ſuum cõmeatum in pane & cibo tradiderint,pulchrè ob oculos nobis poſitum eſt, quomodo etiam nos erga neceſsitatẽ patientes gerere debeamus. Imò ſi veri Chriſtiani ſumus,hic affectus potiſsimùm in nobis apparere debet,vt miſeria & neceſsitas pauperum corda noſtra moueat:imò vt non ſolùm affectum ſentiamus,ſed eum etiã cum effectu reipſa exhibeamus. De hoc quoq; ſuperius prolixius dictum. Quod porrò circa Euangelium iſtud diſcendum eſt,Chriſtus ipſe indicauit,cùm ad Iudæos,qui eum ob tam mirabilem paſcendi modũ Regẽ conſtituere volebant, diceret: Amen amen dico vobis, quæritis me: non quia vidiſtis

Eſa. 40.

Pſal. 24.

Erga miſeros vt nos geremus.

Ioan. 6.

distis signa, sed quia mâducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. hunc enim pater signauit Deus. En, hic docet nos Christus, vt per hoc corporale miraculum, etiam spiritualis cibi memores simus, idque in primis. Atque hic pulchris vtitur verbis. Primò, remittit nos à corporali cibo ad spirituale, dicens, eum nobis potissimùm quærendum esse. Neque tamen prohibet, quò minus pro corporali cibo laboremus. Non. siquidē hoc omni-
Gene.3. bus mandatum est. In sudore vultus tui (inquit Deus) vescê-
Psal.127. ris pane tuo. Sic vult & Dauid, vt labores manuum nostrarū
Ephe.4. manducemus. Imò Paulus vult, vt qui furatus est, iam nō furetur, sed potius laboret, operādo manibus suis quod bonū est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Alio in lo-
2.Thess.3. co dicit: Qui non laborat, non manducet. Christus communia illa media, per quæ nos Deus pascit, propterea non sustulit, quòd sui imitatores aliquoties absque labore eorum pa-
Luc.11. uit. Nequaquam. Qui promisit dare, iussit etiam quęrere & orare. Et nisi quæsieris, ac quod tuum est feceris, nihil acci-
Prouerb.3. pies, quantumcunque etiam Deus promiserit. Vtranque manum plenam habet. In dextera manu habet longitudinem vitæ: in sinistra manu, honorem & diuitias. Et semper paratus est dare, verùm non otiosis, sed laborantibus, quærentibus & petentibus. Quapropter quod Christus hic dicit, Operamini non cibum qui perit, contra eos solùm dictū est, qui aut nimium soliciti sunt ob temporalem alimoniam, quasi non posset Deus illos alere, nisi vndecunque iniusta bona ad se traherent: aut corporalem cibum tantùm quærunt, & nō animæ cibum. Atque ideo etiam nominat Christus corporalem cibum qui perit: verūtamen non solùm intelligit cibum, sed omnes res temporales, quæ quidem pascunt & fouent corpus, sed non durant. Summa, quicquid in mundo iucundum & desiderabile est, cibus est qui perit. Idcircò docet
Mat. 6. Christus, ne thesaurizemus nobis thesauros in terris, vbi æ-
1.Ioan.2. rugo & tinea demolitur. Porrò Ioānes dicit: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Mundus enim transit, & concupiscentia eius. Et Paulus, Gala.6. Qui seminat, inquit, in carne sua, de carne & metet corruptionem. Et Isaias cap.55. Quare appenditis argentum non in panibus? Operamini non cibum (inquit Christus) qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Hic cibus omne id est, quod

ad

ad vitam animæ seruit, vt gratia, iustitia, fides, charitas, &c. Hæc non pereunt. Imò etsi corpus corrumpitur, spiritualia tamen manent bona. Eò remittit nos Christus: ea ante omnia quærenda sunt. Hæc nobis Christus æquè dare potest, ac corporalem panem seu cibum. Et huc pertinet, quòd nos in sua oratione ante & post quotidianum panem spiritualia iubet petere. Atque vtinam vel dimidiatam partem curæ impenderemus rebus spiritualibus, quam impendimus temporalibus, nullam profectò in anima quoque inopiam passuri essemus. En, multa bona nos docet istud Euangelium. Hæc autem omnia nisi præstemus, istud adeò Euangelium sempiterna pœna erit in conscientia nostra, & graue testimonium contra nos. Hæc capita illa sunt, quæ litera huius historiæ secum fert. *Matth.6.*

Allegoria in Apostolis apparet: his commisit Christus, vt famelicum populum pascerent, & id quidem fecerunt. Ipse verò dedit eis panes. Et qui sunt illi panes? Vobis (inquit Lucas 8.) datum est nosse mysterium regni Dei. Et iterum Ioan.13. Vos dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Et rursum ibidem: Dedi illis verbum tuum. Et ad quid illis dedit? Vt illud dispensarent. Sicut misit me Pater (inquit Ioannes 20.) & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Et iterum: Ego elegi vos, vt fructum afferatis. Item: Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & vsque ad vltimum terræ. Vbi autem Christus hoc illis mandati dedit, ad panes suos distribuendos? Primò cùm illos conuocaret, & potestatem daret in omnes malos spiritus, atque etiam morbos, & regnum Dei iuberet eos annuntiare in terra Iudaica. Secundò, cùm eos in ascensione sua mitteret in vniuersum orbem prædicare Euangelium omni creaturæ. Tertiò, cùm per Spiritum sanctum diceret: Segregate mihi Saulum & Barnabã in opus ad quod assumpsi eos. Et quid Christum mouit, vt suis Apostolis hoc mandaret? Videns turbas (inquit Matth. cap.9.) quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Sed quomodo sancti Apostoli panes istos distribuerunt? Illi autem profecti (inquit Marcus cap.16.) prædicarunt vbique. Et iterum, Acto.2. Petrus stans cum duodecim Apostolis, dicebat: Certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis: *Sensus allegoricus.* *Panes mysticè.* *Ioan.15.* *Act.1.* *Matth.15.* *Mar.16.* *Act.13.* *Act.4.*

xistis: nec est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datū hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et rursus, Acto. 13. Paulus & Barnabas missi à Spiritu sancto, nauigauerunt Cyprum, &c. prædicantes verbum Dei, &c. En hunc in modum sancti Apostoli panē ipsis à Christo commissum in populum famelicum distribuerunt, non vno in loco, sed per vniuersum orbem, quemadmodum

Ioan. 6. etiā Dauid illud ipsum multò antè prædixit, in omnem terram exiturum sonum eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vnde consecutum est, vt non solùm quatuor millia, sed innumeri famelici homines sint saturati, vt Paulus

1. Cor. 1. etiā suis temporibus scriberet ac diceret, Gratias ago Deo meo semper pro vobis, quòd in omnibus diuites facti estis, in omni verbo & in omni scientia, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem domini nostri Iesu Christi, &c. Hæc dispensatio spiritualis cibi, durat in hódiernū diem inter nos Christianos. Et in hodierna Epistola indicat Paulus, quid hæc spritualis cibatio per Sanct. Apóstolos fructus in terris attulerit & adhuc adferat, nimirum quòd ea rectè vtentes redimimur à peccatis, Dei serui fimus, in hac vita sanctificationem, & in futuro tempore vitam æternam habituri sumus. En, hæc omnia in isto Euangelio præfigurata sunt. Vnde intelligere quiuis potest, quómodo Euāgeliū istud nobis inseruire ad multa bona posit. Faxit Deus, vt rem diligenter perpendamus.

SEXTVS SERMO DE Euangelio & Epistola.



IN hoc Euangelio supra modum consolatorium est, quòd Christus tam facilè támque citò, etiam tam paucis panibus tantam hominum turbam pauit, atque ita, vt non modò omnes explerentur septem panibus, sed etiā multum reliquum facerent, & plus etiam quàm fuerant antea panes. Hæc (inquā) supra modum cōsolatoria sunt. Multò autem plus cōsolationis habet, quod Christus apertè dicit, Misereor super turbā. Hoc verbū (inquā) multò plus cōsolatiōis habet, quàm ipsum per se opus. Primò propterea, quòd omnibus Euangelistis nō nisi bis inuenitur ac legitur, quòd Christus ita & corporaliter populū pauerit, primū quinque, deinde septē pánibus. In veteri quidē Testamē

to eiusmodi exépla plura inueniuntur, quàm in nouo. Summũ & gloriosissimũ fuit, ꝙ Deus Israëlitas in tãto numero & tanto tẽpore, nẽpe sexcenta millia virorũ, & totos quadraginta annos manna pauit. Alioqui quidẽ homines quosdam speciales etiã pauit mirificè & conseruauit. Vtpote Eliã primò per coruos, qui cibum ei ad tempus apportabãt: deinde quadraginta dies pane cinericio: viduã Sareptanam vnà cũ filio suo tres annos cum dimidio, perexigua farina & modico oleo: Danielem vnico pulmẽto, quod ei asportabat Abacuc. Quin etiam Mosem quadraginta dies absque vllo humano cibo, idq; non semel, sed bis. Cæterùm eiusmodi exẽpla non multa inueniuntur, ꝙ Deus homines nouis miraculis pauerit. E regione verò in tota Scriptura vulgatius, quàm ꝙ Deus misericors sit. Misericordia Domini (inquit Dauid, Psal. 32.) plena est terra. Et iterum Psal. 56. Magnificata est vsq; ad cœlos misericordia tua Domine. Et rursus, Psal. 102. Misericordia Domini ab æterno, & vsq; in æternũ super timẽtes eum: imò secũdum altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Secundò, multò plus consolationis habet in hoc Euangelio quod Christus loquitur, quã quod cũ miraculosa cibatione fecit. Opus talis cibationis magnũ quidẽ & consolatorium est, sed iampridẽ factum est & pręteriit. Sed, Misereor super turbam, semper manet, & vsq; in æternũ in animo Patris nostri cœlestis. Est enim hoc ex præcipuis quæ Scriptura passim de Deo prædicat, canit & dicit, nimirùm ꝙ misericors sit. Et quidẽ id depræhendimus, nõ in nobis solũ, sed etiam in aliis, ꝙ miseratio illius, omnia eius opera superat, vt Dauid ait Psal. 144. Atque hoc etiam summum nostrum solatium est, Quandiu enim scimus, Deũ miseriæ & necessitatis nostræ misereri, nullam desperãdi causam habemus. Quapropter verbum istud benè considerandum nobis est: imò gaudere hoc verbo quiuis Christianus meritò deberet, vbi Christus ait: Misereor super turbam. Etenim primò persona non vulgaris est, quę hoc loquitur: alioqui etiam vnusquisq; nostrûm compati potest pauperibus, & hæc verba dicere. Sed nõ propterea cuiusuis est auxiliari posse, tũ ętiam homo aliter loqui ore potest quã in corde habet. Hîc autem stat filius Dei, imò Deus ipse, cui omnia possibilia, & apud quẽ nullus est dolus: dicit se cõpati nobis & nostri misereri: imò non solũ dicit, Misereor super probos inter turbã: sed

Deut. 8.
1. Reg. 17.
3. Reg. 19.
3. Reg. 17.
Daniel. 14.
Deut. 10.

loquitur in genere, Misereor super turbã. Atqui non obscurum est, quis turbę sit status, non omnes scilicet, imò minorem vix sæpè partem bonos esse. Christus ipse dicit: Nonne
Ioan.6. ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus est? Et
Luc.17. ad Samaritanum: Nonne decem mũdati sunt? & nouem vbi sunt? &c. Sic & aliàs inueniemus in promiscua multitudine, quæ Christum quandoq; secuta fuit, ꝙ rarò vel nũquam eiusdem fuerint animi. Id quod Euangelistæ clarè indicãt. Alios enim fides & charitas impellebat ad Christũ, vt eum sequerentur, quemadmodum Lucas dicebat de piis nonnul-
Luc.8. lis mulieribus, quæ eum etiam à Galilæa Hierosolymam vsq; sequebantur, eiq; tẽporalibus suis bonis seruirent. Alij propterea aderant, vt audirent eum, quemadmodum Nico-
Ioan.3. demus faciebat: alij, de quibus Luc. cap. 15. dicit, ei appropinquabãt, vt eũ audirent, licet publicani & peccatores essent. Alij ob id tantùm sequebantur eum, ꝙ sperabant eum præbiturum semper eis victum sine ipsorũ cura & labore, quẽadmodum ipse dicit: Quæritis me, non quia vidistis signa,
Ioan.6. sed quia mãducastis ex panibus, & saturati estis. Alij sequebantur eum studio tantùm curiositatis. Sic vice quadam
Ioan.12. etiam Ethnici quidam veniebant videre eum propter nouitatem cupientes, quando tã multa de illo audierant. Hoc itẽ
Luc.23. animo videre eũ Herodes desiderabat. Alij sequebãtur eum
Luc.8. tantũmodo ex inuidia, si fortè ex ipso videre vel audire possent, quò occasionẽ captarent eum traducendi accusandíq;. Sic ergo imperfectorũ, qui tẽporalia in Christo quærebant, semper maior fuit numerus, quã perfectorum, quemadmodũ etiam aliàs semper palearum plus quàm tritici, & mali semper plures quã boni. Multi sunt vocati (inquit ipse Mat. 20.) sed pauci electi. Attamẽ illos hîc Christus non separat, sed dicit in genere, Misereor super turbam. Neq; enim nũc tempus iudicij est, sed misericordiæ. Ecce (inquit Paulus. 2. Cor. 6.) nũc tẽpus acceptabile, nũc dies salutis, de quo Deus per Esaiam cap. 49. dixit, tempore accepto se exauditurum nos, & in die salutis adiuturum nos. Quapropter etiam dicit hîc Christus in genere, Misereor super turbam. Alioqui quidem certum est & verum, quòd misericordiam suã Deus potissimùm corroborat super timentes se, quemadmodum
Rom.2. primò Dauid Psal. 102. dicit: & deinde etiam Maria confitetur & confirmat. Nihilominus verò, tamen videmus hîc Deum etiam peccatorum misereri, vt resipiscant.

Primò

Primò enim, an non insignis & mera misericordia est, ꝙ Deus non protinus pœnam infligit, sed cunctatur? Paulus certè magnæ gratię loco ducit: Ignoras (inquit) quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Secundò annon magnæ misericordiæ est, ꝙ Deus non solùm peccatoribus parcit, & pœnitentiā eorum expectat, sed etiam eis benignè facit? Annon tertiò magna gratia est & misericordia, ꝙ peccatores in gratiam recipit, quando ad eum ex animo conuertuntur? Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est (ait apud Ezechielem) & fecerit iudicium & iustitiam, omnium inquitatum quas operatus est, non recordabor. Imò in hoc Euāgelio habetur, ꝙ Christus eorum potissimùm sit misertus, qui de longinquo venerant. Et hi qui sunt alij, quàm qui à magnis peccatis ad Deum sese conuertunt? quippè magna hi opus habent misericordia, ne succumbāt, pereant, & moriātur in suis peccatis. Sed quid dicit Christus? Misereor super turbā: & quēadmodum hæc verba dixit, ita in animo sensit, imò sic opere declarauit. Hoc nobis circa Euangeliū istud considerandum est: meritò nos exhilarare hoc debet: hoc nobis etiam nunc & semper occasionem dare debet non solùm Deo gratias agendi pro eiusmodi beneficio, sed etiam tantò diligentiùs talem gratiam quęrendi: quandoquidē confiteri nos omnes oportet, nos sine Dei gratia in via succūbere & nihil posse, & neminem nostrûm sine Dei præsidio ad æternā patriam peruenire posse. Atq; ita opinor, videre quiuis posset, quàm magnum & exuberans solatium bonus Christianus ex hoc Euangelio haurire possit, quando cogitat, ꝙ Christus nō solùm tam citò, tam facilè, citra omnem laborem & iustitiam tantam multitudinem pauerit, sed etiam, quod maius est, interea & potissimùm, animum suum, & charitatem, & cōpatientiam erga nos ostenderit in verbo, vbi ait, Misereor super turbam. Et maximè, ꝙ in eo verbo neminem excludat, sed omnes comprehendat. Hîc liberet optare, vt non solùm Reges, principes, prælati cùm Ecclesiastici, tum seculares, vt qui Dei vicem gerunt, & Christo quàm simillimi esse debebant, sed omnes credētes hunc affectū & animū haberēt, talē charitatē & cōpatientiā erga alios homines sentirēt, vt verbū hoc semper in animo & ore haberēt, Misereor super turbā. Quis autē non videt, quā longè absimus ab hac

Ezec. 18.

Ioan. 17.

Inhumanitas nostra, notatur.

parte in omnibus statibus? Quàm pauci inueniuntur inter potentes, quibus miseria & necessitas pauperum cordi est? Quàm pauci inueniuntur in promiscua multitudine, qui sic compatiuntur afflictis suis vicinis, & conciuibus, quẽadmodum Christus fecit? Inter potẽtes nõ rarò Nemrod aliquis, fortis venator, hominũ helluo, aut Nero aliquis prodit: in promiscua multitudine semper inueniũtur qui Cain, Chã, & Esau similiores sunt, quã Abel, Sem & Iacob. Cain occidebat suum ipsius fratrem, Chã deridebat & dehonestabat optimum suum patrem, Esau persequebatur suum fratrem. Tales homines semper plures inueniuntur quàm boni.

Gen. 10. *Gen. 4.* *Gen. 9.* *Gen. 39.*

Non esset id mirũ, si in Ethnicis inueniretur: Quid enim Gẽtilis impius aliud cogitare & facere potest, quã quò eum diabolus, cuius mancipium est, trahit & impellit? In nobis autem Christianis non admirandum solùm est, sed grauiter etiam animaduertendũ, ꝙ tam longè ab exẽplo Christi discedimus: imò tantopere misericordiæ eius confidimus, & tamen nullam commiserationem erga proximum nostrum declaramus: ꝙ tam libenter audimus, quando Christus & Deus dicit, Misereor super turbam, & nos nihil huius affectus amoris pleni, nostris in pectoribus crescere sinimus & exurgere. Vult autem Christus, nos non solũ admiratores, sed etiam imitatores esse debere charitatis, & cõmiserationis, quam in nos ostendit: hoc est, nos non modò de eius charitate loqui posse debere, prędicare, canere, & eam laudibus vehere, vel etiã admirari, & ea gaudere, sed illum etiam imitari. Scitis (inquit) nimirùm, ꝙ ego vobis pedes lauerim dominus vester & magister, & ꝙ seruus non sit maior domino suo: sed beati eritis, si feceritis. Et iterum, Ioan. 15. Hoc mandatum meum, vt diligatis inuicẽ, sicut dilexi vos. Et Paulus: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.

Christo sumus dissimilimi. *Christus imitandus.* *Ioan. 13.* *Ephe. 5.*

Mirum itaque non est cum Euangelio isto talem Epistolam ordinatam esse, in quo Paulus ad eiusmodi imitationem Christi, vt modò dixi, mirificè hortatur & vrget. Humanum dico (inquit Rom. 6.) Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem, &c. Ea fuit hodierna epistola, pulchrè nimirum consentiens Epistolæ Dominicæ præcedentis. Siquidem

quidem in vtraque idem spectat Apostolus, licet multiuariis vtatur rationibus & argumentis. In illa superioris Dominicæ præcipuè vrgebat morte & resurrectione Christi, atque adeò etiam Baptismo nostro, in quo cum Christo peccatis emortui sumus, & simul cum eodem in nouam vitam resurgimus. In hac verò id vult, vt geminam eam seruitutem mutuò componamus, perpendamúsque quàm difficilis, periculosa, probrosa, pernicialis, & detestabilis seruitus sit, vitiis esse deditum & addictum: contrà autem, quàm honestum, laudabile, compendiosum ac salutiferum sit, Deo & iustitiæ militare. Hæc duo, inquam, Paulus à nobis considerari vult, & ita, vt apud nosmetipsos ponderemus, quid ex iis amplectendum, quid fugiendum nobis sit. Serui eratis peccati (inquit.) Hic vides peccatum esse seruitutem. Liberi eratis iustitiæ, porrò dicit. Hic audis periculosam esse seruitutem. Quem ergo fructum habuistis (ait tertiò) in illis, in quibus nunc erubescitis? Hic audis, ꝙ peccare etiam fœda & ignominosa sit seruitus. Stipendia peccati (inquit quartò) mors est. Hîc audis quod peccare etiam exitiosa sit seruitus. E diuerso dicit: Nunc verò liberati à peccato. Hic audis, ꝙ Deo & iustitiæ seruire, libertas sit, & honesta libertas. Habetis fructum vestrum (amplius dicit) in sanctificationem. Hic audis rem esse vtilem. Finem verò vitam æternam (ait tertiò.) Hîc vides ꝙ Deo & iustitiæ seruire, summa sit & certissima fœlicitas. Nunc verò res omnis in delectu posita est, atq; is nobis committitur, seruíne esse malimus, & cum omni nostra seruitute nihil aliud reportare quã probrum & mortem: an potius velimus liberi esse filij Dei, honorem & æternam vitam habere ac possidere. Hunc in modum pius ille Iosue olim populo suo optionem dedit, malléntne vero suo Deo seruire, an prophanis Gẽtium idôlis. sed mox subiicit: Ego autem & domus mea seruiemus Domino. Hic quod optimum erat eligere nouerat, & acceptare. Hîc vide, & considera quàm res sit insana in filiis Adæ, quòd tam cupidè ad peccatũ currant, vnde nihil aliud reportãt, quàm ignominiam & mortem: contrà verò tã tardè ad iustitiam adduci possint, vbi honorem & æternam vitam habere queant. Contra hoc scribit Paulus in hac Epistola, vtranque seruitutem peccati simul & iustitię, sibi inuicẽ opponẽs, suámq; admônitionẽ rectà eò dirigens, vt homo cogitet ita apud seipsum: Agè, si quidem res ita habet, auertam me ab

Peccatum seruitus.

Iosu. 24.

Amentia eorũ qui vitijs seruiunt.

eo,quod mihi non solũ probro,sed etiam incommodo esse potest:& amplectar id quod honorem & vitam confert. Si hactenus peccato seruiui,post hac Deo seruiam. Si antehac mea mẽbra internè dedidi seruituti peccati,dedã nũc ea seruituti iustitiæ. Si porrò antehac nullam cõmiserationẽ habui erga proximum meũ,sed multifariã illũ grauaui,exhibebo nunc illi charitatẽ. En,hoc quærit Paulus:hoc Christiani est:hoc exigit exemplũ Christi,vbi inquit,Misereor super turbã. Et hoc etiã verbũ istud Christi verè audiuisse dici posset,si nõ modò crederemus, sed in opus etiã cõferremus. Hoc verè esset Christũ accipere,si illũ non solũ tanquã Saluatorẽ & auxiliatorẽ,sed etiã tanquã nostrũ exemplum,cui nos cõformare debeamus,acciperemus.Deus nobis suam det gratiam,Amen.

Hoc fac, & viues.

SEPTIMVS SERMO DE Euangelio & Epistola.



LONGE alia hodierni istius Euangelij ratio est, quàm proximi, quod valde seuerum erat:istud autẽ prorsus cõsolatorium est. Illic mera præcepta erant,quæ homini carnali nõ ita multũ placent: hic autẽ mera est misericordia Dei. In illo Euangelio exigit Christus à nobis,hic dat.Vtrumque nobis præscriptum est,& vtrumque æquè in Ecclesia legitur,ea mente atque cõsilio,vt vnusquisque,pro vt ratio salutis eius postulat,vel necessariũ solatiũ,vel meritam reprehẽsionẽ & terrorẽ exinde haurire debeat.Quippe mundus horũ nihil verè habet,neque syncerũ solatiũ,neque timorẽ:gaudẽs vbi nulla gaudij causa est,timẽs & pauens, vbi nulla causa timoris & terroris est,vti etiã Dauid ait.

Psal.13.

Nostrũ autẽ Euangeliũ & verbũ Dei,est speculũ veritatis,afficit solatio & terrore,prout quisque cõstitutus est,nemini adulatur,neminẽ decipit.Qualis quisque est,talẽ in eo se inuenit.Si est pusillanimis,inuenit solatiũ:sin est animosus & æffrenis,habet quod illum terreat:idque adeò vt qui Euãgeliũ & verbũ Dei rectè legit,nunquã gaudebit cũ malefecerit,neque timebit,vbi timor nullus est. Id quod clarissimè apparet in duobus Euãgeliis,quæ iam proximè habuimus.Lege Euãgeliũ præteritæ Dominicæ,nunquã sine terrore eris & metu,etiã in rebus secundissimis. Lege hodiernũ istud Euangeliũ,nunquã pusillanimis fies, aut ani-

mum despondebis etiam in summa paupertate & miseria. Illic veram vides causam, quamobrem timere quis debeat. *Causa timendi.* Peccatum est. Hic veram vides causam, quam ob rem gaudere quis debeat. *Gaudendi.* Est Dei gratia & misericordia. Nusquam peccatum magis apparet, quàm cùm præcepta Dei nobis exponuntur: nusquam gratia Dei videtur melius, quàm in verbis eius & operibus. Ea autem in hoc Euangelio tam egregia & præclara habemus, vt optari meliora nō possint. Etenim quot verba in hoc Euāgelio sunt, tantū quoque solatij haurire quis ex illis potest. Rogas quomodo? Videmus in illo primò, ꝙ Christus sit Deus, & talis Deus, qui I
non solū creaturas suas conseruare possit, sed etiā de nouo creare quod nō est. Hoc autē quantū homini credenti solatij præbeat, alibi dixi. Tum passim in sacris literis exēpla inueniūtur, quæ illud demoustrāt. Videmus id in Dauide, Iosaphat, Ezechia, Mardochæo, Iuda Machabæo, Iudith, &c. ita vt summum eorū solatiū esset, cū cogitabant, necessitatis tēpore se Deū habere, qui in omni necessitate opitulari & erigere potest. Secundò videmus in hoc Euangelio, & II
certò persuasum habere debemus, Christū suorū nūquā obliuisci. Tertiò, quòd in omni tentatione illis adest & assistit. III.
Quartò, quod semper habet ꝙ det, etiā si aliàs vbiq; IIII.
inopia sit. Nā cellariū eius & arca semper plena sunt: diuitiæ eius æstimandæ non sunt: quātūcūque largitur, non habet tamē minus. Summa: semper nos alere potest. Quintò V.
videmus in hoc Euāgelio, Deū etiam non opus habere magno apparatu ad creaturas suas cōseruandas. Nā vt suos non in exercitu, nec in robore liberat, sed in spiritu suo, & *Zach. 4.* tam illi procliue est à multis hostibus liberare, quā ab vno. Domine (inquit rex Asa) nō est apud te vlla distantia, vtrū *2. Par. 14.* in paucis auxilieris, an in pluribus: tua omnis fortitudo, in tuo nomine habemus fiduciā, &c. Sic se habet etiā cū pastione: Deus paucis panibus æquè potest pascere, atque multis. Sextò videmus in hoc Euangelio, ꝙ Christus plus etiā VI.
dat, quā nos petimus, vel etiā opus habemus, quemadmodū populo quē pascebat, sportæ septē supererant fragmentorū. Denique quantūcūnque liberaliter dat, nihil tamē vicissim petit, quā vt illum agnoscamus, veneremur, colamus, atque ei etiam alijs in rebus credamus. A'non autē hæc omnia consolatoria sunt? maximè cùm sciamus, videamus, experiamúrque, quòd ista omnia adhuc quotidiè facit? Quādiu

enim in deserto huius mundi ambulamus,& in miseria huius vitæ hæremus,non desinit Deus misereri & benefacere, pascens nos corporaliter & spiritualiter:quod tamē ij potissimū sentiunt,qui illi obtemperant eúmque sequuntur. Mundus non credit,Deū omnia dare. Diues existimat & credit,diuitiis suis & tēporalibus bonis se ali,quas si cōgreget,nihil sibi deesse posse,quēadmodū ille in Euangelio,cū cellarium & horreū dilatasset,& omnia impleuisset,cogitabat intra se: Anima,habes multa bona posita in annos plurimos,requiesce,comede,bibe,epulare:ignarus quòd ipse tam parū bonis suis vsurus esset,imò quòd tam breui sibi moriēdum esset. Adhæc videmus, Deū quandoque multa largiri bona alicui,sed tantū ei nō permittit,vt de illis comedat, quēadmodū Salomon id multis ostendit. Est & aliud malū, inquit,quod vidi sub sole,& quidem frequens apud homines. Vir cui Deus dedit diuitias,& substantiā,& honorē, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat:nec tribuat ei potestatē Deus vt comedat ex eo,sed homo extraneus vorabit illud:hoc vanitas & miseria magna est. Si genuerit quispiā centū liberos,& vixerit multos annos,& plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ,sepulturáque careat:de hoc ego pronuntio quod melior illo sit abortiuus. Frustra enim venit,& pergit ad tenebras,& obliuione delebitur nomen eius. Non vidit solem,neque cognouit distantiā boni & mali,etiamsi duobus milibus annis vixerit,& non fuerit perfruitus bonis.

Luc.12. *Eccl.6.*

Contrà verò videmus & legimus,quòd Deus antiquitus aliquot homines mirabiliter pauerit,vbi neq; bona,neque pecuniæ erant,vt in Elia,Moyse,& aliis videre est. Et quid ita? Quò manifestū fiat,etiam in externa pastione verbum Dei plus facere quàm panem. Vtique certè viuit homo non in solo pane,sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Idcircò etiā Scriptura Deo assignat:illi honorem transcribit,quòd dat escam omni carni. Et certè quidem solus est, qui dat escam timentibus se,ídque in tempore opportuno, quemadmodum Dauid alio in Psalmo dicit. Vnde & eorum omnia oculi & corda in eo sperant. Quapropter etiam nos certam fiduciā habere debemus,nec dubitare, quin Christus adhuc adsistat nobis & inter nos,ac dicat, Misereor super turbam. Etenim sic nobis promisit, se fore nobiscum vsque ad consummationem seculi. itémque nobis testatus

Deut.6. *Psal.135.* *Psal.110.* *Psal.144.* *Matth.28.*

est,

est, Deum scire necessitatem nostram, & curam gerere pro nobis. Tum verò Paulus Heb. 4. apertè dicit, Christum esse talem nobis Pontificem à Deo Datum, qui compati nobis possit. Ideò factus est homo, ideò miseriam & calamitatem nostram expertus est, vt posset compati infirmitatibus nostris. Hoc solatium nobis præbet istud Euangelium, quod ipsum etiam in superioribus sermonibus prolixè indicaui: nunc saltem paucis repetere visum fuit. Enimuerò nunc tempus est, vt tali Deo opus habeamus: nũc Deum tali modo nobis proponere debemus. Quis alioqui non pusillanimis fiat his tẽporibus deploratissimis? cùm videt quid hac tempestate geratur, pauperibus fructus in agris perdi, illud autem quod collegerant, diripi: imò panem vnde viuere debebant, veluti è faucibus tolli? Contra eiusmodi pusillanimitatem nullum melius & certius solatium habere possumus, quàm hoc Euangeliũ: quod qui animo suo bene infixerit, nunquàm pusillanimis fiet, etiamsi rerum omniũ semel iacturam faciat: præsertim si reputet secum quod Christus dixit, Misereor super turbam. Hoc verbum memoria tenere cùm primis debemus: hoc verbum nos exhilarare præcipue debet: huius etiam verbi nunc potissimùm Christum admonere debemus, vt nostri misereatur, quemadmodum populi famelici in Euangelio misertus est. Atque vtinam possem hoc verbum omnibus mortalibus infigere. Cæterùm non credere id solùm, sed etiam exempli loco accipere debemus. Nemo dubitat quin Christus hæc verba locutus sit. nemo potest & debet dubitare, quin adhuc eius animi sit, nouerit ac sciat necessitatem nostram, & cupiat nobis auxiliari. Non est enim apud eum transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, quemadmodum S. Iacobus dicit. Creaturæ mutantur, & non Deus, semper manens qui est fidelis, verax, & fide dignus, seipsum negare non potens. Et hoc est, quod sæpe admonui, summũ nostrum solatium: scimus quòd Deum tam potentem, compatientem patrem, beneficum dominum, solicitum pastorem habeamus, qui non cessat necessitatem nostram considerare, nos amare, pro nobis curã gerere, nos alere & tueri. Hæc eius natura est, eámque retinet perpetuam: si modò nos eundem quoque animum haberemus, nos quidem ex promiscua multitudine erga conciues nostros, principes

Matth. 6.

Non credere tantùm, sed etiam imitari debemus.

Iacob. 1.

2. Tim. 2.

nostri & primates erga suos subditos, vt quilibet alterius miseriam & calamitatem miseraretur. O quantum mali per hoc intermitteretur? Quantum boni fieret? Quàm mox de pace cogitaturi essemus? Quàm libenti animo etiam nostrum priuatum incommodum passuri essemus, ne tot pauperes pessum irent? Quàm facilè concordiam inuenturi essemus in nostris Comitiis, Conciliis, & Congregationibus, si omnes eo animo accederent, vt cogitarent, Misereor super turbam? Isthic effici aliquid posset: alioqui si quisque cogitet solum, quomodo fastum suum, prosapiam & bona conseruet, vtut alioqui res habeat, nihil effici potest, etiamsi multò plura Comitia, & Concilia instituantur. Cæterùm si quisque remp. consideraret, iampridem omnia pacata essent. Sed hic affectus nō intrat in animos nostros. Hoc exemplum Christi nemo vult considerare. Exemplum Neronis plerisque multò magis arridet. Is omnibus suis præfectis hoc mandati dabat, Scis quid mihi opus sit: & hoc agamus, vt nemo quicquam habeat. Talibus Neronibus omnes congregationes, omnes Principum aulæ plenæ sunt, qui nihil aliud cogitant, quàm quid adhuc ad fastum ipsorum desideretur: vident tantummodo ne quid illis desit & pereat: imò vt hoc plus consequi valeant, haud existimantes vnde. Atque hoc pacto fit, vt populus semper in fame viuat & miseria sine omni solatio. Deus qui in cœlis habitas, isti mundo prauo hunc affectum & cor infunde, vt considerent etiam miseriam pauperum. Imò de cœlo prospice, & miserare populum tuum: quia super terram nemo est, cui curæ sit. Tibi Domine derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliuiscaris pauperum. Iudica pupillo & humili: non apponat vltra magnificare se homo super terram. Imò nisi tu opem tuleris, iam oportet nos succumbere in via. Non enim longè abest quod etiam dicetur de nobis: Nō habent quod mãducent. Vtinã saperemus & intelligeremus, ac nouißima prouideremus, & tantò ardentius clamaremus ad Deũ in cœlũ. Et erit hoc vnicũ medium hoc tēpore, (siquidē hominibus nō fidendũ, neq; misericordia neq; cōpatientia ab illis speranda est, neq; ipsi cuiquam parcunt) vt tantò magis Deo adhæreamus. Melius est

Neronis crudelitas.

Psal. 9.

me

me incidere in manus Dei (inquit sanctus Dauid, & post illum religiosa Susanna) quàm vt in hominum incidam manus: magna enim Dei misericordia & inæstimabilis, modò ipsi nõ obstemus, sed ita faciamus, vt decet probos ac morigeros Dei filios. Est enim hoc considerandum circa istud Euangelium. Si Christum volumus esse in nos compatientem, ac beneficum Patrem, illi nos adiungamus oportet, ei adhæreamus, eúmque sequamur. Cõuertimini ad me (inquit in Prophetis) & conuertar ad vos. Et iterum: Quæretis me & inuenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro. Plerique conqueruntur, & malè se habent in sua paupertate: irascuntur & murmurant, & tantùm non erubescunt dicere, sacram Scripturam falsam esse. Quinetiam Deo irasci libenter vellent, quòd non auxiliatur & noua miracula apud illos facit, haud vidẽtes seipsos in culpa esse, dum nõ ad Deũ, sed à Deo fugiunt. Frater, si vis, vt tibi Christus auxilietur, non ab illo, sed ad illum te fugere oportet, quemadmodum populus in hoc Euangelio fecit. Alioqui hanc tam admirabilem passionem nunquam sensissent. Imò licet multi homines in terris erant, nemo tamen hoc cibo gauisus est, prçter eos, qui Christo adhærebant eúmque sequebãtur. Quapropter Christum te sequi oportet, nec teipsum remorari. Christus nunquam fallet nos, si nos nobisipsis non fuerimus impedimento. De Dei queri misericordia nõ possumus, sed de nostra queri iniustitia rectè possumus. Hoc nos impedit in omnibus bonis. Nostra peccata auertunt à nobis bona, ait Hieremias: imò diuidunt inter nos & Deum, inquit Isaias cap. 59. Alioqui manus Dei nondum abbreuiata est, vt auxiliari amplius non possit. Non. Tam fortis est & tam bonus, quàm aliàs vnquam. Tantò diligentius hodiernam considerare Epistolam debemus, in qua nos Paulus tam diligenter hortatur ad seruiendum Deo, & iustitiæ. Cuius Epistolę summa tribus potest verbis comprehendi, tanquam dicere voluerit Apostolus: Iustitiæ ac pietati operam nauate, & à Deo habebitis quicquid volueritis. Estote sancti & integri filij Dei, & omnia vobis porriget. Dominus prope est, nolite soliciti esse. Non tantùm tẽporalia vobis dare vult, sed etiã æterna. Inquis: Quid igitur nobis faciendum, vt talem Deũ reseruare possimus? Respondeo: Deo & iustitiæ seruiendũ. Porrò rogas, quomodo illud fieri necesse sit? Respondeo: Membra tua assuefac ad bonum, quemadmodum ea prius assue

2. Reg. 24. Dan. 13.

Misericordia Dei vt concilianda.

Zach. 1. Hier. 29.

Vis frui benignitate Christi? imitare Christum.

Hie. 5.

Philip. 4.

Iustitia vt colenda.

assuefecisti ad mala. Si prius oculis tuis vidisti quę mala fuerunt, iam ad pauperes eos deflecte, &c. Verùm inquis, magni hoc laboris est. Responsum: Sine labore res non agitur. Sed tamen labor est tolerabilis: non erit tibi impossibilis. Si seruire peccato potuisti ex tuo proprio spiritu, poteris etiam iustitiæ seruire adiutus spiritu Dei. Membra tua tantùm & voluntatem eò accommoda, videbis tibi non impossibile fore. Alioqui nihil tam facile est, quod nō difficile fiat, si inuitus facias. Contrà, nihil tam difficile, quod si volēs ac lubens facias, non facile fiat. Cogita tibi non modò nō impossibile, sed etiam honestum ac vtile esse iustitiæ & Deo seruire: quemadmodum tibi etiā turpe & perniciosum est,
Roma.6. si peccato seruias. Fructus enim peccati est, ignominia: finis verò, mors & dolor perpetuus. Fructus verò & finis iustitiæ, est honor, sanctificatio, gaudium, vita, Deus ipse, & omnia bona. Hoc trahere Christianum ad pietatem debet. Ea
1.Timoth.4. enim ad omnia vtilis est (inquit Paulus) promissiones habens cùm præsentis tum futuræ vitæ. Deus nobis omnibus suam aspiret gratiam, Amen.

OCTAVVS SERMO ECCLESIÆ cantus, orationes, & adhortationes componit cum Euangelio.



IN præcedentibus sermonibus de hodierno Euangelio satis dictū est, quid depromere debeamus ex eo cùm iuxta textum & historiam, tum iuxta allegoriā. Hac vice audiemus quomodo cantus, orationes, & admonitiones, quę hodie in Ecclesia vsurpātur, cum Euangelio concinant. Quę cōsideratio haud inutilis erit: imò indicium dabit, maiores nostros Dominicalia Euangelia longè maiori studio considerasse, quàm nos nunc facimus. Nos solo auditu contenti sumus, illi verò auditu nō contenti, occasionem quoque exinde capiebant laudandi Deum, Deum orandi, atque etiam vitam emendandi. Euangelia, inquam, eorum fundamētum erant, quibus orationes suas & laudem Dei accommodabāt. Id quod omnes fatebuntur, qui rem paulò diligentiùs considerauerint. Hoc exemplum sequi meritò omnes Christiani debebant, & quasdam sibi preces laudésque Dei Euangeliis auditis elicere, formare atque exercere. Cuius rei singulis diebus Dominicis nobis forma datur & modus. Veteres Chri

Christiani nobis præiuerunt labore. Si ex teipso videre non potes, quomodo circa vnumquodque Euangelium orationem tuam, laudem Dei atque etiam vitam tuam instituere debeas, doceat te Ecclesia, vtere forma & modo, quem tibi Ecclesia præscribit: satis occasionis habebis orandi, Deum laudandi, nécnon vitam tuam Christianè instituendi. Quare nemini res non necessaria videri debet, quòd circa Euangelium etiam indicem, quibus in Ecclesia singulis Dominicis diebus, cãtibus, orationibus & adhortationibus vtamur.

Enimuerò primò æquum est, vt promiscua multitudo discat quid sibi velint quæ in Ecclesia geruntur. Quomodo alioqui vnanimes, vnóque ore, iuxta doctrinam Pauli, Deum orare & laudare possemus? Atque expediret id semper factũ fuisse, & adhuc idem fieri omnibus in locis. Ecclesiæ ritus & ordinationes nulla alia magis ex causa in eiusmodi contemptum venerunt, quàm quòd vulgus hominum ignorat quid significent. Et si illum desiderium aliquod & deuotio erga illa, quæ in Ecclesia geruntur, mouere debeat iterum, vnicum erit medium, vt illi clarè ostendatur, quæ sit eorum mens & significatio. Nam quî fieri potest, vt quis desiderio alicuius rei teneatur, si non intelligat? Quomodo res aliqua magni fieri potest non nota? Atqui in hoc Euangelio audiuimus, quòd Christus quatuor millia hominum septem panibus pauerit & exaturauerit, ídque nullius hominis hortatu aut instinctu, sed ex mera gratia & compatientia. Misereor super turbam (inquit.) Hoc miraculo & gratiæ opere primùm diuinam suã potentiam declarare voluit illis, qui eum hominem tantùm censebant. Deinde etiam omnibus suis seruis & imitatoribus per id consolationem dare voluit, nunquàm ipsis temporalem defuturam alimoniã, quatenus ipsum sequantur, & apud ipsum perseuerent. Ad hæc, etiam fidelibus suis indicare voluit, quòd eos etiam spiritualiter & æternũ velit pascere & cõseruare. Hæc omnia nobis in isto Euãgelio promissa sunt. Quid igitur iustius ad hanc rem pertinet, quàm quod hodie ex Dauide canitur: Omnes gẽtes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. Anuõ egenus meritò gaudeat, si ex aliquo audiat, qui ipsius paupertati & egestati, & velit & possit propediẽ opitulari? An non autem tali etiã gratias debet? Quis verò tam potens est, qui nobis in omni necessitate auxiliari possit? Quis tam bonus & benignus est, vt neminem desolatum relinquat? In hoc

Roma.15. *Mar.9.* *Psal.46.* *Psal.33.*

hoc Euangelio & videndum & audiendum se præbet. Is est
Psal.46. Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnē terram, de quo Dauid canit: Excelsus est in sua potentia, magnus est in sua bonitate. Misereor super turbam. Hîc vides, quòd sit mitis & benignus Dominus. Quatuor millia hominum pascebat vna vice sine difficultate. Hîc vides quòd sit potens Dominus. Quòd porrò Dauid dicit de illo, terribilē eum esse super omnem terrā, de malis accipiendum est. Suis est & manet excelsus Dominus in potentia sua ad auxiliandum illis, & Rex magnus in bonitate & misericordia ad necessitatem eorum considerandam. Meritò itaque sublatis manibus esse hilares debemus, Deúmque laudare. Vt autem videat vnusquisque, quomodo Deum circa istud Euangelium laudibus ornare debeamus, alius insuper Psalmus nobis proponitur ex sancto Dauide, ex quo veram habemus formam Deum laudandi. Benedicam te Domine in omni tempore (inquit Dauid) semper laus tua in ore meo, &c. Hæc verba quiuis Christianus circa hodiernum Euangelium dicere debet: sed interim etiam cōsiderare, quod statim sequitur, Gustate & videte quoniam suauis est Dominus, &c. Et postremò, quod Dauid sub finem addit: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Hæc tria, inquam, Christianus circa hodiernum Euangelium considerare habet, & exercere. Nimirum Deum laudare pro eo quod dedit, ac omnibus diebus dat: Deo fidere, & credere eum deinceps daturum quoque: Deum timere & præ oculis habere, qui suorum tam clementer rationem habet. Atq; hîc, meo iudicio, verus esset vsus huius Euangelij. Et qui hæc tria non discit ex eo, & exercet, nondum is sanè rectè illud audiuit. Iam verò nihil magis in votis habeo, quàm meam conferre operā, vt multos fructus ex Euangeliis nostris referre possemus, & ne yllum sine fructu abiret nobis: quippe cùm ad nostram vtilitatem, imò ad æternam nostram salutem literis prodita sint & prædicentur. Annon autem esset ingens vtilitas, si vna vice & ex breui Euangelio discere possemus, Deum laudare, Deo piè fidere, & Deum timere? Inquis: Quomodo id ex eo discam? Enimuerò neque de laude Dei, neque de fide, neque de timore Dei loquitur. Agè, breuem tibi dabo instructionem, quomodo Euangeliū istud ad eiusmodi res inseruire possit. Primò, non solùm ob oculos nos ponere oportet, quid Christus hac vice miraculi in populo fame periclitante

Deus malis terribilis, piis benignus.

Psal.33.

Tria consideranda.

I. II. III. (beside: exercere. Nimirum Deum laudare… / omnibus diebus dat… / turum quoque…)

tante fecerit, ídque ex mera compatiētia & commiseratione: sed considerare præterea, quomodo & à quo etiã nos hactenus à famis necessitate seruati simus. Cõperiemus nimirum, quòd is ipse nos pascat, qui illos pauit: & quòd in hac nostri pastione primùm gratiam suam & amorem, deinde etiam diuinam suam potentiã & miracula non minus in nobis declaret, ac in illis declarauit. Oculi omnium in te sperãt Domine, inquit Dauid, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Et iterum: Dante te illis, colligent. Et quis dare posset, nisi Deus? Quid curæ nostræ possent, nisi Deus pro nobis curaret? Quid labor noster posset, nisi Deus daret incrementum? Vnde terra vim suam haberet multiplicãdi semen, & tanto cum fœnore reddendi, nisi id Deus sua benedictione fœcundasset? Nullus igitur alius est præter Deum, qui etiã nos pascit. Sed id solùm propterea facit, quòd commiserationis affectu erga nos tangatur. Misereor super turbam (inquit Vnigenitus filius Dei:) quo docet, etiã in Deo nihil aliud esse, quàm merã charitatem, cõpatientiam, seu misericordiam erga nos, quatenus illi (Christo) credimus & per charitatē adhæremus. Qui videt me, ait idē ipse, videt & Patrē. Cùm itaque audis hîc, quòd Christus miseretur populi famelici, idē à Deo speres licebit. Nemo quidē Deũ vidit vnquam, sed Vnigenitus filius Dei manifestauit nobis, quæ spes à Deo nobis esse posit. Agè ergo, duo illa iã habemus, quòd Deus nos pascit, idque ex cõpatientia & misericordia. Scit enim figmentũ nostrũ, & quibus egeamus. Tum verò tertium quoq; manifestum euadit, quòd nos æquè miraculosè pascit, ac in Euangelio fecit, si res bene expendatur. Septem panes exiguus cõmeatus erat pro quatuor millibus hominum, attamen omnes ex iis comedebant, saturabãtur, & plus illis supererat, quàm primò habuerant. Sic Christus panes multiplicauerat sua benedictione. Semen quod in terram proiicis, exiguum sanè est, si cum illo conferas, quod tempore messis in horreum cõuehis. Imò manibus spargis, plaustris onustis iterum illud colligis. Sic Deus multiplicat etiam nobis dormientibus. Imò si consideramus hominum multitudinem, & quãtum vnus homo per annum fructuum absumat, sique consideramus, quàm multæ regiones sint, vbi fruges nullæ crescunt, quantum fructuum nonnunquam pereat & dissipetur in agris, in granario, per ignem & aquam, per clades, per vermes, comperimus omnes prouentus

Psal.144.
Psal.103.
1.Corin.1.
Ioan.14.
Ioan.1.
Psal.102.

uentus nostros nihil aliud esse, quàm septē panes ad septem milia hominum: attamen omnes ex iis comedimus, saturamur, & adhuc superest. Eiusmodi miracula Deus adhuc quo-
Augusti. tidiè facit: quāquàm ea nemo pro miraculis agnoscit & acceptat, quia quotidie fiūt. Si raró, aut non nisi semel fierent, æquè admiraturi essemus, atque illud quod Christus in hoc Euangelio fecit. Quia ergo manifestū est, quòd nos Deus pascit, idque ex cōpatientia & mirabiliter: & non semel, sed sæpe, non vnū diem, sed per omnem vitam nostram: æquum
Psal. 33. certè est, vt vnusquisque & pro seipso cū Dauide dicat: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et deinde alteri acclamet: Magnificate Dominū me-
Ibidem. cum: & exaltemus nomen eius in idipsum. Gustate & videte quoniā suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo. En, hoc pacto nobis Euangelium istud occasionem dare posset laudandi Deum. Fidem nostram & fiduciam erga Deum,
Isa. 59. similiter confortare potest, quandoquidē scimus Deum æternum manere, qui est. Ego Dominus (inquit) & non mutor: & quòd manus eius non abbreuiatur, neque potentia eius decrescit, sed quod semel fecit, id facere semper potest: imò quòd omnium operum suorum hanc causam indicat & reddit, vt sciatis quia ego Dominus. Sic itaque Deus omnia sua opera propterea facit, vt ex iis cognoscatur tanquā verus & vnicus dominus in cœlo & in terra, & nos etiā eorū operum vnum habeamus in hodierno Euāgelio, certè iterum nobis occasio data est, Deo fidēdi, & in nulla necessitate de illo dubitādi. Atq; hoc pacto posset nobis istud Euāgelium etiam fidem nostram & fiduciā corroborare, vt omnes læti ac ala-
Psal. 33. cres ad alios dicere possint: Gustate & videte quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo. Itémque: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ nō confundentur. Tertiò, quoniā audimus, Deum adhuc quotidie apud nos facere quod semel in hoc Euangelio fecit, & nos etiam
Amandus, timendus, colēdus Deus. similia in futurum nobis confidenter possimus promittere: imò quia omnia bona ab illo habemus, omniáque bona ab illo expectamus, certè æquum est, vt illum præ oculis habeamus, talem patrem amemus, talem dominum timeamus, & talem Deum colamus. Timete dominum, ait Dauid Psal. 33. omnes sancti eius. Addit præterea ad quid conducat: quo-
Psal. 32. niam non est inopia timentibus eum. Et in alio Psalmo:
Psal. 127. Oculi Domini super metuentes eum. Et iterū Beati omnes qui

qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Huc pertinet hodierna Epiſtola, quę nihil aliud habet, quàm ſeriam exhortationem ad timendum Deum, & ſeruiendum iuſtitiæ. Pulchrè itaque ad hodiernum Euangelium adiuncta eſt: quin hîc demum rectè diſcere poſſumus, quomodo nobis miraculum iſtud vtile facere poſsimus. Tria hic faciēda
ſunt. Primò conſiderandum in famelico populo, quales fue- I.
rimus, priuſquam Deus miſereretur noſtri. Secundò in be- II.
nigniſsimo operis Chriſti contemplatione perpēdendum,
quid etiam nobis gratiæ exhibuerit. Et tertiò, omnis adhi- III.
benda diligentia, ne rurſum ex tali gratia excidamus. Hæc omnia indicat nobis in hac Epiſtola Paulus. Primò probat, nos fuiſſe populum illum famelicum, qui de longinquo ad Chriſtum venit, cuiq; haud dubiè pereundum fuiſſet, niſi Chriſtus fuiſſet auxiliatus. Quid magis famelicum anima, quæ Deo caret, eiúſq; gratia & conſolatione vacua eſt? Quis longius diſtat à Deo, quàm peccator? Noſtra peccata (inquit Iſaias cap. 59.) diuidunt inter nos & Deum. Et Dauid Pſal. 118. Salus longè à peccatoribus. Atqui dicit Paulus in hac Epiſtola, nos non tantùm peccatores, ſed etiam ſeruos peccati fuiſſe: atque ideò nobis nihil congruiſſe magis, quàm Dei iram, pœnam & mortem. Stipendia enim peccati (inquit) mors eſt. Tam longè aberamus à Deo, & tanta tenebamur fame ac inopia, non panis, ſed diuinę gratiæ & iuſtitiæ. Chriſtus autem noſtri miſertus eſt, & nobis talem gratiam declarauit, vt nūc à peccatis liberati, ſerui ipſius ac miniſtri ſimus facti, fructum noſtrum habentes, nimirum ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Hæc eſt miſericordia, quam nobis Chriſtus declarauit. Quia verò eiuſmodi bona per noſtram ingratitudinem facilè amittere poſſemus, inſignem Paulus adhortationem facit, nimirum vt membra noſtra tradamus ſeruituti iuſtitiæ, quēadmodum illa prius tradidimus ſeruituti peccati. Atq; hoc pacto, opinor, videre quiuis facilè poſsit, etiam hanc Epiſtolam pulchrè ad hodiernum Euangelium adhibitam eſſe. Eccleſiæ oratio quartum eſt, eôdem ſpectans & ſeruiens. *Deus (dicimus) cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, te ſupplices exoramus, vt noxia cuncta ſubmoueas, & omnia nobis profutura concedas.* Optimè precatio hęc quadrat ad hodiernū Euāgelium, indicans nobis primò, quid potiſsimū in Euangelio obſeruare debeamus, docens nos etiam poſtea, quomodo illo vti

Peccator quā miſer.

Rom. 6.

Precatio Eccleſiæ.

vtiliter possimus ac debeamus. Quid aliud videmus in hoc Euangelio, quàm prouidentiam Dei, quæ omnia disponit, neque vnquam fallitur? In verbo, Misereor super turbam, Dei vides prouidentiam. Etenim hic audis, quomodo Christus omnia præcogitauerit & perpēderit, nimirum quòd multitudo populi non haberet quod mãducaret, vt qui longè aberant à suis domibus, vt illis Apostoli subuenire nõ possent, & quòd in via succubituri essent, si ieiunos eos ita dimisisset.

Prouidentia Dei. Hoc est prouidentia Dei. Sic omnia à Deo prouisa sunt & ponderata: quæcunq; in terris fiunt & fient vsque ad consummationem seculi. Nostri oculi tam procul prospicere non possunt. Deo autem conspicua sunt omnia. Omnia sunt nuda & aperta oculis illius. Omnes capilli capitis nostri apud eum numerati sunt. Domine (inquit Dauid, Psal. 138.) tu cognouisti sessionem meã & resurrectionẽ meã. Quare igitur dicit Sion (inquit in Isaia cap. 49.) Dominus dereliquit me, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Hæc omnia confirmata sunt in isto, Misereor super turbam (inquit Christus) scio enim quid illis desit, & melius multò quã ipsi. Et quomodo exẽplũ habere melius possemus diuinæ prouidẽtię? Quòd autẽ eiusmodi prouidẽtia Dei in sua dispositione nõ fallatur, ex hoc etiam Euãgelio demõstrari potest. Christus iubebat, populũ sedere: perinde se gerebat ac si pascere eos vellet. Nec videbat tamẽ quisquã, quomodo & qua re id posset facere. Erat enim populi magna multitudo: tũ Apostoli nõ plus cõmeatus habebant, quàm septẽ panes. Hæc est dispositio prouidentiæ Dei. quicquid ab æterno apud illum cõstitutum, cognitum & perpensum est, id etiã disponere nouit ad suam gloriam & nostram vtilitatem. Sed tam humilia interdum sunt principia, vt dubitet quis, num secuturus sit euentus. Exempli gratia: Abrahę & semini eius dare volebat terram Chanaan pro hæreditate, sed per omnem eius vitam vagari illum in ea sinebat tanquam peregrinum, & non illum solùm, sed etiam filium eius Isaac, quin etiam filij eius filium Iacob, vt nihil proprij in ea terra haberent aut consequerentur, quàm partem agri, in quo sepulchrum suum habebant, & id tamẽ mercari argẽto cogebãtur. Hæc certè nihil magnificũ prę se ferebat dispositio. Sic etiam Israëlitas ex Aegypto liberare volebat. hæc erat eius prouidentia: sic constitutum

Heb. 4. Luc. 12. Gen. 12. Gen. 23. Exod. 3.

tutum & decretum erat. Sed humiliter admodum negotium incipiebat, mittens non nisi vnum virum, eique nihil aliud dans in manus quàm baculum. Imò eo ipso viro vtebatur, qui antea in suo ipsius negotio fugam inire coactus fuisset. *Exod. 2.*

Humanum genus Deus quoque redimere volebat ab æterna morte: apud illum deliberatum erat & conclusum: & ad id mittebat quidem filium suum, verùm nulla externa potentia, seu in summa humilitate, eúmque in crucem suffigi sinebat. Et quis cogitasset, ꝙ talis efficere aliquid potuisset, in re præsertim tãti põderis? Sic facit etiã hîc, significãs se pascere velle populũ, cũ tamen neq; panes, neq; pecunias haberet: ita vt populus cogitare potuisset, Quid hic faciet? quid conatur? Promittit nobis se nos pascere velle, quod tamen impossibile est, &c. Veruntamen inuenimus, ꝙ prouidentia Dei in sua dispositione non fallitur. Populus enim comedebat & saturabatur, & multum supererat adhuc. Sic etiam Abraham non est frustratus terra Chanaã: quod ipse non accipiebat, hoc familia eius consecuta fuit. Ita quãtumcunque imbecilius Moyses videbatur, attamen liberabat populum ex Aegypto. Idem actum cum Christo est, qui quantumlibet contemptus erat, nos tamen liberauit. Non ergo sine causa factum, quòd in hodierna Ecclesiæ oratione Deo eum honorem tribuimus, ꝙ prouidentia eius in sua dispositione nũquam fallatur. Hinc tantò certius orare possumus ac dicere: Deus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas. Hæc duo docemur hodie orare circa hodiernum Euangelium & Epistolam, atq; ea interim exerceamus & in vsu trahamus. Andis quidem in Euangelio ꝙ Christus miseretur & dat: sed tu rogare attentius debes, vt det tibi quæ profutura sunt. Audis præterea in Epistola quòd Paulus enumerat miseriam, in qua iacuimus: roga erga Deum, vt noxia cuncta à te submoueat, præcipuè peccatum. Alioqui enim nihil homini nocere potest peccatum non habenti, quemadmodum alia habet precatio Ecclesiæ: Nulla nocebit aduersitas, si nulla nobis dominetur iniquitas. DEVS det nobis suam gratiam, Amen.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN, EVANG. MATTH. VII.

CAuete verò vobis à pseudoprophetis, qui veniũt ad vos in vestitu ouiũ, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructibus ipsorũ agnoscetis eos. Nũquid colligunt de spinis vuas? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: putris autem arbor, fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor putris fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem coniicitur. Igitur ex fructibus ipsorum agnoscetis eos. Non quisquis dicit mihi: Domine domine, introibit in regnum cœlorum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI ROM. VIII. CAP.

FRatres, debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Nam si secundum carnem vixeritis, moriemini. Quòd si spiritu facta corporis mortificetis, viuetis. Etenim quicunq; spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Idem spiritus testatur vnà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei.

Quòd

Quòd si filij Dei, igitur & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

PRIMVS SERMO DE *initio Euangelij.*



VULGARI quidem inter nos sed verissima fertur sententia, Bonum amicum omni præstare auro & argento: quin multò satius esse, sine pecunia, quàm sine amico viuere. Hinc apud mundi sapientes prouerbium est, Vnus Deus, plures amici. Etenim vbi boni amici, ibi bona & diuitiæ. Vnde concludunt, fidum amicum necessariũ magis esse, quàm ignem aut aquam. Et ita res planè habet. Nam nemo tam diues aut potens est, qui non aliquando bonorum amicorum consiliis, ope & admonitione opus habeat: quin sępè aliquis in magna pericula & damna, imò etiam in mortem casurus esset, si non haberet amicos, qui illum monerent. Rectè itaq;, benè veréq; dictum est, Boni amici esse fœlicem occursum. Vnum deest, ꝙ fidorum amicorum pauci inueniuntur in mundo. Tantò gratius nobis esse debet, cùm audimus in nostro Euangelio, ꝙ Deus nobis fidum amicum de cœlo miserit, nimirum vnigenitum filium suum: & quòd filius ille Dei, fidem suam & amicitiam perfectissimè & in summo gradu erga nos declarauerit: idque non solùm verbis & beneficis operibus, sed etiam patiendo ac moriendo. Lege illius opera, attende ad ipsius verba, haud in illo aliud inuenies, quàm longè fidissimum amicum, qui nos ex animo dilexerit, & in omnibus rebus vtilitatem nostram quęsiuerit: nec intermiserit quicquam, quod ad salutem nostram conducat. Etenim primò, veritatem nobis manifestauit, & mendacium detexit. Secundò, viam nobis salutis
I.
indicauit, & omnia impedimenta sustulit. Tertiò, quoque
II.
consolatione nos & prædicatione gratiæ exhilarauit, & ma
III.
gnis promissionibus confortauit. Quartò, præceptis nos
IIII.
instituit, & exemplis erudiuit. Postremò, ne quicquam pręV.
termitteret, futuri quoq; periculi nos admonuit, quemadmodum cũprimis in hodierno videmus Euangelio. Et quid posses vel ab optimo amico tuo amplius postulare? Summè igitur miserandũ deplorandúmq;, ꝙ ex tã magna charitate & gratia tam parũ aut nihil meliores reddimur, licet quo-

Eccl. 9.
Amici boni quanta vtilitas.
Fidus amicus, rara auis in terris.
Christi erga nos fides & charitas.

ridie de illa audiamus legamúsque. Id autem non aliunde fit, nisi quòd animum nostrum ei rei non dedamus, sed ex consuetudine solùm audiamus, & cum tædio, haud amplius postea memores. Hinc fit, quod multum & omni die audiamus,
2. Tim 3. nec vnquam tamen profectum faciamus. Quotidie discimus, nec tamen vnquã ad cognitionem veritatis peruenimus. Omitto nunc, quòd via nostra talis est, tanquã de Euãgelio & Christo nunquam audiuissemus. Quapropter (vt timendum) in multis impletur, quod Christus in Isaia con-
Esa.54. queritur: In vanum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meã consumpsi. Quã ob rem pro initio huius sermonis vos admonitos volo, vt verba hodierni Euangelij cum diligentia consideretis. Quorsum enim alioqui bonũ consilium, si ei non obtẽperetur? Atqui monet nos Christus in hoc Euangelio fideliter, prædicens quid periculi nobis imminebit, idque omne verbis tam expressis, vt nemo possit prætexere, se non monitũ. Idcircò Euangelium hoc aggre-
Hiere.6. diemur. Principiò autẽ necessarium nobis erit, vt consiliũ Hieremiæ sequamur, quod olim suis dabat Iudæis, monens ac docens, vt interrogarent de semitis antiquis. Sic etiam nobis necessarium est, vt verũ intellectũ, quẽ Christus spectauit, quæramus, nec quiuis proprium intellectum pro suis affectibus fingat. Non hoc temerè dico. Nam primò Euangeliũ istud ex iis vnum est, quæ pro cuiusque opinione torquentur, quia vnaquælibet pars tam veterum quàm nouorum Christianorũ (vt nunc vocantur:) imò etiam sectarij alij contra alios iis vtuntur. Secundò, vix est Euangelium toto anno, circa quod huius temporis plerique prædicantes & scribẽtes, suos affectus, hoc est, iram, inuidiam, indignationẽ, & animos acerbos crassius declarent. Vnusquisque enim Euãgelium hoc in alios detorquet & interpretatur, vocans alios lupos & animarũ laniones, & enumerãs seu obiiciens aliis malos fructus eorũ quã contumeliosissimè, & exaggerans eos supra modũ. Quid autẽ fructificant eiusmodi prædicationes, aut ad quid aliud conferunt, quã quòd per hoc auditores incẽduntur instigantúrque contra aduersarios, & compotoribus inter vini pocula occasionem præbeant, nunc hos nunc alios calũniandi? Atqui multò præstaret, vt priuatos nostros affectus, proprium emolumẽtum, fauorẽ & odium, iram & liuorẽ seponeremus, & sentẽtiam huius Euangelij vnanimes quæreremus. Nihil enim Christus

ſtus in hoc Euangelio ſpectauit minus,quã alicuius famam denigrare,aut auditores ſuos cõtra quẽquam inſtigare aut exaſperare , ſed diſcipulos dũtaxat ſuos præmonere. Facit autẽ Chriſtus tria in hoc Euangelio. Etenim primò annunciat præmonendi more pſeudoprophetas venturos,docens ſimul,quibus notis eiuſmodi pſeudoprophetæ agnoſci debeant ac poſsint. Et poſtremò,quò omnes in eiuſmodi rebus melius iudicare poſsint,ſummã & præcipuam ſententiam Chriſtianæ doctrinæ vno verbo cõprehendit. Et ſi rem penitius introſpicimus,totum Euangelium eò deſtinatum eſt:primò,ne nos Chriſtiani vnicuique fidem habeamus facilè, aut quãlibet doctrinã recipiamus: deinde in doctrina aliud quæramus & conſideremus,quàm veritatem & ſalutẽ noſtrã, non priuatos noſtros affectus,neque temporale aliquod commodum aut emolumentũ. Tertiò,vt de fide noſtra & Chriſtiana doctrina tam certi ſimus , & tam fortiter ei inhæreamus,vt ne angelo quidẽ de cœlo (vti Paulus loquitur) credamus,aliter nos docturo. Et poſtremò,vt eiuſmodi noſtrã fidem & Chriſtianam doctrinã,non ſolùm intellectu capere ac retinere debeamus,ſed etiã ipſo opere & factis declarare. Hæc vult Chriſtus in iſto Euangelio docere: quæ ſi obſeruarentur,meliorẽ Eccleſiæ faciem & ædificationẽ reducere poſſent. Primò igitur,cùm verba Chriſti inſpicimus,videtur Chriſtus loqui de Iudaicis Phariſæis, dum nõ dicit,Venient:ſed,Veniũt,in præſenti,tanquã ſignificet,ꝙ iam præſentes erant. Et certè dubitare nemo poteſt ac debet,quin Chriſtus illos Phariſæos intellexerit. Erãt enim veri lupi eo ipſo,quòd populũ à Chriſto abſtrahebãt, perſuadentes ſimplicibus,legẽ ſufficere illis ad felicitatem, nihil ad eam opus eſſe Chriſto,quæ omnium pernicioſiſsima erat ſeductio. Atque ideo etiã dicebat Chriſtus alio in loco de illis:Sinite illos,cæci ſunt,duces cæcorum. Et iterum:Cauete vobis à fermento Phariſæorum. Chriſtus itaq; per falſos prophetas primò & ante omnes alios , Iudaicos Phariſęos intellexit : neq; tamen eos ſolos,ſiquidem & aliis in locis de futuris ſeductoribus loquitur:Surgẽt pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, &c. Similiter & Petrus ait: Fuerunt pſeudoprophetæ in populo,ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces,qui introducent ſectas perditionis,&c. Et Paulus, Ego,inquit,ſcio,quoniã intrabunt poſt diſceſsionẽ meã lupi rapaces in vos,nõ parcentes gregi,&c. Ex his vtiq; ver-

Marginalia: I. / II. / III. (beside the three points); Euangelij huius ſumma.; Gal. 1.; Matth. 15.; Matth. 16.; Matth. 24.; 2. Pet. 2.; Act. 20.

bis clarissimè videre est, quod Christus non solũ de Iudaicis Pharisæis locutus sit. De illis enim, quia extra sanctam Christianã Ecclesiam & cõmunionẽ sunt, non est quod periculum aliquod pertimescamus. Alij in eorũ locum successère, ii'que non pauci, qui & inter nos sunt. Ab iis nobis immi net periculum. Rogas, qui illi sunt, à quibus cauere nos iubet Christus? Primò, loquitur Christus non de præstigiatoribus, ariolis, magicis, astrologis, & id genus aliis, qui nunc ex his, nunc ex aliis signis & obseruationibus futura prædicare conãtur. De his (inquã) nõ loquitur Christus: sed potius de peruersis prædicatoribus, qui propterea Prophetæ appellantur in sacra Scriptura, quòd verbum Dei profitentur & prætexunt. Falsi autẽ vocantur, & sunt, eò quòd aut verbũ Dei adulterãt, aut suũ sensum & commentũ pro verbo Dei tradunt. Ab huiusmodi hominibus periculum nobis timendũ est. Etenim verbũ Dei animi cibus est, sine quo anima viuere nõ potest. Quemadmodũ ergo qui corporalem cibum aut nobis penitus subtrahit, aut eum nobis veneno inficit, certò nos ad corporalem mortẽ promouet: ita etiam, qui nobis verbũ Dei aut prorsus tollit, aut erroribus adulterat, is occidit animam nostram. De talibus animarum occisoribus Dauid multũ conquestus est in Psalmis suis, & præcipuè vbi ait: in Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montẽ sicut passer? Perinde ac si dicat: Vos pseudoprophetæ, nunc huc, nunc illuc me remittitis: nũc hoc, nũc aliud mihi promittitis: ego autem in Domino confido, & non in mõtibus vestris quos mihi monstratis. Mox subiicit: Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerũt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. Per arcum intelligit linguã: per sagittas verò, verba pseudoprophetarũ: illis namque vulnerant & interimunt animas rectorum corde, nec tamen apertè, sed clàm. Videntur quidẽ verba eorũ mollia & suauia, & nõ nisi plumæ & puluilli: sed reuera nihil aliud sunt, quã venenati ac mortiferi arcus, & tela. Contrà, verba Christi etiam acutæ sunt sagittæ, vti Dauid ait: at non letales, sed salutiferæ sagittæ, tãgentes & sauciãtes cor, sed homini ad æternã ipsius salutẽ. Pseudoprophetarũ autẽ sagittæ feriunt, vulnerãt & occidũt animas. Eiusmodi homines olim Pharaonẽ decepe runt, vt verbo Dei, quod ei Moyses denũciabat, quin etiam tot manifestis diuinis signis, quæ faciebat Moyses, nollet credere,

Impij concionatores cur falsi prophetæ.

Psal. 10.

Arcus.

Sagitta.

Psal. 44.

Exod. 7.

3. Reg. 22.

credere, nec posset. Tales homines seducebant Achab, vt Michæã, qui ei optimè cõsulebat, audire recusaret. Eiusdem farinæ homines seducebant populũ Israël, vt à templo Dei ad aureos vitulos sese transferrent: & vt postea etiam Hieremiam, qui eos omniũ fidelissimè ad pœnitentiã hortabantur, audire nollent, imò vt etiã Christũ suũ diu desideratum Messiam, nollẽt recipere: quin etiã vt illũ deteriorẽ & morte digniorem iudicarent, quã insignẽ homicidã. Tales homines seducebãt diuo Paulo suos Galatas, vt omniũ obliuiscerẽtur, & ex animo eiicerent quæcũque antea eos docuerat. O insensati Galatæ (inquit) quis vos fascinauit nõ obedire veritati? Et postea: Currebatis benè: quis vos impediuit? Persuasio nõ est ex eo qui vocat vos. qui autem cõturbat vos, portabit iudicium, quicũque est ille. Tales homines deinceps etiam maiorem partẽ Christianorũ à vera fide in varios errores perduxerunt. Atque ideo vocat eos Christus non immeritò lupos rapaces, præmonens suos nõ immeritò, vt sibi à talibus lupis caueant. Oues hostem maiorem nõ habẽt quã lupum, vtporè nihil quærentem aliud quã exitiũ earum. Imò hæc vnica causa est, cur ouibus se adiungat, vt eas iuguler & perdat. Eodẽ modo res habet cũ hæreticis & pseudoprophetis. Nihil perniciosius falsa doctrina. Imò quantũcũque Turca immaniter agit cum Christianis, tantũ tamen nocere non potest, quantũ hæreticus, falsus & infidelis doctor. Nam Turca bona diripit & corpus occidit: hic verò occidit animã, & priuat eam omnibus bonis Dei. Itaque mirũ nõ est, quòd vt ab eiusmodi caueamus, nos Christus monuit. Sed dicat hîc aliquis: Si pseudoprophetæ homines sunt tam perniciosi, cur Deus tam diu conniuet, patiens vt tot errores & seductiones suscitent? Respõdeo: Cur Deus non prohibet Turcã, vt Christianitatem nõ persequatur? Cur non prohibet feras, vt nos homines illæsos relinquant? Occulta, sed tamen iusta Dei sunt iudicia: magis nobis metuenda, quã curiosè exploranda. Attamen causæ aliquæ indicari possunt, Cur Deus pseudoprophetas patiatur. Primò, vult Deus etiam suos electos per hoc probare, num firmiter veritati & suo verbo inhæreant. Quemadmodum Moyses dicit: Si surrexerit in medio tui Prophetes, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis, non audies

3. Reg. 11. *Hier. 28.* *Matth. 27.* *Gala. 3.* *Gal. 5.* *Falsa doctrina quàm exitialis.* *Hæreticos cur diu tolerat Deus.* *Deut. 13.*

verba prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos dñs Deus vester, vt palã fiat, vtrũ diligatis eũ, an nõ in toto corde & in tota anima vestra. Dñm deũ vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem eius: ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis. Secundò, id ideo etiã fit, vt causam habeãt aliorũ doctores & pastores, tantò diligẽtius gratiã & illuminationẽ petendi, nec nõ sacrã Scripturã tãto profundius indagãdi. In hoc errores & hæreses cõferũt. Quò enim plures hæreses oriũtur, hoc diligẽtius catholici doctores & pastores Scripturã legũt, ad fidẽ suã & subditorũ cõfirmandã. Nisi error Arij fuisset, Catholici doctores mysteriũ sanctæ Trinitatis nunquã tam profundè & diligenter in Scriptura scrutati fuissent. Sic se habet etiã cũ aliis erroribus. Tertiò, permittit Deus pseudoprophetas & errores oriri, in pœnã peccatorũ nostrorũ & ingratitudinis. Quẽadmodũ in Isaia dicit: Eò ꝙ appropinquat
Esa.39. popul⁹ iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autẽ eius lõge est à me, Dñs claudet oculos vestros: & ꝓphetas & principes vestros, qui vidẽt visiones, operiet. Et erit vobis visio
Ezech.14. oĩum, sicut verba libri signati, &c. Et in Ezechiele: iuxta ini-
1.Thes.2. quitatẽ interrogãtis, sic iniquitas prophetæ erit, &c. Sic dicit itẽ Paul⁹: Eò ꝙ charitatẽ veritatis nõ receperũt, vt salui fierẽt: ideo mittet illis Deus operationẽ erroris, vt credãt mẽdacio, vt iudicent oẽs qui nõ crediderũt veritati, sed cõsense-
Rom.1. rũt iniquitati. Et iterũ: Quia cũ cognouissent Deũ, nõ sicut Deũ glorificauerũt, tradidit illos De⁹ ĩ reprobũ sensum, &c. Quapropter ne mirẽre, ꝙ tot hoĩes in errorẽ incidãt, ꝑdicatores simul & auditores. De⁹ ꝑmittit id iusto suo iudicio, vt cadãt, eò ꝙ catholicæ doctrinę & veritati nolũt credere. Tãtò iusti⁹ timere possumus, debemúsq; circũspicere & orare:
Psal.24. Vias tuas Dñe demõstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me ĩ veritate tua, & doce me: q̃a tu es De⁹ saluator, &c.

SECVNDVS SERMO DOcet, vnde pseudoprophetæ cognoscantur.


POSSENT nonnulli ex hoc Euangelio ceu asperius & inhumanius dictũ accipere, quòd Christus quosdam homines in eo pseudoprophetas, quin etiã lupos rapaces nominat: dicturi fortassis, quemadmodũ olim etiã Iudai-
Luc.11 cus legis peritus ad Christũ dicebat: Magister, hæc dicens etiam

etiam contumeliam nobis facis. Sic quis, inquam, fortassis contumeliæ loco accipiat, quod Christus hic loquitur. Cæterùm quisquis Euangelium rectè intuetur, inuenit, nihil esse illud aliud, quàm fidelẽ admonitionẽ, qua Christus omnes eos qui pastorali & prædicationis munere funguntur, hortatur ac monet, ne ipsi sese contaminent ac polluant sanguine subditorum: ostendens deinde quid illis periculi immineat. Et quis fidelem hanc admonitionem non boni consulat, qui modò animo pio præditus sit? Deinde etiam monet nos Christus vniuersim, vt diligenter attendamus, cui animas nostras credamus, indicans nobis, non omnes quærere salutem nostrã, qui doctores sese profitentur. Et quis ob id Deo non gratias agat? Imò si veri essemus Christiani, talis admonitio nobis chara raráque futura esset, siue pastores simus, siue subditi. At vide, quò deuenerimus. Nostra natura adeò deprauata est, & ad seipsam reflexa & propensa, vt non modò non reprehensi, sed ne admoniti quidem esse velimus. Sic vsu veniebat diuo Paulo cum suis Galatis. Ergo inimicus vobis factus sum (inquit) verum dicens vobis? Idẽ accidit sancto Hieremiæ: Omnes subsannant me, ait, quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito. Et iterum: Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueã animæ meæ? Recordare Domine, quòd steterim in conspectu tuo vt loquerer pro eis bonũ, & auerterẽ indignationem tuam ab eis. Christus ipse dicit: Me odit mundus, quia ego testimoniũ perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Idem adhuc rerum status est in mundo. Bonus verò quisque accipit non solùm admonitionem, sed etiam reprehensionẽ grato animo, eámque sibi vtilem facit, queadmodum omnes admonitiones diuinæ & increpationes ad nostram vtilitatẽ & salutem fiunt. Sed de hoc aliàs. Christum amplius audiemus in hodierno Euangelio. Attendere nos iubet à pseudoprophetis, verũtamen non simpliciter dicit, Cauete vobis ab illis, aut obseruate illos, sed: Attẽdite, omni cum diligentia illos obseruate, perinde ac si dicat: Diligẽti animaduersione opus erit: non enim exhibebunt sese quales sunt, idcircò etiã difficulter agnoscentur. Quod enim certum est, id videtur: quod incertum, id diligenter considerandum, ut nec certò cognoscatur. Mendacium & falsitas non vt est sese ostendit, alioqui facilè proderet sese. Idcircò semper quærit speciem & fucum quẽdam, quo tegat sese, quia fugit lucem.

Galat. 4.
Hiere. 20.
Hiere. 18.
Ioan. 7.
Quàm cauẽdi pseudodoctores

Veritas

Veritas autẽ nullo opus habet ornatu, per ſeipſam ſatis ſpe-
Ioan.3. cioſa, minimè reuerita lucem. Quādo lupus in propria ſpe-
cie apparet, facilè eum oues agnoſcent, eũmq; fugient. Qui
palàm mendacem ſe & ſeductorem profitetur, ei nemo faci-
lè adhæſerit, & crediderit. Verùm hoc falſi prophetæ nõ fa-
ciunt: nolunt eſſe mendaces & ſeductores, etiam conuicti.
Matth.7. Venient (inquit Chriſtus) in veſtimentis ouium, tegent ſe &
transformabunt, vt lupina eorum natura & animus non fa-
cilè ſit appariturus: imò nemo agnoſcit illos, niſi gratiã ha-
1.corin.12. beat & domũ à Spiritu ſancto, quod Paulus vocat diſcretio-
nem ſpirituum. Hinc intelligi poteſt, eum non loqui de Iu-
daicis aut Ethnicis doctoribus, ſed de iis, qui veſtimentis o-
2.Timoth.3. uium induti ſunt, hoc eſt, qui Chriſtianos ſe profitẽtur, ſpe-
ciem pietatis habentes, cæterùm virtutem eius abnegantes.

Luc.10 Chriſtus cùm primùm Apoſtolos ſuos mitteret, dicebat
ad illos: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporũ. Hac
illis ſimilitudine indicabat, vt per omnia innocentes eſſent,
ſimplices, innoxij, imò omnibus vtiles & cõducibiles. Quic-
quid igitur ſancti Apoſtoli extrinſecus habuerunt, quod do
ctrinæ illorum & prædicationi authoritatem & exiſtima-
Veſtes ouium. tionem conciliabat corã hominibus, id erat & eſt veſtimen-
tum ouium, vt quòd Apoſtoli dicebantur à Chriſto vocati,
ſacra Scriptura vtentes, Dei nomen inuocantes, miracula fa-
cientes, ſanctè viuentes, & patientes in omni aduerſitate, &
id genus plura, quæ homini authoritatem conciliant. Hæc
omnia, inquam, ad veſtimenta ouium pertinent: ſunt enim
externa quædam indicia, quòd is, in quo talia apparent, ouis
& non lupus, hoc eſt, verus Apoſtolus & non ſeductor eſt.
Neque tamen certa omninò & infallibilia ſigna ſunt, vt
vnumquẽque in quo talia ſigna apparent, verum eſſe Pro-
phetam oporteat. Non. ſiquidem hæc omnia fermè ſigna
Hæretici vt ſe tegant veſtibus ouium. etiam in falſis prophetis cernuntur. Principiò nanque ſem-
per Scripturã ſacram, Dei verbum & nomen in ore habent:
Prophetas & Legatos Dei ſe profitentur, interdum etiam
ædunt miracula, aliqui eorum auſteram duxerunt vitam, o-
mnia temporalia reliquerunt, tum verò etiam patienter va-
rias pœnas ac mortes perpeſſi ſunt. Quapropter ex eiuſmo-
di rebus falſi prophetæ à veris dignoſci non poſſunt. Quip-
pè inueniuntur, qui horum multa in ſe habent, & tamen fal-
ſi prophetæ ſunt. Inueniuntur item alij, quibus horum mul
ta deſunt, ſed ſynceri ſunt in ſua doctrina. Vnde ergo co-
gnoſci

gnoscitur, quis verus aut falsus propheta sit? Ex fructibus eorum (inquit Christus) cognoscetis eos. Hęc probatio longè certissima est. Lupi & oues nulla re melius internoscuntur, quàm ex ipsorum natura. Lupus nõ relinquit naturam suã, similiter & ouis. Sic bona arbor & mala, nulla re discerni melius possunt, quàm ex cuiusque fructibus. Sic res habet quoque cum bonis & falsis prophetis. Primò, quemadmodum ouis multò aliam naturam habet, aliósque fructus affert, quàm lupus: sic etiam verus Propheta longè aliam naturam habet, longéq; alios fructus adfert, quàm falsus Propheta. Naturam verorum Prophetarum indicatam satis inuenimus in Euangelio, quinetiam fructus eorum. Vti cùm dicit Christus: Sicut me misit Pater, & ego mitto vos: hoc est, quemadmodum ego nihil aliud facio & expedio, quàm voluntatem Patris mei: sic & vos facietis. Et iterum: Principes Gentium dominantur eorum. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, &c. Et rursus: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur. Et iterum Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et rursus, Matth. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, &c. Ex his & similibus sententiis abundè apparet, quæ sit vera natura, virtus, & opera verorum Apostolorum: nimirum animus omnibus benefacere paratus: animus nulla temporalia bona, nullos honores, nullásque voluptates curans, sed semper esuriens & sitiens veram pietatem, neque aliud quærẽs quàm Deum eiúsque honorem: animus nullam afflictionem recusans, saltem vt Dei honor & salus hominum promoueatur: animus non ambitiosus, non arrogans, nõ vindictæ cupidus, sed humanus & lenis, nullam mercedem in mundo cupiens, & omnibus bene volens ac faciens. Hæc natura ouis est, hoc est, veri Prophetæ. Eam autem lupus, falsus propheta non habet, quantumcunque ouium lana sit tectus. Ad tempus quidem simulare se talem potest, perindè acsi nihil aliud quærat, quàm Deum & animarum salutem, cæterùm nactus occasionem se palàm facit. Natura enim eius est (vt Christus ait) quòd multa doceat, & nihil faciat, primos accubitus amans, ambitiosus, auarus, &c. Et quantumcunque eiusmodi naturam occultare conatur, tamen aliquando fit palàm. Nam nisi consequatur quod quærit, clamat, conqueritur, & calum

Mat. 7.

Veri Prophetæ

Ioan. 20.

Matth. 20.

Matth. 6.

Pseudoprophetæ.

Matth. 23.

calumniatur: imò condemnat omnes eos, qui eius studium prępediunt. Ac tum impletur quod Christus dicit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos: Veruntamen verba illa Christi magis ad doctrinam quàm ad personam prædicatoris referenda sunt. Quantum ad personam attinet, parui referre arbitramur, modò doctrina iusta sit. Nec semper sequitur, Hic homo malè viuit, ideò quoque docet malè. Non. fallit hoc. Plurimos inuenias, qui turpiter quidem viuunt, & tamen bene rectéque docent. Rursum sunt alij, qui inculpatā quidem ducunt vitam, cæterùm perperam docent. Quapropter hæc verba Christi potissimùm intelligenda de fructibus doctrinæ: qui si boni sunt, vtique etiam doctrina bona & iusta est. Nulla enim mala doctrina bonos afferre fructus potest. Contrà, si fructus mali sunt, certè neque doctrina bo-
Matth.7. na est. etenim bona arbor non fert fructus malos. Inquis: Qui sunt ergo fructus bonę & malæ doctrinæ? Inueniuntur iam hîc homines, qui protinus ad hoc & vno verbo respondent, eum esse fructum veræ & bonæ doctrinæ, cōscientias hominum consolari & pacatas reddere: Fructus autem falsæ doctrinæ esse, conscientias conturbare & intricare. Id quod ex parte certum & verum est. Primus nanque & præcipuus fructus Euangelij est, pœnitentium conscientias consolari, quemadmodum Christus ipsemet in Isaia dicit: Spiritus Do-
Esa.61. mini misit me ad annuntiandum mansuetis, & ad medendum contritis corde, &c. Qua etiam de causa in Matthęo
Matth.11. omnes homines ad se vocat, cum ea promissione, se consolaturum eos, & inuenturos in ipso quietem animabus eorum. Facilè itaque admiserim, quòd conscientias hominum consolari, sit fructus Euangelij & veræ doctrinæ. Cęterùm si vrgeas, hunc esse vnicum fructum veræ doctrinæ, conscientias consolari, & eam solam esse veram doctrinam, quæ semper & vnumquemlibet hominem consoletur, id autem quæ nō faciat, id est, nec semper consoletur, nec quoslibet homines, eam esse falsam doctrinam, nequaquam admittere possum: quia nullum Prophetam inuenio, qui semper, & omnes ho-
Ibidem. mines consolatus sit. Ioannes Baptista id non fecit, quem tamen Christus ipse tantoperè cōmendat. Quin nec ipse Christus id fecit. Verùm hoc me inuenire memini, quòd omnes Prophetæ, Ioannes, Christus, eiúsque Apostoli, sæpe peccatores seuerissimè reprehenderint & terruerint. Neque tamen dubitat quisquam, quin veri fuerint prædicatores, qui

rectè

rectè docuerint. Vnde consequitur, quòd conscientias consolari, non est solus & vnicus fructus veræ doctrinæ: siquidem longè alios plures fructus habet & affert. Vnde dicit Christus, non ex fructu, sed ex fructibus eorum. Qui sunt *Fructus veræ doctrinæ.*
ergo fructus veræ doctrinæ? Primò, perterrefieri & compungi ad pœnitentiam, quemadmodum illi qui Ioannem I.
audiebant. Secundò, à peccatis desistere, spem haurire, vi- *Luc.13.*
tam emendare, quemadmodum illi faciebant qui Christum II.
audiebant: cuius rei exempla hinc inde inueniũtur in Euangelio. Sic ex Apostolorũ doctrina veniebat is fructus, quòd *Act.4.*
omnes credentes vnum cor & animam vnam habebant, nemine dicente, hoc meum est, sed omnibus omnia communia habentibus. E doctrina Philippi hîc veniebat fructus, quòd *Act.8.*
ij qui curiosas artes tractassent, suos libros comburebant. Ex Apostolorum prædicatione hîc veniebat fructus, quòd *Act.19.*
homines à malo ad bonum, à diabolo ad Deũ conuertebantur. In summa, bona arbor veræ doctrinæ hos affert fructus, attollit & erigit cor ad Deũ per agnitionẽ, atq; etiã gustum cœlestiũ & æternorũ bonorũ: facit lætam & tranquillam conscientiam, facit cor securum in spe & fiducia erga Deum: excitat in homine filialem timorẽ ad obseruationem mandatorũ Dei, accendit charitatẽ, facit hominẽ misericordem erga egenos & inopes, & mitem erga quoslibet. Et ex talibus internis fructibus fluũt deinde etiã externi fructus, vtpote, Christiana pia vita, contemptus mũdi, scandali vitatio, & exercitatio ac studiũ operũ misericordiæ, imò omnis boni. Quę doctrina tales in te fructus profert, aut te ad eiusmodi trahit, ea indubiè bona est & recta, & cui securè fidere possis. Mala enim arbor tales fructus nõ fert. Doctrina verò falsa alios, & suprà nominatis prorsus cõtrarios fructus *Fructus falsæ doctrinæ.*
fert, vtpote leuitatẽ cordis, latam & minimè solicitã ac religiosam conscientiam, quæ etiam magna peccata pro paruis & vilibus censeat: contemptum Dei eiúsq; mãdatorũ, diminutionem charitatis Dei, durum & impatiens cor erga proximum, inobedientiam & rebellionem erga magistratum, diuulsionem Christianæ concordiæ, seditionem inter Christianos, contemptum & contumeliam proximi, scandalum infirmorum, &c. Hæc omnia, inquam, & id genus alia, sunt fructus falsæ & vitiosæ doctrinæ. Etenim bona arbor & vera doctrina tales fructus nõ affert. Diuus Paulus omnes fru- *1.Corint.14.*
ctus verę doctrinę cõprehẽdit tribus verbis. Qui prophetat,

inquit,

inquit, hominibus loquitur ad ædificationẽ, & exhortationem, & consolationẽ. En, hic habes tres fructus veræ doctrinæ, ædificare, exhortari, & consolari. hinc autem quamprimùm cognoscis errare eos, qui tantũmodo de consolatione conscientiæ loquuntur. Aedificatio cõprehendit in se capita Cristianæ doctrinæ: quæ vbi proposita sunt, exhortatio sequatur oportet. Quòd si quis præoccupetur interim pecca to, aut alio qui oprimatur tẽtatione & tribulatione, & is consolandus est. Ad structuram & ædificium quinque pertinent, puta fundamentum, ædificij corpus, parietes, tectum & ornamenta. Fides est fundamentum, Spes, ędificij corpus, charitas muros conglutinat, Christiana & pia vita ornat ędificium, patiẽtia est tectum, auertens pluuias & tempestates. Hæc quinq; quisquis ordine docet, is ędificat: cæterùm qui horũ aliquod omittit, is nõ ædificat: quocirca verus propheta nõ est, sed impostor. Quod vt verũ cognoscatur, paulò clarius indicabo. Primò, qui verum fundamẽtum non ponit, falsus est propheta. Atqui Christus verum fundamentũ est, cui nos superstruere debemus. Quisquis igitur hoc fundamentũ nõ iacit, sed docet homines suam fiduciã in propriis duntaxat operibus, aut aliis in rebus collocare extra Christũ, is nõ ędificat, sed seducit, dũ docet hominẽ arenę superstruere. Nã nullum opus nostrũ, imò nulla creatura tale est fundamẽtũ, cui sine Christo fidere possimus: solus Christus petra est, quę cõtra omnes portas inferorũ subsistit. Secũdò, etiamsi quis fundamentũ bene ponat, & fidẽ in Christũ rectè & fideliter erigat, verũ nõ trahat te à peccatis ad iustitiam, & à terrenis rebus ad cœlestes, sed eleuat & excusat peccata, perinde acsi credẽti non noceant, is rursum falsus propheta est: nõ ędificat, sed seducit. Tertiò, qui non omnẽ diligẽtiam eò confert, vt inter credẽtes sit vnũ cor & anima, charitas & cõcordia, sed dirimit cõcordiã, sectas instituit, bella & seditiões mouet, is ęquè est falsus propheta: etenim nõ ędificat: muros & parietes, lapides & ligna nõ cõpingit & vnit. Quartò, qui non vna cum fide, etiam pietatẽ & Christianã vitã & bona opera docet, is itidẽ falsus propheta est, & nõ ædificat, quia nõ ornat domũ, sed facit è domu Dei, harã. Quintò, qui cũq; etiã nõ patiẽtiã, obedientiã & subiectionẽ docet, sed ad impatiẽtiã & inobediẽtiã prouocat, & is falsus propheta est, nec ędificat, quia nullũ tectũ imponit ędificio. Ver⁹ autẽ Propheta (vti Paulus ait) ad ędificationẽ ꝓuocat: siquidẽ primò doces

Fundamẽtum Christus. *1. Cor. 3.* *Mat. 16.* *Doctoris catholici studia.*

docet fidẽ rectam in Christum. Secundò, trahit homines per spem à peccatis & terrenis rebus. Tertiò, promouet semper & conseruat Christianã charitatẽ & concordiam. Quartò, vrget semper bona opera. Postremò, docet etiam patiẽtiam & obediẽtiam. Ij fructus sunt veræ doctrinæ. Hoc loqui demùm est ad ædificationẽ & emendationem. Quod vbi factum est, tum loquitur etiam verus Propheta quæ ad exhortationem faciunt, quemadmodum S. Paulus dicit in eum finem, vt credentes sint sine querela, & irreprehensibiles in medio nationis prauæ atque peruersæ: & vt perfecti sint ad omne opus bonum instructi, vtque integer spiritus eorum, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi conseruetur. Postremò, verus propheta consolationis non obliuiscitur, sed adhibet eam suo tempore, & vbi necessarium est: non tamen erga eos, qui in peccatis suis sponte & proteruè manent, sed erga eos, quos peccasse pœnitet, quíq; Dei misericordiã & gratiã implorãt, sentientes grauitatem peccatorũ suorũ, aut etiã afflictionibus, & aduersitatibus circundãtur. Tales homines inquã, cõsolatur verus Propheta. Itaque qui ad malum hortatur, aut impœnitẽtes consolatur, is indubiè falsus propheta est. Et ex his fructibus potissimũ cognoscitur qui veri aut falsi Prophetæ sint. Verus Propheta ædificat, hortatur, & consolatur, falsus propheta horum rectè nihil agit. Deus Opt. Max. aperiat nobis oculos nostros & corda; vt rectè videre possimus, cui credere, quémue sequi, & quem fugere debeamus, Amen.

Philip. 2.
2. Tim. 3.
1. Thes. 5.

TERTIVS SERMO, DE VERbo, Omnis arbor bona fructus bonos facit.



QVISQVIS Euangelium istud legit, circáq; illud considerat, quãtum ex eo depromi possit, quod ad verã pietatẽ facit: cæterùm videt & audit interea, quì quidã temerarij ineptè se circa illud gerãt, is nõ poterit non dolore affici. Etenim nullũ Euangeliũ toto anno est, quod maiori cũ offendiculo auditorũ prædicetur & exponatur: vnusquisq; torquet illud in suos aduersarios, & nõ cogitat, quomodo populũ meliorẽ reddat, sed solũ quomodo doctrinã suã defendat, & aduersariũ suũ hæreseos & factionis notet. Hìc affectibus remittitur habena: hìc calumniæ & cõuitia effrenatè iactantur: hìc omnis Christianæ disciplinæ & charitatis obliuio-

mẽtes occupat. Hæc vbi populus audit, instigãtur, incendũtur, inflamãtúrq; ira & inuidia contra eos, de quibus Euangeliũ istud expositũ est: ex prædicatione recedunt animis tã accensis, acsi iã in præliũ eundũ sit: quò fit, vt finem faciente prædicatore, incipiat populus in foro, in tabernis ridere, illudere, calumniari, conuiciari, maledicere & condemnare.

Hi fructus iam ex hoc Euangelio nascuntur, imò potius ex viruléta & liuoris plena interpretatione eiusdẽ, qua quidam vtuntur. Interim inueniũtur aliqui, qui sibiipsis bene placent, si auditores eorum egregiè norint illudere, calumniari, maledicere, & condemnare: dolent, ꝙ non etiam manum iniiciant in eos quos perditos cuperent: prorsus verò obliuiscuntur omnium eorum, quæ ex hoc Euangelio vtiliter desumi possent. Tantum incõmodi nunc nascitur circa hoc Euangeliũ. Verũtamen aliquid etiam boni inde prouenit, nimirùm ꝙ Stentorei illi buccinatores, cũ omnium immanissimè sçuiunt ac furiunt, aliósq; conuitiis proscindunt, seipsos produnt, ꝙ sint verè lupi rapaces, dũ populo reticent quod illis cõmodo esse posit, ea tantũ effutiẽtes, per quæ ad iram, inuidiam, seditionem & homicidium incitantur.

In contumeliosos concionatores.

Luc. 9. Sed quid facitis vos, vos prædicatores? An nescitis cuius spiritus estis? An nescitis cuius vicem obitis? Dei, an vestrum honorem quæritis? Animarũ salutem, an proprium vestrum cõmodum aucupamini? An non cogitatis, ꝙ prædicare, res longè alia est, & esse debet, quã calũniari & conuiciari? Scire vis quid ad veram Prophetã pertineat? Audi quid Paulus dicat: Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationẽ, & exhortationẽ, & consolationem. Hîc tria simul audis. Tu verò non nisi vltimum accipis, consolationem scilicet: hanc tu vsurpas, ædificatione & exhortatione omissa. At enim, inquis, & ego ædifico, iacio fundamentum, & prædico Christum. Bene factum. hinc incipiendum. fundamentum primò ponendum. Etenim Christus fundamentum est, cui nos superstruere & niti debemus. Nec est aliud nomen sub sole datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri. Sed & Christus ipse dicit, Neminem venire ad patrem, nisi per illum. Porrò nihilne aliud ad ædificium pertinet, quã vt fundamẽtũ ponatur? Aut potéstne ędificiũ dici, quod nihil aliud quã fundamẽtũ habet? Annon ædificiũ in altũ ducendũ est? Annon muros coniungi & copulari oportet? Annon etiam tectũ imponendũ? Annon illi etiã verus ornatus addendus?

1. Cor. 1. [sic]

Audi Euangelice.

1. Cor. 3. *Act. 4.* *Ioan. 14.*

Iam

Iam verò vide, num hæc facias. Nam si horum vnũ vel plura omiseris, non ædificas: atq; eam ob rem non es verus Propheta, quia Prophetę est ædificare. Ais, Prędico Christum. Rectè: hunc prædicare oportet. Sed erigis ne etiã corda hominum à peccatis ad iustitiam, à tẽporalibus ad spiritualia, à terra ad cœlum? Num illa etiam præparas & instruis ad bona opera, quæ sunt verum ornamentum spiritualis ædificij? Num illa etiam contines in Christiana charitate & concordia? Imò quid si contrarium facis? Prædicas Christum, sed interim populum in omni peccatorũ genere iacere sinis: imò ita leuia illis peccata facis, vt etiam nihil amplius illa formident. Secundò ita contemptim loqueris de bonis operibus, vt eorum studium neminé amplius delectet. Tum quæris & cogitas nihil aliud, quàm quo pacto Christianam concordiam dirimere & præpedire posſis, vt ad concordiã aliquam res deduci iam non posſit. Postremò, nunquam non vulgus extimulas ad iram, inobedientiã, & seditionẽ. Hóccine autem ędificare est? Annon satis lupus sese prodit in his rebus? Hunc in modum eiusmodi seipsum perscrutari debebat, visurus esset, quid sibi deesset: tantúmq; in seipso inuẽturus esset emendationi dignũ, vt aliorũ facilè obliuisceretur. Sed falsos prophetas relinquemus, & reliqua verba huius Euangelij audiemus. Nunquid colligunt, inquit, de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit, &c. Hanc similitudinẽ bonæ arboris, & malæ arboris, Christus hoc loco dixit de bona & falsa doctrina. Nã vt vnaquæq; arbor fructus affert, prout bona vel mala est: ita etiã quælibet doctrina qualis est, tales fert fructus. Et quemadmodũ bona arbor nõ ex foliis, non ex pulchritudine, robore aut proceritate (siquidẽ hęc omnia etiã mala arbor habere potest) sed ex fructu cognoscitur: ita etiam doctrina non ex foliis verborũ, nõ ex facie personæ, neq; ex quadã diuturnitate (quia hæc omnia etiam falsus doctor habere potest) sed ex fructibus cognoscitur. Qui autem sint illi fructus, in superiori sermone dictum est. Nihilominus verò, quia Christus hac similitudine etiam aliis in locis vsus est, & maximè in Luca, vbi tamẽ nihil de bona vel mala doctrina, de bonis & falsis Prophetis dicit: sed de veris & falsis Christianis: similitudo isthæc de bona & mala arbore, latius disquirenda est.

Concionatorũ quid agẽdum.

Hæreticorum concionandi ratio.

Luc. 3. 6. 13.

Homo cur arbori comparatur.

Obserua igitur primò, hominẽ arbori cõparari. Nam ar-

bor si crescere debet, succũ necessariò ex radice habeat oportet, & præterea etiam pluuiam & rorem de cœlo. Ita etiam ꝙ homo corporaliter crescit, venit ex virtute naturæ
Gen. 1. insita, per verbũ Dei inquiẽtis, Crescite & multiplicamini. Quòd autem homo subrigit sese supra se ad diuinas & cœlestes res, atq; etiam bonos fructus fert, non aliunde venit,
Psal. 67. nisi ex clementi & benigna pluuia, quam Deus hæreditati suæ mittit, hoc est, ex verbo & gratia Dei. Et queadmodum arbores, etsi omnes in terra stant, atq; vniusmodi pluuiam & rorem de cœlo accipiunt, tamen non omnes fructus faciunt bonos: ita etiam cum hominibus res habet. Atq; ideò etiã solet Scriptura bonũ hominẽ bonæ arbori, impiũ verò
Psal. 1. malæ arbori comparare. Beatus vir (inquit S. Dauid) qui nõ abiit in concilio impiorũ, & in via peccatorũ nõ stetit, & in cathedra pestillentię non sedit, &c. Et posteà: Et erit tanquã lignum quod plãtatũ est secus decursus aquarum: quod fructũ suum dabit in tempore suo. Non sic impij, non sic: sed
Hier. 17. tanquã puluis quẽ proiicit vẽtus à facie terræ. In Hieremia simile inuenimus: Maledictus homo qui cõfidit in homine. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit cũ venerit bonum. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplan-
Ioan. 15. tatur super aquas, &c. Huc pertinet, ꝙ Christus pios & ritè credentes vitibus frugiferis: contra verò impios & incredulos comparat ficui sterili, quæ etiã diligenter culta fructum
Luc. 13. non fert, &c. Eodem quoq; modo Christus hic loquitur de bonis & malis hominibus. Omnis arbor bona, inquit, fructus bonos facit, &c. Ex his verbis primùm colligere est, ꝙ quẽadmodum nulla arbor bonos aut malos fructus facere potest, nisi ipsa prius bona sit aut mala: ita quoq; nullus homo bonum aut malum facere potest, nisi ipse prius bonus sit aut malus. Vnde quicquid homo extrinsecus boni facit, hoc reuera bonum est, si homo sit bonus: malum verò si homo sit malus. Etenim externa nostra opera nomen merẽtur, ꝙ bona aut mala sint, prout intrinsecus boni vel mali simus. Ex his coniicere possumus, quæ sint verè bona opera. in his enim Deus multò secus iudicat, quàm nos. Homo tãtùm ea quæ foris sunt videt. Deus autem cor inspicit. Multa
1. Reg. 15. homines pro bonis aut malis ducunt, de quibus tamẽ Deus longè aliter iudicat. Corã mundo bonum & laudabile opus
1. Reg. 16. videbatur, ꝙ Saul optima armẽta Amalechitarũ seruabat ad

Opera nostra vt bona vel mala sint.

sacri

ſacrificiũ Domini. Et tamen quia id fecit cõtra præceptũ Domini, ob illud ipſum opus à Deo reiiciebatur. Sic corã mundo ſpeciem vtcunq; bonam habebat etiam poſt Chriſti aduentum, ꝙ Iudæi ſua feſta Sabbatha, ceremonias & ſacrificia ſeruabant: Deus autem dicit in Iſaia, ſibi poſt Chriſti nouam legem ea omnia abominationi fore, &c. Cõtrà malum eſt furari, & aliena bona diripere, innoxios homines interimere, &c. attamen Iſraëlitæ non malè faciebant, ꝙ Aegyptiis aurum eorũ ſubtrahebant: neq; malè faciebant, ꝙ cum Chananæis etiam eorum filios occidebant. iuſſerat enim hoc illis Deus. Ergo opus externum non eſt ſimpliciter bonum, niſi homo bonus ſit: nec ſemper malum eſt, niſi homo malus ſit. Hinc ſequitur primò, ꝙ nulla opera externa quãtumuis in ſpeciem bona, hominem probum aut bonum faciant, ſed indicant, eum bonum eſſe, quemadmodum opus artem indicat artificis, & fructus arborem. Et vbi homo nõ eſt intus, qualem ſe vult haberi ex opere ſuo externo, hypocrita eſt, completúrque in eo quod Hieronimus dicit, Simulata ſanctitas, duplex eſt iniquitas. Secundò ſequitur, quòd nullum opus per ſe bonum & Deo acceptum eſt extra fidem, & quòd ſoli credentes bona opera faciunt. Cauſa eſt, quòd homo extra fidem & diuinam gratiam nihil aliud eſt, quàm ſterilis & mala arbor: quomodo ergo bonos fructus afferret? Vnde licet Ethnici multa faciant ſpeciem boni habentia, reuera tamen & coram Deo bona non ſunt aut accepta: quia non ex bona arbore proueniunt, ſed ſolũ ex ſtudio & cupiditate, ſeu ſpe humanæ laudis, aut ex metu humani probri. Non ſolùm autem homo extra gratiam nihil boni & Deo accepti facere poteſt, ſed nihil etiam facit niſi quod malum eſt. Omnes enim cogitationes hominis pronæ ſunt ad malum à iuuentute. Dicit porrò Iſaias, omnes homines ex nihilo eſſe, & omnia opera eorum vana eſſe. Et rurſum: Omnis hypocrita eſt & nequã, & vniuerſum os locutum eſt ſtultitiam. Et Dauid: Omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum, &c. Ex his vides, non ſolũ nõ eſſe bonum, ſed etiam malum, quicquid extra Dei gratiam & fidem facimus, maximè ſi ſecundum ſeueram Dei iuſtitiam iudicari debet: qui in Dauide dicit ſe etiã iuſtitias iudicaturum. Hæc idcircò omnia dixerim, quò videri melius poſsit quæ verè bona opera ſint: necnon ad increpationem hominum eorum,

Eſa.1. *Exod.21.* *Gen.6.* *Eſa.41.* *Eſa.9.* *Pſal.13.* *Pſal.74.*

qui ſtudent quidē bona quædā extrinſecus facere, ſed nunquam curant, vt ipſi quoque boni fiant. Hoc autem quid aliud eſt, quā hypocriſis? Sic itaque in hoc verbo vbi Chriſtus ait, Omnis arbor bona fructus facit bonos, &c. duo hominum genera reprehenduntur. Primò, illi qui opinātur opera ſibi ſufficere ad iuſtitiā, etiā ſine fide. Secūdò, etiā illi qui volunt fidem ſolā ſufficere abſque bonis operibus. Quoniā enim Chriſtus ait, Omnis arbor bona, fructus facit bonos, clarè inibi indicatum eſt, neminē vere iuſtū eſſe, niſi faciat & exhibeat bonos fructus. Quēadmodū Chriſtus ad Iudæos dicebat, Si filij Abrahę eſtis, opera Abrahæ facite. Et rurſum: Quid vocatis me Domine domine, & non facitis quæ dico? Quòd autē Deus bona opera à nobis requirat, ſequentia ſatis indicant verba, vbi ait, Omnis arbor quę non facit fructum bonū, excidetur, & in ignē mittetur. Hæc verba obſerua. Primò dicit, Omnis arbor, nam nemo hic excipitur. Secundò, nō dicit, Omnis arbor quæ non facit fructum: ſed, quę non facit fructum bonū. Deus non ſolū fructus à nobis petit, ſed bonos fructus. Tertiò obſeruādū, quòd de magnis & ſplendidis fructibus loquitur, ſed ſolū de bonis fructibus, per quos peculiariter opera charitatis & miſericordiæ intelligi poſſunt, quæ Deus ante omnia petit; atque hæc proximo noſtro ſummam adferunt vtilitatem. Quartò nō dicit, Omnis arbor quæ non fecit fructum bonū in tempore præterito, ſed quæ, in præſenti tempore, fructum bonum non facit, excidetur, &c. Quippè nō ſatis eſt, nos bis térue bene egiſſe, niſi ſemper bene faciamus, ínque eo perſeueremus. Poſtremò non dicit ſimpliciter, Arbor infrugifera excidetur, ſed dicit etiam, in ignem mittetur. Quibus verbis minatur pigris Logochriſtianis geminā pœnā, nimirū gehennam & excidium. Atque hoc vltimum omnium terribiliſsimum eſt, à Deo excidi & ſeparari. Horribile eſt, à Deo puniri, multò terribilius eſt in pœna nullū finem aut mitigationem videre. Omnium autem terribiliſſimum, à Deo deſeri & ſeiungi. Hinc vides, quā longè erremus, ſi ſolū per nudā fidē nos Deo putemus placere poſſe. Nam ſi bona opera non ſunt neceſſaria ad fœlicitatē, quam ob rem igitur Chriſtus tantam, imò ſummam pœnam hominibus minatus eſt, qui nullos fructus bonos adferunt? Deus det nobis ſuam gratiam, vt ſemper rectè credamus, & omni bono operam nauemus, Amen.

Ioan. 8. *Ioan. 6.*

Exigit Deus bona opera.

A Deo ſeparari, pœna omnium grauiſſima.

Quartus

QVARTVS SERMO DE vltimo verbo Euangelij.



POSSET hodiernum istud Euangelium nobis ad multa prodesse, si probè à nobis consideraretur, adeò tum fidelem admonitionem, tum certam doctrinam habet. Miserandū itaque, quòd hostis Dei & omnis boni diabolus tantum lolij insperserit, vt fermè toto anno Euangelium nullū sit, quo crassius abutimur. Eò enim res rediit, vt circa hoc Euangelium propemodum nihil aliud fiat, quàm ꝙ alter alterius vestimenta ouium derideat, & lupina facta in lucem proferat & euulget: alter alterum insectetur, quilibet digito suum aduersariū monstret, vt quem Christus in hoc Euangelio dānauerit: & qui istiusmodi optimè, maximóq; cum clamore & contumeliosissimè efficere potest, is pro eo habetur, vt qui Euangeliū Christianissimè sit interpretatus. Interim vtrinq; vnusquisque sui ipsius obliuiscitur: nullus cogitat, illud ipsum ridere, conuiciari, calūniari, & temerè iudicare, ipsissimos esse malos fructus malæ & putridæ arboris: quapropter etiam nullo bono viro placere possunt & esse accepta. Quòd Christus in hoc Euāgelio dicit, lupos etiam nonnunquam sese abscondere sub vestimentis ouiū, nō ita intelligendū accipiendūque, quasi per hoc omnia vestimenta ouium, hoc est, omnem speciē bonam exteriorem reiecerit aut dānauerit, Non. Ideóne ieiuniū, oratio, eleemosyna mala & à Christiano fugiēda sunt, quòd olim Iudaici Pharisæi & Hypocritæ quidam, sub eiusmodi ouium vestimentis, hoc est, specie bonorum operum, suum fastum, auaritiam & hypocrisim occultarunt texerúntque? Aut ideóne malum censendū est, Deū & sanctum eius verbum, Christū & eius Euangelium in ore habere, ꝙ etiam hæretici talibus ouium vestimentis, hoc est, tali specie sese obtegunt? Minime, nulla ratione: neque enim ea Christi mens fuit. Cæterū hoc vult, ne propterea statim quālibet doctrinā certam iudicemus acceptemúsque, cū vestiméta ouium, hoc est, externā bonā speciē in illo qui doctrinā tradit, videmus. Scriptum est, Probate spiritus nū ex Deo sint. Et iterū: Omnia probate, quod bonum est tenete. Ouiū vestes, hoc est, bona species externa, nullū nō Christianū decent: imò necessariæ illi sunt, maximè cōcionatori. Vult enim Christus, vt etiam

Externa pietatis species non abiicienda.

Matth. 6.

1. Ioan. 5.

1. Thess. 5.

Matth. 5.

1.Pet.2. lux nostra luceat corã hominibus. Itẽ diuus Petrus vult etiã vt corã mundo honestè ambulemus. Verũ vt omnia mox approbemus & recipiamus quæ dicũtur, & propterea solũ ꝙ is qui dicit, vestẽ ouis gerit, hoc est, ꝙ doctus est, probus videtur, bonã speciẽ præ se fert, Deũ & eius verbũ in ore habet, legitimè vocatus est, sine scandalo viuit, &c. Hic nos cautos vult esse Christus: etenim oẽs has conditiones etiã malus in se habere potest, id quod sancta Christianitas experta sæpè est, & quidẽ magno suo damno. Vult itaque istud Euãgelium, vt diligẽter aduertamus, cuiusmodi doctrinã recipiamus, & cui animas nostras credamus, quãdoquidẽ certũ est, nõ quẽlibet verã viã docere posse, & experientia docet, non omnes eos qui prædicant, nostrã quærere salutem. Summa, aliis deest scientia, aliis deest fides, & bona voluntas. Idem

1.Cor.4. hoc diuus quoque Paulus expertus est. Si decẽ millia pædagogorũ habeatis, inquit, sed nõ multos patres. Et iterum:

Phil.2. Quæ sua sunt quærunt, non que Iesu Christi: hoc est, quærunt diuitias, honores, fauorẽ hominũ, voluptatẽ, &c. & nõ honorẽ Christi, & animarum salutẽ. Quapropter aperiendi oculi: quanquã etiã hac in parte iudicare non difficile esset, si ipsi vellemus. Nemo tam simplex est qui nõ vitẽ à vepribus, acinũ à spineolo dignoscere posſit: nimirũ si vtrumque deguster, & altero videt se lædi ac sauciari, altero verò non. Ita quoque nemo tam simplex est, qui non posſit lupum ab oue discernere, nimirũ cũ videt lupũ sæuientẽ, discerpentẽ & interimentẽ, ouẽ verò tacentem, nec quẽquã lædentẽ, &c. Tam quoque facilè in prædicatoribus videre posſumus, quis propriũ suũ, aut Dei honorẽ, propriũ sui cõmodum aut animarũ salutẽ, Ecclesiæ & Christianitatis ædificationem & emendationẽ, aut deuastationẽ quærat. Fructus enim arborem declarant. Atque hæc sententia est Christi in hoc Euangelio. Porrò autẽ in fine ponit Christus generalẽ quãdã

Matth.7. regulam, quæ nos omnes cõprehendit, & nostra refert. Non (inquit Christus) qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnũ cælorum, sed qui facit voluntatẽ Patris mei. Hæc vocula terrere illos meritò debet, qui sibi ipsis & aliis viam

O miseros. ad cælũ & fœlicitatem tam facilem & mollem faciunt: quin palã dicere non verentur, Deũ non curare, qualẽ ducamus vitam, & quid agamus, siue bonum siue malum, sed respicere tantũmodò ad fidẽ & incredulitatem, quandoquidẽ Hie-

Hier.5. remias dicit, Domine, oculi tui respiciunt fidem. Sed quid

quid Chistus dicit hîc? Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Atque hîc obserua verba. Non dicit, qui audit volũtatem Dei, scit & credit, sed qui facit voluntatem Dei. Imò scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Melius etiam erat alicui non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum cõuerti. Tum Christus ipse dicit: Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Hinc primò apparet circa postremum istud verbũ hodierni Euãgelij, quid discriminis sit inter iudiciũ Dei & hominũ, quin etiam inter regnum Dei & mundi. In regno mundi adulatores locum habent, qui adblandiuntur, demulcent, arridẽt, ad omnia tacent, imò laudare omnia possunt. Contrà verò, qui ad iniusta tacere non possunt, sed veritatem sequũtur, & peccata redarguunt, locũ non habent apud potentes & in regum aulis. Quemadmodũ Christus ipse de S. Ioanne innuit: Ecce (inquit) qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Ioannes autem, quia veritatem dicebat, & iniustitiam corripiebat, in deserto habitabat, nullum in Herodis domu locum habebat, nisi in carcere. Et quis non videt, quã id animaduersione dignũ sit etiã, in mũdanis & Ethnicis regibus? Quantò igitur magis animaduertendũ in Christianis & Ecclesiasticis principibus, si suos adulatores, licèt idiotas, quin etiam malæ vitæ homines in supremo loco reponant, bonos verò & doctos penitus nõ curent? Multò autem aliter erit in regno Dei, hoc est, vbi Christo omnia subiicientur, & regnum Deo patríque tradet. Tum enim cor rectum pluris erit, quàm verba phalerata: bona conscientia pluris erit, quàm crumena nummis onusta: imò tum nihil valebit aliud, quàm bona conscientia, quia iudex non secundum aspectum oculorum, aut externam faciem iudicabit, neque donis aut muneribus à iusto se auerti patietur. Secundò, ex his vltimis verbis Christi videre possumus & intelligere, quòd etiam inter eos qui nomẽ Christi profitentur, quin etiam inter eos qui prophetant, prædicant, & miracula faciunt, nõ omnes salui fiant. Multi (inquit Christus) dicent mihi in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas feci-

Iacob. 4.
2. Pet. 2.
Luc. 12.
Regnum Mundi.
Matth. 11.
1. Cor. 15.
Esaiæ. 1.
Matth. 7.

mus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquã noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem. Quia miracula facere, nominem saluum facit; alioqui salui quoq; facti fuissent Aegyptij præstigiatores, qui etiam quædam ædebant miracula. Vaticinari & prophetare, ne hæc quidem saluum aliquem faciunt; alioqui Balaam ariolus, imò etiam asinus eius: simili modo rex Saul & Caiphas salui facti fuissent, de quibus tamen sacra Scriptura multò aliter sentit. Neque etiam nomen & titulus aliquem probum & beatum faciũt: Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.

Exod.7. *Num.12.* *1.Cor.4.*

Alioqui si nomen & titulus Christianum faceret, non dubitarem affirmare, nos omnes saluos fore: quandoquidem inter nos nemo est, qui Christianus dici non gaudeat, & nomen Christi non in ore habeat. Christus autem aliud nobis tradit signum, ex quo verus Christianus cognoscitur. Qui facit, inquit, voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Non dicit, Qui meam facit voluntatem, ne quis cogitaret, eum sibi ipsi nimium tribuere. Hæc est autem voluntas Patris qui in cœlis est, vt credamus in eum quem misit, & eum audiamus. In Christum autem credere, est Christum induere, vti Paulus docet, Ephes.4. Vt nouum hominem induamus secundum Deum creatum: imò vt dominum Iesum Christum induamus: id quod fit, cùm adiuti Spiritu ipsius, accingimus nos ad mortificationem & crucifixionem carnis nostræ & malarum cupiditatum: & si animum quoque illius induamus, ad compatiendum proximo nostro, sicuti Paulus docet Philippen.2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, & humiliauit, &c. Tertiò, hoc etiã Christum induere est, si cor illius induamus, ad honorem Dei in omnibus quærendum, quemadmodum Christus faciebat. Ego (inquit) non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum. Quartò, etiam hoc Christum induere est, cùm per illum omnia à Deo piè speramus, quemadmodum Christus de se ipso dicit: Ego sciebã quia semper me audis ô Pater. Postremò & illud Christum induere est, cùm in omnibus Christo obedimus, quemadmodum Christus obediens fuit vsque ad mortem: imò cùm exemplum & vestigia Christi sequi contẽdimus. Qui enim dicit se manere in Christo, ambulare quoque debet sicut Chri-

Matth.7. *Ioan.6.* *Matt.17.* *Credere in Christum quid sit.* *Rom.13.* *Ioan.8.* *Ioan.11.* *Phil.2.* *1.Ioan.2.*

Christus ambulauit. Etenim Christus nobis exēplum in vita & morte prætulit, vt vestigiis eius insistamus, vti Petrus ait prioris Epistolæ cap. 2. Et Christus ipsemet Matt. 11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Et iterū Ioan. 13 Exemplū dedi vobis, vt quemadmodū ego feci vobis, ita & vos faciatis. Hæc omnia apud teipsum considera, videbis sententiam veram esse, quam Christus protulit: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Omnes quidem confitemur vnum Deum ore, interim verò alius sectatur auaritiā, quam diuus Paulus Ephes. 5. nominat seruitutē idolorum: alius ventrem suum colit pro Deo suo: alius mundanum honorē, alius corporis voluptates aucupatur, &c. Imò oēs confitemur, Deum esse patrem nostrū, & tamen nō concredimus illi vētrem, ꝙ possit nos pascere. Omnes fratres nos profitemur, sed quis est qui fraternam charitatē declaret? Idcirco certò in nobis completur quod Deus in Isaia dicit: Populus iste labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me. Et quod Dauid dicit Psal. 77. Dilexerūt Deum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt illi. Rogat quis, quam ob rem igitur Deus tam longanimis sit, & talem hypocrisim nō puniat? Indicat Dauid causam ibidem: Ipse est misericors, & propitius fiet peccatis eorum. Dissimulat enim peccata hominū propter pœnitentiam. Sempérne autem iram suam continebit, & tam lōganimis erit? Audi quid in Propheta dicat: Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo & absorbebo simul. Et paulò antè dicit Propheta: Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos cōfortabitur. Sic dicit etiam Dauid Psal. 49. Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentū meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionē tuam ponebas. Hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè ꝙ ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam. Et hæc quādo fient? In illa die, inquit Christus paulò post istud Euangeliū. Nunc enim dies salutis est & gratiæ: postea veniet dies iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Beatus vir, cui peccata in die nunc gratiæ teguntur, & per pœnitentiā abolentur, ne in illa die ob oculos ei statuantur. Tantò diligentiùs considerandum nobis est, quod Christus in fine hodierni Euangelij dicit, eos tantùm venturos

Mat. 20.
Phil. 3.
Esa. 29.
Sap. 11.
Esa. 42.
Mat. 7.
2. Cor. 6.
Rom. 2.
Psal. 51.

in re

in regnum Dei, qui voluntatem Patris cœlestis faciunt ac perficiunt. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

QVINTVS SERMO DICIT in genere, quid ex hoc Euangelio sumendum sit.



HODIERNVM istud Euangelium pars est prolixi illius sermonis, quem Christus olim in monte coram discipulis suis & alio populo habuit: adeóque cõclusio est prædicationis illius, qua Christus omnibus hominibus indicare voluit, quomodo doctrinã suam accipi & vsurpari velit: nimirum primò, tãquam doctrinam, cui tam fortiter & firmiter adhærendum est, vt ab ea quis non se patiatur abduci, etiãsi Angelus de cœlo veniret, & aliter doceret: imò vt omnia mala, perniciosa, & exitialia iudicẽtur, quę eiusmodi doctrinæ contraria sunt, quantumcunq; bona appareant & proponuntur. Secũdò, ita doctrinam suam accipi vult, vt nõ modò in ore habeatur, & verbis iactetur, sed vt opere declaretur. Ad primum pertinet similitudo de lupo & ouiũ vestimẽto: ad alterum pertinet similitudo de bona & mala arbore. Et in his duabus parabolis summa huius Euangelij sita est. Prima docet, quomodo Euangeliũ & doctrina Christi accipienda & custodienda sit. Altera docet, quomodo Euangelio & doctrina Christi vti debeamus. Vtrobique consideratione opus est: etenim hostis salutis nostræ, diabolus non feriatur: scit doctrinam Christi syncerã & rectã esse, & certam viã ad cœlum docere ac monstrare. Qua quidem de causa omnem adhibet diligentiam, vt aut nos à tali doctrina amoueat, aut vt in nobis pereat & infrugifera maneat. Vtrobiq; periculũ est. Nam si à doctrina Christi amoueri te sinis, certè erras, saluari non potes, quandoquidem Christus veritas & via est: neque ad Deum quisquam venit, quàm per illũ. Sin verò doctrina Christi in te perit aut sterilis manet, idẽ damnũ est. Hoc Christus silentio præterire nõ voluit, perindè ac si dicat: Agè vos mei discipuli & credentes, lõgum sermonẽ feci, & doctrinã meã in lucẽ satis dedi: vestrũ erit, vt eam seruetis, vtilémq; vobis faciatis. Pro certo enim habebitis, quòd hostis nõ quiescet: circuit sicut leo rugiẽs, quærens quẽ deuoret. Si versutia sua & malitia semper in id vsus est, quomodo homines à verbo Dei audiendo & exequendo possit abstra

Mat. 5. 6. 7. Doctrinam suam vt à nobis accipi velit Christus.

I. (beside "rum primò")

Gal. 1.

II. (beside "nuntur. Secũdò")

Ioan. 14.

1. Pet. 5.

abstrahere: facit idem certè nunc quidem, & plus etiã quàm antea vnquam. Cùm primùm Deus loqueretur ad hominem in Paradiso, illicò aderat hostis, circũueniebat mulierẽ sua astutia, vt dubitare inciperet, num ita esset, quẽadmodũ Deus dixerat: neque cessabat inimicus, donec ei præceptum Dei ex animo excussisset, è diuerso autẽ sua mẽdacia instillaret. Sic deinceps semper fecit. Quotiescũque olim in veteri Testamento Deus suos Prophetas mittebat, toties diabolus falsos suos prophetas cõtrà excitabat. Quomodo igitur nunc feriaretur, luce & veritate per me vobis affatim propalata & propalanda? Si pati nõ potuit, vt aliquibus paucis hominibus verbũ Dei antehac manifestaretur, quomodo nunc patietur vniuerso orbi deinceps verbum Dei prædicari? Si inuidiam suam occultare non potuit, ne aliqui pauci homines salui fierent, quomodo nunc demum inuidia eius exardescet, cùm æterna salus omnibus hominibus per annuntiationem Euangelij mei offeretur? Quapropter certi estote, quòd falsos prophetas excitabit, & iam præsentes habet: vestri quidam Pharisæi & Scribæ primi sunt, quibus vtitur, ad doctrinam meam euertendam, & vos à me auertendos. Et ij tamen tales sunt, quos nõ existimares mali quippiã in animo habere aut conari: quandoquidẽ tam probi, tam deuoti, & tam docti videri volũt: quinetiã patres vestri & pastores sunt. Attamen indubiè falsi prophetæ sunt: imò veri lupi, & animarum interemptores, posteaquam conantur vos à me & mea doctrina abducere. Tales homines diabolus semper in mundo habebit. Itaque monitos vos volo, diligenter circũspicite, ne decipiat vos bona species, vbi verbum meũ non videtis, & auditis in vero intellectu eius. Omni quidẽ doctrinæ authoritatẽ facit, si is qui eam profitetur, honestè ambulet, si doctus sit, si Scriptura vtatur, si de reb' benè loqui possit, si admodum serium & deuotũ se foris exhibeat, & teneat doctrinam suã vsq; ad mortem Sed nondũ certa signa sunt, omnia fallere possunt, lupus se iis tegere potest. Probatũ est, sancta & vniuersalis Christiana Ecclesia sæpè experta est. Legantur veteres Ecclesiæ historię, res ita habere intelligetur.

Gen. 3.

Falsi Prophetæ excitantur à diabolo.

Falsos prophetas mundus semper habuit: ij omnes ornarunt se sacra Scriptura & verbo Dei. Aliqui eorum eximiè docti fuerunt: aliqui item bene honestéq; extrinsecus vixerunt. Alij propter doctrinã suã expelli se & occidi passi sunt. Christus ipse dicit, eos homines aliquot magna facturos miracula

Verbum Dei etiam heretici iactitant.

Mat. 24.

racula, &c. Attamen falsi fuerunt prophetæ. Quare solá externam speciem morari non debemus, sed ad verbũ Dei respicere: & tamen non ad nuda verba, sed ad verũ intellectum eorũdem, qui est in sola Christi catholica Ecclesia, non apud sectarios. Id quod non ab re addo. Audiuistis enim modò, quòd falsi prophetæ & hæretici etiam ex sacra Scriptura & verbo Dei fucum quærant. Quocircà de vero intellectu dispiciendum est. Est autem hic verus intellectus verbi Dei & sacræ Scripturæ, non quem vnusquisq; ex seipso capit, aut quẽ hic vel ille spiritus ei inspirat: sed quem spiritus sanctus iam inde ab initio dedit, & in quo sancta vniuersalis Christiana Ecclesia iam inde ab Apostolorũ tẽpore ad nos vsq;, vnanimis & concors fuit, & mansit. Hic (inquam) verus intellectus est sacræ Scripturæ. Hoc verum & certũ est signũ veri Prophetæ, cùm non solùm verbum & doctrinã Christi profitetur, sed etiã illius interpretationi acquiescat & assentiatur, quam omnes sancti Patres & catholici pij iam inde ab initio habuerunt. Alioqui vt maximè quis doctus & probus insigniter sit, citet Scripturas quotcunque volet, si proprium & nouum intellectum sacræ Scripturæ afferat, quem vera, vnica, vniuersalis & Apostolica Ecclesia nõ habet, suspectus est, & meritò suspectus haberi debet. Vt enim certò doctrina Christi vni doctrina est quę nos ad cœlũ ducit, ita certò quoque in vero illo intellectu relinquenda est, quẽ Spiritus sanctus ipsemet suæ Ecclesiæ iam olim manifestauit. Et hoc est, quod Christus in initio huius Euãgelij dicit: Attẽdite à falsis prophetis, qui veniũt ad vos in vestimentis ouiũ, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Nobis hoc dictum est (inquã) Siquidem in hodiernum adhuc inueniuntur, quos bona species & vestimentum ouiũ decipit. Heus bone, inquiunt, sunt tamen isti viri docti, quomodò tam crassè hallucinarẽtur & errarent? Et iterum: Sunt certè viri probi, qui propter fidẽ suã in exiliũ agi, & interimi se patiuntur: quomodo Deus tã periculosè eos errare fineret? Hic autẽ audis, quòd Christus ipsemet dicit, lupum sub eiusmodi bona specie occultare sese posse, ita vt nemo illi certò fidere possit. Ad verbum Dei respiciendũ est, & ad intellectũ, quẽ sancti Patres & omnes boni atque catholici iam inde ab initio vnanimiter habuerunt, ne fallamur, etiamsi nulla externa species magnæ doctrinæ, eloquentiæ, vel etiam simulatæ sanctitatis accedat. Hoc primum est, quod circa Euangelium istud considerari debet,

Genuinus scripturarum sensus quis sit.

Signum veri prophetæ.

Vide Irenæum lib. 4. Cap. 43. & Epiphaniũ in Amorato.

Mat. 7.

debet, ne vlla ratione nobis verbum & doctrinam Christi eripi sinamus, aut ab ea auerti. Sed nondum hoc totum est. Christus adhuc aliud etiam in hoc Euangelio nobis indicare vult: nimirum vt sanctum illius verbum, & doctrinã etiã apud nos & in nobisipsis non sinamus perire. Tum autem in nobisipsis perit, cùm id aut auribus solùm, & nõ corde accipimus, aut tentationibus nimiùm terremur, aut verò occupati nimiùm sumus curis & negotiis huius mundi, suffocantes hoc pacto verbum Dei, vt nullum afferre fructum possit. Atqui verò vult Christus non solùm vt in doctrina ipsius tanquam vera certáque via maneamus, nec ab ea abduci nos vllo modo sinamus, sed etiam vt rectè ea vtamur. Quare nihil est quod dicis, Audio & credo, & habeo, & diligo verbũ Dei & doctrinam Christi, & quòd apud illud manes, si in teipso pereat, nec illi conuenienter viuere studeas. Idem enim ille Christus, qui in initio huius Euangelij dicit, vt attẽdamus à falsis prophetis, in fine dicit, neminen intraturũ in regnum Dei, nisi qui faciat volũtatem Patris. Dicit in medio: Omnẽ arborem quæ non faciat fructum bonum, excidi denique, & mitti in ignem. Et hoc postremum nõ minus seriò dicit, atque primum. Quinimò affirmat, neminẽ Christianũ se profiteri posse, nisi Christianam quoque & piam vitã ducat: vt arbor bona non censetur, quæ nũquam bonum fructũ facit, etsi multa & pulchra folia habeat. Fert deinde sententiam, quòd quemadmodum infrugifera arbor, etiamsi longo tempore feratur, postremò tamen exciditur & in ignem mittitur: ita etiam Christianus, in quo semen diuini verbi fructũ nullum affert, non est quòd expectet aliud quàm iram & indignationem, vt maximè diu incolumis maneat. Idque non in hoc tantùm loco dicit. In Matthæo scriptum habetur, ꝙ Christus infrugiferæ arbori maledicebat, quæ etiam continuò exaruit. In eandem quoque sententiã loquitur Paulus: Terra (inquit) sepè venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Atque hoc alterum est, quod circa Euangelium istud considerari debet. Hoc nos docere Christus voluit similitudine bonæ arboris. Summa, vult vt verbũ illius & doctrinã non solùm in ore & lingua geramus, sed etiam opere præstemus. Arbores frugiferas habere vult in sua Ecclesia, ideóque neque sumptibus neque labori parcit. Ipse curat vt colatur, ipse pluuiam dat,

Verbum Dei vt pereat in nobis.

Luc.13.

Mat.21.

Heb.6.

Hoc fac & viues.

dat, ipse mittit operarios Apostolos & Prophetas: ipse largitur Spiritum suum & gratiam, vt meritò irasci possit & irascatur, sicubi tales sumptus & labores frustrà impendantur. Hoc primum videmus in Mose, qui id populo suo
Deut. 4. satis seuerè obiicit. Hæccinè reddis Domino (inquit) popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? &c. In Isaia que-
Esa. 5 ritur Deus ipse: Iudicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferã sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriã eius, & erit in conculcationem: & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Ex his & similibus verbis vides, quomodò Deo placere possint ij, qui verbum & doctrinam eius in seipsis perire & infrugiferum manere sinunt. Atque ideò etiam huic Euangelio Epistola assignata est, in qua Paulus illud ipsum
Rom. 8. agit, quod Christus in Euangelio à nobis postulat. Fratres (inquit) debitores sumus: non carni, vt secũdum carnem viuamus, &c. In hac Epistola vides, nũ propterea in sanctam Christianitatẽ vocati simus, vt ociosi viuamus; & num propterea ex potestate & seruitute diaboli liberati simus, vt posthac pro omni nostra libidine viuamus. Nullo modo (inquit Paulus) Quia enim debitores etiam adhuc sumus. Sed inquis: vbi ergò nostra libertas? Putabã Cristianũ liberum
Ioan. 8. & nemini obstrictũ. Respõdeo: Vtique nos Christiani liberi sumus. Christus ipsemet dicit: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, &
Matt. 17. veritas liberabit vos. Dicit item in Matthæo, liberi sunt fi-
1. Pet. 2. lij Dei. Similiter & diuus Petrus dicit: potissimũ verò Paulus ad Rom. 6. Et ad Gal. 3, & 4. cap. Verùm non ita accipere nos libertatem oportet, quemadmodum eam accipit mundus. Is eum liberum censet, qui nemini obnoxius, nemini debitor, nullius seruitio obligatus est: qui neminem vereri aut metuere, nemini parêre & obsequi cogitur, sed facere & omittere quod lubet. Sed hac ratione homo Christianus liber non est. Imò qui christianam libertatem ita intelligere velit, is sanè erraret, séque ipsum & alios seduceret.
Rom. 6. Nemo honorificẽtiùs de Christiana libertate scripsit quàm
Gal. 4. Paulus. Attamen is ipse Paulus dicit ad nos Christianos, nos debitores esse, indicans tamẽ interim, cuius simus debitores.

tores. Non carni (inquit) sed Spiritui. Hæc enim duo in nobis habemus, carnem & Spiritũ, naturam & gratiam, quorum vnum quodlibet nos agit & trahit. Caro & sanguis, ad peccata: Spiritus verò & gratia ad pietatem. Iam verò vult Paulus & docet, nos impulsum Spiritus & instinctũ iustiùs sequi debere, quàm impulsum & instinctum carnis seu naturæ. Et quo id cõmodiùs fiat, mirifice loquitur de Spiritu, quem accepimus, & de dignitate quam nacti sumus, & de æterna hereditate quam expectamus. Ad hæc, comprehẽdit & complectitur totum negotium vno verbo: Si secundũ carnem vixeritis (inquit) moriemini: si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Hic nullũ medium est. Vita & mors nobis proponũtur: vtrũ elegerimus, id dabitur nobis. *Eccl. 15.* Quocirca quod Christus in hodierno Euangelio infrugiferæ arbori minatur, idipsum minatur Paulus in hac Epistola iis qui secundum carnem ambulant & viuũt. Vtrobiq; periculum est, & certum exitium. Infrugifera arbor excidetur: qui secundum carnem viuunt, æterna morte moriẽtur. Vndè meritò rogare debemus Deum, & cũ Ecclesia dicere: Largire nobis Domine, quæsumus, semper Spiritum cogitandi quæ recta sunt propicius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus, Amen. *Precatio Ecclesiæ.*

SEXTVS SERMO DOCET, quomodo Euangelium istud intelligi debeat, cum adiuncta Epistola.



QVI Euangeliũ istud penitiùs introspicit, & quid præcedat, sequatúrq; : & præterea legit vel audit, quomodo id Buccinatores, vel Clamãtes quidã & Scribentes nunc interpretentur, is demirabitur, obstupescet, & peruerso illorũ animo indignabitur, qui verba adeò clara & luculẽta tã temerè, nõ solũ cõtra omnes antiquos Ecclesiæ doctores, sed etiã ex diametro cõtra mentẽ & sentẽtiã Christi, audẽt interpretari, saltẽ vt errorẽ suũ tueri possint, & habeant, in quo aduersarios suos calũnientur cõuiciẽtúrq;. Rogat quis, quomodo? Certũ est, ꝙ Christus discipulos suos & nos oẽs in hoc Euãgelio hortatur ad bona opera, vt quę veri & genuini fructus sunt, ex qubus bona arbor, hoc est, fides recta & salutaris doctrina cognoscitur. Bona opera (inquã) exigit Christus in hoc Euãgelio ex bono semine suę doctrinę. Attẽdere *Impudẽtia hæreticorum.* *Opera bona veri fructus.*

nos iubet ab omnibus iis, qui nos ab eiusmodi fructibus impediunt, aut malos fructus è diuerso nobis inserunt & infundunt. Hanc in sententiam Euangelium istud dictum est, id quod primò verba ipsa præ se ferunt. Præ se ferunt illud ipsum secundò omnes circunstantiæ, quæ præcedunt & sequuntur. Tertiò item præ se fert tota prædicatio, vndè
Matt. 5. 6. 7. verba hæc desumpta sunt. Primò nanq; videre quiuis potest, ꝙ Christus totum & prolixum illum sermonẽ vel concionem, quam Matthæus in tribus capitibus describit, maiore ex parte de bonis operibus locutus sit. Beati pauperes, mansueti, misericordes, &c. dicit in initio. Deinde dicit ad suos discipulos: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Et posteà: Qui facit ea quæ docet, magnus erit in regno cœlorũ, &c. Post illa interpretatur mandata Dei, docet charitatem: docet item quomodo orandum, ieiunandum, & eleemosyna danda sit. Hæc certè omnia bona opera sunt. Tum in hoc Euangelio manifestè dicit, non vẽturos eos in regnum Dei, qui nudis verbis Deum confitentur, & in ore habent, sed qui faciunt voluntatẽ Dei.
Matth. 7. Quo autem vnusquisque videat, verbum istud (facere voluntatem patris) hoc loco non ad fidem, sed ad bona opera spectare: mox subiicit Christus: Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem, Hîc audis quã ob rem tales homines à se ablegabit; non ꝙ illis aliquid desit in fide, sed propter mala ipsorum opera. Huc pertinet quod in fine concionis illius dicit: Ergo omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, similis erit viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerũt in domũ illã, & non cecidit, fundata enim erat super petrã. Omnis autẽ qui audit verba mea hæc, & nõ facit ea, similis erit viro stulto, qui ędificauit domũ suã super arenã, En, hoc pacto comperimus, Christũ in hac tota cõcione bona opera requirere à suis credentibus: itaque dubi-
Ibidem. tare nemo potest, quin etiam istud Euangelium eò spectet, præsertim cùm Christus paulò antè dicat, Intrate per angustã portam, quia lata porta, & spaciosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quoniam

angusta

angusta porta & arcta via est quę ducit ad vitã,& pauci sunt qui inueniunt eã. Et paulò ante: Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. Hæc proxima sunt verba ante hodiernũ Euangelium. Quia ergo mox subiicit quædam Christus de falsis prophetis, & deindè etiã de bona & mala arbore vnà cũ fructibus earũ: certè referri aliò non possunt (nisi textui vim inferre velis) quàm ad doctrinam & cõciones, quæ homines vel ad bona opera instigent, vel à bonis operibus abducãt, ita vt bona arbor nihil sit aliud, quàm doctrina, per quã homo post fidẽ simul ad bona opera dirigitur ac prouocatur. Et qui cum tali doctrina venit, hunc Christus pro vero propheta habet. Cõtrà verò, mala arbor nihil est aliud quã doctrina nõ ad bona, sed ad mala opera ducens. Talẽ doctrinã qui adfert, falsus proculdubiò propheta est, à quo vt attẽdamus, nos monet Christus. Hæc sententia istius Euãgelij est, quemadmodum contextus sermonis egregiè id conuincit.

Sed adsunt noui isti Clamantes, & hoc inuertunt adeò, inquiẽtes, doctrinam de bonis operibus esse malam arborem, & qui bona opera docent, esse falsos prophetas. Et quod fundamentum habent eiusmodi interpretationes? Doctrina de fide (inquiunt) adfert conscientiæ pacem, tranquilitatem & gaudium. Id autem doctrina de bonis operibus non facit: imò quò plus de operibus prædicatur, hòc conscientia minùs conquiescit. Imò frater Euangelice, non ignotum est, illud esse tuum propositum, consolari tuam turbam, qualis qualis ipsa sit. Sed nondum demonstrasti, neq; demonstrabis vnquam, verbum Dei & puram doctrinam non alios adferre fructus, quàm consolationem solam. Quantum equidem intelligo iuxta tuam sententiam, qui ad huius leuissimi seculi homines dicere potest, Nolite timere in peccatis vestris, Credentẽ nullũ peccatũ condẽnare potest, Deus non curat vitã, sed fidẽ tantũ, ratione vitæ nihil est periculi. fides absorbet & consümit omnia peccata, &c hic adfert veram & puram doctrinam, verus propheta est. Quid ita? Consolatur eos, omnem nobis adimit metum, latam nobis facit cõscientiã, quæ nunquam nos mordeat: quantumcũq; malè & impiè viuamus. Contrà, qui ad peccatorẽ dicit, Pœnitẽtiam age, casurus alioqui in ęternã condemnationem, is pro falso propheta habebitur: quandoquidem hominem non consolatur, sed terret. Sed quid tandem hinc consequetur?

Vide hominum cæcitatem.

Deut.28. Primò, ꝙ Moyses falsus propheta est. Quid ita? Docet bona opera: imò promittit illis Dei benedictionem & omnia bona: contrà verò maledicit malefacientibus, & minatur illis omnia mala. Secundò, consequitur indè, legem Dei malam esse arborem. Quam ob rem? Non consolatur, sed *2.Cor.3.* terret & condēnat hominem. Vnde à Paulo vocatur Litera occidens, & ministratio mortis. Hic veteres hæretici triumphum canent, qui præter hoc olim dixerunt, Legem nō esse à Deo, sed à Diabolo datam. Sic etiā omnes Prophetæ falsi doctores erunt, quia hoc nomen habebant, ꝙ peccatoribus mala omnia nunciabant: & nihil aliud faciebant, quā ꝙ car- *3. Reg.22.* pebant, quemadmodum Achab de bono Michæa conqueritur. Quinimò hac ratione etiam ipse Christus & Ioannes *Matth. 3.4.* Baptista, falsi erunt Prophetæ, quia pœnitentiā & bona opera docuêre, peccatores verò corripuerūt. Similiter & Paulus falsus Propheta dicendus erit, qui tam seuerè suos Corin- *2.Cor.15.* thios arguit, dicens porrò, non pœnitere se, etiamsi contristasset eos. Quos autem veraces prędicatores censebimus, si Moyses & Prophetæ, Ioannes & Apostoli, quin etiam ipse Christus, falsi sunt Prophetæ? Atqui falsos eos esse Prophetas oportet, si dogma illud verum est, ꝙ operum bonorum doctrina mala arbor est, & qui bona opera docet, eū falsum esse Prophetam: imò ꝙ omnis doctrina nō consolans, mala sit arbor. Cuius iā partes sequi mauis? Christíne, Ioannis, Moysis, nec non Prophetarum & Apostolorum, qui nō semper consolantur, sed vbi res postulat, etiam increpāt, docēt, instant, vrgent bona opera: an, nouorum clamantium, vel potiùs seductorum, qui semper consolantur etiam sceleratissimos homines, nec vnquam increpant, nullā probantes doctrinam, quæ non semper consoletur, nec prædicatorem eum admittentes, qui non semper vel maximè effrænibus merā gratiā & pacē annunciet? Si bonus Christianus es, fac *2.Tim.3.* apud Christum inueniâre. Accipe quicquid tuæ saluti vtile esse potest, siue doctrina sit, siue solatium, siue obiurgatio. Et scito sacram Scripturam non solùm consolari, sed etiam vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, *Cuiusmodi doctores fugiēdi.* ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonū instructus, vti Paulus ait. Quapropter eos omnes fuge tanquā certos seductores, qui tibi in peccatis tuis adblandiuntur, promittentes tibi gratiā absq; præuia pœnitentia: pollicentes tibi cœlum absq; omni conatu & opera tua:

tua:eleuantes & erigentes omnia bona opera credentium: prædicantes & docentes nudam ac otiosam fidem, &c. Ij namq; sunt illi à quibus vt attendamus, peculiariter nos monet Christus in hoc Euangelio. Quanquam id etiam accipere possumus tanquam generalem admonitionem, vt ab omnibus falsis Prophetis caueamus nobis, etiam in aliis partibus Christianæ doctrinæ. Summa: Christus vult, vt non solùm doctrinam ipsius acceptemus, eámq; mordicus teneamus, sed vt ornemus eam quoq; bonis fructibus. Hæc duo in sua Ecclesia & Christianitate habere vult, veram doctrinam, & bonos fructus, bonos Prophetas, & bonas arbores. Plurimum momenti habent isthæc duo, & vtrobiq; periculum imminet. Si enim doctrina bona non est, & sana, ædificamus super arenam, cadimus in foueam cum illis qui nos ducunt, tartareis lupis prædæ sumus. Et vt maximè doctrina bona sit, nos verò infrugiferi maneamus, excidimur & in ignem mittimur, quemadmodum Christus non solùm hîc, sed etiam in Ioanne dicit: Omnem palmitem (inquit) in me non ferētem fructum, tollet eum Pater meus; & in ignem mittet. Iam si Prædicatores infideles sint, non vacat ea res magno periculo: sin verò auditores in suis vitiis maneant, rursum periculum est. Prædicatori non satis est, quòd Scripturam intelligit & vsurpat, sed officium eius est, vt fidelis sit. Neque auditori satis est, vt audiat & credat, sed etiam officium eius est, vt fructus afferat. Prædicator qui infidelis est, perniciosus lupus est: Christianus qui voluntatē Dei nouit, & non facit eam, aridum & putridum lignum est, ad nihil vtile, nisi vt in ignem mittatur. Tantò diligentius vtrinque aduigilandum est. Christus non sine causa nos monuit, vt à falsis Prophetis attendamus. Neque frustrà similitudinem de bona & mala arbore dixit. Nam nec omnes esse Prophetæ possumus, nec est id quidem necesse: sed omnes arbores frugiferas nos esse oportet. Bonos fructus Christus exigit cū in Prophetis tū in auditoribus. Docere, monere, increpare, cōsolari, ædificare, emēdare, & erudire in iustitia, vt homines perfecti fiāt & instructi ad omnē opus bonū, ij sunt fructus veræ & puræ doctrinæ, vt Paulus ait: Charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, fides, castitas, cōtinētia, &c. fructus sunt bonæ arboris & spiritus: aut, vt Paulus alio in loco dicit, fructus lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Nulla itaq; opus disputatione,

Luc. 6.

Ioan. 15.

1. Cor. 4.

Bonorum operum studiosi omnes esse debemus.

2. Tim. 3.

Galat. 5.

Ephes. 5.

qui sunt fructus boni bonæ arboris. Paulus id iã olim indicauit. Isthinc sumatur iudicium, tum apparebit, qui boni aut mali prædicatores atque etiã Christiani sint. Qui sapit, & seipsum decipere nolit, is attendat, vt Christus in eo tales fructus reperiat, ne maledictionem suam in eum fulminet, quemadmodum illic in Matthæo infrugiferam ficum sua maledictione aridã faciebat. Lata enim iam est sententia: Terra sæpè venientem super se bibens imbrem, proferens autẽ spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima. Maledictio autem Dei omnia arefacit, vt spes ibi nulla sit, nec esse possit. Huc etiã pertinet similitudo de sterili ficu in Luca. Ecce (inquiebat cultor Christus) anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terrã occupat? Super hoc audi etiã, quid Paulus in hodierna Epistola dicat, Debitores sumus (inquit) Roma.8. non carni, vt secundũ carnẽ viuamus, &c. In hac Epistola audis verũ Prophetam: is docet, quomodò & quales fructus adferre debeamus. Nimirũ vt carnẽ nostrã & prauas cupiditates mortificemus crucifigamusque: contrà verò sequamur Spiritus ductum. Quomodò autem caro crucifigenda sit, docet Diuus Paulus alio in loco. Hoc dico & testificor in Domino (inquit) vt iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratũ habẽtes intellectum, alienati à vita Dei per ignorãtiã quæ est in illis propter cæcitatẽ cordis ipsorum: qui desperãtes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, (sicut est veritas in Iesu) deponere vos, secundum pristinã conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundũ desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ: & induite nouum hominem qui secũdum Deũ creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mẽdacium, loquimini veritatẽ vnusquisque cum proximo suo, &c. per totũ illud caput. Similem quoque in modũ loquitur ad Colossenses: Mortificate mẽbra vestra quę sunt super terrã, fornicationẽ, immunditiam, libidinem, concupiscentiã malã & auaritiam, quæ est simulachrorũ seruitus. Deponite iram, indignationem, malitiã, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro, &c. En, hoc vocat diuus Paulus carnem crucifigere. Indicat autem ibidem

Matth.21. *Heb.6.* *Luc.13.* *Caro vt mortificanda.* *Ephe.4.* *Col.3.*

Ibidem quoque, quomodo instinctũ Spiritus sequi debeamus. Induite (inquit) vos, sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatẽ, humilitatem, modestiã, patientiam, supportantes inuicẽ, &c. Super omnia autẽ hęc, charitatem habere, quod est vinculũ perfectionis. In candẽ itẽ sententiã dicit ad Philippenses: De cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quęcunque sancta, quęcũque amabilia, quæcunque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, &c. Et ad Ephesios: Estote imitatores Dei, sicut filij Charissimi: & ambulate in dilectione, &c. per totum illud caput. Vide, hoc est Spiritus instinctum & impulsum sequi: ij etiã sunt fructus bonæ arboris. Hæc vrget Paulus multis & seriis ac grauibus argumentis & probationibus. Inquit primò, nos debitores esse, quẽadmodũ etiã antè ea de re dixit, nos esse seruos & ministros iustitiæ & Dei. Nemo autem non scit, quid duo hæc verba in se habeant. Seruus seruire debet, debitor soluere. Rogas vndénam seruus sis? Responsum. Christus te redemit, quin etiã pro te mortuus est, ne posthac tibi ipsi viuas, sed ei qui te redemit. Scire porrò etiã desideras, vnde debitor sis? considera tuã creationem, tuam redemptionem, tuã vocationẽ, & quotidiana beneficia Dei, quin etiam propria tua peccata, videbis te multifariam debitorẽ esse. Imò eò vsque Deo obligatus es & debitor, vt etiamsi omnia facias quæ tibi præcepta sunt, dicere debeas, te seruũ inutilem esse. Verùm si nõdum videre potes quantũ Deo debeas, audi quid Paulus dicat: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis Spiritũ adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. En, hîc audis quid acceperimus: & hæc adeò sunt, quæ nos impellũt vt nos Dei debitores agnoscere debeamus. Nã quomodo nos obligare magis potuisset? Dedit nobis Spiritũ suum. Is autem Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Facit vt Deum patrem nostrũ appellare ausimus, promittitque nobis æternam hæreditatem. Itaque fratres charissimi, debitores sumus, non mundo, non carni, non diabolo, sed Deo. Consideremus & agnoscamus quid ab illo acceperimus. Omnem adhibeamus diligẽtiam, vt grati erga eum simus, eiúsque voluntatem faciamus, vt etiam consequi possumus, quod promisit, Amen.

Phili. 4. *Ephe. 5.* *1. Cor. 4.* *Luc. 17.* *Rom. 8.*

SEPTIMVS SERMO DOcet vndè veri & falsi prophetæ cognoscendi sint.



HODIERNVM istud Euangeliũ licèt non valde prolixum sit, si verba numerantur, attamen multa consideranda præbet ad verba ipsa diligenter attendenti: imò tantum, vt in vna concione indicari omnia non posśint, quemadmodum ex præcedentibus sermonibus facilè, & tamen abũde intelligere est. Quocircà tribus verbis hac vice ostendi, quid bono Christiano circa Euangeliũ istud considerandũ sit. Etenim primò magna disputatio est hoc tẽpore, qui falsi Prophetæ sint, à quibus vt attendamus, nos monet Christus. Nemo sibi hoc nominis aśsignari vult, & falsus Propheta dici, licèt ipso opere sit. Oẽs horrent nomẽ, omnes alios demonstrant, suos nimirùm aduersarios. Et vt verũ fateamur, difficile cognitu est, quis verus propheta sit: id quod facit ouilla pellis, sub qua tales lupi sese occultant. *Impostores vt se simulent veros doctores.* Sæpe enim deprehẽsum est, & adhuc deprehenditur, ꝙ mali & versuti impostores, multis in rebus veris Prophetis sese aśsimilent, quẽadmodùm magister eorũ Diabolus etiã nonnunquã transformat sese in Angelũ lucis. Id quod exemplis aliquot indicabo. *1. Cor. 11.* Balaam olim ariolus erat, & diabolicus propheta apud Gentes: is reuelationes suas habebat à diabolo, & hunc etiã consulebat: veruntamẽ cũ à Moabitarum rege Balach vocaretur, vt Israëlitico populo malediceret, perindè se gerebat, acsi verus Propheta Dei esset, cui nihil cum diabolo cõmercij esset: dicens se nihil loqui posse nisi esset iussus à Deo. *Num. 22.* Simulabat se voluntatẽ Dei explorare velle: tribus continuis diebus altaria sibi extrui, & peculiaria institui sacrificia sinebat priusquã incipiebat loqui aut prædicare. Hoc erat vestimentum ouium, sub quo lupus latebat. Animus eius & mens mala erat. Ethnico regi, qui ei pecunias & magna munera promittebat, seruire maluisset, quã Deo & veritati: maluisset innoxio populo Dei maledicere, quã quòd contra voluntatem suam illis benedicere cogebatur. Et eam ob causam venerat. En, hunc nemo nõ putasset esse Prophetam: sed angelus Dei personam ei detrahebat & laruã, vero illum nomine appellans. *Ibidem.* Veni (inquit) vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihi'que cõtraria; & nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem,

dixissem, & illa viueret. Sic erat quoque cùm Moyses & Aaron incipiebant inter Aegyptios prædicare & miracula facere. Nonnulli surgebant præstigiatores qui eis aduersabantur:& quod illi faciebant,idē ij quoque faciebāt. Moyses & Aaron aquā in sanguinē vertebāt:itidē faciebant malefici. Moyses virgā abiiciebat,& in serpentem vertebatur: itidē quoque faciebant malefici. Aaron ex mandato DEI, & iussu Mosi,extendebat manum suā super aquā seu fluuios Aegypti,vndè ranæ prodibant,totam Aegyptum tegentes: itidē faciebant malefici.Et hoc erat vestimentum ouiū,quo præstigiatores istiusmodi sese tegebant:sed non facilè illic apparebat,quis inter has duas partes veri aut falsi Prophetæ essent,vsque ad quartū miraculū. Hic confundebantur præstigiatores, palā fatentes ipsimet digitū & potentiam esse DEI, quicquid Moyses & Aaron faciebant. Similiter res sese habebat tēpore Eliæ,Isaiæ,Hieremiæ, Ezechielis aliorúmque Prophetarū. Quēadmodum plerunque conciones suas incipiebant hoc verbo,Sic dicit Dominus:Aut, Hæc dicit Dominus:idē hoc falsi Prophetæ imitabātur,similem in modum loquentes,vti plurimis in locis videre est,præcipuè in Hieremia.Et quemadmodū veri Prophetæ interdū non solùm verbis,sed etiam externis signis futura prædicebant,vt iterū in Hieremia videre est,nécnon in Ezechiele: sic illud idē quoque dicebāt falsi Prophetæ. Vt cū Achab in bellum proficisci deberet, erat quidā inter falsos Prophetas,qui sumebat sibi ipse cornua ferrea,promittēs regi,fore vt talibus cornibus hostes suos cōtereret delerétque.Sic cū Hieremias catenam ligneam in collo gestabat,ad indiciū, populum venturum in captiuitatem,erat falsus quidā Propheta,qui ei rumpebat catenam ligneam:per hoc animans populum,nullam ipsis captiuitatem timendam esse. Neque tum facilè apparebat,vter inter hos duos verus aut falsus Propheta erat:id quod faciebat vestimentum ouium, quo impostor æquè indutus erat,ac verus Propheta. In sancta Christianitate idem accidit,& adhuc.Quicquid veris Apostolis & Prophetis authoritatem conciliabat,id etiam imitari falsi Prophetæ studebant.Petrus,Paulus & alij à Christo missi,nominabant se in suis scriptis Apostolos & Legatos Iesu Christi(quæ res illis authoritatem faciebat) Idem hæretici & impostores faciebant.Et sub pelle ouilla aut falso titulo multis hominibus imponebant, vti in Epistolis

Exod.7. *Exod.8.* *Ibidem.* *Hie.23.28.* *Hier.13.19.* *Ezech.4.* *3.Reg.22.* *Hier.28.* *1.Petr.1.* *Rom.1.*

1.Cor.11. Pauli ad Corinthios & Galatas videre est. Sancti Apostoli ministros se nominabant CHRISTI: itidem faciebāt illi. Sancti Apostoli relinquebant omnia, vtebantur sacra Scriptura, pro doctrina sua affligi se & occidi patiebantur, &c. Illi falsi Prophetæ idē faciebant: vtebātur & ipsi sacra Scriptura, austeram quādoque ducentes vitam: nōnulli etiā eo-
Matt.24. rum miracula faciebāt, quēadmodum Christus prædixerat,
Act.8. & quemadmodū in Simone Mago videre est, qui eiusmodi virtutem miracula faciendi, pecuniis à diuo Petro libenter redemisset, quò maiorem sibi pararet existimationē, & homines meliùs seduceret ac deciperet. Nonnulli hæretici & impostores ob doctrinam suā expelli, condemnari, spoliari, affligi & occidi se permiserunt. Hoc erat vestimentū ouiū, sub quo occultabat sese lupus. Neq; tum facilè apparebat, qui veri & falsi prophetæ essent. Quo Catholici gloriantur, eodē gloriātur & hæretici. Vtrobiq; scientia est, vtrobiq; adhibetur sacra Scriptura, nomen Dei & honor Christi prętenditur, Ecclesia iactatur: vtrobique citātur & producuntur antiqui Patres & Ecclesiæ doctores, quāuis ferè corruptè ab hæreticis. Quomodo igitur distinctè cognosci potest, qui sint veri aut falsi Prophetæ? Ex fructibus eorū cognoscetis eos, inquit Christus. Et qui sunt illi fructus? Nunquid est bona aut mala vita Prædicatorum? Non: vtrobique enim inueniūtur, qui benè & malè forinsecus viuunt. Qui sunt igitur fructus, ex quibus cognosci certò potest, qui veri aut falsi Apostoli sint? Hoc ex quibusdā exēplis discemus.

Matth.3. Cū Ioannes Baptista in deserto prædicaret, omnes metu corripiebantur, & desiderio salutis, ita vt cateruatim ex omnibus ciuitatibus & vicis ad eū confluerent, consiliū quærentes, atque etiam consilio eius obtemperantes. Cū Christus prædicaret, concipiebant publicani quoque & meretrices, quin etiam Latrones, spem salutis, peccata deserentes, pœnitentiam agentes, conuertentes sese ad Deum, vt videre est in Matthæo, Zacchæo, peccatrice in Luca, & in La-
Matth.9. trone in Cruce, Lucæ 19. & 23. Cùm Sancti Apostoli
Luc.7. prædicarent, hic inde proueniebat fructus, vt omnes cre-
Act.2.4. dentes vnanimes essent, nemine dicente inter illos, hoc meum est, sed omnia communia habentes, bona sua vendentes, & in commune ea conferentes: quotidiè versantes in Templo, orantes & laudantes Deum: talem conuersationem ducētes, vt omnes magnifacerent eos, &c.

Cùm

Cùm Paulus in Epheso prędicaret, hic indè fructus nascebatur, vt qui malis vsi erant artibus, suos libros flammis traderent. Cùm Apostoli Euangelium per orbē prædicarent, vbique locorum conuertebantur homines, nō solùm ab idolis ad verum & vnicum Deum, sed etiam à peccatis ad iustitiā. Cùm antiqui nostri Ecclesiæ Doctores prædicarent & scriberent, deprehēdebatur in hominibus nō solùm fides, spes, & charitas erga Deum, sed etiam amor, fides, misericordia, compatientia, humanitas, & veritas erga proximum. Similiter etiam disciplina, honestas, pudor, pietas, iustitia & probitas vniuscuiusq; hominis erga seipsum aut apud seipsum: & ad hæc etiam obedientia & reuerētia erga magistratum, imò etiam desiderium erga deuotionem, ad orationem, ad cultum Dei: similiter etiam contemptus omnium rerū temporalium, odium & reprehensio omnis iniustitiæ. Hæc deprehendebantur apud antiquos Ecclesiæ nostræ Doctores: tales fructus sequebantur ex eorum doctrina. Et eò tendunt etiam in hodiernum omnia scripta illorum. Atque hoc etiā est quod Paulus dicit: Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem. Et iterum dicit: Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, &c. En, hic habes simul & qui veri Prophetæ sint, & quę sit vera doctrina. Sed diligenter obserua quid Paulus dicat. Tria exigit à Propheta, nimirùm ædificationē, exhortationem, & consolationē. Nunc verò isto seculo fructus vnicus est veræ doctrinæ, si conscientiam consoletur. Si quid est quod non semper consoletur, sed interdum mordeat ac doleat, id pro falsa & adulterina doctrina habetur. Quapropter nihil iam aliud fit, quàm quòd cōsolatio adhibetur. Omnibus pax & gratia promittitur, nemo ob peccata obiurgatur, nemo terretur iudicio Dei, nemo ad pœnitentiam impellitur, nemo ad bona opera extimulatur, &c. Sic autem neque Moyses, neque Christus, neque Prophetæ, neque Apostoli fecerunt. Consolati sunt quidem etiam homines, vbi res poposcit, sed interim etiam alios terruerunt, docuerunt, adhortati sunt, increpauerunt, prout cuique necessarium fuit. Idipsum quoque vult Paulus in supradictis verbis. Et qui non tam diligenter ædificat, & exhortatur, quinetiam redarguit, quàm diligenter consolatur, haud dubiè falsus propheta est iuxta verbum Isaiæ, vbi dicit: Popule meus,

Act.19. *1. Corinth.14.* *2.Tim.3.* *Esa.3.*

meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Sic etiam Paulus altero dicto indicat, Scripturam non solùm vtilem esse ad consolandum, sed etiam ad ædificandum & exhortandũ. Et qui hæc duo posteriora non æquè exercet, atque illud
Ezec.13. priùs, certè falsus propheta est, lupus, & animarum interemptor. Promittit enim hominibus pacem, cùm tamen pax nulla est: promittit illis fidem solam sufficere ad salutem, cùm tamen Deus alia insuper etiam postulet. Has duas sententias qui sibi proponit sacræ Scripturæ, & interim videt, quos vnaquæque doctrina fructus ferat, melioréśne an deteriores inde fiamus: quàm primum videbit, num antiquis Ecclesiæ doctoribus, an nouis clamantibus subscribere debeat. Hæc prolixius indicare libuit simplicibus ad bonũ. In hodier-
Rom.8. na Epistola videmus verum & integrũ Prophetam. Paulus ipse facit quod alios docuit. Docet, ædificat, & cõsolatur. Et quidem tria illa simul, nec vllum ex iis solùm. Quicunq; Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Et iterum: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis Spiritũ adoptionis filiorum. In his verbis docet & ædificat. Spiritus quem accepimus, dat spiritui nostro testimoniũ, nos filios Dei esse, & confidenter ad illũ dicere posse, Abba, pater. His verbis consolatur Paulus. Debitores sumus (inquit ampliùs) non carni, vt secundum illam viuamus. Si enim secundũ carnem vixeritis, moriemini: si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. His verbis Paulus impellit ad bonum. Si iam per aliquot annos sic prædicatum fuisset, non tot mali fructus apparerẽt: nec futurum esset, vt aliqui tam grauiter audirent, quòd seducãt populum, & quòd pro falsis prophetis habeantur. Summa, omnia verba huius Epistolæ eò directa sunt, vt bonam arborem, bonam radicem, bonum semen nõ sinamus in nobis perire. Etenim Deus nos ex infru
Rom.11. gifera terra in bonam, ex degenere oleastro in bonam oliuã
Ioan.15. inseruit: imò in veram & genuinam vitẽ Iesum Christum,
Ioan.1. ex quo gratiam & veritatem, lucem & vitam habemus ac haurimus. Ideóq; Paulus fortiter instat, ne quisquam talem plantationem vel insitionẽ Dei, per negligentiam suã perire sinat. Hîc nihil intermittit & intentatum relinquit, quod
Argumenta quatuor. id nobis persuadere possit: quatuor egregiis & efficacibus argumẽtis vtitur & calcaribus, quò nos impellat. Primum:
1. Is qui liberatur, & ab exitio redimitur, redemptori suo gra
1.Corin.6. titudinem debet. Christus autẽ magno nos pretio redemit ab æter

ab æterno exitio, atque ideò etiam seruire illi & grati esse tenemur. Alterum argumentum Pauli: Cui multa credita II. sunt, ab eo multa exiguntur. Nobis autem longè alius Spiritus datus est, quàm veteri Israëlitico populo: hi enim seruitutis spiritum habebant, vt metuere cogerentur: nos autem habemus Spiritum adoptionis, idcircò etiã tanto studiosiores omnis esse boni debemus, quàm illi fuerũt. Tertium argumẽtum Pauli: Filius suo patri plus fidei, honoris & amoris debet, quàm seruus: verùm non sumus ampliùs serui, sed filij Dei, sic vt confidenter illum patrem nostrum appellare possimus. Quapropter etiã æternum illum diligere, laudare, eiúsq; parère præceptis & voluntati debemus. Quartum IIII. argumentum Pauli, quo nos ad bonũ impellit, est: Qui gratuitò splendidam hęreditatem expectat, tantò maiorẽ adhibet diligentiam, ne tali hæreditate indignus inueniatur. Sumus autem hæredes Dei, cohæredes verò Christi: tantò circũspiciendum magis, ne tali hæreditate indigni & ingrati reperiamur. En, hunc in modum diuus Paulus in hac Epistola verum, integrum, & fidum Prophetam Prædicatorémque se exhibuit. Reliquum erit, vt eius dictis morem geramus. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

Luc. 12.

OCTAVVS SERMO COMponit præter Epistolam, etiam Ecclesiæ orationem & cantus cum hodierno Euangelio.



CIRCA iam dictum Euangelium optandum quidẽ foret, vt omnes Prædicatores æquè studiosi essent ad mentem Christi eiúsque verba rectè & fideliter indicanda, quàm sunt studiosi ad alios per id traducendos. Nemo dubitat, quin Christus suos discipulos bono animo, & ex vero amore monuerit & iusserit attẽdere à falsis prophetis, quẽadmodũ reliqua omnia etiã docuit & fecit. Contra verò vident & audiunt omnes, quomodo factiosi nunc super hoc Euangelio iram suam, indignationem, inuidiam, odium & affectus effundant, & sæpe verbis tam virulentis, ac importunis gestibus, vt id omnes boni horreãt. Neque id iniuria. quid enim rixæ eiusmodi, & virulenta conuitia atque contumeliæ magnoperè possint prodesse? Cui placeat, si loco diuini verbi humanam vlciscendi libidinem audire cogatur? Et quid Legatum peius decet, quàm si Domini sui negotium ob quod missus

missus est tradat obliuioni, & quæ sua sunt tãtùm expediat?
2.corin.5. Legatione fungimur pro Christo (inquit Paulus) tanquam Deo exhortante per nos. Hoc nostrum officium est. Nostra instructio est sacra Scriptura, quam debemus non ad nostros trahere affectus, sed vti ea ad ædificationem, ad exhortatio-
1.Corin.14. nem, & ad consolationem, quẽadmodum Paulus dicit. Item
2.Time.3. vti debemus ea ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & maximè ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus, sicuti rursus dicit Paulus. Hæc suggestui cõpetunt, hæc in Ecclesia audienda essent, hæc fructum afferre possent, quam ad rem animus meus semper propensior fuit, quàm ad contentiones. Alioqui ei qui contentiosus est, hoc Euangelio optatius esse nihil potest: imò nihil etiam aliàs tam bonũ in Scriptura est, quin id in suum aduersariũ torquere quis possit, & alter vicissim in hunc, quemadmodũ in hoc Euangelio fit. Hic clamat, hæretice, lupe, & animarum occisor: idẽ alter regerit. Hic alteri enumerat malos eius fructus: idẽ & alter nititur. Nihil aliud est, quàm Echo, inanis clamor, perpetua oblatratio. Cæterùm non est hoc Scripturam interpretari, sed Scriptura abuti Non est hoc Dei, sed suum honorem quærere. Non est hoc ædificare, sed destruere. Qui prophetat (inquit
1.Corin.14. Paulus) hominibus loquitur ad ædificationẽ, & exhortationem, & consolationem. Quocircà tribus verbis accipe summam istius Euangelij. Primò, quia Christus hãc admonitionẽ appendit prolixæ prædicationi, quam aliquando in monte quodam fecerat, indicium præbet, eum velle, vt doctrinã ipsius certam & infallibilẽ habeamus, vt super eam nos penitus ædificemus fundemúsque, vt quæ certò est à Deo, & diuinis operibus confirmata. Secundò, vt nihil ab ea distrahi nos sinamus, sed omnem nauemus operam, vt in finem vsq; eam synceram seruemus: neque permittamus, vt vel tyrãni nos deterreant, vel hæretici eam vitient, aut nos ab ea abducant. Tertiò, vt ornemus eã bonis fructibus. Hoc vult Christus in isto Euangelio. Primum apud nos qui Christiani sumus, non eget multa demonstratione. In doctrina Christi educati sumus: scimus eã nõ ex hominibus, sed ex Deo esse,
Ioan.3. vti Nicodemus dicit, alioqui tam diu durare non potuisset.
Act.5. Si est ex hominibus (inquit Gamaliel) dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere. Scimus Christum dixisse:
Ioan.7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Et iterum: Sermo

Sermonem quem audistis, non est meus: sed eius qui misit me. Scimus item mysterium istud doctrinæ & Euangelij Christi prędicatum esse Gentibus, apparuisse Angelis, creditum in mundo, & assumptum in gloria. Hæc omnia scimus. Nullum itaque apud nos dubium est, quin doctrina Christi vera sit. Vt autem in ea doctrina permaneamus, hîc opus est cura & labore, quandoquidem tam multæ tentationes sunt támque vehementes: quinimò ad hanc rem opus habemus fortitudine & prudentia: fortitudine cōtra Tyrannos, prudentia contra hæreticos. His enim duabus viis doctrina Christi impugnata est, iam indè ab initio, & adhuc. Primò à Tyrannis vi: deindè ab hæreticis astutia & fraudulentia. Vtrunque nobis prædixit Christus, vtrobique monuit nos, vtrobique nobis auxilium & fortitudinem promisit. De tyrannis, & eorum persecutione legis Matthæi decimo, Lucæ duodecimo, & Ioannis decimo sexto. De hæreticis corúmque fraudulentia loquitur hîc Christus. Vult vt prudentes simus, & oculos aperiamus: ostendit nobis vno verbo, quales sint homines, præterea dat nobis signa quædam, quibus dignoscantur. Veniunt ad vos (inquit) in vestimentis ouiū, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Hæ veræ illorum conditiones sunt. Veri Prophetæ ex seipsis non veniunt, sed mittuntur, & habent suæ vocationis certa indicia: habēt doctrinæ suæ certum traducem, hoc est, indicare possunt, quo modò doctrina eorum ab initio ad eos vsque deuenerit, idque multò certiùs, quàm cultor mundi genus suum & originem probare posśit. Secundò, non solùm nomen & speciem Prophetarum habent, sed etiam opus & rem ipsam. Nominant Deum, & hunc in pectore gerunt. Nituntur Scriptura, & huius genuinum habent sensum vel sententiam. Dei honorem & hominum salutem non prętendunt modò, sed etiam ex animo quærunt. Postremò, omnis eorum doctrina ad ædificationem spectat. Clamant cum Moyse, Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Clamant cum Dauide: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Clamant cum Propheta: Conuertimini, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Docent cum Christo Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Dicūt cum Petro: Satagite vt per bona opera certā vestram vocationem & electionem faciatis. Exhortantur cum Paulo Ro

Ioan. 14. 2. Time. 3. Matth. 7. Veri Prophetæ. Deuter. 6. Psal. 2. Ezech. 18. 2. Pet. 1.

lo Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immūditiæ & iniquitati, ad iniquitatem: ita nūc exhibere membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Clamant cum S.
1 Ioan. 2. Ioanne: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Nam mundus transit, & cōcupiscentia eius. Atque hoc pacto omnis illorum doctrina ad ædificationem destinata
Falsi Propheta est: quæ quidem sequitur in iis, qui doctrinam eorum accipiunt. Hi veri Prophetæ sunt. Contrà dicit Christus de falsis prophetis: Veniunt ad vos, & nemo scit, vnde: non habent doctrinæ suę certū traducē, nō possunt indicare, eiusmodi doctrinā antiquitus ad ipsos deuenisse. Cū illis oritur, cū illis iterum euanescit. Omnis Hæresiarcha caput & cauda est sui erroris. Secundò, non habēt suarū rerū certā aliquā &
Hier. 23. ordinariam vocationem. Currebant (inquiebat Deus olim de talibus hominibus) & nō mittebā: prophetabant, & non loquebar ad eos. Tertiò, nomen tantùm & speciem prophetarum habēt, rem verò ipsam & opus minimè. Deum in ore habent, & non in corde, Scripturam iactant, & agūt contra Scripturam: nominant se Dei ministros, sed suæ tātùm auaritiæ seruiunt, vētri & inani gloriæ. Prætendunt Dei honorem, animarū salutem & veritatis studium, cæterùm seipsos duntaxat quærunt. Et postremò omnis illorum doctrina eò tendit, vt non meliores, sed deteriores, non deuotiores, sed leuiores, non diligentiores, sed negligentiores inde fiamus: non abstrahunt nos à mundo, sed in mundum indu-
Esa. 30. cunt: non ad Deum, sed à Deo nos trahunt: loquūtur placen-
Eze. 13. tia & quæ auditu iucūda sunt: puluillos consuunt sub omni cubito peccatorum, vt molliter sine omni morsu conscientiæ in peccatis suis quiescant: condemnāt, & occidunt animas, quæ non moriuntur, & viuificant animas quæ non viuunt, idque pro pugillo hordei, & fragmine panis: & si quis in ore eorum non dederit quippiam, sanctificant super eum prælium, & cæt. Huc pertinet quod Christus dicit:
Mat. 3. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Vult vt species & dulcia verba nos nihilo plus abducant, quàm potentia & persecutio Tyrannorum. Hæc altera pars est, quæ in hoc Euangelio considerari debet. Sed nondum satis est. Christus vult non solùm vt doctrina eius pro certa & vera habeatur, eique innitamur, sed vt eam etiam opere & factis exhibeamus declaremúsque. Inde loquitur in fine tam prolixè de bona & mala arbore. Atque hoc pacto summa istius

istius Euangelij tribus in rebus consistit. Primùm postulat fidem, alterum prudentiam, tertium verò diligentiam & studium. Hæc tria obserua & fac, tum Euangelium istud non sine fructu audieris. Tantum hac vice de Euangelio.

Porrò pro reliqua parte huius sermonis audiemus, quomodo etiam Epistola vnà cum Ecclesiæ oratione & cantu cum iam dicto Euangelio concinat. Et quidem quantum ad Epistolam attinet, non opus est multis verbis, quæ facilè cum iam dicto Euangelio cõcordari potest. Etenim primò quemadmodum nos Christus monet, vt à falsis Prophetis attendamus, qui sub specie diuini nominis & verbi, nihil aliud quàm pestiferum venenum effundunt in corda hominum, nihil ædificantes, sed perdẽtes quod bonum & verum est: ita sese declarat Paulus in hodierna Epistola tanquam verus propheta & doctor, dum non aliter loquitur, quàm vt per se & reuera est, omnem adhibens diligentiam, vt ex ipsius concione nemo deterior, sed omnes meliores fiant. Secundò, quemadmodum Christus in Euangelio dicit de bona & mala arbore, & quales quæque fructus afferat; ita indicat Paulus in Epistola, quid sit bona & mala arbor. Duo nominat, Carnem & spiritum. Nostra caro & natura est mala illa arbor: secundum carnem ambulare, sunt mali fructus: ij enim certam mortem adferunt. Spiritus autem bona arbor est: secundum illum Spiritum viuere & illius instinctum sequi, sunt boni fructus, in quibus certò vitam habemus. Tertiò, quemadmodum Christus in Euangelio vult, vt simus bonæ arbores, & bonos afferamus fructus, hoc est voluntatem Dei faciamus, si modò in regnum Dei venire velimus: sic dicit Paulus in Epistola, nos debitores esse non carni, sed Spiritui, vt non secundum carnem, sed secundum Spiritum viuamus. Hoc pacto, opinor, vnumquemque videre posse, hodiernum Euangelium & Epistolam, bene inter se conuenire. Hodierna Ecclesiæ precatio etiam non inconcinnè concordat cum his duobus. *Largire nobis Domine quæsumus* (dicit Ecclesia) *semper Spiritum cogitandi quæ recta sunt propitius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus.* Sic oratur hodie in catholica Ecclesia. Et talis oratio cum hodierno Euangelio & Epistola non malè quadrat: imò necessario ad illud pertinet. Nam si nolumus seduci à falsis Prophetis, vt Christus monet; bonæ esse arbores debemus, & bonos fructus

Caro.

Spiritus.

afferre, vt Christus exigit: si opera carnis supprimere debemus & mortificare, gratia & opere diuinitus opus habemus. Quis autem talem gratiam, opem & Spiritum dare potest nisi Deus? Rectè igitur Ecclesia ad Deum confugit: sed non rogat tamen dari sibi quemlibet spiritum, sed Spiritum cogitandi & faciendi quæ recta sunt. Id enim Deus præstat. Et est etiam bonus ille Spiritus, quem Deus dat

Luc.11. inuocantibus se: imò verus filiorum Spiritus est, de quo Paulus in hodierna Epistola loquitur. Atque hoc verum ipsius opus est, cogitare & facere quod rectum est. Humanus Spiritus per se horum nihil potest. In seipso & ad seipsum reflexus est: seipsum quærit & non Deum: quod delectabile est id sequitur, & non quod salutare: nihil boni cogitat, tantum abest, vt boni aliquid agat. Tali spiritu qui præditus est, facile decipitur, est & manet infrugifera arbor: nunquam eò peruenit, vt à Spiritu Dei impellatur, & impulsum illius sequatur ad salutem & vitam æternam. En propterea docemur hodie in sancta Christianitate alium spiritum petere: & nimirum eum spiritum, qui nos ducat

Cogitare bonum & facere debemus. & impellat ad bonum cogitandum & faciendum. Hæc námque duo coniuncta esse debent. Bona cogitare tantùm, nihil prodest, nisi bona facias. Et parum est, extrinsecus bona facere, nisi bonæ cogitationes præcedant, hoc est, nisi ex animo proficiscatur, & veniat. Nos hæc duo docemur petere à Deo, & etiam in hoc verum seruare ordinem. Si volumus videri bona facere, intus & in corde incipiendum est. Etenim Deus opus non curat, nisi adsit cor, vt in Cain videre

Gen.4. est, qui quidem sacrificabat, sed sacrificium eius acceptum

Prou. 23. non erat, quia inimicus Dei erat. Præbe fili mi (inquit Sapientia Dei) cor tuũ mihi. Vbi cor Deo deditũ est, ibi quoq; placet opus extrinsecus. Quapropter docemur primò orare pro spiritu bona cogitandi: sed non contentus hoc est Deus: quia palàm est, quòd totum hominem habere velit in suo seruitio, quemadmodum totum hominem creauit, & liberauit, & saluum facturus est. Et ad quid, aut in quem finem docemur Spiritum hunc, aut duplicem operationem vnici huius Spiritus petere? Scilicet, vt secundum voluntatẽ Dei viuamus, qui sine Deo esse nõ possumus: hinc finis est quem quærere debemus, secundum voluntatem Dei viuere, quia sine illo esse nõ possumus. Largitur ille nobis vitam: vitam eam illi rursus impẽdere debemus. Nõ desinit vitam quam semel

semel dedit in nobis conseruare:nec nos debemus desinere,per totam nostram vitam illi seruire. Hic scopus est, ad quem dirigere omnia debemus: Prædicare & prędicationes audire,bona cogitare,& bona facere,vt secundum Deum & eius voluntatem viuamus. Hũc scopum qui non semper ob oculos habet in sua prædicatione facile errare potest, & falsus fieri Propheta:tum qui non tali animo & mente prædicationem audit,nec denique in prædicatione quærit, vt secundum Dei voluntatem viuat, is facilè deceptus est. Atq; hoc modo videre quiuis posset, quòd etiam hæc Ecclesiæ oratio pulchrè cum hodierno Euangelio conueniat.

Cæterùm quòd etiam circa iam dictum Euangelium canitur: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua.* Tales cantus, & laudes Dei (inquam) prima fronte mihi videntur habere simile cum verbis hodierni istius Euangelij, vel etiam hodiernæ Epistolæ. Verùm qui rem diligentius perpendit, inuenit meliùs ordinari non potuisse. Quoniam enim nos monet Christus, vt caueamus à falsa doctrina, certè tantò magis Deo gratias agere debemus, quòd veram doctrinam dedit & dat. Nihil peius & perniciosius falsa doctrina:imò nulla alia in re,siue pecunia sit,bona merces, amicitia, verba & opera, malus dolus, seu infidelitas perniciosior est, quàm in doctrina. Vbiq; quidẽ nocumento est,sed hîc potissimùm, Si quis tibi adulterinã præbet monetam,vitiosas merces, falsa dat verba,&c.incommodat tibi,sed temporaliter solùm, puta, in bonis tuis,aut in corpore tuo. Sin verò quis te decipit falsa doctrina, nocet tibi in anima tua, non temporaliter, sed æternaliter. Quanquam nos Christiani nulla in re dolum minus curamus, quàm in doctrina. Omnibus aliis in rebus experimẽtum capimus, vel probamus antè,ne decipiamur: & si quid ex nobis ipsis non intelligimus,id ex aliis quærimus. Tantummodò in doctrina nullum iudicium habemus, imò nullam curam: quicquid benè sonat, & in animos nostros libenter intrat, hoc cupidè accipimus, perindè ac si talibus in rebus nullus dolus esse aut fieri posit: cùm tamen diabolus iam indè ab initio nulla in re maiorem & perniciosiorem dolum instituerit, quàm in doctrina. Imò tali dolo primos homines paradiso priuauit, & Israëlitas terra ipsorum, quam eis Deus dederat.

Psal. 47.

Doctrina falsa quàm perniciosa.

Gen. 3.

Tantò iustiùs nos Christiani veram & synceram catholicámque doctrinam pro singulari Dei munere ducimus, gaudemus & confitemur, quòd eiusmodi doctrinam ex singulari gratia Dei, in templo eius, hoc est, in sancta Christiana Ecclesia accepimus, & adhuc quotidie accipimus: laudantes itaque Deum, quòd tam magnus est & gloriosus, se ostendit in ciuitate Dei, & monte sancto eius. En hoc modo consentiunt etiam Ecclesiæ cantus cum hodierno Euangelio: imò primum omnium ad id requiritur, Deo gratias agere, quòd talem eius gratiam & misericordiam in templo eius, hoc est in sancta vniuersali Christiana Ecclesia inuenire datur, vbi alij miserè errant, & seipsos in æternum exitium coniiciunt. Reliquum erit, vt sic faciamus. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM LVC. XVI. CAP.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatorem; & hic delatus est apud illum, vt qui dissiparet bona ipsiùs. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ, non enim poteris posthac dispensare. Ait autem dispensator intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me dispensationem? fodere non valeo, mendicare erubesco: scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At

ille

ille dixit: Centum batos olei. Dixítq; illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò, & scribe quinquaginta. Deinde dixit alteri: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta. Et laudauit dominus dispensatorem iniquum, quòd prudenter fecisset. Quia filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in natione sua. Et ego dico vobis: Facite vobis amicos ex mammona iniusto, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI I. CORINTH. X. CAP.

FRatres: Non simus concupiscentes rerum malarum, quemadmodum & illi concupierunt. Neque simulachrorũ sitis cultores, sicut quidã illorum, quemadmodum scriptum est: Sedit populus vt ederet ac biberet, & surrexerunt ad ludendum. Neque stupris inquinemur, sicut quidam illorum stupris polluti sunt, & conciderunt vno die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt. Neque murmuretis, sicut & quidam illorum murmurauerunt, & interempti sunt ab extinctore. Hæc autem omnia figura contigerunt illis. Scripta verò sunt propter admonitionem nostri, in quos termini ætatum inciderunt. Proinde qui sibi videtur stare, videat ne cadat. Tentatio vos non

Iudith. 8.
Num. 11.
Num. 25.
Exod. 23.

cepit nisi humana. Sed fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis: imò faciet vnà cum tentatione euentum quo positis sufferre.

PRIMVS SERMO DE Euangelio in genere.



ISI Christus dominus noster, Parabolá & similitudinẽ hodierni illius Euágelij fuisset ipse interpretatus, fieri posset, vt quidá ex eo lesumerẽt quippiá, quod bonũ non esset: pręsertim vt mundus nõ cõstitutus est, vt fermè in omnibus prædicationibus & scriptis nihil aliud obseruetur retineatúrq; quàm quod ineptissimum est, & minimè omnium ædificat. Sic fieri etiam apud hodiernũ istud Euágelium posset. Quia enim nobis Christus infidelẽ œconomum pro exemplo proponit, existimare aliqui possent, recta omnia esse, quæ fecisset. Verùm nihil hic boni sequeretur. Multa enim mala Euangeliũ de illo dicit, quæ nullũ Christianum decent. Vt potè primò de illo dictũ & scriptũ
Luc.16. est, ꝙ domini sui bona non solũ malè custodierit, sed etiam inutiliter dilapidauerit dissipaueritque. Secundò, ꝙ aliena bona in suũ commodum verterit. Tertiò, quòd aliis etiam occasionem dederit, debita ad plenũ non præstandi. Hęc autem omnia si iusta rectáque dici deberent, & ex Euangelio defendi, quàm multos infidos œconomos vel dispensatores: hæc res primũ datura esset, quámque grandẽ turbam infidelium ministrorũ, & debita malè soluentium? quorũ tamen mundus aliàs plenus est, vt queri satis nemo possit. Quid tum fieret, si prætextum quendá ex Euangelio habere possent, & infidelitatẽ suá verbis Christi excusare? Sed nõ est hæc Euangelij huius sententia. Sacra scriptura nullæ infidelitati adblanditur: nullũ excusat peccatũ: imò si ea esset sententia, vt id omne rectũ esset quod œconomus hic fecit, multas alias Scripturas falsas esse oporteret, quæ planè cõtrarium docent. Etenim primò generalis regula est, quam
Matth.7. Christus in se credentibus dedit: Omnia quæcunque vultis vt faciãt vobis homines, & vos facite illis: & quæ vobis fieri
Rom.13 non vultis, ea aliis ne feceritis. Tum docet diuus Paulus, omnem animam potestati subditam esse debere, non solùm

propter

propter vindictam, sed etiam propter conscientiam. Ille idem Paulus docet & vult, vt serui dominis suis carnalibus pareant cum timore & tremore, in simplicitate cordis sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo: cum bona voluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus: scientes quoniá vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Eodem modo docet idem diuus Paulus, vt omnibus demus quæ debemus: imò vt nihil cuiquá debeamus, præter mutuá charitaté. Et præter hæc omnia, docet lex & mandatum Dei, ne cuiquá sua furemur aut diripiamus: imò nec bona aliena concupiscamus. Has & id genus sententias falsas esse omnes oporteret, & inanes, si probanda omnia essent, quæ dispensator hic fecit. Quapropter ne quis in hoc Euangelio hallucinetur, & malum apprehendat, bonum autem omittat, Christus ipse similitudinem hác interpretatur. Ego vobis dico (inquit) facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cú defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Hîc audis, quo consilio Christus nobis hunc dispensatorem proposuerit. Nequaquá mens illius est, vt aliis infideles simus, surripiamus, aut eos circúueniamus: sed vt circa hanc parabolam cósideremus, qui & vbi simus, quid nobis cócreditum sit, & quid secuturum sit, & idcircò táto meticulosiores, diligentiores & prouidétiores simus. Hoc vult Christ' in isto Euágelio. Primò náque, quátіcúque nosipsos facimus, nihil tamen sumus aliud quàm dispésatores in domu Dei. Dispensator autem scit & scire debet, primò quòd non ipse dominus, sed seruus sit. Secundò, quòd non sit conductus aut susceptus ad otium sed ad laboré. Tertiò, quòd non sit suum quod ei cócreditum est. Quartò, quòd omnium rationem reddere debeat, quę expendit & recipit.

Ephe.5. *Rom.12.* *Exod.20.* *Dispensatores sumus.*

Quintò, quòd de suo supplere cogatur, si quid deest. Sextò, quòd multos habeat qui eum obseruant. Et septimò, quòd omni die dimitti possit, & domo expelli. Ista autem omnia nostrarum rerum sunt: hac conditione in domo Dei sumus. Magna bona sub manibus habemus, temporalia, corporalia & spiritualia: sed nostra nó sunt: Aliena sunt & mutuò accepta bona: qui dedit, recipere idem ille potest. Vtique, reposcet ea, quemadmodum ex parabola & similitudine colligere est de bonis & malis seruis, quos omnes *Matth.25.*

Dominus vocabat,& ex vnoquoque sciscitabatur,quem in vsum bona sibi concredita collocasset:& vnicuique prout fidelis aut infidelis fuerat,mercedē dabat. Deus nobis dedit corpus & animā,& quicquid ad ea pertinet,vt est quod ad corpus,valetudo,robur,vita,ingenium,ratio,sciētia, habilitas. Et extrinsecus temporalia bona,honores,pax,felicitas,& ministerium omnium creaturarū. Ad animam verò nobis dedit suum Spiritum,gratiam, Euangelium,sua sacramenta,tempus gratiæ,&c. Hîc opus est diligenti cura, ne eiusmodi res inutiliter profundamus,sed secundum voluntatem Dei iis vtamur. Et hîc codicillos in manus accipe & ob oculos pone:sede,cogita de singulis,quæ tuæ fidei cōmissa sunt,& in quem finem ea receperis,sat negotij habebis. Si te inuenis infidelem,time. Accusatores enim tui non tacent:nec celare Deum potes quicquam,& præter hoc iudicij dies indictus est. Accusator autem tuus primò est propria tua conscientia. Secundò, sunt creaturæ, quibus abuteris. Tertiò,sunt tineæ,quæ vestes tuas arrodunt,& absumunt. Potissimùm autem sunt pauperes,quos aut vi & iniustis rationibus opprimis,aut quos fœnore exhauris, aut fraude & dolis circumuenis,aut verò tua immisericordia fame periclitari sinis. Hi clamant contra te,& clamor eorum in aures Domini sabaoth introit. Aduenam non contristabis (inquit Deus per Mosen) Viduæ & pupillo nō nocebitis. Si læseritis eos,vociferabuntur ad me,& ego audiam clamorem eorum:quia misericors sum. Hîc vide quid agas. Tam commodè non sedes,quin cedendum quādoque sit:non te diuitiæ,non honores,non potentia tuebitur. Non enim proderunt diuitiæ in die vltionis: neque Deus timet humanum fastum,vel etiam mundanam potentiam. Audite (inquit Sapiens) reges. Horrendè & citò apparebit vobis:quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus,nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit,& æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Vbi ergò dispensatio temporalis tuæ vitæ finem habet, & tibi non parasti amicos,quibus curæ sis væ tibi in æternū. Post hanc enim vitam operari nemo potest. Nec tum mendicare proderit quicquam: id quod vides in diuite illo, qui in inferno & pœna sua magnis precibus ab Abraham & Lazaro

Bona corporalia. *Temporalia.* *Spiritalia.* *Accusatores nostri.* *Iaco.5.* *Exod.22.* *Prouer.11.* *Sap.6.* *Ioan.9.* *Luc.16.*

Lazaro guttulam aquæ mendicabat petebátque, quam tamen impetrare non poterat. Si quis igitur tum vel vnicum Lazarum amicum haberet, is potior illi esset, quàm totius mũdi fauor & amicitia. Itaque si tales amicos habere vis in illo sæculo, facias tibi eos oportet in hac vita. Id faciebat hic dispensator: prudens erat, cogitare nouerat nemini se fore curæ, si ab officio suo depositus esset, nisi priùs beneficiis aliorum hominum amicitias conciliaret. Idcircò festinabat, dum dispensandi munus adhuc gerebat, amicos sibi comparabat, antequam illis opus habebat. Pauperum rationem habebat, à quibus rursus deindè iuuabatur, vbi alioqui fames patienda fuisset. Hæc solertia & prudentia huius dispensatoris, nobis ad exemplum proponitur, & non si quid aliud de illo dicitur. Melius facere aliud nihil possumus, quã vt pauperes nobis amicos faciamus iis ipsis rebus, quas nobis Deus dedit. Illorum enim est regnũ cœlorum. Et quod illis fit, hoc Christo fit: quod illis datur, hoc Deo in manus datur. Atque ibi in loco tutisimo est. Nã nihil nos comitabitur, præter opera bona, maximè opera misericordiæ. Eò nos remittit istud Euangeliũ. Hoc consideret quiuis Christianus, nec nimiùm credat temporali felicitati. Quicquid enim videtur, ad tempus modò durat, instabile est. Quocircà considera ac memor esto nouissimorum tuorum, & ea quæ sequentur, nõ facilè in peccata incides. Quapropter necessarium est, vt ante omnia, & benè obseruemus, qua in re dispensator hic ad exemplum nobis propositus sit. Nam alioqui mala multa quis per id excusare posset, maximè ij, qui similia munera gerunt. Christus autem docet nihil mali, sed bona omnia.

Pauperibus gratificandũ. *Matth. 5.* *Matth. 25.* *Apoca. 24.* *2. Cor. 4.* *Eccli. 14.*

Quam ob rem (vt dixi) nihil aliud vult in hac parabola & similitudine, quàm vt quisque videat, & cogitet, quomodò in domo Dei viuat, & quomodò Dei bona tractet: & sicubi inuenit se hactenus indiligentem & infidelem fuisse, vt quàm primùm meditetur breuitatem vitæ suæ, & futurum iudicium, vbi pariter omnes & de omnibus rebus rationem reddere cogemur. Consideret etiam æternam egestatem & ignominiam eorum omnium, qui in hac vita æterna non quæsierunt: quæ res illi haud dubiè terrorem incutiet, & deinceps etiam impellet & solicitum faciet, quomodò futurum incommodum euitare possit. Hoc vult Christus in isto Euangelio: facitque prin-

Matth. 13.

vili pecunia consequi possumus. Magna itaque dementia in nobis Adæ filiis, quòd vili pecunia non solùm nullum amicum, sed supra hoc etiam, & quidem sæpenumerò Deum omnésque homines inimicos faciamus. Si frugi denarius est (vt dici solet) qui aureum lucratur, maledicta certe pecunia sit oportet, quæ ab æternis bonis nos impedit. Atque hoc pacto habemus ex Euangelio, quod nos terreat, cōtrà etiam habemus quod nos consoletur. Si sequeris dispensatoris infidelitatem, subeas periculum cum illo æternæ indignationis Dei: sin verò illius imitaris prudentiam, potes, vt dixi, paruo tempore, & parùis sumptibus æternum emolumentum facere. Hoc vult hodiernū istud Euangelium. In hodierna Epistola indicat Paulus, qui sint infideles serui, quibus iudicium Dei metuendum est, citans aliquot exempla ex veteri Testamēto, quomodo Deus quandoque impios puniuerit. Non semper res agitur bonis & pecunia. Possumus & aliis in rebus infideles esse, & indignationem mereri. Super hoc monet nos Paulus, ne malo deliniti, idola colamus, aut etiā fornicemur: ne murmuremus Deúmque tentemus, quemadmodum Israëlitæ olim fecerunt, & ob id verò multis modis puniti sunt: dicit omnia illa exempla ad nostri correptionem scripta esse, addēs interim nos esse in quos fines seculorum deuenerint. Quod si verum est, vti dubium esse nemini potest, tantò minus feriandum nobis est, & in otio agendum, ne totum tempus nobis frustra præterlabatur. Quòd si etiam omnia illa quæ diuinam in hominum peccata animaduersionem commemorāt, nobis ad correptionem & admonitionem scripta sunt; meritò nobis etiam dictum esse putare debemus quod Paulus initio Epistolæ docet, & dicit: Non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, &c. Si enim Deus illis non pepercit, qui sub lege id fecerunt, multò minus nobis parcet, si tempore gratiæ impiè viuamus. Hunc enim in modum argumentatur & concludit diuus Paulus alio in loco: Irritam quis faciens legem Moysi (inquit) sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Hoc consideremus fratres: sit nobis admonitioni infidelis dispensator. Terreant vnumquenque iudi

Amentia filiorum Adæ.

1. Corint. 10.

Heb. 10.

iudicia Dei, quæ Paulus commemorat. Caueat vnusquisque ne in similem pœnam & iudicia incidat. Deus nobis suam aspiret gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO ITEM de Euangelio in genere.



IMILITVDO istius Euangelij ita à Christo dicta est & proposita, vt vnicuique qui sibi malè conscius est, metum incutiat, sed interim etiam & quamprimùm rursus solatium & doctrinam præbeat, per quæ periculum omne effugere posit, dummodò ipse velit. Vnicuique homini, inquam, sibi malè conscio, nemine excepto: pertinétque hæc parabola ad solos homines. Alioqui quidem omnia à Deo sunt, quæ omnes creaturæ habent, pecora, homines & angeli. Homo autem solus villicus est, à quo Deus rationem exigit & postulat. A brutis animantibus rationem nullam poscit, quia verò intellectu carent, licet omnia etiam à Deo habeant. A sanctis Angelis rationem exigere necesse non est, quia in bono confirmati sunt, nec possunt à bono ad malum declinare. Contrà mali angeli & spiritus in malo obdurati sunt: quinetiam in eo condemnati, vt à malo ad bonũ sese vertere non posint: ideóque non opus est rationem ponere cum illis. Homo autẽ rationem habet & liberum arbitriũ, quæ bruta animantia non habent. Porrò potest homo etiam profectum facere & bona operari, mediante diuina gratia, id quod mali spiritus non possunt. Et præter hæc, potest homo à bono declinare, quod confirmati Angeli non possunt. Idcircò solus homo est inter omnes creaturas, à quo Deus acceptorum bonorum rationem requirat. Hic ille dispensator est, de quo Euangelium istud dicit. Nec hîc quisquam excipitur, neque summus Pontifex, neque Cardinalis, neque Episcopus, neque Præpositus, neque Cæsar, neque Princeps, neque Comes, neque Nobilis, neque Prætor, neque Rusticus, neque Ecclesiasticus, neque secularis, neque vir, neque vxor, neque iuuenis, neque senex, neque seruus, neque dominus, & quomodocunque nos homines in omnibus statibus numerari possumus & nominari: omnes serui & dispensatores sumus vnius Domini, qui vocatur & est Deus. Hunc honorem sibi soli vindicat, quòd sit solus Dominus & Deus.

Homo quilibet, villicus vel dispensator.

Homo solus Deo rationem reddet.

Ego

Ego ſum Dominus(inquit)& gloriam meam alteri non dabo: mihi flectetur omne genu. Et iterum: Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes. Hic nobis multa ſuorum bonorum concredidit in commune & ſpeciatim. In commune dedit nobis corpus & animam, & quicquid pertinet ad ſuſtentationem corporis, vitæ, necnon animæ, corporaliter, temporaliter & ſpiritualiter, vt Paulus meritò de nobis dicat: Homo quid habes, quod non accepiſti? Imò meritò dicimus & gratias agimus cum ſancto Dauide: Domine Dominus noſter, quid eſt homo, quòd memor es eius, & filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas: inſuper & pecora campi. Volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Et iterum: Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Et rurſum: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et iterum: Benedictus es Domine Deus Iſraël patris noſtri ab æterno in æternum. Tua eſt Domine magnificentia, & potentia & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim quæ in cœlo ſunt, & in terra, tua ſunt: tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tuæ diuitiæ, & tua eſt gloria: tu dominaris omnium: in manu tua virtus, & potentia: in manu tua magnitudo & imperium omnium. Nunc igitur Deus noſter confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. Quis ego, & quis populus meus, vt poſsimus hæc tibi vniuerſa promittere? tua ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ, ſicut omnes patres noſtri, &c. Huiuſmodi verbis & gratiarum actione meritò vtimur, ſi cogitamus, quàm multa & magna Deus nobis bona concrediderit, vt eſt vita, fortitudo, ſanitas, intellectus, ratio, peritia, honores, bona, pax, fortuna, miniſterium omnium creaturarum: & quantum ad animas atti

Eſa.48. *Eſa.55.* *Exo.20.* *1.Cor.4.* *Pſal.8.* *Pſal.102.* *Pſal.115.* *2.Paralip.29.*

Bona nobis diuinitus præſtita.

attinet, Dei cultus, gratia, & fauor, Euangelium, veneranda Sacramenta, & tempus salutis. Hæc & id genus dona omnibus communia sunt hominibus, maxime spiritualia dona, quæ pauperibus æquè ac diuitibus dantur. Præter hæc, alia insuper dona sunt & gratiæ, quæ hominibus aliquot speciatim commissæ sunt. Eæ sunt primùm animæ quas Christus pretioso suo sanguine à morte æterna redemit: Sancta Ecclesia & Christianitas, quam aqua & Spiritu sancto sanctificauit. Hæc Ecclesiastico cœtui, Romano Pontifici, Episcopis, Pastoribus & Prædicatoribus commissa

Eph.e.5. sunt. Secundò, viduæ sunt & pupilli, homines miseri & afflicti: Hi Imperatoribus, Regibus & Principibus commissi sunt. Sunt tertiò omnis generis proles & familiæ, quæ vnicuique patrifamiliâs commissæ sunt. Et si quæ id genus res plures sunt, quas homo sub manibus habet, Dei dona omnia sunt: omnia mutuò data & commissa bona, quorum causa, quòd eorum multa sub manibus habeat, non est quòd

Luc.9. quisquam sese iactet. Cui enim multa data & commissa sunt, ab eo multa exigentur.

Si Ecclesiastico Prælato multæ animæ curandæ sunt, tantò maiorem rationem dabit. Itidem fit cum seculari potestate erga pauperes subditos, viduas & pupillos. Itidem res habet cum quouis patrefamiliâs erga suos liberos & familiam. Sic omninò res habet: dispensatori homini, quicunque ille sit, siue magnus, siue paruus, dictum est, eum rationem dare oportere, non posse hoc muneris semper administrare. Hoc cuiuis Christiano considerandum est. Et sicui conscientia sua dictat, quòd illud, quod sibi à Deo datum & commissum est, mala fide tractauerit, is potest ac debet meritò ti-

I. mere. Etenim primò iudicem habet, qui omnia videt &

Timendū meritò Dei donis malè vtenti. nouit. Putásne (inquit in Hieremia capite vigesimo tertio.) Deus è vicino ego sum, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? Nunquid non cœlum & terram ego impleo? Sic etiam dicit sanctus Dauid: Psalmo 93. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Et iterum:

Psal.7. Scrutans corda & renes Deus.

II. Secundò, habet dispensator infidelis iudicem qui iustus

Deut.32. est. Mihi vindictam (inquit) & ego retribuam eis. Item

Psal.

Psal.49. Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam. In eandem quoque loquitur sententiam Isaias capite vigesimo sexto. Ecce Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltrà interfectos suos. Hac quidem de causa à Dauide nominatur Deus vltionum. *Psal.93.* Ad hæc, infidelis dispensator habet quoque suos accusatores qui non tacent, nec cessant testari. III. *Accusatores malorum dispensatorum.* Horum testium & accusatorum vnus est, interitus tot animarum, quas Christus tanto pretio, imò proprio suo sanguine redemit: is clamat in cœlum contra omnes Ecclesiasticos Pastores & animarum curatores, per quorum socordiam negliguntur. I. Huc pertinet quod Deus ad tam indiligentes, & infideles pastores & speculatores dicit in Ezechiele, se sanguinem eorum, qui per illorum negligentiam pereunt, è manibus ipsorum posciturum. *Ezech.33.*

Secundus accusator, sanguis est pauperum & oppressorum: II. imò suspiria & gemitus viduarum pupillorúmque, qui protectorem nullum habent. Hic clamat contra omnem secularem potestatem, qui aut Tyranni sunt, opprimunt & grauant pauperes, deglubunt: imò carnes eorum deuorant, laniant, & conterunt ossa eorum, vti Michæas tertio cap. dicit: aut verò calamitatem pauperum ad animum non reuocant, non iudicant pupillo, & non defendunt viduam, sed amant dona, & sequuntur retributiones. *Esa.1.* Huc pertinet quod dicit Sapiens, Sapientiæ 6. cap. Audite reges, & intelligite: discite iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem eius ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet.

Tertius accusator, est paupertas & necessitas, fames & sitis inopum. III. Hic clamat in cœlum contra omnes diuites & auaros, contra oēs fœneratores & immisericordes homines: imò cōtra omnes eos qui pauperibus subuenire possent, nec faciūt: imò dissipāt inutiliter & superfluò, aut perire sinunt, quo pauperibus possent succurrere. Huc pertinet quod S. Iacob

Iacob.5. cobus dicit: Agite nūc diuites, plorate, vlulantes in miseriis vestris quæ aduenient vobis. Diuitię vestræ putrefactæ sunt & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit; & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & māducabit carnes vestras sicut ignis. Ecce merces operariorum qui messuerūt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorū, in aures Domini sabaoth introiuit, &c. Tot támque efficaces accusatores infidelis œconomus habet, exauditque Deus clamorem eorum. Ecce (inquiebat Deus ad Cain) vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sic dicebat ad Abraham de Sodomitis,
Gen.4. peruenisse ad se clamorem eorum, & ita, vt pœnam differre
Gen.18. diutiùs, nec posset nec vellet, si res ita haberet. Eáque propter monebat Moyses suos Israëlitas, ne viduas & pupillos læderent aut eis nocerēt. Nam si læseritis eos (inquit Deus)
Exod.22. vociferabūtur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, &c. Similiter quoque dicit Sapiens: Ecclesiastici 35. cap. Dominus iudex est, & nō est apud illum gloria personæ. Non accipiet Dominus personam in pauperem. Non despiciet preces pupilli: nec viduam si effundat loquelam gemitus. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? Hæc omnia confirmat Christus exemplo impij iudicis, qui dice-
Luc.18. bat, etsi Deum non metueret, nec homines reuereretur, se tamē viduæ adfuturum, quæ ei tantum negotij facessebat, vt gemitu & clamore eius liberaretur. Audite (ait Christus) quid Iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamentiū ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Sed quid terribilius, quàm si quis qui sibi malè conscius est, coram iusto iudice, tam potentes cōtra se testes habet? Atq; hoc pacto, opinor, videre quiuis posset (quemadmodùm initiò dixit) quòd Euangelium istud omnibus hominibus in omnibus statibus metum incutiat, posteaquam nemo est, qui semper & in omnibus rebus consideret, quid à Deo acceperit, & qui eo semper rectè sit vsus. Veruntamē doctrina simul & solatium interim nobis datum est, per quod periculum euitare possumus. Ea est prudentia villici vel œconomi, quæ nobis doctrinam & solatium præbet. Ea autem prudentia quatuor in rebus consistit. Primò, quòd

quòd verba & iram Domini sui nō pro ioco, sed pro omninò seriis ducebat. Secundò, ꝙ protinus seipsum explorabat, & reperiebat sibi in reliquum aut labore, aut stipe emendicata viuendum esse: quorum alterum, nimirum labor nimis graue futurum esset: alterum verò, nimirum mendicitas, turpis esset futura. Tertiò, ꝙ secum diuersa cogitabat, quid amotus à dispensandi munere, agere vellet. Et quartò, ꝙ amicitiā pauperum, & beneuolentiam erga eos optimum & certissimum medium arbitrabatur ad euitādam famem.

I. Prudentia villici Euangelici. II. III. IIII.

Hæc ea prudentia œconomi est, quam laudat Christus: hanc nos Christiani pro exemplo accipere debemus, atque hoc vnicum medium est, per quod euadimus. Quapropter si à Deo & regno eius nolis æternùm excludi & submoueri, considera primò, dispensationem tuam, quam in hoc seculo obis, mox finem habituram. Noli tu tibi ipse promittere diuturniorem vitam: memorare nouissima tua, & inæternum non peccabis. Siquidem omnis etiam potentatus, breuis vita est: Hodiè aliquis rex est, cras mortuus est. Cogita secundò, te in hoc mundo nunc multa habere, & posse, quæ in futuro seculo nō habebis aut poteris. Nunc enim operari potes, deinceps non poteris. Nam vt Christus dicit Ioan. 9. Nox veniet, cùm operari nemo poterit. Vndè & Sapiēs vnicuiq; credenti acclamat, Eccle. 9. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Neque hìc in terris dedecus est, à Deo aliquid petere & mēdicare. Illic verò & post hanc vitam dedecorosum erit, & prætereà res innanis: vt videre possumus in quinque fatuis Virginibus, quæ deridebantur, cùm oleum tum primùm mendicare volebant, cùm iam sponsus adesset. Et in diuite, qui in inferno frustrà guttulam aquæ petebat, qui Lazaro in vita, etiam micas de mensa sua inuiderat. Ideóque dicit Sapiens Prou. 20. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Tertiò, semper hoc verbum habe in corde tuo & ore, ꝙ hic dispensator dicit: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? vbi manebo post hanc vitam? &c. Quartò, scito, & pro indubitato habe, non esse certius medium ad euitandam futurā famē: quā beneficentiā & cōmiserationē erga pauperes. Quicquid enim illis fit, Christo fit: & qui misericors est, misericordiam consequetur: qui dat, ei vicissim dabitur.

Seruari volēti quæ consideranda. Eccl. 7. Eccl. 10. Matth. 25. Luc. 16. Mat. 25. Matth. 5. Luc. 6.

En, hoc nos docere Christus voluit in hoc Euangelio. Sic nos perterrefacere solet significatione peccatorum nostrorum: nec tamen propterea nos coniicit in desperationem, sed semper interim admiscet solatium & doctrinam. Eodem etiam modo facit diuus Paulus in hodierna Epistola: multa nobis horrenda exempla diuini iudicij ob oculos ponit: dicit pro nostri admonitione omnia scripta esse: id quod exaggerat eo verbo, quo ait: Qui se existimat stare, videat ne cadat: dans interim bonis hoc solatij, quod Deus fidelis sit, non patiens suos vltra quàm ferre possint tentari, sed faciat etiam cum tentatione prouentum. Atque hoc pacto videmus vtrobique summum nobis periculum imminere, si in malo perseueremus: contrà verò nullam gratiam denegari, si ad Deum ex animo conuertamur, éique constanter adhæreamus. Is nobis omnibus suam gratiam præstare dignetur, Amen.

1.Cor.10.

TERTIVS SERMO DE EVANgelio in genere, cum adiuncta Epistola.



IN hoc Euangelio Christus non apertè, sed per parabolam & verbis tectis locutus est. Attamē non multa opus est quæstione & disputatione, quem per villicum vel œconomum intellexerit. Mox enim dicta parabola, vertit se ad discipulos suos & auditores his verbis: Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. His verbis clarè ostensum est, quòd nos omnes intelligat, & nos omnes œconomos suos nominet. Perindè ac si dicat: Non est quod circunspiciatis vbi dispensator hic sit, qui sic fecerit, & cui hoc acciderit. Vos estis, & ad vos dico, vt vobis etiam amicos faciatis è bonis vestris temporalibus, dum ea sub manibus habetis, &c. Quia ergo dispensatorem habemus, facilè inuenire est, quis diues paterfamiliàs sit. Imò quis esse alius potest, nisi Deus? Quis illo iustiùs paterfamiliàs nominatur? Quis Deo ditior? Hinc videre facilè quiuis potest, quā quis prolixè hac de re loqui possit. Primò de magnis diuitiis diuinæ gratiæ & gloriæ. Deinde etiam de officio, statu, vocatione, in qua vnumquemque collocauit: quin etiam de ingratitudine, infidelitate & malitia hominū. Vt enim certò Christus non absq; singulari causa, Deum verum & diuitem

Deus diues.

patremfa

patremfamiliâs nominat: ita certò etiã nos homines, non temerè infideli dispensatori comparauit. Tempus autem non patitur hæc omnia, & ad longum enarrare: caput huius parabolæ attẽdendum est. Duo nos Christus docere vult in isto Euãgelio. Primò, ne quis diuitiis suis, officio, & præsenti statui, aut felicitati fidat, quia eiusmodi res nulla diuturna esse potest aut perpetua, quantumuis in speciem magna. Secundò, vt quiuis operam det, quò diuitiis, munere & functione sua ita vtatur, vt eius fructum etiã post mortem sentiat, nec idcircò timere habeat iudicium Dei. Hæc præcipua sentẽtia est huius parabolæ & similitudinis. Duæ sunt necessariæ doctrinæ, sed quæ (heu dolorem) parum considerantur. Quàm pauci inueniuntur inter diuites & potentes, qui reputent secum, diuitias eorum & potentiam finem habituram, ídq; opinione fortè citiùs ac spe? Quàm pauci sunt qui in bonis suis, potentia & muneribus ita sese gerant, vt multam propterea laudem & mercedem à Deo expectent, nec timere necesse habeant iudicium Dei? Imò quis non videt, diuites ac potentes pro maiore parte, ita diuitiis ac potentiæ fidere, tanquam perpetuò duraturæ sint, atque ita iis vti, vt certè non multum laudis hoc nomine apud homines, multò minus verò mercedis à Deo, sed nihil aliud quã horrendum iudicium & pœnam expectare habeant? Quia sacra Scriptura non frustra dicit: Iudicium sine misericordia illi qui nõ fecit misericordiam. Et iterum: Iudiciũ durissimum in his qui præsunt fiet. Quare vigilantia opus est. Si munus obis, potestatémq; habes præ aliis hominibus, cogita nõ semper duraturum id, futurúmq; vt ea de re summo patrifamiliâs sis daturus rationem. Quocirca ne efferare tua potẽtia, & bonis: ne fidas illis, nõ propterea sis iactabundus & gloriosus, quia fundamentum malum est. Vana & fallax felicitas est: hodie diues es, cras pauper, hodie princeps es, cras mortuus. Stulte (inquit vox de cœlo) hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Contrà condemnati dicent in inferno: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra. Et hoc vnum est quod circa Euangelium istud considerandum venit. Non semper esse villicus poteris. Quare sequere consilium sancti Dauidis,

Non fidẽdum prosperis successibus.

Iaco.2.

Sap.6.

Luc.12.

Sap. 5.

Psal.61. vbi inquit: Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Diuitiarum vsus optimus. Veruntamen hoc non sufficit, vt diuitiis & potentia non efferamur, sed vti ita debemus illis, ne post mortem, & coram iudicio Dei nobis obsint, sed magis prosint. Nihil autẽ facere melius & certius potes, vt tibi diuitiæ tuæ & potentia etiã post mortẽ tuã conducibilis sit, quã si tibi amicos inde cõpares. quã ob rem si tẽporalia bona habes, eroga in pauperes, certos ea re habiturus amicos corã Deo. Nam etsi etiã pauperes non semper boni sunt, tamen ipsa eleemosyna pro te orat, Quẽadmodum Sapiẽs dicit: Si potes ergo *Eccl.29.* opitulare pauperibus, protege & promoue bonos, arce malos, libera oppressos, iudica in angustia constituto, &c. rursum certos amicos habes illo seculo, & muneris ac potestatis tuæ corã iudicio Dei honorẽ & mercedem recipies. Facite vobis amicos (inquit Christus) de mãmona iniquitatis. *Luc.16.* Hæc summa est istius Euangelij: eò omnia tẽdunt, Qui sibi in futurũ bene prospectũ vult, ne in futuro seculo deficiat, is videat & conciliet sibi amicitiam pauperũ. Sed posset hoc non immeritò paradoxũ videri & dici: rarus hic est & insolitus sermo, qui mundo & Adæ filiis difficulter persuadeatur. Nõ enim illi assentiunt, sed contrariũ adeò sentiunt: nimirum ꝙ homini optimè prospectũ sit, amicitias habenti & cõparanti diuitum ac potentũ. Hoc (inquã) mundus summæ prudentiæ & fortunæ loco ducit, si quis fauorem & amicitiã captet & consequatur apud eos, qui potestatem & honores, bona & pecunias habent. Et mundus etiam planè sic facit: videmus hoc in filiis illius, quomodo vnà currant, adulẽtur, seruiant, ingerant, quanta faciant & patiantur, donec fauorẽ & amicitias sibi parent apud diuites. Deindè quomodo inflẽtur, securi prorsus & animosi fiant, vbi eiusmodi fauorẽ & amicitiã sibi pepererunt. Ibi tũ viuunt sine cura, neminem amplius curant, putant se frustrari non posse: contemnunt pauperes, illorum fauorem & amicitiam nihili faciunt: omninò sic opinantur, qui pecunias nullas aut bona habeant, ex iis percipi commodum nullum posse. Sed Christus longè diuersum sentit. Iubet nos non amicitias ambire, & fauorẽ quærere diuitũ, sed pauperũ. Ait pauperes plus posse prodesse in necessitate, & plus etiam ex iis emolumenti haberi posse, quàm ex diuitibus & potentibus. Sed hoc non credit mũdus: est paradoxum, sed probabile tamẽ: imò

Pauperum potius quàm diuitum expetenda amicitia.

imò iam pridem probatum est in hoc dispensatore. Nemo dubitare potest, quin fauorem & amicitiam habuerit apud diuites & potentes. Cęterùm cùm iam amouēdus à munere esset, nullus illorum inuentus est, qui ei succurrere cuperet. Nec illorū quenquam alloqui audebat: ad pauperes sese vertere cogebatur: hos sibi amicos faciebat, ex quibus etiam posteà sentiebat commodū. Per diuites illi fame pereūdum fuisset. Res eodē modo se nunc habet: qui diuitibus fidit, sæpenumerò decipitur. Dominorū fauor non est hęreditarius, facilè amittitur. Et licet alicui bene volūt, nihil tamē aliud præstant, quàm temporale auxilium. In spiritualibus rebus ipsimet plerunq; pauperes sunt: auxiliari sibiipsis non possunt, tantū abest, vt amicis suis in illo seculo prosint, vbi nihil habent. Quid enim diues in inferno positus, suis fratribus in terris prosit, vbi ipse & ęternū orat ac clamat pro guttula aquæ, quam tamē impetrare nō potest? Quid igitur de istiusmodi hominū amicitia tibi possis polliceri? Quā ob rē Dauid rectè dixit: Vana salus hominis. Monet alibi omnes homines, ne confidant in principibus: quoniā in filiis hominū non est salus. Cōtrà qui amore, beneficiis, & eleemosyna pauperes amicos facit, is tutissimus omniū est: thesaurū certissimum habet in futurū. Eleemosyna enim à peccatis & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. Imò eleemosyna fiducia magna erit coram Deo, omnibus facientibus eam. Si hìc non rependitur, rependitur illic: si id facere pauperes non possunt, faciet illorum loco Deus. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, &c. esuriui enim & dedistis mihi manducare. Et postea: Quod vni ex minimis meis fecistis. Et iterum: Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedē suā. Rectè itaq; Sapiens, dixit Pro. 19. Qui miseretur pauperum, eum Deo fœnerari. In summa: tu quidē tēporalia bona habes, at pauperibus regnū cœlorum promissum est. Si ergo impartiris illis tēporalia, dabit tibi quoq; Deus partē cum illis regni cœlorū. Facite vobis amicos (inquit Christus) qui vos recipiāt in æterna tabernacula: Et hi veri amici sunt, qui nobis in illa vita & æternū vtiles esse possūt. Et quomodo tales amicos nāciscimur? largiēdo, auxiliādo, benefaciendo, mutuū dādo, dimittēdo, cōsulēdo, cōsolādo, docēdo & instituendo. Talis amor, cōdolentia, &

Fallax hominum gratia.

Luc. 16.

Psal. 59.

Psal. 145.

Tob. 4.

Matth. 25.

Matth. 10.

Matth. 5.

beneficẽtia erga proximum, nunquã peribit aut inanis erit.
1.Pet.3. Charitas enim etiam operit multitudinẽ peccatorũ, inquit
Iacob.5. diuus Petrus, & Iacobus. Tum dicit Christus, Matth.5. Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur. Et iterũ Luc.6. Dimittite, & dimittemini: date, & dabitur vobis. Idcircò etiam dabat olim Daniel regi Babyloniæ hoc
Dan.4. cõsilium, vt peccata sua redimeret eleemosyna & beneficẽtia, aut misericordia erga egenos. Nam qualis es erga proximum tuũ, talis etiã erit erga te Deus: & qua mensura fue-
Luc.6. ris mensus, eadem remetietur & tibi. Hoc modo tu tibi ipse amicos conciliare potes, qui tibi in futuro seculo auxilio esse possunt. Id'que sanè multò minori negocio effeceris, quàm diuitem aut potẽtem amicum tibi facias. Multi temporis & magni laboris est, priusquã mundi fauorem consequare, quę tamen amicitia facilè labefactatur: hoc cõsequi potes vno calice aquæ frigidæ, si nõ plus habeas: quin etiam vnico bono verbo. Quã ob rem amicos tibi compares bonis temporariis, qui te recipiant in æterna tabernacula: quia tabernacula in quibus nunc degimus, mox relinquere nos oportet, & fortasſis opinione celeriùs. Bea-
2.Cor.5. tus homo qui cum sancto Paulo dicere potest: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Et cum Sancto Martino: Recede à me cruenta bestia, quia nihil funestum in me reperies: Abrahæ sinus me recipiet. Hoc pacto inuenimus totam sententiam istius Euangelij & similitudinis in his duobus punctis consistere. Primò, quòd nullæ diuitiæ & potentia tã magna est, quin finem sortiatur. Secundò, quòd nihil aliud expectãdum nobis est in futura vita, quàm seuerum iudicium & æterna fames, nisi nobis in hac vita facultatibus & potentia nostra amicos cõciliemus.
1.Cor.10. In hodierna Epistola, verbo vno cuncta hæc comprehenduntur. Qui se existimat stare (inquit Paulus) videat ne cadat. Bono Christiano non solùm considerandũ est, quomodo nunc stet, sed etiam quid deinceps sequetur: non solùm quæ ad latus sunt videre eum, sed etiam quæ pòst euẽtura sint, oportet: non tantũ gaudere debet illo bono, quo impræsentiarum fruitur, sed etiã timere malum & præcauere, quod secuturũ est. Nemo tam firmiter stat, quin cadere poſsit: nemo tam diues est, quin ad paupertatẽ redigi

poſsit:

posſit:nemo tam potẽs eſt,quin accidere poſsit:vt aliis etiã hominibus indigeat. Quam ob rem qui ſtat,videat ne cadat. Hoc modo in verbo iſto vnico ſumma hodiernæ parabolæ cõprehenſa eſt. Alioquin tota Epiſtola aliud nihil eſt,quã fidelis admonitio,qua Sanctus Paulus nos & Christianos omnes hortatur,vt conſideremus, quomodò etiam Deus cũ ſuis infidelibus diſpenſatoribus egerit, id'que nobis admonitionis loco eſſe voluerit. Nuſquã certè inuenimus,ꝙ illis pepercerit,licet interdũ diu connixerit & expectarit:id quod probãt ea exẽpla omnia quæ Paulus in hodierna Epiſtola cõmemorat. Vt paterfamiliàs erga diſpẽſatorẽ nõ longius cũctabatur & conniuebat,ſimulátque infidelitas eius innoteſcebat:ita Deus non parcet nobis,vbi menſurã peccatorũ noſtrorũ impleuerimus. Qua quidẽ de cauſa Paulus nõ temerè nobis tot exempla ſimul propoſuit, & ſemper adiecit,ne & nos ita faciamus,ſed eorũ caſtigatio nobis pręmonitioni ſit. Hic tribus præcipuè pulchris verbis vſus eſt. Primũ,Hæc omnia in figura contingebãt illis. Secundũ,Omnia iſta ſcripta ſunt ad correptionẽ noſtrã. Tertiũ,In nos fines ſeculorũ deuenerunt. His verbis Paulus rẽ exaggerare voluit. Etenim primò vult,ne exẽpla & geſta ſimpliciter accipiamus ceu nudã hiſtoriam,ſed tanquã figuras:hoc eſt,Scire nos oportet,ꝙ Deus non ſolũ id temporis fornicatores,idolorũ cultores,murmuratores,& Dei tentatores ſic pœna affecerit,ſed idẽ iudiciũ omnibus iis,qui ſimiliter egerint,ſit interminatus:idcircò figuras nominat, & nõ ſimplices hiſtorias. Non ſolũ id ſcire nos oportet,ſed etiam inde timorem diſcere. Nec loquitur Paulus de vna figura tantũ,ſed dicit:Omnia quæ de antiquis leguntur,in figura facta eſſe. Porrò dicit:Ad correptionẽ noſtram ſcripta eſſe & doctrinã. Gemina hæc admonitio eſt:etenim primò nobis ad correptionẽ factũ eſt, ꝙ Deus illos ita puniuerit:tum etiã nobis ad bonũ & propter nos factum eſt,ꝙ Spiritus ſanctus eiuſmodi hiſtoriam ſcriptis mandari curauerit. Poſtremò addit Paulus:Nos eos eſſe, in quos fines ſeculorũ deuenerint:id quod nos tantò magis impellere debet:nã ſi finis mundi propè eſt,tantò minùs fidere mundo debemus. Tum ſi nos illi ſumus, in quos fines ſeculorũ deuenerint,tãtò diligẽtius conſiderare nos oportet,vbi in futuro ſeculo manere velimus. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,inquit Chriſtus. Qui ſe ſtare exiſtimat,

Exẽplis Scripturæ quibuſdam vt vtendum.

Mundus contemnendus.

Luc.16.

1.Cor.10.

videat ne cadat, ait Paulus. Confer hæc duo verba, summam hodierni Euangelij habebis. Obserua postremò itē, ꝙ Paulus dicit, Deum fidelem esse & veracem, non passurum nos tētari supra id quod possumus, &c. Hanc promissionē quia à Deo habemus, tantò minùs angi debemus, vndè fortitudinem acquiramus ad eius voluntatem exequendam. Deus fidelis est, nō deseret nos, si tamen ipsi pigri non simus. Suam is nobis omnibus gratiam largiri dignetur, Amen.

QVARTVS SERMO DE initio hodierni Euangelij.

Luc.15.



IN parabola hodierni Euangelij multa cōmemorata sunt, vnicuique Christiano scitu necessaria. Primò nāque, quia Christus paulò antè istud Euangeliū tribus similitudinibus, puta, perditæ ouis, perditæ drachmæ, & perditi filij, Dei ineffabilē bonitatem & misericordiā erga nos miseros pauperes clarè ostēderat: nūc ne quis eiusmodi gratiæ fidat, & tantò segnior fiat ad faciendū bonū, hanc Christus addit parabolam, qua docet omnes Christianos, & monet, vt Dei bonitatē exēpli loco accipiant, & omnibus modis studeant proximis suis benefacere, quēadmodum Deus illis fecit. Secūdò, quò ad miserendū & gratificandū proximis diligētiores & promptiores simus, docet Christus in hac similitudine eiusmodi beneficia quæ proximo exhibemus, nobis nō perire, sed in futurā vitā seruari. Tertiò docet Christus in hac parabola verū vsum temporalium bonorū, & quomodo illa nobis vtilia facere possimus: id quod potissimū fit, si illa liberaliter in pauperes erogemus. Imò hic verus vsus est omnium bonorū spiritualiū & temporalium, si ea in vtilitatem proximi nostri conferamus, vti Paulus dicit 1. Cor. 12. Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatē (intellige) Ecclesiæ, & proximi, &c. Quis autem non videt, omnia ista vnicuique Christiano scitu cū vtilia, tum necessaria esse? Atque vtinā omniū hominū cordibus inscripta essent, multis in reb⁹ aliter multò facturi profectò essemus, quàm nūc facimus. Quò igitur hoc simplicibus altius infigatur, verba hodiernæ similitudinis paulò penitius rimabimur. Homo quidam erat diues (inquit Christus) qui habebat villicū. Sacra scriptura hunc morē habet, vt quādo Dei indignationē, irā, iudiciū vult ostēdere, cōparet eū terribili

Luc.16.

Vsus verus bonorū tam spiritualiū quā temporalium.

ribili

ribili cuidam ac feræ bestiæ. Vt cũ Amos dicit: Leo rugiet, *Amos.3.*
quis non timebit? Et Isaias cap.5. Rugitus eius vt leonis: *Thren.3.*
rugiet vt catuli leonũ, & frendet & tenebit prædã, & amplexabitur, & nõ erit qui eruat. Sic itẽ dicit Hieremias de Deo: Factus est mihi sicut leo in abscondito. In Osea dicit Deus
ipse: Ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorũ. *Osee.13.*
Occurrã eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorũ, &c. Verũ siquando sacra Scriptura Dei bonitatẽ indicare vult, cõparat illũ homini, nẽpe patri: atq; hoc pacto diues nemo alius est in hodierna parabola, quã vnigenitus filius Dei, propter nos homines homo factus. Quẽad-
modũ etiã propheta Baruch prædixit: Hic est Deus noster, *Baruch.3.*
& nõ æstimabitur alius aduersus eũ. Hic adinuenit oẽm viã disciplinæ, & tradidit illã Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cũ hominib⁹ cõuersatus
est. Nõ solũ aũt Christus homo est, sed diues homo: in illo *Colo.2.*
enim oẽs thesauri diuinæ sapientiæ & scientiæ absconditi *Ioan.1.*
sunt. Tũ plenus est gratia & veritate, vt oẽs de plenitudine eius accipiamus. Diues est misericordia in oẽs qui inuocant illũ, Rom.10. Eius est terra cum omni plenitudine eius: imò
orbis terræ, & oẽs inhabitãtes eã, Psal.23. Eius est magni- *1.Pet.2.*
ficentia, & potentia, & gloria, atque victoria. Eius diuitiæ & *Psal.125.*
gloria. Eius sunt cuncta quę in cœlo sunt, & in terra. Adeò diues est, vt omnẽ carnẽ pascat. Aperit manũ suam, & replet omne animal benedictione, Psal.144. Tã diues est, vt etiam nos homines sua benedictione diuites faciat, Prou.10. Imò adeò diues est, vt iam per sex millia annorum oẽs homines & creatũras pauerit, nec tamẽ arca eius adhuc exhausta est & vacua facta. Et quid multis verbis opus est? Quid ditius
Dei sapientia, quæ Christus est? Longitudo dierũ in dextera *Prou.3.*
eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria. Hic diues ille est, de quo Euãgeliũ istud dicit: hic habebat villicũ. In hoc verbo obserua, quo nomine Christus suos appellet. Auar⁹ homo dicit Apoca.3. Diues sum, & nullius egeo: mea sunt quæ habeo. Quemadmodũ & Rex Babyloniæ ait Daniel.4. Nõne hæc est Babylon ciuitas magna, quã ego ædificaui in domũ regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decòris mei? Christus autẽ lõgè aliter loquitur. Homo (inquit) quidam erat diues, qui habebat villicum. Quo docet nos, bonorum quę in hac vita accepimus à Deo, non dominos sed dispensatores esse, siquidẽ Deus solus eorum omniũ dominus

Psal.49. est. Meus est orbis terræ (inquit) & plenitudo eius. De nobis autē dicit Paulus 1.Cor. 4. Quid habes, ô homo, quod non accepisti? si verò accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quia igitur res sic se habet, nihil nobis tantoperè curandū est, quā vt eiusmodi bona iuxta voluntatē domini eorum expēdamus collocemúsque: atque vtinā oēs Christiani crederent, se nō dominos, sed dispēsatores dūtaxat esse bonorū suorū, tum futurum esset, vt nō tanta solicitudine dies & noctes magna bona & diuitias sectarētur, considerantes, quò bona magis accrescunt, hoc se maiorē rationem dare oportere. Neque istiusmodi bonis contra voluntatē domini sui abusuri essent, neque ad inutiles sumptus in vestitu, neque ad superfluum cibum & potū, neque ad magnifica ædificia. Quoniam verò nos Adæ filij videmur nobis ipsi domini bonorū nostrorū (quæ tamen in terras non intulimus, neque auferre ea nobiscum poterimus) nec Scripturæ
1.Tim.6. credimus apertè dicenti, omnia Dei esse, & nobis ab illo dari, ideò abutimur hoc pacto creaturis Dei ad nostrū ipsorū dānū & perniciem. Cæterū quod dixi modò de dispensatione tēporalium bonorū, id etiam intelligēdum de omnibus aliis Dei donis, cū corporis, tum animæ, quia nec illorum proprij domini, sed dispensatores sumus, daturi illi tanquā vero domino rationē de illis, vt illis vsi simus, ea'que
1.Cor.4. expenderimus. Quapropter dicit Paulus de Pastoribus & Prælatis Ecclesiæ: Sic nos existimet homo tanquam ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Beati qui se in his omnibus voluntati Dei cōformes faciūt, & cū Sancto Paulo dicere possunt: Bonum certamē certaui,
2.Timo.4. cursum cōsummaui, fidē seruaui. Nam ad talē paterfamiliâs
Matt.25. vicissim dicet: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cōstituā, intra in gaudiū domini
Matt.24. tui. Si autem dixerit malus seruus in corde suo: Morā facit dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autē & bibat cum ebriosis: veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partē'q; eius ponet cū hypocritis. Illic erit fletus & stridor dentium. Sequitur in Euāgelio: Et hic diffamatus est apud dominum suū, quasi dissipasset bona ipsius. Hoc verbo indicat Christus, Deū nihil latere. Ego (inquit Hier. 29.) ipse testis sum & iudex. Et Hiere. 23. Putâsne Deus è vicino

cino ego ſum, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abſconditis,& ego non videbo eum? Nunquid nõ cœlum & terrã ego impleo? Et ſanctus Dauid, Pſal.93. Qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit gentes, nõ arguet, qui docet hominem ſcientiã? Et Paulus: Omnia ſunt nuda & aperta oculis Domini. Non ſolùm autem videt Deus, quomodo bonis ipſius vtaris ac donis, ſed etiam alij ſunt qui te diffamãt, & accuſant, tanquam qui omnibus Dei donis abutaris. Etenim primò accuſat te propria tua conſcientia, vti Paulus dicit, Rom.2. quòd etiam eos qui legẽ nullam habent, propria illorum conſcientia conuincet, & inter ſe inuicẽ cogitationes accuſabunt, aut etiã defendẽt, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum, per Ieſum Chriſtum. Secundò item accuſant te manifeſta tua opera, quemadmodũ Deus ad Cain dicit: Quid feciſti? Ecce vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sic etiam dicebat Deus ad Abrahã Sodomitis: Clamor Sodomorũ & Gomorrhæorũ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint. Hũc quoque in modum loquitur Deus de magno Tyranno & hominum voratore Nabuchodonoſor: imò etiam de vnoquoque auaro. Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius. Cogitaſti confuſionẽ domui tuæ: cõcidiſti populos multos, & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit, & lignũ quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit. Tertiò, quoque accuſat te gemitus & ploratus pauperum, quibus in neceſsitate durus es. Quemadmodum Moyſes ad populũ ſuũ dicit: Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuũ, nec contrahes manũ, ſed aperies eam pauperi: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. Ex his omnibus vides, quot & quàm potentes infidelis ſeruus accuſatores habeat: taceo nunc de diabolo, qui nõ ſolùm ob mala quæ facimus, nos accuſat & teſtimoniũ fert, ſed etiam ſi quid boni à nobis fit, eleuat ac imminuit, vt in diuo Iob videre eſt: Vtinã hæc diligẽter cõſiderare & credere poſſemus. Sequitur porrò in Euangelio: Et vocauit Dominus villicum. Hæc verba non pertinent ad illam vocationẽ, qua quilibet tẽpore mortis ſuæ, vel etiã in extremo die, tribunali Dei ſiſtitur, ſed ad eã potiùs vocationẽ quæ in hac vita fit, cùm quis per internã inſpirationẽ, vel per externã prædicationẽ & exhortationẽ, quin

Heb. 4.
I.
Accuſatores noſtri.
II.
Gen. 4.
Gene. 18.
Abac. 2.
III.
Deute. 15.
Apoca. 12.
Iacob. 1.

quinetiam per beneficia aut flagella, per promiſsionẽ æternæ ſalutis, aut per cõminationẽ æternæ cõdẽnationis, diuinitus cõmonetur vt cogitet, quomodo ſuo tẽpore rationem reddere velit. Hic rurſum vides, quàm ſæpe & multifariam nos Deus vocet, & tamen id ad animũ nõ reuocamus. Quid autem animaduertẽdũ magis, quàm quòd Deũ vocantẽ nemo audit? Quid nobis certiorẽ cõdemnationẽ adfert, quàm quòd vita adhuc incolumi calculos nõ ſubducimus? Quid hoc audio de te (inquit paterfamiliàs ad infidelẽ diſpenſatorem) imò ſic Deus loquitur ad vnũquẽq; noſtrûm. Homo cogita quis ſtatus tuus ſit: Chriſtianũ te vocas, ſed viuis Gentiliter. Vita tua nõ reſpõdet vocationi tuæ. Deũ cõfiteris ore,
Tit.1. ſed operibus eũ abnegas. Dominũ tuũ me vocas, nec tamẽ vo-
Matth.7. luntatẽ meã facis. Deũ patrẽ tuũ nominas, nec tamẽ vel amo-
Mala.1. rem erga eũ vel timorẽ habes. Lõgè aliud in Baptiſmo promiſiſti. Nõ Dominũ te, ſed diſpẽſatorẽ bonorũ meorũ cõſti-
Matth.25. tui. Tum vides alios mea dona rectè collocare, & ad vſuram ponere, tu autẽ fodis mea dona & bona in terrã. Quid hoc audio de te? Seuera profectò accuſatio & percũctatio. Nõ diſſimilis eſt ei, qua Chriſtus in Matt.c.22. ad quẽdã dicit: Amice, quomodo huc intraſti, veſtem nuptialẽ nõ habens? Et vbi percũctatio illa reipſa agitur, obmuteſcat homo oportet: cõ-
Iob 9. fiteri cũ diuo Iob cogitur, ſe corã Deo, pro mille vnũ reſpondere nõ poſſe. Optãdũ quidẽ foret, vt hæc vox & querimonia nũc in auribus noſtris perſonaret, vt vnuſquiſq; cũ ſancto Dauide diceret, Pſal.84. Audiã quid loquatˀ in me Dominus Deus, quoniã loquetur pacẽ in plebẽ ſuã. Hoc verbo peculiariter omnibus iis, qui in alios homines imperiũ habent, propoſita eſt inſtitutio, quomodo gerere ſeſe in peccatis & tranſgreſsionibus ſubditorũ debeãt. Nimirũ primò, ne taceãt & cõniueãt, quẽadmodũ olim Heli faciebat ſuis fi-
1.Reg.2. liis, ſed in ſui grauẽ animaduerſionẽ & æternã ignominiam. Ab eiuſcemodi ignauis gubernatoribus Deus ſanguinẽ poſcet omniũ eorũ, quos per ſuũ ſilẽtiũ in peccato relinquũt &
Ezech.33. perire ſinũt, quẽadmodũ ipſe in Ezechiele dicit & cõminatˀ. Secũdò, illi qui præſunt, ad pœnã irrogãdam, præcipites eſſe nõ debẽt, ſed prius veritatẽ exploratã habere, quàm ſententiam dicãt, quẽadmodũ paterfamiliàs hic facit, dum diſpenſatorẽ vocat, & ad eũ dicit: Quid hoc audio de te? Neceſſaria doctrina eſt, quia etiã bonus quilibet in hoc facilè delinquere poteſt, vt accuſatori nimiùm vel æquo faciliùs credat, reo
verò

verò iniuriam faciat. Quemadmodũ Dauidi accidit, qui bonum Miphiboseth voluit omnibus penè priuatũ facultatibus ob vnius nugigeruli iniquam delationem. Sequitur in Euãgelio: Redde rationẽ villicationis tuæ. Quod nobis perinde dictũ est, vt ad rationẽ nos accingamus, & nosipsos exploremus, quomodo eã subducere velimus. Imò vt nũc dum tempus gratiæ adhuc voluitur, iudicium Dei ob oculos ponamus: & perindè ac si corã tribunali Dei staremus, rationẽ à nobisipsis exigamus, quomodo omnibus donis Dei vsi simus. Enimuerò quandoq; res eò perueniet, vt ad vnũquéq; nostrûm dicatur: Redde rationem villicationis tuæ. Terribile sanè verbum, quod vel solum semper nos in metu cõtinere debebat. Quid enim infelix homo faciet & prætexet, vbi de omni eius actione & omissione, opere, verbis & cogitationibus ab eo ratio poscetur? Quapropter diligentiã adhibe, vt debita hìc tua expiẽtur ac dissoluãtur. Quod tamẽ nõ aliter fit, quàm si ex animo pœnitẽtiã agas, & toto corde ad Christũ cõuertaris. Is enim est, ꝑ quẽ remissionẽ peccatorũ accipimus: imò ipse est ꝓpiciatio ꝓ peccatis nostris. In hoc nãq; Deus misit filiũ suũ & dedit, vt mũdus per ipsum saluetur. Potissimũ autẽ obseruãdũ vnicuiq; Christiano est, ꝙ paterfamiliàs porrò dicit ad infidelẽ dispẽsatorẽ: Iam nõ poteris villicare. Quibus verbis dicere videtur: Iam propè est, ꝙ tibi ex hac vita decedẽdũ est, nec bonis Dei vti ampliùs poteris. Nã in morte dispẽsatio tua finẽ habet: & post mortẽ nõ est tẽpus bene faciẽdi. Ambulemus itaq; dũ dies est: Veniet enim nox, cùm nemo operari poterit. Operemur bonũ dum tẽpus habemus. Quodcũq; potest facere manus tua, instãter operare: qa nec opus, nec ratio, nec sapiẽtia, nec sciẽtia erũt apud inferos, quò tu properas. Hoc disce ex verbis patrisfamiliàs, quibus suũ cõpellat dispẽsatorẽ: nec minus hęc verba ad animũ reuoces, quàm idem infidelis seruus fecit. Sed de hoc aliàs. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

2. Reg. 16. — Ephe. 1. — 1. Ioan. 2. — Ioan. 3. — Ioan. 12. — Ioan. 9. — Gal. 6. — Eccle 9.

QVINTVS SERMO DE altera parte Euangelij.



ODIERNVM istud Euangeliũ contra tria hominum genera dictum est atq; destinatum. Primò, cõtra eos, qui seipsos nõ agnoscũt. Secundò, cõtra eos, q omnibus Dei bonis abutuntur. Et tertiò cõtra eos, qui futurã indigẽtiam

& ne

& necessitatem nō cōsiderant, neq; sese aduersus illam præmuniunt. Non quidē eiusmodi homines inter nos esse debebant: attamen docet experientia, maiorē Christianorū partē in hisce rebus reprehēsioni obnoxios esse. Tātò iustiùs nobis Euāgelium istud cōsiderandū cum diligētia est. Quippè primò multi sunt etiā inter nos Christianos, qui seipsos nō agnoscunt, nec cogitāt qui sint, vnde veniāt, ad quid creati sint & vocati, à quo & quē in finē vitā aliáque dona acceperint: non recolunt animo secū, se Dominū supra se habere, qui omnia videt, & cūcta iudicabit: nō cogitāt se accusatores multos habere, sed abeūt & viuūt perinde ac si omnia ex seipsis habeāt, & quasi nō Deus sit aliquis, neq; timēdū sit futurum aliquod iudiciū. cōtra tales homines Euāgeliū istud primum omniū agit. Et ob id cōparat eos Christus dispēsatori, hoc ipso humiliaturus illos, perinde ac si dicat: Quid superbis terra & cinis? Quid habes quod nō accepisti? Si autē accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis? Dicis, diues sum, nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus. Hunc in modū (inquam) nos Christus humiliare vult nomine dispensatoris, & ad cognitionē nostri ipsorū adducere. Dispensator enim (qui modò ratione præditus est) scit sese seruū esse, & nō ad otiū, sed ad laborē susceptum. Scit item nō suum esse, quod sub manibus habet. Scit se rationē dare oportere, & à se requisitū iri, si quid defuerit aut ꝑditū erit. Scit se multos obseruatores habere, & dimitti posse. Hæc autem omnia adducunt nos ad cognitionē nostri ipsorū: eius enim conditionis sumus omnes. Secundò, Euangelium quoq; istud contra eos destinatum est, qui donis ac bonis Dei abutuntur. Tales nos Christiani maxima ex parte sumus, ita vt Christus ipse dicat: Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quem cōstituit Dominus suus super familiam suā? &c. Nimirùm Dauide dicente, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, vt ne vnus quidē sit qui bonū faciat. Siquidē rebus cūctis abutimur, vita, sanitate, diuitiis, tempore, & omnibus donis Dei. Quapropter triplicē nobis incutit Christus terrorem. Primò dum dicit, Nos diffamari. Secūdò dum ait, Quid hoc audio de te? Et tertiò dum dicit, Redde rationē villicationis tuæ. Sunt autē omnia hæc horrenda verba, vnde meritò cum Dauide Psal. 142. orare debebamus: Domine nō intres iudiciū cū seruo tuo, qa nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuēs, &c. Tertiò, contra eos potissi

Plerique nosipsos ignoramus.

Ecclesi. 10.
1. Cor. 4.
Apocal. 3.

Mat. 24.

Psal. 13.

Terror triplex

potissimùm Euangeliũ istud agit, qui aduersum futura sibi nõ prospiciunt. Ex his ij præcipuè sunt, de quibus etiam Dauid dicit: Nescierũt, in tenebris ambulãt, &c. Et postea: Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes. Vos autẽ sicut homines moriemini. Quamobrem necessarium est, vt etiã futura consideremus, & contra illa nos muniamus. Id nos altera docebit pars istius Euãgelij, vbi Christus dicit: Ait villicus intra se, hoc est, cogitabat apud semetipsum, suámq; consulebat rationem, quid sibi in eo periculo faciendum esset: quia metus sæpè hominem ad frugem compellit. Quid faciam (inquit) quia dominus meus aufert à me villicationem? Diligentiùs cogitabat, quid facere posset, quàm quomodo loqui vellet: sciebat enim apud iustum iudicem virtutum opera plus valere, quàm magnifica verba, vt Paulus ait, Regnum Dei nõ cõsistere in verbis, sed in virtute. Et Christus Matt. 7. Nõ omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorũ: sed qui facit volũtatẽ Patris mei. Fodere nõ valeo, inquit villicus, amplius. Verissimũ vtiq; est. Nã cùm per mortem à dispensandi munere amouemur, non poterimus amplius laborare. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescãt à laboribus suis: opera enim illorum sequũtur illos. Tum dicit Christus Ioan. 9. Venturã noctem, cùm nemo operari poterit: futurúmq; eo tempore, vt mendicare ignominiosum habeatur. Dum enim hîc sumus, operari possumus, cõfidenter à Deo petere & mendicare licet: quia nunc securum aditum ad illum habemus, dicere ad illum possumus: Pater noster qui es in cœlis. Post mortem verò mendicare amplius nõ poterimus: tum enim quidẽ fatuę virgines clamabũt, Domine, Domine, aperi, sed respõdetur illis, Nescio vos. Beatus qui hoc considerat nunc. Ambulate (inquit Christus Ioan. 12.) dum lucem habetis, ne comprehendant vos tenebræ. Et Isa. cap. 55. Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est. Scio quid faciã, inquit dispẽsator, vlteriùs. Optimum reperiebat cõsilium, per misericordiã erga pauperes, misericordiã quærens apud Deum: quia nõ fallet profectò quod Christus dicit Matth. 5. Beati misericordes, quia misericordiã consequentur. Et iterum Luc. 6. Date, & dabitur vobis. Idcircò olim Daniel suo regi nullũ aliud dabat cõsiliũ, quàm vt peccata sua eleemosynis redimeret. Sed obserua hîc, parabolã hanc nõ ideò nobis proponi, vt dispensatorẽ in omnibus sequamur, sed in eo duntaxat, quòd tẽpore offi

Psal. 81. *1. Cor. 4.* *Apoc. 14.* *Mat. 6.* *Mat. 25.* *Dan. 4.*

re offi

re officij sui & blandiētis fortunę, futuram inopiā considerauit & anteuertit. Nō enim hæc sententia est, vt mentiri fas esse putemus, & circunuenire proximū nostrum: multò minus, vt seruis & familiæ permissum sit, infideliter cum dominis agere, vti seruus iste fecit. Quia hoc manifestò contra verbū Dei esset, & doctrinā spiritus S. qui spiritus est veritatis & ob id odit omne mēdaciū, dolum, fraudē, caliditatem, falsitatem & infidelitatē. Is etiā cū primis à seruis & ancillis fidele seruitiū erga dominos, vt Paulus multis in locis suarū Epistolarū indicat, requirit. Propterea in hoc similitudo ista tantū dicta est, vt etiā discamus futura cōsiderare, & per misericordiā erga pauperes, thesauros nobis in cœlis cōparemus. Sequitur in Euāgelio: Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudēter fecisset. Nō malitiā eius & infidelitatē, sed prudētiā laudabat, quòd futurā inopiā tā prudēter pręcauisset: perinde ac si cōcionator, quò auditores suos hortetur & prouocet ad orationē, & rectè facta his verbis vtatur: En, fures & latrones vigilant totam noctē, vt furētur & pręde̅tur cū periculo vitæ suæ. cur igitur neque tu vigilares ad orationē & bona opera spe ęternę mercedis? Talis laudat fures & latrones nō ob furtū & latrociniū, sed ob solertiam, ꝙ etiā opera sua mala ita prouidè instituūt, & tam impigri ad ea sunt. Similiter si dicā ad quēpiā: Ea, impudica mulier ornat & comit se, vt alios ad obscœnos amores & venerem alliciat: cur teipsum non etiā ornares fide & Christo conformibus virtutibus, vt Deo placeas? His verbis certè nō laudo impudicitiā mulieris, sed diligētiā solùm illius, qua tamen ad flagitia abutitur. Sic etiam hoc loco dispensator iste ob solertiam tantùm laudatur, quòd vtilitatē suam tam benè perpēdere poterat, vt eodē modo animabus nostris prospiciamus, quemadmodum hic corporis sui & temporalis vitæ oblitus non fuit: & vt facultates nostras temporales in pauperes erogemus, atque ita thesaurum nobis cōgregemus in vitā futuram. Quia filij huius seculi (inquit Christus porrò) prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Filios huius mūdi nominat omnes cultores huius mūdi, vtpotè mundum hunc pro patria sua habentes & amantes, cupientes solùm hæreditatem suam & diuitias in temporalibus, conformes se facientes huic mūdo, plus occupati tēporalibus quàm diuinis rebus. De mundo sunt, & loquuntur de mundo, & mundus audit illos, ait Ioannes. Electi verò, filij lucis hic vocantur

Ephe. 6. *Colo. 3.*

Merces æterna bonorū operum

Filij seculi.

1. Ioan. 4.

Electi cur filij lucis.

vocantur. Primò, propterea quòd per fidem & charitatem filij sunt Dei. qui vera lux est, quæ nullas tenebras habet & patitur. Secundò, ideò quòd veram lucem, qui Deus est, supra omnia diligunt. Tertiò, quòd vident, quæ mundus non videt, nimirum cœlum apertum, & Iesum Christum à dextris Dei sedentem. Quartò, quòd lucidam, virtutibus conspicuam, & alios ad meliora prouocantem vitam ducunt, vti Paulus dicit Ephe.5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Quintò, ideò quoque filij lucis appellantur, quòd ad lucem æternæ gloriæ prædestinati sunt, & quòd semper patriam illam, vbi æterna lux est, suspirant, & ad eam festinant. Dicit itaq; Christus: Filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis: sed addit, In sua generatione: hoc est, cautiores sunt & diligẽtiores ad acquirenda temporalia bona & seruanda, vtiliterq; collocanda, quàm filij lucis ad spiritualia. Verissimũ est. Etenim in externis rebus, si quid lucri, aut periculi, & damni imminet, nullo monitore opus habemus, vltrò facimus ea quæ ad rem pertinent. Ad spiritualia verò neque admonitionibus, neque promissionibus, neq; minis impelli nos sinimus. Ea autem desidia ad bonum partim ex veteri Adam, & mala radice adhuc in nobis hærẽte, partim etiam ex nostro vitio proficiscitur. Vnde Christus ait: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: sed vigilandum & orandum, & certandum viriliter contra eiusmodi inertiam. Filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis. Sequitur: Et ego vobis dico: Facite vobis amicos (inquit Christus) de mammona iniquitatis, &c. Hæc conclusio est huius Euangelij. & summa istius similitudinis. Qua docet nos Christus, vt ex præmeditatione futurarum rerum nobis amicos faciamus, qui nos deinceps in rebus afflictis etiam agnoscant, & quibus curæ simus. Beatus homo, qui in extremo die Deum & sanctos ac electos omnes amicos habuerit. Contrà verò infelicissimus erit, quem in tali necessitate neque Deus, neque sancti & electi agnoscent. Quocirca omnem adhibebimus diligentiam, vt tales amicos consequi queamus. Rogas quî id fieri possit? De mammona iniquitatis (inquit Christus) perindè ac si dicat: Non est opus multo labore, nec magno constat: eo quòd extrinsecus habes, & quo ipse non eges, tales tibi conciliare amicos potes. Et quid poterat Christus facilius præcipere? Verumtamẽ non loquitur de bonis iniquè & cõtra Deũ, vtpote

1.Ioan.1.
Act.7.
Matth.26.
Sancti conciliandi.

mendaciis, fraudibus, furtis, prædationibus, fœnore, &c. partis. De talibus enim bonis Deo acceptum fieri sacrificium non potest. Ego Dominus (inquit in Isaia) diligẽs iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Eandem in sententiam loquitur Sapiens, Ecclesiast. 34. Dona iniquorum non amat altissimus. Quapropter docet Salomon, vt eleemosynã præstemus ex nostris bonis propriis: si quid autem iniquè partum est, vt illud restituatur. At enim inquis: Cur igitur nominat Christus diuitias & temporalia bona, mammona iniquitatis? Nunquid etiam sunt creaturæ Dei? Atqui dicit Paulus, Omnes creaturæ Dei bonę sunt. Tum dicit Moyses Genes. 1. Deus vidit omnia quæ creauerat, vt cuncta erant bona. Respondetur: Idcircò iniquæ vocantur diuitiæ, ꝙ plerunque homini causa sunt omnis iniquitatis, & ꝙ iis ĩiustè, & quandoque ad peccata & omnia mala abutamur.

Isa. 61. *Prou. 3.* *1. Timo. 4.* *Diuitiæ cur iniquæ vocentur.*

Hunc in modum etiam Paulus dies & tempus malum vocat. Redimẽtes tempus (inquit Ephe. 5.) quoniam dies mali sunt. En, hìc nominat diuus Paulus dies malos, non propter ipsos: sed quia praui homines diebus & tempore abutũtur. Eodem pacto hìc bona temporalia mammon iniquitatis appellantur: non ꝙ omnes homines tales diuitias iniquè adipiscantur aut possideant, (siquidem multi etiam boni & sancti homines temporalia bona habuerunt) sed ꝙ talibus diuitiis homines vt plurimùm abuti consueuerunt. Propter temporalia enim bona varia committuntur mendacia, fraudes, homicidia, & bella, &c. Quapropter etiam Paulus. 1. Tim. 6. auaritiam & cupiditatem temporalium bonorũ, nominat radicem omnis mali. Præcipuè autem sunt & vocantur diuitiæ coram Deo mammon iniquitatis, ꝙ iis proximo non succurritur. Nam cùm proximus meus necessitatem patitur, & ego superfluas diuitias habeo, & non indè communico illi ea, quæ tamen corã iudicio Dei illius sunt, iniquè & iniustè eas retineo, cùm illi etiã secundum legem naturæ, illas impartiri tenear. Nam quod mihi fieri velim, id alteri facere sum obligatus. Atque hoc vult Christus, vbi inquit & docet: Omni petenti te, tribue. Et Ioannes: Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? En, hìc dicit Ioannes apertè, qui nõ subueniat fratri, eũ charitatẽ Dei in se non habere. Porrò vbi charitas non est, nulla ibi esse iustitia potest. Et tũ bona tua iniusto

Matth. 7. *Luc. 6.* *1. Ioan. 2.*

iusto titulo posſides, cùm illa proximo tuo non communicas. Cæterùm hanc iniuſtitiam nemo conſiderat. Videmur nobis, ſi bona noſtra prædatione, furto, aut vſura non conſequamur, iure ea poſsidere, haud cogitantes nos Deum offendere, ſi pauperes deſeramus. Quod autem Chriſtus poſtremò dicit, amicos quos nobis per bona temporalia facimus, recepturos nos in æterna tabernacula, in eũ modum intelligendum eſt, quemadmodũ Chriſtus etiã de ſuis Apoſtolis dicit: Iudicabunt duodecim tribus Iſraël. Vt enim ſolus Chriſtus mundum iudicabit: ita quoq; ſolus nos in æterna tabernacula recipiet. Veruntamen quod propter ſuos facturus eſt, idem & illi facient: quemadmodum etiam aliâs in Matthæo dicit, ſi quid ſuis boni vel mali fiat, id ſibi ipſi fieri. Ita ergo nos amici, quos nobis bonis noſtris facimus, in æterna tabernacula recipient, quia per opera miſericordiæ, quam illis in fide & ex vera charitate exhibemus, & per ſuam intercesſionem, cauſa nobis erunt, vt in æternam felicitatem recipiamur. Sic enim Iudex dicet: Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere, &c. Deus Opt. Max. faxit, vt temporalia bona ita tractemus, vt eiuſmodi amicos plurimos habeamus, inueniamúſq; corã tribunali Chriſti, qui ſanè lõgè nobis vtiliores erũt totius mũdi amicitia.

Luc. 22. *Matth. 25.* *Ibidem.*

DOMINICA VNDECIMA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM LVC. XIX.

ET vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit ſuper illã, dicens: Si cognouiſſes & tu, & quidẽ in iſto die tuo, quæ ad pacem tuã pertinent, curares. Nũc autẽ abſcõdita ſunt ab oculis tuis. Quia veniet dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & cingent te, & coanguſtabunt te vndiq;, & ſolo æquabũt te, & filios tuos qui in te ſunt: & non relinquent in

te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in tẽplum, cœpit eiicere vendentes in illo & ementes, dicens illis: Scriptum est, Domus mea domus precationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et docebat quotidie in templo.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI I. CORINTH. XII. CAP.

FRatres: Scitis quòd Gentes fuistis, & ad simulachra muta vtcunque ducebamini, sequentes. Quapropter notum vobis facio, quòd nullus per spiritum Dei loquens, dicit anathema Iesum: & nemo potest dicere Iesum Christum, nisi per Spiritum sanctum. Diuisiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus: & diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus: efficiens omnia in omnibus. Vnicuiq; verò datur manifestatio Spiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alij verò fides per eundem Spiritum, alij verò dona sanationum per eundem Spiritum, alij verò efficacia potentiarum, alij verò prophetia, alij verò discretiones Spirituum, alij verò genera linguarum: sed omnia hæc efficit vnus ille, & idem Spiritus diuidens peculiariter vnicuique sicut vult.

SER

PRIMVS SERMO DE Euangelio & Epistola.



EQVIDEM circa hodiernum istud Euangelium adhortatione vti meliori haud possim, quàm olim non minus pius quàm doctus ille Gregorius vsus est, vbi hoc Euangelium edisserit & explanat. Audiuistis (inquit) fratres quid Christus ciuitati Hierosolymæ, eiúsque ciuibus seu incolis interminatus sit: vidistis prætereà quid in tẽplo sub id mox fecerit. Quantum autem ad illos attinet, iã pridem contigit quod contingere debebat. Scimus Hierosolymam vastatam & penitus euersam esse. Videmus itẽ latrones templo pulsos, quin etiam cum illis corruisse. Quare quod ad illos attinet, haud multa expositione opus est: cæterùm nostra causa diligenti indiget consideratione. Quippè non solùm considerare nos oportet, quid illis euenerit, sed etiam quid per id nobis pœnæ indictum sit. Illorum exitium nostra esse debet admonitio. Ac tum etiam Euangelium istud rectè & vtiliter audierimus: si nouissima nostra sine intermissione & cum metu seu terrore consideramus, quemadmodum Sapiens docet & dicit: Memorare nouissima tua ô homo, & in ęternum non peccabis. Omni die (inquã) considerabimus, & apud nos ipsos ponderabimus, ꝙ Christus dicit, hãc diem datam esse nobis ad pacem, verùm secuturum aliud tempus, quod nobis iam in mentem non venit. Quã ob rem necessarium est, dum iudex adhuc dissimulat, nec manum exerit ad percutiendũ, imò dum pacem & securitatem habemus: vt consideremus malũ quod sequetur, vt à peccatis desistamus, peccata nostra iugiter deploremus, & lachrymis abluamus, nec vllius temporalis felicitatis blandimento seducamur aut excæcemur, ne hoc modo excæcatos in æternum exitium pręcipitet. Cogita ô homo (inquit) quid hora mortis secum ferat, cùm te inimici tui vallo circundabunt, & vndique coangustabunt, &c. Christus filius Dei moriturus in cruce, dicebat prius: Princeps mundi huius venit, sed non habet in me quicquam. Audi: Si diabolus in Christo suum aliquid quæsiuit, in quo nihil inuenit: quid in nobis quęret, qui tam multa, quàm illius sunt, habemus? Christus enim solus est, in quo nihil inuenit, vt qui peccatum nullum fecit, & in cuius ore dolus non fuit. Ad Diuum Petrum qui-

Nõ verba hîc sed sententia Diui Gregorij refertur.

Eccle. 7.

Ioan. 14.

1. Pet. 2.

dem dicebatur: Matth.16. Quodcunque ligaueris aut solueris super terram, erit ligatũ vel solutũ & in cœlis. Sed tamẽ dicere nõ poterat: Inimicus non habet in me quicquã. Neq;
1.Cor.12. Ioannes, neque Paulus id dicere potuerunt, cũ tamen Pau-
Ioan.13.12. lus in tertium vsque cœlũ raptus sit, Ioanni autẽ præstitum fuerit, in sinu Christi quiescere. Nõ est enim homo qui non peccet, inquit Salomon, Eccl.7. Non iustificabitur in cõspectu Dei omnis viuens, dicit Dauid, Psal.142. Si dixerimus quoniã peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est, inquit Ioannes. Quid igitur aduersario no-
1.Ioan.1. stro respondebimus nos, cùm sua non solũ in nobis quæret, verùm etiam inueniet? Hoc debemus & oportet nos nũc cũ multis quotidiè lachrymis cõsiderare. Necessarium est, vt nunc diẽ diuinæ visitationis agnoscamus. Nihil sanè tũc hosti nostro respõdere poterimus, nisi quòd certũ nobis refugiũ & solida spes est, ꝙ vnũ sumus facti cum illo, in quo diabolus nihil habuit suum, neque habere potest. Tũ autem
Psal.87. verè tuti sumus à tyrannide diaboli, cùm illi aduniti & incorporati sumus, qui solus inter mortuos liber est. Tum timendus hostis nobis non erit, si illius mẽbra sumus & manemus, qui solus hostem vicit & præcipitauit. Non sine causa autẽ dico, si illius mẽbra sumus & manemus: siquidẽ nõ satis est, ꝙ illius mẽbra facti sumus in Baptismo, si nos ipsos Christo subtrahimus iterũ, & Diabolo nos tradimus. Quid prodest ꝙ Christo per fidẽ iungimur, si vita & moribus ab illo disiungamur? Imò quomodo nos fides cũ Christo cõiungere potest, si vita nostra à Christo discordamus? Ipse enim
Matth.7. ait: Nõ omnis qui dicit mihi Dñe, Dñe, intrabit in regnum Dei. Recta ergo opera rectæ fidei iungenda sunt. Si veri Christiani sumus, nõ solũ præterita peccata nostra deplorare & quotidianis lamentis diluere debemus, sed etiã bonis operibus illa tegere. Bonis operibus (inquã) quæ ex viua fide & charitate proficiscantur. Et quid opus est multis verbis? Scimus ꝙ post hanc diẽ pacis, alia dies iudicij veniet, corã quo subsistere nemo poterit, nisi qui mẽbrũ Christi sit. Atqui nulla alia via & medio mẽbra Christi fieri & manere possumus, quã si illi adhæreamus vera fide & amãti ac pio corde, & proximis nostris medullitus compatiamur. Hæc duo quisquis habet & exhibet, diẽ visitatiõis suæ benè collocauit: nõ est ꝙ timeat, quãdo altera dies veniat: non est ꝙ obstupefiat, etiamsi ab hoste vndique circũdetur

& coanguſtetur: nõ eſt ꝙ abſcondat ſe, etiãſi videat, ꝙ Chriſtus malos æterno ſuo iudicio è templo ſuo expellet & exiget. Hũc in modũ & pluribus olim Gregorius populũ ſuum circa Euangeliũ iſtud adhortatus eſt: & ſufficere nobis id poſſet pro adhortatione, ſi aures haberemus audiendi. Attamen aliquãtò fuſiùs de eo dicendum eſt. Et primò duo in hoc Euangelio indicata ſunt, circa quę pius quiſque multa cõſiderare & haberet & poſſet, ſi ea inter ſe inuicẽ cõferret. Primũ eſt, ꝙ Chriſtus ſuper ciuitatẽ Hieroſolymã fleuit. Alterum eſt, ꝙ ſub id mox, & quidẽ per ſeipſum ementes & vendentes è templo eiecit. Eiuſmodi ſanè hæc duo ſunt, vt quæ planè inter ſe pugnare videri poſſint. Etenim in mundo res multò aliter habet. Vbi fletur & cõpatientia habetur, illinc ira & caſtigatio abeſt. Cæterùm vbi ira eſt, & pœna irrogatur, ibi pauca vel nulla commiſerationis ſigna viſuntur. Certè meritò apud nos Chriſtianos, & in S. Chriſtianitate, ſi rectè res procederent, neutrũ ſine altero eſſe debebat. Nos Chriſtiani noſtros ita diligere debebamus, flere & cõpatientiam cũ illis habere, ne tamẽ malũ impunè ferrent. Malúmque in malis ita punire debebamus, vt tamẽ fletus & compatientiæ affectus indidem etiã deprehẽderetur. Sed raró ſimul inueniuntur in terris. Poſtquã lachrimæ & compatientia, imò affectus noſter erga aliquẽ, animũ noſtrũ occupauit, iraſci nõ poſſumus & punire, etiã ſi peccet, & iniquè agat: vt videre eſt in Heli, qui mala multa audiebat & nouerat de filiis ſuis, cæterùm punire eos non poterat, quãtumcunq; ea illi ab aliis ſignificarentur: imò quãtùcunque illi mali propterea Deus cõminaretur. Porrò verò cùm incipimus iraſci & punire, nullius cõdolentiæ memores ſumus. Tantò magis mirũ videri alicui poſſet, qui audit & legit, ꝙ Chriſtus in initio huius Euãgelij, tam amarè flet ſuper ciuitatẽ Hieroſolymã, vt nec integrum verbũ proferre poſſet, ac verò ſub id mox tantã ſeueritatẽ exhibeat in templo, perindè ac ſi nihil illis compateretur, ſed eos omni ira & indignatione dignos cenſeret. Hoc (inquã) mirũ videri alicui poſſet, maximè ſi neſciremus Dei vias, cogitationes & conſilia longè alia eſſe, quã noſtræ ſint viæ, cogitationes & conſilia. Quinimò ſi Deus ita cõpateretur noſtræ imbecillitati, vt nullum malũ puniret, non eſſet Deus iuſtus. Sin autem ita puniret peccata noſtra, vt nihil infirmitati noſtrę compateretur, nõ eſſet Deus miſericors. Atqui Scriptu-

1. Re. 2. 3.

Eſai. 55.

ra hæc duo prædicat simul & passim de Deo, nimirũ ꝙ misericors sit & iustus. Misericordiã (inquit Dauid) & iudiciũ
Psal.100. cãtabo tibi Dñe. Tũ Deus ipse dicit: Ego sum Dñs Deus tuus
Exod.20. fortis, zelotes, visitans iniquitatẽ patrũ in filios, in tertiã & quartã generationẽ eorũ qui oderunt me: & faciẽs misericordiã in millia his qui diligunt me, & custodiunt pręcepta mea. Hæc Christus simul indicare voluit in isto Euangelio. Super ciuitatẽ Hierosolymã flebat, quò videre possemus, eũ esse Deũ misericordẽ, qui parcere quã punire mallet. Serio indè expellebat emẽtes & vẽdentes ẽ tẽplo, quò intelligeremus, eũ iustũ esse Deũ, qui nihil mali impunitum sinat. Atque hæc adhibenda esset cõsideratio circa Euãgeliũ istud, & meo quidẽ iudicio, perutilis & necessaria. Per fletũ enim Christi possemus spem & fiduciã haurire in misericordiã Dei: per seueritatẽ autẽ, quã in templo ostẽdit, metus nobis incuti posset, ne tã temerè cõtra Deũ ageremus. Et hæc nõ nisi in genere dicta sunt de isto Euãgelio. Quæ igitur quãtáque cõsiderãda sese præberẽt, si qs singula verba sibi proponeret, vti in antiquis nostris Ecclesię doctoribus videmus & legimus, quibus nõ iocus fuit, ꝙ Christ⁹ in hoc Euãgelio fecit & locut⁹ est. Nõ potest nõ voluptate quadã affici quis-
Tribus ex causis fleuit Christus. quis attẽdit, quã hãc solã voculã fleuit, sibi frugiferã reddiderit D. Bernardus. Tres causas (inquit) inuenio, quã ob rẽ Christus fleuerit. Primò id ideò fecit, vt tantò maiorẽ fiduciã & spem habere possimus, tãtóque minus dubitare de eius amore, gratia & misericordia. Nã vbi Christus flet, ibi ex animo proficiscitur. Non sunt lachrymæ Crocodili, sed merus amor & cõpassio. Nã vt suos dilexit in terris, ita in
Ioan. 13. finẽ vsq; dilexit illos. Tũ oratio illius, quã in cruce pro ini-
Luc.23. micis suis faciebat, satis argumenti nobis est, illum optimè erga nos affectũ esse. In diebus carnis suæ (inquit Paulus Heb.5.) preces supplicationésque cũ clamore valido & lachrymis offerẽs, exauditus est pro sua reuerentia. Secundò, Christus lachrymis suis quas fudit, docere nos voluit, vt etiã nos pro nobis ipsis discamus miseriã nostrã & indigentiã deplorare. Si enim flet is qui nullã debuit sentire miseriam, multò iustiorẽ flendi causam habet ille, qui in medio omnis miseriæ & necessitatis hæret & immersus est. Huc accom-
Ibidem. modare possem qđ Christus in passione sua dicit: Hoc si fit in viridi ligno, in arido quid fiet? Si boni plorare & tristari coguntur, malis quid continget? Tertiò, nobis Christus suis lachry

lachrymis indicare voluit iustũ tẽp⁹ & causam, quãdo & quã ob rem flere debeamus. Ter inuenio in Euangelio & sacra Scriptura fleuisse Christũ: in sua passione pro peccatis nostris, vti superius ex D. Paulo ostensum: in reuocando ad vitam Lazarũ defunctũ flebat Christus ex deuotione, ꝙ Deus tã magna per eũ efficiebat. Pater (inquit) gratias ago tibi, quia audisti me, &c. In hodierno autẽ Euãgelio flebat super ciuitatem Hierusalẽ ex cõpassione. Hæ veræ causæ sunt, cur Christianus flere debeat. Primũ, quãdo animo tecũ repetis peccata tua, tum tẽpus flendi est. Sic peccatrix flebat in Euangelio: imò tam ardenter, vt etiã lachrymis suis Domino Christo pedes eius irrigaret. Sic flebat Dauid cũ diceret Psal. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meũ, lachrymis meis stratum meum rigabo. Secundò, quando cogitas, quid tibi dederit Deus per Filium suũ, & quid tibi in futurũ adhuc dare promiserit, isthic rursum tempus est flendi ex gaudio & deuotione. Sic flebat Dauid, cũ diceret: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè, Vbi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meã, quoniã trãsibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domũ Dei, in voce exultationis & cõfessionis, &c. Tertiò, cùm vides peccata, vel etiã necessitatẽ externam, & dãnum proximorũ tuorũ, tum rursus tempus est flendi, & condolendi. Sic flebat Paulus super quosdam qui peccauerant, & tamen pœnitentiã nullã faciebant. Et alio in loco flebat ex compassione super eos, qui ex credẽtibus facti erãt inimici crucis Christi, ventrẽ suum pro Deo colẽtes. En, hoc Ecclesiæ iste doctor Bernardus, circa vnicã hanc voculã considerauit. Et quanto tempore quis opus habeat, si ad longũ indicare velit, quantus ardor fuerit, cũ Christus ementes & vendentes vi templo exturbaret? Quã horribile iudicium est, ꝙ ciuitatẽ Hierosolymam tam miserè perire passus est, vna cũ omnibus inhabitantibus eam? Sed de hoc posteà dicetur in aliis sermonibus. Hac vice solũ circa primum verbum istius Euangelij causam vobis dare volui, vt etiam alia verba tantò diligentius consideretis. Ante omnia autem studeatis diẽ nostræ visitationis, qui nobis ad pacem datus est, ita collocare, ne diẽ futuri iudicij pertimescere necesse habeamus: atque ita in templo sanctæ Christianitatis viuatis, ne ab æterno excludamini. Quam ad rem nobis etiam hodierna inseruire Epistola posset: ea indicat nobis

Ioan. 11.
Luc. 7.
Psal. 41.
1. Cor. 12.
Phil. 2.
1. cor. 12.

quæ ſit dies viſitatiõis noſtræ,& quomodò in ea gerere nos debeamus. Eramus aliquando Gentes,nunc autẽ filij Dei. Seruiebamus aliquãdo mutis idolis:nũc habemus & agnoſcimus verum Deũ in cœlo. Eramus aliquandò cæci & pauperes:nunc autẽ videmus & habemus omnia Dei bona præ manibus. Hæc eſt dies viſitationis noſtræ. Eam autẽ ita collocare nos oportet,vt ſemper in recenti memoria habeamus,qui fuerimus,& qui facti ſimus. Secundò,vt Chriſtum agnoſcamus tanquã eum,qui ad eiuſmodi bona nos perduxerit,eúmque religioſè colamus & ſtudioſè imitemur. Tertiò,vt accepta gratia & donis rectè vtamur ad honorẽ Dei, ad vtilitatẽ proximi noſtri,& ad propriam noſtrã ſalutem. Si ciues Hieroſolymitani diẽ in qua illos Deus per Chriſtũ viſitauit,hoc pacto conſideraſſent agnouiſſéntque,neque à Romanis tẽporaliter,neque ſpiritualiter è templo & domu, quin è regno Dei,eiecti fuiſſent. Faxit Deus,vt geminus eorum interitus,perennis nobis ſit admonitio, Amen.

SECVNDVS SERMO DE duplici pœna & iudicio indicto Iudæis in hoc Euangelio, cum adiuncta Epiſtola.



ISTORIA iſtius hodierni Euangelij geſta eſt in die Palmarum, atque eo ipſo tempore, quo Chriſtus quinto die ante ſacram ſuã paſſionem,cũ laude & hymnis,palmarũ ramis & feſtiuo Hoſanna Hieroſolymis à populo excipiebatur. Tantò magis mirum alicui videri poſſet,quòd hac adeò vice in tali & communi gaudio omniũ credẽtium fleuerit, quod,tamen anteà non legitur feciſſe,licèt ſæpè Hieroſolymam ingreſſus eſſet. Cauſa autẽ indicari facilè
Luc.18. poteſt:imò Euangelium ipſam indicat, Veniebat Chriſtus id temporis ciuitatem vnà cum inhabitatoribus illius clementiſsimè inuiſere. Quia perficere volebat omnia quæ Prophetæ ſcripſerãt de illo,& prædixerant, præſtare volebat Deus omnia,quæ eis vnquam promiſerat: charitatem ſuam erga genus Abrahæ, imò erga omnes mortales ſummè & omnium maximo opere declarare volebat, pro illorum & totius mundi peccatis moriturus. Hoc autem infelices ciues agnoſcere, cõſiderare aut curare nõ volebãt, quòd ſequi nihil aliud poterat ac debebat,quã ſeueriſsimũ iudiciũ & pœna,quã illis iam dudum fuerat interminatus,

vel

vti cùm dicit: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Et iterũ: Lu. 17. Venient dies quando desideretis videre vnum diẽ filij hominis. Et cùm alio in loco dicit: Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Itẽ cùm alio in loco dicit: Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terrã ab initio mundi à generatione hac. Et paulò pòst: Domus vestra relinquetur vobis deserta. Et cùm dicit ad mulieres Luc. 23. Nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros: quoniã, ecce, venient dies, in quibus dicẽt, Beatæ steriles, & ventres qui nõ genuerunt, & hubera quæ non lactauerunt, &c. *Ioan. 8.* *Matth. 25.* *Matth. 23.*

Hæc omnia (inquã) aderãt, & quidẽ proximè præ foribus. Differri pœna diu non poterat, cùm benignissima visitatio Dei cõtemneretur. Hoc videbat Christus, & tam certò, quasi iam præsens esset, nimirũ quomodo Hierosolyma extrinsecus ab hostibus coangustari debebat, intrinsecus verò ꝑ seditiones & factiones diuidi: quomodo multa millia, imò innumeri homines interituri essent gladio, fame & pestilẽtia: & qui reliqui, in omnes terras spargi, vẽdi, & pro spectaculo feris proiici deberent. Hæc omnia videbat Christus: sed solus videbat, ideò solus flebat. Hic duo cõsideranda sunt. Primò, quomodo incredulitas & ingratitudo in nobis puniatur. Secũdò, vnde omne incommodũ, vtpote bellũ, fames, & tot morbi veniãt. Scire vis, quomodo incredulitas & ingratitudo nostra puniatur? Cæcitate seu excæcatione. Et quę illa cæcitas est? Quòd homo neque bonũ, neq; malũ, neq; fortunam, neq; infortuniũ videre possit. Fortunã videre nõ potest nisi amissam: malũ videre nõ potest, donec incũbat eius ceruicib', ita vt effugere amplius & euitare nõ possit. Quid autẽ infelicius, qui si alicui multa bona suppetãt, nec tamen ea videat, tantùm abest, vt in vsum aliquem possit conferre? Quid horrendũ magis, quàm si cuipiã malũ & pœna prę foribus est, nec tamen cernit eam, vt vitare possit? Sic autẽ res habebat cum populo Iudaico. Christũ filiũ Dei & seruatorẽ apud se habebant, imò in medio ipsorũ, & in Christo omne bonũ & æternã salutẽ, quin Deũ ipsum: sed nõ videbãt, non agnoscebãt, nõ credebãt, donec cùm Christus, tum regnum Dei ab illis auferebatur. Cõtrà autẽ sententia & iudiciũ iam latum erat super ciuitatẽ, terrã & populũ Iudæorũ: inimici eorũ interficere illos debebãt, vndiq; coangustare, destruere & dissipare: imò nõ relinquere lapidẽ super lapidẽ. Id autem neq; *Vide Iosephi historiam.* *Ingratitudo vt puniatur.* *Ioan. 1.*

neq; considerare, neq; credere poterant, donec iam bello & omni malo cincti essent: vnà illis pereundũ erat, ínq; tãto numero, vt credi nõ posset, nisi Iosephus, qui vnus ex illis fuit, & tẽpore istius belli & deuastationis ciuitatis Hierosolymæ vixit, & omnia vidit, ipsemet scripsisset. Hic cõmemorat primo decies cẽtena millia hominũ, iuuenũmq; senúmq;, mulierũ & virorũ, quàm aut gladio interẽpti sint, aut fame perierint. Deinde nominat nonaginta & septẽ millia hinc inde vẽdita. Sic Deus puniebat incredulitatẽ & ingratitudinẽ eorũ excæcatione, vt neq; præsenti gratia frui, neq; indictũ iudiciũ & pœnã effugere possent. Adeò horribile est, sicubi Deus homini lumẽ subtrahit, & in tenebris relinquit. Atqui Deus nulli mortaliũ lumen subtrahit suę gratiæ, nisi homo vltrò oculos suos, aures & cor claudat, quẽadmodũ tum Iudæi faciebãt, & adhuc multi homines faciũt etiam inter nos Christianos. Vnde excæcatio tãtas apud nos vires accipit, regnat & quotidie accrescit, vt neq; præsentẽ nostrã vtilitatẽ, neq; futurũ malũ videre posſimus aut cõsiderare. O quàm bene pacẽ & fortunã propitiã habere possemus, si ipsi vellemus! Quàm multa mala pręcauere possemus, si oculos habe-
Deute.23. remus! O vtinã saperẽt (inquit Moyses) & intelligerẽt, & nouissima prouiderẽt! Sed omnia abscõsa sunt ab oculis nostris. Deus affligit nos & punit ob summã ingratitudinẽ nostrã, vt neq; gratia eius frui, neq; iudiciũ illius effugere pos-
Ioan.3. simus. Iudiciũ nũc est mũdi, quia lux venit in mundũ, & tamen homines magis diligũt tenebras iniquitatis quàm lucẽ iustitiæ. Hoc vnũ est, quod circa Euãgeliũ istud cõsiderandũ est. Secũdò autẽ innuit quoq; Euãgeliũ istud, bellũ, famẽ, annonæ caritatẽ, morbos, pestẽ, perniciẽ, & omnia malorũ genera nõ aliũde venire, quàm quòd non agnoscimus tẽpus visitationis diuinæ. Benedictus (inquit Zacharias) Dominus
Luc.1. Deus Israël, quia visitauit plebẽ suã. Et iterũ: Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriẽs ex alto. Illuminare his, &c. Sic Deus visitauit nos. Ac tum tẽpus benignæ istius visitationis incepit, quando Christus homo factus, & in terris natus est. Hoc tẽp' & benigna visitatio Dei adhuc vsq; durat: verũ quãtoperè cõsideramus? Quàm gratitudinẽ exhibemus? Quãtò meliores inde reddimur? Quare
Causa malorũ quæ patimur. nihil demirari debemus, vnde hoc tẽpore tot bella, annonæ caritas, & noui subinde morbi nascãtur. Eò (inquit Christus) q̃a tẽpus visitationis tuæ nõ agnouisti, & diẽ ad pacẽ tibi datam:

tam: aliud tēpus videbis, nimirū diem belli & dissidij, tēpus omnis necessitatis & angustię, tēpus æternæ mortis & interitus. Quapropter in hoc Euāgelio diligēter obseruandū, & quiuis sibi dictū seriò existimare debet, ꝙ Christus infelici ciuitati Hierosolymæ, vnà cū filiis ipsius & ciuibus duobus modis futurum eius iudiciū annūtiauit & interminatus est. Primò verbis, deinde verò facto & opere. Veniēt dies in te, & circūdabūt te inimici tui vallo, & coangustabūt te vndique, & ad terrā prosternēt te, & filios tuos qui in te sunt: & nō relinquēt in te lapidē sup lapidē. Hę verborū minæ sunt. Mox incipiebat & eiiciebat emētes & vēdētes è tēplo, dicēs: Scriptū est, Quia domus mea, domus orationis est: Vos autē fecistis illā speluncā latronū. Hoc opere & facto interminari est. Et sic etiā omnia acciderūt. Quadraginta annis aut circiter, post passum Christū veniebāt Romani, & omnia verificabant, quæ Christus prædixerat & fuerat minitatus ciuitati, tēplo & populo Hierosolymę. Adhęc etiā Deus illos ex æterno suo tēplo eiecit. Et quàm certò Christus Iudæos istiusmodi suis verbis & operibus seu factis monere voluit, tā quoq; certò Lucas nobis Christianis id scripsit ad admonitionem. Quid alioqui Hierosolyma & deuastatio eius ad nos? Quid nobis obesse potest, ꝙ Romani eā ciuitatē euerterunt? Aut quid nobis prodesse posset, etiāsi salua māsisset? Illius deuastatio nobis nocere nō potuisset, quēadmodū nec pax illius & fortuna quicquam nobis profuisset. Omnibus autē mortalibus & præcipuè nobis Christianis, ad admonitionem Lucas tam diligēter descripsit, quid Christus illi ciuitati vnà cum populo eius & incolis interminatus sit. Est enim Deo res nobiscū, & cū illo nobis. Habemus item diem quæ nobis ad pacē data est, & expectamus aliā diem, in qua Deus pro tribunali sedebit, & puniet quod nūc in die gratię & pacis dissimulat. Hîc diligenti cura opus est, vt hos duos dies benè & seriò consideremus. Vbi principiò obseruandum, Christū hîc duplici sermone vti: de primo die loquitur in singulari. In hac die tua, quasi nō nisi sit vna dies, in qua pacē habeamus. De altera autē die loquitur in plurali, Venient dies in te. Nō sine causa autē Christus tā distinctè locutus est de duobus diebus. Etenim primò certū est tēpus gratiæ in hac vita breue esse, vti Paulus dicit: imò tam breue, vt dicat Ioānes, iā nouissimā horā esse. Ille autē lōgus & æternus dies erit. Secūdò etiā propterea dies gratiæ in hac vita, dies

Luc. 19.

Dies gratiæ.
Dies iudicij.

1. Corinth. 7.
1. Ioan. 2.

dies vnica vocatur, quia omnibus pariter salus & pax offertur sine personarũ delectu. Nõ est enim discrimen inter Iudæum & Ethnicũ, marẽ & fœminã, seruũ & dominũ, &c. sed quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Tũ Deus diues satis est in gratia & misericordia in omnes homines. Idcircò dicit Christus, In hac die tua: hæc enim cõmunis esse omniũ potest: illic verò duo dies erũt, alter ad vitã æternã, alter ad æternũ exitiũ pertinẽs. Quapropter dicit Christus, Veniẽt dies in te. Tãtò diligẽtius duos istos dies cõsiderare debemus. Christus flebat & lamẽtabatur ciuitatẽ Hierosolymã, quòd horũ dierũ neutrũ cõsiderare volebat. Flebat autẽ nõ solùm super illã, sed etiã super ciuium excæcata, obdurata, & peccatis dedita corda. Atq; ea satis deplorari nõ possunt & defleri. Quia nesciũt, nec scire volunt & agnoscere diẽ in qua ipsos Deus gratia sua visitat. Queadmodũ Christus ad Iudæos dicit: Nõ vultis ad me venire vt vitã habeatis. Et ad ciuitatẽ Hierosolymã: Quoties volui congregare filios tuos, queadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Hæc natura est omniũ impiorũ, Nolunt intelligere vt bene agãt. Quinimò dicũt ad Deũ: Recede à nobis, scientiã viarũ tuarũ nolumus, &c. Vbi altera dies venit, tum nimirùm illos fouea desperationis circũdabit, vnde sequetur, vt quocũq; currãt & fugiãt, cadant in foueã, & tam profundè, vt nec semel de Deo cogitare posśint. Sed mirum nõ est, cùm Deus nũquã locũ habuerit in eorũ cordibus, neque vnquam super Deũ ędificauerint sese, sed super tẽporalia solùm. Vbi ergo fundamentũ eorũ iacet, cui innitebãtur? iam pax & gaudiũ eorũ euanescit, sequitúrq; æterna adeóq; incõprehensa perturbatio, cuius cõtemplatione cõtremiscere omnes homines coguntur, & expauescere. Tantò minus iam dormitandũ nobis. Hodiernũ istud Euangeliũ satis nobis ostẽdit, quid Deo potisśimũ in nobis displiceat, & quid seuerisśimè omniũ punit ac puniturus sit. Est contẽptus gratiæ, & abusus donorum. Propter primum minabatur ciuitati Hierosolymæ excidiũ eius: propter alterum è templo illos exigebat. Si Hierosolyma oblatam Dei gratiam nõ tam temerè cõtẽpsisset & renuisset, haud quidem deuastata fuisset. Porrò si Iudaici sacerdotes donis Dei nõ tam auarè abusi fuissent, nõ tantam seueritatem Christus in eos exercuisset. Iudaico seu Israëlitico populo præ aliis omnibus populis gratiam fecerat & beneficia exhibuerat, vti Moyses dicit:

Roma. 10. *Ioan. 5.* *Matth. 23.* *Psal. 51.* *Iob 21.* *Contẽptus gratiæ.* *Abusus donorum.*


dicit: Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Et Dauid: Non fecit taliter omni nationi, &c. Sed nulla ibi erat agnitio. Tribui Leui templum tradiderat ad orationem, sacrificium & Dei cultum, ipsi verò domum negociationum, imò speluncam latronum indè faciebant. Sacerdotes eos constituerat, cæterùm illi negociatores & mercatores erant. Et tamen Deus illis de cibo & alimentis abundè prospexerat, vt nulla negociatione opus habuissent. Sed auaritia illorum hoc efficiebat, vnde & in Christo talem seueritatem videre & experiri cogebantur. Nostrûm quoque videre est, quomodo Dei gratiam accipiamus, quomodo illa vtamur, quomodo in domu Dei nos geramus: num sacerdotes, an mercatores simus: num Dei honorem quæramus, an proprium nostrum commodum: num homines ad Dei cultum trahamus, an malis exemplis inde auertamus. Vbi Christus redierit, primùm ingredietur in templum, illúdque visitabit. Iudicium suum à domo sua incipiet. Nihil ferre minùs potest, quàm prophanationem suæ domus. In nullos grauius animaduertit, quàm in eos qui in ipsius domo, in ipsius seruitio, in ipsius nomine negociantur, hoc est, bona temporalia, mundanum fastum, corporis voluptatem quærunt. Quocirca eiusmodi negociatores istud Euangelium meritò pro admonitione accipere debent. Enimuerò veniet Christus, & non tardabit. Visitabit quoque & scrutabitur spiritualem Hierosolymam in lucernis. Illuminabit abscondita tenebrarum, id est, in lucem ea proferet, & manifestabit consilia cordium & occultas cogitationes, & tunc laus erit vnicuique à Deo: imò vnicuique etiam iusta ac merita ab æquissimo illo iudice pœna irrogabitur. Rogas, quomodo quis in domo Dei se gerere debeat, & quid facere oporteat? Hoc Paulus docet in hodierna Epistola: Scitis quoniam cùm Gentes essetis, ad simulachra muta, prout ducebamini, euntes, &c. Hæc hodierna fuit Epistola. Hîc docet nos Paulus, quæ nostra negociatio in tēplo & domu Dei esse debeat, hoc est, in sancta Christianitate. Multa nobis enumerat dona, quæ Deus suæ Ecclesiæ per Spiritum suum sanctum dedit. Dicit, Deum effudisse illiusmodi dona, & dedisse ad vtilitatem, at non temporalē, sed spiritualem, & non ad propriam nostram vtilitatem, sed ad vtilitatem proximi nostri, imò totius Christianitatis.

Atque

Deut. 4. *Psal. 147.* *Luc. 19.* *1. Pet. 4.* *Sopho. 1.* *1. Corint. 4.* *1. Cor. 12.*

Atque hæc vera & Christiana nogociatio est. vnusquisque videat, vt eo quod illi Deus dedit, proximo suo & vniuersæ Christanitati seruiat. Talis negociator erat Paulus, vbi ait:
1. Cor. 9. Cũ liber essem ex omnibus, omniũ me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Iudæis factus sum tanquàm Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: infirmis factus sum infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Tales negociatores Christus è domo sua nõ exiget, sed è domo sua illos in æternũ suum regnum recipiet,
Matt. 25. & dicet: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. En, hoc nobis in hodierno Euangelio & Epistola considerandum est. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

TERTIVS SERMO EVANgelium istud ad nos vnà cum Epistola accommodat.



IN hodierno isto Euangelio duo nobis indicata sunt. Primò prophetia seu denunciatio rei alicuius quæ in futuro tempore fieri debebat. Secundò historia seu demõstratio rei iam gestæ: vtrũque auditu horribile. Terribile est, quòd Christus vendentes & ementes è templo eiiciebat. Terribilius adhuc est, quod toti ciuitati Hierosolymæ tam apertè prædicebat, quomodo & qua de causa tandem penitùs deuastanda esset, perdenda & diruenda vnà cum omnibus eius filiis & incolis. Itaque non dubito, neminem inter nos esse tam incuriosum & solicitudinis vacuum, quin apud modò dictum Euangelium secum cogitauerit, orauerit ac dixerit: Domine Deus custodi & conserua spiritualem nostram Hierosolymam, sanctam & vniuersalem Christianam Ecclesiam, ne vnquam tali pœna plectatur. Atque hoc pacto etiam Euangelium istud considerandum est: sic circa Euangelium istud orandum est, propterea literis mandatum est,
Psal. 16. propterea nobis Christianis singulis annis prædicatur & proponitur. Semel locutus est Deus (inquit Dauid) duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. Deus semel tantùm locutus est, quia non habet, nisi vnicum verbum quod ab æterno ex illo exiuit, quẽadmodùm Ioãnes dicit Cap. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,

Deum semel tantum locutum vt intelligendum.

Deus

& Deus erat Verbum. Et per verbum omnia facta sunt, &c. Is est vnicus & naturalis filius Dei. Hunc vocat & nominat Deus vnicum & æternum Verbũ, quod Deus ab æterno pronunciauit. In hoc Verbo audimus & intelligimus duo. Primò, ꝙ apud Deum omnis potestas est, attamen non est expers misericordiæ. Secundò, ꝙ vnicuique dabit iuxta eius opera. Hæc duo (inquit Dauid) audiui & intellexi, ex vnico verbo Dei. *Psal.75.* Audimus etiam vtraque illa in hoc Euangelio, tametsi non nisi vnicus Christus in eo loquitur & agit. Qui nescit, aut non credit apud Deum summam esse potestatem, is legat historiam de vltima deuastatione ciuitatis Hierosolymę, dicere omnino cogetur: Terribilis es Domine, quis tibi resistere potest? *Iosephus.* Et cum pio Mardochæo: Domine rex omnipotẽs, in ditione tua cuncta sunt posita: & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël. *Esther.13.* Et cum Hieremia: Magnus es Domine, & magnũ nomẽ tuum in fortitudine. Quis non timebit te ô rex gentium? *Hier.10.* Et certè quisquis ex hoc terribili & miseranda historia non discit Deum timere, & potestatem eius agnoscere nũquam discet: numerare se inter eos meritò potest, de quibus Hieremias dicit 7.cap. Hæc est gens quæ non audiuit vocem domini Dei sui, nec recepit disciplinam, periit fides, & ablata est de ore eorum, ideò Deus abiiciet eos, &c. Ergo qui in jam dicta historia de deuastatione Hierosolymæ, non videt & videre potest, quòd Deus iustus iudex est, & vnicuiq; secũdum opera eius dat ac retribuit, is non vult videre. Nobis id dictum est & scriptum, fratres. Nemo aliter persuaderi sibi sinat, quã ꝙ apud Deũ omnis potestas est, & ꝙ vnicuiq; reddit iuxta opera eius. Potest, & faciet. Infelices Iudæi horum credere nihil volebãt, donec opere & reipsa in seipsis experti sunt. Illorũ casus nobis esse admonitioni debet. Quod illis accidit nobis metuendũ est, si in simili incredulitate, inobedientia & ingratitudine fuerimus inuenti. Et certè bene nobis hoc considerandũ est, præcipuè hisce tẽporibus. Deus nos Germanos hisce tẽporibus multis modis subinde visitauit, & piè præmonuit, & multa nobis ob oculos posuit, quæ anteà nõ curabamus. Partim nobis suã voluntatem & pręcepta, partim verò etiã peccata nostra tã clarè detexit & cognoscenda dedit, quẽadmodũ omnes fateri coguntur, vt nemo excusare se possit & dicere, nescire se quid æquum sit vel iniquum. Quinimò proclamari nobis & denunciari si-

uit, quòd semper ab Adæ tẽporibus vsq; nunc, nihil minus impunitũ dimiserit, neq; etiã nũc minus ignoscere velit, quã si sanctũ illius verbũ & præcepta contẽnatur, & gratia eius peccando repellatur. Semper nobis aliquid ostendit, núncq; hac, nũc illa castigatione vel pœna nos monuit. Sed frustra adhuc omnia. Nunc in extremis res est, flagellũ & virgã in manus sumpsit, ídq; tanta seueritate, perinde ac si extrema nobiscũ experiri velit, & omnino à templi sui limine nos arcere, ciuitates nostras & regiones penitus perdere, quemadmodum olim ciuitatẽ Hierosolymã. Et quis potest dicere, ꝙ nobis vtralibet ex parte iniuriã faciat, quemadmodũ nos inuicẽ appellamus, siue Lutheranis, siue Papistis? Lutherani quidem fatentur, se Dei gratiã nunquam melius agnouisse quàm nunc: cæterùm, vt alia omittam, num diuina Dei gratia benè vel malè vsi sint, & adhuc vtantur, optimè illis dictabit conscientia eorum. Nobis verò, quos illi Papistas vocant, peccata nostra & flagitia, abusus nostri, & si quid aliud in nobis vitij est, satis ob oculos in catholica Ecclesia positũ est. Quantũ verò nos emendauerimus, aut adhuc corrigere in animo habeamus, haud obscurum est. Quia igitur à neutra parte tempus, in quo nos Deus benignè visitauit agnoscimus, meritò pariter luimus pœnas, vti ante oculos est, ita vt vtrobiq; nihil aliud quàm miseria & perditio videatur, nihil aliud quàm ærumnæ & lamẽta audiantur. Et qui nondũ senserunt, illis rogandus Deus, ne dehinc sentire cogantur. Nullus enim miseriarũ adhuc finis: nec scit quisquã quandiu & quàm latè gladius Dei populabitur. Videtur nobis quidẽ quandoq;, sopito vno malo, iã euasisse nos, ilicò sine metu viuere incipimus. Sed quid dicit Paulus? Cũ dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Hieremias dicebat populo suo similiter. Nabuchodonosor Babyloniæ rex Hierosolymam obsidione cinxerat, sed obsidionẽ relinquere cogebatur, & aliis in locis bellum gerere. Sed existimabãt Iudæi iam se liberatos; ad pristinos mores reuertebantur, &c. Sed quid Hieremias? Nolite (inquit) decipere animas vestras, dicẽtes: Eũtes abibũt, & recedẽt à nobis Chaldæi: quia nõ abibunt. Sed etsi percusseritis oẽm exercitũ, qui præliãtur aduersum vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de tẽtorio suo cõsurgẽt, & incendẽt ciuitatẽ hãc igni. Nobis dictũ esse existimare debemus. Et meritò terrere nos debet, & maximè, sicut ipse dicit,

Hier. 47. *1. Thes. 5.* *Hier. 37.*

cit,etiã si oẽs inimici nostri occisi essẽt,posse tñ Deũ etiã ex ossibus occisorũ alios inimicos velociter & expectatione citius excitare,per quos impiã nostrã vitã castiget. Quocirca adhuc in hodiernũ nõ est melius & certius mediũ extensam manũ Dei auertendi & sedandi,quã si agnoscamus tẽpus in quo nos Deus tã benignè visitauit, grati simus pro gratia, quã nobis Deus offert,eã cõferamus in opus,vitã nostrã corrigamus,pœnitentiã agamus,rogemus ex animo veniam,ꝙ tanto tẽpore aduersus Deum peccauimus,& deinceps videmus quæ illi displicent. Hæc ad rem aliquid facere possint, vt posthac animo quieto & esse & manere valeamus. Si reuersus fueris ad Omnipotentem (scriptũ est in libello Iob) *Iob.22.* ædificaberis,& longè facies iniquitatẽ à tabernaculo tuo. decernes rẽ,& veniet tibi. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria:& qui inclinauerit oculos suos,ipse saluabitur. Saluabitur innocẽs in mũditia manuũ suarũ. Dauid hoc ipsum *2.Reg.24.* in seipso expertus est. Videbat Angelum nudo gladio respicientẽ Hierosolymã,quasi illos perdere funditus vellet: & quidẽ iã incœperat. Verùm cũ Dauid humiliaret sese:& veniã peteret à Deo,audiebat Deũ ad Angelum dicentem:Sufficit,nunc contine manũ tuam. E diuerso videbat Ezechiel *Ezech.9.* nõ vnũ,sed sex,qui omnes gladios in manu habebãt, erátq; illis demandatũ,vt per totã ciuitatẽ nemini parcerent, sed omnes homines occiderent,illis solis exceptis, qui signum Thau in fronte gererẽt. Deprecabatur Ezechiel dicẽs: Heu, heu,heu, domine Deus, ergóne disperdes omnes reliquias Israël,effundens furorẽ tuũ super Ierusalem? Sed nihil proficiebat hæc illius oratio: malitia domus Israël nimis magna erat,cæterũ nulla pœnitentia & emendatio inter illos. Igitur (inquit Deus)& meus non parcet oculus, neq; miserebor: viã eorũ super caput eorũ reddam. Hoc consideremus circa istud Euangelium. Securis ad radicem arboris posita est,inquit Ioannes. Et nisi fuerimus conuersi, pœnitentiámq; egerimus,pariter omnes peribimus, queadmodum Christus ad Iudæos dicebat. Dauid similẽ quoq; in modum loquitur: Nisi conuersi fueritis, gladiũ suũ vibrauit, arcum suum tetẽdit,& parauit illum. Et in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit,&c. Qui fit tandẽ,ꝙ cũ aliàs vbiq; obsistimus,videmúsq; quo pacto tueri nos possimus, tamẽ nemo conatur verũ illud obturare foramẽ, hoc est, peccatis sese opponere,vnde oẽ existit infortuniũ & malũ,cum

Matth.3.
Luc.13.
Psal.7.

tamen Deus certũ nobis auxiliũ promittat, si conuertamur? Conuertimini (inquit in Ezechiele) & viuetis. Quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortẽ moriẽtis, sed vt reuertamini & viuatis. Hæc verba nõ homo, sed Deus locutus est; non is fallet nos. Quare desistamus à peccatis nostris: oremus: sicut hodie in Ecclesia oratur: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas, multiplica super nos gratiam tuam, vt ad tua promissa currentes, cœlestiũ bonorum facias esse consortes.* Sed hac oratione contenti esse non debemus, sed efficere etiã, vt Euangeliũ istud ad emendationẽ vitæ nobis inseruiat, ea consideratione, ꝙ geminũ in eo nobis tempus indicatũ est, sed dissimile admodũ. Primũ tẽpus nunc habemus, alterũ expectamus omni momẽto. Christus vtrunq; descripsit suis circunstantiis. Primo tẽpori, in quo nunc sumus, tria dat nomina. Vocat tẽpus visitationis nostræ, diem pacis, aut quæ ad pacẽ nobis data est, & diem nostrã. Hæc tria nomina nobis meritò aperire oculos nostros debebant ad tantò diligentiùs considerandũ, quomodo res nostræ sese habeant. Non enim hoc tẽpus semper fuit, neq; semper erit. Vocatur autẽ tempus visitationis, eò ꝙ nos Deus hoc tempore per vnicũ suum dilectum filium, summa commiseratione & amore visitauit. Vocatur dies pacis, quia nos in illa Christus reconciliauit cum Deo sacro sancto suo sanguine. Vocatur etiã dies nostra, ꝙ in ea æternã salutem consequi possumus, si ipsi volumus. Quàm diu igitur tẽpus istud durat, exhibet se Christus semper, quẽadmodũ in initio istius Euangelij se exhibuit: nimirùm mãsuetũ, misericordẽ, condolentẽ, auxiliari paratum, & qui nihil aliud queratur, quàm ꝙ nos ipsos negligimus, tẽpus gratiæ præterlabi sinimus sine omni fructu, & futurũ tẽpus non præmeditamur. Ideò non cessat nos docere, monere & redarguere, quin etiã nonnunquã virga sua castigare, vt nos in viã suã reducat. Id fit in primo isto tempore. Sed sequetur aliud tempus huic gratiæ tẽpori valdè dissimile. Non enim ampliùs dies nostra vocabitur, sed Domini dies: in illa enim die Deus solus operabitur, & vnumquemque iudicabit qualis inuenietur. Vocabitur etiam deinde dies iræ & indignationis. Tum enim Deus iram & furorem suum ostendet erga eos qui misericordiam eius contempserunt. Vocabitur item tempus derelictionis & deuastationis: illic enim malis omne auxilium subtrahetur, ipsi verò inimicis suis

Ezech. 18.

Precatio Ecclesia.

Tempus visitationis.

Dies pacis.

Dies nostri.

Dies Domini.

Dies iræ.

Sopho. 1.

ſuis in æternum exitium tradentur. Hæc duo tempora Hie rosolyma cum filiis ſuis experta eſt. Quia verò primum agnoſcere nolebat, alterum tantò horribiliùs experiri cogebatur: quinimò ita, vt meritò nobis & omnibus hominibus æterno exemplo & admonitioni eſſe debeat. Etenim nulla ciuitas vnquam tempus diuinę viſitationis tam clemẽter experta eſt: quia non ſolùm prophetas: ſed etiã Chriſtũ, imò Deũ ipſum habuit, qui ſe illi loco veluti aſtrinxerat: quandoquidẽ illis promiſerat, ſe in eo loco mãſurum cum eis, & iſthic ſemper futurum. E diuerſo autem nulla vnquam ciuitas tam miſerandis modis deuaſtata fuit. Non enim hîc erat vniuſmodi interitus, ſed quicquid ad interitum pertinet, gladius, fames, mors ſimul in eos venerat. Et in his omnibus nullum à Deo auxiliũ erat, nulla gratia & miſericordia: hominum autem crudelitas vitari non poterat. In ſumma: Hieroſolyma cum ſuis filiis, omnibus hominibus vſque ad finem mundi exemplum eſſe debebat diuinæ iræ. Hoc conſideremus optimi Chriſtiani. Sit nobis infelix populus admonitioni, ne & nos in ſimile exemplum incredulitatis & impietatis incidamus. Atque ideò etiã ponit nobis Deus populũ illũ ob oculos: ideò eos in omnes terras & nationes diſperſit, ne iræ eius & ſeueræ iuſtitiæ obliuiſcamur, ſed timere eum diſcamus, atque interim etiam tantò diligentiùs conſideremus diem viſitationis noſtræ: & id niſi fecerimus, iam in Iudæis indicatum nobis eſt, quæ noſtra pœna & iudicium ſit futurum.

3. Reg. 9.

Heb. 3.

Iudæi cur in omnes terras diſperſi.

Super his omnibus etiam Paulum audiamus in hodierna Epiſtola. Scitis (inquit 1. Cor. 12.) quoniam cum Gentes eſſetis, ad ſimulachra muta, pro vt ducebamini, euntes, &c. Summa Epiſtolæ eſt, perindè ac ſi paucis dicat: Fratres, erratis aliquando Gentes ac cæci ac miſeri peccatores: nunc autem gratiam conſecuti eſtis apud Deum per Chriſtum. Quam ob rem videte, vt Chriſtum pro domino veſtro agnoſcatis, eiúſque gratia rectè ac ſtudioſè vtamini. Hoc ſibi vult hæc Epiſtola. Pulchra hæc eſt & neceſſaria admontio circa iſtud Euangelium: imò vnicum medium eſt ad futuram diem iræ & deuaſtationis præcauendam. Quatuor docet nos Paulus quæ in nobis habere debeamus. Primum eſt, 1.
priora peccata agnoſcere & conſiderare: non ſolùm peccata quæ ante Baptiſmũ in nobis habuimus, ſed etiã quę poſt Baptiſmum admiſimus. Scitis (inquit) quoniã cũ Gẽtes eſſetis,

II. ad simulachra muta, prout ducebamini: eũtes. Alterum est, diligenter considerare & magnifacere gratiam acceptam, quæ adhuc nobis offertur, & quæ etiam in futurũ promissa est. Tertiũ est, vt Christum agnoscamus tanquã authorem
III. omnis boni in nobis, caueamúsque ne illũ pro proiectitio habeamus, ne illum malè viuẽdo blasphememus, illius gratiam non negligamus, salutẽ per illũ acquisitã, nostris meritis non adscribamus, sed illius potissimũ gratiæ: cúmque semper verbis & operibus pro domino nostro agnoscamus, confiteamúrque. Nisi enim id fecerimus, Spiritũ sanctum
IIII. non habemus, nec Christi sumus. Quartũ est, diuinis donis
1. Cor. 4. & gratia rectè vti. Non enim Christianus donis Dei efferri
Matth. 25. debet, quando illa nõ ex seipso, sed à Deo habet. Nec etiam otiari debet, & dona Dei in terram fodere: nã data sunt nobis, vt fœnus per illa exerceamus, & ea multiplicemus. Tertiò, vti debet donis Dei non in propriam suã vtilitatẽ solũ, queẽadmodũ nunc fermè omnes faciunt. Quartò, nec vẽdere
Matth. 10. Dei dona debet sicuti illi, qui nihil gratis faciũt aut dãt, qui tamẽ ea dona gratuitò acceperũt. Multò minùs vti Dei donis debet in aliorũ dãnũ vel perniciẽ, vt nũc pleriq; in totius Christianę Ecclesię exitiũ illis abutũtur: sed vti Christianus Dei donis debet ad honorẽ & laudẽ illius qui ea dedit, & ad vtilitatem vniuersæ sanctæ Christianitatis, & vniuscuiusq; Christiani singulatim. Hoc vult Paulus eo, q̃d dicit, verbo: Vnicuiq; datur manifestatio Spirit⁹, ad vtilitatẽ. Hęc omnia pertinẽt ad diẽ istius clemẽtis visitationis Dei. Is faxit, vt in spirituali Hierosolyma id meliùs cõsideremus, quã illi fecerũt in Iudaica Hierosolyma: alioqui totũ istud Euãgeliũ cõtra nos erit. Quinimò Christus ipse nõ pauciora contra nos habebit, quã cõtra Iudęos. Quocircà oculos aperiamus. Dies iudicij nobis in hoc Euãgelio & exẽplo ciuitatis Hierosolymæ denũciata est: beatus qui ad animum eam benè reuocat.

QVARTVS SERMO DE *prima parte hodierni Euangelij.*



N mundo is pro medico docto habetur, qui medicinam suã, pillulas, catapotia, potiones & malagmata ita temperare nouit, vt neque sint nimis vehementia, neque nimis lenia & inefficacia. Et hoc boni medici est: alioqui vtrobique periculum est, siue nimis efficax, siue nimis lenis sit medicina. Itidem cũ spirituali medicina, hoc est, cũ prædicatione

dicatione & annũciatione verbi Dei res habet,si vel nimiũ seuera sit,vel nimiùm remissa.Christus verũ attingere medium potuit:ita peccata castigauit,vt tamen misericordiæ non sit oblitus:contra verò ita gratiã prædicauit,vt tamen diuinam iustitiam nõ obticuerit. Et sic aliàs facit Scriptura omnibus in locis:temperat & miscet hæc duo, Dei gratiam & iustitiam,vt nemo causam habeat vel desperandi, vel præsumptuosè gerendi se erga Deum. Et est talis temperatura prorsus necessaria.Nam si Scriptura de gratia tãtum diceret nobis,omnes remissiores fieremus:sin de iudicio solùm & ira loqueretur,omnibus desperandum esset. *Christi prædicandi ratio.*

Idcircò benè temperata & mixta sunt, quòd Scriptura nusquam tam seuerè loquitur,quin solatium additum sit: nusquam tam consolatoriè loquitur, quin adiunctum aliquid sit,quod terrorẽ incutiat.Hoc reperimus in isto Euãgelio:isthîc Christus cùm suam benignitatem,tum seueritatem suam & austeram iustitiã simul exhibuit,id'que summè.Quod vt verum intelligamus,verba ordine audiemus & disquiremus. Vt appropinquauit Iesus (inquit Lucas capit.19.) videns ciuitatem,fleuit super illã,&c.Hæc omnia gesta sunt in die Palmarum,cùm Christus celebri triũpho Hierosolymam ingrediebatur.Tantò etiam plus ponderis habent isthæc verba.Nam Christus antea etiam sæpè ciuitati illi appropinquauerat,sed nunquam vti modò, nimirum ꝙ super eam fleuerit. Hìc vide ineffabilem illius amorem erga populum iam perditioni proximũ.In summo suo triumpho,cùm alij vestimenta sua,alij verò ramos de arboribus in via sternerẽt,omnibus hominibus qui præcedebãt & sequebãtur,ei laudẽ & honorẽ acclamãtibus,flebat. Et cur lachrymabatur? Vtiq; propter aliorũ tãtũ hominũ interitũ & perniciẽ.Id autẽ tum verè impletũ est,vbi Zacharias ait:Ecce rex tuus venit tibi mãsuetus.An nõ ingẽs mãsuetudo est,ꝙ cùm toties ab illis ignominia affectus,& tam indigna fuerit passus,nullius tamẽ vindictæ meminit, sed ex magna compassione illorũ cæcitatem & futurũ malum deplorat? An'non ingens mansuetudo est,ꝙ cùm omnem potestatem habeat,in pœna tamen inferẽda tam tardus est: imò non nisi veluti coactus punit? Quẽadmodum etiã in Isaia videre est:Heu(inquit)cõsolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis:hoc est,quia nullũ aliud remedium est,puniam oportet.Et in Ezechiele: Quare mo- *Christi ingens amor.* *Matth.21.* *Zacha.9.* *Esai.1.* *Ezech.18.*

riemini? Nolo enim mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Docet itaque nos exemplum istud Christi, ne in aliorum hominum pœnis & casibus rideamus aut gaudeamus, sed tristemur & cõpatiamur. Sic faciebat Paulus: Quis infirmatur (inquit 2. Cor. 11. & ego non infirmor? Quis scandalizatur: & ego non vror? Et diuus Iob: Flebam (inquit capite 30.) quondam super eo qui afflictus erat, & cõpatiebatur anima mea pauperi. Sed quis miserior & magis egenus, quàm qui in peccatis iacet? Luctus mortui (inquit Sapiens) septem dies: fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum. Idcircò etiam dicit Hieremias ca. 22. Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu: plangite eũ qui egreditur, intellige à Deo per peccatũ: hic enim abit in æternũ exitium, quia nõ reuertetur vltrà. Obserua tamen aliàs etiam circa hunc fletum Christi, tribus in locis illius lachrymas referri. Paulus dicit eum magno clamore & lachrymis supplicationes ad Deum fecisse, idque factũ est in cruce: illic Christus fleuit super peccata. In Ioanne cap. 11. legimus, quòd etiam ad sepulchrum Lazari fleuerit: imò non solũ tum flebat, sed fremebat etiam in mortem. Porrò dicit hodiernũ istud Euangelium, eũ defleuisse quoque pœnam & iudicium vẽturum super ciuitatẽ Hierosolymam. Hoc pacto tria haberemus, quæ meritò lachrymas nobis exprimerent: nempe, peccatũ, mortẽ & iudicium Dei. Mundi filij nihil deflent aliud, quã mortẽ & tẽporaria incommoda: peccatũ & futurũ iudicium non curãt. Qui autẽ rectè credit, is hic potissimũ lachrymatur, peccatum & Dei iram multò magis timet, quã temporalẽ corporis mortem. Nunc verò audi quid Christus lachrymabundus dicat:

Eccli. 23. *Hebr. 5.*

Si (inquit) cognouisses & tu, &c. Hæc verba animũ planè cõpatientẽ indicant, perinde ac si dicere voluerit: O Sion & Hierosolyma, ecce venio rex tuus & seruator, quẽadmodũ prophetę de me dixerũt: sed venio mãsuetus, & pauper, ideò me nõ agnoscis: sed contẽnis me, à quo vno vitã & æternã salutẽ habere possis. O si cognosceres, quid ad pacẽ tuã seruire tibi possit, nec ita insensibilis esses in tuo proprio dãno! O si nũc cognosceres in hac die tua, in qua tot tãtãsque promotiões ad eiusmodi cognitionẽ habere possis. Etenim nunc dũ me habet qui tibi regnũ cœlorũ annuncio, orta est tibi dies salutis & diuinæ visitationis, id quod iam pridẽ ex mea doctrina & vita, quin etiã ex tot & tã magnis miraculis

Zacha. 9. *Esa. 68.*

lis didicisse debebas. Sed ô infelix populus, qui hæc neque videre neque agnoscere vis. Ideò sæuis in me, & quæris occidere me, quē meritò iuxta exēplū istius populi, toto animo & cupiditate accipere debebas. Verū quod nunc non vides, id in posterū videbis magno tuo malo, &c. Obserua hîc, ꝙ Christus ante omnia ciuitati Hierosolymæ precatur agnitionē pręsentis boni, & futuri mali. Et quid illis precari melius potuisset, quãdoquidem ignorãtia causa est omnis mali. Vnde & Moyses ad populum suū dicit: Popule stulte & insipiens, hæccine reddis Domino? Et postea: Vtinā saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Eundē quoque in modū dicit Paulus: Flecto genua mea ad Patrē domini nostri Iesu Christi, vt det vobis secundū diuitias gloriæ suæ, virtutē corroborari per spiritū eius in interiori homine: vt possitis cōprehendere cū omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & lōgitudo, & sublimitas, & profundū: scire etiā supereminentē scientiæ charitatē Christi, &c. Tantū nobis situm est in vera cognitione Dei & Christi. Iudæis deerat hæc cognitio. Christus illos trifariā visitauerat. Primò, humanā naturā ex eorū genere assumendo. Secundò, prædicando. Tertiò, multa & magna miracula inter illos faciendo. Illi verò horū nullū curabãt. Nos quoque visitat etiā quotidie, interim suo verbo, interim bñficiis, interim pœna & virga. Sed nec apud nos aliqua cognitio est: temporali felicitate excæcari nos patimur, quæ tamen semper incerta & instabilis est.

Deut. 32.
Ephe. 3.
Iudæos Christus trifariā visitauit.

Ideoque ad nos meritò dici potest: O homo, si scires gratiam quæ tibi offertur, accurreres vtique. Quemadmodum Christus ad Samaritanā mulierē dicebat: Si scires Donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitā petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuā. Secundò, si cognosceres incertitudinē rerum temporaliū, haud tanti ea faceres. Tertiò, si cognosceres futurū iudiciū, proculdubiò metueres. Quartò, si cognosceres deformitatem spiritalis Hierosolymæ hoc tempore, nimirum fleres, &c. En, tam periculosa & perniciosa est ignorantia, vt de illa, Scriptura passim queratur. Vti cū Dauid dicit: Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulãt, mouebuntur omnia fundamenta terræ. Et Isaias: Cognouit bos possessorē suū, & asinus præsepe domini sui: Israël autē non cognouit, & populus meus nō intellexit. Et Hieremias: Hirūdo, ciconia, &c. custodierunt tēpus aduētus sui: populus autē meus non co-

Ioan. 4.
Psal. 81.
Esai. 1.
Hi[illegible] 8.

gnouit iudiciũ Domini. Obserua secũdò in eo quod Christus dicit, In hac die tua, nos duas habere dies. Altera nostra est, altera Dei. Prior illa data nobis est ad pacem, hoc est, in qua pacẽ quærere & Deũ nobis recõciliare debemus. Altera erit dies iudicij. De prima dicit Pau. 2. Cor. 6. Ecce nũc tempus acceptabile, ecce nũc dies salutis. De secũda dicit Sophonias. Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est, & velox nimis dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarũ & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clãgoris super ciuitates munitas & super angulos excelsos. Non sine causa autẽ dicit Christus, In hac tua die. Nominat tẽpus huius vitæ diem, ob breuitatẽ, quẽadmodum etiã Iob dicit cap. 14. Dies hominis breues. Et Dauid Psal. 89. Dies annorũ nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autẽ in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum labor & dolor. Sed quid octoginta anni ad æternitatẽ? Et tamen pauci hũc numerũ attingũt. Deinde vocatur tẽpus vitæ huius, etiã dies, propter [illegible] certò nox subsequetur: quẽadmodũ Christus dicit, I[illegible] Venit nox quãdo nemo potest operari. Quòd autẽ Chr[illegible] ampliùs dicit in hodierno Euãgelio, Nũc autẽ abscõdita [illegible] ab oculis tuis, vera sentẽtia est. Enimuerò omnibus impiis abscõsa sunt futura. Quoniã affluẽtia & abundantia rerũ tẽporaliũ ita excæcantur, vt sine omni metu & cura rerũ futurarũ viuant, quẽadmodũ Iob cap. 21. de illis dicit: Domus eorũ securæ sunt & pacatæ, & nõ est virga Dei super illos. Ducunt in bonis dies suos, & in pũcto ad inferna descẽdũt. Imò ex patiẽtia & longanimitate Dei deteriores fiunt ac audaciores in omnia flagitia, sicuti Salomõ dicit: Quia nõ profertur citò cõtra malos sentẽtia, absq; timore vllo filij hominũ perpetrãt mala. Sic etiã viuebãt Iudæi securè, planè, cũ futurũ illis Christus exitiũ annũciabat. Omnia illis abscõdita erãt. Fieri potest, ꝙ deriserint, cũ ea Christus loqueretur. Putabãt enim fortunã eorũ perpetuam fore, cogitantes apud semetipsos: Habemus benè munitam ciuitatẽ, & omniũ in ea rerũ affluentiã: ad hæc, habemus quoq; tẽplũ, imò Deũ in tẽplo: is diuinũ suũ cultum non patietur interire, &c. Hæc fiducia est hominum Deum non timentiũ, sed momento euanescit citius, cũ Deus incipit iudicare & punire. Sequitur in Euãgelio. Quia veniẽt dies in te. Multifariã vocati erãt, idq; in summo gradu. Quia illis nõ modò Prophetæ, sed Christus ipse prædicauerat. Quoniam autem Dei bonitatẽ tam multùm &

Sopho. 1.

Vita hominis cur dies vocetur.

Eccle. 8.

tùm & sæpè contempserant & fuerant aspernati, alio iam & nouo modo visitare eos volebat: nimirum per pœnam & vindictam: imò tali pœna & vindicta, qualem antea mũdus nunquam viderat. Nam vbi Dei gratia conténitur, nihil expectandum aliud est, quàm seuerum iudicium. Sicuti Christus etiam alio in loco dicit: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida & Capharnaum, quia si in Tyro & Sidòne factæ essent virtutes quę factę sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitẽtiã egissent: remissius etiã erit illis in die iudicij quàm vobis, &c. Et iterum, Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & cõdẽnabunt eam: quia pœnitentiá egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hîc. Inimici tui (inquit porrò Christus in hodierno Euangelio) circundabunt te vallo, &c. Hîc vides, quòd Deus etiam improbos temporaliter punit. Ita enim Moyses prædixit: Nisi audieris vocem Domini Dei tui, maledictus eris cum omnibus quæ habes, &c. Sic puniebat Deus olim mundum diluuio, Sodomitas igni, Aegyptios decem magnis plagis, &c. Nullum autem populum grauiùs puniuit, quàm Iudæos: quemadmodum etiam anteà erga nullum populum clemẽtiorem se exhibuerat, nec populũ vllũ ingratiorẽ inuenerat. Enimuerò tãta cum miseria & calamitate populus ille extirpatus est, vt nemo historiã illã sine lachrymis legere posit. Tam miserè à Romanis vexabantur, imò & à seipsis, vt dux Romani exercitus Titus illis cõpateretur, ad cœlũ manus suas tollens, Deũ contestans, se nõ propria sua volũtate, sed illorum temeritate & rebellione coactũ, vt tanta seueritate cõtra illos ageret, eósq; tam crudeliter tractaret. Hinc apparet, quàm duriter & grauiter Deus mortẽ Filij sui Vnigeniti, & sanctorũ Prophetarum in illis vltus sit. Sic eis retributum est, quòd tempus visitationis suæ agnoscere nolebant: sed multò magis, quòd eos, qui ipsis æternam salutem annuntiabant & afferebant, summè persequebantur & expellebant. Hoc nobis admonitioni esse debet. Postquam enim Iudæi tanquam filij regni, & tanquá naturales rami oliuæ, excisi & reiecti sunt, nos gentes & oleastro bonæ radici insiti sumus, hoc est, ex mera bonitate Dei ad gratiã Euágelij vocati sumus. Quapropter videre nos oportet, vt hanc eius bonitatẽ & paterná visitationẽ nõ vẽto tradamus, conténamúsue, sed ei cõueniẽter viuamus. Thesaurũ suũ nobis aperuit, pauci verò sunt, q̃ eũ cũ gratitudine accipiũt: imò multi sunt,

Matth. 11.
Matth. 12.
Deute. 28.
Gen. 7.
Gene. 19.
Exo. 7.
Act. 4. 5.
Rom. 11.

sunt, qui prętereà blasphemāt, & in suis peccatis perseuerāt. Si itaq; Deus naturalibus ramis non pepercit, multò minus nobis parcet. Eius rei multa signa habemus. Quis autē hæc ad animū reuocat, dátq; operā vt vitā suā emēdet & pœnitētiam agat? Deus quidē cōniuet ad tēpus, patiēs est & lōganimis: sed tādē etiā iustus iudex erit, & sentietur. Sequitur in Euāgelio: Eò quòd nō cognoueris tēpus visitationis tuæ. Nihil est quòd Deū ad irā & indignationē magis moueat, quàm ingratitudo. Atqui præsens istud tēpus indubiè tēpus est nostræ visitationis. Nō enim nūc visitare nos cupit Deus in ira sua & virga, sed benigna potiùs cōmiseratione. Visitauit nos homo factus tāquā creator creaturā suā, tāquā medicus ægrotū, & tāquā redēptor captiuū. Attamē ingratitudo nostra tāta est, vt tametsi lux in mundū venit, magis tamē tenebras iniquitatis, quàm lucē iustitiæ diligamus. Deus in mūdo est, & mūdum creauit, sed mūdus eū nō cognoscit. Et Christus in sua propria venit, & sui eū nō cognoscūt & recipiūt. Meritò itaq; in nobis cōpletur quod Deus in Isaia dicit: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autē spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, populus meus me non cognouit, &c. Hoc consideremus circa primam istam partem hodierni Euangelij: nimirum quæ bona præ manibus habeamus, & quæ mala sequentur, vbi ingrati fuerimus. Deus det nobis gratiam suam, Amen.

Psal. 7. Eccle. 1. Ioan. 3. Ioan. 1. Esa. 1.

QVINTVS SERMO DE alteraparte Euangelij.



Ecclesiast. 11.

HODIERNO isto Euāgelio Christus nos illud ipsum adeò docere vult, quod Salomon in suo Concionatore docet, vbi dicit: Si ceciderit lignū ad Austrū, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Ergo da partem septem, necnō & octo: quia ignoras quid futurū sit mali super terram. Manè semina semen tuū, & vesperè ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: & si vtrūq; simul, melius erit. In his verbis monet Salomon omnes homines, vt ex cōsideratione futuri iudicij, tantò magis omni bono studeāt; & nō expectēt, donec iudiciū inchoētur. Eodē quoq; modo Christus in hoc Euāgelio suis lachrymis atque etiā annūciatione futuri supplicij Iudæos monere voluit, vt pœnitentiā agerēt, & oblatam gratiā amplecterentur, prius

quàm

quàm iudiciũ & ira Dei super illos veniret. Quanquam parum ad animũ reuocabãt dies pacis & felicitatis in qua erãt: ita excæcauerat eos, vt Domini diẽ neq; possent neq; vellent videre. Alioqui exitiũ suũ præcauere nõ minus potuissent, quàm Niniuitæ. Vnica hæc certè causa est, quãobrem nobis Deus minatur, nimirùm vt cõuertamur & emendemus nos. Repẽte (inquit in Hieremia) loquar aduersum gentẽ, & aduersus regnũ vt eradicẽ & destruã & disperdã illud. Si pœnitentiã egerit gẽs illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eã; agã & ego pœnitẽtiã super malo quod cogitaui, vt facerẽ ei. Sic & Christus nihil aliud quęrebat, quàm pœnitẽtiã. Et satis ad eã agẽdã largiebatur eis tẽporis. Niniuitæ quadraginta tãtũ dies habebãt ad pœnitẽtiam, hi quadraginta annos: sed his quadraginta annis nõ faciebant tãtũ, quãtum Niniuitæ tribus diebus: quare cùm iudiciũ Dei incipiebat arborẽ hãc recidere, nullũ erat amplius effugiũ, nec clamor vllus proderat. Auxiliatorẽ quidẽ cupiebãt, sed nullus erat. Christus illis prædixerat Lu. 17. Veniẽt dies, quãdo desideretis videre vnũ diẽ filij hominis: nõ videbitis. Et iterũ Ioã. 8. Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Hoc modo Deus punit ingratitudinẽ hominũ. Vocaui (inquã) & renuistis: ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit. Tũc inuocabũt me, & nõ exaudiã, &c. Hoc nobis esse dictũ putemus. Reliqua porrò verba hodierni Euangelij audiamus. Et ingressus Dominus Iesus in tẽplũ (inquit Lucas) cœpit eiicere vẽdẽtes in illo & emẽtes. Quòd Christ' primũ ingressus est tẽplũ, q̃ cõmunis & publicus locus erat, ad quẽ venire omnibus cõcessum erat, indicare primò voluit, se irã illorũ nõ timere, neq; passionẽ & crucẽ velle fugere, sed vltrò se illi dedere. Secũdò, indicare quoq; voluit regnũ suũ nõ in foro & in mũdo, sed in tẽplo & domo Dei fore. Idcircò nusquã frequẽtiùs visebatur, quàm in tẽplo. Nesciebatis (inquit) q̃a in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Tertiò, docere oẽs homines voluit, vt primũ quærãt regnũ Dei. Præcipuè autẽ spiritales Pastores voluit monere, vt summã suã curã eò cõferãt, nõ quò magna bona & thesauros accumulẽt, sed vt domum Dei, quæ ipsis cõmissa est, puram & mundam seruent. Quid verò Christus in templo fecit? Marcus 11. cap. dicit, quòd circũspexerit & omnia perlustrauerit. Et sic Salomoni, 2. Paral. 7. promisit: Oculi mei (inquit) semper erũt aperti super

Ionæ 3.
Hiere. 18.
Christus nostrã desiderat pœnitentiam.
Ionæ 3.
Prouerb. 1.
Luc. 2.
Mat. 6.

super domum hanc. Sed quid in templo inuenit? Ementes & vendentes. Expectaui, inquit, vt vinea mea faceret vuas, & fecit labruscas. Ecquid Dei populo cum terrenis rebus? Quid dissimilius, quàm domus Dei & dom⁹ negociationis? Quid tam dissimile quàm tẽplum & spelunca latronũ? Quę societas luci ad tenebras? Quæ participatio iustitię cũ iniquitate? Quæ cõuentio Christi ad Belial? Eò iam redacta erat Iudaica religio & Dei cultus, vt templum eorũ in domum negociationis esset versum: imò in speluncam latronum. Deus antiquitus illos sępè obiurgarat per Prophetas, quòd domũ suam prophanarent. Quid est (inquit in Hieremia) quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Et in Isaia cap. 26. In terra sanctorum iniqua gessit, & nõ videbit gloriam Domini. Negabant id quidem, sed Deus poterat eos conuincere. Quid niteris (inquit in Hieremia, cap. 2.) bonam ostendere viam tuam? Ecce ego iudicio contendam tecum. Et iterũ cap. 7. Ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Id iam res ipsa docet. Inueniebat ementes & vendentes in templo (dicit Euangelista) perindè ac si dicat, quòd toties questus fuerat, & ipsi semper negauerãt, iam re ipsa se inuenisse. Væ autem homini, quem Deus sæpè præmonet, & tandem illum deprehẽdit in peccatis. Nam si Christus discipulos suos increpauit, qui quidem mali nihil faciebant, sed dormiebant tantùm, & alioqui bonis operibus dediti erant: quid illis faciet, quos manifestò in criminibus deprehendet? Huc pertinet quod Christus ait Matth. 24. quando dicit malus seruus in corde suo, Moram facit Dominus meus venire, & ob id incipit percutere seruos suos, venturum Dominum in die qua nõ sperat, &c. Idipsum hic quoq; inuenitur. Christus è tẽplo eiiciebat ementes & vendentes. In Ioanne habetur, eum flagello vsum. Hic vsu venire videas quod Dauid dixit, Psal. 17. Deum cum sanctis sanctum, & cum peruersis etiam peruersum esse. Quàm se Christus erga alios humanum exhibet, tam seuerũ se hìc ostendit. Imò aliis in locis patitur non solùm cõuitia, sed etiam verbera, & mortem patientissimè, absq; omni remurmuratione & retaliatione. Sed hìc etiam flagellum adhibet: cęterùm non erat hæc inuidia aliqua aut temeritas, sed diuinus zelus & iusta indignatio. Quamobrẽ introducit Ioannes sententiã ex Dauide, vbi inquit Psal. 67. Zelus domus tuæ comedit me. Talem quoq; zelum ostẽdebat etiam Moyses, cùm idololatras è medio tollere curabat, & erat

Esa. 6. *2. Cor. 6.* *Hiere. 11.* *Mat. 26.* *Ioan. 2.* *Exod. 23.*

& erat tamen aliis in rebus omnibus mãſuetus. Hinc etiã Chriſtus facto iſto primùm indicare voluit, ſe duci zelo pro domo Dei. Et id quidẽ neceſſarium erat. Nam ſi illum tanquam blaſphemum cõdemnabant, tametſi in illo talem zelum aduerterant: quid facturi fuiſſent, ſi eiuſmodi nihil in illo vidiſſent? Secundò, Chriſtus per hoc oſtendere voluit, Iudæos ob auaritiam è templo ipſorum & ſacerdotio eiectũ iri, quemadmodum illis etiam Prophetæ apertè prædixerant. Principes eius (inquit Michæas) in muneribus iudicabant, & ſacerdotes, eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant. Propter hoc, cauſa veſtri, Sion quaſi ager exarabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit. Et in Amos cap. 9. dicit: Percute cardinem, & commoueantur ſuperliminaria: auaritia enim in capite omnium, & non erit fuga eis. Et in Ezechiele cap. 22. Ecce comploſi manus meas ſuper auaritiam tuam quam feciſti. Et in Hieremia: Quia feciſtis omnia opera hæc: faciam domui huic in qua inuocatum eſt nomen meum, ſicut feci Silo, &c. Quòd autem Chriſtus in Ioanne non ſolùm ementes & vendentes, ſed etiam boues, oues & columbas è templo eiecit, indicium præbebat, etiã Iudaica ſacrificia ceſſatura, ſicuti Deus in Malachia cap. 1. dicit: Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiã de manu veſtra, &c. Tertiò, Chriſtus hac profligatione vendentium, oſtendere voluit, omnium eſſe grauiſsimum peccatum, & maxima pœna dignum, vbi in ſacris locis ſub pietatis aut diuini nominis & cultus obtentu peccatur. Quartò, item per hoc præfiguratũ eſt, quantum dãni ſancta Chriſtiana Eccleſia acceptura eſſet ex auaritia quorundam Prælatorum & Antiſtitum. Nam vbi pecuniæ ſtudium eſt, nihil ibi purum aut ſanctum manet, &c. Non ſolùm autem Chriſtus exhibebat talem ſeueritatem erga prophanatores templi, ſed increpabat etiã verbis. Scriptum eſt (inquit) Quia domus mea, domus orationis eſt: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Per hoc comparat illos latronibus & prędonibus. Auaritia enim vera radix eſt omnis prædationis. Et vt latro in ſpelũca expectat, ſi quam prædã poſsit nanciſci: ita ij iacebant in templo prædã exercentes cum populo. Sed hîc vide, quàm pulchrè eos deſcribat Chriſtus: imò quàm pulchrè illis laruam ſeu perſonã detrahat. Meliores ſeipſos ęſtimabãt, quàm omnes alios homines; Chriſt? illos nõ meliores iudicat, ſed deteriores etiã latroni

Mich. 3.

Hie. 7.

Eſa. 56.

tronibus & prędonibus: siquidē longè peius & perniciosius est, animā quàm corpus occidere, & priuare aliquē spiritualibus, quàm tēporalibus. Hoc illi sibi dictū existiment, qui sibiipsis ob quædā externa opera nimirū placēt, cū intus ta-
Mat.23. mē neque fidē neque charitatē habeāt, quēadmodùm Christus prolixè de illis loquitur. Tātùm de eo quod Christus in externo templo id temporis fecit. Terrenum templum iam annis mille quingētis destructū est, & omnia Iudaica sacrificia iam olim cessarunt: non tamē ob id Deus sine tēplo est & sacrificiis: imò habet iā hæc duo longè meliora quàm anteà. Illa figurę tātùm & vmbrę erant: nūc veritatē habemus.
Colo.2. Verū tēplū Dei est Christus: in illo enim habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Sic dicit etiā Ioānes in sua Apocalypsi cap.21. se nullum vidisse materiale templum in cœlesti Hierosolyma, sed tēplum eius esse agnū. In hoc templo exaudit Deus nostram orationem, & accepta habet nostra sacrificia, quemadmodum ipse dicit, Ioan.16. Quicquid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis. Et iterum ibidē: Pater amat vos, quia vos me amastis. Extra istud tēplum, hoc est, Christum, nulla exoditur oratio, nec sacrificium ali-
1.Ioan.2. quod acceptū est. Nam qui filium nō habet, nec patrē habet.
Acto.8. Ex hoc templo Dei Iudas primus faciebat donum negociationis: hūc sequebatur Simō Magus, qui dona Dei pecuniis redimere volebat: hos duos deinde sequuntur omnes ij, qui sub nomine Christi proprium suum emolumentū quærunt.

Secundò, vnusquilibet fidelis templum est Dei. Nescitis, (ait Apostolus 1.Cor.3.) quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Quisquis igitur videat, ne ex templo Dei faciat domum negotiationis, aut speluncam latronum. Magno redēpti estis (inquit Paulus 1.Cor.6.) portate Deum in corpore vestro. Nam si quis tēplum hoc violauerit, disperdet illum Deus. Tertiò, etiam sancta vniuersalis Christi
1.Tim.3. Ecclesia templum est & domus Dei. Quemadmodùm Paulus dicit, Ecclesiam esse domum Dei viuentis, probans id eo
2.Par.7. quòd Deus dicit Leuit.26. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vósque eritis populus meus. Hanc domum sibi elegit Deus, vt sit nomen eius ibi in sempiternum, & permaneant
Esai.60. oculi eius & cor ibi cunctis diebus, &c. Hæc est domus illius Maiestatis, quam glorificare vult. Propter hanc domū omnia facta sunt, quæ de Iudaico templo legūtur. In hoc tēplo Christus in hodiernū facit, quicquid in illo templo fecit.

Hoc

Hoc templum visitat, illic docet, illic operatur, illic apparet; hanc domum mundam esse vult, pro hac domo zelo ducitur: nec impune feret, quisquis ei hanc domum violat. Zelatus sum Ierusalē magno zelo, inquit Zacha. 1. cap. Mox subiicit cap. 2. Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit. Neq; mirū, quod pro hoc suo templo & domo zelatur, quia etiam spirituale eius corpus est, propter quod mortuus est.

Hoc omnes ij diligenter cōsiderent, qui in hac domu habitant. Nam si Christus talem seueritatē ostēdit in eos qui materiale templū prophanabāt, quod tamen paulò post destruendū erat: quā seueritatē declarabit in eos, qui in hac spirituali domu negotiationes suas & prædationes agūt? Quis autem non videt, templum istud Dei, sanctam Christianitatem nūc tā apud magnos quàm paruos, propemodùm nihil aliud factā esse quàm domū negotiationis? Circuite omnes vias Ierusalē (inquit Hieremias) & aspicite & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium. Imò à minore vsq; ad maiorē omnes auaritiæ studēt. *Hier. 5.*
Etenim primò, quis explicare satis potest, quibus astutiis, fraudibus, dolis, &c. vulgus se inuicem decipit & damno afficit? Quis Nobiliū, Principū, Regū, Iudicū, Notariorum vt vocant, Aduocatorum fraudes, prædas, nouas inuentiones, & laniationes ad pecunias à pauperibus corradendas, satis enumerare potest? Quis porrò etiā non videt insatiabilē auaritiā Ecclesiasticorum, sacerdotū, monachorū & Episcoporum? &c. Eos intellige, qui aut Ecclesiastica munia quærunt & ad se trahunt, nec tamen ob aliam causam, quàm ob temporalem vtilitatē & lucrū: aut verò qui ea, quorum dispensatores & administri cōstituti sint, non ad honorem Dei, non ad animarum salutem, neq; ad vtilitatem & emendationem sanctæ Ecclesię, sed ad suum tantùm commodum dispēsant; imò vendunt quod gratis darę debebant: quæ sua sunt quærunt ex iis quæ ipsorū non sunt: quin etiā in spiritualibus & cœlestibus rebus nihil aliud quàm tēporalia & terrena aucupantur. Imò apud tales omnia venalia sunt, non solùm oues & boues, hoc est, parua officia & præbendæ, vt vocant, sed etiam columbę, hoc est, dona Spiritus sancti & bona spiritualia, quæ gratis dispensare debebant, quemadmodum etiam gratis acceperunt. Adeóque inter tales inueniuntur, quàm spiritualibus penitus omissis ad trapezas vel mensas suas tantùm sedeant, auaritiæ suæ studeant, & temporalibus *1. Cor. 4.* *Matth. 10.*

duntaxat occupati sint. Ad hæc omnia mensas suas ita fixè posuerunt, mundanáq; potentia ita firmarunt, vt eos expellere nemo facilè possit, quanquam nihil tam forte est, quod Deus nō queat euertere. In summa, quicquid Prophetæ olim de Iudæis ob auaritiam eorum conquesti sunt, id etiam in nobis inuenitur. Vt cùm Scriptura dicit: Quicunq; implebat manum suā, id est, quisquis plena manu veniebat, fiebat sacerdos Excelsorum. Et quod Malachias ait: Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? Hi illi sunt qui ex domo Dei domum negotiationis faciūt.

3.Reg.13. *Mala.1.*

Multò deterius est, si templū Dei spelunca fiat latronum. Id faciunt primò illi, per quorum negligentiam animę pereunt, fastum & voluptatē sectantes, sui obliti muneris, nōn quærentes quod perditū est, non sanantes quod morbidum est, &c. Secundò, illi qui propriis adinuentionibus & perniciosis perplexitatibus animas illaqueant & angunt: quin etiam sæpenumerò in desperationem adigant. Tertiò, illi qui falsa securitate animas decipiunt promittētes malè viuētibus gratiā, vbi gratia nulla est: dicētes esse pacē, vbi pax nulla est, mēdacia & falsitatē hominibus obtrudentes. Omnes eiusmodi negociatores, prædones & latrones sciant se è domo Dei eiici, & nō materiali tēplo solū, sed spirituali corpore Christi, & cōmunione sanctorū. Quàm autē illud durū fuerit, indicat Deus in Osea, vbi ait: Propter maliciam adinuentionum eorum de domo meo eiiciam eos. mox subiicit: Nō addā vt diligā eos, quia radix eorum exiccata est. Ex hoc vtique vides, quàm sit horribile, è domo Dei eiici. Et quid multis verbis opus est? Christus vult suum tēplum incōtaminatum & mundum habere: vult vt sit domus orationis: vult vt in sancta Christianitate talē vitā ducamus & consuetudinem, vt nihil aliud quàm cœlestia meditemur, & Deum semper inter nos seruemus. Hoc circa Euangelium istud consideremus. Deus nobis omnibus suā largiatur gratiā, Amen.

Eze.34. *Hier.23.* *Ose.9.*

DVODECIMA DOMINICA POST PENTECO.

EVANG. LVC. XVIII.

Dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebant quòd essent iusti, & aspernabantur cæteros, parab

parabolá istam: Duo homines ascendebant in templum vt precarentur: vnus Pharisæus,& alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: ieiuno bis in sabbatho: decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus procul stans, nec oculos volebat ad cœlum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descẽdit hic iustificatus in domum suam, magis quàm ille. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur,& qui se humiliat, extolletur.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI I. CORINTH. XV.

Notum vobis facio Euangelium quod euangelizaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequemini: quo pacto annunciarim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis, quod & acceperam: quòd Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris, secundum Scripturas, & quòd sepultus sit, & quòd resurrexit tertio die, secundum Scripturas, & quòd visus sit Cephæ, deinde duodecim illis: postea visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus plures manent ad hunc vsque diem: quidam autem obdormierunt. Deinde visus est Iacobo, pòst Apostolis omnibus. Postremò verò omniũ, velut abortiuo, visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum idoneus vt dicar Apostolus, propterea quòd persecutus sum Ecclesiam Dei: sed gra

tia Dei sum id quod sum. Et gratia eius quæ profecta est in me, non fuit inanis.



Luc. 16. ANTE paucos dies, cùm nobis in Ecclesia proponeretur parabola de infideli dispensatore, ipse Christus illam parabolam interpretabatur vltimo verbo quod dicebat, Ergo facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: Vnde nemo non intelligere faciliùs potest ex talibus verbis, quorsum eiusmodi parabolam & similitudinem dixerit. Cæterùm hodiernam similitudinem exponit

Luc. 18. nobis Lucas, & statim initio & in primis verbis, vbi ait, Christum dixisse ad quosdam parabolam hanc, qui in se suáque probitate nimiùm confidebant: contra verò aspernabantur cæteros. Atq; hîc rursum facilè cognoscere est, quomodo parabola ista, & Euangelium sit intelligendum. Reprehendit & damnat omnem præsumptionem & superbiam cordis humani, præcipuè in spiritualibus & diuinis rebus: docet è regione veram humilitatem, quæ sola vera via & medium est, erga Deum, & cum Deo agendi. Hæc duo sunt, quæ bonus Christianus diligenter obseruare debet: nimirùm quod Deus

1. Pet. 5. superbis resistit, humilibus autem dat gratiã. Hæc, inquam,

Iacob. 4. quiuis Christianus pectori suo inscribere penitissimè debet, quia multum momenti habent. Nihil æquè odit Deus atq; superbiã: & tamen nulla res est, quæ homini magis adhæreat, & radices suas altiùs agat, quàm philautia & amor sui. E diuerso nihil est quod Deo magis placeat in rationali creatura, quàm vera humilitas, licet nihil homini difficilius & tardius persuadeatur. Quapropter ab altera parte admonitione opus habemus, ne superbia & philautia nos seducat: ab altera parte opus habemus calcaribus & admonitione, vt

1. Pet. 5. tantò profundiùs nos humiliemus sub potenti manu Dei. Quid autem deterrere nos melius potest ab omni superbia, & priuato amore, quàm isthuc adeò exẽplum de hypocrita, eiúsq; arrogante & inflata oratione? Quid nos iustiùs ad humilitatẽ, & ad humiliter de nobis ipsis sentiẽdũ, trahere potest, quã exẽplũ adeò de Publicano? Quãtũ ille perdebat sua superbia, existimatione & inani iactãtia bonorũ quorundã operũ, tãtũ hic cõsequebatᷓ humilibus gestibus, syncera humiliatione sui, & cõfessione suorũ peccatorũ, cũ emendandi

firmo

firmo proposito cõiuncta. Pharisæus quidẽ præclarũ sibi spiritaliũ bonorũ collegerat thesaurũ, diues veniebat in tẽplũ: sed superbia illius & philautia ac vana sui cõplacẽtia, totum illi perdebat: faciebátq; vt vacuus domũ rediret. Cõtrà Publicanus pauper veniebat in tẽplũ, sed humili sua cõfessione & vera ad Deũ cõuersione summũ bonũ consequebatur, nimirùm vt iustificatus è tẽplo domũ rediret, qui ceu infamis peccator in tẽplũ venerat. Adeò res perniciosa est superbia: adeò res salutaris est humilis spiritus, & cor contritũ. Rectè igitur Tobias filiũ suũ docuit, cũ ad eum diceret: Fili mi, superbiã nunquã sensu tuo, aut in tuo verbo dominari permittas: In ipsa enim initiũ sumpsit omnis perditio. Apostolus noster Paulus ad Ro.12. similiter quoq; nos docẽs, ait: Nõ alta sapientes, sed humilibus cõsentiẽtes. Christus hac in parte seipsum exemplum dedit. Discite à me (inquit Mat. 11.) quia mitis sum, & humilis corde. Et iterũ dicit in pedũ lotione, Ioan.13. Exẽplũ dedi vobis, vt quẽadmodũ ego feci vobis, ita & vos faciatis. Et quid multis verbis opus est? Vt humiliter sentiamus de nobis ipsis, rationes multæ satis suppetũt nobis, si in nos ipsos descẽdamus, cõsiderãtes qui sumus, quã pauperes & egeni in corpore simul & anima, tẽporaliter & spiritualiter. Ad superbiã verò causam penitùs nullã habemus. Quid superbis terra & cinis? inquit Sapiẽs. quid efferris? Quid habes quod non accepisti (inquit Paulus. 1. Cor. 4. Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quid te eleuat cor tuum, (fertur in libri Iob cap. 15.) & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Imò verò superbia etiã naturę hominis repugnat. Nã vbicũq; se homo inspicit, intrinsecus, extrinsecus, in corpore & anima semper plus offendit miseriæ & turpitudinis, quàm boni & laudabilis. Superbia Deo contraria est: imò quod hominibus altũ est, abominatio est ante Deũ, dicit Christus ipse. Superbia etiam hominibus inuisa est, vti Salomon ait, Prou. 8. Arrogantiam & superbiam, viam prauam, & os bilingue detestor. Et iterum Pro. 11. Abominabile Domino cor prauum, manus in manu nõ erit innocẽs malus. Odibilis corã Deo est & hominibus superbia, & execrabilis omnis iniquitas gentiũ (inquit Iesus Sirach Eccl. 10. cap.) quia ex his duobus multa iniqua & iniusta veniũt. Superbiam Deus nunquam potuit aut voluit pati, atq; impunitã relinquere. Expertus id est Angelus in cœlo, Adam in paradiso. Experimur nos idẽ etiãdum

Psal.50. *Tob.4.* *Causæ nos humiliandi.* *Eccl.10.* *Luc.6.*

in terris. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer (inquit Isaias Capi. 14.) corruisti in terrã, qui vulnerabas gẽtes? Qui dicebas in corde tuo, In cœlum conscendã, super astra Dei exaltabo solium meũ, sedebo in monte Testamẽti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo? Veruntamen ad infernum detraheris in profundum lacus. Qui te viderint, ad te inclinabũtur, téque prospicient. Nunquid iste est vir, qui conturbauit terrã, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit? Omnes reges gentiũ vniuersi dormierunt in gloria, vir in domo sua. Tu autẽ proiectus es de sepulchro tuo, &c. Hoc loquebatur Isaias de superbo elato rege Babyloniæ, qui ex summa arrogãtia dicere audebat, Non'ne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domũ regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decôris mei? Adhuc audaciùs & superbiùs dicere audebat ad Danielis socios: Quis est Deus, qui vos eripiet de manu mea? Quàm verò horribiliter superbus iste rex posteà humiliabatur? In diabolo idipsum priùs quoque deprehensum est. Videbã Satanam sicut fulgur de cœlo cadentẽ, inquit Christus Luc. 10. Ad regem de Tyro loquebatur Deus similiter in Ezechiele, Cap. 28. Eò quòd eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris, cũ sis homo, & nõ Deus, &c. Idcircò ecce, ego adducam super te alienos robustissimos Gentiũ: & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Interficient & detrahent te, &c. In eodẽ capite loquitur etiã Deus de superbo Angelo, eiúsque præcipitio, Tu signaculũ similitudinis plenus sapientia, & perfectus decôre. In delicijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentũ tuum. Posui te in monte sancto Dei. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. Eleuatum est cor tuum in decôre tuo: in terram proieci te, ante faciem regum dedi te, vt cernerẽt te, &c. Hîc vides superbia quid faciat, nimirũ ex Angelo diabolũ, ex homine miserabilem creaturam, imò irrationale animal. Deus superbiam puniuit in cœlo, puniuit eam in paradiso, punit eam adhuc in terris. Et quid aliud in inferno ardebit, quã superbia & propria voluntas, quæ se Deo non subiicit ac dedit? Non mirũ ergò quòd Dauid orat Psal. 35. Domine non veniat mihi pes superbiæ: ibi enim ceciderunt qui operantur iniquitatem.

Dan. 4. *Dan. 3.* *Superbiã vt puniat. Deus.*

Iniquitatem. Contrà verò acclamat nobis Psal. 30. Diligite Dominũ omnes sancti eius, quoniã retribuet abũdanter facietibus superbiã. Verũtamẽ quantũcũque Scriptura passim superbiam & arrogantiam dãnet, semper humanũ cor inflatur, non solũ in externis rebus, & coram mundo, sed etiam corã Deo, vti in hypocrita isto videre est, cuius hodiernum Euangeliũ meminit. Et quid insanius, quã magno labore & molestia velle sublime scandere, vbi certus casus expectandus est? Atqui superbus nihil certius habet, quã quod humiliari eũ oporteat. Sentẽtia lata est, quã effugere nemo poterit: Omnis mons & collis humiliabitur, inquit Isaias. Et alio in loco: Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorũ: exaltabitur autem Dominus solus. Quia dies Domini exercituum super omnẽ superbũ & excelsum, & super omnem arrogantẽ, & humiliabitur. Et super omnes cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan. Et super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos. Et super omnem turrim excelsam, & super omnẽ murũ munitũ, & super omne quod visu pulchrũ est, &c. Tutissimum itaque, vt homo humiliet sese cum Publicano. Hic iustificatus ibat in domũ suam. Et vndè iustificabatur? Humilis erat, considerabat & plangebat peccata sua, seipsum ex animo accusabat: adeò sibi ipse displicebat, vt infra omnes homines sese poneret, indignum iudicans sese, vt vel cœlum intueretur, nihil habens, quo niteretur, præter immensam Dei misericordiã. Deus (inquit) propitius esto mihi peccatori. Hæc vera humilitas est, hæc vera via est ad gratiã, ad cœlũ, ad Deum. Quisquis in hac via non ambulat & manet, is errat, videlicet, neque vnquam ad gratiam & Deũ perueniet. Atque in hoc Euangeliũ istud peculiariter dictum est & scriptum, ad docendum nos, quòd nemo qui cum Deo agere, corã Deo comparere, Deique gratiam & fauorem consequi velit, erecta ceruice & superbo spiritu venire debeat, sicuti Pharisæus iste, sed humili corde & contrito spiritu, veluti Publicanus: de seipso nihil sentire, propudiatis vitiis spem concipere ex misericordia Dei & meritis Christi, iisque rectè vti. Hæc præcipua sententia est hodierni Euangelij. Scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non glorietur sapiẽs in sapientia sua, & nõ glorietur fortis in fortitudine sua, & nõ glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc gloriet qui gloriatur, scire & nosse

Esai. 2.
Esa. 40.
Publicanus vnde iustificatus.
Luc. 18.
2. Cor. 10.
Hier. 9.

me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiā in terra. Si ergò aliquid boni habes, da ei gloriā à quo habes. Si quid mali vides in alio, ne tu te ipse constitue iudicē super illum: iudicet id Deus. quis enim tu es, qui iudicas seruū alienum, qui non tibi sed Domino suo stat & cadit? Sin omninò iudicare vis, fac quod Publicanus hîc fecit: tūde pectus tuū, dic, Deus propitius esto mihi peccatori. Verba hęc & gestus Publicani & peccatoris, ante omnia obseruare nos oportet in hoc Euāgelio. In his enim breuiter & dilucidè nobis indicatū est, quomodò remissio peccatorū, & Dei gratia petenda sit. Quid igitur hic Publicanus facit? Primò, à longe stat. Hoc principiū est nostræ iustificatiōis, ipse videlicet timor Dei, vbi homo propter peccata sua Deū metuit, propius accedere nō audens. Sic etiam dicit Dauid Psal. 110. Timorē Dei esse initiū sapientiæ. Secūdò, Publicanus iste nec oculos leuare audebat. Hæc verecūdia est, quā habere homo debet propter peccata sua. Quē fructū tunc habuistis in peccatis vestris (inquit Paulus Roman. 6.) in quibus nunc erubescitis? Tertiò, percutit pœnitens hic peccator pectus suum. Hæc est pœnitētia, vbi homo peccata; in seipso punit, & pro iis pœnitentiam agit, vtpote auaritiā misericordia, eleemosyna & beneficiis, superbiam charitate & humili oratione, irā mansuetudine, gulam & ebrietatē abstinentia & ieiunio expians. Hoc est pectus percutere. Quartò, quantūcunq; Pubblicanus iste peccatorum in se habebat ac nouerat, tamen veniam humiliter implorabat, cum proposito firmo deinceps peccata vitandi. Hæc fides viua est, quæ peccatori pœnitenti animū & fiduciā addit, vt ad Deum accedere ausit. Et nulli mortalium peccata dimittuntur, nisi ad Deum currenti. Non refert, nos ex nobis ipsis omni gratia indignos esse, & Deū seuerum esse iudicē. Per Christum accessum habemus ad illum, & ipse est noster aduocatus: quin etiā propiciatio pro peccatis nostris, quorū nos ex animo pœnitet. Quintò, nominat se hic Publicanus expressis verbis ipse peccatorem. Hæc est cōfessio, quæ primū Deo, deinde etiā sacerdoti fieri debet. Nō enim frustrà Deus ecclesiæ suæ claues tradidit. Si cōfiteamur peccata nostra (inquit Ioannes primæ Epistolæ cap. 1.) Deus fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. Dixi (inquit Dauid Psal. 31.) Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Vnde &

Marginalia: *Rom. 14.* — I. — *Peccatorum veniā petenti quid agendū.* — II. — III. — IIII. — *Ephe. 2.* — *1. Ioan. 2.* — *Luc. 15.*

de & filius prodigus non reperiebat melius consiliũ, quàm quod dicebat: Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & corã te, &c. Sextò, sese ipsum indicat hic publicanus. Ait, Deus propitius sis mihi peccatori: non facit sicut Pharisæus hypocrita, qui nil nisi bona omnia in seipso videbat, in aliis autem mala omnia. Hic autem seipsum intuetur, non obseruat aliorũ peccata. Ego sum peccator (vult dicere) præ cæteris hominibus: ego sum qui Dei gratia & misericordia opus habeo, &c. Septimò, nihil orat aliud quàm misericordiam: Deus, propitius esto mihi: non iactitat sua opera: non ait gloriabundus, hæc & hæc bona feci, sed simpliciter implorat misericordiam Dei, quemadmodum & Daniel, vbi ait: Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac, ne moreris propter temetipsum Deus meus: neq; enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Vide: talibus verbis & gestibus coram Deo comparendũ est: hoc Deo placet, & ita pœnitentẽ hominem non vacuũ aut desolatum dimittit. Quia spiritus contribulatus Deo cum primis acceptum est sacrificiũ: nec aspernatur contritum & humiliatũ. Sic vsu compertum est, non solũ in hoc publicano, qui iustificatus domum redibat, sed etiã in multis aliis, vt in peccatrice, quæ lachrymis suis Domini IESV pedes rigauit. In Diuo Petro, qui ter Dominum negauit, sed flens amarè in Apostolatus dignitatẽ restitutus est, In Matthæo & Zaccheo, vtroq; Publicano, & hominum deprædatore, cæterùm postea pœnitẽtibus & gratiam apud Christũ inuenientibus. Animaduersum est etiam in S. Paulo, qui persecutor Christi, & nominis eius, eiúsque fidelium acerrimus, gratiam inuenit, eo quòd inscius fecerat. Deprehensum est in latrone, qui iuxta Christũ in cruce pendebat, qui per omnem vitã impius homo fuerat: cæterùm pœnitentia sua & confessione iniustitiæ suæ cõsequebatur, vt ei Christus promitteret, Luc. 23. fore vt eo ipso die cum illo esset in paradiso. Deprehenditur adhuc quotidie in illis, qui verè & non ficto animo sese ad Deum conuertunt. Et quid multis verbis opus est & exemplis? Quandoquidem Paulus ipse sese exemplum diuinæ misericordiæ statuit in hodierna Epistola. Dicit quidem initiò de passio-

Dan. 9. *Psal. 50.* *Luc. 7.* *Matth. 26.* *Luc. 19.* *Act. 9.* *1. Tim. 1.*

ne & resurrectione Christi: vbi mirum alicui videri possit, quomodò hæc cum hodierno Euangelio cõcordent & quadrent: cæterùm veræ partes sunt, ex quibus videmus salutem nostram non in nobis solis sitam esse, sed præcipuè in misericordia Dei: imò non esse volentis aut currẽtis, sed mi-
Rom. 9. serentis Dei. Quapropter homo suis factis propriis præfidere non debet, sed potissimùm misericordiæ Dei. Neque vlla re falsa fiducia meliùs auferri potest, quã passione & resurrectione Christi. Si verum est quod Paulus dicit, Christũ pro nostris peccatis mortuum esse, & ad iustificationẽ nostram resurrexisse: certè non potest quisquã gloriari, ꝙ seipsum probum & saluum faciat. Si nobis Deus in Baptismo dat remissionẽ peccatorum, & primariam iustificationem ex gratia per Christum: certè non est ea nostrum meritũ, sed Dei donum. Quòd si verò etiam Christus sacrosancta sua passione remissionem peccatorum promeruit, & in læta sua resurrectione iustitiam nobis attulit: ab illo nimirum quærenda & petenda est, & cum Publicano nobis dicendum, Deus propitius esto mihi peccatori. Huc pertinet
1. Cor. 15. quod Paulus dicit, Gratia Dei sum id quod sum: qui etiam Apostolico nomine indignum se iudicat, sed Deo eiúsque
Phil. 2. gratiæ transcribit. Et is etiam est, qui nõ solùm bonam voluntatem, sed etiam perfectionem mandatorum suorum in
Philip. 1. nobis, non tamẽ sine nobis operatur. Incipit bonum in no-
Rom. 8. bis, atque etiam perficit. Ipse est qui nos vocat, iustificat, & saluos facit, quemadmodùm nos ab æterno ad eiusmodi bona elegit ac prędestinauit. Ex ipso, per ipsum & in ipso sunt
Rom. 11. omnia: ipsi gloria in secula, Amen. Hoc hodiè cõsideremus: imò Deum gratiam rogemus, qua freti, cum Publicano ex animo ad ipsum conuertamur, & eius voluntati per omnia obtemperemus, Amen.

SECVNDVS SERMO DE Euangelio & Epistola.



HAEC parabola seu similitudo hodierni Euãgelij, simplex quidẽ apparet, sed multa offert probo homini considerãda: imò ex hac ipsa similitudine duarũ personarum vnã in tẽplum euntiũ, cæterũ tam dispari modo orationem suam instituentium, potest homo intelligens nõ solùm doctrinã & solatiũ pro seipso, sed etiã bonam informationem haurire

haurire & accipere super quibusdam sententiis, quę alioqui in aliis locis Euangelij habentur: verùm apud imperitum, rarum quiddam sonant. Vt cùm Christus dicit in Matthæo: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Et iterum: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et in Ioanne cap. 9. In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant. Hæ & id genus sententiæ, clarè indicant, Iudæos reprobatū, Gentes verò in gratiam receptum iri. Hoc autem illud est, vnde Iudæi in hodiernum irascuntur, nec desistere possunt. Neque fieri potest quin optimus quisq; Christianus demiretur, ꝙ pleriq; Iudæi in tāto labore, quem sub lege Moysi sustinuerunt, nullam gratiam aut mercedem à Deo referant: Gentes verò sine omni labore in colēdo Deo ante Christum cognitum exhibito, gratiam & æternam mercedem sint consecutę. Hoc (inquā) Iudęi ægrè ferre meritò possunt, & nos admirari. Verùm hîc in Euāgelio isto expeditū responsum habes ad hæc duo. Scire vis, quáobrē Iudæi cum sua lege tótq; externis operibus, reiecti tamen sunt, cùm Deus iis, qui legem eius seruant, omnia bona promiserit? Ha, fecerūt quod hic hypocrita: propriis frigidis operibus gloriabantur, præ se alios contēnebant: Dei promissionem & regnū nō ex gratia, sed tanquam ex debita sibi mercede vsurpare volebant. Sed nō poterāt hæc Deo placere. Neq; ea via est cū Deo aut erga Deū agendi. Non me inuocasti ô Iacob (inquit in Isaia) nec laborasti in me Israël. Nō obtulisti mihi arietē holocausti tui, & victimis tuis nō glorificasti me. Nō emisti mihi argēto calamū, verūtamen seruire me fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi laborē in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorū tuorū nō recordabor. Quod perindè est ac si dicat: Nullū in te præcedēs scio meritū, quo gloriari possis: imò nihil aliud de te scio, quod ad teipsum attinet, quàm multa peccata: quocirca quicquid tibi ꝓmisi & facio, id nō tam pro merita mercede propter opera tua, quàm pro gratia agnoscere debes: qa gloria nō tua, sed mea. Ego Dominus (inquit alio in loco) gloriā meā alteri nō dabo. Et in Ezechiele: Nō propter vos ego faciā (inquit) sed ꝓpter nomē sanctū meū. Quare nō est quod gloriemini de præcedētibus meritis, sed meritò

Matth.8.
Matth.21.
Leuit.16.
Esa.43.
Esa.48.
Ezech.36.

ritò vos pudere debet viarum vestrarũ & peccatorũ. Sed hoc intelligere Iudæi nolebant: vnde etiã amittebant Dei fauorem & gratiam. Nam si superbiã nec in cœlo ferre potuit, & in Angelis, multò minus in terris probat eã in homine, qui bibit quasi aquas iniquitatẽ. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur. Scire contrà vis, quãobrem Pagani, qui nullã legem nouerant, & idcirco nihil boni facere poterant, imò variis peccatis & criminibus contaminati erant, in gratiam tamẽ recepti fuère: imò multò faciliùs & citiùs quàm Iudæi cum vniuersa ipsorũ lege? Ha, fecerũt Pagani, quod Publicanus & peccator in Euangelio: humilimè de seipsis senserũt, toto ad Deũ corde conuersi fuere, peccatores se ex animo agnoscebant: nõ suis meritis, quæ ante Christũ cognitũ nulla sciebant fuisse, sed Dei gratia se iustificatos fatebãtur, & ab illo bona omnia se habere. Hæc vera cum Deo agẽdi via est. Nihil ad Deũ deferre melius potes, quàm hæc duo, sacrificiũ cordis contriti, & sacrificiũ laudis. Hoc nobis Spiritus sanctus manifestò in sacra Scriptura indicauit. Cor cõtritum & humiliatũ (inquit Dauid) Deus nõ despicies. Et in alio Psalmo dicit Deus ipse: Sacrificiũ laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Quid nam igitur est cor cõtritum & humiliatũ? Cùm homo se ex animo peccatorem agnoscit, se vnquam peccasse dolet, & peccata præterita digna pœnitẽtia punire & expiare statuit, atq; studet. Quid sacrificium laudis? Quòd omne bonũ Deo transcribitur, & eius volũtati ac præceptis conueniẽter viuitur. Pharisæus horũ nullũ habebat. Si cor cõtritũ in illo fuisset, quod seipsum agnosceret & accusaret verè, nõ dixisset, Deus gratias ago tibi, quia nõ sum sicut cæteri hominũ, &c. Sed inuenisset, dixissétq;: Deus confiteor tibi peccata mea & miseriã, quòd nõ sum qui esse debebã, quẽadmodũ lex tua præcipit, & nomẽ meũ ac vocatio requirit: nõ viuo, sicut alij ante me vixerũt, & adhuc viuũt: nõ sum tam humilis, mortificatus, deuotus, beneficus, patiens, &c. vt illi. Ideò propitius esto mihi peccatori. Vide, hoc esset Deo offerre cor cõtritũ, spiritũ humiliatũ, & sacrificiũ laudis. Hoc Pharisęus nõ poterat. Publicanus autẽ poterat. Eã ob rẽ inueniebat hic gratiã, ille verò manebat qui fuerat. Iudæi Deo eiusmodi cor & spiritum offerre nolebant: nec diuinæ gratiæ gratos se præbebant, quicquid Deus cum ipsis ageret, sed sua quædã externa prædicabant & iactitabant opera: Deo irascebantur, si nõ statim

volun

Iob 1. *Luc. 14.* *Psal. 50.* *Psal. 49.*

voluntati ipsorum obsecundabat, vti in omnibus Prophetis *Esa. 78.*
videre est, maximè in Isaia & Hieremia. Vnde etiã omnem *Hiere. 2.*
fauorem & gratiam Dei amiserunt. Nos autem Gentes damus Deo honorem, agnoscimus eum ex gratia & misericordia præstare quicquid nobis dedit & dat: eiúsq; gratia adiuti, studemus viuere secundum præcepta & voluntatem eius in omnibus: & id nobis in commodum cedit secundum promissionem, quam olim Deus fecit, vbi ait: Quicunq; hono- *1. Reg. 12.*
rificauerit me, & glorificabo eum. Hinc perspicuum est, quomodo verbum intelligendum sit, vbi Christus Matt. 21. dicit ad Pharisæos & hypocritas: Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Hęc ex sententiis vna est, quam imperitus demirari posit & in ea hallucinari. Istud autem Euangelium illius verum intellectum, vnde fiat, vt quandoq; magnus peccator aut peccatrix citius saluari posit, quàm alius qui bonam extrinsecus speciem habet. Quippè corde cõpunctus peccator aut peccatrix, agnoscens immanitatem peccatorum suorum, toto corde se humiliat, atq; ex animo conuersus ad Deum, nititur tanto illi deinceps studiosius seruire & obtemperare per omnia, quanto se antea cernit Deo ingratiorem fuisse, quem etiam omni honore, se verò omni confusione dignũ censet: quemadmodum etiam Daniel dicit, Tibi Domine iustitia, nobis *Dan. 9.*
autem confusio. Tu es iustus, nos verò iniusti. Contrà autem alter quandoq; sibi in factis suis nimirum placet, hísq; præsidet, cùm tamen ea nõ in Dei gloriam referat, sed vt hominum laudibus vehatur, alios interim præ se cõtẽnens. Quomodo igitur talis Deo placere potest? Hæc omnia pulchrè *Luc. 15.*
indicata sunt in parabola de filio prodigo, in duobus fratribus, quorum alter vsque in patris officio & obsequio manebat, alter verò aliquandiu prorsus contumax & proteruus erat. Veruntamen quia hic posteà verè pœnitens sese humiliare poterat, veniam rogare, & indignũ se iudicare, vt deinceps filius vocaretur, inueniebat gratiam: patri adeò acceptus erat, perinde ac si nunquam peccasset. Alter autem nihil poterat aliud, quàm sese iactare, quantũ fecisset, & quanto tempore patri seruisset: contrà verò alterius fratris sui res & facta pessimè interpretari, qua de re etiam obiurgabatur. Eodem modo res nunc habet. Maximus peccator citius interdum posit mereri misericordiam, cùm ex animo humiliat se, peccata sua sacerdoti contrito corde confitetur,

tetur, & pœnitentiam dignā agit, quàm fictus quidam, qui extrinsecus quippiā boni agit, sed tamen inde totus superbit. Peccata quidem Deo non placent: imò odit Deus summè peccata & peccatorem: humiliatio autem & vera cōuersio peccatoris, Deo placet. Ita cōtrà, Christus nō respuit bona opera in Pharisæo, sed solū superbiā. Hinc Euāgeliū istud talē nobis præbet doctrinā, ne vnquam nobisipsis præfidamus, quantum etiam cunq; euehamur: è diuerso autē nūquā desperemus, licet grauissimū casum perpessi. Hoc vult sibi Euangeliū istud in genere. Vtrobiq; Deus sibi postulat honorem, quòd in nobis bonū, nō tamē sine nobis operetur, & malum vt corrigamus præstet. Si ergò aliquid in te boni habes, agnosce gratiā Dei: sin aliquid mali in te reperis, curre ad Deū & roga veniā & gratiā, qua fretus te emēdes. Deinde verò indicat etiā Euangeliū istud nobis aliud, nimirùm quî fiat, quòd omnes Dei gratiā & fauorē petimus, nec tamē omnes consequantur. Sed loquor de iis nūc, in quibus adhuc aliquid Christiani animi inest, & non de iis, qui adeò extra seipsos distracti sunt, vt de Deo nunquā cogitent, sed temporalibus solùm inhæreant. Hi haud multùm soliciti sunt de templo, multò minus de oratione: & vt maximè ad tēplū veniant, nō tamen eo animo ibi sunt, quòd orare velint. Hos iam omitto, & loquor de iis, qui bono animo tēplū frequentant ad orandū, & ad seruiendū Deo. Atqui comperimus, in hodiernū adhuc vsu venire cū eiusmodi hominibus, quemadmodum cum duobus, de quibus Euangelium istud dicit: nempè quòd alter gratiam adipiscitur, alter vacuus domum redit, & is ipse qui secundum humanum iudicium melior habebatur. Sic (inquam) adhuc res habet, quòd omnes gratiā & felicitatem cupimus & quærimus, nec tamen omnes cōsequimur. Causa est, quòd nō omnes verum mediū apprehendimus. Alij per ꝓpria sua externa opera tantū quærūt, vt olim Iudæi pleriq; faciebant: alij quærunt præcipuè per misericordiam Dei & merita Christi, licet nō negligāt facere quod suum est. Atqui certū est, opera nostra (quatenus merè nostra sunt) tam bona & perfecta nunquā fieri, vt gratia Dei & æterna beatitudine digna sint. Quapropter omnes illi fallātur necesse est, qui sibiipsis nimiū fidūt. Cōtrà certū est, misericordiā Dei longè maiorem esse, quàm merita nostra, & Christi merita totius mūdi peccata vincere. Quare falli non potest, qui misericordiæ Dei & meritis Christi sic nititur, vt

Eccle.22. (margin)

tamen

tamen ipse sibi per peccata impedimento nõ sit, quò minus ea sibi prodesse queant. Illud infirmũ fundamẽtũ est, sed hæc est fortis petra, aduersus quam etiam omnes portæ inferorũ in æternũ nihil poterũt. In Hieremia hæc vtraq; simul indicata sunt. Maledictus homo (inquit) qui cõfidit in homine, & ponit carnẽ brachiũ suũ, & à Domino recedit cor eius, &c. Cõtrà verò benedictus vir qui cõfidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignũ quod transplãtatur super aquas, quod ad humorẽ mittit radices suas, & nõ timebit cùm venerit æstus. Et erit foliũ eius viride, & in tẽpore siccitatis nõ erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructũ. Quisquis hæc verba Prophetæ nõ intelligit aut credit, is inspiciat Euãgeliũ istud, videbit quàm stultè faciat homo, q in seipso solo cõfidit: è diuerso autẽ quàm sapiẽter is faciat, qui in Dei misericordia, & meritis Christi præcipuè cõfidit: nec tamẽ illis abutitur, sed modis omnibus gratũ se præbere conatur. Huc pertinet, ꝙ hodie circa iã dictũ Euãgeliũ ea ipsa verba è diuo Paulo nobis prælegũtur, in quibus Dei gratiã bifariàm prædicat. Primò in genere erga omnes homines, deinde verò speciatim erga seipsum. Notũ vobis facio (inquit fratres) Euãgeliũ quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, &c. In his & sequẽtibus verbis audimus, quod Paulus nostrã salutẽ & fœlicitatẽ passioni & resurrectioni Christi potissimũ trãscribit. Propter delicta enim nostra mortuus est, & resurrexit propter iustificationẽ nostrã, vt nos quoq; in nouitate vitæ ambulemus. Hoc (vult Paulus dicere) est Euãgeliũ meũ, quod vobis prædicaui, in quo & statis, per quod & saluamini. Tãtũ in genere de gratia Dei, quod ad omnes homines. Deinde verò & paulò pòst, dat Paulus etiã exẽplũ de seipso: Gratia Dei (inquit) sum id quod sum: & gratia eius in me vacua nõ fuit. Hæc verba Pauli oportet nos diligẽter cõsiderare: videmus enim illic, quàm magnificè Apostolus de gratia Dei loquał. Tribus verbis vtitur, & per hæc triplicẽ indicat gratiã, quã nos habere omnes oportet. Primò dicit, Gratia Dei sum id quod sum, Bene dictum: neq; enim nosipsos creauimus, neq; redemimus, neq; vocauimus: sed Deus hæc omnia fecit gratuitò. Ipse fecit nos (inquit Dauid) & non ipsi nos. Ab æterno nos præuidit ac prædestinauit (inquit Paulus) deinde vocauit nos. Ad hæc in rebus extrariis nihil ex nobisipsis habemus, neque sanitatem, neque rationem aut habilitatem, &c. sed

Matth.16.
Hiere.17.
1.Corin.15.
Roma.4.
Oratio præueniens.
Psal.84.
Roma.8.

sed omnia hæc habemus à Deo. Quapropter quiuis Christianus rectè cũ D. Paulo dicere potest: Gratia Dei sum id quod sum. Ea alioqui vocatur gratia præueniens operãtem, & gratis data. Hanc enim facit & operatur Deus solus absque nostra opera. Mera gratia est, & talis gratia, quam ex nobisipsis non habemus. Gratia Dei sum, ait Apostolus, id quod sum.

Gratia cooperans. Secundò dicit: Abundantius omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. En, hic Paulus aliter loquitur: non dicit gratia Dei sola efficit omnia, sed operatur mecum. Hãc vocamus gratiã cõcomitantem, cooperantẽ, & gratũ facientem. Hæc gratia posita est in bona voluntate, in vitando malo, in perficiendo bono, in dulci deuotione, in sanctis meditationibus, in feruenti & assidua oratione. Hæc etiã operatur Dei gratia in nobis, sed tamẽ non sine nobis. Ideò dicit, Dei gratia mecũ. Tertiò dicit, Dei gratia non fuit vacua in

Gratia subsequens. me. Et hæc vocatur gratia subsequens, perficiens, & consummãs. Atq; hęc cõsistit in felici cõsummatione & ęternę beatitudinis remuneratione: eáque itidẽ Deus operatur in nobis.

Rom. 6. De quo Paulus vbi ait: Gratia Dei, vita æterna. Hoc pacto videtis Paulum trifariàm de misericordia & gratia Dei loqui: omnia trãscribit gratiæ Dei principiũ, mediũ & finẽ: nisi quòd indicat, nos alicubi cooperari oportere. Hæc omnia nobis eò dicta sunt, vt tãtò minus cũ Pharisæo in nobis ipsis vanè gloriemur, sed in Domino potius: & nos semper pro

Luc. 17 inutilibus seruis iudicemus, etiamsi omnia fecerimus quæ nobis pręcepta sunt. Hoc cõsideremus circa hodiernũ Euangelium & Epistolam. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

TERTIVS SERMO CONFVTAT prauum intellectum, quem quis ex hodierno Euangelio haurire possit.



CIRCA Euãgeliũ istud rursum & ante omnia necessariũ est vt bonus christianus certò obseruet, quo scopo Christus hãc parabolã seu similitudinẽ de duobus precatoribus dixerit, alioqui facilè quis trãsuersim ageretur, & ex hoc Euãgelio desumeret, quod bonũ nõ esset: imò quod Christus nũquã sensisset, queẽadmodũ iã nũc videmus & audimus, quòd aliqui temerarij prædicatores & scribẽtes circa Euãgelium istud nihil aliud faciunt, quã quòd omnia opera bona cruci-

figunt

figũt & putere faciunt, peccata verò & vitia omnia excusant, tuentur, & dicunt: Quia elato huic ac præsumptuoso Pharisæo & hypocritæ opera eius propter superbiam nihil profuerunt, omniũ hominũ etiã credentiũ opera nihil sunt: nihil neq; cõferunt neq; valẽt: quin etiã peccata sunt, & condẽnationi obnoxia, atq; Euangelio fidei nostræ, & Sacrosancto sanguini Christi contraria. E diuerso autẽ quia pœnitẽti Publicano priora eius peccata nihil nocuerunt, nullũ peccatũ posthac condẽnare potest, prȩterquã incredulitas. Hunc in modũ Euangeliũ istud nunc exponitur à nonnullis. Hinc fit, vt fermè maior pars hominũ, tã concionatorũ quàm auditorũ, absq; omni cura viuat, nulla peccata amplius curet, nec memor deinceps sit vllius boni. Alij terrore corripiuntur, cùm de bonis operibus fit mentio: alios pudet bona opera facere, etiamsi ad id impellat eos conscientia eorũ. Alij opinãtur se peccare cõtra pretiosum sanguinẽ Christi, si bona opera faciãt. Si quis autẽ adhuc inueniatˀ, qui bonis operibus studeat, statim audit à pseudoëuangelicis, ꝙ suis operibus saluari velit, ꝙ spiritu vacet, ꝙ apostata sit, ꝙ sit Pharisæus & hypocrita: omnes illũ digitis demõstrant, nemo nõ illũ subsannat. Cõtra verò quisquis audaculus est, & cõfidẽter super misericordia Dei nulla non peccata & flagitia designare audet, is de gratia Dei certus est: nihil amplius opus habet, quã vt dicat, Deus propitius esto mihi peccatori. Hoc verbo omnia prȩstat: nulla indiget pœnitentia, nulla contritione, nulla cõfessione, nulla oratione, nulla emẽdatione: si quid autẽ præterea facit, hypocriticũ est. Nã ꝙ Publicanus in tẽplum ingreditur, pectus suũ tundit ex humilitate, etsi quȩ alia sunt, nihil iã amplius valẽt. Quinq; hȩc verba, Deus ꝓpitius esto mihi peccatori, negotiũ totũ perficiũt. Sic modò intelligitur Euangeliũ istud. Sed certè nõ est hȩc sentẽtia Christi. Quapropter ne quis erret, necessariũ est (vt dixi) vt obseruemus: quorsum Christus parabolã hãc & similitudinem dixerit. Quãquã id S. Lucas expresśis indicat verbis, nimirum ꝙ Christus similitudinẽ hãc cõtra eos tantũ locutus sit, qui sibi ipsis probitatis opinionem superbè vindicabant, & alios homines præ secontemnebant. Et cur hæc verba prȩposuit? Quò appareat, Christũ nõ cõtra bona opera loqui, sed cõtra nimiã fiduciã in sola bona opera. Enimuerò lõgè alia res est, bona opera facere, quã immodicã fiduciã in bonis operibus collocare. Bona opera facere vtile est, saluta

O cæcos magistros.

Ridentur ab impiis bonorũ operũ studiosi.

Exod. 20.

Ephe.2. re & Deo placitũ, quia Deus id præcepit. Quippè oĩa eius
Tit.2. pręcepta nihil aliud docent, quã bona opera, & vetãt mala. Tũ dicit Paulus, Deũ nos ad bona opera creasse, eáq; nobis pręparasse, vt in illis ambulemus. Ait, ꝙ etiã Christus se propterea in mortẽ tradiderit, vt nos liberaret ab omni iniquitate, & mundare sibi populũ acceptabilẽ, sectatorẽ bonorum operũ. Ad hęc oĩa, etiã Deus bonis operib⁹ varias & magnas
Gen.17. promissiones fecit. Ambula corã me (dicit Deus ad Abrahã)
Gen.15. & esto perfectus. Noli timere Abraham, ego protector tuus
Hier.31. sum, merces tua magna nimis. Quiescat vox tua à ploratu
Matth.10. (inquit in Hieremia) & oculi tui à lachrymis, quia est mer-
Rom.2. ces operi tuo. Amẽ dico vobis, inquit Christus, quicunq; potũ dederit vni ex minimis calicẽ aquæ frigidæ, tantũ in nomine discipuli, nõ perdet mercedẽ suã. Gloria, & honor, & pax omni operãti bonũ, Iudæo primũ & Græco, ait Paulus. Et iterum 2. Cor. 9. Vnusquisque mercedẽ accipiet secundũ laborẽ suum. Nã qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Tũ etiã dicit Ioan. Apoc. 14. Eos qui moriuntur in domino, secutura opera ipsorũ. Et Christus Luc. 12. prædixit: Nolite ti-
Ioan.17. mere pusillus grex, quia cõplacuit Patri vestro dare vobis regnũ. Pater (inquit alio in loco) quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecũ, vt videãt claritatẽ meã quam dedisti mihi, &c. Ex his omnibus apparet, bona opera facere esse vtile, salutare, ac Deo acceptũ: cæterũ fiduciã omnẽ in operibus tantũ collocare, dãnabile esse: quippè Deus honorẽ sibi postulat nostrę salutis, vtpotè cuius primaria causa ipse est. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, ait apud Esaiã cap. 43. Et in Ezechiele cap. 37. Ego sum sanctificator tui. Ego sum Dominus Deus tuus (inquit iterũ in Isaia cap. 51.) Idcirco nec debemus, nec possumus nostrã fiduciam alibi præcipuè collocare, quã in Deo & gratia eius. Sed hoc deerat huic Pharisæo, honorem Deo tribuere non poterat. Eãobrem non dicit, Deus gratias ago tibi, ꝙ me gratia tua à malo abstraxisti, & per Spiritũ tuum ad bona agenda permouisti & adiuuisti, &c. Sed simpliciter ita dicit: Deus gratias ago tibi, quia nõ sum sicut cęteri hominũ: imò quòd tot
Phillip.2. bona solus ego feci, vbi alij malis rebus studuerũt, &c. Hic vides, ꝙ sibi ipsi has duas iustitiæ partes ascribit, euitationẽ mali, & perfectionẽ boni. Nimirũ certè hoc erat: quãdoquidẽ Paulus apertè dicit, Deũ operari in nobis bonũ velle & perficere. Tũ Christus ipse dicit, Ioan. 14. Sine me nihil po-

testis facere. Et quēadmodū palmes nō potest ferre fructū à semetipso, nisi mãserit in vite: sic nec nos ferre fructū possumus nisi in Christo manserimus. Hinc fit, ꝙ Christus Phariseū hūc seu hypocritã, cū eius oratione reiecit: nō ꝓpter ieiunium eius & bona opera, neq; propterea, ꝙ neq; prædatus esset, neq; alios decepisset, nec coniugalē thalamū temerasset: sed ꝙ bona sua ipse arroganter prædicat, sibi ipsi nimis placet, suã spē in his solis collocat, atq; interim alios homines condēnat & temerè iudicat. Eodē quoq; modo in Publicano obseruandū est, quid Christus in eo laudet. Peccatum haud quaquã in eo laudauit, quia Deus peccati inimicus est. Imò quomodo Christus peccatū laudaret, qui propterea de cœlo in terras venit, vt peccata tolleret, & summè fugienda doceret? Sed hoc Chistus laudat in Publicano & peccatore, ꝙ veras rationes apprehēdit erga Deū agēdi & gratiã cōsequendi. Sed quæ tandem illæ sunt? Quòd à telonio & turpi quæstu penitus fugit, & ad tēplū currit, percutit pectus suū, detestatur & cōfitetur peccatū suū, petit veniã, idq; totū humili & cōtrito corde, & feruēti charitate erga Deū, firmóq; nunquã peccãdi proposito. Hæc placebãt Christo in hoc Publicano & peccatore. Hæc nobis pro exemplo dedit, & non pristina eius peccata & impiã vitã. Non videndum est in hoc peccatore, qualis & quis fuerit, sed quēadmodū se nunc habet: quēadmodū etiã in Pharisæo & hypocrita nō damnare oportet bona quæ fecit, sed quod temerè de bono illo gloriatus sit. Vtrobiq; videmus bonū & malū. In Pharisæo bonū & laudabile erat, ꝙ à malefactis abstinebat, & bono studebat: malū autē erat, ꝙ in hoc superbiebat, sibi ipsi immodicè placebat, & alios homines temerè iudicabat dãnabátq;. In Publicano malū erat, ꝙ tã diu in peccatis iacuerat: bonū autē erat, ꝙ resipiscebat, & cōuertebatur ad Deū, pœnitētiáq; faciebat. Quare si rectè benéque facere in hac re volumus, vtrobiq; bonū nos amplecti oportet, malum autē omittere. Nullū opus tã bonū est, quin perdatur, si superbia & philautia interueniat. Contrà, nullū peccatū tã magnū est, quod nō per humilitatē cordis, & verã pœnitentiã tegatur tollatúrq; id quod eò nobis inseruire debet, ne bonis operibus vnquã efferamur, neq; vnquã ob peccata desperemus. Hæc præcipua sentētia est hodierni istius Euãgelij. Vndè facilè perspicere est, istud adeò Euãgeliū, quãtūcūq; in speciē simplex optimã nobis dare informationē super articulū, de quo nūc *Sap. 14.*

potiſsimũ controuerſia eſt. Articulus is eſt de iuſtificatione hominis. Duo homines aſcẽdebãt in tẽplũ, vt orarent. Primus nominis ſui ac vitæ talẽ apud alios opinionẽ habebat, perindè ac ſi nõ corã mundo & hominibus, ſed etiã coram Deo iuſtus eſſet: de altero autẽ nihil ſciebatur boni, ſed mali plurimũ: malũ nomen habebat corã mũdo & hominibus: nemo cogitare aliter poterat, quàm ꝙ etiã à Deo reiectus eſſet. At Chriſtus adeſt, ſententiã ferẽs, ꝙ hic vltimus Publicanus iuſtificatus domũ redierit præ Phariſæo & hypocrita. Sed mirabilis hæc ſententia eſt: quapropter neceſſarium, vt cauſam quæramus, quãobrẽ, qui bonæ exiſtimationis erat, reiectus ſit: alter verò cuius peccatum & iniuſtitia omnibus nota erat, gratiã ſit cõſecutus, qui tamẽ ob peccata ſua indignũ ſe iudicabat, vt cœlũ intueretur. Primò, nequaquam ea ſententia eſt (quẽadmodũ etiã ſuperius cõmemoratum & indicatũ eſt) ꝙ bona opera hominẽ impediant à gratia Dei: multò minus ꝙ peccatũ & mala vita illi ad iuſtificationem ſeruiat, vel promoueat. Nullo modo. Euangeliũ iſtud alias cauſas indicat: imò hæ duæ perſonæ ipſæ ſecum cauſam adferunt. De altero multa quidem dicũtur bona, ſed additum eſt, ꝙ fuerit Phariſæus nomine & re, hoc eſt hypocrita: hoc enim nomẽ dat plerunq; Chriſtus Phariſæis. De altero dicitur, ꝙ quidẽ fuerit Publicanus, hominũ excoriator: ſed additũ eſt, ꝙ verè doluerit ſuper peccatis ſuis & veniã rogauerit. En, hoc facit diſcrimẽ inter hos duos: hoc Phariſæum & hypocritã adeò retroẽgit cũ omnibus eius, quæ iactitabat, operibus: hoc Publicanũ tantùm promouit: tametſi multorũ peccatorũ ſibi conſcius erat. Faciat quis bona quantumcunq; multa poſsit, omnia tamen inutilia fiunt, ſi Phariſaica ſuperbia & peruerſa intentio accedat. Contrà licet quis grauiſsimè ceciderit, gratiã tamen inuenit, ſi pœnitentiæ ſe dedat. Tota itaque ſententia iſtius Euangelij in hoc cõſiſtit, ꝙ peccator qui ſeipſum agnoſcit & verè pœnitet, citiùs miſericordiã & gratiã apud Deũ cõſequatur, quàm alius qui probitatis ſuæ opinione ſuperbit, & alios temerè iudicat. Ratio eſt, quia peccator pœnitens Deo ſeſe humiliter ſubmittit: alter verò ſibi ipſi laudẽ & gloriã vindicat. Quãobrem lis & controuerſia de iuſtificatione hominis, haud difficulter dirimi poſſet. Ego tantùm colligo ex hoc Euangelio, ꝙ iuſtificatio pœnitenti peccatori contingit ſine operibus Moſaicę legis, ſed tamen nõ ſine bonis operibus. Quod perindè

Phariſæus cur reiectus, Publicanus cur iuſtificatus.

Matth. 12.

Vide hîc quæ opera ad iuſtificationem nihil faciant.

Indè dictũ est, peccator pœnitentiam agens Iustificatur, & mũdatur à peccatis suis, sine operibus Mosaicæ legis, ex gratia & misericordia Dei, attamen non sine sua cooperatione & opera. Hęc omnia probari possunt ex hoc Euangelio. Etenim videmus in eo primũ, ꝙ Deus paratus sit omni tẽpore dimittere, quia apud illũ misericordia est & copiosa redemptio. Sed cui remittit Deus peccata? Peccatori: sed tamẽ non cuiuis peccatori, sed desideranti illum & quærenti veréque pœnitenti. Talis fuit Publicanus: In hoc conuenimus adhuc Iudæi, Christiani & hæretici. Quòd si porrò rogetur, quid hominẽ ad eiusmodi iustificationẽ seu remissionẽ peccatorũ eius promoueat, iã oritur cõtentio. Iudæi volebant id legis opera facere, eò ꝙ circuncisi erãt & sacrificabant, &c. Sed falsum est. Christus nullius operis legis meminit in Publicano, nihilo tamẽ secius dicit eũ iustificatũ. Hoc si non faciunt opera legis, gratia faciat oportet. Si Moyses non facit, Christus faciat necesse est. Hoc igitur modo rixa inter nos & Iudæos sedatur. Huc pertinet quod S. Paulus tã multũ & prolixè probat, nos nõ per circuncisionẽ & legẽ Moysi, sed per viuam fidem in Christũ, iustificari. Veruntamen alia adhuc quæstio inter nos est, solúsne Christus id faciat, an nostra etiã cooperatio accedere debeat. Id nos docebit Publicanus. Si illũ Deus absq; omni eius cooperatione iustificauit, verũ est dogma illud, ꝙ sola fides hominẽ iustificet. Atqui verò Inuenimus etiã in Euangolio, ꝙ suã quoq; addiderit operã: humiliabat sese, cõfitebatur peccata sua, percutiebat pectus suũ, petebat veniam. Hinc dicit Christus, ꝙ iustificatus domũ concesserit. Et cur id? Quòd tantùm credidit? Non: sed ꝙ omnis qui se humiliat, exaltatur. Hic vides ad iustificationem plura alia requiri, quàm simpliciter credere. Rectè itaq; mater nostra catholica Ecclesia nos docuit, ad iustificationem non sufficere, vt saltẽ credamus Deum esse misericordẽ & Christũ nobis gratiã impetrauisse: sed etiã vt pœnitentiã agamus, nos humiliemus, pectus nostrũ percutiamus, nosipsos in sacramẽtali cõfessione accusemus, oremus, & à peccatis desistamus: imò contrariũ, id est, virtutes apprehẽdamus, & in eis perseueremus vsq; in finẽ. Quicunq; enim perseuerauerit in finẽ vsq;, saluus erit. Sic docet nos vniuersalis Christiana Ecclesia, quin tota sacra Scriptura de iustificatione hominis. Eius rei exẽplũ & iudiciũ habemus in hodierna Epistola. Illic quidem Paulus primò, vt æquum est,

Psal. 129.

Rom. 3. & 4.
Gal. 2. & 3.

Catholicæ Ecclesiæ de iustificatione sententia.

Matth. 24.

fidem veram in Christum, certum ponit fundamentum. Sed mox subindicat, nec seipsum otiatũ fuisse. Initio (inquã) animis nostris infigit passionem, sepulturã, & resurrectionem Christi. Hæc sunt capita, in quibus fides nostra cõsistit. Hoc Paulo fundamẽtum est, cui pręcipuè innititur. E regione autem audimus, quomodò humiliet se, ponens se infra omnes Apostolos: imò indignum se iudicans, qui Apostolus vocetur: idque Dei gratiæ ascribit. Addit tamen eiusmodi gratiam non fuisse in se vacuam & infrugiferam, idque compe-
Acto.9. rimus à conuersione eius vsque in eius mortẽ, quẽadmodũ in Actis Apostolorũ prolixè indicatum est. Summa: si volumus à peccatis nostris iustificari, non debemus sola fide cõtenti esse, nec tamen in bonis operibus gloriari, sed peccata nostra confiteri, veniam feruenter petere, de misericordia Dei minimè desperare, bona operari, cõstituere & proponere, & illa opere præstare. Hæc vera & perfecta est iustificatio. Deus Opt. Max. faxit, vt in hoc & in aliis, verã assequamur viam, inque ea impigrè pergamus, & perseueranter maneamus, Amen.

QVARTVS SERMO DE Euangelio & Epistola.



IN hodierno isto Euangelio duo nobis proponuntur homines, quorũ alter opus suum prædicat, & ob id superbiebat: alter verò peccata sua verè pœnitẽs deplorabat, & in misericordia Dei piè confidebat. Hæc erant duo quædã admodum dissimilia: sed tamen vtraque nobis ad bonũ inseruire possunt, si primum præmonitionis, alterum doctrinæ loco accipimus. Neque tamẽ credere aut opinari debemus, ꝙ id nõ nisi semel, & in duabus solũmodò personis factũ sit. Imò vbi tẽplũ Dei est, semper inuenimus, ꝙ quidã solis propriis operibus, alij verò Dei potissimũ misericordiæ cõfidant: atque hi quidem prioribus tutiores sunt. Nã qui propriè suæ iustitiæ nimis fidit, is indubiè super arenã
Psal.142. ædificat: qñquidẽ nullus ex seipso corã Deo iustificatur. Qui autẽ misericordiæ Dei potius quã sibiipsi innititur, is in firma petra stat, cõtra quã nec portæ inferorum aliquid valẽt:
Psal.102. qñquidem misericordia Dei ab ęterno fuit, & in æternũ manebit super timentes se, testamentũ eius seruantes & præceptorũ eius memores ad faciendũ ea. Quãobrẽ etsi Euangelium

geliũ istud veluti simplex parabola & similitudo videatur, si litera tantũ inspiciatur: diligenti tamẽ lectori & auditori multa præbet consideranda. Imò quicquid hinc indè nobis in sacra Scriptura iudicatur, id simul in hoc Euangelio habemus, & quã breuissimè cõprehẽsum. Docet enim nos quid facere, quid cauere, quid sperare, quid metuere debeamus. Hæc autẽ præcipua sunt, quæ nobis in sacra Scriptura proponũtur. Quisquis ergò hæc quatuor hodiè discere posset, is profectò Euãgeliũ iam dictũ, nõ frustrà & sine fructu audiuisset. Primò (inquã) ex hoc Euangelio discere possumus, ad quid nos hoĩes à Deo conditi, per Christũ redẽpti, & per prædicationẽ Euangelij vocati simus. Nimirũ vt in templũ eamus, hoc est, vt Deũ quæramus, Deũ precemur, ad Deũ cõuertamur, Deo adhæreamus per amorẽ, & semper corde nostro à terra ad cœlũ, & à tẽporalibus ad æterna ascẽdamus. Ante omnia autẽ peccata nostra paupertatẽ & miseriã agnoscamus, & ob ea humiliemus nos sub potẽti manu Dei: illũ honore & laude prosequamur, nos verò ipsos accusemus, quẽadmodũ Publicanus faciebat, vbi inquit: Deus propitius esto mihi peccatori. Tum autẽ Deo datur laus, qñ cũ Dauide ex animo dicitur: Potestas Dei est, & tibi Dñe misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. Enimuerò si de Dei potestate & omnipotẽtia dubitasset, nõ vocasset eum Deũ: si de misericordia Dei dubitasset, nullã veniã & remissionẽ ab eo petiisset. Omninò etiã hoc nobis faciendum est: ideò cõditi sumus, redẽpti & vocati. Populũ istũ (inquit in Isaia) formaui mihi, laudẽ meã narrabit. Et Petrus: Vos genus electũ, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitiõis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suũ. Secundò, docet nos Euãgeliũ istud, quid cauere debeamus: nimirũ ne in bono quod habem^9 efferamur, néue nobis ipsis immodicè placeam^9: ne alios temerè iudicemus aut cõdẽnemus. Nã vtrinque nobis periculũ imminet. Qui de bonis suis operibus gloriatur & effertur, iam amisit ea & perdidit. Amẽ dico vobis (inquit Christus de talibus) receperũt mercedẽ suã. Porrò qui aliũ iudicat, seipsum coniicit in iudiciũ Dei. Qua enim mẽsura quis mensus fuerit, eadẽ remetietur ei. Itaque disce ex hoc Euãgelio, cũ Pharisæo qdẽ bona facere, interim tamẽ iis nõ gloriari: qñquidẽ in illo vides, ꝙ etiã qui multa bona faciunt, si inde superbiãt & gloriẽtur, cõdẽnari possunt. Imò qñquidẽ

1. Pet. 5. *Psal. 61.* *Esai. 43.* *1. Pet. 2.* *Mat. 6.* *Luc. 6.*

in illo vides, quod omnia nostra opera, quantũcũq; multa sint, Deo nõ placeãt, si talibus operib⁹ efferamur, & alios præ nobis cõtẽnamus. Disce dehinc ex isto Euãgelio per Publicanũ, vt nõ alios hoĩes, sed teipsum iudices & cõdẽnes: quia in illo vides eos Deo placere: qui seipsos pro peccatoribus & omni

1. Pet. 5. bono indignos iudicãt. Deus enim resistit superbis, humili-

Psal. 101. bus autẽ dat gratiã. Tũ orationẽ tantũ cõsiderat humiliũ, & eorũ gemit⁹ nõ contẽnit: imo qui ex aĩo humiles sunt, hos

Psal. 33. saluos faciet. Tertiò quoque nos docet Euangeliũ istud, quid sperare debeamus, nimirũ gratiã & misericordiam à Deo. Est eñ bonus sperãtibus in eũ, & aĩe quærẽti illũ, in-

Thre. 3. quit Hieremias. Et Dauid Psal. 146. Bñplacitũ est Domino super timẽtes eũ, & in eis qui sperãt super misericordia ei⁹. Ita autẽ super misericordia eius sperare nos oportet, ne in peccatis maneamus: sed cũ Publicano pectus percutiamus, de peccatis doleamus, illa Deo & sacerdoti integrè cõfitea-

Rom. 6. mur, & corrigamus. Neque otiandũ deindè est, sed membra nostra posthac tenẽda & applicãda ad seruitutẽ Dei, & iustitiæ, quẽadmodũ illa exhibuimus anteà seruire peccatis & iniustitiæ: cæterũ si in peccatis maneamus, aut à bono otiemur, nulla nobis misericordia, sed mera ira & indignatio

Heb. 6. expectãda est. Nã voluntariè peccãtibus nobis post acceptã notitiam veritatis (inquit Paulus) iam nõ relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autẽ quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ cõsumptura est aduersarios. Irritam

Hebr. 10. eñ quis faciẽs legẽ Moysis, sine vlla miseratione, duob⁹ vel tribus testibus moritur: quãtò magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui filiũ Dei cõculcauerit, & sanguinẽ testa-

Deut. 32. menti pollutũ duxerit, in quo sanctificat⁹ est, & spiritui gra

Heb. 10. tiæ cõtumeliã fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam, ego retribuã. Horrendũ est incidere in manus Dei viuentis. Itaq; accedamus cũ vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à cõscientia mala, & abluti corpus aqua munda: & cõsyderemus inuicẽ in prouocationẽ charitatis & bonorũ operũ: & tãtò magis, quãtò videritis appropinquantẽ diẽ. Quartò itẽ docet nos Euãgeliũ istud, quid metuere debeamus, nimirũ iudicia Dei: eáque rursum tria simul subindicãtur, quẽadmodũ etiã in Euãgelio præteritæ Dñicæ, illorũ iudiciorũ tria intelligere poteramus, aduersum ingrati-

Luc. 19. tudinẽ Iudæorũ, nẽpe tẽporale, spirituale, & æternũ. Primũ Christ⁹ enũciabat: circũdabunt te inimici tui, & coangustabunt

bunt te vndiq;,& ad terrā prosternēt te:& nō relinquēt in te lapidē super lapidē,&c. Alterū iudicium Paulus protulit: Dedit illis Deus spiritū cōpunctionis,oculos vt nō videant, & aures vt nō audiāt vsq; in hodiernū diē. Tertiū iudicium Isaias pronūciauit seu annūciauit cōtra malos. Eccè inquit, Dn̄s in igne veniet,& quasi turbo quadrigæ eius:reddere in indignatione furorē suū,& increpationē suā in flamma ignis,&c. Eodē quoq; modo in hoc Euāgelio triplicia iudicia habem⁹ in elatos & præsumptuosos. Primū est,ꝙ etiam Christus hoc loco homines in duas diuidit partes,quarum altera electos,altera cōdēnatos cōplectitur. Quēadmodū in Matthæo facit,vbi ait:In illo die iudicij,duo erunt in agro: vn⁹ assumet̄,& vn⁹ relinquet̄:duæ molētes in mola,vna assumet̄,& vna relinquet̄ : duo erūt in lecto vno,vn⁹ assumet̄ & vn⁹ relinquet̄. Iudiciū hoc Dei eiusmodi est,ad qđ obstupescere meritò possimus. Atqui sacra Scriptura indicat nobis tale Dei iudiciū omnibus in locis. Et ita ab initio deprehēsum est. Adā duos tantùm filios habebat, Abel & Cain:alter bonus erat:alter malus. Imò in his duob⁹ filiis diuidebatur totū humanū genus in duas partes,bonorū & malorū,electorum in dānatorū hominū. Habebat & Noë inter suos filios vnū,qui malus & peruersus erat,nimirum Cham. Inter filios Abrahæ & Isaac,Ismaël & Esau mali erāt. Dauid multos degeneres habebat filios. In duodecim tribub⁹ Israëlis, nō plures quā duæ tribus seruabāt tēplū & verū cultū Dei. de nobis Christianis sæpè in Euangelio dicitur:Multi sunt vocati,pauci verò electi. Sic etiā in hodierno Euangelio nō plures quā duo homines erant in tēplo:sed tn̄ alter eorū dūtaxat iustificabatur. Tantò magis nobis tale iudicium Dei formidandū est. Alterū iudicium,quod nobis circa Euangelium istud timendū venit,est ꝙ Pharisæus,quē nemo manifesti sceleris & dedecoris arguere poterat,imò qui in multis bonis operibus sese forinsecus exercuerat,in sua tamen oratiōe reiicitur,ob superbiā. Quid ergo illis fiet,qui præter superbiā,etiā omnia alia peccata & vitia in se habent? Si iustus vix saluabitur,impius & peccator vbi parebunt? inquit Petrus. Si Pharisæo non prodest bona eius species, quomodo is corā Deo subsistet,q neq; speciē,neq; opera habet? Tertiū iudiciū,qđ circa Euāgeliū istud pertimescere debeam⁹,est ꝙ Christ⁹ dicit:Omnis qui se exaltat humiliabitur. Omnis (inquit) nullo excluso,siue pauper sit,siue di-

Rom.11. *Esa.66.* *Matt.24.* *Gen.4.* *Gen.10.* *Gen.12.25.* *1.Reg.12.* *Matt.20.* *1.Petr.4.* *Luc.14.& 18*

ues: quia pauper etiam esse superbus potest. Obserua tamen quòd nō dicit: Omnis qui in loco sublimi sedet, humiliatur: quia potest quis etiā in magna dignitate cōstitutus, humilis
Psal.39. esse. Quēadmodū Dauid seipsum pauperē & mendicū fatetur, licet magnus rex erat. Sed dicit Christus: Qui se exaltat, & præsumptuosus est, cōfiditq; in propria fortitudine, is humiliatur. Quid autē est, quod nobis tenaciùs adhæret, quā priuatus amor & vana cōplacentia? Tantò magis ergo etiā ab hac sentētia nobis timendū est. Eccè, hoc pacto docet nos istud Euangeliū, viā nostræ salutis ingredi, sed cautè & circūspectè: docet nos sperare, at interim tamē etiā timere. Hęc quatuor qui discere posset ex hoc Euangelio, vna vice satis didicisset. Hodierna itē Epistola nos docere bona multa potest, quæ tamē oīa cū iam dicto Euāgelio quadrēt. Nā primò circa Pharisaicam superbiā, ponit nobis Paulus
Ephe.2. passionem Christi ob oculos, vt discamus nō nobisipsis, sed
Ioan.14. merito Christi potissimū inniti. Etenim per eū accessum habemus ad Deū. Et nemo venit ad patrē, nisi per eū: propter illū nos amat pater, si tñ & nos illū vicissim amemus, & per illū nos in gratiā recipit. Deindè dat se Paulus in hodierna Epistola etiā pro exēplo veræ piæq; humilitatis. Primū in eo, ꝙ seipsum postremo loco noīat & numerat inter eos, qui Christū post resurrectionē eius corporaliter viderūt. Secūdò, ꝙ seipsum appellat abortiuū. Tertiò, ꝙ se vocat minimum inter Apostolos. Quartò, dū dicit, indignū se esse nomine Apostoli. Et postremò, ꝙ etiā confitetur, se Ecclesiam
Eccli.2. Dei persecutū esse. Est autē hæc insignis humilitas tāti Apostoli. Adeò ille exactè sententiā Sapiētis secutus est, vbi ait: Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Quin adeò altè in animū infixit quod Christus dixit: Qui voluerit maior
Matt.20. inter vos esse, sit vester minister: Et, Nisi vos humiliaueri-
Matt.18. tis, ac efficiamini sicut paruuli, nō intrabitis in regnū cœlorū. Talis humilitas etiā in aliis bonis & sanctis Dei, nō rara
Gen.18. est. Videmus eā in Abrahā, cū loqueretur cū Deo: Quia se-
Gen.23. mel cœpi, loquar ad Dominū meū, cū sim puluis & cinis. In sancto Iacobo similis apparet humilitas: Dñe (inquit) minor sum cūctis miserationib⁹ tuis, & veritate tua quā expleuisti
2.Ro.8. seruo tuo. Dauid itidem loquebatur ex humili corde: Quis ego sum (inqt) Dñe Deus, & quæ dom⁹ mea, qa adduxisti me
Luc.1. hucusq; ? Maria virgo & mater Christi, declarabat eiusmodi humilitatem in summo gradu. Respexit (inquit) humilitatem

tatem ancillæ suæ. Et iterum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Præclara nimirùm, imò summa & vtilissima ars est seipsum cognoscere. Vnde sibi persuadebant olim Ethnici dictũ hoc, NOSCE TEIPSVM, de cœlo venisse: & omninò de cœlo venit. sola enim gratia Dei nos adducit ad veram cognitionẽ nostri ipsorum. Tertiò prædicat Paulus in hodierna Epistola magnificè gratiã Dei, omnibus iis ad solatiũ, qui cum Publicano oculos suos non audẽt ad Deũ attollere, ob peccata sua, si tamen cum eodẽ Publicano ex animo resipiscãt. Gratia Dei sum (inquit) id quod sum. Simili quoq; modo dicit & in alio loco: Ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patiẽtiã, ad informationem eorũ qui credituri sunt illi in vitam æternam. Postremò addit Paulus: Et gratia Dei in me vacua nõ fuit, propter eos, qui Dei dona & gratiã frustrà accipiũt, nõ proferũt in lucem & in opus, apud seipsos perire sinunt, defodiunt sui Domini pecuniã in terram, qua lucrari & fœnerari debebant. Hoc pacto duo hodie insignia exempla habemus, cùm diuinæ misericordię, tum etiam veræ humilitatis: alterũ in Publicano, alterum in sancto Paulo. Ergo qui propter peccata in cõscientia sua coangustatur & cõsolationem diuinæ gratię cupit, is agat verã pœnitentiã, & dicat cum Publicano: Deus propitius esto mihi peccatori. Cæterùm qui gratiam Dei iam accepit, is dicat cũ diuo Paulo: Gratia Dei sum id quod sum. Talis humilitas vbi est, nunquã homo efferetur, sed per humilitatẽ omnes alios homines pluris faciet, quàm seipsum, vt Paulus docet. Et omnẽ suam orationem præcipuè in misericordia Dei fundabit & diriget. Quemadmodum peccator in hodierno Euangelio facit, & Ecclesia tali exemplo in sua oratione vtitur. Hoc quiuis bonus Christianus hodie ad animum reuocet, opeқue præstet. Deus det nobis omnibus suã gratiam, Amen.

1. Timo. 1. *Matth. 25.* *Philip. 2.*

QVINTVS SERMO DE PRIma parte hodierni Euangelij.



QVOD Christus in hodierno Euãgelio dicit, optimè concordat cum parabola, quam in Matthæo legimus de operariis in vinea laborantibus. Illic indicatum est, quòd qui postremò veniebant, & vix vnam horam laborabant, non solùm plenam mercedem recipiebant, quasi totam diem laborassent, *Matth. 20.*

borassent, sed etiam patrisfamiliâs fauorem retinebant. Alij autem qui diluculò laborem ingressi erãt, & totam diem in eo perseuerauerant, etsi mercedem recipiebant, nonnihil tamen in indignationem patrisfamiliâs incidere videbantur.

Similiter quoque hîc indicatum est, nimirùm quòd is qui
Luc.18. omnia bona, & nihil mali de se prædicabat, ab oratione & templo discedebat qualis venerat, vacuus omni gratia Dei, & ob elationem indignus iudicatus. Alter verò, qui multũ mali, & nihil boni de se sciebat, toto corde ad Deum cõuersus, domum iustificatus redibat, Dei fauorem & gratiã consecutus. Hunc in modum, inquam, hæ parabolę concordant.

Verũtamen vtrobique adhibita cautio est, vt nemo facilè scandalizari posit, qui verba rectè intuetur. Imò vtrobique loci causa indicata est, quãobrẽ nõnunquã falsò probus magno labore parũ gratię apud Deũ mereatur: cõtrà verò quãdoque magnus peccator gratiã & fauorem apud Deũ consequatur. Superbia & humilitas vtrobiq; hoc faciũt discrimẽ.
Humilis pœnitentia. Superbia perdit omne bonũ corã Deo, quãtũuis magnũ: contrà tegit & celat humilis pœnitentia omnia peccata coram Deo, licet plurima. Causa est, quòd superbus Deo suũ honorem præripit, existimãs manũ suam excelsam, & Deũ nõ fa-
4.Reg.19. cere omnia, dicẽs cũ superbissimo Sennacherib: Nũquid audiuisti qd ego & patres mei fecerimus, quot terras & regna subegerimus ac deuastauerimus? quid igitur posthac mihi resistere posset? Eundem quoq; in modũ dicit hic Pharisæus: Nõ sum sicut cæteri hominũ, raptores, iniusti, adulteri: ieiuno bis in Sabbato: decimas do omniũ quæ possideo. An non
2.Corin.4. autẽ ita se extollere, Deũ honore suo priuare est, qui omnia in nobis bona operatur, & sine quo nihil boni cogitare possumus? Aut quomodo homo cũ tali superbia gratiã mereri
Esa.48. posset, cùm tamen Deus toties in Prophetis dicat, se solum esse Dominum, nec daturum alteri suam gloriã? Contrà au-
Psal.114. tem vera humilitas Deo gloriam tribuit, inquiens cũ Dauide: Nõ nobis Domine, nõ nobis, sed nomini tuo da gloriã, super misericordia tua, & veritate tua. Quid ergo mirum, si quis verè humilis ac pœnitens, gratiã & fauorẽ apud Deum
Psal.112. inuenit, qui etiam citra hoc naturã habet, vt libẽter humilia respiciat: cęterùm quod magnum & sublime est, id agnoscit quidẽ, sed à longè? Quapropter hodierna parabola & similitudine duabus viis vti nos oportet. Primò, tanquam admonitione, vt nunquam in propriis nostris operibus seu meritis glo

tis gloriemur & præfidamus. Secundò, tanquam ſolatio, vt nunquã ob admiſſa peccata deſperemus. Summa ergo iſtius parabolę eſt. Primò, quòd etiam ij qui multa bona fecerunt, & extrinſecus pro ſanctis habentur, condemnari poſsint, ſi probitatis ſuæ opinione elati, alios contemnant. Secundò, quòd etiam maximi peccatores ſaluari queant, ſi humilient ſeſe, peccata ſua deplorent ac confiteantur, dignos pœnitentiæ fructus faciant, miſericordiã à Deo petant, ſéque emendent. Hoc pacto inuenimus in iſta parabola, quòd nõnunquã nouiſsimi fiant primi, & primi fiant nouiſsimi. Imò quòd multi ſint vocati, pauci verò electi: multi in templo orẽt, nõ tamen omnes exaudiantur. Verùm ordine verba hodierni Euangelij diſquiremus, & videbimus, quid nobis porrò intelligendum præbere velint. Duo homines (inquit Chriſtus) aſcendebãt in tẽplum, &c. Pulchrum & iucũdum eſt, ſicubi in bono vnanimitas eſt, & æqualis feruor, ac animus ſtudiúmque ad ſeruiendum ei & placẽdum, cui quicquid bonũ eſt, placet. Bonum & iucũdum eſt, fratres habitare in vnum. Dico vobis (ait Chriſtus) quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terrã, de omni re quãcunq; petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Hi duo neque voluntate, neq; intentione idem ſentiebant: alter enim ſibiipſi nimis placebat, alter verò ſeipſum obiurgabat, ex magna ſui diſplicentia. Aſcendebant vnà in templum. Laudabilis aſcenſus, vbi à paruo ad magna, à carne ad ſpiritum, à ſpiritu ad Deum, à mundana infidelitate ad orationem & conſiderationem diuinarum rerum aſcẽditur. Beatus vir (inquit Dauid) cuius eſt auxiliũ abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco quem poſuit. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. De hoc etiam aſcenſu loquitur alibi idem Dauid: Lætatus ſum (inquit) in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, &c. Ab hoc neminem priſtina vita & cõſuetudo deterrere debet. Non dicat filius aduenæ qui adhæret Domino, dicens: Separatione diuidet me Dominus à populo ſuo. Et non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, Qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non

Mat. 20.
Pſal. 132.
Matth. 18.
Pſal. 83.
Pſal. 121.
Eſa. 56.

peribit

peribit. Et filios aduenæ qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos: omnem custodientem Sabbatum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum, adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorũ, & victimæ eorum placebunt mihi, super altari meo: quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. Ascendebant in templum, vt orarẽt. Bonum propositũ. Sed nõ omnes hac de causa in templum eunt. Imò oratio sępenumerò minimũ est, quod in mentem venit in templo. Alij suum tantũmodò quærunt commodum & lucrũ: alij negotiantur tãtùm in eo & nugantur, quemadmodũ Christus ipse id deprehendebat

Ioan.2. suo tempore. Vnde talem seueritatem ostendebat, sicuti anteà nunquam fecerat: flagro ementes ac vendentes è templo eiiciebat, pecunias nummulariorũ effundebat, mensas euertebat, similiter & sedilia colũbas vẽdẽtium: inquiens ad eos: Auferte ista hinc, & nolite facere domũ Patris mei domum negotiationis. Porrò hi duo bono animo cõcedebãt in tem-

2.Pet.6. plum, nimirùm vt orarent. Atque hæc præcipua causa erat, quãobrem Salomon primùm templũ ædificabat. Ad hoc tantùm, inquit, facta est domus hæc, vt respicias orationẽ serui tui, & exaudias p̃ces famuli tui, & populi tui Israël, &c. Hoc animo Pharisæus & Publicanus ibãt in tẽplũ, vt orarẽt. sed veniebant in tẽplum, & oratio eorũ multis modis distabat:

Matth.14. imò adeò, vt vnus assumeretur, vnus relinqueretur, quemadmodum in extremo die cum omnibus agetur. Idcircò nihil tibi coram Deo profuerit, quòd in loco sancto habitas, nisi ipse quoq; sanctus sis. Imò cõdemnatio tua hoc grauior erit & certior, si in loco sancto flagitiosè viuas, quẽadmodum in

Esa.26. Isaia id prædictum est. Nec proderit tibi, quòd rebus te sanctis occupas, si non ita, vt oportet, facis. Templum locus sanctus erat, oratio opus sanctũ est: attamen horũ nullum Pha-

Ioan.4. risæo proderat, licet in tẽplo & oratione inueniebatur. Causa est quòd Deus spiritus est, & veritatẽ amat: imò quòd in spiritu & veritate inuocari velit: idcircò neque templũ, neq; solitudo, neque Ecclesia, neque conclaue præcipua causa est, vt oratio nostra ante Deum veniat, sed spiritus & veritas orationem nostram deferunt ante tribunal Dei. Pharisæus stans orabat. Hîc vnam partem habes, quæ Pharisæo orationem suam perdebat, & inuisam reddebat. Etenim statio hæc iudicium præbebat inflati animi, quem Deus semper odit.

odit. Contrà verò cor contritum & humiliatum nunquam despicit. Vnde & Sapiens dicit, Ecclesiastici 35. quòd hominis seipsum humiliãtis oratio nubes penetrat. E diuerso autem quæ oratio illa erit, in qua humilitas nulla est: imò in qua nos humilitatis pudet? Salomon erat omnium ditissimus & gloriosissimus rex, quem Iudæi vnquam habuerũt, attamen non pudebat eum coram omni populo genibus flexis orare. Daniel in die ter cadebat in genua in oratione. Moyses Numer. 16. cadebat in faciem in sua oratione. Lucas cap. 22. simile scribit etiam de Christo in monte Oliueti. Et quid solùm hos commemoro? Iudæi & Gentes procumbunt in genua, eleuant manus & oculos, quando orant. In Apocalypsi Ioannes videbat, non solùm viginti quatuor seniores, sed etiam omnes Angelos in cœlo in faciem procidere ante thronum Dei. In Iob cap. 26. scriptum est, quòd etiam columnæ cœli ante Deum contremiscunt: denique obstupescunt omnes creaturæ ad diuinam Maiestatẽ. Et hic superbus Pharisæus, peccator & impurus homo, in terris erecto collo & capite corã Deo audebit stare & comparere? Sed nõ hic Pharisæus solus fuit, quem pudebat in oratione sua in genua procũbere. Apud nos Christianos videmus id nunc quotidié. Imò ex egregiis morum disciplinis, quas per hos annos didicimus, etiam hæc vna est, vt non solùm nullos humiles gestus exhibeamus in oratione, sed derideamus etiam alios dum orãt, in genua procidentes. Mera sit hypocrisis oportet. Et quidã coram mortali homine qui vel aliquãtum potestatis habet, nescimus quomodo nos satis inclinare & flectere debeamus: & coram sublimi diuina Maiestate pudet nos curuare genua? Malus fructus est, arbor mala sit necesse est, vnde is extitit & natus est. Et quæ illa arbor est? Quòd persuaderi nobis sinimus, Deum peccata non curare, si tantùm credamus: illum stare promissis oportere, aut non esse veracem Deum, & misericordem. Hinc fit (inquam) quòd tam audaces coram Deo stamus aut ambulamus, quasi nos non ipsius, sed ipse nostra gratia indigeat: tanto honore eum nõ afficimus, vt tantùm nos humiliemus coram illo, quantùm facimus coram homine peccatore. Multò autem aliter reperimus in sacra Scriptura. Vbi boni filij Dei vnquam ardenter orauerunt, ibi non solùm humilia verba reperimus, sed etiã humiles mores & gestus. Deus, gratias ago tibi, inquit Pharisæus. Bonũ principiũ in oratione, vbi gratiæ agũtur Deo. Quan

Psal. 50.
3. Reg. 8.
Dan. 8.
Apoc. 7.
In illuminatos Euãgelicos nostros.
Mala arbor.

Quandoquidem hic solus dignus est maiora accipere, qui priora Dei beneficia cum gratitudine cõsiderat. Quam obrem vult sanctus Paulus, vt in Ecclesia non solùm oremus, sed etiam gratias agamus. Atque hoc modo Pharisæus iste etiam hac in parte suam hypocrisin, imò impietatẽ pulchrè tegere potuit tali specie. Quis enim illum non probum & sanctum censuisset, quia in tẽplo erat, orabat, & gratias Deo agebat? Sed hypocrisis diu latere non poterat. Gratiarum eius actio pulchra non erat. Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, &c. Hîc apparet hypocrisis, hic proditur. Scriptura dicit, iustus prior est accusator sui. At verò hypocrita iste sui ipsius & peccatorũ suorum obliuiscitur, de aliorũ tantũ peccatis loquitur. Non sum sicut cęteri hominũ, raptores, iniusti, adulteri, &c. Hęc autem non est oratio, sed temerarium iudicium: nõ deprecatio, sed mera superbia. Quis es homo, inquit Paulus, qui iudicas alienũ seruum? Domino suo stat & cadit. Nũquid non pater vnus omniũ nostrûm? inquit Malachias cap. 2. Quare ergo despicit vnusquisq; nostrûm fratrẽ suum? Quis scit quid agatur in homine, nisi solus spiritus hominis? dicit Paulus. 1. Cor. 4. Idcircò nemo alium ante tẽpus iudicare debet, donec veniat qui etiã secreta cordium nouit, &c. Sed si quis peccato aliquo pręueniatur, hũc spiritales infomare debent in spiritu mansuetudinis, & seipsos cõsiderare, ne & ipsi tentẽtur.

Tim. 2. *Prou. 18.* *Rom. 14.* *Gal. 6.*

Summa: hæc vera regula est, natura & modus omniũ rectè credentium, quando ad orationem accedere volunt, vt priores sint accusatores sui. Sic faciebat Abrahã rogãs pro Sodomitis: Quia (inquit) semel cœpi, loquar ad Dominũ meum, cùm sim puluis & cinis. Perindè ac si dicat: Ne irascare mihi quòd pro aliis oro, qui tamẽ ipse peccator sum. Sic faciebat Iacob: Domine Deus (inquit) minor sum omnibus miserationibus tuis, &c. Sic faiciebat Dauid: Quis ego sum (ait) Domine Deus, & quę domus mea, quia adduxisti me hucusque? &c. Sic faciebant Danielis socij, dicẽtes: Daniel. 3. Domine Deus, iustus es in omnibus quæ fecisti nobis, &c. Sic ipse dicebat Daniel, cap. 9. Tibi Domine iustitia, nobis autẽ cõfusio, &c. Hunc in modum confitentur probi omni tempore in sua oratione propria sua peccata. Cõtrà verò ficti nihil possunt aliud, quàm alios homines iudicare, hoc tantùm curantes quid alij, & non quid ipsi, mali agunt: imò festucam vident in alterius oculo, trabem autem in suis oculis non vident.

Gen. 18. *Gen. 32.* *1. Reg. 7.* *Luc. 6.*

vident. Hæc falso iustorum natura est. Vera iustitia compassionem habet, falsa autem indignationem, inquit Gregorius. Sequitur in oratione Pharisæi: Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. Non solùm iudicabat alios homines temerè, & cōdemnabat eos, sed etiam iactabat seipsum: sibiipsi bene placebat, suiipsius iudex & testis est. In aliis hominibus nil nisi peccatum videt, in seipso videt nil nisi bonum. Est alia virtus hypocritarum. Sic ante ruinam exaltatur spiritus, inquit Salomon Prouer. 16. imò sic inflantur impij & obliuiscuntur Dei. Non cogitant quod in Isaia cap. 64. scriptum est: Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Haud recordantes quod Christus dicit: Si omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Haud memores illius Pauli, 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Et iterum 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

Gregorius.

Luc. 17.

Hæc altera pars est Pharisaicæ iustitiæ, quod de operibus suis gloriátur, & nimiū cōfidunt in eis, nihil faciētes gratiā Dei. Est autem hoc grande scelus & vera idololatria. Quippè homines isti sua ipsorū opera nimis extollunt: aut, vt Iob ait, suas osculantur manus, hoc est, cōfidunt in seipsis. Qua de re dicit Sapiens in sua oratione: Domine pater & dominator vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Et Dauid Psal. 35. Domine non veniat mihi pes superbiæ: quia ibi ceciderunt qui operantur iniquitatē. Nihil periculosius, quàm si quis propriis suis operibus glorietur, nimiúmque præfidat: quippè super arenam is ædificat, virginibus fatuis similis, quę lampades quidem suas habebant, sed nullum in iis oleum: speciem solam habebant coram hominibus, placebant sibi ipsis, cæterùm veniente sponso lampades extinguebantur: cogebantur itaque præ foribus stare, & frustra pulsare. Quamobrem quisquis coram Deo & iudicio eius subsistere vult, nullo modo ob sua opera & merita inflari debet; sed considerare, quid boni à Deo acceperit: contrà verò quàm ingratus fuerit, & quoties Dei mandata trangressus sit, &c. videbit omnia opera nostra coram seuero iudicio Dei per se nihil esse. Hæc vera via est Dei iustitiam consequendi, quando scimus & confitemur, nos ex nobis ipsis & operibus nostris absque Dei

Iob. 13.

Eccl. 23.

Matth. 25.

gratia, iustos esse non posse, & gratiam esse, quicquid nobis dat Deus. Sic dicit D. Iob: Verebar Domine omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Sic dicit David Psal. 129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et iterum Psal. 142. Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Eiusmodi cor, quod seipsum verè humiliat, & in nulla iustitia sua, neque in seipso, neque in operibus suis gloriatur, idoneum est recipiendæ gratiæ auctioris, quam dat Deus. Quia beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Quamobrem optimus quisque Christianus caueat, ne sibi & operibus suis præfidat: alioqui enim profectò falletur: & arenæ superstruet. Propriis nostris operibus solis absque Christi meritis, coram iudicio Dei subsistere nō possumus. Aliena insuper opus habemus iustitia, nimirum operibus & meritis domini nostri Iesu Christi: in his solis fiduciam nostram ponere debemus, iisque rectè vti, quæ etiam nunquam nos fallent. Sed de his aliàs plura. Deus nos omnes custodiat ab superbiæ spiritu, Amen.

Iob. 9.

Psal. 146.

SEXTVS SERMO DE ALtera parte hodierni Euangelij.



CIRCA hodiernum istud Euangelium multa & quidem prolixè dici possent, qui omnia verba quàm exquisitissimè indagare vellet. Præcipuum autem quod in eo obseruandum habemus, est, vt homo Christianus sciat & discat humiliter de seipso, magnificè autem de Deo eiusq; gratia sentire, idque omnibus in locis & omni tempore; præcipuè autem in templo, & quando in oratione sua coram Deo stat. Hoc, inquam, præcipuum est quod in isto Euangelio obseruare nos oportet ac debemus. Hîc non parum nostra refert. Cui magna apud principem aliquem sunt negotia, tantò ea facilius efficere potest, si principis voluntatem & conditionem nouerit. Alioqui si id non sciat, potest quandoque vel vno verbo, quod imprudenti excidit, totum negotium perdere, principem commouere, & plus indignationis quàm gratiæ indè reportare. Simile periculum nobis imminet, quando erga Deum cum nostra oratione agere debemus. Porrò qui veram orandi rationem

nem non tenet, non solùm frustrà orat, sed nihil etiam aliud quàm indignationẽ indè refert. Hoc videmus in isto Euãgelio in Pharisęo. Quapropter quia nos nũc in his exulceratissimis temporibus necessitas vrget aliquãto seueriùs orare, quàm aliàs solemus, tantò diligẽtiùs quoq; Euangeliũ istud audire nos & ad animum reuocare debemus, vt discamus secundũ voluntatẽ Dei orare, ac deinde quoq; tãtò citiùs & maturiùs exaudiamur. Atqui est, vt superiùs dixi, verus & vnicus modus per orationẽ cũ Deo agẽdi, vt humiliter & nihil de nobis ipsis, magnificè autẽ & multũ de Deo sentiamus, totósq; nos Deo subiiciamus. Hũc modum quisquis in sua oratione rectè seruat, eóq; vtitur, is indubie cõsequitur gratiã, etiãsi antea maximus fuisset peccator. Cæterũ qui hunc modũ in sua oratione non seruat & vsurpat, sed superbo ac tumido corde orat, gratiã Dei amittit, etiãsi antea optimus fuisset. Eius rei nobis Christus duo præbet exẽpla in hoc Euangelio. Duo homines ascẽdebant in tẽplũ, & eodẽ proposito, nimirũ orationis causa, dispari autẽ conditione iterum è tẽplo exibãt: quia alter peccato liberatus erat: Dei gratiam & fauorem consecutus erat: alter adhuc in suis peccatis hærebat, Dei indignationem præterea fuerat consecutus, & amiserat quicquid vnquã boni fecerat. Et quod magis mirandum est, is ipse adeò gratiam & remissionem obtinet, de quo minimè spes erat. Contrà verò qui minimè timebat, & suo iudicio tutissimum se putabat, reiiciebatur. Quis autem non admiretur eiusmodi iudiciũ Dei? Magnus es Domine (inquit Hieremias) & magnum nomen tuum. Quis non timebit te ô rex gentiũ? O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia tua? Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? &c. Quid ad hoc dicemus? Nunquid Publicanum peccata eius promouerunt, quòd tantò citiùs gratiam apud Deum inuenit? Aut Pharisæum bona eius opera impedierunt, quòd in gratiam recipi eò minus potuit? Nequaquam. Longè absit ab omnibus Christianis, vt dicant aut cogitent, bona opera impedire hominem à gratia Dei, peccata autem & vitia promouere eum ad gratiam. Nullo modo. Sacra scriptura contrarium dicit omnibus in locis. Quid ergo Publicanum promouit, Pharisæum autem impediuit? Quòd Publicanus totus corde contritus, humilis & submissus erat: imò nihil penitus

Luc.18.

Hie.10.

Rom.11.

de seipso sentiebat, quin agnoscebat se talem peccatorem, qui indignus esset cœlum & solem intueri, quia Dominum cœli tot modis peccando, contumelia affecerat, interim verò tamen tam mirificè & magnificè de gratia Dei & bonitate sentiebat, vt etiam in tantis peccatis, quorum iam ex animo ipsum pœnitebat, de eius misericordia non desperaret. Hæc humiliatio suiipsius, hæc seria pœnitentia cum fiducia in misericordiam Dei coniuncta, hunc Publicanum promouit, quòd tam citò gratiam inueniebat, consequebatúrque. Hæc illi peccata eius texerunt, & ei clementem Deum fecerunt. Contrà verò Pharisæus plurimùm de se sentiebat, & suis operibus, imò prædicabat illa, perindè ac si non ipse Deo, sed Deus ipsi debitor esset, gratiæ Dei nullum relinquens locum, quasi solus omnia ipse fecisset: deindè etiam alios præ se contemnebat & condemnabat. Hæc illius superbia & contemptus aliorum, impediuit eum, vt nihil à Deo consequeretur: quin per hæc etiam omnia sua opera inutilia fecit. His nos Christus docere voluit, vt nobis ipsis nunquam fidamus, etiamsi multùm profecerimus: neq; de Dei misericordia desperare vnquam velimus, licet grauiter lapsi: sed quotiescunque

Psal. 10. coram Deo comparemus, studeamus ante omnia sacrificium cordis verè contriti, in timore & humilitate & feruenti charitate nobiscum ferre: deindè verò sacrificium diuinæ laudis & confessionis. Hæc præcipua sententia est istius Euangelij: Porrò in proximè præcedente sermone de Pharisæo eiúsque oratione audiuimus: at nunc Publicani quoque orationem aliquantò diligentiùs considerabimus. Publicanus (inquit Lucas) à longè stans, &c. Quemadmodum nobis per Pharisæum indicatum est, Deo summoperè displicere, si quis propriis meritis efferatur: sic nobis per hunc peccatorem ostenditur, Deo non parum placere, si quis humiliter peccata confiteatur, vitámq; corrigat, Hoc est quod Dauid dicit: Iuxta est Dominus iis qui

Psal. 33. tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Sensit hoc

Psal. 31. idem in seipso Dauid: Dixi (inquit) confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Idipsum in hoc publicano deprehenditur. Stans à longè, inquit Christus, Hoc verum principium conuersionis veræ, cùm peccator cognoscit, quàm longè à Deo recesserit,

Luc. 15. Hunc in modum etiam filius prodigus suam incipiebat

pœnit

pœnitentiam & conuersionem. Fames & miseria eò illū impellebat, vt in seipsum descenderet, seipsum misereretur, quòd tam longè à patris sui domu recesserat. Quanti (inquit) mercenarij in domo patris me abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Mox vt hæc cogitabat, suam incipiebat conuersionem. Surgam (inquit) & ibo ad patrem meum & dicam ei, Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Taléq; propositum illico reipsa & opere perficiebat. Iuxta exemplum istud quiuis etiam, qui gratiam apud Deum inuenire & consequi vult, à longè stare debet, in humilitate, seipsum & peccata sua considerare, sibi ipsi displicere, seipsum corripere, dignam agere pœnitentiam. A longè stare debet: peccata enim nostra diuidunt inter nos & Deum, sicuti Isaias dicit. A longè stare debet: longè enim salus à peccatoribus, quia tam longè à lege Dei recesserunt, quæ obedientibus variam Dei benedictionem, transgressoribus autem meram maledictionem annunciat. Nec attollere volebat oculos suos ad cœlum. Moris est apud omnes qui orant, vt oculos suos attollant ad cœlum: quandoquidem non solùm apud nos Christianos, sed etiā apud omnes Iudæos & Gentes creditur, Dei habitaculū in cœlis esse, quemadmodū etiam Scriptura clarissimè dicit: In cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis, inquit Iob. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, dicit Dauid Psal. 13. Et iterum, Psal. 102. Dominus in cœlo parauit sedē suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur. Et Christus Matth. 6. Cùm oraueritis, dicite, Pater noster qui es in cœlis. Et Deus ipse in Isaia cap. 66. Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quanquam enim Deus vbiq; est, regnat & operatur, implet cœlum & terram & omnes creaturas, nec longè est ab vnoquoque nostrûm, vti Paulus ait, Act. 17. speciatim tamē de illo dicitur, quod in cœlo sit: illic enim potissimū relucet sapientia, potestas & maiestas illius. Illic etiā eū videbimus facie ad faciem, & sicut est: Non enim hîc in terris corporeis videtur oculis, queādmodū etiā ad Moysen dicebat. Hinc fit, quod nos homines in oratione nostra ad cœlū respicere solemus. Vbi enim est thesaurus (ait Christus Mat. 6.) ibi & cor. Sic sępè legimus in Euāgelio, quod Christus oculos suos sustulerit ad cœlū. Sic ait Dauid Ps. 122. Ad te Dñe leuaui oculos meos, qui habitas in cœ-

Isa. 59. *Psal. 118.* *Deut. 28.* *Iob 16.* *Hier. 23.* *1. Cor. 13.* *1. Ioan. 3.* *Exod. 33.* *Ioan. 11.*

lis. Sic item docet Hiere. Thre. 3. Leuemus corda nostra, cũ manibus ad Dominum in cęlos. Hic autẽ Publicanus oculos suos attollere nolebat præ pudore suorum admissorũ: pudebat eũ ac refugiebat in conspectu diuinæ maiestatis comparere. Hæc vera humilitas cordis est, vbi homo ex consideratione peccatorũ suorũ & spurcitiei, cõtremiscit erga diuiná

1. Esdr. 9. maiestatem. Quemadmodũ & in Esdra videmus: qui cũ pro populo oraret, dicebat hunc in modũ: Deus meus, cõfundor & erubesco leuare faciem meá ad te, quoniã iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrũ, & delicta nostra creuerunt vsque ad cœlũ. In his verbis idẽ ille deprehenditur spiritus, qui in filio prodigo & publicano sese ostendit.

Luc. 7. Peccatrix hunc spiritũ exhibebat adhuc melius: ea indigná se iudicabat, vt in cõspectũ Christi veniret: retrò accedebat, ad pedes illius sese aduoluebat, atq; ibi perseuerabat etiã lachrymãdo, tergẽdo, vngẽdo & osculando: erigere se non audebat, vt Christũ aut quẽquá aliũ intueretur, donec verbum consolatoriũ audiret, Remittuntur tibi peccata, vade in pace. Talis spiritus exigitur ad pœnitentiam, & vbi Deus pro remissione peccatorum rogatur. Et sanè quidem peccator indignus est, qui cœlum intueatur, quia Dominum *cœli* in transgrediendis mandatis eius adeò contempsit. Sequitur de Publicano. Sed percutiebat pectus suum, nõ quòd externum pectus plus peccauerat, quá alia membra: sed quòd

Esa. 57. sub pectore cor latet, quod in impiis semper inquietũ est, vt æstuosum mare, nunc in hoc nunc in illud peccatum procliue: est fons & origo omnium malarum cogitationum: & est palus ac lacus cœnosus, vnde omnia profluunt, quæ hominẽ

Matt. 15. deturpant. Nam de corde (inquit Christus) exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt, quæ hominem coinquinant. Peculiariter autem hîc de Publicano dictũ est, quòd suum & nõ alterius pectus percusserit, hoc est, culpam peccatorum suorum non in alios reiecerit, quo seipsum excusaret, quemadmodum Adæ filij faciunt, qui peccata sua aut in Deum, aut in diabolum, aut in fortunam reiiciunt. Si-

Gen. 3. cuti Adam faciebat in Paradiso, qui in Deum peccatũ suum reiicere satagebat. Mulier peccatum serpenti imputabat: neuter eorum reum se fateri & agnoscere volebat. Hic autem seipsum solus accusat. Et quidem proxima hæc via est ad gratiam consequendam. Nulla enim apud Deum excusatio valet:

tio valet:imò quò plus conaris te excusare coram Deo,hòc plus te accusas & condemnas. Quid niteris bonam ostendere viam tuam (ait in Hieremia Deus) ad quærendã dilectionem?Eccè,ego iudicio contendam tecum,&c.Et in Dauide dicit ad peccatorem : Hæc fecisti,& tacui. Existimasti iniquè quod ero tui similis:arguam te,& statuam contra faciem tuam. Non itaque mirum quòd S.Dauid orat,vt Dominus ponat custodiam ori eius,& ostium circunstantiæ labiis eius,ne declinet cor eius in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis,&c.Sequitur de Publicano. *Hier 2.* *Psal.49.* *Psal.140.*

Dicens.Deus propitius esto mihi peccatori. Breuis oratio,sed efficax.Etenim primò confitetur Deum tanquã verum & vnicum deum,& creatorem omnium creaturarum. Deinde seipsum confitetur peccatorẽ,qui neq; bona opera neque merita habeat,quæ possit prętexere:sed quòd omnis sua spes præcipuè in misericordia Dei posita sit.Tertiò,quãtũcunque se pro peccatore agnoscat,non tamen desperat de misericordia Dei,sed humiliter orat ad Deum. Postremò, nulla merita iactitat,sed misericordiam implorat.Hæ verę cõditiones sunt orationis. Sic sancti Dei orauerũt in pœnitentia & anxietate conscientiæ suæ,vt videmus in Dauide,Daniele & aliis,&c.Ex hinc ergo discere debemus petere remissionem peccatorum. Et quid sequitur in hoc Euangelio? Dico vobis (inquit Christus) descendit hic iustificatus in domum suã ab illo.Hæc sententia est iudicis. Sed mirabilis sententia.Pharisæus multa bona opera fecerat,sed perdebat ea omnia:quandoquidem gloriabatur de illis, & alios temerè iudicabat.Contrà Publicanus mala multa fecerat,sed gratiam & iustificationẽ inueniebat:non propter opera sua,quia nihil boni fecerat,sed ob humilem suã confessionem & feruentem charitatem. Omnis enim (inquit Christus) qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.Sic beatissima Maria dicit in suo Cantico:Superbos dispersit mente cordis sui,misericordia eius timentibus eum.Et S.Iacobus:Superbis resistit Deus,humilibus autem dat gratiam.Et Deus ipse in Isaia:Ad quem respiciã, nisi ad pauperculum,& contritum spiritu,& trementẽ sermones meos? Non itaque inanis admonitio,quòd Petrus nobis & omnibus Christianis acclamat,vt humiliemus nos sub potenti manu Dei.Et quod Sapiens dicit Eccli.3. Quãtò magnus es,humilia te in omnibus,& coram Deo inue- *Luc.1.* *Iacob.4.* *Esa.66.* *1.Pet.5.*

Gratiæ quis capacissimus. nies gratiam. Nam vt aquæ de montibus in valles defluũt, & quò vallis profundior est, hòc plures ibi congregantur aquæ: ita quoque nemo diuinæ gratiæ magis particeps est, quàm qui se humiliat. Et quo minus homo de seipso sentit, hoc magis diuinæ gratie particeps fit. Hoc videmus in verè pœnitente Publicano isto. Nobis & omnibus peccatoribus pœnitentia agentibus, ad solatium scriptum est. Imò si Publicanum hunc probè consideramus, & quæ de illo dicta sint, habemus in illo exemplum & peccatoris, & penitẽtis, & iusti. Primò namque, quod de illo scriptũ est, quòd Publicanus, hoc est, talis homo fuerit, de quo non multa bona homines sciuerunt, & quòd de longè stetit, neq; oculos suos sursum attollere voluit, in his tribus (inquam) imago fuit omnium peccatorum, in quibus hæc tria semper inueniuntur. Etenim primò conciliat illis peccatum etiam coram mundo famam malam, vt omnibus contẽptui sint, sicut Publicani apud Iudæos erant. Secundò, etiam peccatum diuidit inter eos & Deum, vt superius demonstratũ est ex Isaia *Esa.59.* & Dauide, &c. Tertiò, etiam excæcat eos peccatum, vt ocu- *Psal.118.* los suos aperire non possint ad seipsos aut Deũ cognoscendum, sed impletur in illis quod Dauid dicit: Nescierunt, *Psal.81.* neque intellexerũt: in tenebris ambulant. Hoc prima fronte in Publicano isto videri posit. Deinde verò nobis etiã exemplum est verè pœnitentis hominis, ad eum modũ quo superiùs dictum. Et reuerà peccator quàm se huic exemplo non conformẽ facit, is pro pœnitente se ducere non debet. Vltimum & optimum in hoc Publicano est, quòd iustificatus domum ibat è templo. In hoc imago est bonorũ & iustorum, quorum vera natura & conditio est, cùm in templo & Dei cultu peregerunt quæ eò pertinent, eunt deindè etiã in domum suam. Hoc est, quando cũ Deo reconciliati sunt, & Dei cultum peregerunt, vident vt proximo suo faciant, quemadmodum decet. Quia hoc mandatũ habemus à Deo, *1.Ioan.4.* (ait Ioannes) vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. *1.Tim.5.* Tum dicit Paulus: Si quis domesticorum curam non habet, infideli deterior est. Hoc est è templo iustificatum in domum suam ire. In hoc Publicanus iste exemplum nobis & imago esse debet. Deus Opt. Max. faxit, vt eam omnes exprimamus in pœnitentia & iustificatione, Amen.

Dominica

DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM MAR. VII.

EGressus Iesus de finibus Tyri & Sidonis, venit ad mare Galileæ per medios fines Decapoleos: & adduxerunt ei surdum, impeditæq; linguæ: & deprecantur eum, vt imponat illi manum. Et cùm apprehendisset eum de turba scorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & sputo emisso, tetigit linguam eius, ac suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi, Ephphatha, quod est aperire: & statim apertæ sunt aures eius, & solutũ est vinculum linguæ eius, ac loquebatur rectè: ac præcepit illis ne cui dicerent. Sed quò magis ille eis præceperat, hòc potiùs amplius prædicabant, & supra modum stupebant, dicentes: Benè omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI II. CORINTH. III.

FIduciam autem huiusmodi habemus per Christum erga Deum, non quòd idonei simus ex nobisipsis cogitare quicquam tanquam ex nobisipsis: sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos Exod. 3.
ministros noui Testamenti: non literæ, sed spiritus. Nam litera occidit, spiritus autem viuificat. Quod si admi-

nistratio mortis in literis, desormata in saxis fuit in gloria, adeò vt non possent oculos intendere filij Israel in faciem Mosi propter gloriam vultus eius, quæ aboletur: cur non potius administratio Spiritus erit in gloria? Nam si administratio condemnationis in gloria, multò magis excellit administratio iustitiæ in gloria.


HODIERNVM istud Euãgeliũ simplicem habet & nudam historiĩ, quã intelligere quiuis facilè potest: veruntamen nihilo ob id vilior existimanda est, quãdoquidẽ in sacra Scriptura nihil tam vile & paruum est, vndè non magni aliquid desumi possit: nimirũ Paulo ipso dicente,
Rom.15. Quicquid scriptum est, id ad nostram doctrinam scriptum esse, vt per patientiam & consolationem Scripturarũ, spem
2. Tim.3. habeamus. Et iterum: Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Atqui hodiernũ istud Euangelium etiam in sacra Scriptura comprehensum est, & nobis à Deo per S. Marcum præscriptum ac datum. Tantò minus contemnere debemus, licet in speciem vile videatur. Ea est autem sententia, vt paucissimis de eo loquamur. Geminum miraculum, quod in eo Christus fecit, eò inseruire nobis debet, ideóque factum est, vt tantò alacriùs Christo seruiamus, eius verbis & promissionibus tantò firmius credamus: & tãtò minus dubitemus, quin possit nobis, modò nos velimus, etiam animas nostras spiritualiter & æternaliter conseruare, quando videmus & legimus, eum tam facile oẽs morbos corporis depellere potuisse & sanare. Ad hoc nobis istud & alia miracula Christi seruire debẽt. Et in hoc etiã gesta sunt. Hoc indicat Christus ipse miraculo fa-
Matt.9. cto in paralytico, cui primũ peccata dimittebat, & cũ in anima sanabat, & in eius rei argumentũ etiã à corporali ægritudine liberabat. Vt sciatis (inquit ad Pharisæos) quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, surge paralytice, tolle lectũ tuũ, & vade in domum tuã. Christus sanè non ideò venit vt corporum, sed vt animarũ medicus esset. Nec huic muto & surdo propterea opẽ tulit, quòd omnibus mutis & surdis similiter facere vellet: sed vt oẽs

homines

hominesex hoc corporali signo discerent, quid spiritualiter & ęternaliter de illo sibi promittere possint ac sperare. Nimis humiliter hoc de filio Dei sentire esset, si corporalē tantùm sanitatem apud ipsum quærere vellemus. Corporales ægritudines quantũuis graues, non tamen semper, imò nec diu durare possunt: tandem in morte cessare debent: sunt pręterea etiam alia media, per quę propelli & mitigari possunt. Cum anima autem res alia est: eius vulnera & morbos neque herba neque malagma sanare potest, sed solus Deus. Neq; finiri eos mors vlla potest, sed æternum manent. Hac in parte medico de cœlo opus habuimus. Is nullus alius est, nisi Christus, qui in Euangelio dicit: Me oportet operari, donec dies est: quàm diu sum in mũdo, lux sum mundi. Et iterum Ioan.10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Et rursum Ioan.6. Hæc est voluntas Patris mei, vt omnis qui credit in me, tãquã in vnicum filiũ Dei, nõ pereat, sed habeat vitam ęternã. Et nõ est alioqui nomen sub cœlo, in quo saluos fieri nos oporteat. Nemo sua virtute nos potest à peccato, à maledictione, à morte & ab inferno liberare, nisi solus is cui Deus potestatē dedit super omnē carnem. Quamobrē cùm in hoc Euãgelio audis, quòd Christus vnico verbo muto & surdo homini loquelã & auditũ reddidit, scito, ꝙ eoipso suo omnipotẽti verbo etiã peccatum & condemnationē auferre potest animabus nostris: imò etiam suo tẽpore corpora nostra à morte & è sepulchris excitabit & proferet. Tantò iustius in cõmune omnes, & vnusquisq; singulatim cũ diuo Petro aliisque Apostolis dicere debet: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et cum S. Paulo: Mihi viuere Christus est, mori lucrũ. Et iterũ: Omnia arbitror vt stercora, vt Christũ lucrifaciam. Et cũ sancto Dauide Psal.79. Domine nõ discedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Hoc Christiano homini primũ in hoc Euangelio considerandum est. Deinde etiam cumprimis in hoc Euangelio obseruãdũ est, quòd Christus quantũcunq; etiam paratus & promptus erat omnibus hominibus gratiam suam & salutē offerre, paucos tamen inueniebat, qui se capaces exhiberent, & in quibus sua gratiæ opera declarare posset & exercere. Tres enim ciuitates & regiones in hoc Euãgelio nominãtur, in quibus Christus visus est & auditus. Erat Tyrus, Sidon, & Decapolis. Sed hæ ita describũtur hîc & nominãtur, vt facilè videre sit, quàm dissimili ratio

Sap.16. *Ioan.9.* *Act.4.* *Ioan.17.* *Ioan.6.* *Philip.1.* *Philip.3.*

ratione in tribus his locis Christus acceptus sit. De Tyro enim exibat, per Sidonem transibat, in regione autē decē ciuitatum inueniebat, qui eius auxilium implorabāt: & apud illos etiam hoc faciebat miraculi. Hoc, inquā, satis indicat, quomodo vnaquæq; harū ciuitatū & regionum oblatā gratiam acceperit. Nam quod Christus in regione decē ciuitatum fecit, id indubiè in aliis duabus ciuitatibus quoq; fecisset, si talē fidem & deuotionē apud illos reperisset, vti apud
Matth.15. istos. In finibus quidem Tyri etiā anteà magnum miraculū fecerat in muliere Chananitide & eius filia. Sed non additū est, quòd vllus homo eius ciuitatis seu regionis, ob id Christo adhæserit, aut illi sese adiunxerit. Id omne nobis quoque dictū est. Imò in hoc verū speculū habemus, dū videmus quid adhuc quotidiè agatur in mundo, quinetiam inter nos Christianos. Alij tam mali sunt, vt Christus prorsus ab eis
Matth.21. recedat, vti de Iudæis dicit: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et iterum Matt.23. Ierusalem Ierusalē, quoties volui cōgregare filios tuos, quemadmodum gallina cōgregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, nō me videbitis amodo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini. Et iterū Ioan.8. Ego vado, quæretis me, & nō inuenietis, & idcircò in peccatis vestris moriemini. Quidā alij adeò incōstātes sunt in bono, vt Christus non
Luc.8. diu apud illos manere possit, sed præterit aut transit simpliciter, sicut Sidonem. Ad tempus enim tantū credūt, in tentatione autē deficiunt. Atque hoc pacto vix manet tertia pars, in quibus Christus sua gratiæ opera perficere possit, quíque eius gratiæ, ita vt oportet, cooperari velint. Hinc animad-
Matth.20. uerti facilè potest, quæ causa sit, quòd etiam inter nos Christianos multi sint vocati, pauci verò electi. Christus quidem
Matth.11. omnibus suam offert gratiā: ait, vt omnes ad se veniant, qui laborāt & onerati sunt: promittit illis, se refecturū illos, da-
Ioan.6. turúmque requiem animabus ipsorū: dicítque volūtatē esse Dei, vt ex omnibus qui ad se veniunt, nullū reiiciat, sed det illis vitam æternam. Vbi ergo Christus ab hominibus fugit & recedit, proculdubiò id propter peccata & ingratitudinē illorū fit. Nam si eum hic vnus vir, qui tamen mutus & surdus erat, vnà cum suis amicis & cognatis, deuotione sua retinere potuit, possemus eū vtiq; etiā apud nos conseruare, si viuam fidem & deuotionē exhiberemus. Sed in hoc omnis
defe

defectus: habemus Christũ, audimus Christũ, videmus Christum, sed tamen nõ agnoscimus nec diligimus eum. Idcircò semper egeni & miseri manemus. Noluit benedictionẽ (inquit Dauid) & elõgabitur ab eo. Induit maledictionẽ, & intrauit sicut aqua in interiora eius. An nõ autẽ miserabile est, quòd nos Christiani tãtã prærogatiuã prę omnibus aliis hominibus habem⁹, neq; tamẽ ita, vt par est, viuimus? Hoc alterum est, quod circa Euangeliũ istud nos obseruare oportet. Quid prætereà doctrinæ & cõsolationis ex eo desumi possit, in sequẽtibus sermonibus indicabitur. Vnum imprimis indicandũ duco, quod peculiariter nobis inseruiet periculosis his tẽporibus, nósq; docebit, quomodo in iis nos gerere debeamus, quò si quid extrinsecus nobis dãni allatũ est, aut adhuc contingere possit, tãtò patiẽtiùs feramus, & Deũ tantò minus ad maiorem irã prouocemus: nempè verba ea, quæ populus de Christo ait, Omnia bene fecit, mutos fecit loqui, & surdos audire. Digna sanè hæc erat confessio, laus & gratiarũ actio populi fidelis super miracula, quæ Christus in misero homine fecerat. Sed possumus his verbis aliũ in modũ vti, & in genere de omnibus Dei operibus: & maximè quando Deus ex suo occulto, sed tamen iusto iudicio, pœnã & malum in nos immittit, quẽadmodũ his vltimis tẽporibus sæpè experti sumus & adhuc experimur. Tum nobis ad id inseruiet, vt tantò meliùs impatientiam effugiamus, & Deũ tantò minus ad maiorem iram prouocemus. Primũ quidem esse apud nos Christianos debebat, & præcipuum, si quando Deus mala & afflictiones in nos immittit, vt in nosipsos descendamus, peccata nostra cõsideremus, & cum Dauide dicamus Psal. 118. Iustus es Domine, & rectũ iudiciũ tuũ. Item cũ fratribus Iosephi: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum Christũ, quinetiam cõtra Deũ. Et cum Daniele cũ sociis eius: Iudicia vera fecisti iuxta omnia quæ induxisti super nos, propter peccata nostra. Peccauimus enim, & iniquè egimus, recedẽtes à te, nos & Reges nostri, nostri Prophetæ, nostri Sacerdotes, & populus noster, ideò hæc mala super nos induxisti, &c. Hoc (inquam) semper primum esse debebat apud nos, si quando aduersa nobis accidant. Et si hoc ex animo dicere possemus, magnum nobis ad patiẽtiam adiumentum foret. Sed tamen nõ satis est, confiteri quòd Deus nos ob peccata nostra iustè punit, sed confiteri nos etiã oportet, quòd id in commodum nostrum faciat. Non tãtùm

Psal. 108.

Matth. 7.

Flagellis afflicti quid agemus.

Gen. 42.

Dan. 3.

dicere

dicere oportet, Iustè omnia fecit: sed etiam dicere oportet, Benè omnia fecit: quod sicut Deus in inflictione pœnæ nemini iniuriam facit: ita quoq; dirigit nobis pœnam ad vtilitatem & commodum nostrum, si nobisipsi non obstemus. Deus talis paterfamiliàs est & Rex, qui in domu sua & regno nihil sine causa facit: imò omnes suas actiones ad bonũ finem dirigit, nimirùm ad suum honorem, & ad vtilitatem electorum suorum, ita vt non sit quòd quisquam interroget, cur hoc vel illud faciat. Excelsior cœlo est (inquit quidá
Iob 11. in libello Iob) & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius & latior mari. Si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis cõtradicet ei? omnia iustè & bene facit. Sed hoc credere mundus difficulter potest, omnia quæ facit Deus, bona esse, Deúmque etiam in pœna nostram quærere vtilitatem. Illud creditu facilius est, quòd propter peccata pœnas & mala in homines inducat. Imò non latuit hoc etiam Gentes. Sæpenumerò etiam improbi homines vel inuiti hoc fateri coacti sunt. Eius ex-
Exod. 23. emplum habemus in Pharaone. Is adeò cõtumax erat, vt diceret ad Moysen, se nullum nosse Dominum: neque Deum curabat quicquá, sed postremò magnis plagis diuinitus im-
Exo. 9. missis, eò adigebatur, vt dicere cogeretur: Peccaui. Dominus iustus est, ego autem & populus meus iniusti sumus. Sic etiam Saül 1. Reg. 15. præter voluntatem suam fateri cogebatur, se malè fecisse. De impio Antiocho similiter legimus 2. Machab. 9. qui graui pœna & dolore coactus dicebat: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Quòd autem Deus etiam in pœna nostram quærat vtilitatem, imò quòd omnia bona sunt & vtilia quæ facit, id etiam bonis ægrè persuaderi potest. Cuius rei insigne extat exem-
Iob 10. plum in sancto Iob. Is in suo libello lõgam instituebat querelam: assequi non poterat, cur ei Deus tot mala infligeret, cùm tamen ei conscientia certissimum testimonium daret, quòd ab ineunte ætate honestis studiis & omni pietati vacasset. S. Dauid, Hieremias & Habacuc satis demirari nõ poterant, quòd Deus malos tanto rerum successu augeret. In la-
Psal. 72. bore hominum non sunt (inquit Dauid) & cum hominibus
Hiere. 2. non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, &c. Iustus tu es Domine (inquit Hieremias) si disputem tecum: verũtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? Acrius
Haba. 1. hoc ipsum agit Habacuc: Vsquequo (inquit) Domine clamabo, &

bo,& non exaudies? vociferabor ad te vim patiens,& nõ ſaluabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & iniuſtitiam contra me? Propter hoc lacerata eſt lex,quia impius præualet aduerſus iuſtũ,propterea egreditur iudicium peruerſum. Videbatur & diuo Petro iniquũ, Chriſtum pati debere. Abſit(inquit) à te Domine,non erit tibi hoc. *Matt.16.* En,adeò difficulter etiam ſancti credidiſſe videntur,omnia bona eſſe quæ facit Deus. Imò quemadmodum in hodierno Euangelio Chriſtus muto & ſurdo anteà aures aperit,quàm linguam ſoluat: ita nemo Deo veram obediẽtiã præſtare poteſt, niſi Chriſtus ei prius aures aperuerit: ita nemo dicere poteſt, Iuſtè & benè Deus facit omnia, niſi prius obtemperãter audiat ſacram Scripturam. Fatetur idipſum & Dauid, vbi ait: Mei penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns, donec intrem in ſanctuarium Dei,&c. *Pſal.72.* Ex ſacris literis & verbo Dei rectè diſci poſſunt quæ de Deo ſunt & eius operibus. Hoc eſt ſanctuarium Dei, hìc inuenimus quod mundum fugit: hìc videmus omnia bona eſſe, & bonis ad bonum inſeruire, quæcunque faciat Deus. Omnis diſciplina (inquit Paulus) in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris, poſteà autem fructum pacatiſsimum exercitatis per eam, reddet iuſtitiæ. *Heb.12.* Hoc ſemper & apud omnes credentes inuentum ac deprehenſum eſt, & etiamdum deprehenditur. Nulla aduerſitas & pœna tam atrox in nos venit, quin ad bonum nobis conducere, & profectum facere poſsit, ſi modò ipſi volemus. Imò diſcere inde poſſumus, quòd alioqui non magni momenti iudicaremus, vel penitus negligeremus, nec crederemus quidem, nimirùm quòd Deus verax, iuſtus & bonus eſt. Verax, quòd in verbis ſuis nõ fallit, ſi quid promittit aut minatur. Iuſtus, quòd peccatũ omne pœna proſequitur. *Heb.3.* Bonus verò, ꝙ etiã in medio iræ, ſuæ miſericordiæ nõ obliuiſcitur. Atqui nulla ars in terris eſt, quæ homini vtilis eſſe magis poſsit, quàm ſcire, Deũ eſſe veracẽ, iuſtũ, & bonũ. Si credis Deũ veracẽ eſſe, nunquã deſperabis. Si credis, ꝙ ſit bonus, amabis illum. Si credis iuſtũ eſſe, peccatis cauebis. Vbi ergo fides vnà cum charitate & amore Dei eſt, nihil deeſſe ibi poteſt bonorum etiam in terris: de æternis bonis nunc taceo: Hoc ſentit etiam Dauid, vbi de ſeipſo dicit: Bonum mihi eſt, quia humiliaſti me. *Pſal.118.* Et de omnib⁹ credẽtibus in genere: Probaſti nos Deus: igne *Pſal.65.* nos *Pſal.89.*

nos examinasti, sicut examinatur argẽtum. Transiuimus per ignem & aquã: & eduxisti nos in refrigerium. Et iterũ: Lętati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus videmus mala. Agitè, ergo vnicum verbum ex hoc Euangelio obseruemus discamúsque: nempe vt tempore aduersitatum & pœnæ, nõ solùm dicamus, Iustè Domine nobiscum egisti: sed etiã, Benè Domine fecisti, idque bono in nos animo, & nostram ea in re vtilitatẽ quæsiuisti, &c. Id quod omne damnum & aduersitatem faciet vt leuiùs feramus. Imò
Psal. 33. tum cum Dauide dicere poterimus: Benedicam Dominum in omni tẽpore, semper laus eius in ore meo, non solùm vbi rebus secundis, sed etiam aduersis vsus fuero. Vide, id omne nos vnicum istud verbum docere potest, Benè omnia fecit. Dei gratia cum omnibus nobis, vt hoc atque alia diligenter consideremus; & ex animo ea factis prosequamur, Amen.

SECVNDVS SERMO de Euangelio & Epistola.



CIRCA istud hodiernum Euangelium quantumuis breue, bono Christiano multa consideranda sunt. Et maximè quòd Christus omnibus in locis tam prõptus est, & paratus auxiliari ac dare, si auxiliũ & gratia eius ex animo petatur, inter Iudęos & Gentes, erga amicos & inimicos, sine respectu personarum. Hoc (inquam) bono Christiano ante omnia circa Euangelium istud considerandum est. Et id quidem etiam ad animum reuocare debet, ex animo gaudere: esséque id ei debet occasio, tãtò feruẽtiùs pro se ipso, atq; etiam pro aliis orandi. Et ob id etiam sanctus Marcus miraculum istud tam euidenter descripsit, & non ipsum dũtaxat per se opus, sed etiam omnes circunstantias. Opus indicat quid Christus posset ac valeat, id quod fidẽ nostram confirmat. Porrò, circunstantiæ bonam nobis spem præbent ac fiduciam, & ad Christum amandum nos alliciunt. Etenim primò videtur Christus signũ istud inter Ethnicos & in homine Ethnico fecisse, quemadmodùm paulò antè etiam in
Mar. 7. ea regione clementer admodùm Chananęæ mulieri fuerat auxiliatus. Hoc nobis eam prębet spem, vt liberè nobis promittere possimus, quòd Christus etiã noster esse velit, non minus quàm Iudęorum. Nam alioqui si omnia sua miracula solùm inter Iudæos, & nullum inter Gentes & in Gentibus fecisset,

fecisset, non immeritò quis cogitare posset, nos Ethnicos exclusos planè esse à gratia Dei: quemadmodum Iudæis semper iam olim nihil magis studio fuit, quàm vt nos excluderent. Iam verò quia Christus etiam aliquot miracula inter Gentes & in Gentibus fecit, clarè inuenimus quod Deus prædixerat in Isaia de Christo: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob. Ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Quapropter læti & alacres cum diuo Paulo dicere possumus: An Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Imò, & Gentium: quoniam hic nullum discrimen est. Vnus est Deus omnium hominum, tam Iudæorum quàm Gentium: & is etiam satis diues est in omnes inuocantes se. Quicunque enim nomen Domini inuocauerit, saluus erit, inquit Ioël. Et omnis qui credit in illum, nõ confundetur. Hoc vnũ est. *Esa. 49.* *Rom. 3.* *Ioel. 2.* *Esa. 28.*

Secundò, homo in qua Christus miracula sua exhibuit, non aliter describitur, quàm quòd mutus & surdus fuerit: quod ipsum rursus nobis peccatoribus solatium præbet, vt ad Deum accedere audeamus: quod facere nunquàm possemus, si Christus neminem curasset, quàm quos probos & plenos meritis ac bonis operibus inuenisset. Imò semper tantò infirmiores nos esse oporteret: semper nobis cogitandum esset, Deum non exaudire peccatores, licet pœnitentes: imò Deum odisse tales peccatores. Et quandoque etiam cum desperato Cain dicere: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Talem pusillanimitatem tollit nobis etiam Euangelium istud, ne ob peccata animum despondeamus, sed toto corde ad Dominum conuertamur. Alterum est. *Eccl. 11.* *Gen. 4.*

Tertiò, videmus in hoc Euangelio, quòd Christus hunc hominem curauit ad aliorum hominum preces: quandoquidem æger iste neque audire, neque inuocare poterat. Id quod eam spem nobis præbet, quòd etiam pueri & alij vocis officio destituti, quos sancta Ecclesia in fide sua ad Christum adducit, gratiæ Dei participes esse & fieri possint. Alioqui si iis tantùm opem tulisset, qui ipsummet inuocauerunt, verendum nobis esset, ne filij nostri & omnes qui loqui & orare non possunt à Dei gratia, & regno penitus exclusi essent. En, hãc pusillanimitatem tollit etiam nobis Euangelium istud. Quartò nihil habetur amplius in Euangelium de iis qui Christo laborantem adducebant, *Infantes vt sint gratiæ capaces.*

quàm quòd Christum rogabant, vt illi manus suas imponeret. Quæ res argumento est, ꝙ neque pauperes exclusi sunt: siquidem orare æquè possunt, atq; diuites: alioqui si à Christo pecuniis & bonis, muneribus & donis redimere debuissemus quicquid boni ægrotis fecit, rursum pauperes parum spei habere possent. Iam verò nec pauper causam pusillanimitatis habet. Si orare potes, auxilium tibi contingere potest. Aequè enim Deus pauperē creauit, atq; diuitem. Tum
Gal. 3. in Christo neque Iudæus neq; Gentilis, neque mas, neq; fœmina, neq; diues neque pauper est, sed omnes vnum sumus. Quintò, si Christus longo tempore & alieno subsidio ad sua miracula edenda opus habuisset, rursum dubium adferre posset, num semper ita successurum esset. At nunc verò posteaquam audimus, ꝙ vnicum verbum loquitur, & protinus surdo aures aperiebantur, & vinculum linguæ eius soluebatur, rursum eò certiorem spem habere possumus, ꝙ etiam nunc & in posterum in æternum solo nutu posit salutem præstare ipsum inuocantibus in veritate. Nam ꝙ Christus morbidum hominem seorsum à populo abducebat, & illi sanctos suos digitos in aures immittebat, atq; etiam sputo sancti sui oris, linguam eius contingebat, &c. non ideò factum est, ꝙ verbo solo non posset curare eum: sed propter nos, ad indiciū, & quò videamus id omne salutare esse, quicquid in Christo est, & ꝙ multis modis auxiliari posit, non tantū verbo, sed etiā cōtactu suo. Imò ꝙ nemo mortaliū vnquam rectè audit & loquitur, audire & loqui potest, nisi illi
Psal. 50. Deus suo digito, hoc est, Spiritu suo aures eius & linguam contingat. Vndè & Dauid orabat, vt Deus labia ipsi aperiret, tum se laudem eius annunciaturū. Confitetur itē Isaias,
Esa. 50. Deum sibi aperuisse aures. Idcircò etiam nobis necessarium est, vt semper ad cœlum suspiciamus, & ad multiplicem nostram miseriam & egestatem ingemiscamus. Hoc nobis Christus eiusmodi suis gestibus indicare voluit. Sextò, Si sanitas non statim consequuta esset, rursum adferre dubium posset, num à Christo restitutus fuisset, an à seipso fuisset curatus. Atqui habetur, quòd illi quàmprimùm aures aperiebantur, & lingua soluebatur: & ita vt protinus audire & perfectè loqui posset. Ex hoc nostra spes iterum fit maior.

Postremò, si Christus hæc miracula clam & in occulto fecisset, iterum res in dubium vocari posset, num ita factum esset. Iam verò quia coram multis hominibus gestum est,

qui omnes testimonium dabant, rursum fides nostra & spes tantò certior est. En, tantum solatij præbet nobis Euangelium istud perbreue. Quæ omnia eiusmodi sunt, quæ nobis pusillanimitatem ex animo pellunt: contrà fidem, spem & charitatem erga Deum adaugent. Imò veri fontes sunt nostri Seruatoris, è quibus solatium & salutem haurire debemus ac possumus, quemadmodum Isaias dicit. Vndè omnis Christianus omni tempore dicere potest lætabundus: Deus salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius: ipse fortitudo mea, & salus mea, & ipse erit refugium meum. Hoc vnum est, quod circa Euangelium istud considerandum est. Deinde verò etiam consideratione dignum est, quòd populus iste tam mirabiliter ex hoc miraculo emendatur, vt non solùm is in quo signum & gratiæ opus factum est, sed etiam alij omnes vnanimiter clamarent ac dicerent: Bene omnia fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui. Singulare nimirùm Dei opus fuerit necesse est, siquidem rarò fit, vt totus populus in bono vnanimis & concors sit. Quin semper inueniat citiùs, qui consentiant & conspirent in malo. Sed ij pariter omnes admirantur, agnoscunt diuinum esse opus, laudant Deum, & non in hoc opere tantùm sed in omnibus eius operibus. Omnia (inquiunt) bene fecit, &c. Breue verbum, sed vera & certa laus Dei. Is enim est, qui in hodiernum in nobis operatur, & quidem omnia. In ipso, per ipsum, & ex ipso sunt omnia, inquit Paulus. Et omnia bene facit. Quod creaturas suas semper conseruat & in illis operatur, indicium præbet eius bonitatis. Quòd omnia in illis operatur, argumentum est eius potestatis, & omnipotentiæ. Quòd autem etiam omnia sua opera ordinat & dirigit ad suam gloriam & nostram salutem, signum est illius sapientiæ. At nunc vide, quantum hic populus in verbis tam breuibus Christo honoris dederit. Si per omnem vitam tantum discere possemus, non parum didicissemus. Atqui singulas conciones talis laus Dei sequi debebat. Tantò diligentiùs quoque exemplum istud obseruare & ad animum reuocare debebamus.

Esa.12. *Psal.61.* *Rom.11.*

Miracula etiamnum inter nos efficit Deus.

Præter hæc omnia, etiam circa Euangelium istud obseruandum, quòd Christus in hodiernum sua miracula in nobis & inter nos facit. Nam quod de muto & surdo isto dictum est, & dicitur, non nisi semel corporaliter fa-

ctum est: fit autem adhuc quotidie spiritualiter, & in nobis ipsis, si tantummodo oculos vellemus aperire. Nam quid Christus facit aliud in mundo, quàm quòd surdos & mutos audire facit? Quid deinde etiam nobis Adæ filiis aliud deest, quàm quòd neque audimus, neque rectè loquimur, quemadmodum & vbi decet? Sic surdus & mutus homo in hodiernum adhuc ambulat in terris. Rarò hoc quidem ab isto æuo & parum consideratur: cæterùm cùm antiquis Prophetis, tum sanctis nostris Apostolis vnà cum eorum posteris multum laboris & sudoris attulit. Semper illis cum hoc surdo & muto negotium fuit. Nihil tam seuerè vrserunt, quàm vt audiretur Deus, timeretur, laudaretur & inuocaretur. Nihil grauius puniuerunt, quàm quòd mundus neque audire, neque Deum laudare, timere & inuocare
Hie.22. volebat. Terra, terra, terra, (inquit Hier.) audi sermonem Domini: quandoquidem homines audire amplius nolunt.
Hiere.7. In præcedentibus capitibus dilucidè ostendit, quòd Deus in omnibus Sacrificiis & constitutionibus, quas illis dedit, nihil aliud quæsierit, quàm vt verbum eius audirent, & illi obtemperarent. Holocautomata addite victimis vestris (di-
Esa.1. cit Dominus) quia non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocautomatum & victimarum. Quò mihi in multitudinem victimarum vestrarum (inquit alio in loco) sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero
Eccl.4. Deus vester, & vos eritis mihi in populum. Salomon docet & monet, vt propterea ad Deum appropinquemus, vt audiamus. Isaias pro magna ducebat gratia, quòd ei Deus ap-
Esa.50. peruisset aurem. Dominus Deus (inquit) apperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Dauid nos passim docet, vt Deum laudemus, inuocemúsque. Contra verò in tota Scriptura nõ maior querela est in Adæ filios & homines, quã quòd ab initio nunquã audire & obtẽperare voluerunt. Ecce (inquit Deus in Hieremia) misi ad eos
Hie.7. omnes seruos meos Prophetas per diẽ, consurgẽs diluculò, & mittens. Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam: sed indurauerunt ceruicem suã, & peius operati sunt, quàm patres eorum. Et loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient te, & vocabis eos, & non respondebunt tibi. Et dices ad eos: Hæc est gẽs quæ non audiuit vocẽ Domini Dei sui, nec recepit disciplinã, &c. Sic queritur etiã Deus in Dauide:

Dauide: Non audiuit populus meus vocem meã: & Israël nõ intendit mihi. Et dimisi eos, secundum desyderia cordis eorum ibunt in adinuentionibus suis. Sic queritur in Isaia: Tota die (inquit) manus meas extẽdi ad populũ non credentem mihi, sed contradicentẽ, &c. Et in Prouerbiis Salomonis cap. 1: Vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit. Summa, tota Scriptura & omnes Prophetæ queruntur, quòd homines neque audire, neque rectè loqui, hoc est, neque Deum, ita vt oportet, audire, neque rectè loqui, id est, neque laudare, neque inuocare & amare Deum volunt: Domine (inquit Isaias cap. 53.) quis credidit auditui nostro? hoc est, illi quod ex te audiuimus & hominibus annunciamus? Et iterum cap. 46. Non est qui inuocet nomen tuum: qui consurgat, & teneat te. Hoc Dauid numerat inter veras conditiones impiorum hominum, quòd Deum non inuocant, nec est timor Dei coram oculis eorum. Quod antiqui Prophetæ conquesti sunt, adhuc inuenitur. Mundus est & manet surdus & mutus, quantũcunq; audiat & videat, nec est hîc quisquam qui opitulari possit, præter Christũ, qui nobis aures & os aperiat. Huc pertinet quod Ioannes in Epistola dicit, Vnctio docet nos: per vnctionẽ autẽ intelligit Spiritũ sanctũ. Sic enim dicit Dauid de Christo: Vnxit te Deus oleo lætitiæ, hoc est, Spiritu sancto. Et Christus ipse in Isaia cap. 61. Spiritus Domini super me, is vnxit me, &c. Hæc vnctio (Spiritus sanctus) docet nos: veruntamẽ non in eam sententiã, vt noui isti Schuuermeri intelligunt, qui putant se nulla indigere Scriptura, Spiritũ sanctum eos cœlitus nouis factis & reuelationibus docere oportere: sed per Scripturã & externũ verbũ Dei. Hoc generale medium est, per quod nos Spiritus sanctus & vnctio docet. Et hoc etiã solus in cor immittere potest: nã aliàs possunt nobis etiam homines annunciare verbũ Dei, sed non ampliùs loqui, quàm in aures. Queadmodũ etiã in externis rebus, agrũ colũt, plantant & rigãt, sed virtutẽ dare nõ possũt, vt crescat & fructũ afferat: Hoc eñ facit solus Deus, vti Paulus dicit: Neq; qui plãtat aliquid est, neq; qui rigat, aliquid est: sed qui incremẽtũ dat. Sic ergo cõperimus, ꝙ nobis Christus suo Spiritu oculos aperit, & linguã soluit, alioqui semꝑ manemus surdi & muti. Huc inseruire nobis põt, quod è D. Paulo nobis prælectũ fuit. Fi-

Psal. 80. Esa. 26. Psal. 13. 1. Ioan. 2. Psal. 44. 1. Cor. 3.

2.Cor.3. duciam talē (inquit) habemus per Christum ad Deum: nō quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Hæc verba, & quod mox sequitur de Moyse & Christo, de lege & Euangelio, non malè quadrat cum hodierno Euangelio: maximè propterea, vt in iis videamus, quid Christus, & quid Apostoli & prædicatores ad nostrā salutem faciant. Paulus primùm de seipso dicit & sui similibus, imò de Apostolatu in genere: deindè etiam loquitur de Christo & eius Euāgelio. Quod populus fecit apud hunc mutum, id sancti Apostoli in hodiernum faciunt in nobis. Munus eorum est, vt surdos & Ibidem. mutos ad Christū adducant. Et super hoc dicit Paulus: Deus nos fecit ministros noui Testamenti, hoc est: nos nō sumus qui salutem conferunt, sed tantū qui ministrant: sumus cooperatores Dei, id quod gloriari possumus: hos nos profitemur, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficiētia nostra ex Deo est. Adducimus autem homines non coactos, sed volentes: non perterritos litera, sed ductos Spiritu. Non autem ducimus ad Moysen, sed ad Christum: is enim solus per se auxiliari potest. Hic Ioan.6. verbum vitæ habet. Moyses quidem etiam verbum Dei habuit, sed aliud erat verbum, quàm Christus attulerat. Adhibet hic Paulus quatuor similitudines. Verbū (inquit) quod prædicabat Moyses & annuntiabat, nihil aliud erat quàm litera: verbum autē quod Christus prædicabat; spiritus est, Moysi verbū erat mors: Christi verbum vita est. Moysi verbum condemnat, verbum Christi homines beatos facit, & Luc.12. adfert iustitiam. Illud perit, hoc autem manet in æternū.

Quam etiam ob rem Christus maiorem gloriam habet, Ioan.1. quàm Moyses. Vidimus gloriam eius (inquit Ioannes) gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. In Moyse nihil ampliùs erat quā facies clara & splēdida, vt inspicere eā Israelitę nō possent: Christus autē totus resplē-Matt.17. det. Facies eius (inquit Matthæus) resplēduit sicut sol: vestimēta autē eius facta sunt alba sicut nix. Illic videbatur apud eum non solùm Moyses & Elias, sed etiam apparebat Spiritus sanctus in lucida nube, Et Deus pater in voce; Hic est filius meus dilectus, ipsum audite, &c. Ad hæc omnia, Christus ingressus est in gloriam Patris. Sedet ad dextram diuinæ Maiestatis, tantò maior factus Angelis, quantò nomen Heb.1. maius accepit præ illis. Tantò alacriùs ad Christum accedere

dere & duci debemus. Quò enim gloria Christi maior, eiúsq; Euangelij est, hòc maius ex eo bonum nobis sperādum est: si tamen illi conuenienter viuamus. Nam si Deus etiā sub lege eos qui ad se veniebāt, non exclusit, multò minus aliquem sub Euangelio excludet, vbi nihil aliud est, præter lucem, gratiam & gloriam: tantū nos dignos & capaces exhibeamus. Atque ideò etiam vltimis temporibus tam gloriosè se exhibuit. Ideò tam nobis fidelem dedit ministrum, vt non sit necesse quenquā obstupesieri. Habemus enim Pontificem (inquit Paulus) qui compati possit infirmitatibus nostris, vt qui tentatus ipse est. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiā consequamur, &c. Faxit Deus, vt eius gratia rectè vtamur, Amen. *Heb. 4.*

TERTIVS SERMO DE prima parte hodierni Euangelij.



HODIERNVM istud Euangeliū non solùm breue in verbis est, sed prorsus etiam simplex videtur, vt quod nihil propemodū ab historia distet, vndè nihil admodū desumi possit. Quocircà verisimile est, multos homines eiusmodi historiā sine fructu audire & legere. Verùm qui secum ipse cogitat, quis historiam hanc scripserit, & qua de causa, haud is eam parui faciet, quantumuis in speciem simplicem.

Quamobrē obserua primò, quòd Marcus Euāgelista historiam hanc descripserit: vnde certum est, eam non solùm historiā, sed etiam Euangelium esse. Nō solū indicat nobis quid Christus in eo fecerit, sed etiā annuntiat nobis aliquid boni. Nam vox Euangelij, Græcis bonū nuntium sonat. *Mar. 7.*

Rogas, quod nobis Euangeliū istud bonū nuntium adferat, aut quid boni annūtiet? Duplicē diuinam conditionem Christus in eo indicauit, in surdo & muto homine nimirùm potentiā & gratiam: & quidē vtrumque in summo gradu. Dei potentia & virtus erat, quòd ei vno illicò verbo aures aperiebat, & linguā soluebat, vt audire & loqui posset. Gratia autem erat, quòd Christus tam facilè exorari se sinebat, tam benignè homini auxiliabatur, tam nullam retributionem ab eo petebat. Non itaque mirū, quòd omnes qui præsentes erant, illud opus collaudauerint atque prædicauerint. Et quid iustius facerent? Quid iniustius intermisissent?

Planè inutilis cœtus fuiſſet, qui tale opus, talem opificem non collaudâſſet. Enimuerò gratia habetur medico homini, eiúſque honorem & laudem decantant homines, ſi quando ægroto ſuccurrit: cùm tamen eius labor magno ſæpè redimi debeat, non obſtante quòd interdum tardus ad laborem eſt, & ſine omni miſericordia infirmum tractat, & longo ad id tempore opus habeat. An nõ ergo Christus gratias & laudem promeruiſſet, qui tam facilè exorabatur, tam benignè opitulabatur, tam comiter cum ęgroto agebat, & nihil penitus petebat? Atqui Chriſtus opus iſtud non ſolùm in vno homine declarauit, ſed in omnibus. Quid enim aliud
Rom. 3. in nobis fecit? Non'ne peccatores omnes fuimus, & opus habemus, vt Deus gloriam ſuã in nobis oſtendat, hoc eſt, ſuam potentiam & gratiam? Sed iam vide, an'non ita fecerit, ánnon potenter nobis ſit auxiliatus an'nõ comiter nobiſcum egerit, cùm non modo ſurdi & muti, ſed mortui prorſus & perditi eramus? Imò in his omnibus nos ſecutus eſt, quẽadmodum paſtor erroneam ouem, in ſuis humeris & cor-
Luc. 15. pore nos domum reportauit, idque omne gratis, ſine præcedentibus meritis, abſque omni ſequenti remuneratione. Nam quæ ſunt ante fidem præcedentia noſtra opera, vt ob ea Deus noſter debitor eſſe cogatur? Et quæ ſequentia ſunt noſtra opera, vt dignam Deo retributionem per ea faciamus? Quin imò eſt & manet gratia. Neque præcedentium noſtrorum meritorum, neque ſequẽtis retributionis rationẽ habuit. Et quod ſemel fecit, id adhuc facit, vbi talis eius gratia agnoſcitur & dignè accipitur. Et quod magis eſt, adeò gaudet nobis opem ferre, vt ab opere ſuo non deſiſtat, etiamſi gratia eius non ita repentè agnoſcitur & accipitur. Hoc illud bonum eſt, quod nobis Euangelium iſtud annũtiat: nimirùm quòd Chriſtus Dominus noſter, in quem credimus, poſsit & velit ſuppetias ferre omnibus in ſe rectè cre-
Rom. 10. dentibus, in quacunque neceſsitate ad ſe currentibus, ſine omni reſpectu perſonarum: & quòd ſatis fortis ac diues eſt omnibus inuocantibus ſe. An non autem hoc lætum nuntium? Quid lætius annũtiari nobis poſsit? Eiuſmodi lætum nuntium Sanctus Marcus non ſolùm hominibus tempore illius viuentibus annuntiauit, ſed etiã omnibus poſteris ſcriptum reliquit, quò etiam nos & omnes poſteri noſtri, cùm nos peccata noſtra aut etiam afflictiones premunt, cum fiducia ad thronum gratiæ Chriſti curramus: quandoquidem

doquidem scimus, non talem Dominũ & Seruatorem habere, qui tam potens est & bonus, vt nobis possit succurrere, & sciat compati infirmitatibus nostris, vti Paulus ait, si tamen eius gratia non abutamur. Hæc præcipua sententia est hodierni istius Euangelij. Veruntamen verba aliquanto exquisitius rimabimur. Dominus Iesus exiens de finibus Tyri, &c. Tyrus & Sidon duæ erant Ethnicæ ciuitates. Quanquam Christus peculiariter in sua persona missus erat ad oues quę perierant domus Israël, quemadmodùm ipsemet dicit: tamen quandoque etiã Gentibus prædicauit. Vti non solùm hoc in loco videmus, sed in Ioanne etiam, cùm Christus in Samaria duos dies manebat, & Samaritanis prædicabat. Per hoc autem indicare voluit, suum Euãgelium, tametsi Iudæis primùm oblatum, ad Gentes tamen etiam peruenturũ: imo Gentes illud multò cupidius accepturas Iudæis. Vnde alio in loco dicit, fore vt regnum Dei à Iudæis auferretur, & Gentibus daretur, quæ fructum suũ essent allaturæ. Dicit alio in loco: Si in Tyro & Sidone fecisset, quod inter Iudæos fecerat: facturos eos multò citius pœnitentiam fuisse, quàm Iudæos. Christus adhuc est in finibus Tyri & Sydonis, hoc est, inter nos Gentes: ibi docet, ibi auxiliatur, ibi sanat, ibi nos quotidiè ad se vocat. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et iterum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiẽ animabus vestris. Hunc in modum (inquam) ambulat inter nos Christus, & vocat ad se. Vtinam omnes agnosceremus, vtinam omnes accurreremus. Ideò Dominum quæramus, dum inueniri potest. Inuocemus Christum, dum propè est. Ambulemus dum lucem habemus. Operemur pro æterna salute, donec dies est. Veniet enim nox, in qua neque ambulare neque operari poterimus. Imò veniet tempus, in quo diem Filij hominis videre cupiemus: nunc autem tempus acceptabile est, in quo Deus audire vult: nunc est dies salutis, in qua Deus opitulari vult. Quare pigritiam excutite, nemo Christum non inuocatum præterire sinat, ne nobis omnino è manibus elabatur. Quemadmodum Iudæis fecit, quibus etiam prædicebat, si semel ab ijs discederet, quæsituros quidem illum, sed non inuenturos: nec venturos eò, vbi ipse est sed in peccatis suis morituros. Hoc

Heb.4. Matt.15. Ioan.4. Matt.21. Matt.11. Ioan.7. Matt.11. Esai.55. Ioan.12. Ioan.9. Luc.17. Ioan.7.8. Heb.3.

nobis meritò admonitioni esse debet, ne in simile exemplum incredulitatis incidamus. Contrà meritò nos impellere debet, quod Gentes adeò nihil otio dabant, donec Christum in sua terra habebant, vt videmus in Samaritanis, in Ioanne, atque etiam in Chananaea muliere, & nunc etiam de iis qui Christo mutum adducebant. Quòd autem Marcus dicit, Christum exiisse iterum de finibus Tyri & Sidonis, & ad mare Galilaeae venisse, indicium & praefiguratio fuit, quòd illum etiam Iudaei tandem agnoscent & accipient, vti Paulus dicit. Non enim Christus
Rom.11. illos omninò adhuc reiecit: plus septem millia habet in
3.Reg.19. Israël, qui genua sua nondum curuauerunt coram Baal, & Christum non reiecerunt. Imò quando plenitudo gentium intrauerit, omnis Israël saluabitur, vt ait Paulus Rom. 11.

Et adducunt ei surdum & mutum. Hic videmus primò, in quam miseriam & egestatem homo ceciderit per peccatum. Vnde omnes morbos & vitia corporis, quin etiam mortem venire existimamus, quàm ex peccato?

Quid beatius erat homine priusquam peccabat? Contrà verò, quid nunc infoelicius? Homo (inquit Dauid Psalm. 143.) vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra praetereunt. Et iterum Psal. 48. Homo cùm in honore esset, nõ intellexit: comparatus est iumentis insipientibus,
Iob.14. & similis factus est illis. Imò ex peccato factum est, vt homo natus de muliere, breui viuens tẽpore, repleatur multis miseriis, nec in eodẽ vnquã statu permaneat, vti Iob dicit. Nõ ergo sine causa factũ, ꝙ Sapiens Ecclesiastici 24. dicit, & omnibus hominibus consulit. Fili, peccasti? Non adiicias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes Leonis dentes eius, interficiẽtes animas hominum. Quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas: plagae illius non est sanitas. Adducunt ei (inquit Marcus) surdum & mutum, neque loqui neque audire valentẽ. Inter omnes externos sensus conferũt nobis auditus & lingua omnium maximè ad salutem nostram. Corde enim creditur
Rom.10. ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, hoc est, per viuam fidem cordis iustificamur, per confessionẽ oris salui simus. Atqui fides ex auditu venit: nã si credere in aliquem debemus, prius audire oportet. Atqui diabolus huic homini omnes vias ad salutem praeclusit. Quoniam enim surdus

erat,

erat, verba Christi audire nō poterat, vt in ea crederet. Quia verò mutus erat, Christum inuocare non poterat: ita vt certè misera & egena esset creatura, quo tamen vitio inuitus laborabat, maluisset audire & loqui. Quot nunc inueniuntur homines, & quidem inter nos Christianos, qui ex propria malitia surdi fiunt, & spontè surdi manent? De quibus Propheta dicit: Noluerunt attendere, & auerterunt scapulā recedentes: & aures suas aggrauauerunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem & verba quæ misit Deus exercituum, in spiritu suo per manum Prophetarum priorum. Et Dauid Psal. 57. Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Quot item inueniuntur homines inter nos, qui volentes muti sunt, os suum nunquam aperiūt ad laudem Dei? contrà autem os illis semper apertum est ad mādacia, ad obtrectationes, ad blasphemias. Quomodo autem se excusabit homo, qui adhuc surdus est, & vocem Dei non audit, quæ tamen iampridem in omnes terras & in fines terræ exiuit? Quomodo excusabit se homo, qui adhuc mutus est, os suum nondum aperit ad laudem Dei, cùm tamen nomen & gloria Dei omnē orbem impleuerit, vt iam nunc non solùm omnes sancti, Seraphim & Angeli, sed etiā omnes creaturæ canant & clament: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens (quemadmodum olim in Esaia:) qui erat, qui est, & qui venturus est, &c. Haud dubiè tales homines nullam excusationem habebunt. Nunquid enim non audierunt, inquit Paulus Roma. 10. Imò quomodo ipsi soli non audiuissent quod alioqui omnes homines audiuerunt & audiunt? Nolunt audire: hic eorum defectus est. Attamen non desperandū de illis est, dum Christus præsens est. Siquidem etiam illis aures eorum aperire potest, & linguam soluere, si cupiant & petant. Non enim manus Domini abbreuiata est, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt nō exaudiat: sed iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum nostrum, & peccata nostra absconderūt faciem eius à nobis ne exaudiret. Culpa in nobis est, quòd non petimus, vt cor lapideum à nobis auferat, & det nobis cor molle & carneum, sicuti ipsemet, & vltrò promisit in Ezechiele cap. 36. Sed quid dabit Deus, si à nemine rogetur? Quomodo dabit nobis Spiritum suum, si proprio nostro tantùm

Zacha. 7. *Psal. 82.* *Esa. 6.* *Apocal. 4.* *Esa. 59.*

tantùm spiritui placere studeamus? Quomodo cor lapideum à nobis auferat, si delectemur illo; & in dies magis ac magis induremus? Quomodo iuuabit nos si iuuari nolumus? O Ierusalem (inquit) quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Sequitur in Euangelio: Et deprecabantur Iesum pro surdo & muto. In tribus homines laudantur, mutum ad Christum adducentes. Primò, quòd compatiebantur, vtpotè videntes; quòd sibiipsi non posset auxiliari, neque Christum deprecari: id quod opus erat charitatis. Secundò, itidem laudantur, quòd mutum in vera fide & pia fiducia ad Christum adducebant. Et tertiò, quòd id continuò faciebant: imò mox, vt Christum agnouissent, & apud se eum vidissent, non differebant in aliud tempus. In his tribus rebus (inquam) homines isti laudantur: & laude dignæ sunt, in quocunque etiam inueniuntur: nimirum viua fides, & religiosa fiducia in Deum, vera charitas & misericordię affectus erga proximum, & promptum studium in rebus diuinis. Hę (inquam) veræ partes sunt, quæ vnumquemque Christianum decent: sed tamen rarò simul inueniuntur. Imò contrarium vbique videmus apud vulgus. Quantum enim cunque Dei bonitatem & dona quotidiè experimur, & sæpè experti sumus, fides tamen nostra & fiducia, atque charitas parua admodum est ad illum, vt Deus rectè etiam ad nos dicere posit, quemadmodum olim in Israëlitas dicebat: Quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? Et quemadmodum Christus de Iudæis dixit: O generatio incredula, quandiu apud vos ero? quandiu vos patiar? Secundò, mos vulgatus est apud nos, vt ij quibus nihil deest, nullo charitatis & misericordię affectu tangantur erga pauperes & afflictos. Quisque suum commodum quærit, pauperes curat nemo, cùm tamē nobis præceperit Deus, vt egenos qui carnis nostræ & sanguinis sunt, nō deseramus; quando illud idē nobis contingere potest, quod in illis videmus. Tertiò, nullum nobis cordi est studium earum rerum, quæ animæ nostræ salutem concernunt: quotidiè pœnitentiam differimus, tandiu vitam corrigere cunctamur, donec tempus gratiæ decurrit, & nobis Christus è manibus elabitur. Quare hîc discere debemus, vt omni tempore, in omni necessitate, viua ad Deum fide curramus, nec pœnitentiam agere differamus, iuxta doctrinā Sapientis, qui nos fideliter monet,

Mat. 23. *Num. 14.* *Mar. 4.* *Esa. 58.* *Ecclesi. 6.*

monet,ne cōuersionem nostram ad Deum differamus. Ante omnia autem hîc discere debemus, veram charitatē & compassionem erga pauperes & egenos exhibere, quemadmodum isti homines cum muto fecerunt.Quamobrem si vides aliquem paupertate,morbo aut alio malo grauatum,caue illius malo & damno gaudeas,vel eum derideas. Sicuti bono Iob accidebat in afflictione eius & ab amicis,& Christo Domino nostro,qui in summa passione acerbissimè deridebatur:sed habe & gere compassionem erga proximum tuum: consolare illū,auxiliare illi si modò potes. Cogita idem tibi contingere posse:cogita te etiam tentari posse, aut in tentationem incidere,vti Paulus ait Gala.6.Tum scriptura etiam aliis in locis dicit,nempè Prouer.21.Qui obturat aurem suā ad clamorem pauperis,& ipse clamabit, & non exaudietur. Contrà autem dicit Christus Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sic etiā si quem vides spiritualiter infirmum,& peccatorem,vide ne ipse tibi placeas,illum autem condemnes.Noli altum sapere (inquit Paulus Rom.11.)sed time.Si te existimas stare,vide ne cadas. Sed da operam, vt talem hominem ad Christum reducas,ad minus oratione tua,si nō amplius potes. Hæc esset vera charitas, quam à nobis Christus exigit. Mandauit enim Deus vnicuique de proximo suo.Tum docet Paulus, vt alter alterius onera portemus,quo implemus legē Christi. Hoc disce ex prima parte hodierni Euangelij. Deus nobis suam largiatur gratiam,Amen.

Iob 30. *Matth.17.* *1. Corin.10.* *Ecclesi.17.* *Gal.6.*

QVARTVS SERMO DE ALtera hodierni Euangelij parte.



IN proximè præcedente sermone audiuimus quomodo olim Christo mutus & surdus homo adducebatur,eo animo,vt auditū ei & sermonem restitueret.Id quod argumentū præbet,quòd certò sibi de illo promiserint , id eū facere posse,alioqui ægrotum ad eum nō adduxissent. Et vt credebant, sic reipsa comperiebant. Verè enim is Christus est,qui hoc possit:id quod non solùm in isto homine opere & facto demonstrauit,sed idem adhuc in nobis quotidiè facit:attamen non semper iisdem vtitur mediis,quibus in hoc homine vsus est:nec semper tam humaniter & comiter nobiscum agit, quemadmodum cum hoc muto egit. In nobis autem

Cur interim nos affligat Deus. autem culpa est: siquidem profectò Christus ita humanus & misericors medicus est, qui nullo modo delectatur languidos suos sine causa affligere: lenem medicinam adhibere libenter cõsueuit, sed cogimus eum, vt interdum acerba medicina vtatur. Hoc cum primis nunc malis istis & periculosis temporibus videre possumus. Rogas quomodo? Iam diu nobis Deus in aures nostras inclamauit, Ephphatha, quod est adaperire. Diu nobis acclamauit, vt sanctum illius verbum & voluntatem audiamus, & vt nos emendemus. Humore etiam sacri sui oris linguam nostram contigit, variis donis & dotibus beneficiisque nos refecit, vt eum tantò diligentiùs laudaremus, & tantò ardentiùs inuocaremus, quod certè clementer & benignè nobiscum actum dici potest. *Obsurdescimus ad agendã pœnitentiam.* Cæterùm nihil profuit, nec prodest adhuc quicquam: aures nostræ adhuc in hodiernum nondum sese aperiunt ad pœnitentiam & emendationem: tum etiam lingua nostra vsque nobis ligata est, vt Deo neque gratias agamus, neque illum inuocemus. Quia ergo mitia illa media & medicinæ nihil prosunt, iam alia ratione agere nobiscum incipit: sed non nisi per amara pharmaca, quibus etiam vti non desinet, donec nobis aures aperiantur ad audiendum quid Deus velit, & lingua soluatur, & os aperiatur ad petendam ab eo veniam & gratiam. Hæc enim duo à nobis exigit, vt illum obtemperanter audiamus, & feruenter inuocemus: quod si non facimus volentes, & in pace, quando nobis bene facit bonáque largitur, immittit bella, famem, morbos, variáque mala, vt facere vel nolentes cogamur. Et quis eum *Mar. 7.* hîc reprehendet? Bene omnia fecit (inquit populus) cùm tam comiter & benignè mutum tractaret. Imò etiamnum dicere cogimur, Deum omnia iustè & bene facere, etiamsi nunc seuerissimè nobiscum agat. Hoc enim illius opus est, vt dixi: ideò ambulat in terris inter nos per suum verbum, vt surdi audiant, & muti loquantur. Si nolumus audire quod iucundum & consolatorium est, audire cogimur quod terribile est. Si nolumus canere, & Deum ob benefacta eius laudare, cogimur lachrymari & plorare propter mala quæ in nos veniunt. Iustus Dominus, & iustum iudicium eius. Bene *Psal. 118.* omnia facit, siue det, siue auferat: siue gratiam faciat, siue *1. Pet. 5.* pœna prosequatur. Optimum medium esset, vt vltro & volentes nos humiliaremus sub potenti manu Dei, vt ipsi per pœnitentiam curreremus ad Deum, vt alter alterum

addu

adduceret, vt audiremus humiliter verbum eius, vt gratias ageremus illius donis, vt illum inuocaremus, rogaremúsque, vt nobis non solùm aures & linguam, sed etiam cor & omnia membra soluat trahátque ad suum cultum & ministerium. Hoc, inquam, optimum medium foret, & proxima via ad inueniendam gratiam, ne Deus opus haberet & cogeretur pœnis & plagis, bello & interitu, fame & inopia aures nostras aperire, & linguam nostram ad inuocandum eum soluere: maximè cùm non sub lege, sed sub Euangelio: non pueri, sed jam prouectæ ætatis simus, vti Paulus ait; & nostra conditio per omnia sit melior, quàm veteris Testamenti hominum. Illi enim Moysen duntaxat habebant hominem: legem tantùm habebant, quæ erat litera mortua. Nos autem Christum habemus filium Dei. Habemus Euangelium, quod merus Spiritus & vita est. Quapropter quantum illi à Deo fugiebant timore perterriti, tam confidenter nobis ad Deum accedere licet: quandoquidem scimus eum esse patrem nostrum, & sic eum appellare audemus ex iussu & mandato Christi: tantùm curemus vt filij simus. Non itaque decet nos, si in tali gratia, in tali luce, in tali occasione, audire tamen nolumus & inuocare, nisi nos pœnis & plagis vrgeat. Multò satius esset, Dei clementem operationem agnoscere & acceptare, quàm animaduersionem illius & iram expectare. Super hoc audiemus, quid gratiæ & humanitatis Christus huic surdo & muto homini exhibuerit. Sic ait Marcus: Et Iesus apprehendens mutum de turba seorsum, &c. In his verbis videmus primùm, homini etiam alterius fidem & orationem vtilem esse posse & proficuam, quemadmodum eius rei non solùm hic, sed multis aliis in locis sacræ Scripturæ clara exempla & demonstrationes habemus.

Gal.4. *1. Cor.13.* *2. corin.3.* *Ioan.6.* *Matth.6.*

Sic enim legimus in Matthæo capite octauo, quòd Centurio Capharnaita sua fide & oratione seruo suo sanitatem impetrauit. Vade, inquit, & sicut credidisti fiat tibi. Non dicit, Sicut seruus tuus credit: sed, Sicut tu credidisti. Eodem modo Chananæa mulier impetrabat sua fide & feruenti oratione filiæ suæ liberationem à malo spiritu. O mulier (inquit) magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et quid multa demonstratione opus est, cùm tamen Moyses vir vnicus, sua fide & ardenti oratione, totum populum Israël non semel ab interitu seruarit? Sic etiam muto in bonum cedebat, quòd

Matth.15. *Exo.33.*

alij

alij homines in tam bona fide, & charitate pro illo rogassent. Quę res omnis nobis eò inseruire debet, & ad id prouocare, vt tantò diligentius non solùm pro nobis ipsis, sed etiam pro aliis rogemus. Oratio enim iusti multùm potest
Iacob.5. coram Deo. Quemadmodum sanctus Iacobus etiam de Elia exemplum dat, qui sua oratione toti populo & regioni pri-
3.Reg.17.18. mùm pœnam, deindè etiam gratiam impetrabat. Ideo dicit sanctus Iacobus cap.5. Orate pro inuicem, vt saluemini. Apprehendens Iesus mutum de turba seorsum, inquit Marcus. Quod in his & sequẽtibus verbis scriptum est & indicatum de peculiari modo & gestibus, quos Christus in hoc muto exhibuit, nobis ad exẽplum factum est. Nam alioqui Christus cùm auditum, tum linguã vnico verbò ei dare potuisset, quemadmodum in aliis & maioribus signis fecit: sed nostri in hoc rationem habuit. Nam sicut hominem istum corporaliter sanauit: ita etiam nos spiritualiter sanat. Primò, manu eum apprehẽdit: nã qui nos creauit & redemit, idem ipse
Psal.118. etiam nos iuuare potest in omni necessitate. Manus tuę (inquit Dauid) plasmauerunt me. Quàm verò beatus homo ille, quem Deus sic apprehẽdit? Videmus in diuo Petro, qui in
Mat.14. mari erat, & aqua iam mergebatur, sed tamẽ perire non poterat, quia illum Christus apprehendebat. Secundò, quando Deus nobis auxiliari vult, tũ de turba nos abducit seorsim,
Matth.7. hoc est, à lata via, quã multi homines ambulant sibi ipsis ad interitum, & ducit nos ad societatem pusilli gregis, de quo
Luc.12. Christus dicit: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Turba de qua Christus suos seorsim adducit, est mala societas seu communio malorum:
Fugienda consortia malorũ. in tali societate peccator non iuuatur. Quomodo enim quis auditum spiritualium & diuinarum rerum consequi potest inter eos, vbi nihil boni narratur aut auditur? Quomodo alicui lingua solui potest ad laudẽ Dei inter eos, qui nihil aliud
1.Cor.5. quàm leuitatis & blasphemiæ verba loquuntur? Quocircà proxima via est ad salutem nostram, vt nos Deus de turba seorsim ducat, & nos ipsos etiam ab ea semoueamus. Nam qui tetigerit picem (inquit Sapiens Eccles.13.) inquinabitus ab ea. Dicit item Paulus 1.Corin.15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Monet proinde nos & omnes Christianos, vt abstrahamus nos ab omnibus iis, qui inordinatè viuunt: imò vult, ne cum eiusmodi hominibus manducemus, &cæt. Sequitur nunc in Euangelio: Misit dominus

nus Iesus digitos suos in auriculas eius. Hic nobis primò indicatur, diuinitatem quæ in Christo latebat, per sanctam eius humanitatem & assumptum corpus, tanquam per instrumentum fuisse operatam, quemadmodum etiam anima per corpus & externa membra tanquam per instrumenta operatur. Secundò, quia per digitum Dei etiam aliis in locis Spiritus sanctus intelligitur, vt cùm incantatores in Aegypto dicebant, Exod. 8. Hic est digitus Dei: & cùm Christus ait Lucæ 11. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Eam ob rem Christus ægroto digitos suos in auriculas eius immisit, ad indicium, quòd omnis externa & oris prædicatio innanis & infrugifera est, nisi Spiritus sanctus homini aures eius & cor aperiat. Et expuens, tetigit linguam eius. Per saliuam, sine qua homo verbum nullum facere potest, sapientia denotatur, sine qua nemo sapienter loqui potest. Sic etiam nos Christus hoc suo facto docere vult, nullum hominem rectè & piè loqui posse, nisi diuina sapientia rigetur perfundatúrque. Vnde & Paulus Ephes. 6. diuinam petit sapientiam, vt os suum rectè aperire possit. Rogabat item Dauid Psalmo 50. vt sibi Deus labia aperire dignaretur, quò lingua ipsius Dei iustitiam canere & nuntiare posset. Nisi enim nobis Deus linguam nostram contingat & soluat, nihil loquimur aliud quàm quod malum est & blasphemum. Et suspiciens in cœlum.) Hoc suspiciendi modo indicare nobis Christus voluit, vbi auxilium quærere nos oporteat, & cui transcribere debeamus bona, quæ habemus, nimirùm Domino Deo. Ab eo enim omne datum optimum, & omne donum perfectum. Deindè etiam Christus nos per hoc docere voluit, quò cogitationes nostras & gestus dirigere debeamus: nimirùm versus cœlum, vti Christus docet Matth. 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed in cœlo: vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Et Paulus Colloss. 3. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed municipium nostrum in cœlis est, &c.

Digitus Dei.

Saliua mysticè.

Suspicere in cœlum.

Iaco. 1.

Hebr. 13.

Et ingemuit. Non erat hic gemitus Christi dubitantis, an homini auxiliari posset necne: neque fiebat propterea, quòd Christo difficile fuerit homini opitulari, sed ex

Christus cur ingemuerit. sola compassione. Ideò ingemiscebat, quòd nos homines temporalibus & terrenis ita omnino addictos inueniebat & videbat, quos tamen cœlestibus fruendis bonis creauerat. Ingemiscebat propter miseriam nostram & egestatem, quam in Adam omnes puniti sumus, & quòd nos propriis nostris peccatis adhuc quotidie in maiora mala & pœnas coniicimus. Ingemiscebat, quòd diabolus nostra culpa tantum potestatis in nos acquisierit, vt verum auditum & linguam nobis adimat: faciátque, vt iis aliisque nostris membris non rectè vtamur. Postremò, hoc etiam gemitu docere nos voluit, per gemitus & lamenta ad patriam nostram nobis redeundum esse, à qua per voluptatem & leuitatem excidimus. Beati enim qui lugent (inquit Christus Matth. 5.) quoniam ipsi consolabuntur.

Et ait ægroto: Ephphetha, aut vt quidam legunt, Hipatha, hoc est, adaperire. Vbique facit & perficit Christus sua miracula verbo suo, quo probat se æternum & substantiale verbum esse Dei, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, vti Ioannes dicit. *Ioan. 1.* Quàm autem sit illud verbum efficax, in eo apparet, quod sequitur. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius. Hic vides virtutem & potentiam Verbi Dei. Hoc verbo condidit Deus cælum & terram, & omnia quæ in iis sunt. *Gen. 1.* Suo verbo adhuc conseruat omnes creaturas, ne intereant, sed in suo statu & ordine maneant. *Heb. 1.* Suo verbo Christus fecit & expediuit quicquid voluit. Ipse dixit (inquit Dauid Psal. 32.) & facta sunt. Attamen nos homines tam debiles sumus & dubij, vt non ausimus verbo Dei fidere. Si virtutem verbi diuini in rebus tam multis experti sumus, cur illi in aliis etiam rebus non crederemus? Si omnia facta sunt, quæ Christus ad ægrotos dixit, fiet nimirum etiam quod ad nos dicit: *Ioan. 8.* Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Hoc modo circa Euangelium istud dicere debemus, agnoscere & considerare virtutem & omnipotentiam diuini Verbi, ad confirmationem nostræ fidei, spei & charitatis. Quia certissimum & infallibile est quod Isaias cap. 40. dicit: Verbum Domini manet in æternum. Et Christus ipsemet Luc. 21. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Porrò quod Marcus dicit, Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, in nobis etiam optandum foret.

foret. Apostolis quidem aures eorum apertæ erant, dum simul atque Christus dicebat, Sequimini me, &c. omnia reliquerunt, & secuti sunt eum. Sic etiam illis lingua eorum soluebatur, dum protinus post acceptum Spiritum sanctum variis linguis incipiebant Dei prodigia & mirifica facta enuntiare. Nos autem simile nihil facimus, id quod argumentum præbet, quòd nobis neque aures, neque os adapertum est. Et loquebatur rectè. Is homo rectè loquitur, qui propria sua peccata accusat & confitetur, contrà verò Dei honorem & gloriam prædicat. Quemadmodum Daniel cap. 9. faciebat, vbi ait: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio, &c. Et iterum cap. 3. In veritate & in iudicio induxisti super nos omnia propter peccata nostra: peccauimus enim. Sic etiam Pharao hac in parte rectè loquitur, Exod. 9. dicens: Dominus iustus, ego autem & populus meus peccatores sumus. Sequitur: Et præcepit illis ne cui dicerent. Non hæc sententia est, quòd Christus miraculum istud in homines diuulgari noluerit, aut ne eius fieret mentio: sed ideò solùm vetabat illis, ne miraculum istud inuulgarent, quòd nullus humanus sermo diuinam & cœlestem virtutem melius indicare possit, quàm opus per seipsum. Voluit deinde etiam nos docere, ne humanam aliquam laudem quæramus, facientes aliquid boni. Non nobis Domine, non nobis (inquit Dauid) sed nomini tuo da gloriam. Periculosè laudari appetit homo, meritò autem Dei potentia & bonitas laudátur prædicatúrque. Eámque ob rem finem laudum hic populus facere non poterat propter istud miraculum: imò quò illis Christus magis id inhibebat, hòc magis efferebant. Nam vt homo pius laudem nullam petit pro suis benefactis, ita probus tantò magis gratias agit, si is qui benefecit ipsi, nullam sibi reponi gratiam cupit. Sic etiam hi faciebant. Quò minus Christus laudem ipsorum desiderabat, hòc magis opus commendabant, & prædicabant, dicebántque: Benè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui. Verissimum est quod dicunt, Benè omnia fecit. Vera hæc & perfecta laus Dei est, vbi Deus in omnibus laudatur. Quippè Deus ab initio omnia bene creauit. Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, inquit Scriptura. Sic etiam Christus omnia rectè & bene fecit in terris. Omnia enim sua opera direxit ad nostram salutem. Deus adhuc omnia rectè benéque facit, etiamsi mala in nos in-

Matth. 4.

Rectè loqui.

Psal. 113.

Gen. 1.

ducat, licet id mundus & Adæ filij non credunt aut agnoscunt. Hi enim tantùm Deum laudant, si illis benefacit,
Psal.48. vti Dauid ait. Probus autem laudat Deum omni tempore,
Iob.1. etiam in aduersis. Dicit cum Iob: Dominus dedit, Domi-
Iob.2. nus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Et iterum: Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem cur non sustineamus? Deus Opt. Max. faxit, vt nos omnes exemplum istud sequamur, Amen.

QVINTVS SERMO DE *Euangelio & Epistola.*



IN hodierno isto Euangelio magna quidem & sublimia consideranda sunt, quòd Christus vno verbo & vno tempore duo insignia miracula facit, nihil aliud dicit quàm Ephphatha aut Hipatha, mox incipit surdus audire, & mutus loqui. Nos Christiani autem non est quòd miremur; imò iustius nobis gaudendum est. Mirabile quidem est, quod Christus hîc facit: imò apud eos qui Christum pro homine tantùm agnoscunt, vtpote Iudæos, Gentes, & alios infideles. Nos autem scimus Christum etiam verum esse Deum. Quid igitur noui & miri esse apud nos potest, quòd Christus eiusmodi opera facere potuit?
Psal.76. Annon Scriptura apertè de Deo dicit, eum esse qui mira-
Psal.134. bilia facere possit? Et iterum: Quicquid voluit fecit in
2.Par.20. cœlo & in terra, & in omnibus abyssis. Annon Iosaphat de Deo dixit: Domine Deus Patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis Gentium. In manu tua est fortitudo & potentia, nec quisquam tibi
Exod.15. potest resistere. Annon Moyses dixit: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius.

Quia ergo certò & omni dubio amoto, scimus ex nostra fide, quòd Christus non solùm homo, sed etiam Deus est: certè non est quod miremur, quòd diuina opera fecit & facit. Id admiratione magis dignum foret, si Christus eiusmodi diuina opera facere non posset, & tamen in Eu-
Ioan.10. angelio diceret: Ego & Pater vnum sumus: imò Pater in me est, & ego in eo. Et iterum Ioannis 5. Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius quos vult viuificat: quia Pater amat Filium, & omnia dedit in manum eius,

eius, &c. Si itaque Christus hæc & id genus verba multa locutus est, mirum profectò esset, si non diuina opera edere posset. Sed laus Deo, meliora scimus: nimirum quòd Christus non solùm eiusmodi verba multa dixit, sed etiam opere demonstrauit: & ita demonstrauit, vt confidenter ad inimicos suos dicere auderet, Ioannis 10. Si mihi non creditis, credite meis operibus. Opera enim quæ ego facio in nomine Patris mei, testimonium de me perhibent. Quare infideles admirentur talia opera. Si Christianus es, gaudium tibi esse debet, & certa confirmatio fidei tuæ in Christum, quoties audis eum fecisse miraculum. Sic enim melius dicere potes cum Sancto Petro: Tu es Christus, filius Dei viui. Et cum proba Martha, Ioan. 11. Scio quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus: imò credo quia tu es filius Dei, qui in hunc mundum venisti. Et cum leproso: Domine si vis potes me mundare. Et cum Centurione ibidem. Domine non est necesse vt mecum domum eas, & ipse seruum meum inuisas: sed tantùm dic verbum, & sanabitur puer meus, &c. Hunc in modum nos Christianos miracula accipere oportet: alioqui enim frustrà esset, si ea tantummodo admiraremur. Iustius hoc homo Christianus admiraretur, quòd Christus miraculum istud non simpliciter executus est verbo suæ virtutis, quemadmodum aliis in locis fecit, vti cùm ad Lazarum dicebat, Ioan. 11. Lazare veni foras. Et cùm ad leprosum dicebat, Mat. 8. Volo mundare. Et cùm ad Chananæam mulierem dicebat: Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et cùm ad defunctum adolescentem dicebat, Luc. 7. Dico tibi adolescens, surge. Et ad defunctam filiam, Puella surge. His omnibus in locis vtitur Christus tantùm omnipotenti suo verbo. Hic autem solo verbo contentus nō est, sed prius cum ægroto multum agit: de turba eum seorsum abducit, digitos illi suos in aures immittit, contingit linguam eius saliua sacri sui oris, suspicit in cœlum & ingemiscit. Hoc admirari simplex posset, & secum ipse cogitare: Si Christus verus Deus fuit, non opus habuisset talibus rebus. Non enim Deus opus habet tēpore aut otio, non instrumento aut medio, non oratione ad sua opera. Dixit, & facta sunt. Quia verò Christus tā diu cū muto occupatus est, & tam varia tentat, dubij nonnihil mihi adferre posit, nū verus Deus fuerit, &c. En, sic homo simplex secum ipse cogitare posset. Ad hoc audi responsum.

Matt. 16. Mat. 8. Matth. 15. Matt. 9. Psal. 148.

Primò, non te ita accipere oportet, quasi aliquis in Christo fuerit defectus, quòd hunc hominem non tam citò verbo suo sanauerit, quemadmodum alios, sed tam diu cũ illo fuerit occupatus. Non. Minimè hæc sententia est. In aliis miraculis abũdè indicauit & demõstrauit, quòd omnia vno verbo efficere posset. Ideò autem hìc tam insolitos exhibuit gestus, & non solùm suos digitos, sed etiam saliuam sacri sui oris ad id adhibuit, quò videamus, quòd etiam corpus eius & membra eius omnia per vnionem cum diuinitate, sancta & salutaria fuerint. Secundò, ideò etiam factum est, quò videre possemus, sanctam illius humanitatem verum esse instrumentum, quo nobis auxiliatus fuit.

1. Pet. 2. Pertulit enim peccata nostra in corpore suo, & liuore eius sanati sumus. Sacrum illius corpus & humanitas sacrificium fuit, quo nos Deo reconciliauit. Et in illius rei argumentum, suo etiam digito huic ægroto aures eius & linguam contigit. Tertiò, item per hoc ostendere voluit & docere, quàm difficile sit, hominẽ, qui spiritualiter mutus est & surdus, eò perduci, vt Dei verbum efficaciter audiat, & laudem Dei annuntiet. Christus faciat oportet suo digito, & saliua sui oris, hoc est, sancto suo Spiritu.

Spiritualiter surdus & mutus vt curetur.

Secundò, homo ipsemet fugere debet, sicubi intelligit, nihil boni audiri & dici. Tertiò, quoque oculos suos cũ gemitibus sursum ad Deum dirigat necesse est. Hæc media sunt, per quæ homini spiritualiter muto & surdo subueniri potest. Hoc nos Christus docere voluit. Ideò mutum de turba seorsim abduxit, vt per nos ipsos etiam discamus fugere, quod à bono nos impedit, & ad malum prouocat. Ideò gemens in cœlum suspexit Christus, vt similiter nos in nostris defectibus etiam facere discamus. Ideò muto aures eius & linguam suo digito, & saliua oris sui contigit, ne dubitemus, quin per Spiritum sanctum fieri oporteat, si verbum Dei rectè audire velimus, & Deum verè laudare. Hoc qui considerat, non mirabitur, multò minus offendetur, quòd Christus tam diu cum ægroto isto fuerit occupatus: sed dicet, Bene omnia fecit: videbit, vt non solùm fidem suam hoc miraculo confirmet, sed etiam efficiet, vt sibi ipsi eiusmodi circunstantias imitando vtiles faciat. Et sic planè fieri oportet. Propterea literis hæc prodita sunt: non satis est, nos de Christo canere, Bene omnia fecit: videndum est, vt etiam nos omnia quæ nostri sunt muneris, bene

Vt omnia bene faciamus.

bene faciamus. Tum autem omnia benè facimus, cùm verbum Dei audimus & credimus, & id ipso opere & vita sequimur: prætereà verò etiam lingua vtimur ad laudem & inuocationem diuini nominis. Sunt porrò alia quædam circa Euangelium istud consideranda. Siquidē nullo modo satis est scire & confiteri, quòd Christus mutum & surdum sanauerit. Imò videre nos oportet, ne & ipsi surdi ac muti maneamus. Nec refert, etiam si quis corporaliter benè audire & loqui possit, nec aliquo in his vtrisque defectu laboret. Etenim corporali auditu & lingua non efficiuntur omnia: imò fieri potest, & vsu quotidiano comperimus, multos esse homines, qui corporaliter benè audiunt, & sunt eloquentes, spiritualiter autem muti sunt & surdi. Quorsum attinet autem, etiamsi corporaliter nihil tibi desit in tuo auditu & loquela, spiritualiter verò mutus es & surdus? Multò satius esset tali homini, qui spiritualiter mutus & surdus est, nolens audire boni quicquam vel loqui, vt nec corporaliter mali aliquid audire possit, nec loqui quicquam quod sit leue, vel mendaciū, aut blasphemum. Multò minus peccati haberet: nam si bonum facere non vult, malum certè omittere cogitur. Cæterùm vbi bonum non fit, & malum insuper perficitur, geminum ibi peccatum est. Atqui hæc versutia est diaboli, vt plerunq; eos, quos in sua potestate habet, surdos, pigros, inertes ad verbum Dei & salutares admonitiones: contra verò cupidos prorsus faciat ad res leues, inutiles & scandalozas audiendas: facitque eos planè mutos, vt nihil boni ex ore eorum prodeat: è diuerso autem garrulos & propensos ad proferenda mala, leuitatem, blasphemiam, obtrectationem, mendacia & fraudes. Vnde fit, vt ex sermone quis facilè cognosci possit, num ex Deo, an ex diabolo loquatur. Qui ex Deo est (inquit Christus) verbum Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo nō estis. Qui de terra est (inquit Ioannes) de terra est, & de terra loquitur. Tātò magis & diligētius facere debemus quod populus in hodierno Euāgelio facit: sicubi talem defectum in nobis ipsis aut in proximo nostro videmus & deprehendimus. Illi rectà ad Christum currentes, rogabant vt misero subueniret. Et quid petit Dauid aliud, quā ꝙ nullus homo in terris spiritualiter mutus & surdus maneat, vbi ait: Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultū suū super nos,

Versutia diaboli erga fallendos homines.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Psal. 66.

& misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus Gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Quomodò
Rom.10. autem viam Dei cognoscimus aliter, quàm per studiosum auditum diuini verbi? Est ergò perindè, ac si dicat Dauid: Domine, aperi omnibus hominibus aures, intellectum & corda, vt voluntatem tuam audiant & cognoscant, & exequantur: & loquantur quæ ad laudem & honorem tuum seruiunt ac spectant. En, hoc petit Dauid, & non pro seipso tātùm, sed pro omnibus hominibus. Hoc
Esa.65. mutum & surdum ad Christum deducere est, & pro illo deprecari. Hac ipsa de causa Christus Apostolatum instituit, & sanctos Apostolos in vniuersum orbem ad prædicandum misit, vt qui anteà nihil de Deo audiuissent, iam nunc de illo audirent: & qui illum anteà non nouissent, nunc quærerent: & qui anteà muti fuissent, nunc inciperent Deum laudare. Eáque propter leguntur nobis circa Euangelium istud verba Pauli, in quibus tam mirificè locutus est de gloria Christi eiúsque Euangelij, quin etiam de gloria Apostolatus, quò omnibus palàm fieret, quàm
2.Cor.3. graui reprehēsione digni simus, si etiam sub Christo, apud Euangelium, & tam fideles præstantésque prædicatores, quales sancti Apostoli fuêre, muti tamen & surdi, & vitiis dediti manemus. Fiduciam talem (inquit Paulus) habemus per Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: idoneos tamen fecit nos ministros noui Testamenti, non litera, sed Spiritu, &c. His verbis incipit hodiè Paulus hodiernam Epistolam indicans simul, Christum longè alium prædicatorem seu doctorem fuisse, quàm Moysen: & Euangelium nostrum mul-
Ibidem. tò aliud verbum esse & doctrinam, quàm legē & Aposto-
Exod.34. lorum munus longè aliud mandatum esse, quàm olim Leuitarum verba. Moses (inquit Paulus) gloriam quidem habebat, sed in vultu tantùm, atque ideò velamen ponebat
Exod.26. super faciem, locuturus cum populo: alioqui enim splendorem ex facie eius lucentem ferre non poterant. Pendebat item velamen in templo, quod faciebat, vt nemo videre posset quid in sanctissimo loco templi erat. Christus autem totus lucidus est & clarus, & in illo manifestatum est, quod in veteri Testamento latebat. Hoc vnum est. Secundò, erat lex Mosi litera mortua, nullam operandi vim habebat:

bebat: multa exigebat, sed nullam conferebat gratiam: imò carnalibus causa erat, tantò magis peccandi. Nam nitimur in vetitum semper, cupimúsque negata. quod præcipuè ad eiusmodi carnales referendum est. Sic etiam dicit Paulus: Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Sed cùm veniebat mandatum, peccatum reuixit, & inuentum est, mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Hinc lex vocatur litera mortua. Euangelium autē Spiritus & vita est: gratiam affert, Spiritum largitur, excitat, impellit, viuificat, & exhilarat quod anteà mortuum erat. Hoc sentiunt omnes ij, qui Euangelium syncera fide & ardenti charitate ac desiderio accipiunt, maximè in tribulatione: ibi enim rectè deprehenditur, quòd sit viuidum & efficax verbū: imò quòd sit virtus Dei omnibus in id rectè credentibus. Tertiò, habebant Leuitæ & Iudaici sacerdotes nullum aliud mandatū, quàm legem vt prædicarent: cæterùm ea re apud plerosque nihil proficiebant aliud, quàm quòd conscientias perterrefaciebant, & damnationi obnoxias denuntiabant. Vndè Paulus vocat ministerium mortis & damnationis. Nostri autem Apostoli hoc mandati habent, vt omnibus hominibus benè volentibus vitam & salutem per Christum annuntient. Ideò etiam appellatur officium & mandatum eorum, ministratio Spiritus, & ministerium vitæ.

Rom. 7. *Ioan. 6.* *Heb. 6.* *Rom. 1.*

Quid ex his omnibus sequetur? Si Christus tot modis alia longéque præstantior persona est quàm Moses, quomodò igitur nos decebit, si etiam sub illo æquè duri & immorigeri manemus, atque Iudæi sub eorum Moyse? Si verbum Euangelij longè maius & iucundius est, quàm lex Mosi: quomodò nos excusabimus, si nec illud audire & exequi volumus, nihilo plus quàm legem? Imò si prædicatores nostri in nouo Testamento, multò lætiora annuntiant quàm illi, pessimè nos decebit, si hos non diligentius audiamus, quàm illi fecerunt. Quis autem non videt hîc iudicium nostrum omnibus modis tantò terribilius fore, si etiam sub Christo & Euan-

gelio surdi & muti, cæci & claudi sumus, & manemus? siquidem nostra fiat culpa necesse est: quia neque Christus neque Euãgelium in re vlla nobis deest. Doctor bonus est, doctrina sana: si supra hoc surdi & muti manemus, væ nobis in æternum. Etenim quem Christum audire tædet, neminẽ is audiet. Porrò quem Euangelium nõ excitat, eum nulla alia doctrina prouehet. Quisquis ergò mutum se & surdum inuenit, is toto corde cõuertat sese ad Christum. Accedite ad
Psal. 33. eum (inquit Dauid) & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

DOMINICA DECIMAQVARTA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM LVCAE X.

Mar. 12. IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderũt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciẽdo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille
Deut. 6. *Leui. 19.* respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & totis viribus tuis, & ex tota mente tua: & proximũ tuum sicut teipsum. Dixítq; illi: Rectè respondisti: hoc fac & viues. ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Respondens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Hierosolymis in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum vesti-

bus,

bus, ac vulneribus inflictis, abierunt semimortuo relicto. Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via, visóque eo præteriit. Similiter & Leuita, cùm iret iuxta locum, cùm accessisset, ac vidisset eum, præteriit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit ad eum: & viso eo, misericordia motus est, & accedens obligauit vulnera eius, infundens oleum ac vinum, & imponens illum in iumentum, duxit in diuersorium, & curam eius egit. Et postero die egrediens, depromptos duos denarios dedit hospiti, & ait: Curam illius habe: & quodcunque præterea insumpseris, ego cùm rediero, reddam tibi. Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui exercuit misericordiam in illum. Ait igitur illi Iesus. Vade, & tu fac similiter.

EADEM DOMINICA
EPISTOLA SANCTI PAVLI, GALAT. III. CAP.

Porrò Abrahæ dicta sunt promissiones, & semini eius. Non dicit & seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de vno: & in semine tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, Testamentum ante comprobatum à Deo erga Christum, lex quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritum, vt abroget promissionem. Nam si ex lege est hæreditas, non iam est ex promissione. Rom.4. *Atqui Abrahæ per promissionem donauit Deus. Quid igitur lex? propter transgressiones addita* Rom.6. *fuit,*

fuit, donec veniret semen, cui promissum fuerat, ordinata per Angelos in manu intercessoris. Intercessor autem vnius non est, at Deus vnus est. Lex igitur num
Rom.6. *est aduersus promissiones Dei? Absit. Etenim si data fuisset lex, quæ possit viuificare, verè ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.*

PRIMVS SERMO DE principio Euangelij.



NTER alia quæ homini Christiano necessaria sunt, præcipuum est, vt duo norit. Primum, quid à Deo acceperit, & quid adhuc accepturus sit. Nos (inquit Paulus) Spiritum ac-
1.Cor.2. cepimus ex Deo, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Egregia sanè & vtilis scientia. Nam hoc quisquis scit, huic exhilarat cor suum & conscientiam, soluit ei linguam ad laudem Dei & gratiarum actionem, & accendit totum hominem ad amorem Dei. Deinde etiam homini Christiano scitu necessarium est, quid Deus à nobis quoque requirat. Hæc iterum cumprimis ars vtilis est, quæ bono Christiano ad bona multa inseruit: indicat ei voluntatem Dei, pellit ab eo omnem segnitiem & inertiam: prouehit eum ad bonos mores & virtutes, facitque per hoc vt etiam alij homines per eiusmodi bonum exemplum emendentur. Hæ veræ sunt artes, quibus incumbere omnes Christiani debent: nimirùm scire quid à Deo acceperimus, & quid vicissim ille à nobis exigat. Hęc duo autem in hodierno isto Euangelio nobis pulchrè indicata sunt. Quare cùm
Ioan.3. discendi gratia huc venimus, & Christus verus doctor est,
Matth.17. quem nobis Deus cœlitus dedit, & vult etiam, imò præci-
Dan.18. pit, vt audiamus eum, & per Moysen multò antè prædixit, Qui hunc Prophetam & doctorem Christum non audiat, se vltorem fore: eam ob rem verba istius Euangelij hoc diligentiùs audiemus, ádque animum reuocabimus. Beati oculi (inquit) qui vident quæ vos videtis. Pulchrum & lætum initium: imò lætiùs incipere Christus non potuisset, quàm

quàm annunciatione & promißione veræ felicitatis, quam omnes homines naturâ exoptant, & ad quam omnes pariter vocati & creati sunt. Omnia nostra opera & laborem in hoc instituimus, vt beati simus. Omnes nostras cogitationes, curas & diligentiam in id conferimus, vt inuenire quid & consequi queamus, in quo cor & animus noster quiescat & contentus sit. Quanquam maior pars hominum vmbram pro veritate, & falsa inconstantia, fallacia bona pro veris, spiritualibus constantibus, & æternis bonis apprehendit. Attamen mirum non est, quandoquidem etiam Philosophi viri in mundo docti, quantumcunque etiam scrutati sint, & inquisierint, in quo tamen hominis felicitas consisteret, nemo illorum certi aliquid statuere potuit. Singuli quidem suum tulerunt iudicium, à veritate autem omnes aberrarunt.

Beati esse oēs volumus.

Cæterùm Christus, verus & cœlestis doctor, in primo statim verbo huius Euangelij nobis indicat verum scopum veræ beatitudinis. Nulla res est, quæ homini cor suum & animum pacare poßit, quàm summum bonum. Quod autem summum bonum est, nisi solus Deus? Quoniam igitur homo secundum imaginem Dei creatus est, vti Scriptura dicit, animus eius nulla alia re expleri & saturari potest, nisi solo Deo. Congreget quis & accumulet bona, pecunias, honores, fastum, potentiam, gaudium, voluptatem, quantumcunque poßit, animus tamen eius non conquiescit, semper plura expetit. Domine (inquit Augustinus) fecisti nos ad te, & ideo cor nostrum inquietum est, & minimè contentum, donec quiescat in te. Hoc vnicum bonum est, quod desideria nostra explet. De tali autem bono Philosophi nihil certi sciuère. Miserandum quidem in illis est, & si Gentes fuerunt, quòd aliis in rebus tam prudentes, acuti, & perspicaces extiterunt, cæterùm in hac re summa & omnium maximè necessaria, ita turpiter sunt hallucinati. Multò autem hoc magis miserandum est in nobis Christianis, in magnis principibus, qui Dei vicem & munus in terris obeunt: in sacerdotibus & spiritualibus, quorum portio solus esse Deus debebat: in Episcopis & Prælatis, qui nobis in suo officio Christum repræsentant, quod etiam horum plerique in his adeò rebus suam ponunt felicitatem, quemadmodum olim Gentes fecère, puta in diuitiis, honoribus, potentia, voluptate, gaudio huius mundi. Eum enim beatum vocant,

Solus Deus homini sufficit.
Gen. 1.
Augustinus.
Num. 18.

cant,& pro felici ducunt,qui tales res habet. Sic loquebantur Gentes,& à fide alieni. Vnde autem hæc vox & sermo inter nos Christianos? Longè talis oratio absit ab ore nostro,fratres. Imò talis sententia longè absit ab animis nostris. Cum Dauide sentiamus & dicamus:Beatus populus, cuius Dominus,Deus eius. Sentiamus cum Christo ad Apostolos suos dicente: Beati oculi qui vident quæ vos videtis,&c. Hæc verba Christus non semel, sed sæpe ad suos Apostolos & discipulos dixit. Sic enim legimus in Matthæo,cùm eum discipuli interrogabant, cur tam multa in parabolis loqueretur ad populum, hoc illis responsi dabat: Ideò in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt,&c. Mox subiicit dicens: Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt,&c. Sic etiam hoc in loco in Luca,vbi dixerat,Confiteor tibi Deus cœli & terræ,quia abscondisti hæc à sapientibus,& reuelasti ea paruulis,&c. mox versus ad discipulos, dicebat: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c.

Psal.143. *Ibidem.* *Matth.13.* *Luc.10.*

Ideò autem hoc verbum toties repetiit, quò admoneret eos ineffabilis gratiæ,quam illis Deus præ cæteris præstiterat hominibus. Magna quippè gratia est, Seruatorem mundi, æternum Verbum in assumpta humanitate, etiam corporeis oculis præsens videre. Multò adhuc maius est, illum oculis cordis videre. Hæc est enim vita æterna (inquit Christus) vt te verum Deum cognoscant, & quem misisti Iesum Christum. Sic sanè etiam magna gratia est, vbi auditur & in opus profertur Euangelium de regno Dei. Vobis datum est (inquit Christus) nosse mysterium regni Dei,cæteris autem in parabolis.

Ioan.17. *Luc. 8.*

Hoc pacto videmus in hoc primo verbo, quid nos Christiani præ omnibus aliis hominibus à Deo accepimus:nimirum tales oculos, quibus videmus, quod nulla humana ratio indagare & intelligere potest, quod etiam nullus ex potentibus huius mundi cognouit: & tales aures quæ audiunt, quod ab initio mundi absconsum fuit, quemadmodum iterùm Paulus dicit Ephesiorum tertio. Et quæ illa sunt? Audi. Primò videmus nos Christiani & audimus in nostro Euangelio, quòd peccatum primorum nostrorum parentum, ex quo omnes filij iræ nati eramus, per mortem Christi expiatum, chirographum damnationis nostræ deletum, & Deus nobis reconciliatus est. Deus (inquit

1.Cor.2. *Ephe.2.* *Colos.2.*

(inquit Paulus Ephesiorum primo) gratificauit nos in dilecto filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius,&c. Secundò, videmus nos Christiani, & audimus in nostro Euangelio, quòd Deus pater noster factus est, ad quem audemus dicere, Pater noster qui es in cœlis. Non enim accepimus spiritum seruitutis iterum in timore, Sed spiritum adoptionis filiorum: imò quia filij Dei sumus, dedit nobis quoque Deus spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem Abba, pater. Tertiò, videmus & audimus nos Christiani, Filium Dei fratrem nostrum esse factum. Sic enim ait ad Magdalenam Ioan. 20. Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, &c. Et in Dauide dicit ad Deum, Psal. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Sic etiam dicebat ad suos discipulos, Ioan. 13. Iam non dico vos seruos, sed amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Quartò videmus & audimus nos Christiani, quòd Filius Dei Rex noster & protector est. Exulta satis filia Sion (inquit Zacharias cap. 9.) quia ecce rex tuus veniet tibi mansuetus. Tum Christus ipsemet Matth. 28. dicit, se fore nobiscum vsque ad consummationem seculi: idcircò nobis acclamat, vt confidamus, se vicisse mundum. Quintò videmus nos Christiani, quòd filius Dei etiam Pontifex noster est & aduocatus coram Deo. Ideò enim per proprium suum sanguinem introiuit in templum suum in cœlum, vt ibi compareat in conspectu Dei pro nobis. Quapropter etiam si peccauimus, non tamen propterea animum despondere debemus: quia aduocatum habemus apud Deum, nimirùm Iesum Christum iustum, qui propitiatio est pro peccatis nostris, inquit Ioannes primæ Epistolæ, capite secundo. Sextò, videmus & audimus nos Christiani, quòd etiam cœlum nobis reseratum sit. Pater (inquit Christus Ioannis decimo septimo) volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, quos dedisti mihi. Et iterum Ioannis decimo quarto. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei multæ sunt mansiones, &c. Et posteà: Iterum venio & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et rursum Luc. 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnũ. Et iterum Lu. 22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, regnũ: vt edatis & bibatis super mẽsam meã in regno meo. Septimò, videmus nos Christiani viam,

Matth. 6. *Roma. 8.* *Galat. 4.* *Ioan. 16.* *Hebr. 9.*

ni viam, quæ nos certò ad cœlum ducit. Quò ego vado (inquit Christus) scitis, & viam scitis. Et paulò post: Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et iterum: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lucem vitæ. Vltimò & præter hæc omnia, audimus nos Christiani, quòd nos non solùm Prophetę, sed etiam filius Dei, & Deus ipse vocat & inuitat, consolatur & docet, & cæt. An non autem hæc omnia magna sunt? Sanè non fecit Deus taliter omni nationi. Quò maiora accepimus, hòc plus gratitudinis à nobis exigitur. Dico enim vobis (ait Christus Luc. 10.) quòd multi Prophetæ & reges voluerũt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Habuerunt quidem antiqui Prophetæ & nonnulli reges aliquam etiam cognitionem de futura gratia, quæ per Christum effundi debebat: quin etiam Christum in spiritu viderunt, quemadmodùm etiam ipse de Abraham dicit Ioan. 8. vidisse eum diem eius, & gauisum esse. Dicit item Ioannes cap. 12. de Isaia, eum vidisse gloriam Christi, & de illo locutum. Sic etiam Daniel in spiritu vidit, quomodò Deus pater Christo omnem potestatem dederit. Tum etiam Dauid in spiritu audiuit, quòd Deus ad Christum dixit, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quo autem hoc magis sciebant, & in spiritu videbant, hoc libentiùs & cupidiùs optatum tempus Christi, corporeis oculis vidissent. Et hoc peculiariter animaduertere licet in sene Simeone, qui multo desiderio expectabat consolationem & redẽptionẽ Israël: & ob id simul atque Christum viderat, lætus & securus ad mortem festinabat, Nunc (inquit) dimittis seruum tuum Domine, secundum verbũ tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, &c. Pari desiderio etiam alij boni & credentes aduentum Christi expectarunt, & cupiuerunt ipsummet videre & audire, & non viderunt eum, neque audiuerunt hac ratione. De Apostolis autẽ dicit Ioannes: Vidimus oculis nostris, audiuimus auribus nostris, manibus nostris cõtrectauimus, nimirùm Verbum vitæ, quod apud Patrem erat: nunc autem apparuit.

Ioan. 14. *Ioan. 8.* *Psal. 147.* *Dan. 7.* *Psa. 109.* *Luc. 2.* *1. Ioan. 1.*

Et iterum: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate. Habemus itaque in primis istis verbis hodierni Euangelij, principiò verum discrimen veteris & noui Testamenti, legis & Euangelij. Cùm Deus legem

Ioan. 1.

legem dabat, terrebat populum tonitru, fulgure, fumo & igni,& minis multiplicis pœnæ. Euangelium autem Christus summa comitate annuntiauit & prædicauit: nihil duri aut formidabile in seipso exhibuit: homines magis promissionibus & beneficiis ad sui amorem & ad fidem traxit allexitque, quàm terrore impulit. Ideò etiam incipit Euangelium istud à felicitate. Non enim coactum, inuitum, sed hilarem & volentem vult ministrum. Hac de causa trahit nos ineffabilibus promissis. Hoc illud est, quod in Hieremia promisit. Legem (inquit) meam dabo in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: omnes cognoscent me à minimo vsque ad maximum: quia propiciabor iniquitati eorum. Hæc Dei bonitas si quem non ad vitæ emendationem, & ad amorem Dei trahit, habet is certè quod metuat, ne sit ex numero damnatorum & reproborum. Secundò, videmus quoque in his primis verbis hodierni Euangelij, nos in nouo Testamento maiora multò habere, quàm illi in veteri testamento. Quod illi desiderabant, nos habemus: quod illi sperabant, hoc videmus nos, &c. Sed de hoc postea. Tertiò videmus hîc, quòd Christus primo verbo istius Euangelij eleuat quicquid humana ratio ex seipsa cogitare vnquam potuit, disputare & scribere de felicitate hominis. Meritò itaque Paradoxum dici posset, hoc est, insolitus sermo. Nam mundus non credit, nec ratio complecti potest, quomodo felices illi sint, & esse possint, qui Christum vident & audiunt. Longè enim mundus aliter & sentit & loquitur de felicitate hominis. Christus autem non obstante Iudæorum & Gentium de felicitate opinione, vocat, & nominat eos beatos, qui ipsum vident, & audiunt. Et omninò res sic habet: & opus ipsum hoc loquitur. Non autem oportet hoc intelligere de corporeis oculis & auribus. Multi enim Christum ita corporeis oculis viderunt, & nihilo tamen minus eum oderũt: quemadmodum ipsemet dicit. Multi eum corporeis auribus audiuerunt, & tamen non crediderunt in eum. Loquor vobis (inquit) & non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Quomodo igitur tales homines beati dici possent? Nec verba hæc Christi intelligenda sunt de beatitudine, de qua mundus somniat. Loquitur de interno & spirituali visu & auditu, hoc est, viua fide: loquitur item de beatitudine, quæ in anima & corde sentitur: imò vult nobis per hoc virtutem

2. Cor. 9.

Hie. 31.

Ioan. 15.

Ioan. 10.

viuæ fidei indicare & prædicare, quæ adeò magna est, vt talis fides hominem vno momento diuitem, doctum & beatum faciat, quantumuis antea pauperem indoctum, & infelicem. Rogas quî id? Obserua & considera primùm mundi cursum, deindè sanctos Apostolos. Quanto tempore, cura & labore opus est, priusquàm diuitiæ comparentur? Esto, magnos earũ cumulos aggregaueris, non sunt tamen vera bona veræque diuitiæ, sed species solùm & vmbra. Contrà verò, quantumuis pauperes sancti Apostoli erant, tamen Christus vocat eos diuites & beatos, indicans illos veras diuitias habere. Vnde acquisiuerunt? Ex fide cum
Prou.8. charitate coniuncta. Mecum sunt (inquit Sapientia) diuitiæ
1.Par.29. & gloria, opes superbæ & iustitia. Et Dauid: Tua Domine potentia & gloria: cuncta quæ in cœlo sunt & in terra, tua sunt. Secundò, quàm multo opus est tempore, sumptibus & labore, priusquàm mundanæ acquiruntur artes, quæ tamen vix vmbra sunt verarum artium & scientiarum? sancti Apostoli autem quantumuis inerudititi, plus tamen sciebant, quàm omnes sapientes huius mundi. Confiteor tibi
Matth.11. Pater domine cœli & terræ, (ait Christus) quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sic etiam dicebat ad Petrum, Matth.1. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Ex hoc perspicis, quòd etiam sancti Apostoli suam scientiam non aliundè habeant, quàm ex viua fide. Fides enim cum charitate coniuncta, ita claros facit oculos, vt qui eam habet, vi-
4. Reg.6. deat quod aliàs nemo videt. Sic poterat Helisæus videre, quòd sancti Angeli apud & circa eum erant, quod tamen nemo alius videbat. Sic videbat Stephanus cœlum aper-
Act.7. tum, & Iesum ad dexteram Dei, quod ipsum etiam videre nemo alius poterat. Tantò charior & præstantior nobis esse fides vera & viua debet. Hîc autem vide & considera ingratitudinem nostram præter modum magnam, qui fide & cognitione Dei, vsque adeò abutimur: vnde etiam fit iusto Dei iudicio, vt rursum excæcati in varios errores prola-
2.Thes.2. bamur, & credamus mendacio, qui amorem veritatis acceptare noluimus. Quare grati simus, quòd Deus nobis oculos nostros illuminauit cognitione sui ipsius, & corda nostra adhuc quotidie illuminare paratus est gratia sua. Quã diu enim eiusmodi cognitionẽ Dei habemus, & illi cõueniẽter viuemus, beati sumus: quandoquidem per cognitionem Dei
vide m

videmus,& in Euangelio audimus, quod multi Reges & Prophetæ non audiuerunt, & in hodiernum diem multi neque vident, neque audiunt salubriter. Faxit Deus, vt id & cognoscamus, & consideremus, Amen.

SECVNDVS SERMO DE altera parte Euangelij.


ODIERNVM istud Euangelium vtcunque prolixum est, habet non solùm multa verba, sed eximia omnia. Imò quot verba habet, tot quis doctrinas, admonitiones & consolationes indè desumere possit, qui rem verè secum reputare velit. Cæterùm hac vice tantummodo indicabo, quid periculosis his temporibus & horrendis tumultibus ac bellis solatij ex eo capere possimus. Ad quam rem nobis in primis seruit primum verbum, vbi Christus ait, Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Optimè quadrat Euangelium istud his annis infelicissimis. Verbum est verè cōsolatorium: dat enim nobis spem & fiduciam orandi & inuocandi Deum: imò addit nobis etiam animum alacriter & confidenter orandi. Et quid nunc magis nobis necessarium est, quàm eiusmodi feruēter orandi fiducia, talisq; animus? Habemus quidem aliàs passim in diuina Scriptura exēpla & sententias, verba & facta, in quibus nobis Deus cor suum aperuit, atque ita, vt meritò neq; priora commissa, quorum nos verè pœnitet, neq; externa afflictio pusillanimes facere nos debeat. Sed quid illa exempla & sentētiæ ad ea quæ hîc audimus? Illic loquuntur Angeli & Prophetæ: hîc stat & loquitur filius Dei ipsemet. Si nobis animum addit, quando nobis homines & Angeli verbum Dei acclamant, quid fieri meritò debet Deo ipso loquente? Beati (inquit Christus ad suos Apostolos) oculi qui vident quæ vos videtis. Et quid sancti Apostoli viderunt? Christum. Verùm non corporeis tantùm oculis, sed viua fide, quæ certos eos fecit, illū verum seruatorem mundi esse. Quid Apostoli audiuêre? Euangelium Christi. Veruntamen non corporeis tantùm auribus, sed & corde, dum apud semetipsos senserunt nō hominum, sed Dei esse verba. Quis autem homine beatior, qui Deum & auxiliatorem suum semper scit, videt, habet & possidet? Quis beatius homine, qui Deum ipsum, & quidem humanissimè loquentem audit, quemadmodum Christus loqui-

Luc. 10.

tur in isto Euangelio. Quocirca verba Christi iam commemorata, in præsenti afflictione perinde esse nobis debēt, ac si dicat ad nos: Quid meticulosi estis paruæ fidei homines? Quid pusillanimes estis in præsenti afflictione? An putatis me non posse auxiliari, aut auxiliari nolle? An putatis delectari me vestro interitu? An non cogitatis quid vestra causa fecerim? An nō cogitatis, quid commoditatis prę aliis hominibus habeatis? Videtis quod multi Reges & Prophetæ non viderunt: auditis quæ prius seculum non audiuit aut sciuit. Imò beati estis si vultis ipsi. Vobis iam subuentum est, si modò vos vobis ipsi in mora non sitis. Si magnum periculum & malum instat, rursum videtis quomodo & per quem omne malum declinandum sit, nempè per me. Minatur vobis mundus damna, interitum & mortem: contrà auditis varia eáque consolatoria promissa à Deo. Tantò ergo hilariores & alacriores currere ad ipsum debetis, ab ipso veniam petere, vitam corrigere, ipsius dictis obtemperare, eius vestigiis ingredi. Et reuerà beati oculi qui hæc vident & audiunt. Ediuerso autem, væ omnibus qui in tribulationibus sunt, siue corporaliter siue spiritualiter, & non vident quomodo & fugere posśint, & qua ratione cum Deo redire in gratiam, eúsque iram auertere, eius consolationem emereri. Hi meritò pusillanimes esse & fieri possunt. En, hoc pacto nobis ipsi ex primis istis verbis hodierni Euangelij, fortem & alacrem animum haurire possemus ad orandum & resipiscendum; id quod nunc cumprimis opus est, posteaquàm videmus, nullum alium tempestatem hanc sedare, nullum alium à damno & exitio seruare nos melius posse, quàm Deum. Ad quam rem vnusquique, vt hæc verba sibi seruiant, faciat. Cæterùm in Euangelio pergemus. Sic porrò S. Lucas dicit:

Matth. 8. *Luc. 10.*

Et eccè, quidam Legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam posśidebo? Hæc altera pars hodierni Euangelij est, vbi indicatur nobis quid Deus à nobis requirat. Nam vti superius dixi, non satis est scire quid à Deo acceperimus, nisi etiam istud sciamus, & opere compleamus. Legisperitus negotium mouebat, & Christo occasionem de eiusmodi rebus loquendi dabat. Magister (inquit) quid faciendo vitam æternam posśidebo? Grauis quæstio, & magni momenti: imò quæstio quæ semper multum negotij attulit. In Michæa dicebant aliqui: Quid dignum

Mich. 6.

dignum offeram Domino? In Euangelio dicebat populus ad Christum: Quid faciemus vt operemur opera Dei? In Matthæo Christus ab adolescente interrogabatur, quid eum facere oporteret, vt haberet vitam æternam. In Ioanne veniebat Nicodemus tali de causa etiam noctu ad Christum. Ventilatur adhuc inter nos hæc quæstio, sed dissimiliter. Alij ridiculè quærunt: alij Pharisaicè interrogant: alij Christianè percunctantur. Sunt qui putant, si tantùm credant se mandatis Dei opus non habere, in risum conuertunt, si quando audiunt de bonis operibus. Quid facerent opera nostra (inquiunt) quomodo cœlum nobis promererentur? Imò quid boni faceremus nos, qui natura mali sumus? Quomodo mandata Dei seruaremus, qui liberum arbitrium non habemus, cogimúrque facere & sequi, quo nos nostra cupiditas pellicit & trahit? Hi planè ridiculè loquuntur de mandatis Dei & bonis operibus. Contrà verò sunt alij, qui existimant se omnia solis externis operibus efficere posse: similes nimirum Iudæis, & huic Pharisæo. Sunt autem hæc duo contraria. Priores bona opera nihil valere volunt. Hi solis operibus nimium tribuunt. Bonus Christianus scit & scire debet, quòd omni bono & virtuti studere debeamus, nec tamen interim ignorare, omnia opera nostra absque fide nihil esse. Quãobrẽ attendendũ diligenter vnicuiq; est, ne in hac quæstione decipiatur. Quanquam Christus vtrinque præuertit, si obseruare libeat. Nam qui existimant sibi nihil faciendum aliud, quàm credendum, iis silentiũ imponitur, verbo quod Christus dicit: Hoc fac, & viues. Et iterum: Vade, & fac tu similiter. Et alio in loco: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Aliis qui putant se neq; bona facere, neq; mandata Dei seruare posse, respondet Christus in parabola hac de Samaritano & vulnerato. Homo (vult dicere) nõ solũ cõsiderare debes quid Adã per peccatũ in te pdiderit, sed etiã quid ego per fidele meũ obsequiũ & acerbã passionẽ tibi reparauerim. Si potes legere nos, oẽs in primo homine spoliatos & vulneratos esse, lege etiã ꝙ clemẽs Samaritanus vulnera nostra obligarit, & adhuc quotidiè sanet. Ne ergo dicas, te nihil boni facere posse. Hoc deri soribus dictum. Phariseo etiã Christus respõdit hac parabola: imò non illi soli, sed Iudeis in genere, indicans illis homini vulnerato neque sacerdotem, neq; Leuitã, neq; legem Moysi, neque Iudaicum sacerdotiũ succurrere potuisse, &c.

Ioan. 6. *Matth. 19.* *Ioan. 3.* *Non sufficit sola fides.* *Matth. 19.*

Videmus itaq; Christum vbiq; præuenisse, ne quis in hac quæstione labatur. Hoc bono Christiano diligenter obseruandum: videndúmque primò quid Christus apud nos fecerit, quid dederit nobis ac promiserit: gaudendúmque propterea, quòd id videt & audit. Sed interim etiam bono animo ex viua fide, & voluntaria obediētia quærendū, quomodò voluntatē Dei possit perficere, quādoquidem scit, quòd Deus mandata sua seruari velit, & audit nō omnē intraturum in regnum Dei, dicit: Domine, domine. Hoc Christianè quæstionem istá tractare esset. Legisperitus autem hoc ipso perstringitur, quod additū est, Tentās eū: vnde animaduertere licet, non piam sed hypochriticā eius quæstionem fuisse. Mirum tamen nō fuit de Iudaico Pharisæo, de quibus Christus apertè dicit: Omnia opera faciunt, vt videantur ab hominibus. Quid si autem tales etiā inter nos inueniantur, vt apud plerosque nihil aliud sit, quàm hypocrisis, quicquid de Deo, de Christo, de Scriptura, de fide, &c. interrogant & disputant. Vocant Christū dominum suū, cuius tamen vocē & doctrinam sequi nolunt: loquūtur quotidiè & omnibus in locis de Scriptura, nec tamē meliores ex ea vnquā fiunt. Extollunt fidē & Euangeliū verbis: sed contrariū exhibent in operibus & in omni vita. Confitentur Deum & Christum ore, abnegant autē eum operibus. Cōtra tales homines loquitur Deus in Malachia. Si ego dominus vester, vbi timor meus? Si pater ego sum, vbi est honor meus? Et Christus in Euangelio: Quid vocatis me, Domine, domine, & non facitis quæ dico? Atqui verò regnum Dei non consistit in sermone, sed in virtute, vti Paulus ait 1. Cor. 4. Sed audiamus quid Christus Legisperito responsi det. In lege quid scriptū est? quomodò legis? Hîc obserua quod Christus huic Pharisæo nō absolutū dat responsum ad ipsius interrogationem: sciens videlicet eam non ex animo proficisci, quemadmodū etiā in passione regi Herodi responsum nullum dabat, licet multa interrogatus. Sciebat enim ex curiositate quadam id omne fieri. Christus omnium hominum corda perspecta habet, nec opus habet edoceri, quis quilibet sit. Nouit enim quid in homine sit. Non absque causa autem remittit Pharisæum ad legem: siquidem nihil est quòd hypocritæ conscientiam magis tangat, & fictum animum reprehendat, quàm mādata Dei. In Marco similiter legimus, quòd adolescens ad Christum veniebat, humilem sese

Matt. 7. *Matt. 23.* *Hypocritæ quales inter nos sint.* *Tit. 1.* *Mala. 1.* *Luc. 6.* *Luc. 23.* *Ioan. 2.* *Mar. 10.*

sese ostendens, vocans eum bonum magistrum, cupiens scire, quid facere oporteret, vt vitam æternã haberet. Christus eum quoq; remittebat ad legẽ. Quid me dicis bonũ? (inquit) Nemo bonus, nisi vnus Deus. Præcepta nosti, &c. Et quãquam adolescens ille dicebat, se omnia mandata Dei ab ineunte ætate seruasse, deprehendebatur tamẽ pecunias suas & bona plus diligere quàm Deũ: nihil reportabat aliud ex sua interrogatione, quàm ꝙ tristis domum redibat, minus animo quietus quàm antea. Legisperitus pudore coactus respondebat. Non poterat dicere se legem ignorare, quoniam Legisperitum se profitebatur: nec omnino tacere audebat: alioqui omnes falsum eius animum intellexissent, ꝙ dolosè interrogasset. Ideo dicere & enumerare cogebatur, quod eũ omnium maximè condẽnabat, & quod in vita nunquam seruauerat. Sic inuenio in lege (inquit) Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mẽte tua: & proximum tuum sicut teipsum. Hoc illius responsum erat. Benè rectéque responsum. Vtinam semper de spiritualibus & diuinis rebus, animæ nostræ salutem, fidem nostram, & Christianam doctrinam ac pietatem concernentibus, interrogati, tam promptè & aptè respõdere possemus, queadmodum hic iste fecit: quandoquidem Petrus à nobis exigit, vt parati simus cũ modestia & timore, ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe. Hoc Legisperiti respõsum desumptũ est ex quinto libro Moysi. In quo indicatum nobis est, quid Deus potissimùm à nobis requirat, nimirùm charitatem, eam'que geminam, puta erga Deum, & proximum nostrum. At hic obserua, Scripturam non simpliciter dicere, Diliges Deum tuum: sed addere, Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Quippè Deus non vulgarem, sed summum amorem à nobis postulat. Nec est in hoc quòd quisquã vereatur, ne modũ excedat: aliis in rebus excessus fieri potest. Potest quis nimiũ credere, nimiũ sperare, nimiùm esse misericors & iustus, nimiùm seuerus & sapiens. Qui nimiùm & facilè credit, leuis est corde: qui nimiũ sperat, præsumptuosus est: qui nimiũ misericors est, negligens habetur: qui nimiùm iustus est, Tyrannus censetur: qui nimiũ audax, temerarius est: qui nimiũ est sapiẽs, curiosus dicitur: charitas Dei tantummodo nescit modum.

1. Pet. 2.

Deut. 6.

Charitatẽ potissimùm à nobis exigit Deus.

Eccl. 19.

Diligere toto corde. Est igitur sententia huius mandati, perindè quasi dicatur: Sic diliges Deum tuum, vt ille amor erga eum, totā tuam naturam, & omnes vires penetret, occupet & possideat: cor tuū ante omnia Dei meminerit, omnia ad honorē Dei instituat ac dirigat: nihil contra honorē Dei proponat. Deindè vt voluntas tua sese oblectet totā in illo: omnia tua opera, omnes tuas vires, ad implendā Dei volūtatē rapiat & trahat.

Et postremò, vt teipsum penitus & totū illi dedas: primò cor, deindè etiā corpus & omnia mēbra. Atque hic amor Dei, primus & præcipuus fructus Spiritus est, sine quo fides *Gal.5.* mortua est. Et quando homo per fidē videt, quid illi Deus gratiæ & bonitatis exhibuerit, fieri nō potest, quin talē patrē incipiat amare. Tum enī semper in mēte habet Dei virtutē & bonitatē, vt illā sua vita & conuersatione declaret, atque etiam aliis hominibus annunciet. Quemadmodum Dauid dicit: Credidi, propter quod locutus sum: imò *Psal.115.* tum sese conformat ad Dei voluntatem, quicquid in homine est. Quis autem est qui hoc perfectè faciat, & laudabimus eum? Quinimò quàm diu hîc sumus, huic mandato nunquàm perfectè satisfacimus. Semper itaque orādum nobis est: Pater, dimitte nobis debita nostra. Nam sine venialibus culpis vita hæc non transigitur. Amplius dicit lex: Et diliges proximum tuum sicut teipsum. Sumptum hoc mandatum est ex Leuitico, seu tertio libro Mosi. *Leuit.19.* Non sine causa autem Legisperitus iste ad amorē Dei etiam amorem proximi apposuit. Hoc enim mandatum à Deo *1.Ioan.4.* habemus, vt qui diligit Deum, etiam proximum suum diligat. Imò quomodò quis Deum quem non videt, diliget, si confratrem quem videt, non diligit? Idcircò etiam qui dicit se diligere Deum, & odit fratrem suum, mendax est. Verùm obserua hic qualis esse amor debeat. Primò, *Cuiusmodi esse debeat charitas erga proximos.* ex animo proficiscatur oportet. ob id non dicit, Proximum tuum comiter alloqueris, aut iuuabis eum: sed dicit, Diliges eum. Hoc enim verbo comprehēdit id omne, in quo proximus noster ope nostra eget. Sic etiam vult *1.Ioan.3.* Ioānes, vt nos inuicem diligamus non verbis & lingua, sed veritate & opere. Deinde nominat hoc mandatum nullam personam speciatim, sed dicit simpliciter, Diliges proximū tuum. His indicatur nobis, quòd amor noster erga omnes homines sese porrigere debeat sine respectu personarum, queadmodum vnius omnes naturæ sumus, vno aëre

viuimus,

viuimus,& omnes ad vnam beatitudinem vocati sumus.

Postremò addit perfectißimum modum amoris,omnibus notum,Diliges eum sicut teipsum. Nemo se hic excusabit. Quis enim nō sentit quomodo seipsum diligat,quàm diligenter suum commodum quærat, & damnum præuertat ac declinet? Iuxta hanc autem regulam,etiam tuū proximum diliges. Quis non autem videt etiam,quàm longè ab hoc mandato absimus? Et tamē Christiani nominari volumus. Ex his omnibus vides iam,quid Deus potißimùm à nobis requirat:nimirum vt ipsum Deum in primis,deinde & proximum nostrum diligamus. Hoc fac & viues,inquit Christus. Breue verbum,sed certum & verū: quod tamen non solùm huic Legisperito, sed nobis etiam omnibus dictum est.Quia in his duobus charitatis mādatis,vniuersa Lex pēdet & Prophetæ. Vndè & Paulus dicit,in mandato dilectionis cætera mandata instaurari:ait dilectionem esse finem & perfectionē legis. Alioqui multa & innumera sunt mandata,hinc inde præscripta omnibus officiis & negotiis hominum,quid cogitare,loqui,facere, & pati debeant:imò vt vnoquolibet vti membro,vt lingua, corde, oculis,auribus,manibus,pedibus,&c.de quibus multa mādata:ea autem omnia in mandato dilectionis breuißimè & efficacißimè indicata sunt. Hoc enim ex vero prouenit fonte,manus apponit ad verā radicem,nimirum ad cor,ex quo cùm vita tum mors venit. Inter omnia enim opera hominis interna & externa,nihil illi tam intimū est,quàm charitas:nec secretius quicquam in hominis corde. Vbi ergo charitas recta & vera est,nullis amplius opus est mandatis. Quis autem vnquàm ex propriis viribus fecit & impleuit quod mandatum istud exigit? Nostra nāque natura trahit nos semper magis ad amorem nostri ipsorum,prouocat nos magis ad proprium nostrū cōmodū & honorē quærendum,quàm vt nos tales esse sinat,quemadmodum lex Dei docet & iubet. Porrò autem probi omnes & pij homines suæ naturæ prauis affectibus reluctantur,esuriūt & sitiunt iustitiam,tristantur & dolent ob culpas suas,propriámque imbecillitatem. Dicunt cum Sancto Paulo: Infelix ego homo,quis me liberabit de morte corporis huius? Hoc modo qui seipsos agnoscunt,his annuntiatur & dicitur, Deo gratias,qui nobis dedit victoriam per dominum nostrum Iesum Christum,cuius gratia & ope freti diligunt ex ani-

Matt. 22. *Rom. 13.* *Prou. 4.* *Rom. 7.* *1. Cor. 15.*

mo Deũ & proximos suos, & diuinis semper inhærent mãdatis. Deus suã nobis adspiret gratiã, vt & nos ita faciamus.

TERTIVS SERMO DE tertia parte hodierni Euangelij.



VISQVIS hodiernũ istud Euangeliũ cum diligenti attentione audit vel legit, is inuenit in eo omnes cõditiones, fructus & operationes, quas Paulus in cõmune sacrę Scripturæ tribuit, vtpotè consolari, docere, arguere,
Rom.15. erudire in iustitia, vt homo Dei ad omne opus bonũ sit in-
2.Tim 3. structus. Hæc omnia (inquam) inueniuntur in hoc Euãgelio, atque ita, vt qui nullã ex eo consolationẽ sentit, consolari omninò nolit: qui ex eo non discit, discere nolit: quem conscientia sua apud Euangeliũ istud non arguit, argui nolit: qui ex hoc Euangelio ad omne opus bonũ instructus nõ fit, instrui nolit: quæ omnia indicatu facilia sunt. Etenim primò, quid nos Christianos exhilarare iustius & potest & debet, quàm ꝙ Christus dicit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Quid tam triste, tam graue, tam inauspicatum, tam horribile, ꝙ hominẽ Christianũ perturbet, si vnicũ hoc verbũ in mente habeat? Enimuero nullus in hodiernum diẽ populus sub sole est, qui videat & audiat ꝙ nos Christiani videmus & audimus: veteres nũc prætereo. Cõfiteor tibi pater (inquit Christus) quia abscondisti hæc à sapiẽtibus &
Matt.11. prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis. Cõtrà dicit Dauid de o-
Psal.81. mnibus filiis Adæ: Nescierũt, neq; intellexerũt, in tenebris ambulãt, &c. Quid autẽ nos Christiani prę aliis omnib⁹ hominibus videamus, in primo sermone dixi. Quẽ igitur non cõsolatur, is planè cõsolari nõ vult. Sic res cũ altera parte habet: Legat quis totã Scripturã à capite ad calcem, inueniet omnẽ nostrã Christianã doctrinã in sequentibus positam esse rebus. Primò indicat nobis nobilẽ creationẽ hominis. Deinde miserabilẽ illius casum. Tertiò, malitiã diaboli. Quartò, vulnus peccati. Quintò imperfectionẽ legis. Sexto, misericordiam Dei, quæ etiã tum apparebat in multis promissionibus. Hoc docemur nos Christiani ex veteri Te-
Rom.4. stamẽto. In nouo Testamẽto docemur, Christũ venisse, Euãgeliũ prędicasse, pro peccatis nostris mortuũ, & resurrexisse propter iustificationẽ nostrã, in cœlũ ascẽdisse, vt nobis ęternũ pararet locũ, Apostolatũ instituisse, & per Apostolos san-

ctam Christianam Ecclesiam erexisse, ædificasséque, sanctum Spiritum misisse, qui Apostolos simul & Ecclesiam semper conseruet, & præter hæc omnia æternam promisisse mercedem. Hoc docemur in nouo Testamento, eáq; omnia in hodierno Euangelio indicata habemus, & præcipuè in parabola de homine vulnerato, vti postea dicetur. Ergo qui ex hoc Euangelio non discit, is discere non vult. Cum tertio, hoc est, cum correptione itidē res se habet, vt qui circa hoc Euangelium non sentit se argui in sua conscientia, argui nolit. Etenim primò in hoc Euangelio arguuntur omnes curiosi, qui multū disputant & quærunt, nec vnquam tamen emendantur. Secundò, omnes pusillanimes, qui tantum habent solatij, nec tamen agnoscunt. Tertiò, omnes immisericordes, qui suis conchristianis non tantum faciunt, quantum Iudæi & Gentes suis faciunt. Quartò, omnes ignaui pastores, qui vident interitum multarum animarum, attamen prętereūt, nec res illis cordi est. Quintò, omnes falsi Christiani, qui persuasum habent & dicunt, nescire se quid facere debeant, & quis proximus eorum sit: cùm tamen homines quotidiè videant, qui ipsorum auxilio & solatio opus habent. Super his ergo quisque suam interroget conscientiam, inueniet se non in vno tantùm, sed in multis argui ex hoc Euangelio. Postremò quoque seruit nobis Euangelium etiam istud ad erudiendum in iustitia, vt homo ad omne opus bonum instructus sit. Et quæ illa institutio est? Quòd audire nos primò oportet, quid lex à nobis requirat, & circunspicere deinde, vbi fortitudo inuenienda ad faciendum illud. Quid ergo lex requirit? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Et vnde petenda fortitudo id faciendi? Non à nobis, quoniam cecidimus à perfectione, in qua eramus: spoliati sumus, vulnerati, & semimortui. Samaritanus nobis opem ferat necesse est. A Christo primùm omnium gratia & Spiritus accipiendus, tum demum legi satisfacere possumus: sine Christo autem facere possumus nihil. Hæc vocatur & est vera iustitia, vbi fides & charitas concurrunt. Pharisæus fidem viuam in Christum nesciebat. Idcircò etsi rectè indicare poterat, quid lex requireret, legi tamen satisfacere nequibat. A fide viua hominem Christianū incipere oportet, & Christum eiúsque gratiam è supernis accipere, quia lex sola non omnia potest: quemadmodum Paulus prolixè demonstrat in hodierna Epistola. Ex his, opinor, videre quiuis posset,

Curiosi. *Pusillanimes.* *Immisericordes.* *Ignaui pastores.* *Pseudochristiani.* *2. Timo. 3.* *Ioan. 15.*

Euangelium istud omnes in se habere cōditiones quas Paulus sacræ Scripturæ in genere ascribit. Sed audiemus reliqua quoque Euangelij verba. Legisperitus (inquit Lucas) volens iustificare seipsum, dixit ad Christum: Et quis est meus proximus? Bona rursus & Christiana interrogatio, modò non additum esset, Volens iustificare seipsum. Sic igitur perdit Hypocrita iste falso suo corde quod ore bene loquitur, in omnibus rebus humanam tantùm gloriam quærens & laudem: quemadmodum etiam Christus de illo eiúsque similibus loquitur: Omnia sua opera faciunt, vt videantur ab hominibus. Talium hominum omnia plena sunt, qui interrogant & disputant, quis eorum proximus sit, cui charitatis officia præstare debeant: cùm tamen in dies homines videant, qui ipsorum ope & subsidio egeant. Agè ergo, sententiam audi ex Christo, quē pro proximo habere debeas. Homo (inquit) quidam descendebat ab Ierusalē in Iericho, &c. Hæc parabola opus quidem haberet peculiari sermone: imò non vno, sed pluribus, si exactè & ad verbum explicari deberet. Siquidem præter literalem sensum, pulchram etiam allegoriam habet. Sed vno tempore indicare omnia quis potest? Summam huius parabolæ vobis dicam, & occasionem dabo, vt rem ipsi vlteriùs perpendatis. Et primò quantùm ad literam & sensum literalem attinet, docet nos parabola ista, quis proximus noster sit. Mens Christi est, vt vnumquenque pro proximo nostro ducamus, quem nobis Deus obuiā dat, vt ei benefaciamus, quacunque id ex causa fiat. Atqui verò videmus, Deum nobis obuios aliquos dare, & adiūgere vinculo amicitiæ aut sanguinis: aliquos vinculo reip. & communis ciuitatis, societatis aut viciniratis: aliquos ratione nostri officij: aliquos etiam ob necessitatem, quos peculiariter nobis obuios facit ad eorum necessitatem subleuandā, quemadmodum in hoc Euangelio necessitas miseri vulnerati hominis Samaritano aliisque obuia fiebat, & diuiti necessitas afflicti Lazari. Qualitercunque ergo tibi quis datur obuius, siue sit cognatus, conciuis, vicinus, socius, & collega, aut si fortuito quis occurrat: si Christianus es, charitatis officia illi exhibebis pro tua facultate, & secundū quod illius necessitas postulat. Nam si filius Dei es, potes & debes nihil aliud facere quàm bonū, iis quos tibi obuiā dat Deus, siue amici sint, siue inimici. Nam quomodo alij sese erga nos gerunt, nō est nostrū, sed Dei iudicare. Imò etiamsi quis hostili in nos

Luc. 10. *Matth. 23.* *Proximus noster quis sit.* *Luc. 16.* *Rom. 12.*

in nos sit animo, tantò tamen diligētiùs eum beneficiis prouocare debemus, si fortè maleuolentiā illius benefactis vincere possemus, cúmque à pernicioso liuoris veneno contra nos liberare. Nam vt pater ægroto filio diligentius seruit, quàm sano: ita etiam nos diligētiores esse debemus in benefaciendo iis, qui nos oderūt, quò illos ab interitu asseramus, quàm diligentibus nos. Hæc sententia est istius parabolę. Et ob id interrogabat Christus legisperitū, quem ex tribus illis putaret misero sauciato homini proximum fuisse. Tum dixit ille: Arbitror illum fuisse proximum, qui fecit misericordiam in illum. Hoc etiam confirmat Christus illo verbo: Rectè cēses, vade & tu fac similiter. Perindè ac si dicat: Quēadmodum hic Samaritanus miserum vulneratū hominem, etsi ignotum, pro proximo tamen habebat, & charitatis illi officia exhibebat: ita & tu pro proximo tuo agnosces, quicunq; tibi obuiam fit, qui tuo auxilio opus habet, eíque quoad potes subuenies. Hoc (inquam) præcipuum est, quod hæc similitudo nos docet. Prætereà verò indicare etiam nobis Christus voluit, perpaucos homines esse, qui id mandati de charitate proximi impleant. Nam tres illorū videbant hunc semiuiuum, attamen non nisi vnus misertus illius est. Imò quod magis & indignius est, sacerdos & Leuita qui tenebāt legem, prætereuntes miserum desolatum relinquebant. Samaritanus autem Ethnicus & aduena misericordiæ erga eum affectu tangebatur. Per hoc Christus occultè taxare voluit immisericordiam eorum qui primi in populo erant: nimirùm sacerdotum & Leuitarum, quorum plerique sine omni charitate erant, atque ita vt etiam apud Samaritanos & Paganos maior dilectio existeret. Quemadmodum etiam apud nos nullibi minus veræ charitatis inuenitur ac deprehenditur, quàm apud quosdam ex illis qui charitatis officia præstare potissimùm debebant, &c. Hæc sententia est huius parabolæ, quod ad literam & sensum literalem attinet. Iam porrò allegoriam quoque audiemus. Et primò si parabolam hanc spiritualiter intelligere volumus, indicatum nobis in ea est, quomodo & qua ratione homo in talem miseriam & condemnationem inciderit, & qua etiam ratione cū Christus reduxerit. Hierosolyma significat beatitudinē & securitatem, quam habebat homo à creatione sua in Paradiso. Iericho significat infelicitatem & mutabilitatē, in quam homo per peccatum & inobediētiam cecidit. Latrones sunt mali

Pauci diligūt proximos.

Hierosolyma mysticè.

Iericho.

Latrones.

mali ſpiritus, qui hominẽ ad lapſum pertraxerunt, & in ſua
Sacerdos. poteſtate diu detinuerũt. Sacerdos & Leuita qui prçteribãt,
Leuita. ſignificãt legem Moyſi, & Iudaicum Sacerdotium, per quod
Samaritanus. homo liberari non poterat. Samaritanus eſt Chriſtus, qui ſo-
lus hominem lapſum iterum erexit. Sed audi iam quomodo
res geſta omnis ſit. Homo quidã (inquit Chriſtus) deſcen-
Gen.1. debat ab Ieruſalem in Iericho. In primo libro Moyſi hic ho-
mo ſuo nomine appellatus eſt: Chriſtus autem nõ nominat
eum. Nam qui peccato ſeſe dedit, nomen apud Deum nõ ha-
bet: nec quidẽ nomine aliquo & memoria dignus eſt. Quẽ-
admodum Dauid in genere de peccatoribus dicit Pſal. 68.
Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.
Deſcenſus huius hominis ab Hieroſolyma, fuit eius auerſio
à Deo, qua re veram pacem amiſit. Indubiè enim pace exci-
dit, qui peccat. Quemadmodum Iſaias dicit cap. 48. Non eſt
pax impiis. Quò autem homo qui Deum & pacẽ amiſit, ten-
dit, niſi Iericho, in omnem mobilitatem, imò infelicitatem?
Luc.15. Sicuti etiam in filio prodigo videre eſt, qui nullam conſtan-
tem requiem inuenire & habere poterat, donec ad patrem
ſuum rediret: ducebátque mercenarios in domu patris ſui
feliciores, quàm ſeipſum inter peregrinos. Hoc primũ eſt,
quod hac ſimilitudine denotatum eſt. Altera pars indicat,
quid peccatum homini damni attulerit, vbi multa oſtendun-
Peccati nocu- tur. Primò, quòd in latrones ceciderit, & in diaboli manus
menta. venerit. Nam qui ſe à Deo auertit, illicò in diaboli poteſta-
tem venit, qui latro meritò vocatur. Homicida enim iam
Ioan.8. inde ab initio fuit. In huius latronis poteſtatem homo me-
ritò venit, qui Patrem ſuum in cœlis tam fidelem proteruè
deſerit. Quid igitur hic latro, ſimúlq; maligni eius ſpiritus
cum homine à Deo auerſo egerunt? Primò, ſpoliauerunt eũ
atque exuerunt, abſtulerunt ei veſtem innocentiæ, priuaue-
runt eum charitate & gratia Dei, quinetiam omnibus donis
Dei: abſtulerunt ei pacem conſcientiæ, vt nihil ampliùs ha-
Pſal.38. beret quo ignominiã ſuam tegeret: cùm tamen Dauid illos
beatos putet, quorũ tecta ſunt peccata. Secundò, hi latrones
etiam hominem cæciderunt vulnerarúntque. Peccatũ enim
vt gladius anceps eſt, lædit hominem cùm in corpore, tum
in anima. Per peccatum homini ratio obſcurata eſt, volũtas
peruerſa, omnes eius vires debilitatæ, & omnis miſeria, cùm
temporalis, tum ſpiritualis ſuper eum venit. Stipendia enim
Roma.6. peccati, mors. Tertiò, latrones iſti, ſpoliatum, cæſum, ſaucia-
tum,

tum, semiuiuum reliquerunt. Etenim per peccatum amisit vitam animæ suæ, hoc est, Deus corporalem tantùm vitam seruauit, quemadmodum illam etiam in morte relinquere cogebatur. Hæc altera pars est huius similitudinis, nimirùm miseria & egestas, in quam homo lapsus per peccatum est. Illic completum est quod Dauid dicit Psal. 48. Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Tertium in hac similitudine indicatum, est insufficientia Mosaicæ legis, & Iudaici Sacerdotij. Sacerdos similiter & Leuita (inquit Christus) descendebant eadem via, & viso homine præteribant. Lex Moysi iustum facere neminem poterat, nec Iudaica Sacerdotia homini peccata auferre, & Deo reconciliare: quemadmodum id Paulus prolixè indicat in Epistola ad Hebræos. *Heb.8.9.* Vnde homini, nisi Deus subuenisset, pereundum & desperandum fuisset. Hæc tertia pars est istius similitudinis.

Quartum & pręcipuum est, quid Christus erga hominem fecerit. *Ioan.8.* Hic significatus est per Samaritanum: sic enim Iudęi eum nominabant. Et quidem etiam veram huius nominis significationē habebat, vt qui verus noster pastor & custos *Psal.120.* est, qui introitum nostrum & exitum custodit. Hic Christus item viam iuit de Hierosolyma Iericho versus, de cœlo in terras venit, sed tamen in latrones non incidit per peccatū: *1.Pet.2.* quia peccatum nullum fecit, nec dolus inuentus in ore eius. Quemadmodum etiam ipse dicit: Ioan. 14. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Secundò, non solùm Christus hanc iuit viam, sed etiam ad nos venit: quin etiam naturam nostram assumpsit. Hæc duo Ioannes pulchris indicat verbis, quomodo Christus ita de longinquo ad nos venerit. *Ioan.1.* In principio (inquit) erat Verbum, &c. Et posteà: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, &c. Tertiò, misericordia motus est: quippè non ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed ex misericordia sua saluos nos fecit. *Tit.3.* Quartò, alligauit vulnera eius. Pertransiit enim benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo. Quintò, vino & oleo ad id vsus est. *Act.10.* Dum dicit: Pœnitemini & credite Euangelio, Pœnitentia vinum acre est, Euangelium mite & lene oleum est. *Mar.1.* Sextò, iumento suo domum nos reuexit. Pertulit enim peccata nostra in corpore suo super lignum, 1. Petri 2. Septimò, duxit nos in stabulum. Per talia enim media tātóq; labore & molestia, duxit nos in sanctam

Christia

Christianam Ecclesiam, & congregationem fidelium & electorum, vt iam consortes & cohęredes illorum simus, & populus Dei, qui aliquando non populus Dei eramus. Octauò, adhuc nostri curam habet: siquidem nobiscum est vsque ad consummationem seculi, vt ait ipse Matth. 28. Nonò, suis seruis in mandatis quoque dedit, vt nos conseruent, nobisque ministrent, & duos denarios impendendos dedit. Etenim post resurrectionem suam Apostolis suis mandauit,
Ephe. 3. 1. Pet. 2. Mar. 16. vt prædicarent, & peccata dimitterent: imò vt prædicarent & baptizarent, & Sacramenta administrarent. Postremò etiã mercedẽ illis promisit, vt Paulus dicit 2. Tim. 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die Dominus, iustus iudex, &c. Hic vides in parabola ista seu similitudine, totum negotium indicatum esse, qualis homini fuerit tẽporũ cursus à creatione eius vsque nũc. Hoc considera diligẽter, & habebis semper gratias agendi, Deúmq; & Christũ laudẽdi, timẽdi, & toto corde diligẽdi materiam.

QVARTVS SERMO DE Euangelio in genere.



HODIERNVM istud Euangeliũ omnibus modis ita consolatoriũ est, & amplum in verbis simul & intellectu, vt rectè veréque de illo
Baruch. 4. possim dicere cum Propheta Baruch: Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum: omnes qui tenẽt eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerũt eam, ad mortẽ. Cõuertere Iacob, & apprehẽde eam, ambula per viã ad splendorẽ eius contra lumẽ eius. Ne
Prou. 9. tradas alteri gloriã tuam, & dignitatẽ tuã genti alienę. Beati sumus Israël: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Talia verba si Baruch potuit dicere ad Iudæos suos, iustiùs ego dicere possum de nobis Christianis. Si Iudæi hoc nomine dicuntur beati, quòd voluntatem Dei per Mosen cognouissent, qui tamen seruus erat: multò iustiùs nos Christia-
Hier. 3. ni vocamur beati, qui voluntatem Dei per Christum filium Dei cognouimus. In hoc autem res omnis cõsistit, vt doctrinã Christi toto corde acceptemus & exequamur; & ne quod nobis singulari ex gratia manifestatum, imò quòd gloria nostra, vita & salus est, à nobis ad alios homines redire patiamur. Hoc nõ sine causa dico initio huius sermonis: siquidem

dem studium meum eò conferre libenter velim, vt omnes Christiani homines, Dominicalia Euangelia magnifacerēt, quemadmodum certè magni fieri debent, id quod cumprimis palàm fit in hodierno Euangelio. Annon enim res magna est, quòd Christus initio statim tam consolatoriè Apostolos suos alloquitur? Vel vnum illud verbum meritò hominem vnumquenque ita mouere debebat, vt aliis rebus omnibus è mente eiectis, omne suum solatium in hoc verbo quærat. Agè quoniam propterea hîc sumus, vt Euangelium Christi audiamus, paucis vobis exponam quid Euangelium istud in se habeat. De tribus rebus loquitur Christus in hoc Euangelio. Primùm concernit fidem, alterum amorem Dei, & tertium amorem proximi. Hæc tria scire vnumquenque Christianum oportet. Atque cumprimis obseruandum, quòd hæc adeò tria ita in hoc Euangelio posita sunt, vt iustus ordo postulat. Nam in omnibus artibus plurimum refert, vt legitimo ordine omnia tradantur. Atqui certum est, nos nihil rectè de charitate Dei & proximi discere posse, nisi doceatur prius fides & cognitio Dei. Nihil enim volitum, nisi prius cognitū, aiūt Philosophi: & verum est. Nam quomodo Deus diligi & inuocari potest, si non sit notus? Sic etiam rectè nihil disci potest de charitate proximi, nisi doceatur prius charitas Dei. Itaque in hoc Euangelio vera obseruata forma est. Etenim primò loquitur Christus ad sanctos Apostolos, tanquàm ad credentes: sed facit id planè consolatoriis verbis & amicabilibus gestibus, Sic enim dicit Lucas ante hoc Euangelium: Cùm Christus misisset suos discipulos primùm prædicare, & ipsi cum pace reuerterentur, dicebant inter reliqua, quòd etiam dæmonia in nomine Christi ipsis parērent. Christus sublatis in cœlum oculis, dixit: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quòd abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, &c. Deindè conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Vide, tam consolatoriis gestibus & verbis vtitur Christus in hoc sermone: & quem non consolaretur? Quis talem doctorem non libenter habeat & audiat? Sancti Apostoli antea simplices erant & indocti homines, nunc autem longè omnibus mundi sapientibus anteponuntur in salutari scientia & cognitione: Antea pauperes erant, nunc beati vocantur. Tam facilè in schola Christi scientia &

Tria scitu necessaria.

1.

Rom.10.

Luc.10.

Matth.11.

diuitiæ acquiruntur. In mundo hæc duo magno labore cō-parantur: imò etiamsi diu & magno labore in mundo scientia & diuitiæ quæruntur, vera tamē ars & diuitiæ non sunt, sed species tantummodo, pro qua apud Christum vera scientia & diuitiæ etiam paruo labore & sumptu inueniuntur.

Prou. 8. Mecum (inquit sapientia Dei, quæ Christus est) sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Meum est consilium & æquitas: mea est prudentia, mea fortitudo. Melior est fructus meus auro & lapide pretioso: in viis iustitiæ ambulo, *In cæcitatem nostram.* in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. Infelices igitur nos Adæ filij, qui *Hie. 2.* non verum fontem omnium bonorum quærimus, & cisternas tantùm sequimur, quæ bonam aquam non habent. Sed de hoc aliàs. Vult ergo nobis Christus verbo isto primo ostendere virtutē & operationem viuæ fidei, quā nos Christiani habere debemus. Primò nanq;, quantumuis contemptus & humilis es, facit tamē te fides viua clarum & maiorem coram Deo, quàm omnes tuæ diuitiæ, fastus & pompa huius mundi facere possent. Huius vides exemplum in mē-*Luc. 16.* dico Lazaro, qui neque bona habebat, neque honores in terris coram hominibus: sed ob fidem & pietatem, eam apud Deum existimationem habuit, vt illi etiam angeli in morte eius ministrarent. Contrà, quantumcunq; diues bonorum & fortunæ habebat, vsque adeò tamen nullius apud Deum existimationis erat, vt nec nomen coram illo haberet.

Secundò, facit & dat tibi fides viua oculos tam claros, vt videre poßis quod infidelium nemo videt. Quemadmodum *Dan. 9.* sanctus Daniel tempus Christi ita exactè videbat, vt etiam annorum numerum indicaret. Et Sanctus Stephanus Act. 7. etiam in terris cœlum videbat apertum. Et beatus Ioannes in sua Apocalypsi totum statum & conditionem Ecclesiæ videbat, ab initio vsq; ad finem mundi, &c. Hoc facit fides: tales dat oculos, de quo in primo sermone fusius dictum.

Tertiò, facit quoq; fides viua hominem beatum, faciendo eum participem omnium bonorum Christi. Tantò pluris fidem rectam facere debemus: tantò firmius ei inhærere, & tantò minus ab ea desciscere. Deinde etiam debet nobis primum istud verbum Christi, corda nostra confirmare contra omnem pusillanimitatem. Nam quid iustè queri possumus de multiplici afflictione huius vitæ, quando tanta bona diuinitus iam accepimus & accipimus?

Præcip

Præcipuè autem nos primùm istud verbum commonefacere debet nostræ vocationis, vt vicissim magna præstemus, qui tam magna accepimus. Obsecro vos (inquit Paulus) vt digne ambuletis vocatione vestra. Et Ioannes: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Et Petrus: Quoniam omnia quæ ad pietatem, nobis donata sunt, &c. curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem, &c. Tantum de eo, quod Christus in hoc Euangelio ad discipulos suos loquitur. Deindè & secundò, loquitur Christus etiam ad Legisperitum in hoc Euangelio, & non semel, sed bis. Etenim primò remittit eum ad scripturam & legem: deindè etiam facere eum iubet quod charitatis lex postulat. Hoc, inquit, fac & viues. Sunt autem hæc duo digna obseruatu. Primò nanq; videmus omnes eos reprehensione dignos esse coram Deo, qui quod pridem & ante omnia scire, quin etiam fecisse debuerant, nunc primùm percunctari volunt, ídque ex curiositate magis, quàm ex bono animo, quemadmodum Pharisæus hîc facit. Quid faciendo (inquit) vitam æternam possidebo? Christus autem nullum ei dabat aliud respõsum, quàm quod dicebat, In lege quid scriptum est? quomodo legis? Quasi dicat: Nunc primùm interrogas quid te facere oporteat? quãtum igitur audio, nihil antehac boni fecisti. Totiésne ergo sacram Scripturam frustrà legisti & audiuisti? Quid igitur Israëlitam, imò Legisperitum te profiteris? Dux cæcorum esse vis, lux eorum qui in tenebris sunt, doctor idiotarum, & iamprimum quæris quid faciendum sit? Hoc obseruare ij debent, qui ad ætatẽ adultam peruenêre, nec dum tamen sciunt prima & præcipua capita Christianæ doctrinæ, imò nec discere volunt. Num tales homines Christiani vocandi? Nequaquã. Vt non est opifex dicendus, qui de opificio nihil scit: ita Christianus dici non debet, qui nescit, quid ad Christianum pertineat. Deindè etiam in hac altera parte istius Euangelij obseruandum, ꝙ Christus Pharisæũ ad Scripturã & legẽ remittit. Illic enim quærẽdũ est, & accipiendũ, quod fides & Christiana doctrina postulat ac continet. Ex sacra Scriptura (inquam) discere nos oportet quid credendũ, faciendũ, sperandũ, metuendũ,

Ephe. 4.
1. Ioan. 3.
2. Pet. 1.
Rom. 12.
In eos qui discere negligũt scitu necessaria.

2.Tim.3. fugiendũ & acceptandũ sit. Omnis enim Scriptura (inquit Paulus) diuinitus inspirata, vtilis est ad docendũ, ad arguendum, ad corrigendũ, ad erudiendũ in iustitia, vt perfectus sit
Ioan.5. homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Eam etiam ob
Esa.8. rem dicit Christus vt scrutemur Scripturas. Et Isaias: Cùm dixerint ad vos: Quærite à Pythonibus, & à diuinis qui strident in incantationibus suis, respondete illis: Nunquid non populus à Deo suo requiret visionẽ pro viuis ac mortuis? Ad legem magis & ad testimoniũ. Quòd si non dixerint iuxta verbũ hoc, non erit eis matutina lux. Et transibit per eam,
2.Pet.1. corruet & esuriet, &c. In hunc etiam modum dicit Petrus: Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris. Inquis: Nunquid sufficit vt Scripturã amplectar, & ex ea discã, quid ad Christianũ pertineat? Respõsum. Minimè, Christus non simpliciter nos remittit ad Scripturam, sed addit, Hoc fac & viues. Rogas quid igitur faciendũ sit? Respondetur, Deus diligendus. Hic primus fructus est, quẽ in fide nostra afferre debemus, si modo vera fides est. Hunc enim fructũ nisi adferamus, fides nostra mortua est, vti S. Iacobus dicit cap.2. Hoc (inquã) est, quod post fidẽ & cognitionẽ Dei, ante omnia discere nos oportet, atq; ita discere, vt etiã opere declaremus. Et hoc qui ex Scriptura non discit, nihil sanè didicit: quia præcipuum in omni Scriptura præteriit. Sic

Quid faciendum Christiano.

Deut.10. enim dicit Moyses, cùm populo suo legẽ de nouo tradebat, & præterea omnia beneficia Dei enumerabat, Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominũ Deũ tuũ, & diligas eũ in toto corde tuo, & in tota anima tua, &c. Hoc qui opere ipso nõ præstat, frustrà credit, & Scripturã frustrà legit. Deus postulat post fidẽ etiã charitatẽ à nobis. Et vbi vera fides & cognitio Dei est, sequitur haud dubiè etiam charitas. Quis enim non diligeret eum, quem tam humanum & beneficũ sentit? Attamẽ requirit etiã Deus à nobis non quãlibet charitatem, sed qua illũ præ omnibus
Luc.10. amemus. Diliges (inquit) Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Et quidem multis argumentis amoris de nobis meritus est, vt illius amorẽ pluris faciamus: nec vlla creatura nobis tã clara esse debeat, quę ab eo nos impediat. Sed vide iã, quid vetus Adã noster faciat. Scit, quã multũ & quantũ à Deo acceperit: scit etiã

etiá quid Deo vicissim debeat:& tamē non facit id:imò pro bono retribuit Deo suo malum,quēadmodū olim Moses de populo suo querebatur, &c.Quis autem populus Deū suum tam contumeliosè habuit,sicuti nos Christiani Deū nostrū habemus? Quis populus Deum suum vnquá ita blasphemauit,vti nos Christiani facimus? Apud Turcas nemo impunè fert,qui impium illum condemnatúmque Machometum cōuiciatur,aut contra legem eius facit. Apud Iudæos in Deum blasphemus sine omni misericordia interficiebatur. Apud nos Christianos haud fas est principi quantūuis crudeli obtrectare. At nemo est qui Dei contumeliam & blasphemiam vlciscatur. Num verò hoc Christianè actum? Transite(inquit Hier.cap.2.)ad insulas Cethim, & videte si factū est eiuscemodi. Si mutáuit gens Deos suos:populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum. Quare audiamus Christum, in eo verbo vbi ait,Hoc fac & viues. Sed loquitur ibi de dilectione Dei. Satis per id indicatum , quòd qui illud non facit,non viuet. Hoc alterum est quod in hoc Euangelio cōsiderandum habèmus. Tertiò, loquitur Christus adhuc semel ad Legisperitū de dilectione proximi. Ná hoc etiam vnum ex iis est,quæ ex Scriptura nos discere oportet. Imò primū est & proximū,quod post fidē & dilectionē Dei , nos re ipsa demonstrare debemus. Eámq; ob causam ea nec separari debent. Hoc mandatū(inquit Ioannes)habemus à Deo, vt qui diligit Deum,diligat & fratrē suum. Imò nemo potest Deū diligere,quē non videt,qui fratrē suum nō diligit, quē videt. Nec potest charitas Dei in illo esse, qui videt fratrem suū necesse habere,& claudit viscera sua ab eo. Sed hîc rursum Adá noster curiosus est : interrogare nunc primùm cū Legisperito vult & disputare,quis proximus sit,& cui benefacere teneatur , quasi non quotidiè homines ob oculos videat,qui auxilio eius egeant. Verùm,proximū suū agnoscere non vult. Siquidem inueniuntur qui sanguine iunctos tantùm pro suis proximis habēt. Alij vicinos tantū suos & cōciues pro proximis suis ducūt,alienigenas nihil ad se pertinere arbitrátes. Tu verò Christiane,scire debes,ꝙ vnusquisq; homo,qui tuo auxilio opus habet,& quem tibi Deus obuiam dat, tuus proximus sit , siue amicus sit , siue inimicus,siue incola,siue aduena. Hoc subindicat similitudo quá Christus in isto Euangelio dat. Non est itaq; quòd multum interroges quis tuus proximus sit, vbiq; eū inuenis , in do-

Deut.32. *Christianorum erga Deum ingratitudo.* *Deut.24.* *1.Ioan.4.* *1.Ioan. 3.* *Proximus noster quis sit.*

mu tua, in plateis, in agro, in templo, in foro, &c. Tãtummodò caue ne prætereas, quemadmodùm sacerdos & Leuita fecêre, sed consiste cum Samaritano, & opitulare pro virili. Hoc poscit Deus, iubens nos proximum nostrum diligere sicut nos ipsos. At vide nunc, quàm nihil horum in nobis conspiciatur. Nemo agnoscit proximũ suum. Omnia vincula amoris, quæ conglutinare nos & conseruare debebant, iam dudum rũpta sunt, ita vt etiam fratres & sanguinis propinquitate iunctos, quin etiam parẽtes nostros non agnoscamus ampliùs quandoque in necessitate cõstitutos, tantũ abest vt alienos & ignotos pro nostris proximis agnoscceremus. Omnes quæ sua sunt quærunt, nemo alterũ curat. A minimo ad maximum vsque omnes sequũtur auaritiã. Alius alium odit & inuidia prosequitur. Alius aliũ lædit. Imò non tantùm proximo nostro nullũ exhibemus auxilium, sed varia etiã insuper incommoda inferimus. Et tamen Christianos nos ipsi cẽsemus. At Samaritanus in hodierno Euangelio sic non fecit: imò nec Christus, qui in Samaritano designatus est: nobiscum sic fecit, sed pro proximis nostris nos agnouit, cùm adhuc inimici essemus, cõpassionem nobiscum habuit: nec quicquam intermisit, donec nobis succursum est. Hoc fratres consideremus, nimirum quantum boni à Deo consecuti simus. Diligamus Deũ, quoniam ille prior dilexit nos. Diligamus etiã proximum nostrum propter Deum. Si proximus tuus de te non meritus est, vt ei benefacias, at certè Dominus & Deus tuus de te meritus est, & is tibi quoque mercedem tuam dabit. Dicit enim, quicquid vni ex suis fiat, id sibi fieri. Deus faxit, vt hæc consideremus atque etiã opere præstemus, Amen.

Phil. 2. *Hiere. 5.* *Rom. 5.* *1. Ioan. 4.* *Matt. 25.*

QVINTVS SERMO DE Euangelio & Epistola.



PROXIME præterita Dominica habebamus Euangelium, in quo Christus pauca, imò non plura quã duo loquebatur verba, sed magna faciebat expediebátque: nunc autem in hoc Euãgelio Christus nullũ facit miraculũ, sed loquitur tãtùm non pauca, sed multa verba, attamẽ nõ vniusmodi, nec ad vnũ hominẽ solùm. Principiò nanque loquitur ad suos discipulos: deindè ad legisperitũ: postremò commemorat similitudinem in genere, quæ ad omnes

homines

homines pariter spectat. Et quidem ad suos discipulos cõsolatoria loquitur verba, ad populum autem parabolam: siquidem parabolis illi trahendi sunt, quoniam non datum est illis nosse mysteria regni Dei, cum sanctis Apostolis, neque cum Legisperito Scripturam legere & intelligere. Hunc triplicem sermonem, quem Christus in hoc Euangelio facit, si diligenter consideraremus, inuenturus quiuis esset, quod ad ipsum pertineat. Etenim in sancta Christianitate tria hominum inueniuntur genera. Primi ardentes planè sunt in fide & charitate, & industrij ad bona opera, quales sancti Apostoli erant. Ad hos dicit Christus, Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Certum & verum verbum. Tales enim homines vident & agnoscunt Deum & se ipsos. Quapropter beati meritò dicuntur. Nam qui Dei potentiam rectè videt, Deum certè etiam timebit, quemadmodum Christus docet: Timete eum (inquit) qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Qui Dei sapientiã videt & agnoscit, nimirùm quòd omnia videt & nouit, is tantò magis à peccatis cauebit. Qui Dei gratiã & misericordiam videt, semper in illũ religiosam fiduciã & spem habebit bonam. Porrò qui suam miseriã videt & agnoscit, semper humilis manebit. Verè ergò talis homo beatus est, qui hoc modo Deum & seipsum agnoscit. Timet enim Deum, vitat peccatum, sperat in Deum, & semper manet apud seipsum humilis & religiosus. Hi autem in Scriptura beati nominantur. Beatus vir qui timet Dominum, inquit Dauid. Et iterum Psal. 1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Et iterum Psal. 33. Beatus vir qui sperat in Deo. Dicit item Sapiens: Beatus homo qui semper est pauidus. Hoc Apostolis dictũ.

Luc. 8.

Triplex hominum genus.

Matt. 10.

Esa. 111.

Prou. 28.

Sunt deindè & alij homines inter nos Legisperito similes, hoc est, sunt hypocritæ quidam: omnia faciunt in specie & simulatè, non ex animo: seipsos iustos gloriãtur & iactitant. Hos remittit Christus ad legẽ. Nec humiliari meliùs possunt, quã si illis lex & mandata Dei ob oculos ponãtur, & maximè duo mãdata charitatis. Per hæc enim cõuinci possunt, ꝙ ex seipsis peccatores sunt. Per legem enim fit cognitio peccati. Et qui nõ credit se peccatorẽ esse, is cõtẽpletur seipsum in speculo diuinorũ mandatorũ, sentiet imperfectionẽ suam. Ideò dicit Christus ad legisperitum & eius similes; In lege quid scriptum est? Tales homines meliori

Roma. 7.

doctrina digni nō sunt, quā vt inculcentur illis mādata Dei, quò se ipsos discant cognoscere, & omni quidē studere pietati: sed non ob vanam gloriā, nec inde iactare sese. Tertiò, sunt alij præterea homines inter nos, qui neque perfecti sunt neque ficti, sed medij: imò neque frigidi neque calidi. Vulgus est: ad hos peculiariter pertinet parabola de homine qui in latrones inciderat, &c. Ex illa enim vna similitudine discere poterunt & videre, quomodò in peccatum cadamus, quid damni peccatum nobis afferat, & vt ex eo iterum emergere debeamus. In peccatum incidimus, quandò oculos nostros & cor vertimus ab Hierosolyma versus Ierico, à Deo ad mundum, à rebus cœlestibus ad terrena & tēporalia. Damnum verò quod nobis ex peccato venit, est, q omni bono spoliamur quod vel habuimus, vel adhuc habere possemus. Secūdò, q vulneramur: quò enim sæpiùs peccamus, hòc debiliores sumus ad resistendum peccato. Tertiò, amittimus vitā animæ, seruamus tantūmodò vitam corporis: sumus hoc pacto & iacemus semiuiui. Cæterùm qui nos è peccatis eripit & liberat, est Deus, per Christum Dominum nostrum & Ecclesiæ sacramenta. Is opitulatur nobis hunc in modum. Primò miseretur nostri: deindè accedit ad nos. Tertiò infundit vinum in vulnera nostra, hoc est, incutit nobis timorem & cordis compunctionē. Quartò vtitur oleo, indit nobis spem & emendandi firmum propositum. Quintò, imponit nos iumēto suo, suo corpori per viuam fidem. Sextò, ducit nos in diuersorium, incorporat nos communioni omnium Christianorum. Atque tum per suos Apostolos & prædicatores atque Ecclesiæ ministros, suo verbo & Sacramentis perfectè nos sanat. Ea autem omnia eiusmodi sunt, quæ scire omnes Christianos decet. Et hæc dicta paucis sufficerent de illo Euangelio. Sed paulò plura de Legisperito duabus'que eius quæstionibus dicenda sunt. Non quidem serio rem agebat, quantumuis seriò se id agere simulabat: quia tentabat Christum. Nobis autem in eo aliquid situm est. Et primò, si Euangelia passim perquiramus, non inuenimus homines, quibuscū Christus plus negotij habuit & tamen minus effecit, quàm Pharisæos falso iustos. Alij homines, etiam Publicani, Samaritani & Chananæi, audiebant Christum summa diligentia, admirabantur eius doctrinam, credebant & obtemperabant illi: gaudebant & Deum laudabant, quòd

Apoca. 3.

In peccatū vt incidamus.

talem

talem ipsis doctorem dedisset: & eius verbis compuncti, relictis vitiis, toto corde ad Deum se conuertebant. At Pharisæi contradicebant illi, & multis eum solicitabant quæstionibus, quarum tamen illis nulla ex animo proficiscebatur, nec ex eo discere quicquam cupiebant. Quantumcunque itaque Christus illis respondebat, nihil tamen proficiebat. Eius rei exemplum habes in isto Euangelio. Vnum verbum Christus initio istius Euangelij locutus erat, quo Sancti Apostoli & discipuli benè contenti erant. Pharisæus autem illo neglecto, duas alias quæstiones proferebat, quæ bonam quidem speciem præ se ferebant, sed nulla illi cordi erat. Vndè etiam Christus ei non absolutè respondet, sed ad legis & Scripturæ lectionem eum amandat. Prætereà similitudinem illi dicebat, ex qua (si voluisset) facilè videre potuisset, sibi ad vtramque quæstionem satis responsum fuisse. Exemplum illi (inquam) ob oculos ponebat, in quo videre simul poterat, quis suus proximus in terris, & Seruator in cœlis esset. Scire vis hypocrita (vult dicere) quis proximus tuus sit? Non est quòd ad amicos & cognatos tuos respicias: sed ita te constitutũ esse oportet, sicut Samaritanus iste erat. Is iter faciens fortè inuenit hominem vulneratum: & quanquam sciebat ac videbat eum alterius esse gentis ac fidei, accedebat tamẽ, ceu fratri omnia illi exhibebat charitatis officia. Similiter & tu fac. Si quis tibi occurrit, opem tuam implorans, siue notus sit, siue ignotus, dominus aut seruus, amicus aut inimicus, &c. scito eum proximum tuum esse, cui benefacere obligatus es. Hæc ad vltimam tuam quæstionem responsa sint. Scire deinde etiam desideras, quandoquidem tam arroganter quæris, quid te facere oporteat, vt vitam æternam consequare? scire vis (inquam) num vires tuæ sufficiant tibi ad vitam æternam? Hunc vulneratum hominem inspice. Quis eum sanauit? Nunquid seipsum curauit? Minimè verò. In periculum se ipse dare & coniicere poterat, sed ipse sese eripere non valebat. Quis illi igitur auxiliatus est? Num sacerdos, aut Leuita, aut alius quispiam ex suo populo ei opem tulit? Non. Alienigena id fecit, & gratuitò, quia vulneratus homo non fuerat de ipso meritus: & iustiorem transeundi causam habuisset, quàm sacerdos & Leuita, nisi eũ sola charitas & cõpassio traxisset. Sic tecũ etiã & cũ omnibus hominibus actum est, & adhuc agitur. Vosipsos in peccatum, & deinceps in periculum mor-

Proximi loco quis habēdus.

tís & cōdemnationis coniicere, sed non iterum eripere potestis. Vndè ergo salutem habetis? Non ex vobiſipsis, neque ex lege Moysi, neque ex Iudaico sacerdotio. Venit quidem Moyses cum sua lege, & Aaron cum suo sacerdotio ad lapsum hominem: viderunt eius miseriam, sed curare illum non potuerunt. Alienigena de longinquo veniens, hoc perficere debebat: & talis, qui vestri non egebat, & de quo meriti non eratis: imò qui iustiùs irasci vobis, quàm compati potuisset. Is de longinquo venit vestra causa: nimirùm ex cœlo, & iam inter vos est, iam pridem incœpit vulnerato humano generi suppetias ferre: quotidiè ei infundit in vulnus oleum Euangelicæ gratiæ seu prædicationis, & vinum asperum diuini iudicij. Est'que eius propositum, quòd vulneratum hominem super humeros suos, hoc est, peccata hominum in se suscipere velit, eáque in suo corpore in cruce expiare, vos'que hoc modo ad locum perducere, vbi perfectam consequi sanitatem posſitis. Hoc vbi fuerit factum & expeditum, redibit vnde venit: suis seruis mandabit, vt vestri curam gerant: necessaria illis ad eam rem dabit, nimirùm gratiam suam, Spiritum suum, verbum suum, sacramenta sua, & bonum paratúmque animum vobis inseruiendi. Hic est & erit, cui vestram salutem transcribere debetis. Et quanquam nunc eum agnoscere non vultis, hoc tibi tamen confirmo, quod te neque opera legis, neque lex tua saluum facere poterit. Ille tibi auxilietur oportet, aut periisti æternùm. Ille etiam est, quem multi Reges & Prophetæ videre & audire cupiuerunt, neque tamen viderunt aut audiuerunt: vos hæc duo habere poteratis, sed non vultis. Idcircò pereundum vobis est, nisi resipueritis. Contrà, beati oculi sunt qui eum nunc vident, & qui postmodū in eum credent, licet eum non videant. Hic vide, quàm pulchrè Christus legisperito hac similitudine nō solū indicauit, quis proximus eius sit, sed etiā quis præcipuus modus sit iustificationis nostræ & salutis. Etenim hac in parte Iudæi crasſè errabant, dū legi suæ iustificationē tribuebant, quā tamen principaliter gratia Dei p Christū effusa, in nobis operatur. Quēadmodū igitur Christus in hodierno Euāgelio de iustificatione & salute hominis loquitur, ita etiā de ea Paulus scribit in hodierna Epistola. Quia in annūtiatiōe diuinę gratiæ per Christū, idē cōtradicēdi ptinax studiū Iudæorū sentiebat

Lex Moysi & sacerdotiū legale nō sufficerūt curādis vulneribus nostris.

1. Pet. 2.

Christus quæ suæ ecclesiæ reliquerit.

Ioan. 20.

Tit. 3.

quod

quòd Christus ipse senserat. Cæci homines Dei gratiam agnoscere nolebant. Moysen non solùm æquiparabant, sed longè etiam anteponebant Christo. Non sufficiebat illis *Act.15.*
Euangelium ad salutem sine obseruatione legis Mosi. Ideóque initio Christianitatis volebant Gentes ad legem Mosi & circuncisionem cogere. Sed hoc Paulus ferre nolebat. Etenim detrahebat hæc res non parum Dei gratiæ, & imminuebat meritum Christi, perindè ac si mors eius & sanguinis effusio peccata nostra non possent tollere: aut quasi legis opera tantum valere deberent, quantum opera & merita Christi. Quapropter Paulus in hodierna Epistola seriò loquitur contra eiusmodi blasphemiam Dei, & euidenter probat cùm Iudæos tum Gentes sine respectu præcedentium suorum operum, gratuitò per Christum ad adoptionem filiorum Dei receptos esse: idque Iudæos non per legem & circuncisionem consecutos, nihilo magis, quàm Gentes ob antecedentia crimina sua à tali gratia exclusę fuerunt. Secundum hominem dico (inquit) scitis quòd hominis confir- *Gal.3.*
matum testamentum nemo spernit aut superordinat: quomodo igitur testamentum Dei superordinare audetis? Deus testamentum fecit cùm Abraham, & extremam suam voluntatem ei indicauit: nimirùm vt in semine eius, qui Christus *Gene.12.*
est, omnes populi benedictionem consequerentur. Hoc liberè promisit, sine vlla mentione legis & circuncisionis: quinetiam viginti quatuor annis ante quàm ei circuncisionem, quadringentis autem & triginta annis priusquam posteris eius legem dabat. Atqui neque circuncisio, neque *Gal.3.*
lex, quæ vtraque longo pòst tempore venêre, eiusmodi promissa Dei tollere & antiquare potuerunt. Aut si promissio Dei sublata est, vos Iudæi docete, vbi scriptum sit. Quòd si non potestis, ego vobis monstrabo, quòd Deus benedictionem per Christum gratuitò planè promisit, voluítque per hoc significare magnitudinem misericordiæ suæ. Qui igitur dicere non verecundamini, nullum hominem benedictionis per semen Abrahæ participem esse posse, nisi circuncisionem habeat, & legem veterem seruet, cùm tamen Deus in promissione sua harum non meminerit? Annon autem hoc est Dei testamentum infringere, & gratiæ eius detrahere? Etsi hoc vrgetis necessariò hoc consequi oportere, alioqui legem inanem esse & frustraneam: respondeo, Non. Lex propterea frustrà data non est, licet hominem per se non iustifi

Gal.3. stificet. Fuit enim veluti pædagogus: homines carnales in
Roma.7. metu disciplina continuit, donec semen promissum veniret: hominibúsque peccata eorum indicauit, quò futurum Seruatorem cupidiùs acciperent. Et quanquam Euangelica nostra doctrina hoc habet, quòd lex sit antiquata & mortua, non tamen sequitur indè, legem contra promissionem Dei esse: sed solùm, æquum esse, vt coruscante luce, cesset vmbra. Hæc hodierna fuit Epistola, veruntámen magis iuxta sensum, quàm iuxta literam. Vult ergo Paulus, nos iam indè ab initio gratuitò ad Euangelicam gratiam accitos esse, & nos etiam adhuc quotiescunque nobis peccata dimittuntur, potissimùm Christo transcribere debere. Attamen monet nos Paulus indidem, ne ob id dicamus: Quid igitur lex? Quantum ergo audio, opera nostra ad nihil prosunt, & necessaria sunt: imò opera nostra & fides non patiuntur seinuicem. Non: nequaquam hæc sententia est. Siquidem certum est ex sacra Scriptura, peccata deflere, confiteri, orare, ieiunare, eleemosynas dare, proximó dimittere, &c. quæ tamen opera nostra sunt, plurimùm eò facere, vt peccata nobis dimittantur. Sed hoc talia opera potissimum habent ex passione & merito Christi: alioquī nihil prodessent ad beatitudinem, ni Christus mortuus fuisset: imò nec nunc prosunt quicquam sine fide, vt videmus in Iudæis, Gentibus & hæreticis. Cæterùm si in vera fide fiant, & ex charitate proficiscantur, certè etiam ad iustificationem faciunt. Qua
Luc.6. quidem etiam de causa Christus docet, vt dimittamus, & fore vt dimittatur nobis: vt petamus, fore vt detur nobis. Et
Act.2.& 3. Petrus: Pœnitentiam agite, & accipietis remissionem peccatorum vestrorum. Vbi ergo gratia prædicatur, nullus Christianus homo dicere debet: Quid igitur lex? Quorsùm ergo nostra opera? &c. Nec dicere debet aut cogitare bona opera fidei cōtraria esse. Minimé. Fidei cōtraria nequaquam sunt, si solis operibus non transcribatur quod gratiæ Dei præcipuè debetur. Nam alioqui fides & bona opera ferre seinuicem optimè possunt: imò necessariò coniuncta esse oportet.
Iaco.2. Fides enim sine operibus mortua est: nec sine fide Deo pla-
Hebr.11. cere quisquam potest, etiamsi abundet externis operibus. Summa: Christus non solùm vult homines habere qui dicūt,
Matth.7. Domine, Domine: sed qui faciunt voluntatem Dei. Hoc docet nos Euangelium istud vnà cum eius Epistola. Ea pars est de qua modo tanta controuersia est: quam quidem ob rem

tantò

tantò prolixiùs de ea dicere visum est. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

DOMINICA DECIMAQVINTA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM LVCAE XVII.

ET factum est dum iret Hierosolymam, & ipse transiuit per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quendam vicum, occurrunt ei decem viri leprosi, qui steterunt procul, intentáque voce dixerunt: Iesu præceptor miserere nostri. Quos vt vidit, dixit illis: Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est vt inter eundum mundati sint. Vnus autem ex illis vt vidit quòd mundatus esset, regressus est cum voce magna glorificans Deum; & procidit in faciem ad pedes eius, gratias agens ei; & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit; Nónne decem mundati sunt? Nouem autem illi vbi? Non sunt reperti qui redierint, vt darent gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, fides tua te seruauit.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI, GALAT. V.

FRatres, Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter

inter se mutuò aduersantur, vt non quæcunque volueritis, eadem faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Porrò manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc, adulterium, scortatio, immunditia, lascinia, simulachrorum cultus, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, secta, inuidiæ, cædes, ebrietates, commessationes, & his similia, de quibus prædico vobis, quemadmodum & prædixi: quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. Contrà fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Aduersus huiusmodi non est lex. Roma.13. *Qui verò sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.*

PRIMVS SERMO COMPONIT istud Euangelium cum Euangelio proximè præteritæ Dominicæ.



Luc.10. HODIERNVM istud Euangelium longè aliud præ se fert, quàm quod preterita Dominica habuimus. Tum habebat Christus longam disputationem & colloquium cum Legisperito quodam: hic autem facit Christus simpliciter miraculum, veruntamen non vnum, sed decem vno tempore simul, & vno verbo. Hæc iuxta externam quidem speciem, duo sunt dissimilia negotia. Sed si verè loquendum de re est, in eundem omnia tendunt finem. Imò quod nobis Christus superiori Dominica per inuolucra parabolæ de Samaritano & vulnerato homine indicare voluit, nimirum quis noster sit status ante & post fidem & agnitionem Dei, in hac historia decem leprosorum, claris exemplis, imò facto & opere ob oculos positum habemus: & tam apertè, vt quiuis videre & palpare possit. In hodierno isto Euangelio (inquam) videmus, quis Samaritanus sit, qui vulneratum hominem erexit, quomodo res gesta sit, quid ad id eum mouerit, & quid contrà postulet. Iesu præceptor (clamabant le-
Luc.17. prosi) miserere nostri. Hic ille est & non alius, qui per se

auxi

auxiliari poteſt & auxiliatus eſt. Quale nomen, talis & laus eius. Ieſus vocatur, auxiliator & ſeruator eſt. Hunc leproſi ſequebantur, hunc compellabant: nō ſciebant alium in terris, qui ipſis opitulari poſſet: ſpem vlteriorem non habebāt, quàm in illum: & ſi illos plane deſeruiſſet, ab omnibus creaturis fuiſſent deſerti. Habemus itaque in hoc Euangelio medicum nominatum ſuo nomine, qui proximè elapſa Dominica Samaritanus nominabatur. Ite, oſtendite vos ſacerdotibus, &c. Habes hic formam & modum, quomodo nobis Chriſtus auxiliatus ſit. Semel hic Samaritanus de cœlo venit ad vulneratos, ſemel peccata noſtra in ſe ſuſcepit, ſemel pro nobis mortuus eſt, ſemel pro nobis ſe hoſtiam obtulit, illáque hoſtia nos Deo reconciliauit: neceſſe non eſt, vt toties de cœlo deſcendat, & de nouo moriatur, quoties in terris morbo aliquo corripimur. Non. Modus quo nobis nunc opem fert, eſt quòd nos ad Eccleſiæ miniſtros vel ſacerdotes remittit. His verbum ſuum & Sacramenta commiſit diſpenſanda, & ad auxiliandum nobis. Amplius dicit Euangelium, Chriſtum vidiſſe leproſos (intellige oculo miſericordiæ.) Hæc præcipua cauſa eſt, quæ illum mouet ad auxiliandum miſeris hominibus. Miſericors ipſe erat, illi egentes: quomodo autem miſericors non ſubueniret, præſentem neceſſitatem & miſeriam videns? Imò ſi tamen præteriret, miſericors non eſſet. Hoc rurſus quadrat cum Euangelio præteritæ Dominicæ. Illic iacebat vulneratus homo, eius miſerebatur Chriſtus. Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, quemadmodum Paulus dicit. Poſtremò ait Chriſtus: Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo. Hic vides Deum gratitudinem à nobis exigere. Hic finis eſt, ad quem omnia ſpectant. Eruam te (dicit Deus) & honorificabis me. Atque hoc modo putarem optimum quenque Chriſtianum ex hoc Euangelio cùm fidem tum vitam ſuam Chriſtianè poſſe inſtituere, etiamſi nullam aliam Scripturam aut prædicationem habere & audire poſſet. Et ſi alicui paucis verbis, ſed tamen clarè & perſpicuè indicare deberem totum proceſſum Chriſtianiſmi noſtri, quomodo ex Paganis Chriſtiani, ex peccatoribus iuſti, ex Adæ filiis Dei filij fiamus, maneamúſque, cui id imprimis acceptum ferre debeamus, & quid ad eam rem pertineat, video me hoc efficere meliùs non poſſe, quàm vt illi hanc hiſtoriam de decem leproſis ob oculos ponam: clarè nimirum hæc omnia

& aper

Pſal.47. *Luc.17.* *Tit.3.* *Pſal.49.*

& aperte videre posset. Nam quemadmodum Christus cum leprosis egit, ita indubiè etiam nobiscum agit: & quemadmodum illi ad sanitatem peruenerunt, ita etiam nos ad eam peruenire oportet. Tum quod Christus ab illis exegit, idem à nobis quoque exigit. Id paulò clariùs exponendum est. Et
Eph.2. primò, certum est, nos omnes naturâ filios iræ esse, nos om-
Psal.50. nes in peccatis concipi & nasci, veluti Dauid ait. Omnes im-
Esa.64. mundi sumus, vti Isaias dicit, fateamur oportet, nos non solùm propter peccata paradiso tanquam pollutos & leprosos eiectos esse, Deo & omnibus creaturis inuisos, deformes & intolerabiles esse factos; sed etiam per nos & creaturas omnes sine Christo in hac lepra in peccatis nostris, & ira Dei æternum nobis pereundum fuisse. Hoc cognoscere primum est Christianæ doctrinæ, & est primus gradus ad salutem. Huius admonere se optimus quisque Christianus pulchrè potest circa istud Euangelium: si cogitet, qualis lepra morbus sit, quomodò totum corpus occupet & corrumpat, quàm hominem dehonestet ac deturpet, quàm omninò immedicabilis sit humana arte & viribus. Hoc vnum est, quod circa hanc historiam considerandum est. Secundò, certum est, neminem alium nostram lepram tollere, & nos munda-
Ioan.1. re in anima à peccatis posse, præter Christum, vt qui solus agnus Dei est, qui tollit peccata mũdi: vndè gloriari in nul-
Gal.6. la re alia possumus cum diuo Paulo, quàm in cruce Christi, quẽadmodũ leprosi posteaquã leprosi declarati erant, in nullo alio homine perinde spẽ habere poterant, & refugiũ atq; in Christo, vt in quo obseruarãt, quę signa aliqua fecisset Deo
1.Cor.3. tantùm possibilia. Sic etiã scire nos oportet, non esse aliud fundamentum & esse posse, cui nos superstruamus, præter
Act.4. Iesum Christum: & non esse aliud nomen sub sole datum hominibus, in quo eos saluos fieri oporteat, quàm nomen Iesu. Eum enim Deus constituit propitiatorem & thronum
Ephe.2. gratiæ: per eum habemus accessum ad Deum & gratiam eius: ei dedit Deus potestatem super omnem carnem, vt
Ioan.17. æternam vitam daret omnibus quos ei dedit Pater. Illi
Act.10. omnes Prophetæ testimonium perhibent, quòd omnes in ipsum credentes, remissionem peccatorum per eum acci-
Luc.19. piunt. Ideo venit, vt quæreret & saluum faceret quod perierat. Et ideò etiam illum Deus misit ac dedit, vt omnis qui videt eũ & in eũ credit, habeat vitã æternam. Et ideò
Ioan.6. omnia cum beato Paulo, Phili.2. arbitrari debemus vt stercora,

cora, vt Christum lucrifaciamus. Hęc omnia sanè agnoscere & rectè credere, est altera pars Christianæ doctrinæ & secundus gradus ad nostram salutem. Huius nos itidem admonere hodiernum Euangelium potest. Tertiò, certum est, quòd tametsi Christus verus medicus est qui omnibus hominibus subuenire potest, nec quenquam eiicit, quæri tamen & inuocari vult. Siquidem neminem ad salutem & felicitatem suam cogit. Videndum, audiendum se præbet, præcedit nos, stat medius inter nos, vocat nos ad se, iubet nos venire: sed neminem inuitum cogit, nec quenquam repellit ex animo ad se currentem, & gratiam petentem. Hoc studio addo. Multa enim requiruntur, si quis cum Christo agere velit. Adsit primò oportet humilis confessio & deploratio propriæ culpæ. Secundò, summum desiderium diuinæ gratiæ. Tertiò, ardens oratio. Quartò, viua fides, & nulla ad agendam pœnitentiam mora. Ista fieri oportet, dum Christus in terris adhuc inueniri potest. Ambulate dum lucem habetis (inquit Ioan. 12.) vt non vos tenebræ comprehendant. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Quandiu in mundo sum, lux sum mundi: sed venit nox, quando nemo potest operari. Ioan. 9 Et ad Iudæos Luc. 17. Venient dies quãdo desideretis videre vnum diem filij hominis: imò quæretis me, & non inuenietis, & quò ego vado, vos venire non potestis, sed moriemini in peccatis vestris. Omnis itaq; mora hîc perniciosa. Sciptum est, Isa. 55. Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est. Hoc demùm verè ad Christum accedere dici posset. Hæc tertia pars esset Christianæ doctrinæ, & tertius gradus ad nostram salutem. Huius bonus quisq; Christianus sese commonefacere posset, quando cogitat quomodo decem leprosi sese erga Christum gesserint. Nempè quòd ad ipsum currebant: à longe stantes alta vocè clamabãt, vocãtes eũ Iesum saluatorẽ, eius misericordiã seriò implorantes. Et in his omnibus festinabant, priusquàm Christus ciuitatem ingrediebatur. Hoc tertium est. Quartò, certum est, ꝙ Christus duo media ordinauit, per quæ quotidie adhuc sanitatem adipiscimur animarum, nimirùm sanctum verbum suum, & sacramenta. Euntes (inquit) docete omnes Gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Hæc & reliqua sacramenta, media sunt per quæ nobis Christus hic auxiliatur. Quòd si sanitati restitui cupis, non

Ioan. 6. *Matth. 11.* *Ioan. 8.* *Matth. 28.*

est ꝙ sursum hies versus cœlũ, expectás quando Christus redeat & auxilietur tibi. Nequaquã. Propter peccata tua non redibit de cœlo secundò. Semel executus est quæ vult: quæ adhuc facienda restant, seruo suo commisit, hoc est, suis Apostolis, & eorũ successoribus, Ecclesiæq; ministris: ad hos currendum est. Illic Euangelium & verbum Dei audies, illi obtemperes, illud factis exequaris. Illic porrò inuenies etiam pharmacopolium sanctorum Sacramentorum pretioso sanguine Christi præparatum. His vtere sicut decet, & sanitatem consequêris. Hæc quarta pars est Christianæ doctrinæ, & quartus gradus ad salutem. Huius optimus quisque Christianus se admonere circa Euangelium istud potest, quando reputat secum, quomodo Christus leprosos mundauerit: nimirùm ꝙ aliud nihil ad illos dicebat, quàm, Ite, ostendite vos sacerdotibus: & ꝙ dum irent mundati sint: quanquàm etiam alia ratio erat cum leprosis. Hos excludere nemo audebat, nisi prius sacerdos illos leprosos declarasset: nec recipere eos quisquam audebat, nisi sacerdos mundos dixisset. Sic illis præceptum erat in lege, atque hoc animo mittebat illos Christus ad sacerdotes iam mundati erant. Sacerdos iudicare debebat, num verè mundati essent. Nostri autem Apostoli & eorum successores, maiorem potestatem habent & mandatũ, maiora apud illos inuenimus: nimirum media, per quæ salutem per Christum acquisitam ad nos accommodare possimus. Repertus thesaurus adest, efficax & sufficiẽs ad salutem totius mundi: sed videamus oportet, vt illum arripiamus, illo rectè vtamur, fruamur, ad nos applicemus & adducamus, alioqui nihil nobis commodauerit. Quemadmodum fons domum tuam præterfluens, sitim tibi non restinguit, nisi accepto vase haurias: ita etiam nos homines, licet parta communi redemptione per Christum, semper in ira Dei manemus, & perimus in peccatis nostris, si non haurimus ex fonte diuinæ gratiæ per legitimum vsum Sacramentorum, quæ vera vasa sunt, in quibus merita Christi latent, & per quæ communem redemptionem Christi adipiscimur, vtilémq; nobis facimus. Vnde & D. Paulus cõfidẽter de seipso loquitur, & suis collegis: Pro Christo legatione fungimur tanquã Deo exhortante per nos. Deus quidẽ mundũ reconciliauit sibi per Christũ, in nobis autẽ posuit verbũ reconciliationis. Obsecramus igitur, reconciliamini Deo. Apud nos verbũ est recõciliationis, & media per quæ cõmunem

Ostendere se sacerdotibus.

Leuit. 13.

Merita Christi quibus nihil conferant.

2. Cor. 5.

nem reconciliationẽ vobis facere propriā potestis. Sic nos ergo Christus mittit ad sacerdotes. Quartū est. Quintò, certum est, q̃ queadmodū per viuam fidem, & humilem verámq; pœnitentiā Dei gratiā consequimur: sic eam rursus amittimus per ingratitudinē, per peccata & vitæ impietatem. Et idcircò queadmodū per viuam fidē & feruentē orationē Dei gratiam nos quærere oportet: sic etiam per gratitudinem & obedientiā conseruanda est. Hæc quinta pars est Christianæ doctrinæ, & quintus gradus ad salutē. Atque huius rei iterū se commonefacere quiuis bonus Christianus potest circa istud Euangeliū, quando cogitat quid Christus in his leprosis laudauerit aut improbarit. Nónne decē (inquit) mundati sunt, & nouem vbi sunt? Hoc reprehendit Christus. Vnus regressus est, cum magna voce magnificans Deū. Hoc laudabat Christus. Surge (inquit) quia fides tua te saluum fecit. In morbo omnes deuoti erant. Deindè verò non nisi vnus erat qui sciebat, ante & post morbū ad Deum currendum, Deóq; obtemperandum esse, si modò in gratia quis manere velit, primùm feruenti oratione, deindè stabili obedientia & gratiarum actione. Eáque propter, hic vnus laudatur, & certa ei salus promittitur: aliis autem certè postrema eorū tēpora peiora fiebant prioribus, etiamsi id scriptum non esset. Nam quid expectari boni potest, vbi Dei recordatio & timor amittitur? Quid corporalis prodest sanitas, si anima per peccatū auertit sese à Deo? Et quid multis verbis opus est? Decē isti omnes fidem & fiduciā habebant in Christū, posse eum auxiliari & auxiliaturū: is autē solus à Christo laudabatur, qui fidē suam in opus conferebat. Per fidem enim accomodamur quidem ad sanitatē & alia dona: cæterùm nisi accedat charitas vnà cum aliis virtutibus quas charitas secum fert, facilis eius iactura est. Hoc scire, quinta pars est Christianæ doctrinæ, & quintus gradus ad salutem. *Luc. 18.* *Fides in opus conferenda.*

Sed vide iam an non tota sacra Scriptura quinq; his partibus occupata sit: annuntiat nobis peccata nostra & condēnationem: remittit nos ad Christum: docet quomodo coram illo cōparere debeamus: indicat quibus rebus nobis opem ferat, & postremò etiā quid à nobis requirat. Horū omniū Euangeliū istud hodiernū nos cōmonefacere posset. Idcircò dico adhuc, queadmodū initio dicebam. Si paucis indicare deberē summā Christianæ doctrinæ, & tamē ità clarè, vt nō posset quis non intelligere, id efficere melius non possem,

quàm cum isto Euangelio. Bonus Christianus rē secum existimet, & sciat, nobis omnibus quicunq; etiā simus, vnicam & certā esse viā ad salutē æternā, queādmodū in hac historia nobis ostēsum est. Peccatū agnoscendū, Christus quærēdus, & viua fide amplectendus: media, id est sacramenta quæ in salutē nobis cōtulit, legitimè vsurpanda & adhibenda: post gratiā acceptā in gratiarū actione perseuerandū, ne per peccata gratiā amittamus. Hæc illa sunt, quæ ex hodierno isto Euangelio vnusquisq; Christianus obseruare debebat. Verùm in tribus posterioribus plurimū deficimus, vt neque gratiam quæramus, neq; legitimis mediis vtamur, neque etiam grati simus: quanquàm etiam in duabus prioribus partibus desideratur in nobis, ꝙ neq; nosipsos neque Christum satis agnoscimus. Quid igitur mirum, si etiam in tam atrocibus peccatis & certo periculo æternæ condēnationis, nobis tamen non timeamus, neq; auxiliū quæramus, nec emendationē meditemur? Enimuerò nemo auxilij quærēdi gratia huc illuc discurrit, qui nesciat & credat, sibi aliquid deesse. Etsi quis multū intentáq; voce clamat, frustrà tamen id fit, si neminē qui auxiliari possit videat. Fratres, haud res inanis est, ꝙ Dauid tam ardenter orat: Deus fac vt cognoscamus viam tuā, in omnibus gentibus salutare tuū. Hoc enim initiū nostræ salutis est. Quod vbi non videtur ac scitur, nulla ibi speranda salus. Nimium, heu dolorē, id in nobis Adæ filiis patet. Vnde etiā omnis Scriptura passim eò directa est, vt primū nos ipsos, & deinde etiā Christum discamus probè agnoscere. Et quidem in hodierno Euangelio ea simul pulchrè videre possemus, queādmodū superius indicatū est: sed fallit nos sæpè propriū nostrū iudiciū: opinamur quod non est: facimus quod nōnunquā leprosus facit: etiamsi suspicio de lepra sit: imò etiamsi ipse sese ea infectum cognoscat, ægrè tamen conuinci se patitur: reluctatur quantum potest, ne pro tali habeatur, eiiciatúrq;: studet id occultare & tegere, donec tam crassè erumpat, vt celari amplius non possit. Quapropter etiam alij homines constituendi sunt, qui ea de re iudicant & censuram faciunt, sicuti in veteri Testamento sacerdotes ad id ordinati erant: alioqui nemo seipsum pro leproso agnosceret & proclamaret. Eodem modo res nobiscum habet, nimium nobis credimus: quocirca nobis Scriptura lepram nostram tanto clariùs ob oculos ponit, quemadmodum Paulus facit in hodierna Epist

Psal. 66.

Leuit. 13.

Epistola, & Scriptura aliàs passim in lege Mosi & Prophetis. Sed de hoc alio tempore plura. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO COMPONIT Euangelium istud cum 19. Psalmo: docétq; quid historia hæc spiritualiter significet.



QVISQVIS hodiernum istud Euangelium legit, is indubiè nunc ad gaudium, nunc ad tristitiam commouebitur. Idq; non iniuria: quandoquidem duo tam dissimilia in eo nobis proponuntur. Nimirum summa gratia seu humanitas Dei aut Christi, & summa ingratitudo hominũ. Etenim initiò dicit Lucas, quã Christus se benignũ exhibuerit etiã erga leprosos; quàm omnino illos nõ horruerit, quàm citò orationẽ illorũ exaudierit, quã velociter & sine mora illis auxiliatus sit, etsi nihil de illo meritis, & ipso sciente illos ingratos fore. Quomodo autem homo qui id legit, non permoueatur ad tã beneficũ Dominũ non verbo, sed re vera amandũ? Quis non ex animo cum sancto Dauide canat, Confitemini Domino quoniã bonus, quoniã in seculũ misericordia eius? Ad hæc, Euangelium istud nobis etiam propterea afferre gaudiũ debet, quandoquidẽ tam clarè in eo videmus religionẽ Christianã certam & firmam esse, & nos non ædificasse super arenam, cùm Christo per fidem & charitatem adhæsimus: quandoquidẽ tot támq; manifestis & mirificis signis demonstrauit, se omnia posse, & neminẽ excludere gratiã ita vt oportet petentẽ. Nã si etiam immedicabilissimũ morbũ leprã tã facilè curare potuit vnico verbo, & in tot hominibus vno tẽpore: certũ est illi nihil impossibile esse aut fore. Quòd si etiã omniũ abiectissimos homines leprosos, quos omnes fugiunt & abominantur, non repulit à se: certũ est ꝙ nullũ hominẽ repellet à se, toto corde ad se conuersum, relictisq; vitiis, iustitie viuere statuentẽ. Et sic quoq; ipse dicit in Ioan. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eiiciam foras: quia descendi de cœlo, non vt faciã voluntatẽ meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est enim voluntas eius qui misit me, Patris: vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die, &c. Hoc luce clarius impletum videmus in isto Euangelio: tantò iustiorem

Psal. 117.

Ioan. 6.

causam habemus circa Euangelium istud religiosè lætandi. Nam in hoc nostra spes consistit & solatium, quòd Seruatorē habemus tam potentē, vt ex omni malo eripere nos possit: tàm que bonum, vt id semper facere velit, si nos idoneos præstemus. Vndè bono Christiano nullū exercitiū melius circa Euangelium istud indicare possem, quàm vt verbi diligenter ad animum reuocet, & vsurpet quæ olim Dauid
Psal. 91. de Dei operibus cecinit. Bonum est (inquit) confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. Ad annuntiandum manè misericordiā tuam, & veritatem tuam per noctem. Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc, &c. Omnia verba ista inueniuntur in Euangelio hoc, si quis propiùs inspiciat. Quæ res non eget multa demonstratione. Primò nanq; cogita optime Christiane, qualis lepra morbus sit, & quòd omnes humanas artes ac vires superat, leprosum mundare. Sed interim vide, quòd Christus in hoc Euangelio non solùm lepram pellit, sed facit id etiam tantummodò suo verbo, & in decem hominibus vno tempore, vno momento. Hoc cōsidera (inquam) & fatebris, non hominis sed Dei opus esse. Vnde ex summa admiratione dices cum Dauide: Quàm magnificata sunt opera tua Domine. Longè optimum hoc esset exercitiū, quod bonus Christianus circa Euangelium istud habere posset. Imò verum hoc fundamentū est omnium bonorum exercitiorū & meditationum circa miracula Christi, vt primò & ante omnia pro veris & certis Dei operibus habeantur, credantúrque. Quæ res deinde occasionē præbet multò plura cogitandi. Nam vbi operatur Deus, causa aliqua omninò subest. Omnia sustineo
2. Tim. 2. propter electos (inquit Paulus, fidelis imitator Christi) quemadmodum etiam Christus propter illos omnia fecit, & passus est. Eundem in modum nos quoque Euāgelium istud accipere oportet, nimirùm quod Christus decem hæc miracula in decem leprosis, non solùm illis, sed etiam nobis & omnibus credentibus in bonum fecerit, vt etiam nos in omni necessitate quātumuis magna, etiamsi nullus mortalium auxiliari ampliùs possit, & omnes animum despondeant, humiliter tamē ad Christū dicamus: Iesu præceptor miserere nostri. Nec esse nobis dubium debet, quin quærenus ad

nus ad ipsum pertinet, possit & velit auxiliari: quandoquidem etiā ad Samaritanū dicit: Fides tua te saluū fecit. Huc pertinet verbum quod Dauid dicit: Delectasti me Domine in factura tua. Certè non paruū nostrum solatium est, quòd credimus, quod Christus in aliis fecit hominibus, id facere eum posse & velle etiam in nobis. Hoc pacto Euangelium istud non solùm admirationem nobis incutere potest, sed etiam gaudiū & solatium afferre: imò fidem nostrā & charitatem in Deum confirmare. Hoc vbi consideramus, tertium vltrò sequetur, vt dicturi simus, Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini eius: ad annuntiandū manè misericordiam eius, & veritatem eius per noctem. Manè tempus est felicitatis: tū Dei misericordiæ recordari debemus, & omnem fortunam bonúmque nō nobisipsis, sed Dei gratiæ transcribere. Nox autē tempus est aduersitatis: tum veritatis & promissionis Dei meminisse debemus, nec dubitare, quin nos feruenter orantes auditurus sit, nobísque auxiliaturus: quandoquidem tam apertè promisit, vbi in Dauide inquit: Inuoca me in die tribulationis, & eruā te, & honorificabis me. An non autē Euāgelium istud benè, Christianè & vtiliter à nobis auditum esset, si triplicia hæc exercitia simul haberemus? si agnosceremus pro Dei opere, quicquid Christus in eo fecit: si crederemus nostræ & omniū credentium vsque ad finem mundi, vtilitatis & solatij causa factū esse: & idcircò nunc & omni tempore Dei misericordiā & veritatem laudaremus prædicaremúsque. Eius misericordiam dico, quòd miseris & egenis tam clemēter opitulatus est: veritatem autē eius, quòd similiter etiā nobis spiritualiter promisit & seruat. Hæc tria sunt, in quibus dictus Psalmus Dauidis, per omnia cum hodierno isto Euangelio quadrat. Sed nondum sunt hæc omnia. Dauid adhuc plura habet in illo Psalmo. Tum etiam Euāgelium istud indicat nō solùm miraculum per se, sed etiā circūstantias. Vtpotè primò, quòd leprosorum decem mundabantur, & tamen non plures quàm vnus reuertebatur, qui Deo gloriam dabat, & Christo gratias agebat. Sed hoc illud ipsum est, quod Dauid etiā in iam dicto Psal. dicit: Vir insipiens non cognoscet, & stultus nō intelliget hęc. Vetus querela hæc, & maximus defectus semper in terris fuit in filiis hominū, ꝙ nō agnoscunt aut cōsiderant quid cum ipsis agat Deus. Iam indè ab initio maior pars semper fecit quod nouem leprosi fecêret

Luc.17.

Manè, mysticè.

Nox.

Psal.49.

Ingratitudo hominum.

nos adhuc facimus. Atque vtinã nihil peius faceremus, vtinã inter decẽ vel vnus inueniretur, qui Deo pro gratia gratiã haberet ex animo. Dei dona & gratiã accipimus, & fruimur iis quotidiè, cęterũ maior pars est & manẽt ingrati, iis'que abutũtur. Hoc omnes Prophetæ omnibus seculis conquesti

Esa.1. sunt. Audite cœli (inquit Isaias) & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autẽ spreuerũt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël autẽ me nõ cognouit, & populus meus nõ intellexit, &c. Id genus querelas habet etiã

Hier.8. Hieremias. Miluus in cœlo cognouit tẽpus suũ: turtur & hirundo, & ciconia custodierũt tempus aduentus sui: populus

Mich.7. autẽ meus nõ cognouit iudiciũ Domini. Similiter Michæas queritur de ingratitudine hominum. Væ mihi (inquit) quia factus sum sicut qui colligit in autũno racemos vindemiæ: nõ est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desiderauit

Psal.13. anima mea. Periit sanctus de terra, &c. Et Dauid: Omnes declinauerunt & inutiles facti sunt, non est qui faciat bonũ, nõ est vsq; ad vnũ. Dominũ non inuocauerũt, non est timor

Esai.5. Dei ante oculos eorũ, &c. Et in Isaia dicit Deus: Expectaui vt vinea mea faceret vuas, & fecit labruscas. Eodẽ modo queritur Christus in hodierno Euãgelio: Nonne decẽ mundati sunt? (inquit) & nouẽ vbi sunt? Nõ est inuẽtus qui rediret, & daret gloriã Deo. Sic etiamdum queritur de nobis Christus. Sempérq; præcipua fuit causa, ꝙ Deus nõnunquã sua dona hominibus iterũ subtraxit: cõtrà verò multa aduersa & mala in eos induxit. Satis experimur, quid nobis nostra ingratitudo vtilitatis adferat & hactenus attulerit: nimirũ hanc vtilitatẽ, vt indies magis ac magis in nobis impleatur,

2.Par.18. quod Deus olim ad Iudæos dicebat: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu inimici vestri. Christus quidem in hoc Euãgelio verbis tantũmodò queritur super ingratitudinẽ nouẽ leprosorũ. Nobis etiã diu conniuit: Sed quid dicit in propheta? Tacui, nunquid semper tacebo? sicut parturiens loquar, &c. Hoc autẽ stultus mũdus nõ agnoscit: nõ cõ

Esa.42. siderat id quod habet, non prospicit futura. O vtinã saperẽt & intelligerẽt, & nouissima prouiderẽt, inqt Moyses. Deu. 32. Hoc bono Christiano etiã circa ipsud Euangeliũ cõsiderandũ est: nimirũ ꝙ tametsi Deo non sufficientẽ remunerationẽ pro beneficiis eius facere possumus, atque ille etiam nostra remuneratiõe opus nõ habet, amet tamẽ gratitudinem,

ñē, vti in leproso isto Samaritano videre est. E diuerso autem execratur, & ignominię loco ducit ingratitudinē: eámque damnat nō solùm verbis, vt superiùs auditum, sed etiā re ipsa, vti experimur, & alij ante nos experti sunt, & omnes ingrati homines tandē & æternùm experiētur. Bonū itaq; & salutare cōfiteri Domino, & psallere nomini Altissimi. *Psal. 91.*

Sunt præterea alia plura in hodierno Euengelio cōmemorata, quæ cū sæpè dicto Psalmo consonāt. Nempè quòd is adeò inter leprosos gratus inuētus est, quē minimè credidisses: quoniā non Iudæus erat, & cōsequenter etiam tantò minus de Deo sciebat, sed Samaritanus. Reliquorū nullus Deo gratias agebat, qui tamen Iudæi erāt, & idcircò primi fuisse debebant in laude Dei & gratitudine erga Christum. At verò istud occultorū iudiciorum vnum est, de quibus Dauid dicit: Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ Domine. Imò argumentū illud iam erat, Gentes pro accepto gratię beneficio, multo gratiores futuras, quàm Iudæos: quin primos nouissimos, & nouissimos primos fore. Hæ profundæ sunt cogitatiōes Dei, veluti Dauid dicit: imò sunt occulta & partim etiā terribilia iudicia Dei super Iudæos & Gentes, de quibus Paulus dicit, nimirùm ꝙ Deus Iudæos reiecit, Gentes verò elegit & suscepit. O altitudo diuitiarū sapientiæ & scientię Dei, quàm incōprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Et paulò antè: Vide ergo, ô homo, bonitatē & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatē: in te autem, bonitatem Dei, si permāseris in bonitate, alioqui & tu excidêris. Sed & illi si nō permāserint in incredulitate, inserentur, &c. Hæ sunt profundæ cogitationes Dei. Quapropter optimo cuique Christiano considerandū est quod Dauid in supra commemorato Psalmo dicit: & tùm etiā istud Euangeliū fructum afferet, si hoc modo fecerimus. Sic ergò paucis indicauimus, ad quid nobis Euangeliū istud secundū literā inseruire debeat ac possit. Sed Patres nostri & antiqui Ecclesiæ doctores, præter hoc etiā aliud in eo obseruauerūt, nimirū allegoriam. Et tandē reipsa cōperimus, ꝙ historia hæc & Euangeliū, fuerit seu pręludiū quoddā, quēadmodū Sancta Christianitas sese esset habitura. Quæ etiā duo silentio præterunda nō sunt. Quāobrem pro conclusione huius sermonis breuiter indicabo. Et primò, quia Christus nō solū hîc, sed etiam

Ibidem. *Matt. 20.* *Rom. 11.* *Matt. 8.*

in Matthæo peculiari vtitur modo in leprosis mundãdis, quo alioqui in nullo alio morbo vsus est, Patres nostri & Ecclesiæ doctores non dubitauerunt, quin singulare quiddam significet. Nã alios omnes ægrotos Christus aut omnipotenti virtute sui verbi, aut impositione sacrarũ suarũ manuum sanauit: cæterũ nullũ eorũ ad sacerdotes misit prę terquàm leprosos. Et quanquã etiã illud causam suam habebat ex lege Mosi, eò quòd sacerdotes id tẽporis iudicare habebant & cognoscere inter lepram & nõ lepram, inter mundũ & non mundum, & deinde quoque quis ab hominum commercio arcendus, aut apud alios homines ferendus esset: sic'que dubium nullum est, quòd etiam Christus hac ipsa de causa leprosos ad sacerdotes miserit, nihilò verò secius antiqui Ecclesiæ doctores non dubitauerunt, quin aliud insuper etiam indidem significatum sit. Deprehenderunt inter omnes spirituales morbos, qui nobis hominibus adhærent, nullum lepræ assimilari meliùs posse, quàm hæresim, aut pertinacem errorem in fidei causis. Hæc non alia ratione pellitur, quàm quemadmodùm Christus leprosos mundauit. Possem veteres multos indicare, qui lepram hoc pacto sunt interpretati. Legat quis Augustinum Quæstionum Euangelij libro secundo capit. 40. & Gregorium libro quinto Moralium, capit. 11. rem sic se habere comperiet. Meritò autem hæresim & schismata in fide, negotiis lepræ comparauerunt. Nam vt leprosum corpus non vnius coloris est, sed variegati: hic sano corpori simile est, natiuum colorem habens: hic lepra erumpit, aliũ habens colorem: ita hæresis & error malis bona mista habet, nec omninò bona hæresis est, nec omninò mala. Quòd si omnino bona & verax esset, hæresis esse non posset. Quia verò malũ & falsum bono & vero mistũ est, spiritualis vocatur lepra, curatu difficilis. Omnes alij morbi & vitia animæ, sanari faciliùs possunt. Adulter, fur, homicida, blasphemus, &c. scit se malè facere, multò itaque faciliùs conuerti potest, quàm hæreticus aut seductor & factiosus. Talis em̃ seipsum nõ agnoscit, non vult videri errare. Et tametsi ei cõscientia dictat, ꝙ erret, superbia tñ eũ in errore tenet, vt eũ pudeat ab eo desistere, aut errorẽ suum confiteri, atq; palinodiã canere. Tantò difficiliùs cõuerti potest: nullũ enim audit diuersa docentem: & licèt silentiũ illi imponatur, vt respõdere nequeat, sed silere cogatur, virus tñ in corde manet, illud

Leuit. 13.

Hæresis cur potissimum lepra designetur.

Hæresis difficilè curatur.

net, illud clàm effundit, si qua potest, & locum habet, adeò ægrè lepra ista mundatur & pellitur. Alioqui inuenimus in omnibus historiis, quandoq; multos & magnos peccatores conuersos esse & adhuc conuerti: rarò autem legimus, hæreticum aut sectarum magistrum conuersum. Nam obstinatio proprium est hæresis. Ad hæc etiam spiritualis ista lepra, vere contagiosus & hæreditarius morbus est. Siquidē nullus hæreticus aut erroribus implicatus, virus suum apud seipsum retinet, sed omnibus afflat, quacunq; ratione potest. Sermo enim eorū (inquit Paulus 2. Tim. 2.) vt cancer serpit. Vnde etiam monet ac præcipit, hæreticum, si semel aut bis admonitus sit, & tamen in errore suo perseueret, vitandum esse: & sciendum, quod euersus sit. Tum etiam vult Ioannes in secunda Epistola, nihil commercij cum eiusmodi hominibus habendum esse: nec quidem salutandos, vel aue eis dicendum. Vnicum medium, per quod tales erronei homines à suo errore & spirituali lepra liberari possunt, est, vt mittantur ad sacerdotes, hoc est, ad communem intellectū, quem sancta Christianitas & catholica Ecclesia habet in causis fidei. Hoc qui facit, is ab omni spirituali lepra & errore purgatur, nec vnquam errore contaminatur, quandiu apud cōmunem intellectum sanctæ Christianæ Ecclesiæ manet: cæterū quisquis proprio suo iudicio plus credit, quàm communi intellectui sanctæ Ecclesiæ, indubiè in errorem incidit, nec facilè abduci potest. Hoc viderūt Patres nostri ex eo quòd Christus leprosos ad sacerdotes misit. Bonum quidem & necessarium esset nos id etiam his temporibus ad animū reuocare, vbi spiritualis istius lepræ, errorum & seductionis mira sentina est, & plerisq; tenacissimè adhæret. Ite (inquit Christus) ostēdite vos sacerdotibus. Quod nos ita accipere debemus: Nemo suo vtatur & fidat iudicio. Intellectus quē tota, sancta, & vniuersalis Christiana Ecclesia habuit iā inde ab initio ad nos vsq;, is optimus & certissimus est. Hęc enim promissionē habet à Christo, quòd eā Spiritus sanctus ducet in omnē veritatē. Hæc allegoria est istius Euangelij. Propriam nostrā naturā & conditionem quoq; in eo videmus, nimirùm quòd natura omnes leprosi, hoc est, peccatores & filij irę sumus: in baptismo autē omnes mūdamur in virtute sancti nominis & pretiosi sanguinis Christi. Cæterùm post baptismū plerūq; fieri cōsueuit, quēadmodum in iam dicto Euāgelio indicatum est. Maior pars ingrati sunt & manent: quod

Rarò resipiscunt hæretici.

Hæretici contagiosi, ergo vitandi, & tollendi è medio.

Vnicū hæreticos curādi modus.

Ioan. 16.

Ephe. 2.

quod indè adeò fit, quòd iustificatio nostra cœpta solùm, & nondũ perfecta est: quòd etiã post baptismũ praua cõcupiscẽtia & quædã reliquiæ peccatorũ in nobis adhuc hærent. Hi
Iudic 3. sunt hostes, quos Dominus dereliquit, & erudiamur in eis. Iã qui socors est, facit sua negligẽtia, vt inualescãt & superẽt: verùm qui obnitit, omnibus satis fortis est: attamẽ nõ ex seipso, sed ex spiritu, quẽ è supernis habet. Hic apud Christũ nobis feruẽtissimis precibus quęrẽdus est eũ in modũ, quo illum quæsiuère leprosi. Dei gratia cũ omnibus nobis, Amen.

TERTIVS SERMO DE *prima parte hodierni Euangelij.*



HODIERNVM istud Euangelium, si in genere dicẽdum de eo esset, duo nobis ob oculos ponit. Primò videmus in eo & ex sibi inuicẽ oppositis, quomodo vtraq;, Deus & mũdus cõstituti sint. Deinde etiã videmus in eo, quomodo crux & passio, tentatio & miseria Adæ filios tam deuotos faciat, nec tamẽ eã deuotionẽ diutius durare apud illos, quàm donec crux cesset. Hæc autem duo bene consideranda sunt.

Primò autẽ Deus ea indole est ac natura, vt creaturis suis benefaciat, præcipuè autem homini. Nam nihil eorum quæ
Sap. 3. creauit odit Deus. Quinetiam iis benefacit, quos scit ingratos fore. Attamen etiamsi aliqui, quinetiam maior pars, ingrati sint, nõ denegat suũ auxiliũ aliis inuocantibus se. Hoc videmus in hoc Euangelio in decem leprosis: videmus & experimur quotidiè in nobisipsis. Quantũcunq; Deus nostrã ingratitudinem expertus est, non desinit nobis benefacere:
Act. 14. quinimò de seipso perhibet testimonium, benefacit nobis, imbrem nobis dat, & tẽpora fructifera de cœlo, implet corda nostra cibo & gaudio. Et vt maximè nõ credamus nec diligamus eũ, fidelis tamen permanet, seipsum negare nõ potest. Hæc natura & indoles est Dei. Contrà mundus aliã naturam & conditionem habet: nimirùm quòd etiam ex acceptis beneficiis Dei non melior fit: imò nec de Deo cogitat, nisi cõpulsus necessitate. Hoc rursum videmus in isto Euangelio in leprosis: experimur etiam quotidiè in nobisipsis, quòd de die in diem deteriores simus, quando nobis Deus benefacit, & pacem largitur, tantũ abest, vt meliores euadamus. Quid ergo etiam Deus, tùm iam iudicium eius cœperit, facere poterit aliud, quàm quòd nos ex ira à se pellet, quos bene-
2. Timo. 3.

neficiis

neficiis ad se allicere non potuit? Hoc vnum est, quod in isto Euangelio considerandum nobis proponitur. Deinde etiam videmus in eo, quàm nulla prorsus constantia & perseuerantia sit in bono apud Adæ & mundi filios, & potissimùm tempore felicitatis, etiamsi quãdoq; bene incipiant, & valde deuoti sint in tribulatione. Id in decem leprosis compertũ habemus: comperimus idipsum adhuc in nobis. Magna cupiditate currebant illi ad Christum, cùm adhuc leprosi essent, miserabilem edebant clamorẽ, prius instabant, quàm Christus ciuitatem ingrediebatur: cæterùm sanitati restituti, vix reperiebatur prioris suæ miseriç memor, & redemptori suo gratias agens. Idem adhuc pro more habemus. Quàm anxij sumus, quando infortunium & periculũ pro foribus est: tam dissoluti & leues simus, infortunio liberati. Atque vtinam maior pars nostrûm deteriores non essemus quàm nouẽ isti leprosi fuêre: qui tamen in eo duntaxat carpuntur, quòd non redeunt, gratos sese exhibentes. Alioqui æternæ illis datur laudi, quòd in suo morbo & necessitate, Christum tanta fide, deuotione, & humilitate inuocauerunt. Quot autem inueniuntur apud nos, qui neque Dei recordantur in angustia versantes, neq; illum inuocant: tãtum abest, vt faciant in rebus prosperis? Agè quàm Christus ad auxiliandũ paratus est, si vera fide, ardore & humilitate inuocetur: tam illi displicet, si post acceptam gratiam & beneficia ingratus sis & indeuotus maneas. Hoc Euangelium vtraque ista nobis indicat, antequam decem leprosi suam orationẽ vix bene absoluissent, imò simul atque eos Christus aspiciebat iam salui erant. Postremò verò vno tantùm redeunte & agẽte gratias, grauiter eos quoque Christus incusabat. Nobis hæc omnia dicta sunt: vtrobiq; indicatũ nobis est, quæ spes nobis à Deo esse possit. Vtrobiq; videmus, quomodo Deus à nobis haberi & coli velit. Tempore necessitatis hinc sibi honorem poscit, vt inuocemus eum: in rebus secundis hunc honorem postulat, vt ei gratias agamus: contrà etiam tantò alacriùs nobis de illo promittere possumus in tribulatione & necessitate, quòd audire nos & iuuare velit, si inuocemus eum in vera fide: quòd data beneficia nobis cõseruare velit, si in rebus fortunatis erga eum grati & obediẽtes simus. Hoc solatij nobis præbet istud Euãgeliũ, attamẽ hoc cũ additamento, vt nil nisi merã indignationem expectare possis, nisi gratus sis. Decem leprosi senserũt ardentẽ orationem ad Deum

Vt simus instabiles in bono.

Ingratitudo quàm inuisa Deo.

Psal. 49.

nõn

non inanem esse. Sensit Samaritanus, Deo placere gratitudinem. Et huic etiam Dei istud donũ soli haud dubie in bonũ
Matth.12. cessit. De aliis dubium nõ est, quin nouissima eorum peiora sint facta prioribus: iuxta parabolam quam Christus profert de dæmonio semel pulso, at verò iterum admisso. Quisquis igitur animo præditus est Christiano, is sibi dictũ putet. Causam inuocandi habemus, causam item gratias agendi. Si in hæc duo ritè incubuerimus, Dei auxiliũ & gratiã nunquam nobis deerit. Tantũ in genere de isto Euangelio: nunc etiam singula verba speciatim indagabimus. Dum iret Dominus Iesus (inquit Lucas) in Ierusalem, transibat per mediam Samariã & Galilæã. In his verbis remittit nos Lucas primùm, & ante omnia ad personam Christi: is est, qui hos leprosos curauit: is est, qui etiam nobis opitulatur, & opem ferre po-
Ioan.17. test. Illi enim dedit Pater potestatem super omnẽ carnem, hoc est, super omnes homines. Et quidẽ hoc etiã veteres nõ ignorarunt: in mandatis habuerunt, vt omnes homines ad
Esa.40. Christum dirigerent. Sic enim dicit Deus ad Isaiam: Super montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuã, qui euangelizas Ierusalem: exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester: ecce, Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachiũ eius dominabitur: ecce, merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, &c. Hunc pastorem & dominum nobis hîc Lucas ob oculos ponit, & illo etiam opus habemus. Nam vt corporalẽ leprã non nisi solus Deus propria virtute curare potest: sic quoq; morbum nostrum nimirùm quò 1 ante fidem & baptismũ miseri peccatores, morti & condemnationi obnoxij sumus, nemo tollere potest, nisi Deus per Christum. Neque herba, neque malagma (inquit
Sap.16. Sapiẽs) sanauit nos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.

Secundò, indicat nobis Lucas in hoc primo verbo, quando Christus hæc miracula in decẽ leprosis fecerit, Dum iret in Ierusalem. Hæc, vt ex omnibus circũstantiis colligi potest, vltima eius ꝓfectio fuit à Capharnao Hierosolymã versus, vbi iam tandẽ certò decreuerat voluntatẽ Patris sui implere, ad electos suos morte omnium probrosissima ab æterno exitio liberãdos. In hoc itinere Christus decẽ leprosos mundauit, pro indicio, quòd sacratissima sua passione & morte vulnera nostra & morbos sanare vellet, sicuti reipsa factum
Apoca.1. est: quòd sanguine suo nos à peccatis nostris lauerit. Hac de causa

causa nõ rectà Hierosolymam petebat, sed per mediam Samariam & Galilæam. Priùs multis in locis cõspiciendum se exhibebat, nõ vt ad fallendũ tempus oblectamenta quæreret, sed vt multis hominibus suũ Euangeliũ prædicare, multis ægrotis auxiliari, multos ad pœnitentiã inuitare posset: & vt vndiquaq; pateret ad ipsum accessus, ad audiendũ eum tanquã verum & præcipuum doctorem salutis: nec nõ ad petendum ab eo auxiliũ & cõsiliũ. Hæc erat causa, quãobrem per mediam Iudæam, & Samariã, & Galilæã iret. Ea ipsa de causa de cœlo venit, quod decretũ ipsi erat pro omnibus hominibus mori, & per seipsum omnes mortales Deo reconciliare, sine respectu personarum. Apud eum enim nõ est Iudæus neq; Græcus, nõ masculus neq; fœmina, nõ seruus neque dominus: cõmunis redemptor, propitiator, & seruator est, & esse vult omniũ verè in se credẽtiũ. Sequitur in textu: *Gal.1.*

Et cùm ingrederetur quoddã castellum, occurrerũt ei decem viri leprosi. Hic videmus primò, initiũ salutis nostræ à Deo esse. Quî enim ascẽdere ad eũ potuissemus, nisi ad nos descendisset? Quippè nemo ascẽdere in cœlũ potest, nisi qui de cœlo descẽdit. Quomodo leprosi ad eũ venire potuissent, nisi priùs in nostrũ castellũ, in mundũ ingressus fuisset? Nobis eũ appropinquare prius oportuit: quomodo alioqui nos ægroti & peccatores ad eũ accedere & appropinquare ausi fuissemus? Prior dilexit nos (inquit Ioãnes) quàm nos eũ diligere potuimus. Nõ vos me elegistis (inquit ad discipulos) sed ego elegi vos. Sed ab eo tẽpore quo in nostrũ castellũ, in mundũ, quinetiã in nostrã naturã venit, cũ pia fiducia ad eũ accedere possumus, licet miseri peccatores simus. Quãdoquidem scimus eũ dixisse, Omne quod venit ad me, nõ eiiciã foras. Imò quoniã apertè dixit, Ioan.7. Si qs sitit, veniat ad me & bibat. Promittit etiam Matth.11. omnibus iis qui grauati sunt, & laborant, se cõsolaturos eos & refecturos, si ad se veniant & currant. Proindè si decem istis leprosis felix occursus erat, quòd Christũ verum seruatorem in via obuium habebant & inueniebant: quin adhuc felix occursus est, si quando homo afflictus videt vbi Christum reperire possit. Alij homines currunt in afflictione & rerum perturbatione ad ariolos, magos & malos spiritus, quod tamen Deus palàm & sub comminatione summæ indignationis suæ vetuit, & id rex Ochozias ipso opere magno cum suo malo expertus est: pauci verò currunt in rebus aduersis ad Deum, *Ioan.3.* *1.Ioan.4.* *Ioan.15.* *Ioan.6.* *Deut.18.* *4.Reg.1.*

Deũ, cùm tamẽ nuſquàm certius auxiliũ, quàm apud ipſum inueniatur. Clamauit ad me (inquit) Pſal. 90. & exaudiam eum: cũ ipſo ſum in tribulatione: eripiã eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum. Apud quem ſimile inuenis? Imo quod magis eſt, non eſt quod quiſquam ad Chriſtum accedere vereatur, ſicuti nonnunquam pudibundi apud magnates & potentes auxilium quęrimus. Nõ enim miſit Deus filiũ ſuum in mun-

Ioan. 3. dum, vt mundum iudicaret & condemnaret, ſed vt mundum

Luc. 9. ſaluum faceret. Nec venit filius hominis perdere animas,

Ioan. 3. ſed ſeruare. Et omnis qui credit in eum non iudicatur, quia in nomen vnigeniti filij credit: ſi tamen etiam ſeruat man-

Matth. 7. data illius, & facit voluntatem patris eius. Quòd autem decem illi leproſi non in ciuitate ſeu caſtello, ſed ante caſtellum Chriſto occurrebant, id ideò factum eſt, quòd Moſes Leuit. 13. in ſua lege, ex mandato Dei præcepit, ne leproſus cum aliis hominibus vitæ conſuetudinem haberet. Hæc etenim ſunt verba legis: Quicũque maculatus fuerit lepra, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatũ ac ſordidũ ſe clamabit. Omni tempore quo leproſus eſt, & immundus, ſolus habitabit extra caſtra. Quia ergò hi lepra infecti erant, in ciuitatibus ſeu vicis hominum commercio intereſſe non audebãt: & ob hanc eorum impuritatem, quia ſciebãt ſe aliis hominibus abominabiles eſſe,

Eſa. 55. non audebant etiam Chriſto propiùs ſeſe admouere, ſed de

Sapi. 11. longe ſtabant: nec ſciebant Deum multò aliter affectũ eſſe, quàm ſunt homines, nec creaturas ſuas tam facilè reiicere, ſicut homo hominem horret & fugit: imò Deum tã purum lumen eſſe, quem nulla impuritas hominum contaminare

1. Ioan. 1. poſſit. Hoc, inquã, leproſi iſti nondum ſciebãt, ideò de longe ſtabant: verebantur ne etiã Chriſtus ipſos horreret, præſertim cùm illorum tam multi eſſent. Poteſt hæc fortè ciuilitas quædam vel etiam humana puſillanimitas fuiſſe. Veruntamen videre iſthinc poſſumus, quomodo ad Chriſtum eundum ſit: nimirùm non ſuperbo & elato animo, vt qui immo-

Luc. 18. dicè de ſe ipſo ſentit, quẽadmodũ Phariſæus in tẽplo ſtabat, & ſeipſum aliis contemptis prædicabat, ſuáſque laudes decantabat: ſed humili meditatione & agnitione propriæ infirmitatis & indignationis, veluti Publicanus verè pœnitens faciebat, qui nec oculos ſuos ad cœlum attollere audebãt, indignũ ſe iudicans aſpectu cœli domini & regis, qui ſe tã turpiter

piter & leuiter in suis peccatis gessisset. Quò enim magis homo seipsum humiliat & indignũ censet, hòc magis Deo appropinquat. Sententia lata & pronunciata est, Dominus Deus in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. *Psal. 112.*
Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperẽ, vt collocet eum cũ principibus, cũ principibus populi sui. Non igitur frustrà Sapiens bono cuiq; homini acclamat & dicit: *Eccl. 2.*
Fili, accedens ad seruitutem, sta in iustitia & timore. Is autem verè in timore Dei stat, qui semper propria sua peccata & indignitatem ob oculos habet, ea detestatur & plangit, agnoscens se peccatorem & omni gratia indignum. Hoc est de longè stare, sicuti leprosi isti fecerunt, & ante eos Romanus Centurio in Capharnao, qui dicebat, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, &c. Et Petrus Luc. 5. Exi *Matth. 7.*
à me, quia homo peccator sum Domine. Sequitur de leprosis: Et leuauerunt vocem, hoc est, ore simul & corde clamabant, &c. Sed clamor cordis eorum longè maior erat, quàm clamor oris. Magna cupiditas & flagrans desiderium veræ sanitatis, clamor erat cordis eorum. Talem clamorem, talia vota pij cordis audit Deus facilè & libenter. Hoc videmus primò in Moyse. Is adeò coangustabatur ad consolandum populum suum in necessitate, vt verbis ad Deum orare *Exod. 14.*
non posset. Attamen Deus desiderium eius respiciebat, & dicebat: Quid ad me clamas? Perinde ac si dicat: Noui desiderium tuum, id iam dudum exaudiui, perge tantũmodo, percute aquam & mare, & dabit vobis locum transeundi, &c. Idem vsu venisse videmus Ionæ, in profundo maris iacenti, *Iona 2.*
& in ventre ceti, vt certè non multa verba facere potuerit. Attamẽ dicebat: Clamaui de tribulatione mea ad Dominũ, & exaudiuit me. Clamor autem (vti dixi) magis fuit ingens desideriũ cordis, quàm magnus clamor vocis. Susanna proba & sancta fœmina, neq; verba neq; clamorẽ faciebat magnũ in sua tribulatione: cor autẽ eius (inquit Scriptura Dan. 13.) spẽ habebat & plenam fiduciam in Deum. De tali etiam clamore loquitur Paulus, Rom. 8. vbi scribit de credẽtibus, q̃ Spiritũ adoptionis filiorũ Dei acceperint, gemitibus inenarrabilibus ad Deũ clamãtẽ. Quisquis ergo à Deo aliquid impetrare vult, is clamet oportet, nõ tam alta & clara voce quæ sola nõ sufficit, quàm magno desiderio, imò magna charitate & spe. Externus enim clamor sine viua fide & desiderio Deo nõ admodũ acceptus est. Quẽadmodũ in Isaia dicit

ca.29. Populus hic me labiis honorat, cor autẽ eorũ lõgè est à me: Contrà autem dicit Christus Mat.5. Beati qui esuriũt & sitiunt iustitiam, quoniam saturabuntur. Sed audi iam quomodo leprosi isti homines ad Deum clamauerint: Iesu præceptor, inquiebant, miserere nostri. Breuis, sed tamen pulchra & vere pia oratio: optãdũ foret, eam nobis semper in ore esse. Etenim non audis hîc longas verborũ ambages, quibus vtuntur quidam absque vlla animi attentione & amore erga Deum, persuadentes sibi ob verborũ, quæ tamen nauseabundi proferunt, prolixitatẽ, se tantò citius exaudiri: sed breuibus, & quidẽ electis verbis, confitentur hi leprosi pariter omnes potentiam atq; etiã bonitatẽ Christi, necessitatẽ suam ostendunt, & misericordiam petunt. Hæ veræ sunt partes, ad orationem pertinentes. Sic orat Dauid, vbi
Psal.50. ait: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Sic orat Daniel in captiuitate Babylonica, suam & populi sui deplorans necessitatem, confitens & accusans populi
Dan.9. sui peccata, Deo tribuens gloriam, gratiam & veniam rogans: Domine (inquit) non in iustificationibus nobis prosternimus preces ante faciẽ tuã, sed in miserationibus tuis multis, &c. Sed quî fieri posit talẽ orationẽ nõ exaudiri, vbi hoc modo propria iniquitas corde contrito plãgitur, & tã humiliter Dei gratia petitur? Nobis ad exẽplũ scriptum est, quod imitari debemus, si modò quod petimus impetrare vole-
Ioan.9. mus. Peccatores enim in suis peccatis permanentes nõ exaudit Deus, sed si quis Dei cultor est, & volũtatẽ eius facit, hũc exaudit. Præstet nobis omnibus Deus gratiam suam, Amẽ.

QVARTVS SERMO DE *altera parte Euangelij.*



IN hodierno isto Euangelio inter alia indicatũ est, quàm decẽ leprosi cupidè Christum inuocauerint, vt ipsorũ misereretur. Vbi peculiariter expressum est, id non in ciuitate aliqua aut vico factũ esse, sed priusquam castellũ ingrederetur Christus: imò quò Christus magis appropinquabat ci-
Leuit.13. uitati, hòc magis festinabant, ne illis elaberetur. Quia enim secundum legem Mosi, ab omnibus hominibus segregati, & ab omni eorum commercio exclusi erant, neglectum fuisset, simul atque Christus in ciuitatem venisset. Quapropter etiam tantò instabant diligentius, dum eius copia dabatur,

batur,& ille adhuc in itinere erat. Et quidem hoc illos imprimis decebat: lætari deinde meritò potuerunt, quòd ante ipsas adeò portas, in eum incidebant. In ipso puncto aderāt, ꝗ si vel paululum moram traxissent, fuisset illis elapsus. Hoc diligenter nobis considerandum est. In Euangelio Ioannis dicit Christus terribile verbum ad Iudæos: Ego vado, & quæretis me, & non inuenietis, sed moriemini in peccatis vestris. Et, Vbi ego sum, vos venire non potestis. Terribilius adhuc est, quod in Matthæo dicit: Nouissimè veniunt & reliquæ virgines, nempè fatuæ dicentes: Domine, domine aperi nobis. At ille respondens, ait: Amē dico vobis, nescio vos. Vndè Christus nō sine causa statim subiunxit, vt vigilemus & parati simus: quia nescimus qua hora veniet filius hominis. Et alibi: Ambulate dum lucem habetis, vt non comprehendant vos tenebrę. Dum lucem habetis credite in lucem, vt sitis filij lucis. In eandem quoque sententiam dixit Ioannes, nouissimam esse horā. Et sanctus Paulus 1. Cor. 7. tēpus esse breue: quocirca monet nos, ne cūctemur. Dum tempus habemus (inquit Gallat. 6.) operemur bonum. Et iterum ait Rom. 3. Scientes tempus, quia hora est iam nos de sumno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Nox præcessit: dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergò opera tenebrarum, &c. Et rursus: Festinemus ingredi in requiem nobis promissam, &c. Id omne eò spectat, vt qui se ęgrotum in anima sua sentit, properet ad Christum, dum adhuc in via est, antequam se cū suis in cœlestem Hierosolymam recipiat. Nihil enim coinquinatum eò perueniet, vti Ioannes dicit, Apoc. 21. Quamobrē aut nunc mundari nos oportet, dum Christū adhuc apud nos in via habemus, aut perpetuò immūdi maneamus necesse est, & exclusi à communione electorum: verùm si nunc id negligimus, audire postmodum cogemur, Nesciò vos. Idcircò meritò nobis Ioannes Apoc. 21. acclamat: Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatē. Foris canes, hoc est, qui belluinam agunt vitā, & omnis qui amat & facit mendacium. Vide, in hoc nobis exēplum istud inseruire debet, nimirū vt ad Christū per pœnitētiā curramus, idq; sine mora. Id quod non temerè moneo. Maior enim pars hominū, primū Adā sequuntur: is nō ad Deū, sed à Deo fugiebat, vndè & tātò grauiores dare pœnas cogebatur. Dauid autē multò aliter faciebat, cur

Ioan. 8. *Ioan. 7.* *Matth. 25.* *Ioan. 12.* *1. Ioan. 2.* *Heb. 4.* *Matth. 7.*

Psal.50. rẽs cũ ingenti cordis contritione ad Deum, & dicens: Tibi
Luc.15. soli Domine peccaui,&c. Sic filius prodigus itẽ verè pœnitẽs ad patrẽ currebat: Pater peccaui in cœlũ & corá te, &c. Qua quidẽ de causa statim inuenit gratiá apud patrẽ. Sed audiemus quid Lucas amplius in hodierno Euangelio scribat, & quomodo sese Christus erga leprosos gesserit, Quos vt vidit (inquit Lucas) dixit; Ite, ostendite vos sacerdotibus, O benignũ & felicẽ aspectũ. Quẽ enim Iesus oculis suæ misericordiæ intuetur, ei proculdubio succurritur. Atqui Christus paratus est omnes eos qui ex animo & in vera charitate ad eũ clamant, ita aspicere: nec illi vllũ officiũ aut honor gratior, q̃ vt secundũ exemplum & imaginẽ istorũ leprosorũ, in omni necessitate ad eum feruenter curramus, & religiosa cũ fiducia illius gratiá, bonitatẽ & misericordiam imploremus. Hac ipsa náq; de causa etiam leprosos, qui alioqui ab omnibus hominibus submoti & exclusi erant, tá humaniter tractauit, & tam clementer se erga illos exhibuit, vt tali opere omnium hominũ corda prouocaret ad viuam fidem & amorẽ sui: & non dubitandũ, quin quẽadmodũ his leprosis fecerat, ita velit etiam facere omnibus iis, qui verò corde currũt ad se, si modò gratiá & bonum humiliter petere á se possint: sicuti fides nostra id secum fert, & animus Christianus semper facere debet. Hoc (inquá) illi gratũ est, vt humiliter & alacriter illius bonitatẽ & misericordiam imploremus, eáq; non abutamur. Id abundè testatũ per hoc fecit, q̃ leprosos volẽs & sine omni cũctatione exaudiuit. Nõ pmittit eis tanquá facturus, sed ita se habet erga illos, quasi iá factũ sit: loquitur perindè ac si petitionẽ eorũ sit executus. Nõ dicit, Miserebor vestri, mũdabimini: sed simpliciter ait: Ite, ostẽdite vos sacerdotibus, quasi dicat; Nõ opus est multa verborũ ambage: iá consecuti estis, quod petitis. Corá me iam mundi estis, quádoquidẽ piá de me fiduciá habetis & spem. Nec aliud iá vobis restat, nisi vt eatis, & mundationẽ vestrá sacerdotibus significetis: quales ego vos iudico, & quẽadmodũ ego sentio, tales estis, tales reperiemini, &c. Hîc vides iá q̃ verè dixerit Hiere, Bonus Dñs sperantibus in illũ, & ani-
Thren.3. mæ quærenti eũ, Ergo accedite (inquit Dauid) ad eũ & illuminamini, & facies vestræ nõ cõfundẽtur. Gustate & videte
Psal.33. qm̃ suauis est Dñs: beatus vir qui sperat in eo. Hęc oĩa nobis ad solatiũ, & ad doctriná scripta sunt, quò videamus, vbi & apud quẽ auxiliũ & salutẽ potissimũ quærere debemus, & quomodo accedere ad eũ debeamus. Quòd autẽ Christus

leprosos ad sacerdotes mittit, habet id primò suã allegoriã, veluti superius in alio sermone dixi. Deindè etiã propterea factũ est, ꝙ in lege Mosi præceptũ erat, ne quis pro leproso excluderetur, nisi à sacerdotibus leprosus fuisset iudicatus: nec reciperetur, nisi mundũ sacerdotes pronuntiassent. Hoc sacerdotibus mandatũ erat, ij de lepra censurã facere debebant. Et habebãt certa sua signa, iuxta quæ iudicare debebant, quis tanquã immundus excludẽdus, & quis tanquam mundus recipiendus foret. Et necessariò id à Deo sic ordinatũ erat. Quoniã enim lepra morbus est cõtagiosus, nec quisquam seipse leprosum agnoscit, etiãsi sentit se leprosum, necessariũ erat, vt id iudicij aliis hominibus delegaretur, ne morbus latius serperet. Facilè tamẽ æstimare est, multò plures leprosos exclusos quàm receptos fuisse, quãdoquidẽ rarò fit, imò non sine singulari miraculo Dei, vt leprosus iterũ mũdus fiat. Sic legimus in veteri Testamẽto nõ nisi de duobus leprosis, qui rursus mundari sunt. Erat Maria Mosi soror & Naamã Syrus. Sed hæc nunc missa facio. De Iudaicis sacerdotibus loquor: hi poterãt ad aliquẽ dicere, Tu leprosus es, proinde excluderis. Cõtrà autẽ dicere nõ poterãt: Mũdus esto, aut mũdare. Leprã cognoscere poterãt, sed non pellere. Et quid solũ dico de lepra? Nec aliis quidẽ in rebus omnibus lex potuit per se quicquã, nisi peccatũ ostendere & manifestare, sed nullũ peccatũ tollere. Peccatori maledicere potuit, sed nullũ maledictione liberare. Celũ homini claudere potuit, sed nõ aperire. &c. Christus ad leprosum dicere potuit, Mũdare. Et mox verbũ res secuta est. Is ad peccatorẽ dicere potuit Mat. 9. Remittuntur tibi peccata tua, & protinus ita factũ est. Is ad defunctũ adolescentẽ dicere potuit: Adolescẽs, dico tibi surge, & extẽplo factũ est. Is ad latronẽ in cruce dicere potuit: Hodie eris mecũ in paradiso, nec falsus est. Nihil itaq; miri, ꝙ leprosi, ægroti, & peccatores hoĩes plus & cupidius ad Christũ cucurrerint, q̃ ad Iudaicos sacerdotes: qui quidẽ dicere alicui poterãt, ꝙ ægrotus, leprosus & peccator esset, sed sola lege sua illum iuuare non poterant. Ad Christũ nemo in vera & viua fide vnquã venit, cui non auxiliũ contigerit. Venite ad me omnes (inquit Mat. 11.) qui laboratis & onerati estis, ego reficiã vos. Hoc multò magis admirãdum est, talẽ apud nos Christianos amplius charitatis feruorẽ nõ inueniri, cùm tamẽ nemo meliora & maiora audiat ac sciat, quàm nos. Id autem aliundè nõ fit, quàm quòd

Leuit. 13.
Num. 12.
4. Reg. 5.
Deut. 27.
Matth. 8.
Luc. 7.
Luc. 23.

arida fide contēti, peccata nostra nō agnoscimus, nō plangimus ac emendamus, nō horremus spiritualē leprā: quinimò nō credimus nos per peccata à regno Dei excludi, cū tamen Paulus toties in suis Epistolis dicat: Qui hoc & hoc faciunt
1.Cor.6. (intellige, peccatū, dedecora & iniustitiā) regnū Dei non
Gal.5. possidebunt. Sed & hæc omitto, quò redeā ad Euangeliū.
1.Thes.4. Ite (inquit Christus) ostēdite vos sacerdotibus. Magnū exēplū veræ humilitatis & magnę existimationis diuinorū mādatorū & constitutionis, quod Christus, qui ipse Deus erat, & longè supra omnes Iudaicos sacerdotes, tantū tamen externis cęremoniis legis Masaicæ & Iudaico sacerdotio tribuebat. Enimuerò lex eum ligare nō poterat, quia ipsemet dominus legis erat. Attamen seruabat legē, & mittebat leprosos ad sacerdotes, iuxta legis præscriptum. Voluit autem per hoc cōmunē dare regulā, vt etiā nos legibus, ordinationibus, moribus & consuetudinibus, in republica receptis & vsitatis subiiciamus cōformemúsq;, quatenus id cum Deo fieri possit, etiā si iure obligati non essemus. Nā si Christus qui dominus est in cælo & in terra, etiā ab omnibus legibus liber, imò verus & vnicus legislator est, seipsum tamē submisit, cur nos miseri homines & grauaremur, tale exēplum capitis nostri, imò domini nostri & Dei imitari: & quod ad communem pacē ac trāquilitatem seruire potest, nollemus seruare & ferre, ne cui offendiculo simus? Certè diuus Pau-

Christus quātum etiā ceremoniis tribuerit.

1.Cor.9. lus hac in parte exemplū Christi grauiter & fortiter imitatus est. Cùm liber essem (inquit) omniū me seruum feci, vt plures lucrifacerem: factus sum iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem. Iudæis factus sum tanquā Iudæus, vt Iudæos lucrarer: iis qui sine lege erant, tanquā sine lege essem (cū sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerem eos qui sine lege erāt. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerē saluos. Hoc animo quoq; Christus leprosos ad sacerdotes misit, ne quis in eo offenderetur, vt qui legē despiceret: contrà verò omnes tantò magis ad eū traherentur, si nec sacerdotes aliter possent iudicare & dicere, quā decē leprosos verè lepra mūdatos esse. Sequitur: Et factū est: dum irent, mūdati sunt. Hîc simul vides virtutē seu omnipotentiā diuini
Mar.9. verbi, nec nō energiā veræ ac viuæ fidei. Vnū verbū à Christo audierant: quia verò illud in vera fide accipiebāt, omnes sanitatem

sanitatem adipiscebãtur. Et hoc est quod Christus in Marco dicit: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et ad Archisynagogũ, cùm filia nuntiabatur mortua, ne quid igitur Christum solicitaret: Noli timere (inquit Christus) tantũmodo crede, & salua erit filia tua. Sic dicebat in Ioanne capi. 11. ad Martham: Si potes credere, videbis gloriam Dei. Sic dicebat in Matthæo ad suos discipulos: Si habueritis fidẽ sicut granũ sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & trãsibit: & nihil erit impossibile vobis. Hæc omnia eò spectant, vt verbo Dei discamus credere, eidémq; per omnia obtẽperare. Siquidem res longè alia est, Dei verbũ & hominis verbũ. Omnis homo ex seipso mendax, inquit Dauid. Tum hominis verbũ per se incertũ est & dubium. Deus autẽ verax est (inquit diuus Paulus, Roma. 3.) vndè etiã verbum eius certũ, verax, & omnipotens est. Dixit, & non faciet? inquit Balaã. Num. 23. Et Christus in Euãgelio: Cœlum & terra transibunt, verba autẽ mea non transibunt. Sequitur in Euangelio. Vnus autẽ ex illis vt vidit, quia mũdatus est: regressus est, cũ magna voce magnificãs Deum. Hic vides, quid post acceptã gratiam & beneficia facere debeamus, nimirũ grati esse. Id enim à nobis exigit Deus. Sacrificium laudis, inquit Psal. 49. honorificabit me: & illic iter, quo ostendã isti salutare meũ. Ideo dicit Dauid alio in loco: Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius, &c. Et iterũ Psal. 115. Quid retribuã Domino pro omnib⁹ quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, in atriis domus Domini, in medio tui Ierusalem. Sequitur. Et hic erat Samaritanus. Hoc addit Lucas, quò huic homini sua laus maior, alii verò tantò reprehensione maiore digni cognoscerẽtur. Huic, inquam, etiam corã hominibus perpetuo honori est, quòd cùm Ethnicus esset, tamẽ se tam gratũ erga Deũ & Christũ exhibebat, Deũ laudabat, Christo gratias agebat. E diuerso aliis corã hominibus æterno dedecori est, quòd cũ Iudæi, hoc est, ex populo fideli essent, & tamẽ pro tãta gratia & beneficio neq; Deũ glorificabant neq; Christo gratias agebãt. Idem adhuc fieri in mundo cõsueuit, vt qui omniũ maxima scientia & donis præditi sunt, omniũ sæpè sint ingratissimi. Sic inuẽtũ est apud Israëlitas, sic inuenitur apud nos Christianos: quẽadmodum etiã hîc inter decẽ viros leprosos maior pars ingrati, imò non plures vno grati fuêre inuenti. Idem

Mar. 5.
Matt. 17.
Psal. 115.
Luc. 21.
Psal. 102.

Matt.20. adhuc inter nos vsu venire assolet: multi enim vocati sunt,
Esai.10. pauci verò electi. Si enim fuerit populus Israël quasi arena
Esa.1. maris, reliquiæ conuertentur ex eo: imò nisi dominus reliquisset semẽ, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrhæ similes essemus. Quarè nõ satis est nos vocatos esse, benè
Matt.24. incipere, ad tempus deuotos esse, bona multa accipere, &c. Scriptũ est, Quicũq; perseuerauerit in finẽ vsq;, saluus erit. Ad talẽ quoq; dicit Christus, Fides tua te saluũ fecit: vade in pace. Faxit Deus vt omnes in illius gratia & vera pietate & charitate perseueremus in finem vsque, Amen.

QVINTVS SERMO DE Euangelio & Epistola.



IN hodierno Euangelio duo hominũ genera nobis proposita sunt: hi oẽs eiusdẽ erant naturæ, vno laborabãt morbo, & vno tenebantur desiderio ad sanitatẽ adipiscendã, & oẽs simul sanitati restituebãtur. Ad extremũ autem disiungebat eos gratitudo & ingratitudo, adeò vt nouẽ ex illis ingrati manerẽt, vnus tãtũ Deo gratias ageret. Et si rẽ verè æstimare voluimus, cõperimus nõ solũ fuisse historiam, sed etiã præfigurationẽ rerũ futurarum. Talia enim etiã in regno Christi, hoc est, in sancta eius Ecclesiã fieri debebant, & erãt futura: quẽadmodum quidẽ factũ est, & etiã
Luc.8. dum fit quotidiè. Enimuerò Euãgelistæ nõ sine causa similitudinem de semine, quod vix pro quarta parte fructificat,
Matt.13. tam diligẽter descripserũt. Nec Christus sine causa dixit & indicauit, Apostolos rete suo piscatorio, hoc est, sua prædicatione nõ solùm bonos, sed etiã malos homines tracturos. Hæc omnia Sancti Apostoli experti sunt. Beatus Paulus prædicabat Euãgeliũ magno cũ fructu, attamen sæpenumerò inueniebat quod reprehẽdere cogebatur, & reprehendebat magna cũ seueritate, etiam in iis, quos antea docuerat. Hoc luce meridiana clariùs apparet in eius Epistolis, præcipuè ad Corinthios, & ad Galatas. Eius rei argumenta inuenis in prima Epistola ad Corinthios, primo, secũdo, tertio, quarto, quinto, & sexto capite, & penè ad finẽ vsq;. In altera Epistola idẽ inuenis, vndecimo & duodecimo capitibus. Galatæ Euãgeliũ Christi tanta cupiditate acceperãt, vt Pau-
Gal.4. lus ipse de illis diceret: Testimoniũ perhibeo vobis: quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Sed

quousque

quousque in hoc ardore permanebāt? Sanè non diu. Nā ille ipse Paulus postea cogebatur eos seuerissimè culpare,& hęc ad illos perscribere verba: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit nō obedire veritati? Quēadmodū igitur Christus mundū reliquit,& quēadmodū sancti Apostoli mundū inuenerunt: ita illum nos adhuc inuenimus. Quando aspicimur tanquàm homines, omnes sumus æquales, omnes leprosi sumus, omnes in peccatis concepti & nati sumus, veluti Dauid dicit: omnes sub peccatum venundati sumus, vti Paulus dicit Roma. 7. imò oēs pariter corā Deo immundi sumus, sicuti Isaias ait cap. 64. Porrò si aspicimur ceu Christiani, rursum æqualiter sumus per baptismū à peccatis purificati,& in regnū Dei suscepti. Etenim ad omnes in cōmune dicit Paulus: Eratis aliquādo tenebræ, nūc autē lux. Et iterum: Loti & sanctificati estis per nomē domini nostri Iesu Christi. Vt ergo omnes pari modo, hoc est, miseri peccatores ad Christū venimus: ita etiā pari modo ab illo in baptismo mūdamur. Proinde siue respicimus ad primā nostram natiuitatē, siue ad nostrā spiritualē regenerationem, oēs æquales sumus. Sed finis nos discernit, quòd gratia nō simili modo vtimur: imò quòd maior pars omniū donorū Dei obliuiscitur,& post acceptā gratiā deterior fit, vt multis hominibus præstaret, si veritatē nunquàm agnouissent: quàm quòd post agnitā veritatē retrocedant, vti Petrus dicit. Imò satius esset nonnullis (veluti Christus ait Matt. 26.) eos natos nūquàm fuisse. Adeò dissimiles (inquā) simus post acceptam gratiā. Alius hac, alius illac currit. Alius gratus, alius ingratus est: Alius hoc studet, vt in gratia maneat,& per bona opera certā faciat vocationē suam: alius nō magnoperè curat eā. Alius bonis rebus operā nauat, alius malis. Nō solùm inter decē, sed etiā vix inter centū vnus reperitur, qui perseueret vsque in finem. Hæc inæqualitas autē & dissimilitudo inde adeò nascitur, ꝙ duo in nobis habemus, quę pugnant inter se, nimirùm carnē & spiritūm: atq; ambo quidem impellunt, caro ad malū, spiritus ad bonum. Si omnes caro essemus, aut oēs spiritus, æqualiter omnes affecti essemus, aut ad bonū, aut ad malū. Quia verò vtraq; hæc habemus,& alius spiritū, alius carnē sequitur, hoc parit inæqualitatē, vt nō eiusdem simus animi, nec eadem amemus faciamúsq;. Eam'que ob causam enumerat S. Paulus multa opera carnis, itémque fructus spiritus. Per carnē autē intelligit

Gal. 3.
Psal. 50.
Eph. 5.
1. Cor. 6.
1. Pet. 2.
1. Pet. 2.
Gal. 5.
Ibidem.

hominem, qualis ab Adam est & venit. Per spiritum etiam intelligit hominē, sicuti per Christum regeneratus est. Hi duo homines adhuc simul sunt in Christiano. Adam nondū penitus extinctus est, nec purus spiritus est in Christiano, sed carnem etiam adhuc in se habet. Quapropter nunc ad hoc, nunc ad aliud propensus est. Vnde semper etiā bellum & pugnā in seipso sentit. Carnalis homo, quatenus ab Adā venit, ad carnalitatē impellit, ad irā, ad rixas, ad omnia mala. Nouus autē & spiritualis homo, ex Christo per Spiritum
Ioan.3. sanctum renatus, ad amorem & omnia bona impellit. Qua-
Gal.5. tenus ergo impulsum veteris hominis sequimur, nil nisi caro sumus. Quod enim ex carne natū est, caro est. Quatenus verò instinctum diuini Spiritus sequimur, filij Dei sumus. Hoc facit inter homines inæqualitatē illam, ꝙ semper plu-
Matt.20. res sunt, qui instinctū carnis, quàm impulsum Spiritus sancti audiūt. Hinc fit, vti superius dictū, vt etiā inter nos Christianos multi vocati sint, cæterū pauci electi. Tantū hac de re, quod decē viri leprosi initio tam equaliter, in fine autē tā inæqualiter affecti fuerūt. Alioqui si in tota historia considerē, quàm magna illi leprosi viri cupiditate & desiderio ad corporalē sanitatē recuperandā flagrauerint, & fuerint accensi, cū casu in Christū inciderent eique occurrerent: &
Luc.19. quàm illis sine mora, & haud grauatè Christus opē tulerit, licet nihil de ipso bene meriti fuerāt: equidē nihil scio quod precer melius & optem, quàm vt cū Christo dicā, Vtinam &
Deut.32. nos probè cognosceremus. Et cū sancto Moyse: Vtinā saperemus & intelligeremus, & nouissima prouideremus. Nam si tantū videre possemus, quantū hi leprosi viri viderunt, cū in seipsis tum in Christo, haud minore cū vtilitate præsentia ei⁹ vteremur, quā illi fecerūt. Illis morbus erat res admodū molesta, multò res molestior, ꝙ morbo laborabant, quē oēs homines abominabātur & fugiebāt. Omniū autē grauissimū eis erat, quod per omnē vitā ab omniū hominū cōmercio segregati esse debebant. Hoc in illis excitabat tantū ardorē. Hinc illorū clamor, ideò tam seriò instabāt oratione
Peccata quātum nos dehonestent. ad Christū. Quòd si etiā videre possemus prauitatē malæ vitæ nostræ, & quàm nos peccata nostra contēptibiles, deformes & tetros faciant coram Deo, omnibus angelis & electis, quin etiam nos æternum à Deo & electis eius separent: possemúsque præterea credere, Christū in hodiernū adhuc inter nos esse & degere, non minorem habere potestatem

ſtatem & bonitatem quàm ſemper habuit, nihil in ore crebrius habituri eſſemus, quàm verbum, orationem, & clamorem, quo decem viri leproſi vtebãtur, Ieſu præceptor miſerere noſtri. Quæ oratio ſi aſsidua & ardens apud nos eſſet, atque ex corde verè contrito proficiſceretur, facturus etiam Chriſtus adhuc apud nos eſſet, quod apud decẽ viros leproſos fecit. Sed abſconditum eſt ab oculis noſtris. Nolumus ſcire & intelligere, ſed ambulamus in tenebris. Sapientes & prudentes ſumus ad faciendum malũ: ſed bona facere, & rectè nobiſipſis cõſulere nolumus, vti Hieremias dicit. Peccatorum noſtrorũ nõ recordamur, nec credimus illa tam grauia eſſe: ideò etiam nõ clamamus, non plangimus. Non rectè credimus (inquam) ideò nec loquimur. Alioqui ſi cũ Dauide ita vt oportet crederemus, vtiq; etiam cum illo loquemur. Conſultè igitur factum, quòd nobis in hodierna Epiſtola ſpiritualis noſtra lepra ob oculos ponitur, quò maiorem occaſionem habeamus ad vtendũ tantò melius Chriſto ſeruatore noſtro, dum propè eſt. Ambulate ſpiritu (inquit Paulus) & deſideria carnis non perficietis, &c. Hæc hodierna fuit Epiſtola. Vbi clarè indicatũ eſt, quid ſpiritualis lepra ſit, & quibus ſignis agnoſci queat. Siquidem etiã Moyſes ſuis ſacerdotibus ſigna quædam præſcribebat, ex quibus videre & internoſcere poterant lepram à non lepra. Tum mundus etiam adhuc ſigna ſua & notas quaſdam habet, ad diſcernendum, quis leproſus ſit, quis nõ. Alioqui fit ſæpenumerò, vt pro leproſo quis habeatur, qui tamen mundus eſt: alius verò mundus cenſetur, qui lepra infectus eſt. Sic & in ſpiritualib' rebus. Facilè quis de ſeipſo dixerit: Chriſtianus ſum, fidem habeo & ſpiritum Chriſti. De aliis autẽ, hic impius eſt, hypocrita: neq; ſpiritũ, neq; fidem habet. Facile dictu hoc eſt: ſed fieri poteſt, vt vtrobique falſus ſis, vt tibiipſi nimiùm credas, & nimis magnificè de teipſo ſentias: alium verò nimis proteruè & iniquè iudices & condẽnes. Quapropter ponit Paulus in hodierna Epiſtola certa quędam ſigna, quibus cognoſcere poſſumus, quis ſpiritualiter & corã Deo ſanus aut ægrotus, mundus aut immundus ſit. Nam vbi verus amor, ſpirituale gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, cõtinẽtia, caſtitas eſt, ibi Spiritus ſanctus regnat. Verùm ſi in homine nihil aliud ſentiatur, quàm ſcortatio, adulteriũ, laſciuia, veneficia, inimicitiæ, lites, liuor, ira, diſsidia, ſimultates, odia, homici-

Luc. 19. *Pſal. 81.* *Hiere. 4.* *Pſal. 115.* *Gal. 5.* *Leuit. 13.* *Spiritus ſanctus in quibus inſit.* *Signa carnalis hominis.*

homicidia, crapula, ebrietas, & id genus alia, ibi certum est, hominẽ intus ægrotare, & plus carnis quàm spiritus habere. Tali subueniri aliter non potest, quàm vt leprosum se agnoscat: & ad Christum toto corde cõuersus, clamet vt vitia eius sua gratia curare velit. Quod nisi faciat & maturè, dum Christus adhuc in via est, immota sententia manebit, quam Paulus pronuntiauit. Prædico vobis (inquit) sicut prędixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei nõ consequẽtur. Hoc nobis hodie cõsiderãdũ datur, id quod quiuis Christianus ad animũ reuocare debet. Siquidem Paulus nõ frustrà tanta cũ grauitate locutus est. Et horribile sonat, quod dicit: Qui talia agunt, regnum Dei nõ cõsequentur. Maximè, quia multa eiusmodi enumerat: neq; tamen illis contentus est, sed dicit: Et his similia: eaipsa nominans, quæ potissimùm in nobis conspiciuntur, & quæ planè in nobis regnant & inualuere.

Gal. 5.

Christianus verus quis sit.

Etenim si veri Christiani essemus, dominaretur in nobis vera charitas & in Deũ & in omnes homines: tam aliorum hominum salute & fortunis gauisuri essemus, quàm nostra ipsorum salute: pacem & concordiam amaturi, pacifici futuri, & pacem facturi seruaturiq; essemus ergà quosuis: comes essemus in verbis, benefici in operibus, cõpatiẽtes in corde, modesti & pudici in nobisipsis, &c. At quid videtur & deprehenditur in nobis, nisi turpe adulteriũ, vti negare nemo potest? nec aliud vulgare magis apud iuuenes & senes, apud Ecclesiasticos & seculares, quàm scortatio: impudicitiam & inuerecundiã, tam in verbis quàm in gestibus, nemo ampliùs pro peccato æstimat. Inimicitiæ, inuidia, odiũ, ira, contẽtio, dissidium omniũ animos occupauit: crapula & ebrietas supra modum est, & plus quàm Christianos, imò homines decet: attamẽ Christianos nos existimamus: nemo has horret lepras, neque ij etiam, qui alioqui tam teneri sunt, vt oculos & nares obstruant, si vel procul leprosum videant aut sentiant. Nec alius alium monet ad cauendas has lepras: quinimò alius alium prouocat ad peccatum, & affricat illi suam lepram. Et ad hæc omnia, non aliter facimus, quàm si nunquam à peccatis liberati fuissemus, nunquam de Christo audiuissemus: imò perindè ac si neque cœlum neque infernus foret, & veluti nullum nobis immineat periculũ. Et tamen audimus, quàm seuerè hîc Paulus loquatur, vt qui talia faciant, regnum Dei consequi non possint. Quinimò Paulus etiam deindè dicit, illos tantùm Christi esse, qui carnem suam

ſuam cum concupiſcentiis eius & vitiis crucifigunt. Adimit nobis per hoc omnem excuſationem, quam quis prætexere poſsit, quaſi nihil poſsit aliud facere, quàm quemadmodum aut quò eum praua ſua cupiditas, & natura ducat. Verum eſt (vult Paulus dicere) quòd carnem noſtram & corruptam naturam in nobis gerimus, & illa ſpiritui reluctatur: prouocat nos ad malum, vt non ſemper affecti ſimus, vti decebat, & vt libenter vellemus. Non autem ex hoc ſequitur, nos nihil propterea boni facere, aut vitiis minimè dominari poſſe. Quippe iam non de Iudæis & Gentibus, ſed de nobis Chriſtianis loquor. Graue eſſe, & impoſsibile eſſe, longè diuerſiſsima ſunt. Graue etiam eſt Chriſtiano bona facere, ſed impoſsibile illi non eſt. Neque ſequitur ex eo, vt propterea malum neceſſariò faciamus, quia propenſi ad id ſumus. Multò aliud eſt, cùm dicimus, Homo ad malum propenſus eſt: &, hominem oportet malum facere. Paulus dicit quidem, carne authore, nos in malum procliues eſſe: ſed non dicit, nos malum facere oportere. Quid ita? Spiritum etiam habemus. Si non niſi carnem haberemus, nil boni facere poſſemus, nec malo vlli reſiſtere. Sed ſcire oportet, ingens diſcrimen eſſe inter nos Chriſtianos & alios homines. Qui nil niſi homo eſt, nil niſi caro eſt. Tum euenit quod Ioannes dicit: Qui de terra eſt, de terra loquitur. Et Paulus: Qualis terrenus, tales & terreni: ita ſecundus homo de cœlo, cœleſtis. atque ideò non ſolùm carnem habet, ſed etiam ſpiritum, qui eum æquè impellat, prouocet & trahat ad bonum, atque illum caro ad malum pellicit. Si potes animaduertere, quò tua te corrupta natura ducit, nempè ad adulterium, ſcortationem, iram, cædem, &c. & videris tibi ſequi oportere: animaduerte etiam quò te ſpiritus trahat, nimirùm ad charitatem, pacē, patientiam, comitatem, pudicitiam, & perſuade tibi neceſſariò ſequendum eſſe. Fratres, non excuſabimur, quòd caro nos & deprauata naturæ ad malum pellicit. Ambulate in ſpiritu (inquit Paulus) & deſideria carnis non perficietis. Verùm vnum audire gaudemus, at non alterum. Imò interdum iactamus nos libenter bona facturos, ſi poſſemus: mala libenter omiſſuros, ſi in noſtra eſſet poteſtate. Paulus autē dicit, nos poſſe quidem, ſi vellemus: indicans magis volūtatem in nobis, quàm facultatem deſiderari. Agè ergo hoc reſtabit, vt noſtram lepram & impuritatem, ex hodierna iſta Epiſtola diſcamus agnoſcere: nec nobiſipſis blandiamur, ſed omnem adhi

Vitia nos impugnant, ſed iis reluctari debemus.

Ioan. 3.

1. Cor. 15.

Gal. 5.

Et tum omnia poßibilia ſunt credenti, ſed verè credenti, nō inſtar hæreticorum.

adhibeamus operam, vt mundemur, dum adhuc Christum in itinere habemus, ne nobis elabatur, & nos à cœlesti Hierosolyma ob lepram nostram & peccata excludamur. Deus nobis omnibus suam largiatur gratiam, Amen.

DOMINICA DECIMASEXTA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM MATTH. VI.

Luc. 11. NEmo potest duobus dominis seruire: aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget: aut huic adhærebit, & alterum negliget. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Propterea dico vobis, ne sitis soliciti vitæ vestræ, quid esuri sitis aut bibituri: neque corpori vestro, quibus indumentis vsuri. Nónne anima pluris est quàm cibus? & corpus pluris quàm indumétum? Vertite oculos ad volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, neque conuehunt in horrea, & Pater vester cœlestis alit illa. Nónne vos longè præcellitis illa? Quis autem ex vobis solicitè cogitando, potest addere ad staturam suam cubitum vnum? Ac de indumento quid soliciti estis? Cognoscite lilia agri quomodo crescant: non laborant, neque nent. Attamen dico vobis, ne Salomonem quidé in vniuersa gloria sua sic amictum fuisse, vt vnum ex his. Quòd si gramen agri, quod hodie cùm sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: ánnon multò magis vobis id faciet? ô parum fidentes. Ne sitis igitur soliciti, dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur. Nam omnia ista Gentes exquirunt. Nouit enim Pater vester

ster cœlestis, quòd opus habeatis his omnibus. Quin potius quærite primùm regnum Dei,& iustitiam eius,& hæc omnia adiicientur vobis.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI, GALAT. V. ET VI.

FRatres: Si viuimus Spiritu, Spiritu & incedamus. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem nos prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres: etiam si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi Spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum ne & tu tenteris: inuicem alij aliorum onera portate, & sic complete legem Christi. Nam si quis sibi videtur aliquid esse, cùm nihil sit, suum ipse fallit animum. Opus autem suum probet vnusquisque, & tunc in semetipso tantùm gloriationem habebit, & non in alio: vnusquisque enim propriam sarcinam baiulabit. Communicet autem qui catechizatur sermone ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Ne erretis: Deus enim non irridetur. Quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem: sed qui seminat per Spiritum, de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem faciendo ne defatigemur. Tempore enim suo metemus non defatigati. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum, cùm erga omnes, tum verò maximè erga domesticos fidei. Cap. VI. Roma. 2.

PRI

PRIMVS SERMO de principio Euangelij



NON equidem ſpero, inter nos Chriſtianos quemquã adeò durum & immobilem eſſe, cui hodiernum iſtud Euangelium, non peculiare gaudium & ſolatium afferat, quandoquidem à capite ad calcem vſque conſolatoriis verbis refertum. Etenim hîc cõperimus Chriſtum non ſecus facere quàm fidelis medicus ſolet, cui ægroti conditio nota eſt: & idcircò nihil non tentat, quò illi ſuccurrat. Atqui nihil eſt, quod hominem magis angat & irrequietũ faciat, quàm ventris & corporis cura. Atque vtinam vel pro decima parte tantum curæ impenderemus noſtris animabus, quantum pro corpore & ventre facimus. Hoc ſcit Deus, atque eam ob rem ſuos omnibus temporibus cõtra eiuſmodi inutilem curam muniuit, non verbis tantùm, ſed etiam exemplis.

Chriſtus peritiſsimus medicus.

Primò namq; quot inuenimus vel in ſolo Dauide & eius Pſal. conſolatoria verba, ad hanc rem facientia? Dominus (inquit) regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuę ibi me collocauit, Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitię, propter nomen ſuum. Et iterum: Ecce oculi Domini ſuper metuentes eũ, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Et rurſus. Timete Dominum omnes ſancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Item: Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Quia nouit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternũ erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur. Et iterum: Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorũ in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione, &c. Ne quis autem hîc cogitet, nuda eſſe verba, ecce Deus ſæpè & multum ipſo facto comprobauit, & omninò certis exemplis. Nam quis primos noſtros parentes pauit in paradiſo? Quis Abraham, Iſaac & Iacob pauit in longa eorum peregrinatione? Quis Iſraëlitas in tanto numero quadraginta annos pauit in deſerto? Quis optimum Eliam pauit in triennali

Pſal. 22. *Pſal. 32.* *Pſal. 33.* *Pſal. 36.* *Pſal. 144.*

fame & caritate? Quis quinq; millia hominũ tẽpore Christi pauit in solitudine? Quis pascit in hodiernum adhuc omnia animantia & tot hominũ millia? nimirùm Deus. Talia exẽpla nobis sufficere meritò debebãt. At verò etiã Christus in hoc toto Euangelio nihil facit aliud, quàm vt nobis omne dubiũ & pusillanimitatẽ ex animis nostris eximat. Perindè ac si dicere voluerit: Quid dubitatis vos Christiani, qui tã diuitem dominũ habetis? Dubitẽt Ethnici, qui de Deo nihil sciunt. Quinimò meritò pusillanimes eos vocat, qui sub tam opitulento & benigno patre soliciti sunt, ne fame pereant. Et quid multis verbis opus est? Euangeliũ istud certos nos per omnia facit, Deũ se à nobis nunquã alienaturum, deserturúmq; nos, si fideliter illi adhęreamus. Omnẽ sollicitudinẽ proiicite in eũ (inquit Petrus) quoniã ipsi cura est de vobis. Tantò charius & dignius esse nobis debet istud Euangeliũ. Audi itaq; quid Christus in eo dicat: Nemo potest duobus dominis seruire. Ante hæc verba Christus suos discipulos & credentes hortatus est, primò ad eleemosynã, & deindè ne tẽporalibus addicti nimiũ essent. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, inquit: monẽs, nos nõ creatos & redẽptos esse ad posside ndã terrã, sed cœlũ. Atqui tẽporalia malè seruata, nihil facere possunt ad cœlũ assequendũ. Nil proderunt thesauri impietatis, inquit Salomõ, iustitia verò liberat à morte. Et Iesus Syrach: Noli attẽdere ad possessiones iniquas: nihil enim proderunt in tẽpore vindictæ & obductionis. Quò autẽ hoc faciliùs in animos nostros intret, geminũ nobis Christus ostendit periculũ & dãnũ, quod nobis ex tẽporalibus imminet. Primò, ꝙ spiritualia & æterna per ea negligimus. Et secundò, ꝙ nec tẽporalia seruare possumus. quandoquidẽ fures ea nobis aufferre possunt, quin etiã ærugo & tineæ cõsumere. Diuitiæ enim magno labore parãtur, difficulter conseruantur, & postremò tandẽ amittendæ & relinquendæ sunt etiam nobis inuitis. Ea propter scribit Paulus ad discipulũ suũ Timotheũ: Diuitibus huius seculi præcipe, nõ sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruẽdũ, &c. In hisce verbis Paulus pulchrè indicat, quo modo diuitiis vtendũ sit. Primò, ne in iis speremus: siquidem corã iudicio Dei magis valebit bona conscientia, quàm crumena onusta, quandoquidem iudex ille neque personam respicit, neque muneribus mouetur. Secundò, vult

1. Pet. 5. *Mat. 5.* *Ibidem.* *Prou. 10.* *Eccl. 5.* *1. Tim. 6.* *Diuitiis vtendum.*

Paulus vt diuites in Deo ſperent, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum. Qua re ſubindicat, nos omnia à Deo habere. Vnde conſequitur te nõ dominũ propriorũ, ſed diſpenſatorẽ alienorũ bonorum eſſe. Quid enim habes, quod
2. Cor. 4. non accepiſti? Tertiò, vult Paulus, vt qui tẽporaria bona habet, enitatur vt diues fiat in bonis operibus. Ac tum tibi pecunia tua prodeſt, nõ quãdo eam in terrã defodis, ſed ſi tibi
Luc. 16. amicos illa facias, qui te deficientem in æterna tabernacula recipiant. At verò vide iã, quàm illi ab hac doctrina Christi longè abſint, qui omnẽ ſuã diligentiam eò conferunt, vt multa tẽporalia congerant: longius autem abſunt, qui ſuis opibus vti ipſi non audẽt, qui proculdubio omniũ infeliciſſimi homines ſunt, vt qui ex ſuis tẽporariis bonis nihil habent aliud, & inde reportant, quàm curas, ſollicitudines, la-
Eccl. 6. bores & anxietates, vti Salomon ait: Eſt malũ quod vidi ſub ſole, & quidẽ frequẽs apud hoĩes, vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiã & honorẽ, & nihil deeſt animæ ſuę ex omnibus quæ deſiderat: nec tribuit ei Deus poteſtatẽ, vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud. Et iterum: Cõſiderãs
Eccl. 4. reperi & aliã vanitatem ſub ſole. vnus eſt, & ſecundum non habet, nõ filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitiis, nęc cogitat dicẽs: Cui laboro, & fraudo animã meam bonis? in hoc quoq; vanitas eſt, & afflictio peſsima. En, propterea docet & dicit Chriſtus:
Matth. 6. Nolite theſaurizare theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Plerique quidẽ aiunt & perſuaſum habent, ſe probos & diuites ſimul eſſe poſſe. Eſto: verùm non ſine cauſa Chriſtus dixerit, diuitẽ dif-
Mat. 19. ficile intrare in regnũ cœlorum: imò facilius eſſe camelũ per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. In cauſa eſt, ꝙ temporaria bona raró rectè parentur, vel etiam vſurpentur. Omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Sententia eſt etiã antiquis Eccleſiæ doctoribus vſitata. Summa, magnæ diuitiæ nunquàm vel raró ſine peccato parantur aut conſeruantur. Hæc cauſa eſt, cur nos Chriſtus in hodierno Euangelio ab inutili cura, imò à pernicioſa auaritia & cupiditate temporaliũ bonorũ arceat. Nemo (inquit) poteſt duobus dominis ſeruire. Hoc autem ſeruire
Seruus quis ſit. alicui eſt, ſi voluntati eius mos geratur, vti Paulus dicit, Seruus eſt eius cui quis obedit. Atqui fieri non poteſt in mundo
Rom. 6. & inter homines, vt ſeruus duobus poſsit ſeruire dominis,

&

& satisfacere, quālibet concordibus, multò minus discordibus. Nam hic seruus necessariò, si vni placere velit, alterum deserere cogitur & offēdere. Tali verò exēplo Christus omnes eos taxat, qui existimant se velle & posse mundo & Deo, mundi principibus & Christo simul seruire & placere. Non redit illis in mentem, quod S. Iacobus dicit: Quicunq; voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei cōstituitur. Nō meminerunt quod Paulus dicit: Quæ conuentio Christi ad Belial? Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ pars fideli cū infideli? Cōtra tales homines clamat Elias: Vsquequo claudicatis in duas partes? Si dominus est Deus, sequimini eum: si autē Baal, sequimini illum. Sic vtroq; claudicāt, qui Euangelium Christi in ore habent & prætexunt, & nihilominus tamen mūdo & eius principibus adulantur: videri volunt, quasi qui Dei honorem quærāt: cùm tamen nō nisi seipsos quærant. Sed quid dicit Christus? Non potestis Deo seruire & mammonæ. Māmona Syriacis sunt diuitię. Nemo his duobus dominis, Deo & tēporalibus bonis simul inseruire potest: quia talia mandant ac iubent, quæ per omnia contraria sint. Deus pręcipit, vt tua largiaris egenti fratri & proximo, eiq; succurras in necessitate: & vt sobrius sis tēporatéq; viuas. Auaritia iubet & hortatur te, vt aliena rapias quibuscunq; possis modis, quo iure quáq; iniuria, & in omni voluptate vitá transigas, non obstāte, ꝙ frater tuus in necessitate & egestate cōstitutus sit. Quisquis ergo auaritiæ sese mancipat, eiúsq; volūtatē facit, Dei seruus esse nō potest. Deus enim totū hominē in suo seruitio requirit, non dimidiatū, in quo hostis partē & cōmunionē habeat. Hoc diuites sibi dictū meritò existiment, secúmq; deliberent, vtrū ex his duobus, Deū an auaritiā dominū habere malint & seruare. In Matthæo accedēs quidā ad Christū, magna promittebat, facturū se omnia iussa: rogabat quid facere oporteret: cęterū Christo dicēte, Abi & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, tristis discedebat, quia locuples erat. En, hic conabatur seruire Deo, sed prohibebat eū auaritia: imò quàm auaritiā & bona vellet relinquere, prius Christū & Euangelij eius sanctissimū consiliū relinquebat. Vndè & Christus verba quæ superius commemoraui, statim subiicit, Difficilè diuites intrant in regnū cœlorū, &c. Obserua tamen, ꝙ Christus non dicit, Nō potestis Deū & tēporalia bona simul habere: sed, Non potestis

Iaco. 4.

2. Cor. 6.

3. Reg. 18.

In pseudoeuangelicos, veros hypocritas.

Mammona.

Deut. 15.

Deus totum vult hominē.

Mat. 19.

Deo seruire & mãmonæ. Lõgè enim aliud est, bona habere tẽporalia, & iis seruire. Diuitias habere per se malũ nõ est: quinimò benedictio est Dei. Benedictio enim Dei diuites facit, inquit Salomon. Tũ dicit Paulus, Diligẽtibus Deũ omnia cooperantur in bonũ. Sic etiã Iob temporalia bona habebat, & quidẽ plurima, verùm non seruiebat illis, sed dominus erat eorum, & impartiebat illa egentibus. Pater eram (inquit) pauperũ, & benedictio perituri veniebat super me. Et iterum cap. 31. Si negaui quòd volebant pauperibus: si cõedi buccellam meã solus, & non comedit pupillus ex ea. Si despexi pereuntem, eò quod non habuerit indumentum, & absq; operimento pauperem. Quia ab infantia mea creuit mecũ miseratio, &c. Si putaui aurũ robur meũ: & obryzo dixi, Fiducia mea. Si lętatus sum super multis diuitiis meis. Talis erat Dauid, qui sedens in amplissimo regno, dicebat: Ego mendicus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei. Quasi dicat: Quantũcunq; diuitiarũ habeo & bonorũ tẽporalium, certus tamen sum, ꝙ in illis me Dominus enutrit. Alioqui diuitiæ ex seipsis conseruare me non possent. Sic docet etiã alios homines: Diuitiæ si affluant (inquit) nolite cor apponere. Hunc in modũ diuitiis qui vtitur, bonorũ suorũ dominus est & non seruus. Is autem homo seruit mammonæ & tẽporalibus bonis, qui nimium illis inhiat, & quem amor temporalium bonorũ totũ possidet: nullam illi permittit quietem, facit vt iniquè illa acquirat, solicitè possideat, nec possit interdũ ipse illis frui: hic seruus est bonorũ suorũ. Hoc sentit Christus, vbi ait: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Sed hic confer vitam nostrã & mores cum hisce verbis Christi. Quò nostrę cogitationes & consilia tẽdunt, quàm vt quãplurima bona conquiramus? Hoc maximũ est, pro quo nunc solliciti sumus. A minore vsq; ad maiorẽ omnes auaritiæ student, inquit Hiere. à propheta vsq; ad sacerdotẽ pecuniã sectamur, pro pecunia & bonis digladiamur, & pecuniam nacti, pro nulla alia re curam gerimus. An non autem magna vesania est, quòd viles & insensibiles res tanti facimus? Quid tu Christiane temporalia bona tantoperè curas, cui æterna promissa sunt? Quod etiam Ethnici Philosophi despexerunt, tu Christiane in pretio habes, cui tamen longè meliora promissa sunt? Inter omnia, quæ bona sunt & nominantur, etiam Ethnici temporalia bona & diuitias in infimo posuerunt loco, & pro vilissimis

Prou. 10. Rom. 8. Iob. 19. Psal. 39. Psal. 61. Hier. 6. In pecuniæ cupidos.

lissimis habuerunt. Nec quicquam ita extra hominem est, vt pecunia, nihilq; quod minorem adferat vtilitaté. Nam etiamsi omne aurum & argentum quod in terris est, solus haberes, esséśne tantò melior, tātò doctior, tātò sapientior, vel etiam in corpore sanior? Num illud aurum & argentum te formosiorem, saniorem, & iuniorem facere posset? Minimè profectò. Diuitiæ autem adferunt gaudium & voluptatem, dicat quis, faciúntq;, vt homo in honore sit. Respōsum. Esto, adferant sanè diuitiæ gaudium & voluptatem, sed per niciosum gaudium & voluptatem. Nam verum gaudium & voluptas, est tranquillitas, & pax cordis. Bona tua quid honoris tibi conciliant? vt tibi populus cedat & intueatur te? Homo stulte, non te aspiciunt, sed vestes tuas. Si miseria & egestas animæ tuæ oculis eorum pateret, infelicissimum te dicerent, quem nunc beatum iudicant. Verus honos est Deo placere. Inquis, At diuitiæ amicos conciliant. Responsum: Non nisi falsos amicos, qui amant te quidem, sed proprij sui commodi gratia. Nemo te tanto amore prosequitur, quin te mortuum mallet, quò tua bona acquireret. Et vt vno verbo omnia dicam, commoda quæ diuitiæ afferunt, falsa sunt, vana, & instabilia. E diuerso autem adferunt vera mala, miserias & calamitates, curas, anxietates, inquietudinem, laborem, hominémq; veris bonis & opibus spoliant, nimirum pace cordis, quod summum & iucundissimum bonum est in terris. Abi ergo tu Christiane, & mirificè admirare temporales diuitias, quas etiam Ethnici spreuerunt.


Diuitiæ pernitioso afficiunt gaudio.

Quare si sentis te aut natura ad auaritiam propensum, aut dæmonē malū ad eam te instigare, reputa tecum primò dignitatem creationis tuæ: qui in hoc solùm creatus atque etiā redēptus es, vt æternis bonis fruâre. Huius vocationis nos admonet Christus, vbi ait: Non potestis Deo seruire & mammonæ, perindè ac si dicat: Dei estis serui, quos magno redemit: imò non estis vestri ipsorum iuris, sed eius qui redemit vos, & pro vobis mortuus est. Ergo vtimini ad seruitium Dei, quicquid estis, habetis & potestis: alioqui infideles & ingrati serui eritis, si quod Deo debetis, in tēporalia impēdetis. Secūdò, quādo auaritia te infestat, cofer quę vera aut falsa bona sint, quęvera aut falsa vtilitas sit. Tertiò, disce considerare & amare summū bonū, quod solùm humanum cor implere & saturare potest, etiamsi nulla alia bona adessent, non obstante, quod alioqui vniuersus mundus cor-

Auaritiæ remedia. I. *1. Cor. 6.* II. III.

IIII. humanũ & cupiditatẽ eius explere nõ poteſt. Quartò conſi-
1. Tim. 6. dera, quomodò primũ in terras veneris, & quomodò in terram reuerſurus ſis: nimirũ ꝙ nihil in mundũ intuleris, nec
V. aliquid tecũ auferre poſsis, id quod rurſum auaritiã tuam
Luc. 12. prohibebit & franget. Quintò, ſemper tibi ob oculos verſetur diues in Euangelio, ad quẽ dicebatur: Stulte, hac nocte
VI. animam repetunt à te: quæ autẽ paraſti cuius erunt? Sextò, flecte & verte cor tuũ & animũ à peruerſa vita ac moribus mundi, ad cõtẽplandã paupertatẽ Chriſti eiúſque Apoſtolorũ. Vulpes (inquit Chriſtus Mat. 8.) foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autẽ hominis nõ habet vbi caput reclinet. Et Paulus 1. Cor. 4. de ſeipſo & collegis ſuis: vſque in hanc horã & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, perſecutionémque patimur,
Luc. 6. &c. Ante omnia autẽ timere debes verbũ, vbi Chriſtus di-
Luc. 16. cit: Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationẽ veſtrã. Et quod Abrahã ad condẽnatum diuitẽ dicit: Recepiſti bona in vita tua, ideò tu nunc cruciaris. Hæc ſi diligẽter cõſideraueris, auaritiam tibi & amorem ad temporalia aut certè minuent, aut penitus tollent. Deus nobis omnibus ſuam det gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO DE *altera parte hodierni Euangelij.*



I veri Chriſtiani eſſemus, & verũ Dei in nobis amorẽ haberemus, nõ ſufficeret nobis Euangelium iſtud ſemel in anno audiuiſſe, ſed quilibet memoriæ commendaret, adeò inſignia & præſtãtia verba habet. Etenim primò, nemo tam auarus eſt & auidus rerũ temporaliũ & diuitiarũ, ſi Euágeliũ iſtud diligẽter legat vel audiat, quin propriã ſuã auaritiam reprehenſurus ſit, & odio habiturus. Contrà, nemo ita grauatꝰ eſt paupertate & cura domeſtica erga vxorẽ & liberos alendos, qui nõ ſolatiũ hauriat, Euangeliũ iſtud legẽdo vel audiẽdo. Atqui hæc duo vitia ſunt, quibus laboramus omnes. Si enim tẽporalia bona habemus, totis in ea animis propendemus, ſemper nobis in mente verſantur dies atq; noctes: nulla torquemur alia cura, quã quo pacto tẽporalia ſeruemus augeamúſque. An nõ autẽ hoc ex pecunia Deũ facere eſt? E diuerſo vbi nullæ opes & tẽporalia bona ſunt, ibi animũ deſpondere volumus, nec cõſolationẽ accipimus, nõ

ſecus

ſecus ac ſi Deus mortuus ſit,& quaſi vana ſint omnia,quæ Deus antiquitus promiſit ac fecit ad ſolatiū pauperum.

Atqui Euangeliū iſtud hodiernū,ſi diligenter cōſideraretur,his duobus malis & vitiis occurrere & mederi poſſet, auaritiæ ſimul & puſillanimitati. Quarè cogita ò diues, auaritiā & inordinatum amorē ſeu cupiditatē bonorū temporaliū,nihil eſſe aliud,quàm miſerā,fœdā & grauem ſeruitutē. Secundò,te qui tam nobiliter creatus es,minimè decere, vt creaturis ſeruias te longè inferioribus. Tertiò,ſine Deo & eius operatiōe,etiā omnes tuas curas & labores inutiles eſſe & inanes. Et poſtremò,te Deo & Māmonæ ſimul inſeruire nō poſſe,vti Chriſtus ipſe dicit. Hoc tecum reputa (inquam) & multum auaritia tua & morbus pecuniarius remittetur. Cōtrà cōſidera tu pauper,& fac verba iſtius Euāgelij ſummo ſtudio ponderes,nimirū ꝙ in eo dicitur, Deū eſſe patrē noſtrū,illū ſcire noſtrā miſeriam & neceſsitatem, illum poſſe omnia,illum paſcere volucres cœli,illum veſtire & ornare lilia agri,illū iam olim,priùs etiā quā eramus, corpus & animā nobis deſtinaſſe dediſséque. Hoc animo tecum reuolue,& nunquā in tua paupertate animo cades aut puſillanimis fies. Quapropter iterum dico quēadmodum antè,vnumquēque Chriſtianum Euangeliū iſtud memoriæ mandare debere,& quotidiè ſecū mente repetere: ſecuturū inde ad minus eſſet,vt tantò pluris Deū noſtrū faceremus, & tantò minus tēporariis bonis fideremus. Quod vt verum cōprobetur,verba Chriſti amplius audiemus. Sic Chriſtus pergit dicere. Ideò dico vobis,ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis,neque corpori vēſtro quid induamini,&c. Ab his verbis vſque ad calcē hodierni Euangelij,loquitur & vtitur Chriſtus ſelectis planè verbis, quæ etiam ignauū & torpentem hominem permouere & excitare poſſent. Atque vtinā omnia verba iſta noſtris & omniū Chriſtianorum animis profundiſsimè infixa eſſent. Ex iis enim diues poſſet diſcere,cui diuitias ſuas acceptū ferre debeat: cōtrà pauper diſcere poſſet,quibus rebus cōſolari ſe in paupertate ſua debeat. Quid enim iucundius illi nūtiari poteſt, quā quod Chriſtus dicit, Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid māducetis,&c. quia Deus curam veſtri gerit. Nec Chriſtus alia de cauſa tam conſolatoriis verbis in hoc Euāgelio vſus eſt,quàm quòd nobis omnibus ſpem & fiduciam iniicere voluit. Quemadmodùm multò antè per Dauidem promi-

Contra diuitum auaritiā.

Matt. 6.

In pauperum puſillanimitatem.

Psal.21. ferat ac dixerat: Pater, narrabo nomen tuum, hoc est, bonitatem tuam, tuam misericordiam, tuam veritatem fratribus meis, hoc est, hominibus & Adæ filiis, quorum frater futurus, & naturā eorum assumpturus sum. Sicut ergò id prædixit & promisit Christus ita etiā iam indè ab initio ad finem vsque, ipso facto adimpleuit, præsertim in hoc Euāgelio, vbi præter modū Dei amorem, curā, prouidentiam non solùm erga nos homines, sed etiā erga alias terrenas creaturas prædicat & ostendit: quin etiā erga omnium minimas creaturas. Pater cœlestis (inquit) pascit volatilia cœli, Pater vestit & ornat lilia agri, Pater scit vos victu & amictu indigere. Et quāobrem tot vtitur verbis, nisi vt solatiū nobis, spem & fiduciam in Deum animis nostris indat: siquidē profectò res magna est, & in qua plurimum situm sit, Deo rectè credere & fidere. Non in fortitudine equi voluntatem habe-

Psal.146. bit Dominus (inquit Dauid) nec in tibiis viri beneplacitum

Psal.32. erit ei. Beneplacitū est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Et iterū dicit Dauid: De cœlo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum. Qui finxit sigillatim corda eorū: qui intelligit omnia opera eorum. Nō saluatur rex per multā virtutem, & gigas nō saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem: in abundantia autē virtutis suæ non saluabitur. Eccè oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperāt super misericordia eius. In hanc spem & fiduciā nos erigere Christus vult, vbi ait, Ne soliciti sitis &c. Hìc autem obserua, quòd non dicit, Ne laboretis: sed, Ne soliciti sitis. Laborem enim à nobis requirit Deus, curā autem ipse gerere vult. In sudore vultus tui (inquit ad Adam, Gen.3.) vescêris pane tuo. Ideò dicit Iob capi.5. hominē ad laborem natum, non aliter quàm auem ad volandum. Et Dauid etiā Psal.127. eum pro beato ducit, qui labores manuum suarum manducat. Et hoc medium laboris Deus ipse ordinauit, vti modò auditum. Eo vti qui non vult, sed in cœlum tantummodò hiare, & sine omni suo labore expectare, donec pascat eum Deus, is tentat Deum. Ne sitis soliciti, inquit Christus. Laborare debemus, sed sine solicitudine. Alioqui incredulus homo laborē suum sibi conduplicat, dum non solùm corpore laborat, sed etiam in animo suo solicitus est & anxius. Si colit agrum & seminat, rursum timet, ne non progerminet: si metit, fures timet: si in horreum reponit, timet ne corrumpantur

Laborem nostrum exigit Deus.

ne corrumpantur fructus aut lædantur,&c.Sic nunquã sine cura est,quæ illum intus non minus excruciat,quàm labor extrinsec⁹ grauat. Hoc prohibet Christus:vult animo quieto vt simus.Ob id etiam deindè dicit , Ne soliciti simus in crastinũ:sufficere enim diei malitiã suam.Perindè ac si dicat:Præsens hæc vita habet & affert secum suum malum & molestiam per se ipsam:imò plena molestiarũ est,vndè necesse non est,vt geminemus eas.Satis est,si venientes & ingruentes patienti animo toleremus,& nobis ipsis non pariamus anxietatem & curas priusquã veniant. Super hoc Christus causas nonnullas indicat,quæ nos eò ducere debent,vt discamus Deo piè fidere. Et primò admonet nos beneficiorũ,quæ iampridẽ accepimus. Nónne anima seu vita (inquit) plus est quàm esca?& corpus plus quàm vestimentum?Qui ergo dedit id quod melius & maius est,nõ grauabitur minus sustentare quod nobis dedit.Quando igitur te cura pro tẽporalibus bonis angit & solicitum reddit,recordare beneficiorũ acceptorum à Deo,etiã sine tua solicitudine:imò cùm pro te ipso nondum curare poteras:tantò melius etiam nunc Deo fidere poteris.Secundò dat nobis Christus etiã exemplũ volatiliũ considerandũ.Respicite volatilia cœli,quoniã non serunt,neq; metunt,neq; congregant in horrea:& Pater vester cœlestis pascit illa.Sic etiam dicit Dauid:Oculi omniũ in te sperant Domine,& tu das escam illorum in tẽpore opportuno.Et iterũ:Dante te illis,colligent:aperiente te manum tuã,omnia implebuntur bonitate.Solus homo præ cæteris animantibus ratione præditus, diffidit de Deo. Non sine causa autẽ Christus nobis exẽplum volatilium cõsiderandum proposuit.Alioqui potuisset Eliam,Mosen,aut Ioannẽ Baptistam nobis proponere, quos sine cura eorum Deus pauit. Sed diceret hîc aliquis, Quid hoc me cõsolari posit?Si ea probitate essem , qua illi fuerunt,sperare eò melius possem Dei auxiliũ.En propterea nobis Christus volatilia pro exẽplo dedit,vt detestandã nostram diffidentiã,tãtò melius disceremus agnoscere,considerantes securitatem & libertatem irrationabilium animantium. Ad hoc nobis etiam lilia agri pro exẽplo præbet. Ignobiles hæ creaturæ sunt,& quæ breui pereunt:attamen tanto illas ornatu vestit Deus.Est ergò mens Christi,quasi dicat:Quoniam Deum patrem habetis,qui tanta bonitate omnibus creaturis prospicit:non est quòd vos so-

Matt.6.

Remedium superfluæ solicitudinis.

Psal.144.

Psal.103.

liciti sitis, imò vos, quibus tanta dedit ac fecit, quos ad immortalitatem creauit, & ad æternam gloriam sui nominis prædestinauit: quibus animam rationalem dedit, quorũ causa omnia fecit, quæ videntur: quorum etiam causa filiũ suũ misit, & quos ipsemet adoptauit in filios, &c. Tertiò quoque commonefacit nos Christus nostræ vocationis. Hæc omnia (inquit) Gentes inquirunt, perindè ac si dicat: Memẽtote vos de tenebris ignorãtiæ & erroris ad lucem veritatis vocatos esse & venisse. Gentiũ hæc oratio est: Quid manducabimus, aut quid bibemus? aut quo operiemur? Quippè hi non credunt, Deo homines esse curæ, arbitrantes Deum tam longè esse à nobis, vt quid desit nobis, scire non possit: alia esse negotia, quæ eum à nostri cura alienent: vndè nihil boni sibi de Deo promittere possunt, existimãtes & credentes, proprio se suo labore & cura ali. Ad hoc, nesciunt meliorem adhuc restare vitam, ad quam omnes curæ dirigendæ sunt: quapropter ponunt fœlicitatem suam solùm in externis corporalibus rebus, magna cura & labore quærentes, quæ ad alimenta, operimentà aliáque corporis necessaria pertinent. Gaudent vbi illa adipiscuntur: metuunt, si quid damni in talibus rebus illis afferri potest: dolent & querũtur, si amittunt. Nos Christiani autem scimus Deum non longè esse ab vnoquoq; nostrûm, sed viuere nos in illo, moueri & esse: & Deũ cœlum & terram implere, tam è vicino esse, quàm de longe. Tum verò etiam scimus, eum pro hominibus solicitum esse, nobísque aliam & meliorem vitam paratã ac promissam esse. Quarè etiã superflua omnis cura rerum temporaliũ longè abesse à nobis debet. Hic obserua, quòd Christus eos homines vocet Gẽtes, qui inutili tantũ cura rerũ temporaliũ occupati sunt: & meritò Gentes nominãtur, nec Gentibus meliores sunt. An non enim magna diffidentia est, nos Deo non fidere in paruo, cùm tamẽ maiora acceperimus? Quis pater tam durus est & immisericors, qui liberis suis nõ prospiciat in iis quæ necessitas eorum requirit? Quis pater dat filio suo lapidem, serpentẽ aut scorpionẽ, panem, piscẽ aut ouum petenti? Si vos cùm sitis mali (inquit Christus) nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit Spiritũ bonũ petẽtibus se? Imò quæ ignominia & cõtumelia Dei est, nos ei nõ fidere, qui tamen patrem nostrum se nominat, & pater noster est, tam diues, potens & benignus, vt omnibus sufficiat, omnes

Eph. 5.
Gentium cæcitas.
Act. 17.
Hiere. 13.
Luc. 11.

omnes creaturas conseruet, nec vllam sua ope priuet? Si igitur Christus homines nominat gẽtes, necessaria vitæ inquirentes: quo nomine illi appellandi sunt, qui necessariis non cõtenti, superflua quærunt? Quartò dicit Christus, omnem etiam curam nostram inutilem esse & inanẽ, Deo auxilium suum subtrahẽte. Quis vestrûm cogitãs (inquit) potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Si multis te torques curis, nihilo fis maior: sin animo otioso es, nihil magnitudini tuæ decedit. Et sanè sæpè fit, vt non tantùm frustrà curis distringamur, sed frustrà etiã laboremus. Id autem fit, Deo permittente, non alia de causa, quàm quod nostræ curæ & labori nimiùm, Deo verò eiúsque prouidentiæ nihil transcribimus. Quin eapsa de causa varias in nos calamitates inducit, quòd plus nostris curis & laboribus fidimus, quàm Deo & eius auxilio. Imò cogitamus solùm nobisipsis auxiliari & fidere magis, quàm Deo & eius præsidio. Quin nobisipsis tantummodo cogitamus subuenire, Dei obliuiscẽtes, quemadmodum ipse in Aggæo dicit: Ponite corda vestra super vias vestras: seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum: respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exufflaui illud. Quam ob causam? Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisq; in domũ suam. Propter hoc prohibiti sunt super vos cœli ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum: & vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumẽta, & super omnem laborem manuum. Quamobrem vult Christus in hoc Euangelio, vt Deum cognoscamus tanquã verum Patrem, à quo omnia, tam temporalia quàm spiritualia, petere debemus: & sine quo nihil boni in creaturis est, & esse potest, vti Dauid dicit: Laudate Dominum: ædificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. En, hîc habes quòd Deus spiritualia largitur. Sequitur: Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, herbam seruituti hominũ. Qui dat iumentis escam ipsorum, &c. Hîc audis, quòd Deus etiam temporalia largitur. Bonum quidem esset verba hæc nobis sæpius in memoriam.

Sine Deo nil possumus.

Agg. 1.

Psal. 146.

riam redire. Nemo siquidem est, quem ventris cura non distineat: quantumcunque etiam acceperimus, quantumcunq; nobis promiserit Deus, semper tamen animum despondere volumus, adeò profundas diffidentia in animis nostris egit radices. Annon enim vera illa diffidētia est, quòd Deo etiam ne ventrem quidem concredimus? Credere nos quidem iactamus, sed si nulla adsit tribulatio, & omnibus rebus abun-

Luc. 8. demus: cæterùm in tribulatione & defectu cadimus. Proinde totum Euangelium cum tot pulcherrimis verbis, eò directum est, quòd Christus suis Apostolis & omnibus credentibus, fœdam auaritiam & ventris curam, imò non satis culpandam diffidentiam in Deum, ex animis illorum eximere velit: cōtrà verò syncerum ac filialem amorem, timorem & fiduciam persuadere. Puer quàm diu apud Patrem est, à cura vacuus est, nec de cibo & vestitu solicitus est: sed patri curam committit, & scit patrem hoc agere, nec pati, vt earum rerū sit inops. Et hoc ipsa natura cōparatū est: eáq; dictitat, vt pater pro liberis suis curam gerat, bonáque necessaria cōgreget. Pater ferre non potest, vt filius famem & inopiā patiatur. Ideóque filius sine omni cura abit, hoc tantùm cauēs, ne patrem offendat: hæc illius summa cura est. Tales filios nos quoq; Christus esse vult, vt Deū pro vero nostro patre agnoscamus, habeamus, eíq; honorem exhibeamus: & credamus, eum pro nobis solicitū esse, nec vnquam deserturum nos in necessitate nostra: propterea curam nostram eò tantummodo dirigamus cōferamúsque, quo pacto talem patrem seruemus: omnē diligentiam adhibeamus, vt eius volūtati per omnia obsequamur: & cumprimis caueamus, ne offendamus ipsum. Tales filios & credentes Christus vult: huc totū Euangeliū tēdit, & omnia verba in eo cōmemorata, potissimùm

Cuiusmodi erga Deum filij esse debeamus.

Matth 6. cùm dicit: Scit pater vester quia his omnibus indigetis. Perindè ac si dicat: Tantummodo curate, vt veri filij Dei sitis & maneatis, nō deerit vobis victus & amictus. Quid ita? Quippe Deus per me & mea causa pater vester factus est: & scit quod patris sit officium, quibus filius egeat scit, & potest esse pater. Naturam & animū habet, habet sapientiam, intellectum & facultatem: habet bona & gratiam, imò longè plus quàm opus habetis: idcircò cura vestra inanis est. Nam si vilissimæ contemptissimæque creaturæ à Deo nō negliguntur: multò minus vos negligemini. Secūdò, si Deus tam bonus est, vt vobis sine solicitudine vestra iampridē corpus & animam

Deus pater noster.

animã dederit, det vobis spiritualia quotidiè adhuc, & præterea, æterna dare velit: rursum nõ est quòd vereamini, ne in minimis vos deserat: est ergo cura vestra superuacanea penitus, nec ad rem quicquam facit. Nam etiãsi per omnẽ vitam cura angamini, nec proceriores nec breuiores eritis: nec pinguescetis magis nec macrescetis. Ob vestrã curam cœlũ neque plus neq; minus caloris aut humoris præbet: terra neq; plus aut minus fructuum. Quapropter cura vestra non in aliud cõfert, quàm vt vobis inutile negotiũ facessatis: quo tamen supersedere cõmodè possetis, quandoquidẽ tam fidelem patrem & potẽtẽ Deũ habetis, qui pro vobis curat. Sũma: de Gentibus & infidelibus, qui de Deo nihil sciũt, mirũ nõ est, si de tẽporalibus soliciti sint. Christianum verò, qui tot promissiones habet, nõ ab hominibus, sed ab ipso Deo, minimè decet, vt tam anxius sit de iis rebus, quas Deus etiã malis & irrationalibus creaturis largitur. Hoc vult Christus in isto Euãgelio: quę omnia eiusmodi sunt, ob quę nobis inuicẽ acclamare meritò debebamus cũ Dauide, & dicere: Cõfitemini Domino quoniã bonus, quoniam in seculum misericordia eius, &c. Faxit Deus vt id animo diligẽti cõsiderem⁹, Amen.

Curæ nostra superuacanea.

Psal. 117.

TERTIVS SERMO DE vltimo verbo in hoc Euangelio.



SI quis nesciret, Christũ verũ animę medicum esse, vel ex hoc Euangelio id discere posset. Vt enim fidelis medicus suã temperat medicinã, & dat iuxta morbi qualitatẽ, & vt necessitas postulat, nõ obstante, quòd ægrotus interdum murmurat & impatiẽs est: ita etiã hîc Christus facit: salutiferam doctrinã dat in hoc Euãgelio, sed mũdi cultoribus non admodũ gratã. Morborũ qui nobis adhærẽt, præcipuus est, quòd nosipsos nimiũ diligimus. Ex hac radice omne malum fluit: nimirùm quòd aut totos tẽporalibus nos mãcipamus, cum obliuione spiritualiũ & diuinarũ rerũ: aut in vtranque partem claudicamus, volẽtes Deo & mãmonę simul inseruire: vnde fit vt neque frigidi neque calidi simus: aut ad minus tẽporalia præferimus, spiritualiũ vix postremò rationẽ habentes. Contra hæc tria mala pugnat istud Euangelium. Et Primò cõtra eos, qui in vtrunq; latus claudicant. Ad hos dicit Christus: Nemo potest duobus dominis seruire. Et adhuc clarius: Non potestis Deo seruire & mammonæ: quemadmo

Amor sui radix malorũ omnium.

Apocal. 3.

Matth. 6.

admodum non possumus simul & cœlum & terram intueri, aut vno tempore descendere & ascendere. Quis autē nescit, amorem Dei nos sursum trahere: amorem verò mundi nos deprimere? Quamobrem hęc duo simul esse non possunt. Et quod Christus de tēporalibus bonis dixit, id etiā intelligendum est de diabolo & mundo. Proinde fac animo deliberato vt sis, vtri seruire malis domino, & vtrum deserere. Benè diligentérque vtriusque domini, Dei & māmonæ, seu diaboli conditionem, seruitium, stipendium & habitationē perpendas: haud dubiè, nisi sensibus & ratione priuatus sis, Deū eliges dominum tuum, relicturus diabolum & auaritiam. Etenim primò res censetur honesta & vtilis in mundo, magnatibus, vti Regibus & Imperatoribus seruire: sed videmus interim etiam, quantùm curæ, molestiæ, & laboris ea res desideret. Hoc seruitium, honorem, & vtilitatem quisquis ambit, domum & fundum deserere cogitur: nunc huc, nūc illuc iter facere, non niue, non pluuia obstāte: multa subire pericula, apud peregrinos diuertere, & singulis diebus mutare hospitium: nec tamen pro voto semper, ignarus quàm diu sibi in hoc seruitio esse liceat: & an tandem gratiam, vel indignationem sit reportaturus. Honorem, fauorē, vtilitatem & gratiam omnes quidem quærunt in tali seruitio: sed multi falluntur, quemadmodum cumprimis in Aman videre est in libello Hester. Tantò iucundius nobis esse debet seruitiū Dei. Nam vniuersum peragra orbem, omnium dominorum experire seruitia, omnium Principum & Regum perlustra aulas, peruolue omnes historias: nullum reperies, cui honestiùs, vtiliùs, & faciliùs inseruire posſis, quàm Deo. Primò nanque, videre vis qualis sit Dominus? Lege sextum cap. in Isaia, vbi sic inquit: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Seraphim stabant super illud. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius, &c. Et Daniel cap. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia asſistebant ei. Talis Dominus est Deus. Vis deinde scire, quàm honestū sit Deo seruire? Si quis mihi ministrauerit (inquit Ioan 12.) honorificabit eum Pater meus. Et iterum Ioan. 17. Pater, quos dedisti mihi, volo & vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatē meā quam dedisti mihi. Vis item tertiò videre quàm sit vtile, Deo seruire? Ecce (inquit) serui mei comedēt, & vos esurie

Incerta hominum gratia.

Hester 7.

Esa. 65.

esurietis: serui mei lætabũtur, & vos confundemini, &c. Vis quartò videre quàm tutum sit seruire Deo? Noli timere (inquit ad Abraham, Gen. 15.) ego protector tuus sum. Et in Isa. Noli timere, quia redemi te. Cùm trãsieris per aquas, tecum ero, & flumina nõ operient te: cùm ambulaueris in igne, nõ comburêris, & flãma non ardebit in te, &c. Scire quintò vis, quomodo Deus suis ministris prospiciat cibo & vestimẽtis? Audi quid Christus in hoc Euangelio dicat, Matth. 6. Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manduceris: neque corpori vestro, quid induamini. scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite primùm regnũ Dei & iustitiã eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Scire postremò vis, quam Christus suis ministris mercedẽ det? Nolite timere (inquit Christus) pusillus grex, quia cõplacuit Patri vestro dare vobis regnũ. Et iterũ: Vos qui me secuti estis, cùm Filius hominis sederit in throno maiestatis suæ, sedebitis & vos super thronos iudicãtes duodecim tribus Israël. Et iterũ Luc. 22. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnũ: vt edatis & bibatis sup mẽsam meã in regno meo. Et Deus ipse ad Abrahã: Noli timere, ego ero merces tua magna nimis. Hoc cõferto cũ seruitio cuiuslibet principis mũdi, tãtò magis delectabere seruire Deo. Ita enim res etiam habet in externis rebus. Cùm qs seruus seruitiũ & dominũ nactus est, qui sibi nõ dedecori, sed honori sit, videt prętereà mẽsam liberalem, mercedẽ certã esse, & laborẽ tamen nõ nimis magnum esse: tantò ad seruiendũ paratior fit, & seruit fideliùs. Quod nisi faceret, aut desiperet, aut animi ingrati esset: dignus cui nõ solùm victus & merces, fauor & gratia talis domini subtrahatur, sed penitùs domo exigatur, & ad aliũ relegetur, à quo magnis pressus laboribus, neq; victũ neq; mercedẽ, neq; honorẽ neq; cõmodum habere possit. Atqui verò sine omni cõtrouersia, Deus vnicus est & summus Dominus in cœlo & in terra: vnde etiã nihil esse honestius põt, quàm tali Domino seruire: nõ est quòd qs timeat, ne apud talẽ Dominũ fame pereat: & supra hæc omnia recipere nos vult in æternũ suũ regnũ, vt suprà dictũ. Quia ergo Dominus, cui nos dedimus, tã magnus, seruitium tam honestũ, cibus tam bonus, stipendium & merces tam certa est: æquum optimus quisquis Christianus censebit, vt illi summa cum diligentia seruiamus; fatebitur nimirùm summã esse ingratitudinẽ, & omni reprehensione dignum, si talem Dominũ derelinquamus,

Esa. 43. *Luc. 12.* *Matth. 19.* *Gene. 12.*

Deo studiosissimè seruiẽdum.

mus, alteri nos deuinciamus, aut ad minus, alium Dominum iuxta illum agnoscamus. Summa: quocunq; nos vertimus, nullũ inuenimus, cui iustius, & tutius atque etiã vtilius seruiamus, quàm Deo: nec tamen illi seruire vnquã, satis possumus: imò si vnus homo omnes homines & angeli esset, non posset tamen Deo seruire secũdum id quod est, atque etiam

Luc. 17. nobis fecit & dedit. Vndè & Christus dicit: Etiamsi omnia fecimus quę præcepta sunt nobis, inutiles seruos tamen nos dicemus. Hoc modo remittit nos Euãgelium istud potissimum ad Deum & eius seruitiũ, contra eos qui in vtrunque

In auaros. latus claudicãt, Deo & mũdo sese partiẽtes. Secũdò, pugnat Euãgelium istud aduersum eos, qui se totos auaritiæ & colligendis bonis tẽporalibus addicunt, cùm nihil sit periculosius, vti Paulus ait 1. Tim. 6. Qui volũt diuites fieri, incidunt in tentationẽ & laqueũ diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergũt homines in interitũ & perditionem. Multifariã enim delinquit homo in bonis tẽporalibus & diuitiis: dum eas aut iniustè acquirit, aut malè vtitur, aut im-

Fraus diaboli modicè amat & reponit. Quàm igitur cæci sumus, quòd nos ipsos in tale discrimem cõiicimus? Sed hoc facit diabolus: is primus nos instigat, vt necessaria rerũ tẽporaliũ quęramus. Quę necessaria vbi adepti sumus, prouocat nos vt superflua quęramus. Postremò etiã extimulat nos ad quærendũ quod malum & perniciosum est, vt est rapina, furtum, fœnus, & id genus alia. Sed quid dicit Christus? Ne sitis soliciti pro rebus temporalibus: ait non Christianum esse, sed Ethnicum, vbi tam anxiè temporalia inquiruntur. Admonet nos diuinę bonitatis, quę iam pridẽ nobis tanta dedit, & suapte sponte, non rogata: remittit nos ad exẽplum volatilium & liliorum, quæ Deus sine ipsorum cura pascit & ornat. Postremò indicat quoque nobis, omnes nostras curas sine Deo inanes esse. Quanquam exemplum volatilium ad id etiam potest ac debet inseruire, ne in terra iaceamus maneamúsque, sed sursum in cœlum transuolemus, vti Paulus faciebat: Cupio (inquit Philip. 1.) dissolui, & esse cum Christo. Simili modo

Iac. 4. nos Christus quoque exemplo liliorum & fœni admonere vult, mortales nos esse, nec crastinum sibi polliceri quẽquam posse: hodiè enim viuimus, cras mortui sumus. Vita nostra

In rerũ spiritaliũ incuriosos. vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Postremò Euangelium istud cõtra eos est, qui quidem interdum spiritualia quærũt, sed valdè segniter, vt quibus temporalia

temporalia semper potiora sunt: atque isthic nihil nō prætexímus. Alius dicit non esse sibi tantum otij, vt Deo & spiritualibus rebus curam impendat. Alius prætexit iuuenilem ætatem, satis adhuc temporis superesse ad seruiendum Deo. Tertius sibi ipse persuadet, Deum bonum esse, ob id non ita grauiter irasciturum. Quartum pudet spiritualium & diuinarum rerum. Quintus conqueritur nimij laboris esse Deo seruire. Hoc pacto nunquam non inuenimus causam omittēdi spiritualia. Ad temporalia autem omnes impigri sunt: neminem pudet, nemo queritur de labore, nemo differt, sed sine omni mora temporalia sectamur: cæterùm non est hic verus modus bona & diuitias consequēdi. Nam etiamsi congestis bonis Alexandrum magnum æquares, & diuitem in Euangelio: exitus tamen malus est. Quocirca non est medium melius, ad cumulanda temporalia bona, quàm timor Dei: sicuti Dauid dicit: Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Gloria & diuitiæ in domo eius: generatio rectorum benedicetur, &c. Hoc est, quod Christus in fine hodierni Euangelij dicit: Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Hunc in modum Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Dauid aliiq; Patres, diuites facti sunt, cùm spiritualiter tum temporaliter. Deo seruiebant, regnum Dei quærebant, iustitiam sectabantur, & ob id benedicebat illis Deus, vt omnibus rebus affluerent. Vti videmus in Abraham & Lot, qui ob nimiam pecorum multitudinem cohabitare non poterant. Optimus Iacob admirabatur ipsemet incredibilem bonorum affluentiam. In baculo meo transiui Iordanem, & nunc cum duabus turmis regredior, &c. Hoc faciebat benedictio Dei. Ea autem iis solùm promissa est, qui timent Deū, & mandata eius obseruant. Idcircò Christus non simpliciter dicit: Ne soliciti sitis, Deus non patietur vos penuriam pati: sed dicit, Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & tum adiicientur vobis quibus indigetis. Quid ergo est regnum Dei & eius iustitia? Quidam intelligunt per regnum Dei, æternā felicitatē, quēadmodū & aliis in locis intelligitur: vti cùm Christus suis discipulis & credentibus æternū suum regnū promittit. Sed in eum modū hîc non accipitur. Deus habet etiā suū regnū inter nos & in nobis: hoc primū quærendū est, illud vltrò sequetur, si hoc fuerimus nacti. Nō inuertēdus est ordo, quēadmodū à duobus filiis Zebedæi fie-

Luc.12. *Psal.111.* *Gen.12.* *Gen.32.* *Regnum Dei.* *Luc.21.*

bat: qui etiam quærebant & petebant, vt liceret illis in illo regno Christi principẽ tenere locũ, haud cogitãtes alia præcedere oportere. Sed quid dicit Christus ad illos? Nescitis
Matth.20. quid petatis. Potestis bibere calicẽ, quẽ ego bibiturus sum? Sic de nobis res habet: frustrà in cœlũ hiamus, & illud optamus, nisi hîc in terris regnũ Dei quæramus, inueniamúsque;
Luc.17. Summa, regnũ Dei non à longe quærẽdũ, sed regnũ Dei (inquit Christus) intra vos est. Tũ Paulus dicit Ro.4. regnũ Dei esse iustitiam, pacẽ & gaudium in Spiritu sancto. Regnũ Dei Christus in nobis instituit: per illum namq; impetramus iustitiam seu remissionẽ peccatorũ, pacẽ & gaudiũ cõsciẽtiæ. Rex à Deo constitutus est super hoc regnũ, sicuti ipsemet in
Psal.44. Dauide dicit: Speciosus forma præ filiis hominum: imò fortissimus & potẽtissimus: regnat inter suos in veritate, & mãsuetudine & iustitia. Virga directionis virga regni eius, nimirum Euangelium & sanctũ verbum eius: cum hoc regnat
Luc.1. in domo Iacob in æternum: imò cũ Euangelio & verbo suo si illi studiosè obtẽperemus, instituit regnũ in nobis. Quẽadmodũ ad Pilatũ dicit Ioan.18. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mũdum, vt testimoniũ perhibeã veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Et iterũ dicit, Io.14. Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vbi ergo Deus hoc modo in nobis habitat & regnat, ibi omnia illi subiecta sunt, quæcũq; in homine sunt, corpus anima & vita, verba, cogitationes & opera, ratio, me-
1.Cor.3. moria, voluntas, & omnes vires hominis. Imò vbi Deus est & regnat, ibi etiam membra nostra & corpus, tẽplum fiunt Spiritus sancti in quo Deus habitat: & est Deus noster, nos autẽ populus eius. Ibi regnamus & dominamur etiã nos in Deo & per Deum super peccatum, mortẽ & diabolum. Ibi
Gal.5. conscientiæ nostræ pax datur & quies, & nos à spiritualibus nostris inimicis liberamur defendimúrq;. Ibi internus noster homo fructibus spiritus, hoc est, charitate, pace & gaudio, &c. perfunditur repletúrque. Ibi robur & vires acquirimus, ad inimicos & omnibus tentationibus resistendum. Ibi anima nostra promptè & cupidè Dei perficit mandata. En, hoc est regnum Dei, quod nos Christus iubet quærere. Beatus homo, in quo sic Deus regnat: habet enim in hoc certissimum pignus futuri æterni regni Dei. Quamob-
Psal.31. rem rectè benéque dicit Dauid; Beatus populus, quem

Deus

Deus elegit in hæreditatem sibi. Et nisi Deus hoc modo in homine regnet, nihil illo homine infelicius: quia regnat in eo diabolus, & mundus cum tota sua familia: omnia peccata & flagitia, ducunt hominem in varia crimina, & tãdem præcipitant eum in æternum exitium. Ideò docet nos etiam Christus, vt dicamus in nostra oratione, Mat. 6. Pater adueniat nobis regnũ tuũ. Quod perinde est, ac si dicamus: Ex spontanea tua & immerita bonitate, ô pater cœlestis, è regno huius mundi & diaboli asseruisti nos, & in tuum regnũ introduxisti. At diaboli regnum nondũ in nobis penitus eradicatũ est: si quid primi & veteris peccati in nobis reliquum factũ est, id semper in nobis repullulascere nititur: ad hoc diabolus etiam & mundus nos infestant. Quare fac ô benignè Pater, peccatum in nobis prorsus extinguatur: da nobis, vt in te & per te omnia peccata, & quicquid in nobis est, quod ad diaboli regnum pertinet, debellemus, vincamúsq;. Da nobis vt omnes vires nostræ, tibi & diuinæ tuæ voluntati omnino subiiciantur & subiectæ sint. Da nobis (quos tu semel è tyrannide diaboli in regnum dilecti tui filij transtulisti) vt in accepta nostra libertate persistamus, nec vnquam per peccatum è tuo regno & à te, in diaboli tyrannidem recidamus. Da etiam gratiam tuã, vt regnum tuum in omnibus hominibus accrescat, diaboli verò regnum minuatur. Da & auxiliare, vt Christo domino nostro & regi, quẽ regem & dominũ super regnũ tuum constituisti, omnia subiiciantur: quia nondum illi per omnia subiecti sumus. Nõdum est vnũ ouile & vnus pastor. Multi homines adhuc nesciunt, quæ sit felicitas, Deo & regno eius sese subiicere. Itaque malunt indignissimam malo dæmoni præstare seruitutem, quàm effici cohæredes Christi. Fac igitur piissime Domine, nobísque auxilio sis, vt adueniat regnum tuum, adeò vt nihil reliquum sit in terris, quod non vltrò sese tibi subiiciat: quò tu maneas in nobis, & nos in te, quò perfectè etiam & penitus tibi vniamur, æternúmque coniuncti maneamus. Sic nos iubet Christus orare pro regno Dei: sic quærere oportet regnum Dei & iustitiam eius. Ea incipit primùm in fide, sed per charitatem perficitur & consummatur. Per fidem vitam applicamus nobis Christum eiúsque merita: per charitatem prorsus Deo vnimur. Qui enim in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo: est ergo regnum Dei,

Adueniat regnum tuum.

Colo. 1.

Psal. 2.

Ioan. 10.

1. Ioan. 4.

quando in nobis habitat & regnat: iustitia autem regni illius est, quando illi vera fide, & flagranti charitate adhæremus. Quæ duo si quærimus, vti decet, nihil in aliis necessariis rebus nobis deerit. Dei gratia cum omnibus nobis, Amen.

QVARTVS SERMO DE Euangelio in genere.



SI hodiernum istud Euangelium vnquam apud bonos Christianos diligenter consideratum fuit, sicuti nullum dubium est, cumprimis & summo studio considerari debet, quando difficilia & cara tempora incidunt, & fruges aut sterilitate aut tempestate aut bello impediuntur pereúntq; aut aliæ necessitates & defectus vnicuique homini singulatim impendent: tum, inquã, hodiernum istud Euangelium singulari studio considerandum & summo gaudio acceptãdum. Siquidem verè consolatorium verbum est, contra omnes curas & pusillanimitatem, quod ad corporale alimentum attinet. Imò in hoc Euangelio clarissimè liquet, quod
Psal.117. Dauid dicit: Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Rogas quomodo? Promittit nobis hic Christus, nihil nobis neque in cibo, potu, operimentis, neque in omnibus iis, quibus ad naturalem vitam indigemus, defuturũ, si regnum Dei quæramus & eius iustitiam. Promittit nobis, nos habere patrem in cœlo, qui in eiusmodi rebus nostri gerat curam: imò talem patrem, qui etiam volatilia cœli absq; labore eorum pascit, & lilia agri absq; eorũ sollicitudine ornat. Nos homines verò, quos secundũ imaginẽ suã creauit, & sanguine vnigeniti filij sui redemit, lõgè pluris fecit, quàm omnes alias terrenas creaturas. Hęc omnia (inquã) certò nobis promittit Christus in hoc Euãgelio. Porrò etiã aliis in locis Scripturæ, clarè indicatũ habemus, Deũ hoc facere posse, sæpè & antiquitus fecisse, & quotidie adhuc facere velle, & facere. Ita S. Dauid, tua est, in-
1.Paral.19. quit, Domine, magnificentia, & potẽtia, & gloria, atq; victoria, & tibi laus: cũcta enim quæ in cœlo sunt & in terra, tua sunt. Tuũ Domine regnũ, tuæ diuitiæ, & tua est gloria: tu dominaris omniũ. In manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo & imperiũ omniũ. Tua sunt omnia & quę de

manu

manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim ſumus corã te & aduenæ,ſicut omnes patres noſtri, &c. Hic audis, Deũ omnipotentem eſſe,& ſuos ſeruare poſſe. Hoc ſæpe ipſo facto & mirificè cõprobauit. Iſraëlitæ quadraginta annis in deſerto erant, vbi nihil creſcebat ad hominis cibum pertinens, nec tulerant ſecum ex Aegypto, neq; panes, neq; frumentum, ſed ſolũ tantum farinæ conſperſæ, quantum vna vice pinſere poterant: nec illis apportabat quiſquam, ſed Deus illis panes & cibum de cœlo mittebat: & ſitim quærẽtibus, nec inueniẽtibus aquã, dabat aquam ex dura petra: & deſiderantibus quodam tempore carnes, aues ſeu coturnices trans mare mittebat, tantis cum agminibus, vt manibus apprehendere & capere poſſent. Hic vides, quòd Deus ſuos non ſolùm conſeruare poſsit, ſed ipſo etiam facto demonſtrauit: & non in vno homine tantùm, ſed in toto Iſraëlitico populo: ij erant ſexcenties mille numerati & ſcripti milites, quorum nullus infra vigeſimum annum erat, exceptis vxoribus & liberis, quorum numerus multò maior fuit, vt ne interim commemorem tribum Leui. Attamen conſeruabat & paſcebat illos Deus omnes cœlitus, non vnũ diem ſolùm, ſed totos quadraginta annos. Vide, ſic Deus magno & numeroſo populo declarauit, ſe ſuos conſeruare & poſſe & velle. Idipſum quoq; ſimili modo in nonnullis, imò in multis peculiaribus perſonis demonſtrauit. Abraham ad præceptum Dei, relictis paternis laribus, cognatis & patria, commigrabat ad peregrinos & ignotos: Deus alebat illum vt & diteſceret, & felici ſucceſſu rerum vteretur. Iacob pauper & profugus trans Iordanẽ peregrè proficiſcebatur: quia autẽ Dei ſe committebat pręſidio, accidit vt breui reuerteretur cum duabus turmis, & liberorũ, & armenti. Ioſeph à ſuis infidis fratribus in exilium inter peregrinos vendebatur, vbi grauem paupertatem & miſeriam, quin etiã captiuitatẽ pati cogebatur. Deus rẽ ita deſtinabat, & tãtis illũ diuitiis locupletabat, vt germani eius fratres frumẽtum ab ipſo petere & quærere cogerẽtur. Moſes fugam ex Aegypto dare cogebat. Deus illũ paſcebat etiã inter peregrinos. Adeò Eliã maledicta Iezabel perſequebatur, vt nuſq̃ apparere auderet, latens in ſyluis, cauernis & deſerto: Deus mittebat illi cibũ ꝑ coruos, nécnõ ꝑ angelos. Vidua Sareptharna nõ niſi vnũ pugillũ farinę habebat: Deus autẽ ita augebat eã, vt ipſa, & filius eius, & Elias tres annos & ſex mẽſes ex ea

Exod. 12.
Exod. 16.
Exod. 17.
Num. 11.
Gen. 12.
Gen. 28.
Gen. 32.
Gen. 37.
Gen. 42.
Exod. 2.
3. Reg. 19.
3. Reg. 17.

Daniel.14. viuerent. Daniel in Babylone in lacu Leonũ iacebat: Deus procurabat illi victum per multa miliaria. Habacuc erat cuidam nomen in Iudaica regione, hic messoribus suis cibũ portare volebat: sed apprehendens eum capillis Dei angelus, cum cibo ad Danielem deportabat. Cùm Helizæus propheta & prædicator esset in populo Israëlitico, tẽpore caritatis (vt habes 4. Reg. 4.) centum personas viginti panibus pascebat. Cùm Christus in terris ambularet, quinque millia hominum pascebat quinq; panibus, Ioan.6. Et alio tẽpore quatuor millia hominũ septẽ panibus, Matt.15. Tam multùm & sæpè Deus in nouo & veteri Testamento manifestis & magnis miraculis significauit ostẽditque, se suos in necessitate, & posse & velle alere ac nutrire. Quod autem id etiam adhuc facere velit, declarant non solùm verba quæ Christus in hoc Euangelio, sed etiam quæ Deus ipse in Isaia loquitur, Capit.49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamẽ nõ obliuiscar tui. Eccè, in manibus meis descripsi te, &c. Et hoc est quod Dauid dicit Psal. 102. Quomodò pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniã ipse cognouit figmentum nostrũ. Et alio in loco, Psal.144. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Ita cõpe rimus in hodiernum diem, quòd Deus in primis & non noster labor, peritia, & solicitudo nos alat. Simul atq; enim manũ suã Deus abstrahit, perit, dilabitur & euanescit vno tẽpore, quicquid longo tẽpore & multis annis omni nostro labore, peritia, & cura nacti sumus. Hoc multi homines cala mitosis istis tẽporibus magno suo malo experti sunt, apud quos alioqui ea res fidẽ merita nõ fuisset. Quoniã igitur ita repentè & facilè euanescit quicquid congregamus, congerimúsque, vel solùm Deo in id flante, vti in Aggæo dicit: *Agge.1.* certum vtiq; est, nos ab illo ali. Ex his omnibus abundè probatũ existimo, nõ nuda, inania esse verba, sed indubitatã veritatem, quod Christus dicit: Pater cælestis pascit & regit vos, & scit quia his omnibus indigetis. Et quis pater est? Qui nos sumus? Non ille indiget nostri, sed nos illius indigemus. Attamen verissimum manet verbum Petri, Ipsi *1.Pet.5.* cura est pro nobis. Rectè igitur ait Dauid, melius esse sperare *Psal.117.* in Domino, quàm in homine aut principibus. Homines enim instabiles sunt & infideles: nec semper sicut cuperent

auxiliari

auxiliari possunt, licèt magni principes & reges sint: De⁹ autẽ verax & certus est in suis promissiõib⁹, nec illũ remorari quisquã potest à suo proposito. Sati⁹ igitur & certi⁹, in illo cõfidere, q̃ in mortalibus hominib⁹ & principibus, vel etiã in nobis ipsis & proprio nostro labore, cura & peritia. Homines fallere possunt, principes & magnates opẽ ferre non semp possunt. Labor noster, sciẽtia, & cura itidẽ fallere nos possunt. Dei pmissa nunq̃ fallẽt: tamẽ additã conditionẽ & appendicẽ cõsideramus seruamúsq;, nõ auaritiã, propriũ cõpendium, abũdantiã, lucrũ, &c. sed primũ regnũ Dei & iustitiam eius quærentes: tum, inquã, promissa Dei non fallent nos. Cæterùm si scientiam nostam, curã, & laborem solùm ad auaritiam dirigimus, regno Dei seposito, nullã curantes iustitiam, nihil esse isthîc firmi potest, quantũcunq; etiam cogamus, & vt maximè retineamus, in maiorẽ nobis tamẽ cedit condemnationẽ: quãdoquidẽ pluris id facimus, quàm Deum & regnum eius. Hoc modo arbitror neminẽ non videre posse, nobis omnibus plurimũ momẽti in hoc Euanlio situm esse: debétque propterea ab vnoquoq; Christiano summa cũ diligentia considerari: siquidẽ à capite ad calcẽ vsque nihil aliud habet, quàm consolatoria verba: ita vt sit optatum & omnibus modis electum Euangelium, ijs præsertim, qui sic, vt dictum est, diligenter persistunt & procedunt in sua vocatione: nempè vt primùm quærant regnum Dei & iustitiã eius. Etenim hîc vident, quid Deus apud ipsos faciat & facere velit. Hîc audiunt eũ nolle committere, vt penuriam patiantur earum rerum, quas etiam malis, & rationis expertibus animantibus dat. Quærite primùm (inquit) regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. In hoc verbo totum Euangelium comprehẽsum est. Dictu quidẽ facile, & quod memoria possit haud ægrè retineri: & est vera certáque via, tam ad temporalem quàm æternam salutem. Sed ægrè in animos filiorum mundi intrat. In causa est, mala cupiditas: ea omnia perdit, & inuertit quod primò quæri debebat, ad extremũ reiicit: & quod postremò quærendum erat, in primo collocat loco. Vbi curæ potissimùm adhibẽdæ erant, à curis vacua est, nimirùm in spiritalibus & æternis rebus: verùm circa ea quę omniũ minimi momenti sunt, præcipuè occupata est. Christus rectè ordinem constituerat, vt nullo in loco nobis defuturum quid esset, si eiusmodi ordinem seruaremus. Hic au-

Esa. 14. *Matt. 6.* *Regnum Dei.*

tem verus est ordo, vt primò de regno Dei cogitemus: hoc est, vt Christo per fidem & charitatem incorporemur. Nam qui Christo incorporatus est, & per eum filius Dei factus
Rom.8. est, iam in se habet regnum Dei. Si filij (inquit Paulus) &
Iustitia sectanda. hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Secundò, iustitia nobis curæ esse debet: hoc est, rectè viuere
Matt.22. debemus in regno & domo Dei, ne rursus eiiciamur, vti ille qui veste nuptiali nõ erat indutus. Hæc duo si haberemus, quærentes regnum Dei & iustitiam, tertium in nobis nequaquàm desideraretur, nec opus esset aliqua cura eo in loco. Quid enim homini illi desit, qui Deum habet, & in quo Deus regnum suum & habitationem habet? Aut quomodò Deus, qui etiam irrationabilia animantia pascit, hominem sibi seruientem deserat? Hic, inquam, verus esset ordo. Sed peruersa & cæca cupiditas nostra præposterè omnia agit: facit vt primùm & potissimùm de tẽporalibus cogitemus: Amore itaque & cura de temporalibus accrescente, Dei & regni eius perit recordatio, iustitia nihili penditur, iniustitiam nullus pudor prohibet, tantùm vt bona & pecuniæ cu-
Eph.5. mulentur. Porrò vbi iustitia negligitur, ibi regnũ Dei antè amissum est: quia iniustus non intrat in illud, nec partem in eo habet: quinetiam nullus in id venit, nisi iustitia eius
Matt.5. maior sit omni Iudaicorum Pharisæorum iustitia. En, hoc modo malè sana cupiditas perdit nobis omnia, & inuertit: priuat hominem omni bono: ad temporalia ei nihil conducit: facit vt spiritualia negligat, & æterna assequi nõ possit. Contrà vbi vera charitas & fiducia in Deum est, ibi optimum & maximè necessariũ primùm quæritur, & omni bono & pietati studetur. Illic Deus longè abesse non potest: imò illic homini neque temporalia neque spiritualia de-
1.Tim.4. sunt. Pietas (inquit Paulus) ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Hoc nos docet Euangelium istud hodiernum: id quod cuilibet Christiano diligenter considerandũ est. Ethnico non adeò vitio vertendum est, si mentem temporalibus tantummodò intentam habeat: quandoquidem de futura vita nihil scit aut sperat. Sed Christianum minimè decet, vt temporalibus nimiùm se dedat, posteaquã illi Deus cœlum promittit. Infanti non daretur vitio, si pomum pluris faceret, quàm aureũ nummum: inscitiæ imputaretur: cæterùm homini adulto prò
1.Cor.13. summa stultitia & insania reputaretur. Cùm essem paruulus,

uulus, (inquit Paulus) loquebar vt paruulus, sapiebã vt paruulus, cogitabã vt paruulus. Quãdò autẽ factus sum vir, euacuaui quæ erãt paruuli. Qui in nouo testamento est, & Euãgeliũ Christi audit, satis prouectæ & adultæ ætatis est: sat etiã intellectus habet, quia videt & audit quæ multi alij non vident & audiunt. Tantò circumspectiùs agere debet: tantò minus rerum inutilium cura sese occupare debet. *Luc.10.* *2.Cor.4.*

Quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Idcircò quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius. Hoc est, quod ex isto Euangelio discimus.

Huc seruit quod Paulus in hodierna Epistola dicit: Si viuimus Spiritu, Spiritu & ambulemus, inquit, &c. Sententia est, si ad hodiernum Euangelium trahas, perindè ac si Paulus dicere voluerit: Fratres, audiuistis modò ex Euangelio, quid à Deo vobis datum ac promissum sit: considerate nunc, quid vicissim à vobis requiratur. Quinimò audiuistis, Christum velle, vt ante omnia quæratis regnum Dei & iustitiam eius: audite etiam nunc, quæ ad id requirantur. Deus pater vester factus est, & manere vult: videte vt vos morigeri filij eius fiatis, maneatisque. Si viuimus Spiritu, Spiritu & ambulemus. Si habemus Spiritũ, vitã, victũ & amictũ, & omnia à Deo, vicissim nos illi seruire par est. Illi (inquã) nõ mãmonæ, nõ mundo, non ventri, vt auari, superbi, & carnales faciũt: sed Deo Domino nostro, idq; nõ simulatè, sed in Spiritu & veritate, sicuti in Ioanne habetur. In timore & tremore, vti Dauid ait: imò in sanctitate & iustitia, veluti Zacharias docet. Tum autẽ seruimus Deo in sanctitate, cùm illi rectè credimus, illum diligimus, laudamus, timemus, inuocamus, mandata eius seruamus, prauas & pestiferas cupiditates in nobis mortificamus aut supprimimus, veterem hominem exuimus & crucifigimus cũ vitiis & concupiscentiis eius. Tum autẽ seruimus Deo in iustitia, quando facimus proximo nostro, quemadmodũ vt nobis fieret vellemus: imò quemadmodum Deus nobis fecit. Nemo autẽ non desiderat in peccatis cõpassionẽ, in grauaminibus auxiliũ, & in paupertate subsidium. Abi, fac tu similiter quoque proximo tuo. Si vides aliquẽ in peccata incidere, ne exultes, ne efferare, ne inuideto illi, ne irrites illũ, ne condẽnato illum: sed instrue illum in spiritu lenitatis, & peccatorem te esse memẽto, & quotidiè tentari quoq; posse. Secundò, si vides aliquẽ grauatũ, eius oneri ferẽdo socium te

Gal.6. *Ioan.4.* *Psal.12.* *Luc.1.* *Seruire deo in sanctitate.* *In iustitia.* *Gal.6.*

1.Pet.2. præbe,& ita legẽ Christi implebis. Quia & ipse onus nostrũ portauit, nimirũ peccata nostra in cruce. Atqui in rebus externis triplicia onera sunt & grauamina, quæ in proximo nostro cogimur & debemus ferre. Primũ est ignorãtia, obliuio, ira, stultitia, deliratio, &c. Hos & id genus defectus sentiunt pueri in suis parentibus, vxores in suis maritis, mariti in vxoribus, subditi in suis magistratibus, imò frater in fratre, vicinus in vicino. Non est domus aut congregatio, in qua tales defectus non reperiantur. Hic Paulus audiendus: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Compatere tu alteri in suis defectibus, & ille compatietur tibi in tua imperfectione. Alterum onus est corporalis ægritudo. Si vides onus istud & grauamen in tuis parentibus, cõiuge, liberis, familia, vicinis, &c. vnà cum illis porta, consolare illos, serui illis, &c. Hodiè enim in illis est, cras in te. Tertium onus est, externa necessitas & defectus in temporalibus rebus. Hoc onus & grauamen si vides in proximo tuo, adiuta illum, dando, commodando, &c. Hoc si nequis, at verbis illum consolare, ne pauper cogitet, se ab omnibus hominibus desertum. Hac in parte non respice ad id quod expendis, sed quod in futura messe metes: quia vita æterna tibi parata est. Hinc Paulus verbo isto concludit: Dum tempus habemus, operemur bonum, nõ deficientes, &c. tempore enim suo metemus nõ deficientes, &c. Hæc illa sunt quæ hodiè docemur. Hæc illa sunt, quæ apud hodiernum Euangelium à nobis requiruntur. Hæc sequamur, & nunquam nobis defuerit, quod Christus nobis in Euangelio promisit. Dei gratia cum omnibus nobis, Amen.

Tria proximorum ferenda onera.

Gal.6.

Merces æterna bonorum operum.

DOMINICA DECIMASEPTIMA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM LVC. VII.

IBat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius multi, turbáque copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce

tis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, tetigitque loculum. Porrò qui portabant substiterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, Surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes: Propheta magnus surrexit inter nos, & Deus visitauit plebem suam.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI, EPHES. III.

FRatres: Quapropter peto, ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro vobis tolero, quæ est gloria vestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis à Patre cognatio in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis iuxta diuitias gloriæ suæ, vt fortitudine corroboremini per Spiritum suum in internum hominem: vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris, fixis in charitate radicibus, & fundamento iacto: vt valeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas: cognoscerèque praeminentem cognitionis dilectionem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei verò qui potest cumulatè facere vltra omnia quæ petimus aut cogitamus, iuxta vim agentem in nobis, sit gloria in Ecclesia, per Christum Iesum in omnes ætates seculi seculorum.

PRI

PRIMVS SERMO TEXTVM Euangelij exponit.



IN hoc miraculo, licet compendio narretur, verè tamen nobis Euangelium proponitur, hoc est, bonum ac lætum nuntium de vnica persona quæ Christus est. Alioqui quidem etiam multę Scripturę sunt de aliis hominibus: sed nomine Euangelij perinde dignæ non sunt. Id solùm, quod de Christo literis proditum est, Euangelij nomen habet: annuntiat enim nobis quid boni in illo & per illum acceperimus, & adhuc nobis expectandum sit. Ita enim Deus decreuit & vult, vt omnes homines à Christo pendeant, firmo & viua fide super illum sese ædificent, in illum sperent, ad salutem, & omne bonum adipiscendum: nec de quoquam
Roma.3. alio ea ratione sciant & existiment, apud quem salutem & vitam quærere velint, quàm apud Iesum Christum, qui nobis à Deo propositus est propitiatio, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitię eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Hunc Iesum & seruatorem monstrat nobis etiam historia hodierni
Ioan.11. ni Euangelij: neque id simpliciter, sed tanquam eum, qui ægritudinem & sanitatem in manu sua habet, & dominus vitæ est & mortis: imò qui vita est & resurrectio, veluti ipsemet dixit, & ipso facto declarauit. Et quid posset nobis lætius annuntiari? Meritò igitur etiam miraculum istud no-
Luc.7. minatur Euangelium. Audiemus itaque quomodo Lucas miraculum hoc descripserit. Ibat Dominus Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim. Hîc vide & obserua primũ, quàm gnauiter Christus munus & mandatum suum sit executus. Erat missus à Deo patre tanquam seruator & doctor. Id autem mandati tam fideliter & seriò perfecit, vt verè posset di-
Ioan.4. cere: Meus cibus est, vt faciam volũtatem eius qui misit me. Quin eaipsa de causa, vt Patris voluntatem faceret, & Euangelicam suam doctrinam latius spargeret, semper aliundè alio commigrabat, nec in vno se diu loco detineri patiebatur. Oportet me (inquit) & aliis ciuitatibus euangelizare,
Luc.4. quia ideo missus sum. Hac quidem de causa eo tempore veniebat Naim. Beatus homo, beata ciuitas, beata domus, ad quam Iesus seruator diuertit. Siquidem indubiè omne bonum illinc consequitur, veluti multa id comprobant exempla: vt

pla: vt in Matthæo cap. 8. veniebat Christus in domum Simonis,& confestim socrus eius febre liberabatur. Veniebat in domum Matthæi, illicò ex Publicano fiebat Apostolus. *Matth.9.* Veniebat in domum Zacchæi, Luc. 19. quàm primùm contingebat illi domui salus æterna. Sic veniebat hìc Naim,& è vestigio mortuus adolescens vitæ reddebatur,& tristis mater exhilarabatur. Contrà sicubi Christus aliquem deserit, nihil non mali indè sequitur. Sic Martha mortem sui fratris huic imputabat, quòd Christus longo tempore ab illis abfuerat. Domine(inquit Ioannes 11.)si fuisses hìc,frater meus non fuisset mortuus. In Iudaico populo omnium optimè cernere est,quid mali consequatur cedente Christo: ab illis recessit,vnde in hodiernum adhuc in omni miseria & calamitate hærent. Hinc disce causam, quamobrem nos etiam tantum ærumnarum videamus, neque pacem neque securitatem aliquam habentes. Haud dubiè id indè adeò fit, quòd Christum in domum nostram non recipimus & admittimus. Vnde euenire solet, quod olim ad Iudæos dicebat: Vos reliquistis me,& ego reliqui vos. *1. Paral.12.*

Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ. Apparet fortuitò factum, quòd Christus id adeò temporis Naim veniebat, cùm defunctus adolescens ad sepulchrum deferretur. Apud Deum autem nihil casu fit: omnia antea sunt cognita, considerata,& deliberata,vel sic ordinata, quanquam nobis secus videatur. Deus omnia nouit priùs,quàm eueniant; apud illum etiam decretum est, quo quidque tempore fieri debeat. Vidua non videbat Christum, nihilque minus cogitabat,quàm ipsius aduentum: Christus autem videbat viduam in suo luctu. Hoc nimirùm est & esse debet summum nostrum solatium, quod Deo necessitas nostra & defectus cogniti sunt: imò quòd iam in via est ad opitulandum nobis, saltem vt patienter expectemus, & de bonitate illius ne dubitemus. Si moram fecerit (inquit Habacuc) expecta illum: quia veniens veniet,& non tardabit. *Habac.3.*

Iam verò obserua hìc, quot verbis Euangelista vtatur, quò magnitudo mali seu calamitatis melius indicaretur, atque etiam bonitas & potentia Christi magis patefieret. Ecce (inquit) defunctus efferebatur. Mors hominis per seipsam miserabilis est: sed hìc alia accedebant, quæ mortem miserabiliorem faciebant. Etenim primò adolescens erat: est au

est autem miserabilius, si quis adolescens moritur, quàm si senex: quippè adolescens in ætate crescente adhuc est, & magno labore ad eam ætatem educatus est & perductus.

Secundò, hic defunctus homo non solùm adolescens erat, sed etiam vnicus filius matris suæ. Vt autem nihil charius est vnico filio, ita summum adfert dolorem mors vnici filij. Atque ideo sæpenumerò in Scriptura summa tristitia significatur per luctum super filium vnigenitum: vti cùm *Hiere.6.* Hieremias dicit: Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. *Zacha.12.* Et Zacharias de Christo: Plangent eum planctu quasi super vnigenitum: & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. Tertiò, erat etiam mater defuncti vidua, id quod mortem longè miserabiliorem faciebat. Tantum miseriarum confluxerat: Christus autem sua præsentia id omne auferebat. Qua de re nemini desperandum, quocunque in malo degenti. Dei enim potentia, nostra miseria infinitis partibus maior est.

Vt nos Deus consoletur.

Vnum porrò obserua, quàm Deus mirabiliter nobiscum agat. Tum demum auxiliatum nobis & consolatum venit, quando iam de aliis rebus omnibus desperatio nos inuasit. Hæc vidua nullum amplius in terris solatium sperare poterat, posteaquam illi primò maritus, deindè etiam filius mortuus erat. In tali necessitate autem Christus ostendebat sese suo auxilio: sed non veniebat viuente adhuc filio, sed cùm iam mortuus erat, & ad sepulchrum deferebatur, *1.Reg.2.* omni spe sublata. Sic autem Deus instituit opera sua. Occidit, & viuificat: vulnerat, & sanat: ducit in infernum, & educit: priuat hominem primò omni solatio quod à creaturis habere posset, & dat illi suum solatium. Quare quo pluribus miseriis cinctus & quasi coopertus es, hoc tibi Deus proximior est, si inuoces illum. Quia iuxta est Do- *Psal.33.* minus iis qui tribulato sunt corde. Sequitur in textu: Et turba ciuitatis multa cum illa.

Mortui non plangendi.

Sunt qui putant hominem Christianum minimè decere mortuos deflere. Verissimum est, si addatur, quemadmodum Gentes & infideles suos mortuos deflent & plangunt, qui mortem summum malum censent. Hunc in modum (inquam) hominem Christianum nequaquam decet, mortuos deflere, more canum, aliàm aut meliorem vitam ne- *1.Thessal.4.* scientium. Vnde & Paulus dicit: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri,

cæteri, qui spem non habent. Secundò, à Christianorum sepultura seu funere omnes inepti gestus abesse debent, quales Gentibus vsitati sunt: qui eiusmodi gestibus plerunque maiorem præ se ferunt dolorem, quàm in corde habent, insanis hoc modo similiores, quàm lugentibus. Non enim hæc Christus patitur in suis fidelibus. Veruntamen etiam in Christiano reprehendi non potest mediocris luctus & mœror super defunctos, quatenus ex fide & vero amore proficiscatur. Sic enim Patres quoque in veteri Testamento fecêre: quinimò vbi verus amor est, temperare sibiipsi homo à lachrymis & tristitia non potest, dum alij moriuntur: quinetiam in qualibet necessitate sui proximi, licet non ignoret electis omnia cooperari in bonum. Hoc cernimus in diuo Paulo: is Spiritu sancto plenus erat, attamen gaudebat, & gratias agebat Deo, quòd Epaphroditum morte liberauerat. Et quid solum dico de Paulo, in quo minor Spiritus Dei plenitudo fuit, quàm in Christo? Quis in animo suo constantior & immobilior fuit illo? Attamen quia verus homo erat, & homines verè diligebat, lachrymas continere non poterat, cùm de futura deuastatione & interitu Iudaici populi, & ciuitatis Hierosolymitanæ loqueretur. Sic etiam plorauit apud sepulchrum Lazari. Et quid multis verbis opus est? Natura & amor naturalis dictitant, hominem tristari morte suorum amicorum & dilectorum. Fides autem docet, ne luctus & mœror modum excedat. Habemus enim nos Christiani solatium, de quo Ethnici nihil sciunt: nimirùm quòd in Domino mortui, viuant adhuc apud Deum, & quòd etiam corpora eorum per Christum ad vitam reuocari debeant. Tristari nobis licet, veruntamen ne tristitiæ nimiùm largiamur, & ne propterea quid contra Deum agamus faciamúsue. Sic dicere possum etiam de pompa & celebritate, quæ in sepeliendo exhiberi solent: quod honestum & moderatum est, iuxta personæ qualitatem, vituperari non potest nec damnari. Sic enim veteres & optimi Patres fecerunt: quemadmodum videmus in Iosepho, qui demortui sui patris corpus honorificè ex Aegypto transferri in terram Chanaan curabat. Cæterùm vbi non nisi fastus, superbia, & immodici sumptus apud mortuos fiunt, minimè laudandum est: imò apud nos Christianos ne ferendum quidem. Sequitur in

Euan

Philip. 2. *Luc. 19.* *Ioan. 11.* *Gen. 50.*

Euangelio: Cùm vidisset Dominus viduam, misericordia motus super eam est. Verbum hoc diligenter considerãdum, Magnum enim & incredibile nobis solatium præbet, quandoquidem in eo videmus, Dauidem rectè dixisse: Tibi domine derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Et iterum: Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet. Et rursum: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Et iterũ dicit Sapiens: Dominus non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nónne lachrymæ viduę ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cœlum, & dominus exauditor delectabitur in illis. Eáque propter dicit Deus per Mosem: Viduę & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorẽ eorum, quia misericors sum. Hoc nostrum solatium est, quod ex isto verbo habemus, vbi Euangelista ait, Misericordia motus est super eum. Deindè etiam nobis in eo indicatur, merã gratiam esse, & ex mera misericordia Dei potissimùm proficisci quicquid à Deo accepimus & accipimus: quemadmodùm etiam beneficium quod huic viduę & filio eius contingebat, potiùs gratias quàm meritum erat. Quia nihil de Christo merita fuisse legitur: nec sperare poterat, sibi ab illo tale beneficium posse exhiberi, ideóque nõ rogabat eum. Ipse verò est & erat tã bonus, vt commiseratio eius moueret eum ad auxiliãdum illi. Sic nos docet S. Iacobus: Nolite errare (inquit) fratres, hoc est, nolite putare, quòd ex vestris viribus sine Dei gratia habeatis aliquid, aut consequi possitis. Omne donum perfectũ desursum est, descendens à Patre luminun, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Omne donũ perfectum (inquit) hoc est, quicquid boni habemus, siue externum sit, siue internũ, vt vita, sapiẽtia, fortitudo, sciẽtia, sanitas, forma, diuitiæ, remissio peccatorum. Omne donum perfectum, desursum est: non ex nostris viribus, neque tam ex nostro merito & iustitia, quàm ex gratia & misericodia Dei. Hæc animis nostris semper nobis obuersari debent, vti ne simus ingrati. Tertiò, quòd Christus huic perturbatæ viduæ etiam non rogatus opitulatus est, exemplum est, quod imitari omnes Christiani debent, imprimis verò qui potestatem aliquam

Psal. 9. Psal. 145. Psal. 112. Eccli. 35. Exod. 22. Iaco. 1.

Viduæ & pupilli defendendi.

quam & magistratum gerunt, vt etiam non requisiti, viduas & orphanos defendant, contra eos, à quibus grauantur opprimuntúrque: neque expectent donec requirantur, quandoquidem tam miserabiles personæ quandoque suam queri necessitatem vel indicare non audent. Sic enim præcipit Deus omnibus regentibus: Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et iterum: Hæc dicit Dominus: Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris: & aduenam & pupillum, & viduam nolite contristare, neq; opprimatis iniquè. Sic faciebat S. Iob, Ego (inquit) liberabam pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum: & vestiui me, sicut vestimento & diademate, iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum: & causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus iniqui auferebam prædam. Hoc optimus Iob de seipso verè dicere poterat, etiam coram aduersariis suis, qui id illi euertere & refellere non poterant. Nos autem contrarium facimus. Non solùm pauperum clamorem & vociferationem non audimus, sed facimus, ínq; causa sumus, vt plorare eos necesse sit: non curamus quod Scriptura dicit: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur. Sequitur: Et Iesus dixit viduæ: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Videmus hîc, Christum duabus viis consolari. Primò, suo verbo & sacra scriptura. Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Secundò, consolatur nos Christus beneficia sua manu & suis operibus, quæ semper nobis exhibet. Tantò minus desperandum nobis est, dandáque opera, vt illi grati simus, postequam verbum eius & promissionẽ semper habemus & audimus, eiúsq; beneficia semper sentimus. Et quid amplius faceret quod non fecit? Itaque meritò eum Paulus vocat patrẽ misericordiarum, & Deum totius consolationis. Sequitur: Hi autem qui portabant, steterunt. Hoc tandem consequitur, vbi Christus ad hominẽ venit, & eum contingit; nimirum ꝙ omnes commotiones & inquietudo cordis componantur. Is enim est, qui sedare potest omne id quod inquietos nos facit, Quemadmodum in Matthæo legimus,

Esa. 1. *Hier. 22.* *Iob. 29.* *Prou. 21.* *Duobus modis Christus nos solatur.* *Rom. 15.* *2. Cor. 1.* *Mat. 8.*

quòd etiam mari & ventis imperabat, vt conquiescere cogerentur. Hoc potest eius manus & contactus. Sed audi iam, quid etiam vox illius & verbum posſit: Adolescens tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Hîc

Heb.4. vides virtutem diuini verbi. Omnia potest, omnia penetrat: viuum est verbum & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, &c. Et id nobis omnibus cor nostrum mollire posset, si

Hier.23. locũ ei daremus. Nunquid nõ verba mea (inquit Deus) sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram? Hic malleus

Act.9. & ignis diuini verbi, ita molliebant refractarium cor Sauli vno momento, vt diceret, Quis es Domine? Domine, quid me vis facere? Hoc loco sermo Christi mortuum vitæ restituebat: imò profligabat mortem, & dabat vitam. Minimè itaque mirum, populum timore correptum fuisse, & protinus vnanimiter magnificasse Deum. Eũdem in modũ etiam nos omnésq; alij, Dei opera accipere debemus summa cum admiratione & laude Dei. Sed de hoc in sequentibus sermonibus plura. Dei gratia cum omnibus nobis, Amen.

SECVNDVS SERMO DOCET quid in defuncto Adolescente considerandum sit.



IN Euangelio isto describit sanctus Lucas adprimè pulchram & consolatoriam historiam: imò mirificũ Dei opus, & verè consolatorium miraculum, quod in hodiernũ adhuc vnumquemq; verè fidelẽ hominem exhilarat, & copiosam ei optimarum meditationum materiam suggerit. Breuis quidem in narrando Euangelista est, sed hoc vilius

Scriptura sacra breuis. nobis esse non debet. Ea enim vera sacræ Scripturæ cõditio est, vt breuibus & simplicibus verbis magna complectatur

Mundi sapientia futilis. & proponat: quẽadmodum contra mundana sapientia magnis, multis, & amplis verbis vtitur, in quibus tamen plerunq; vis nulla inest. Quocirca ingens discrimen est inter Euangelicas & alias mundanas historias. Requirunt etiam Euangelicæ historiæ proprios suos auditores. Alia fide, deuotione, attentione opus est, cùm aliquid de Christo audis vel legis, quàm si de Annibale aut Iulio Cæsare legas. Historiæ enim de Christo propter nos gestæ sunt, ideò plenæ solatij, institutionis, salutis & vitæ sunt. Talium autem rerum

nihil

nihil inuenis in prophanis historiis. Proindè vbi de Christo eiúsq; præclaris operibus sermo fit, non solùm aures, sed etiam cor aperire nos oportet, quò eiusmodi consolatoria verba altius inscribantur. Beatus homo quisquis talem thesaurū secum fert, ex quo depromere semper possit quod ei necessarium est, partim ad resistendum hosti, partim ad conscientiam suam instaurādam. Nobis Christianis etiam meritò lætandum est, & gratiæ agendæ Deo, ꝙ nos Deus eo tēpore nasci voluit, quo Euangelium Christi iam multis seculis vbique locorum & palàm prædicatum est: dedítq; nobis, vt ipsi gloriosa & mirifica opera Christi nosse possimus. Dico enim vobis (ait ipse) ꝙ multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Regina Saba non nisi semel audita sapientia Salomonis, in tantam rapiebatur admirationē, vt exclamaret, & diceret: Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiā tuam. Sit dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti: & posuit te super thronum Israël, &c. Apud nos autem plus est Salomone, nimirum Christus filius Dei, quem indies videmus & audimus. Quantò igitur beatiores essemus supra omnes homines, id animo nobiscum reputare si possemus? Hæc omnia eò dico, ne Euangelium istud hodiernum silentio prætereamus, sed diligenter disquiramus etiam omnia verba: nec dubitemus, quin magna in eo nobis proponātur, vti etiam verissimum est. Etenim Euangelium istud indicat nobis primò, quæ sit vita nostra hîc in terris, quò discamus nos ipsos cognoscere. Secundò, indicat nobis manifesto miraculo, quis Christus sit: ídque ad conformationem fidei nostrę, quò videamus illam nostram fidem certam & indubitatam esse: & vt videamus, vnde auxilium petēdum sit. Tertiò, ponit nobis Euangelium istud etiā eximia quædam exempla piæ vitæ ob oculos, è quibus facilè apparet, quid nos facere conueniat ac debeamus. Et postremò, etiā in hac historia significatus est & indicatus totus status sanctę Christianitatis hîc in terris. Hæc omnia (inquā) ex hoc Euangelio habere possumus & desumere. Id ordine nunc audiemus. Principiò in hoc Euangelio descripta est & proposita nobis mors adolescētis, fletus viduæ, & processio ad sepulchrum. In his tribus rebus, si probè considerētur, expressam habemus imaginē huius pręsentis vitæ. Enimuerò vita nostra hîc

Luc.10. *3.Reg.10.* *Mat.12.* *Forma præsentis vitæ.*

in terris aliud nihil est, quàm ꝙ quotidiè talis calamitas ob oculos nobis versatur. Vita nostra nihil aliud est, quàm funeris processio. Quocunque nos vertimus, videmus aut viuos plorare, aut defunctos ad sepulchrum deferri. Quin nos ipsi talem miseriam in nobis sentimus: omni hora propius ad sepulchrum accedimus, etiam nolentes. Nec est tam expertus quisquam, qui, ne id videat, cauere possit. Fuerunt quidē, qui liberos suos incluserunt, ne tā miserabile spectaculum videre cogerentur in aliis hominibus, & per hoc in mœrorem inciderent. Videmus in hodiernum quoq; nobiles quandoq; & diuites arces suas & domus procul ab aliis hominibus ædificare: imò plerunq; in altis montibus & abditis syluis, ne tantum miseriarum videre necesse habeant. Sed frustrà: Causam omnium miseriarum atq; etiā mortis, in sinu nobiscum ferimus: ita vt tā vigilantes esse non possimus, quin mors per fenestras in domum nostram descēdat. Vbi homines conuersantur vnáq; viuunt, ibi videtur istud spectaculū, aut lachrymantis viduæ, aut morientis adolescētis. Hæc conditio est vitæ nostræ hic in terris. Nihil habet aliud, quàm ærumnas, tribulationes, ægritudines & pericula, sicuti Iob id pulchrè indicauit: Homo (inquit) natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquā in eodem statu permanet. Idem indicat Isaias aliis verbis: Formido & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ: qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam: & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo. Hinc Ethnici quidam dixerunt, optimum esse non nasci, aut natū quàm ocyssimè aboleri. Vnde & Salomon dicit: Considerans & videns vanitatem vitæ, laudaui magis mortuos, quàm viuentes. Talem laboriosam vitam hic in terris tandem acerba cōsequitur mors: ea ita vestigiis nostris insistit, vt vmbram etiam eius videamus: veluti olim Dauid 1. Reg. 28. dicebat: Viuit Dominus, quia vno tantùm gradu, ego mórsq; diuidimur. Sic etiam diuus Paulus vmbrā mortis viderat, vbi inquit 2. Cor. 1. Supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Non solùm autem sequitur nos mors, sed nos illi vltrò occurrimus, & properamus ad mortem. Imò quocunq; is, siue ad conuiuium, siue ad choreas, siue ad leuitatem, &c. nimirum morti occurris. Quia enim non iuniores, sed seniores simus: certū est, nos morti semper

Hie. 9.

Vita nostra calamitosa.

Iob. 14.

Esa. 24.

Eccl. 4.

Mors vt insidietur nobis.

ſemper magis ac magis appropinquare: & quot dies viuimus, tot gradus in ſepulchrum deſcendimus. Atque hoc modo veluti nobis videntibus, per feneſtras illabitur mors. Habet enim ius in nos, & quidem geminum ius. Primò nanque, quia homines ſumus, & Adæ filij, mors ius in nos habet, poſteaquam Deus ſententiam ſuper Adam & omnes eius poſteros tulit: Terra es (inquit Geneſ. 3.) & in terram reuertêris. Secundò, quia ipſi etiam peccatores ſumus, & peccata indies cumulamus, rurſus mors in nos ius habet. Stipendia enim peccati, mors. Et quicunque contra Dei mandatum agit, mortis reus eſt. Nam peccatum punit Deus morte: & propter peccatum venit ira Dei in filios diffidentiæ. Ideóque nihil prodeſt contra mortem, neque iuuentus aut ſenectus, neque nobilitas aut honeſtas, neque potentia aut gloria, neque ſapientia aut eloquentia, neque ſcientia aut experientia, neque fauor aut amicitia, neque ædificia aut arma, neque ſanitas aut voluptas, neque aurum aut diuitiæ, &c. Eáque propter vocat Ioſue mortem non immeritò, viam vniuerſæ carnis. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos: verbum autem Domini noſtri manet in æternum. Summa: omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur: non eſt homo qui non moriatur, neque hic frater fratrem redimere poteſt, &c. Nec refert, quis prior aut poſterior moriatur. Serius aut citius, ſedem properamus ad vnam. Hæc vita noſtra eſt hic in terris: melior nobis contingere non poteſt.

Mortis in nos geminum ius.

Rom. 6.

Eph. 5.

Ioſ. 23.

Eſa. 40.

2. Reg. 14.

Pſal. 48.

Hoc conſiderandum habemus apud lachrymantem viduam & defunctum eius filium. Magnoperè nobis neceſſaria eſt talis conſideratio, maximè in his infeſtiſsimis temporibus. Quippè nihil eſt quod humiliare ſuperbiam noſtram melius poſsit, & leuitatem noſtram coërcere & reprimere, quàm recordatio mortis. Memorare nouiſsima tua (inquit Sapiens Eccl. 7.) & in æternũ non peccabis. Quia ergo Euangelium hodiernum mortis nos admonet, ceſſemus à peccatis, ne etiam in anima moriamur: quæ mors tãtò pernicioſior & formidabilior eſt, quàm corporalis mors, quantò anima dignior & nobilior corpore eſt. Per illã enim mortem, hoc eſt, per peccatum amittit homo primò ſuam dignitatem, ex homine fit bellua: amittit verum ſuum intellectum de ſpiritualibus & diuinis rebus, vti Dauid

Mortis commemoratio vtilis.

Peccati multiplex pernicies.

1.

Pſal. 48.

dicit: Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, &c.
II. Secundò, amittit per spiritualem mortem & peccatum, nomen suum coram Deo. Sic enim ipse Deus dicit Exod. 32.
III. Qui peccauerit mihi, delebo eũ de libro meo. Tertiò, amittit homo per peccatum & spiritualem mortem, etiam nomen suum & opinionem coram hominibus. Nomen impiorum putrescet (inquit Salomon Prouer. 10.) memoria iusti
IIII. cum laudibus. Quartò, amittit homo per peccatũ omnes
Luc. 19. spirituales diuitias. Habenti enim (inquit Christus) id est, qui accepta gratia & Dei bonis rectè vtitur ad omnẽ pietatem, dabitur: ab eo autem qui nõ habet, hoc est, qui accepta
V. gratia abutitur, & quod habet auferetur. Quintò, amittit homo per peccatum & spiritualẽ mortem, omnes etiã amicos suos, hoc est, defensionẽ & custodiam sanctorũ Angelorũ: de qua custodia Dauid dicit Psal. 90. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis, &c. Hoc amittit autem peccator. Curauimus Babylonem (dicebant
Hier. 5. Angeli & legati Dei in Hieremia) & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terrã suam. Postre
VI. mò amittit etiam homo Deum per peccatum & spiritualem mortem, quia ipse solus est nostra vita, & longitudo dierũ
Deu. 30. nostrorum. Quantò igitur animæ mors perniciosior est quàm corporalis mors, tantò debemus Christi præceptis & Euangelicis institutionibus studiosiùs obtemperare, ne in peccata, quibus anima occiditur, recidamus. Imò quo pernicisior mors est spiritualis, hoc diligentiùs cauere debemus, ne posteaquam semel per Christũ spirituali morte peccatorum liberati sumus, mors illa per fenestras domum
Matt. 12. nostram iterum subintret, & nouissima nostra peiora fiant prioribus. Quarè in tempore conquiescamus à peccatis, priùs quã mors veniat, & nos inopinantes opprimat. Nã væ
Matt. 4. illi, quem mors in peccatis inuenit & comprehendit. Pœ-
Pœnitentibus promittitur regnum cœlorũ. nitentiã agamus de admissis criminibus. Pœnitentibus enim regnũ cœlorũ promissum est. Dum tempus habemus, bona operemur, vti Paulus docet Gal. 6. Thesauros thesaurizemus in cœlis: vbi neq; ærugo neque tinea demoliũtur, neque fur furari potest, Matth. 6. Et erit aliquando tẽpus,
Luc. 16. cũ thesauris eiusmodi collectis opus habebimus: quemadmodum videmus in diuite condemnato: is nihil spirituale reposuerat, & ob id defectum suũ queri æternum cogebatur &

tur & sentire. Faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis. Alioqui enim nihil ex hac vita nobiscum auferimus. Quòd si multa fueris largitus, multa in extremo iudicio recipies. Ad hæc nobis mors istius adolescentis seruire debet. Et hęc ad nos omnes attinent, quotquot etiã sumus. Nihilominus verò, quia adolescens fuit, qui tum temporis deflebatur, & ad sepulchrũ deferebatur, meritò iuuenilis mũdus aliquantò plus & diligẽtius ad animũ id reuocare debebat, quàm alij. Equidẽ nescio quid homo adolescens meliùs & vtiliùs facere posset, quàm si exemplũ istud defuncti adolescentis benè ad animũ reuocet. Iuuentus (proh dolor) per seipsam ad vitia magis propensa est, quàm senectus. Nunc parentum negligentia, multis malis exemplis, Magistratus lenitate fit, vt iuuentus in omnia peccata & dedecora, scelera & flagitia prolabatur, in'que iis adolescat. Vndè accidit, vt Ecclesia omnibus diebus filios habeat, quos defleat. Cuius enim animũ non moueat? Quis nõ indolescat, quòd tãta iuuenilis populi multitudo tam miserè pereat in peccatis & omni turpitudine? Quàm rarũ nunc illud est, quod Salomon tam fideliter monuit ac docuit, Memẽto creatoris tui in diebus iuuẽtutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent: antequàm tenebrescant sol & luna, &c. Nemo (inquam) nunc curat eiusmodi admonitionẽ. Iuuentus remisso fræno morti & interitui occurrit. Sed quid dicit Christus? Tibi dico adolescens, surge. Hoc homini adolescenti perindè esse debet, ac si Christus dicat: Memẽto ô homo vbi iaceas, nempè in morte: cogita quò te tua cupido ducat & ferat: nimirũ ad foueam desperationis, è qua exire nunquàm poteris. Quæ comparatio esse cõgruentior potest, quã peccatoris & mortui hominis: Quod enim anima facit in corpore, hoc facit Deus in anima. Aufer animã à corpore, omnia mẽbra, quantũcunq; formosa & vtilia erant: fiunt deformia, inutilia & imbecilla. Aufert Deũ ab anima, omnia ablata sunt. Sine Deo enim nihil possumus. Idcircò clamat Christus, & dicit: Adolescens surge, ne te mors in peccatis tuis opprimat: ne peccando in consuetudinem venias. Nã si mutare potest Aethiops pellem suam, & tu poteris benefacere, cùm didiceris malũ. Adolescens enim (inquit Salomon Prou. 22.) iuxta viã suã, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Quarè dico tibi, ô adolescẽs, ô iuuenilis ætas, sur-

Mat. 25.

Exhortatio iuuentutis.

Eccli. 12.

Peccatoris & cadaueris comparatio.

Ioan. 15.

Hier. 13.

ge in tempore: ne tibi ipse promitte longam vitam, siquidem res incerta est. Ne sis cõfidens, ꝙ Deus misericors est: quia & iustus est. Ne tu tibi ipse blandiaris in peccatis tuis, eò quòd etiã alij peccent: vnusquisque enim pro se rationẽ redditurus est, & onus suũ portabit. Neminẽ ad peccandum prouocantẽ te audias, quia certò ad sepulchrũ te deferunt: ducunt te ad mortem: in foueã desperationis te coniiciunt, si vel vnũ horũ quatuor in te radices agere siueris. Christum itaque audi tibi acclamantẽ, Dico tibi adolescens, surge: hunc imitare, & non solùm tristẽ tuã matrẽ, sanctã Ecclesiam & Christianitatẽ exhilarabis, sed tibi etiã ipsi æternam vtilitatẽ paries. En, hoc adolescenti homini imprimis circa Euangeliũ istud considerandũ est: quanquam alioqui etiã nobis omnibus dictũ est. Huius rei gratia precemur cum Diuo Paulo, & genua nostra flectamus ad patrẽ Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det nobis secũdũ diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritũ eius in interiori homine: Christũ habitare per fidem in cordibus nostris, in charitate radicati & fundati: vt posimus cõprehendere cũ omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundũ scire etiã supereminentẽ scientiæ charitatẽ Christi, vt impleamur in omnem plenitudinẽ Dei. Hoc hodie precari debemus circa istud Euangeliũ. Hæc vera capita sunt, in quibus spiritualis vita animarũ consistit, & per quæ etiam conseruatur, Amen.

Gal. 6.

Ephe. 3.

TERTIVS SERMO DOCET *quid circa personam Christi considerandum.*



IN hodierno isto Euangelio optimus quisque Christianus, qui prudẽs sit rerũ spiritualium, iucundum spectaculũ habet, ex quo voluntatem & gaudium in hodiernum adhuc capere posit. Duo diuersa hominũ genera occurrũt sibi inuicem in hoc Euangelio: Christus cum suis discipulis, & vidua cum suis ciuibus. Sed dispar admodum apparatus erat: ab altera parte erat vita, ab altera parte mors. Qui cum vidua erant, omnes lugebant, & non immeritò: quandoquidem nihil aliud videbant, quàm mortem & humanã miseriam. Qui autem cum Christo erãt, gaudebant, id'que

non

non immeritò:quia verum seruatorem secum habebant. Veruntamen indicatum simul est,quòd vita mortem vincebat,& tristitia in gaudium vertebatur:ex duobus vnus cœtus fiebat,qui vtrinque Deum laudabāt,dicebant'que:Propheta magnus surrexit in nobis:& Deus visitauit plebem suam. *Luc.7.* Hoc spectaculum ponit nobis Euangelium istud ob oculos: Isthuc ipsum est,quod adhuc quotidiè videmus & experimur.Paulus totum humanum genus in duos diuidit cœtus:in altero ponit Adàm cum omnibus eius posteris:is est populus de Naim, vbi aliud videtur nihil,quàm peccatum,maledictio,mors & condemnatio. Vndè nihil aliud sequitur & sequi potest,quàm ploratus & lamenta,vt qui istiusmodi miseriam sentiunt,nunc hìc nunc illic vociferētur. Alius dicit:Væ mihi mater mea,quarè genuisti me? *Hier.15.* Alius dicit:Pereat dies in qua natus sum:quarè non in vtero matris mortuus sum?quare egressus ex vtero non statim perij?cur lactatus vberibus?quarè exceptus genibus? *Iob.3.* Tertius ait:Heu mihi,quia incolatus meus prolongatus est. *Psal.119.* Quartus exclamat:Infœlix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius? *Rom.7.* In altera verò parte collocat Paulus Christum cum suis. Atque ibi nihil aliud apparet, quàm gratia,iustitia,benedictio,salus & vita. Vnde necessario sequitur gaudium & gratiarum actio:vt qui sentiunt, alius alibi cauat,& Deum laudibus vehat. Alius dicit:Deo gratias,qui dedit nobis victoriā per dominum nostrum Iesum Christum. *1.Cor.15.* Secundus dicit: Benedictus Deus,qui regenerauit nos in spem viuam per Iesum Christū,&c. *1.Petr.1.* Tertius dicit:Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, &c. *1.Ioan.3.* Hi duo cœtus vbi sibi inuicem occurrunt,rectè agitur: ibi in hodiernum deprehenditur, gratiam fortiorem esse peccatis,benedictionem efficatiorem maledictione,vitā potentiorem morte,Christum plus prodesse,quàm Adam nocuit,& Deum superiorem Diabolo.Cæterùm vbi Adæ filij Christum in via non inuocant,ibi certè ad mortem tendunt:nihil aliud sunt,quàm grex ad victimam:mors depascit eos,& omne auxilium eorum veterascit. Sepulchra domus illorum, &c. *Psal.48.* Agè,in proximè præcedente sermone priorem cœtum habuimus: & vidimus,quàm tristis fuerit processio,quā ciues Naim faciebāt. Vndè videre facilè possumus quæ nostra miseria sit,& cui eam acceptam ferre de-

beamus. Nunc in isto sermone alterum quoque cœtum nobis proponemus, Christum cum suis discipulis: audiemus'que quomodo ciuibus Naim tristitiam eorum in gaudium verterit: qua ex re facilè patescet, cui etiam nos salutem nostram acceptam ferre debeamus: nimirùm illi ipsi qui vitæ exempto adolescenti vitam reddebat, hoc est, Christo. Audi itaque quid Christus facit. Mox vt videt miseriam viduæ, miseretur illius, accedit, consolatur verbis, contingit loculum, excitat mortuum, & in vitam reuocat, per hoc omnem tristitiam vertens in gaudium, vt tristes ciuitatem egressi, læti redirent, canẽtes & laudantes Deũ, qui visitasset populum suum. Et hic vides quid faciat, vbi Christus in tristem cœtum filiorum Adæ venit. Hic vides, quomodo & per quem nobis mors, aliáque miseria auferatur. Imò hìc Christus palàm declarat quis sit, & ad quid venerit. Quis igitur Christus? Verba & opera eius apertè demonstrant, quòd sit misericors & omnipotens, & deindè etiam Deus. Nam quomodo aliis hominibus qui nihil de illo meriti fuerãt, opitularetur, nisi natura misericors esset? Quomodo hæc signa & miracula facere potuisset, nisi Deus cum illo esset: imò nisi ipse Deus omnipotẽs fuisset? Etenim mortuos suscitare, eo modo quo Christus illos suscitauit & ad vitam reuocauit, opus est solius Dei. Is vocat illud quod non est æquè atque id quod est. Proinde miraculum, quod Christus in hoc defuncto adolescẽte fecit, certum auctoramentum & confirmatio est fidei nostræ in Christum, vt de deitate illius dubitare non possimus. E diuerso miraculum istud etiam omnes eos confundit, qui deitatẽ Christi abnegant. Iudæi scindebant vestes suas, & pro summa contumelia ducebant, si nominaret se filium Dei. Sæpè illum propterea lapidare in animo habebant. Romani longè eũ humiliorem iudicabant, quàm vt illum inter deos suos referrent. Iulianus apostata & perfidus Cæsar, ex contemptu eum Galilæum vocabat. Celsus præstigiatorẽ, Arrius creaturam. Miraculum autem istud omnes eos confundit. Nam quod Christus hic fecit, id neque præstigiatores apud Ethnicos, neq; prophetæ per se apud Iudæos facere potuerunt & adhuc faciunt: nihil aliud sunt, quàm præstigiæ & delusiones oculorum. Miracula quæ Prophetæ, Moyses, Eliàs, Helisæus fecerũt, vera quidẽ miracula sunt: neque

Christus quid agat. *Christus quis sit.* *Ioan.3.* *Rom.4.* *Matt.26.* *Ioan.8.10.*

neq; ea Prophetæ ex propria virtute, sed per inuocationem diuini nominis fecerunt. Sic quidem etiam Elias, & Helisæus mortuos excitarunt: verùm non propria virtute, sed per veram fidem & orationem ad Deum. Domine Deus meus (inquit Elias) reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. *3.Reg.17.* Helisæus orabat etiam ad Deum, puerum ex mortuis excitaturus. *4.Reg.4.* Christus autem non solùm vera signa fecit, sed etiam ex propria virtute, potentia & verbo suo. Loquebatur, vt qui potestatem haberet: & verba res etiam ipsa sequebatur, & vis. *Matth.8.* Ad leprosum dicebat, Mundare, & confestim mundabatur. Dicebat ad mutũ, Marci 7. Ephphatha, & protinus mutus loquebatur & audiebat. Dicebat Lazaro, Ioan.11. Veni foras, & mox defunctus Lazarus è sepulchro prodibat, in quo quatriduum iacuerat. Sic hoc loco dicit: Tibi dico adolescens, surge: & statim resedit defunctus. Hæc & id genus alia miracula, clarè nobis significant, Christum eum esse, qui à constitutione mundi dicebat, Gene.1. Fiat lux, & facta est lux, &c. Vnicum verbum est, vnicus opifex, vnicus dominus, qui creaturas condidit & conseruat.

Ex his omnibus vides, quis Christus sit. Huc pertinet, quod in Ioanne dicit, cap.11. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et iterum, Ioannis 5. Sicut pater suscitat mortuos & viuificat: sic & filius quos vult viuificat. Sicut enim pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso, &c. Hinc est, quod Petrus in Iudæorum concilio intrepidè dicebat, Acto.4. Notum sit omnibus vobis, quòd iste qui aliquando claudus erat, in nomine Iesu Christi Nazareni, hîc adstat coram vobis sanus. Hic est enim lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc est, quod nos consolatur, erigit, spem & animum facit in hac calamitosa vita. Hoc est, quod nobis omnem mœstitiam, quinetiam horrorem mortis discutit: quandoquidem clarè in hodierno Euangelio videmus, quòd Christus is sit, qui mortuos viuificat, & viuos consolatur. Ecquid amplius petis? Aut vbi alium reperies, qui hoc similiter nosset & posset?

Cur in Naim præcipuè mortuũ Dominus excitarit.

Vnum porrò obserua, quòd Christus non vbique fecit, quod hîc in Naim fecit: multas ciuitates & oppidula præteriit, vbi nullum mortuum excitauit: verùm ad hanc cùm

veniret ciuitatem, consistebat, & auxiliabatur, & suam declarabat potentiam & gratiam: attamen non immeritò id faciebat, quia cum defuncto suo ex ciuitate processerant Christo obuiam. Aliæ ciuitates habebant etiam mortuos & viduas: quia verò non exibant Christo obuiam, prætereibat Christus. *Quid agẽdum nobis.* Hoc nobis dictum est: non satis est scire, quòd Deus omnia posit, sed surgere oportet, prodire, itineri se committere, in quo it Christus, & isthîc implorare & expectare salutem Dei, & illi necessitates nostras detegere. Et hoc est quod Paulus dicit, Ephe. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Nemo hac vidua miserabilior videbatur: erga defunctum autem filium nihil penitus spei reliquum erat, attamen cùm Christo obuiam fierent, ambo consolabantur. Idem adhuc vsu venire solet, quod illi cumprimis sentiunt, qui in tribulatione positi, Christo sua oratione occurrunt. Quemadmodum etiam in sancto Paulo videmus, qui in tot afflictionibus, Dei tamen semper præsentiam & opem sentiebat. Vnde alacriter *2. Corint. 1.* dicere poterat: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Neque mirum, si vbique consolationem à Deo inueniebat, qui Deo nusquam non occurrebat viua fide & ardenti oratione. Sancti martyres & alij probi, similiter quoque fecerunt.

Nobis nihil aliud deest, quòd non etiam manum Dei & potentiam semper ita præsentem sentimus: nihil aliud (inquam) nobis deest, quàm quòd non eximus, cùm tamen adhuc quotidie Christus domus nostras prætereat: quinimò is qui Dei est sapientia, in omnibus plateis nobis acclamet. *Prouerb. 1.* Facilè remedium & opem habere possemus, sed non curamus. Ciuitatis voluptas & amœnitas nos tenet, quò minùs prodeamus ad Christum. In quem tandem reiiciemus culpam nostræ condemnationis? Enimuerò neque in Deum neque in Christum poterimus reiicere. Quid enim Deus facere debuit, & non fecit? Christus suo etiam functus est officio. Venit ad nos, vocauit nos: dona sua & merita, quinetiam æternum suum regnum & gloriam obtulit. Ecquid amplius facere debuit? Num præter voluntatem nostram nos coget? minimè. haud faciet. Miser homo, an non sufficit tibi, quòd prætereuntem illum vides, audis strepitum, vides aliorum concursum? Proindè nos ipsi authores sumus nostræ

strææ condemnationis. Vnde verè de nobis dici potest, Lux venit in mundum: sed homines magis diligunt tenebras, *Ioan.3.* quàm lucem. Et iterum potest Christus ad nos dicere: Quoties filios tuos volui congregare, & noluisti? *Luc.13.* Vehementer nos olim pœnitebit istius nostræ negligentiæ. Venient dies (inquit Christus) quando desideretis videre vnum diem filij *Luc.17.* hominis, & nõ videbitis. Quare properemus dum Christus *Matth.25.* adhuc in via est, priusquam nobis è manibus & oculis elabatur, & ostium claudat. Tum frustrà pulsabimus, & audire cogemur Christum dicentem, Nescio vos. Hoc alterum est, quod in isto Euangelio considerare oportet: nimirum Christum & eius turbam, quemadmodum primò viduam cum tristi eius turba considerauimus. Hæc duo adeò dissimilia sunt, vt quisquis ea simul considerat, bifarios etiam indubiè affectus & cogitationes in seipso sentiat, puta tristitiam & dolorem ex consideratione defuncti adolescentis, & conturbatæ matris: gaudium autem, ex vtriusque ipsorum inopinata & celeri consolatione per Christum. Et tamen Christus est, qui vtraque illa fecit & instituit, dolorem & gaudium. Quàm certò adolescentem à mortuis excitauit: tam quoque certò eum priùs mori siuit. Quia potestatem vitæ pariter & mortis habet: mortuo vitam reddere potest, & viuum potest vitæ eximere. Imò hoc etiam possunt creaturæ, illud autem solus Deus potest. Diabolus, & mali homines, quinetiam feræ, leones, vrsi, serpentes, &c. hominem vita priuare possunt, Deo permittente: nemo tamen illi vitam dare potest præter vnum Deum. Ego (inquit) occidam, & viuere *Deute. 32.* faciam: percutiam & sanabo. Quanquam quidem Lucas alterum tantum commemorat in hoc Euangelio, nimirùm quòd Christus adolescentem à mortuis excitauit: nec dicit, quòd illum mori sciuerit: haud tamen res aliter cum illo habuit, quàm cum cæco nato, & cum lazaro. Non fortuitò, sed Deo item disponente, factum erat, quòd alter cæcus natus fuerat, alter moriebatur, & ad tempus sepultus erat. Deus si- *Ioan.9. & 11.* nebat alterum cæcum nasci, & alterum mori: non in hoc, vt iste semper mortuus, & alter semper cæcus esset, sed vt opera Dei in vtrisque manifestarentur: imò vt filius Dei in alterius cæcitate, & in alterius morte clarificaretur. Sic res etiam habebat cum hoc adolescente. Dispositio Dei erat, quòd tum adeò moriebatur, & ad sepulchrum deferebatur, cùm Christus huic loco appropinquabat. In morte illius omnes

omnes homines videre & experiri debebant, quòd Christus in manu sua vitam & mortem haberet. Ideóque tam grauiter loquitur: iubet cessare matrem à fletu: iubet baiulos consistere: loquitur ad defunctum non tanquam ad mortuum, sed tanquam ad dormientem. Tibi dico (inquit) adolescens, surge. Et resedit qui erat mortuus. Et hoc quid aliud est,
Deute.23. quàm quod anteà per Moysen dixit, Occido & viuere facio, &c. Quisquis ergò cogitat, quòd Deus homini iuueni, forti & diuiti, vitam ita breui momento auferre queat, nec eum impedire possit vlla creatura, is meritò cum Da-
Psal.102. uide dicit: Timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuã. Contrà, qui reputat secum, quòd Christus defuncto adolescenti, cui nulla per se creatura opitulari poterat, tam facilè sine omni labore & sumptu: quinetiam sine multis precibus & obsecrationibus vitam
Psal.113. reddit: & is meritò cum Dauide dicit: Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino: adiutor eorum & protector eorum est. Hi duplices illi sunt affectus, quos bonus Christianus ex hoc Euangelio sentire debet: imò hoc est quod ex
Dan.5. ista historia discere nos oportet: nimirùm Deum timere, qui vitam nostram, spiritum & halitum in manu sua habet, auferre potest, quando & quẽadmodum velit, sine omni impedimento: contrà verò etiam in Deo sperare, quandoquidem in Euangelio isto videmus eum illis etiam vitam reddere posse, quibus anteà ademit. Et quid melius discere possemus, quàm timere Deum, & tamen etiam in illo sperare? Imò quid nos tota sacra Scriptura docet aliud, quàm Dei timorem, & spem firmam cum amore coniunctam? Nec quicquam est, in quo nobis plus desit, quàm in his duabus rebus, Dei timore, & spe eiusmodi. In rebus secundis nulla timoris Dei recordatio extat: in aduersis nulla spes in nobis est. Verùm vbi nullus timor Dei est, necessariò omne malum, peccatum & impia vita consequitur: Contrà verò vbi nulla spes est, desperatio non procul abesse potest: quin iam prin-
Psal.111. cipium habet & liberum aditum. Beatus homo (inquit Da-
Esa.40. uid) qui timet Dominum. E diuerso dicit Isaias: Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas, sicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. Tantò maiore in pretio Euangelium istud habere debemus, quòd ad timorem Dei simul & spem seruire nobis possit. Quòd si igitur initio audis, quòd mors etiam iuuenem

nem ausit inuadere, nec tamen vlli parcat, noli metuere mortem per seipsam, sed illud quod cum ea venit & comitatur. Rogas quid mors secum ferat? Quòd tempus gratiæ in morte finem habet, & post mortem nemo operari amplius potest: quemadmodum Christus dicebat in cæco nato, Ioan. 9. Nec quisquam amplius Dei iram effugere potest. Quid ergo etiam mortem sequitur? Quod Paulus dicit Romano. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi: itaque vnusquisque pro se rationem reddet Deo, &c. Imò hoc post mortem sequetur, quod Christus ipsemet dicit Matthæi 25. Tunc dicet Rex his qui à sinistris erunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Proindè non mors, sed iudicium Dei nobis metuendum. Mors nobis timenda non esset, si iudicium nullum sequeretur. Mortem effugere nemo potest, ideò frustrà mors timetur: Iudicium Dei euitari posset facilè, si ipsi vellemus. Hîc meritò expauescimus. A iudiciis tuis timui, inquit Dauid. Idcircò mors huius adolescentis meritò nos terrere potest. Contrà autem quando audimus, quòd Christus mortem tam potenter profligat, & vitam vno verbo det ac dare posit: meritò nos corroborare & spem facere nobis debet. Certum enim hîc est, & luce clarius demonstratum quod Christus in Ioanne dicit: Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent, &c. Hoc solatium nobis præbet Euangelium istud. Quisquis ergo apud mortem adolescentis discit agnoscere proprium suum periculũ, & timere Deum: apud potentiam verò quam in hoc declarauit miraculo, discit confugere ad Deum & sperare in illum, vno is tempore satis didicit. Dei gratia cum omnibus nobis, Amen.

In morte quid timendum.

Matth. 24.

Psal. 118.

Ioan. 5.

QVARTVS SERMO DE *bonis exemplis in hodierno Euangelio nobis propositis.*



ODIERNVM istud Euangelium, in quo Christus lachrymantem viduam tam compatienter consolatur, eius verò defunctum filium tam sine omni mora, tam promptè & tam potenter à mortuis excitat, debebat nos meritò Prophetæ Oseæ admonere, in quo etiã Deus etiam multis retrò seculis, verbis tam perspicuis omnia ista promisit, quemad

Ose. 14.

queádmodùm in hoc Euangelio ipſo vſu comperimus. Sanabo (inquit) contritiones eorum, diligã eos ſpontaneè: quia aduerſus eſt furor meus ab eis. Ero quaſi ros Iſraël, germinabit ſicut lilium, &c. Et ante hęc ſic ait: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors: morſus tuus ero inferne, &c. Omnia hęc verba componat quis cum iſto Euangelio, videbit nimirùm, promiſsionem hanc in Chriſto eſſe etiã Amen: quemadmodùm omnes aliæ promiſsiones in illo & per illum completæ ſunt, & adhuc quotidiè complentur. Etenim primò, an non hoc eſt contritiones noſtras ſanare, quòd Chriſtus vno tẽpore viuã matrem ſua triſtitia, & mortuũ filium morte liberat? Quid premit, grauat & conterit nos Adæ filios magis, quàm quòd vita hæc noſtra tãtam triſtitię amaritudinem habet, & poſtremò mors etiam demum ſequitur? Homo (inquit Iob) natus de muliere, breui viuens tẽpore repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquàm in eodem ſtatu permanet. Quantum medicus argenti & bonorũ mereret, quantũ concurſum haberet, ſi nobis Adæ filiis hæc duo poſſet auferre, triſtitiam & mortem? Hîc autẽ medicum habes qui id facere poſsit. Ego (inquit) cõtritiones eorum ſanabo. Et addit, Diligam eos ſpontaneè. Hæc omnia probata ſunt in iſto Euangelio. Triſtis mater & vidua ciuitatẽ exibat, lęta reuertebatur: mortuus adoleſcens efferebatur, viuus domum redibat. Dicis: Quid hoc mihi gaudij afferre poteſt, quod non niſi in vno homine factũ eſt? Audi quid Deus anteà dicat in Propheta: De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos. En, hîc non de vno, ſed de multis loquitur: & quod magis eſt, minatur etiam morti & inferno. Ero (inquit) mors tua, ô mors: morſus tuus ero, inferne. Hęc certè ſunt omninò verba conſolatoria, quę etiam Paulus magnificè adducit. Vbi (inquit) eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Deo autẽ gratias, qui dedit nobis victoriã per Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum. En, hîc audis, quòd etiã Paulus hęc verba de Chriſto interpretatur. Tantò minus alicui mirum videri debebat, quod modò dixi, vt nos Chriſtiani circa iſtud Euangelium verba Prophetę iam commemorata, in mente habeamus: quandoquidem impletio talium verborum ita potenter adeſt, vt nemo dubitare poſsit, quin populus confiteri & dicere ſit coactus, magnum Prophetam, quẽ Deus promiſiſſet, veniſſe & ſurrexiſſe: quinimò Deum

Margin notes: Oſee.13. — 2. Cor.1. — Iob.14. — Oſee.14. — Oſee.13. — 1. Cor.15. — Luc 7.

Deum ipsum visitasse populum suum. Et cui transcribere alioqui poterant? Opus quod Christus faciebat, tam manifestum est, vt nemo dubitare possit, quin sit is qui in Propheta dixit, De morte redimam eos. Certè talia nunquàm visa sunt iam inde ab initio. Nec quisquam poterat dicere rem dolo geri. Omnes sciebant adolescentem mortuum: funus institutum erat, sepulchrum factum, baiuli mortuum humeris gestabant, mater flens sequebatur, & copiosa turba communi dolore affecta: nec quisquam erat in tota multitudine, qui de aduentu Christi cogitasset. Tantò minus inimici nostri istud miraculum reprobare aut suspectum reddere possunt. Contrà verò, tantò certiores nos esse possumus, Christum eum esse, qui ipse in Propheta dixit, se de morte nos liberaturum. Idque aliis etiam in locis comprobauit: primò in defuncta duodecim annorum puella: & deindè quoque in Lazaro quatriduo in sepulchro iacente, de cuius ad vitam reditu, etiam germanæ sorores desperauerant. Si credideris (inquit Christus) gloriam Dei videbis. Et iterum: Resurget frater tuus. Et, Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. *Matth. 9.* *Ioan. 11.*

Hæc omnia nobis Christianis solatium & gaudium afferre debent, necnon confirmationem fidei & charitatis nostræ, cùm in vita tum in morte: quandoquidem per hæc miracula certi sumus, quòd Christus nos non solùm tristitia huius vitæ, sed etiã acerbitate & terrore mortis liberare potest. Ab acerbitate (inquam) & terrore mortis: alioqui enim mortem effugere nemo potest. Quicquid natum est, rursum moriatur necesse est. Omne quod ex Adam est, maledictionem Adæ ferat oportet. Sed longè aliud est, corpore mori, & acerbitatem mortis experiri & sentire. Christus suos immunes facit non à corporali morte: quia prima sententia procedat necesse est, vbi Deus dicit, Terra es, & in terram reuertêris. Hoc autem facit Christus: non sinit suos terrorem & acerbitatem mortis sentire. Si quis sermonẽ meum seruauerit (inquit) non gustabit mortem in æternum. Huc spectant etiã verba Prophetæ: De morte eos redimam, &c. Hoc nostrũ solatiũ est; quare nos Christiani circa Euangelium istud gaudere meritò debemus. Imò qui nõ esset Christianus, apud Euãgeliũ istud Christianus fieri debebat: quãdoquidem in eo videt ac inuenit, quod alioqui in terris nus *Gen. 3.* *Ioan. 8.*

quā inueniri poteſt: nimirū certū gaudiū in omni luctu, quin etiā certā vitā in medio mortis. Hæc duo ſunt, quæ in mūdo nuſquā inueniuntur apud quenquā mortaliū: apud Chriſtū autē inueniūtur. Id in hoc Euāgelio cōprobatū eſt. Vidua inueniebat ſolatiū & gaudiū apud illū, etiā in ſummo mœrore. Defunctus adoleſcēs inueniebat apud eū vitā etiā in medio mortis. Et id minimo negotio à Chriſto fiebat vtrobiq;: vno verbo profligabat Chriſtus mortē & omnē triſtitiā. Eo ipſo verbo dabat vitam & gaudiū. Quis igitur nō libenter Chriſtianus ſit & maneat, totóq; ſe pectore Chriſto dedat? Do-
Ioan. 6. mine (inquit Petrus) ad quem ibimus? verba vitę æternæ ha-
Pſal. 79. bes. Et Dauid: Domine, non diſcedimus à te: viuificabis nos,
Pſal. 19. & nomen tuum inuocabimus. Et iterum: Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. Quis non etiam libenter Chriſtianus fiat, etiamſi antea Chriſtianus non fuerit: quando audit & videt, Chriſtum dare, & dare poſſe, id quod homines potiſsimum deſiderant, nimirum gaudium, & vitam? Hæc duo autem nuſpiam reperiuntur, quàm in Chriſto & per Chriſtum. Venite
Mat. 11. ad me (inquit) & ego reficiam vos. Et rurſus: In me pacē ha-
Ioan. 16. bebitis, ego vici mundum. Et iterum: Qui credit in me, ſu-
Ioan. 6. ſcitabo illum in nouiſsimo die. Atque hoc pacto duo iſta homini Chriſtiano circa hodiernum iſtud Euangelium conſideranda forent. Admonet enim nos mortis, & ſimul indicat nobis etiam victorem mortis. De hoc iam ſatis. Videbimus nunc, quæ exempla veræ pietatis in hoc Euangelio nobis proponantur, vt funiculus fiat triplex, & nos Chriſtianam doctrinam perfectā habeamus, ne in alterum latus claudicet. Atqui duobus proximè præcedentibus ſermonibus ex hodierno Euangelio didicimus, qui ſimus naturâ, & quid Chriſtus apud nos fecerit ac faciat: quæ quidem præcipua ſunt capita Chriſtianæ doctrinæ, vt nos ipſos & Chriſtū agnoſcamus. Hoc ante omnia diſcendū, quia ad fidē pertinet: ſed eodē & tertiū ſpectat. Quando ſcimus, quid credēdū ſit, videre deinde oportet, etiā quî viuendū, quid faciēdū ſit. Hoc nos docuit Chriſtus verbis ſimul & exēplis. Diſcite à me (inquit Mat. 11.) quia mitis ſum & humilis corde. Et iterum Ioan. 13. Exemplum dedi vobis, vt queādmodū ego feci vobis, ita & vos faciatis. Itē Mat. 16. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucē ſuā & ſequatur me. In hodierno Euangelio multa exempla indicata habe-

Scis quid credendum; diſce & quid agendum.

mus,

mus, cùm in Christo tum in populo, iuxta quæ etiam nos vitam nostram instituere meritò debemus. Primò siquidem videmus in populo Christũ comitante, verã fidem & deuotionem. Ea enim sola vera fides est, quæ per charitatẽ operatur, & Christo perseueranter adhæret. Ea sola vera deuotio est, quæ semper manet, nec vnquã deficit. Non enim qui aliquid boni incipit, sed qui in bono perseuerat in finẽ vsq;, saluus erit. Deindè & secundò, videmus etiam in populo viduam sequente, egregiũ exemplum charitatis & compassionis, ꝙ non solùm viuis, sed etiam vita defunctis charitatis officia & opus misericordiæ exhibebant. Hoc opus cumprimis in Tobia commendatur. Sic enim de illo loquitur Scriptura: Esurientes alebat, nudisq; vestimenta præbebat, & mortuis atq; occisis sepulturã sollicitus exhibebat. Deniq; cùm rex Sẽnacherib iratus multos occideret ex filiis Israël, Tobias sepeliebat corpora eorum. Atque ideò etiam Angelus ad eum dicebat: Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et nunc misit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem. Eodem modo laudabat Dauid viros Iabesgalaad, ꝙ corpus sui regis Saulis, quod Philistæi in contumeliam in muro suspenderant, noctu & clam abstulerant, & sepelierant. Benedicti (inquit) vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiã & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò ꝙ fecistis verbum istud. Vide, talem laudẽ habet in Sacra Scriptura, vbi etiam mortuis charitas & opus misericordiæ exhibetur, terræquè mandatur. Prętereo nunc, ꝙ funus comitari, etiã nos admonet humanæ conditionis, & primæ sentẽtiæ in hominẽ latę, vbi Deus inquit: Terra es & in terrã reuertẽris. Vnde & Salomõ Eccl. 7. rectè beneq; dixit, melius esse, ire ad domũ luctus, quã ad domũ cõuiuij. Nã in domo luctus quilibet sui finis cõmonefit: ac tũ homo mẽte secũ voluit, dũ in viuis adhuc est, quod secuturũ sit. Hoc itaq; pacto de vtrisq; cœtibus, tũ eorũ qui Christũ, tũ eorũ qui viduã sequebãtur, egregia & insignia exẽpla & incitamẽta ad pietatẽ haberemus. Ante oĩa autẽ exẽplũ Christi cõsiderãdũ est, in ea potissimũ parte, quod in tãta populi frequẽtia, neq; diuites, neq; nobiles, aut

Galat. 5. *Mat. 24.* *Tob. 1.* *Tob. 12.* *2. Reg. 2.* *Funus comitari.* *Gen. 3.*

potentes, sed solùm pauperẽ derelictã viduam cõspiceret, & statim in primo suo aduentu. Per hoc primũ indicauit declarauitq;, se patrẽ esse orphanorũ, & iudicẽ seu protectorẽ viduarũ, vti Dauid de illo dicit Psa. 145. Dominus custodit aduenas, pupillũ & viduã suscipiet: & vias peccatorũ disperdet. Deinde autẽ & ante omnia, voluit nobis Christus per hoc exemplũ dare misericordiæ, charitatis & compassionis erga omnes afflictos & miseros homines, quanquã, proh dolor, paucos imitatores habet hac in re. Nam quod sublime est, facilè videmus: quod humile, id nemo videt. vnde fieri solet, vt ad diuitem, qui in extremis ciuitatis locis sedẽ habet, gregatim curratur, pauperẽ verò vicinũ, cuius ædes nostris cõtiguæ sunt, quiq; nostros semper ob oculos versatur, nemo curet. Omitto nunc ꝙ eiusmodi pauperes derelictos supra id etiã grauemus & opprimamus omnibus modis, posteaquã neminem habent quibus curæ sint: imò multi extẽt in quibus verissimè cõperitur, quod olim de Iechonia dictum est: Ex leonibus & prædonibus natus erat, & factus est leo: & didicit capere prædã, hominémq; comedere: didicit viduas facere, & ciuitates in desertum adducere, &c. Tales homines (inquã) plurimi inueniuntur, & plures quàm è re omniũ est. Mundus propemodũ iã nihil aliud fert, quàm tales leones. Sed quomodo hoc & alia nostra iniqua & minimè fraterna opera congruunt cum exẽplo Christi? Ioannes ait: Qui dicit se in Christo manere, & eius esse discipulum, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Et Christus ipse Ioan. 13. & Mat. 11. monet, vt humilitatẽ, charitatem & mansuetudinem ex ipso discamus. In his tribus rebus proponi nobis præcipuè vult in exemplum. Sed vide iam quomodo illud exemplum sequamur. Christus consolatur viduã, videre non potest, vt lachrymetur: nos viduas & pupillos ad lachrymas perpetuò prouoceamus. Christus excitat mortuos, nos iugulamus viuos. Christus exhibet charitatis officia & misericordiam, etiã iis qui nihil de seipso meriti sunt: nos exerimus inuidiam nostram & iram etiam erga eos, qui nunquam nobis nocuère. Christus Apostolos & discipulos suos his & similibus operibus pellicere voluit ad charitatem, beneficentiam, pacem & vnitatem: nostri nunc Apostoli nihil norunt aliud, quàm omnes homines instigare ad bellum, seditionem, sanguinis effusionem. & perditionem aliorum hominum. At nihilo minus Christiani & Euangelici prædicatores dicuntur:

Christus pupillorum pater, &c.

Psal. 67.

Eze. 19.

1. Ioan. 2.

Christus in quibus nos se sectari præcipuè velit.

Noui Apostoli sanguinarij.

tur:cũ tamen legant in Euangelio, ꝙ Christus dicit Luc. 9. Filius hominis non venit animas perdere,sed saluare. Et itetum Ioan.3. Non misit Deus filiũ suum in mundũ vt iudicet mundũ,sed vt saluetur mundus per ipsum. Quòd si igitur qui nunc est,mundi cursum cõponimus cum exẽplo Christi,in hodierno Euangelio fieri non potest,quin bonus Christianus in admirationem adducatur,vnde spiritus ita minime Euangelicus,in animos Christianorum veniat,vt cõtra Christũ prorsus omnia agamus,& tamen defendere cũ Euangelio contendimus. Ioannes & Iacobus duo filij Zebedæi, erant etiam aliquando ita vindictę cupidi, eò ꝙ in ciuitate quapiam non intromittebantur,vt dicerent, Domine,vis di cimus vt ignis descendat de cœlo,& consumat illos? Audiẽtes verò ꝙ Christus diceret, Nescitis cuius spiritus estis? desistebant,prædicabant & hortabantur: deinceps tantò ardentiùs ad charitatẽ,quãtò cupidiùs ad Samaritanorum vltionẽ antè ferebantur. Apud nos autẽ qui id consideret,nemo est,cuius spiritus sit,& Christianúsne an Turca sit. Proinde dat nobis exemplum istud charitatis & compassionis Christi erga lachrymantem viduã & defunctũ eius filiũ,non solùm doctrinã & institutionẽ ad bonũ:sed carpit etiam nostram duritiem,ꝙ etiã nostris confratribus non facimus & exhibemus,quod Deus etiam malis & ingratis exhibet & dat: Quinimò tantò minus etiam excusationis habemus, ꝙ cùm tantum doctrinæ & exemplorũ nobis suppetat ad charitatẽ & misericordiã,nullum tamen eorum sequimur:cùm optimus Iob nihil horum haberet, neque doctrinam neque exẽpla,& verè tamen dicere posset, Eram pater pauperũ,&c. Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecũ. Quàm nos verò procul absumus à tali exẽplo? Quid igitur postremò nobis aliud contingere potest,quàm quod Salomon dicit Prou.21. Qui obturat aurẽ suam ad clamorẽ pauperis, & ipse clamabit,& non exaudietur. Sed mundus nullum curat pauperem: vnde verum perpetuò manet quod Dauid dicit: Tibi Domine derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Alioqui nemo est, qui ploratum viduæ & orphani consideret: nemo est qui consoletur eos,& lachrymas eorum abstergat: cùm tamen Deus eiusmodi opera charitatis & misericordiæ erga viduas, pupillos,& omnes alias miserabiles personas potissimùm requirat. Quærite iudicium (inquit in Isaia cap.1.) subuenite

Luc.9. *Iob.29.* *Iob.31.* *Psal.9.* *Opera charitatis Deus vel maximè requirit.*

oppresso, iudicate pupillo, defendite viduā, &c. Et iterum Cap. 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domū tuam. Cùm videris nudum, operi eū. Nā qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Hoc considerare habemus circa exēplum Christi in isto Euangelio. Deus nobis suam largiatur gratiam, Amen.

I. Ioan. 2.

DOMINICA DECIMAOCTAVA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM LVC. XIIII.

ACcidit vt introiret in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato, ad capiendum cibum: & ipsi obseruabāt eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens, Iesus dixit ad Legisperitos & Pharisæos, dicens: Num licet sabbato sanare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius vestrū asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quo modo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere. Quin potius cùm vocatus fueris, vade, accumbe in nouissimo

Matt. 12.

ſimo loco: vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperius: tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Quia omnis qui ſe exaltat, deiicitur: & qui ſe deiiciet, extolletur.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI, EPHES. IIII.

FRatres: Hortor itaque vos ego vinctus in Domino, vt ambuletis ita vt dignum eſt vocatione, qua vocati eſtis, cum omni ſubmiſsione ac manſuetudine, cum animi lenitate, tolerantes vos inuicem per charitatem, ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus, per vinculum pacis. Vnum corpus & vnus ſpiritus, quemadmodum & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, in omnibus vobis.

PRIMVS SERMO DE prima parte iſtius Euangelij.



IN hodierno iſto Euágelio duo nobis proponuntur: primò glorioſum miraculum, & mox deindè pulcherrima prædicatio & admonitio, quam Chriſtus indidem fecit: quæ vtraq; benè diligentérq; conſideranda ſunt. In Euãgelio præteritæ Dominicę habebamus etiá miraculum, ſed præterea nihil. Non enim legimus Chriſtú mox ſub illud miraculum aliquid amplius locutum, aut docuiſſe. Nec erat neceſſe. Nam omnes qui miraculum videbant, agnoſcebant Dei opus eſſe: itaque ſtatim prorumpebant cum laude *Luc. 7.*

Dei:credebāt in Christū,confitebantur eum magnum esse prophetam,quē Deus per Moysen promiserat:ideóq; grati erant. Atqui tales homines vbi sunt,non opus est multa & prolixa prædicatione aut adhortatione. Cæterùm in hodierno Euangelio res longè alia erat:malè affectos auditores habebat Christus, vndè & pluribus verbis vti cogebatur:alioqui in miraculo magis offensi quàm correcti fuissent. Sed de hoc postea. Porrò quid bonus Christianus in miraculis Christi considerare debeat,alio tempore abundè dixi. Nam etsi eorum multa,nec vniusmodi,sed omnifaria patrauit:omnia tamen vnum spiritum habent,& in vnū finem omnia directa sunt. Imò quicquid de Christo literis proditum est,eò tendit,vt videre possimus & scire,in quo sperare,quem imitari,& quomodo viuere debeamus. Etenim primò,in quo spem nostram & fiduciam certius collocare possumus,quàm in illo,qui miraculis tam multis támque admirabilibus palàm declarauit,se omnia posse,& paratum esse,quantum in ipso est,omnibus hominibus opitulari? Secundò,à quo iustiùs exemplum & formam piæ vitæ sumemus,quàm ab eo,qui omnibus in rebus & perfectissimè voluntatē Dei fecit,& executus est? idque tanta cupiditate & alacritate,vt diceret,suū esse cibum & refocillationem,voluntatem Patris sui perficere. Vndè & ante passionem suā verè dicere poterat:Ego te clarificaui ô Pater cœlestis,super terram:opus consummaui.quod dedisti mihi vt faciam. Quisquis igitur miracula Christi diligenter considerat,is facilè videbit,nos spem nostram & fiduciam tutò & certò in illo ponere posse ac debere,& in nullo alio æquè ac in ipso:quia nullus vnquā fuit,nec futurus est,qui eiusmodi miracula sua virtute designarit,vt ipse. Præterea etiam qui mente recolit,quomodo se Christus erga quosuis,omnibus etiam in locis & omni tempore exhibuerit,tam verbis quā factis,inter amicos & inimicos,erga sanos & ægrotos,diuites & pauperes,Iudæos & Gentes,in templo,in domibus,in plateis & in mēsa:is facilè videbit,quid etiā ad Christianam & piam vitam seruiat. Hæc duo diuus Lucas supramodum pulchrè in hoc Euangelio expressit & indicauit. Verba itaque eius audiemus:Et factum est(inquit)cùm intraret Iesus in domum cuiusdā principis Pharisæorū sabbato mâducare panē,&c. Ex his & similibus locis diuinæ Scripturæ videmus,ꝙ Christus Dominus noster,si quando inuitatus fuit,

Deu.18.

Christi gestorum omnium quis scopus.

Ioan.4.

Ioan.17.

Luc.14.

fuit, nō recusauit, sed iuit, siue à Pharisæis, qui ab omnibus sancti habebātur, siue à peccatoribus vocatus esset. Eius rei multa exempla habemus in Euangelio. In domo Pharisæi mensæ accumbebat, cū ad eū veniret peccatrix, & illi pedes lauaret. Matthæus publicanus illum etiā ad mensam inuitabat. Zacchæus primarius inter Publicanos, similiter quoque faciebat. Christus neminē spernebat illorū, quantūcunque Pharisæi contrà murmurarent. Sed vbique tamē sui similis manebat: vbique sese gerebat, sicuti doctorē iustitiæ decet. Propter epulas nemini assentabatur, nec veritatē vlli obticebat. Ad Pharisæos ibat: sed semper significabat, sibi non placere hypocrisim illorum, & simulatā sanctimoniā. Ad Publicanos ibat quoq;, sed nulli vnquàm in peccatis suis adblanditus fuit. Non fecit more adulatorum & palponum, (quorū plenus est nunc mūdus) qui vt ventri consulāt, & gulæ satisfaciant, vnicuiq; ad placitum loquuntur. Hoc autem Christus non fecit: in nullius gratiā locutus est, sed in omnibus munere suo, ob quod venerat, functus est: nimirū peccatores ad pœnitētiā vt vocaret. Sumebat ab illis qui se inuitabant, cibum corporis: dabat illis vicissim cibū animæ. Vti clarè in hoc Euangelio cernere est, dum hospiti simul & conuiuis salutiferam ac piam doctrinam & exempla præbet. Hoc exemplū Christi imitari meritò omnes debēt, qui Christianos se nominant, & de nomine Christi gloriantur: maximè verò ij, qui officij & status ratione, lux & sal esse debebāt aliis: hoc est, qui aliis præpositi, illos ad bonum ducere, & à malo abstrahere debebāt, ne quid in mensa eorum & in conuiuiis agatur dicatúrue, quod non ad honorē Dei, & ad emendationē eorū, qui cū ipsis cibum capiunt, seruiat: multò minus quod contra honorem Dei, & in proximi scandalū cedere possit. Sic enim Spiritus sanctus per diuum Paulum docuit & præcepit: Sermo vester semper in gratia sale sit conditus: vt sciatis quomodò oporteat vos respondere. Et iterum: Omnis sermo malus ex ore vestro nō procedat: sed si quis bonus ad ædificationē fidei, vt det gratiam audiētibus. Omnis amaritudo, ira & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cū omni malitia. Estote autē inuicē benigni, misericordes, donantes inuicem. Hunc in modum hominis Christiani sermo sale mistus & conditus esse debet. Vt enim cibus sale non conditus, insipidus est: ita etiam inconditus & insipidus sermo est, qui non ad

Luc. 7. *Matt. 9.* *Luc. 19.* *Munus Christi.* *Matt. 5.* *Colo. 4.* *Eph. 4.* *Sermo noster cuiusmodi erit.*

bonum & ædificationē facit. Summa, sermo hominis Christiani sale mistus esse debet: hoc est, non debent insipida, nō infructuosa, non inania neq; otiosa verba esse: sed debēt aut tristes consolari, aut peccatores increpare, aut errantes docere & in viam reducere, aut ignauos vrgere, aut ignoranti meliora consulere, &c. Otiosa enim & inutilia verba procul
Matt. 12. ab omnibus Christianis esse debent: quandoquidē Christus ipse dixit, de omni verbo otioso rationem reddituros homines in die Iudicij. Quod vel solum & meritò terrere nos debebat, qui quandoq; tam friuola, tam inepta loquimur, & maxime in mensa discumbentes, Dei dona accipientes, iis'que fruentes: quæ tamen accipere debebamus, vti ite-
1. Cor. 10. rū Paulus dicit. Siue māducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. Sed vt Christum in aliis rebus imitamur: ita etiam imitamur eum hac in parte. Imò omnibus in rebus vita nostra cum illius exemplo pugnat, non obstante quòd nos toties ad sui imitationem hortatur: nec ipse solùm, sed etiam sancti Apostoli, Petrus 1. Pet. 2. Paulus Ephe. 5. Ioānes 1. Ioan. 2. Sequitur in Euāgelio: Et ipsi (Pharisæi, qui eum inuitauerant) obseruabant eum. Hid vides, quales Christus id temporis auditores habuerit. Multò alij homines erant, quàm in Naim inueniēbat, vt initiò dictum. Cum illis Christo nihil difficultatis erat. Porrò etiam quantum ad hydropicum hominē attinebat, non opus erat longo tempore & multis verbis. Apprehensum sanauit, ac dimisit. Tam facilè erat etiam huic succursum, quia credebat in Christum, sperabat in ipsius bonitatem, & toto animo desiderabat eius opem. Id genus hominibus facilè præstitum auxilium est. Cum Pharisæis autem res longè alia erat. Imò quemadmodū Christus semper & vbiq; sibi constitit: ita etiā plerique ex illis vndiquaque similes sui erant: hoc est, manebant qui erant, nimirū super-
Matt. 12. bi & fictè probi, & interim tamen maliciosi homines. Progenies erat viperarum: quid igitur facere poterāt aliud, quā virulenta verba & opera exhibere? Mali erant: quid igitur boni loqui aut facere poterāt? Adolescens (inquit Salomon)
Prou. 22. iuxta viam suā etiā cùm senuerit, non recedet ab ea. Si mutare potest Aethiops pellem suā (inquit Hieremias) & ho-
Hier. 13. mo poterit benefacere, cùm didicerit malum. Nihil boni inerat in plerisq; Pharisęis: nō nisi simulata species erat, quēadmodū ipse Christus de illis dicit, Matt. 23. omnia in hoc

solùm

lum faciunt, vt videantur ab hominibus. Ita etiam hic simulabant se amicos, nihilominus tamen obseruabant eum (intellige) si fortè aliquid loqui aut facere vellet, quo illum possent traducere. Sed hostile omnino hoc factum est. Nihil tamen noui aut rari est, quòd illum hoc modo obseruarunt. Fecerunt idipsum quoq; alibi: vt in Matt. cap. 22. mittebant semel suos ministros ad eum, qui quærebāt ex eo fucatè blanda oratione, num liceret Cæsari pendere tributum: sed nihil aliud per hoc captabant, quàm quòd sperabant eum in nassam illectū iri, & aut Cæsareanos aut plebem offensurū. In Luca inuitabat eum Pharisæus, sed malo animo. Vnde etiam Christus quàm primùm incipiebat illis hypocrisin eorum & sceleratum animū detegere, eúmq; taxare. In Ioanne mulierem in adulterio deprehensam ad eum adducebant, cognituri ex ipso, qua pœna mulctanda esset: in id omnia, quòd putabant illum lapsurū in sermone. Itidem hic quoq; faciunt. Ea quippè natura omnium impiorum hominū est, vt quantūlibet in specie omnia benè proponāt, & quātumuis se humiles exhibeant: nunquam tamen sint benè affecti erga eos, qui crimina ipsorum & flagitia carpunt, sed semper occasionem contra tales quærunt calūniandi nocendíq;. Vt cumprimis videre est in libello Sapientiæ, vbi homines impij hunc in modum ad se inuicem loquuntur: Venite, circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & cōtrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinę nostrę: grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo: & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis, &c. Non est igitur nobis ferēdus, &c. Hæc omnia cernuntur in Rege Achab. Is quadringentos falsos prophetas pati poterat & alere: solum Michæam ferre non poterat, eò quòd veritatē ipsi dicebat, eúmq; propter peccata culpabat. Odi eum (inquit) quia nō prophetat mihi bonū, sed semper malum. Sic Christus ipsemet dicit ad suos cognatos, Ioan. 7. Non potest mundus odisse vos: me autē odit, quia ego testimoniū perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt. Et iterum Ioan. 3. Omnis qui malè agit, odit lucē, & nō venit ad lucem, vt nō arguantur opera eius. Et Salo. Prou. 1. Stulti exosam habēt sciētiā & disciplinā: nō acquiescūt cōsilio, & detrahunt vniuersæ correptioni. Hoc deprehēditur vndiquaq; in istis

Luc. 11.

Ioan. 8.

Natura improborum.

Sap. 2.

3. Reg. 22.

in istis Pharisæis. Vtinam nos mansuetudinē Christi imitaremur, qui obseruatoribus suis nō conuitiis, sed efficacibus argumentis silentiū imponebat, eósq; cōfundebat. Pharisæi, quibus cum Christo tum negotium erat, corpore sani erant, sed anima & coram oculis Dei grauiùs laborabant, & miserabiliores erāt, quàm hydropicus coram oculis hominum: & tamen omnes norunt, hydropicū hominē miserabile spectaculū esse. Attamen cum Pharisæis res peius habebat. Etenim primò excæcatio tanta & tam horribilis in illis erat, vt eum præ oculis & præsentem videre nō possent, quem in omnibus suis libris legebant. Erat excæcatio illa, quam eis
Esa.6. Deus in Isaia interminatus fuerat, vt vidētes nō viderēt, &c. Erat iudiciū illud de quo Christus dicit Ioan.9. In iudicium in hunc mundum veni: vt qui nō vident videant, & qui vidēt cæci fiant. Erat execrabilis ingratitudo, de qua Ioan. loquitur cap.1. In propria venit, & sui eum non receperunt. Deindè etiam erat in illis tam inhumana inuidia, vt etiā filium Dei, qui propter salutem ipsorum venerat, odissent, & sine omni causa. Sicuti Christus ipsemet dicit Ioan.15. Adimpleri
Psal.34.et 68. oportet sermonem qui in lege eorum scriptus est, Odio habuerunt me gratis. Et rursus Ioan.10. Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Tertiò, adeò insatiabilis in illis auaritia erat, vt etiā præcepta Dei ob eiusmodi suā auaritiā mutare nō vererentur:
Matth.6. sicuti Christus eos conuincit. Quartò, eos occuparat superbia & philautia, vt cuncta sua opera humanę dūtaxat laudis & gloriolæ captādæ gratia efficerent: quēadmodū Matt. 23. Christus ipse testatur. Horū quatuor si vel vnū in homine deprehēditur, is indubiè grauiùs & periculosiùs laborat, & deformior est coram Deo, quàm hydropicus iste erat. O infelicem igitur creaturam, in qua omnia quatuor ista concurrunt. Hinc est, quòd Christus tam multū & sæpè ad Pharisæos, imò contra eos locutus est. Nam interim taxat cæcitatem illorū, interim auaritiam: quādoq; reprehendit superbiam eorum, quandoq; inuidiam: ea verò tamen omnia magis propter nos, quàm propter illos faciebat. Sciebat enim
Matth.15. illos obduratos & excæcatos esse. Ideóque dicebat ad suos Apostolos: Sinite illos, cæci sunt & cæcorū ductores. Sic ergo etiam malitia eorū nobis profuit: per hanc enim Christo occasionem dabant multa bona dicendi, quę alioqui suppressa fortè fuissent. Id autem omne in nostram cedit vtilitatem.

tatem. Vnde Paulus verè rectéq; dixisse inuenitur, Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Nihil enim fieri sinit Deus, ex quo non aliquid boni procuret & efficiat. Quemadmodũ ergo in prædicatione Euangelij, Iudæorum incredulitas & defectio, causa fuit quòd Euangelium & regnum Dei ad Gentes peruenit: quia diminutio eorum diuitiæ Gentium, vti Paulus ait: & quia Euangelium illi respuebant, sancti Apostoli causam sumebant prædicandi Gentibus, vti iterum Paulus dicit. Ita etiã res hîc habet. Quò plus Pharisæi Christo reluctabãtur, hòc plus & vtiliora Christus loquebatur. Nec sua malitia profecerunt aliud quicquam, quàm quòd libros nostros Euãgelicos hòc maiores fecerũt. *Rom.8.* *Roma.11.* *Act.13.*

Sic cùm Christum calumniabantur, facere eum miracula sua præsidio & virtute diaboli, occasionem ei præbebant, vt multa egregia cõmentaretur, & diceret de suo regno, quinetiam de diaboli regno: & tertiò etiam de peccato in Spiritum sanctum, &c. Sic etiam cùm obiurgarent Apostolos, quòd illotis manibus panem manducarent, occasionem illi subministrabãt, vt pulchrè & prolixè dissereret & doceret, quid hominem coinquinet, aut non. Talia exempla reperis etiam Matth.12.& 21. Ioan.5.6.& 8, cap. Ita hoc quoq; loco, per id quòd Christum tanquam amici inuitabant, & eum tamen tanquam inimici obseruabant, occasionem illi præbebant multa bona dicendi, sicuti in aliis sermonibus audiemus. Hoc vnum est, ad quod malitia eorum & obseruatio profuit nobis. Deindè verò eiusmodi eorum falsitas & malitia etiam nobis solatium prębere potest, si qua iniuria nobis ferenda est. Nam si etiam Christus filius Dei, habuit obseruatores in operibus, & contradictores in suis verbis, quinetiam illusores in sua passione: quid mirum si idem nobis accidat? Seruus non est maior domino suo, inquit Christus Ioan.15. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Et iterum dicit: Matth.10. Si patremfamiliâs Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius? Atque ideo vult Paulus, vt semper aspiciamus in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemur, animis nostris deficientes, &c. Hoc nobis in primis hodierni Euangelij verbis considerandum est. Faxit Deus, vt exemplum Christi imitemur, Amen. *Matth.12.* *Bernardus.* *Hebr.12.*

SEC

SECVNDVS SERMO DE altera parte Euangelij.



Vera amicitia. IN hoc Euangelio pulchrè nobis simul ostensum est, & in primis statim verbis, quis verus sit aut falsus amor & amicitia. Christus sinebat se etiam à Pharisæis inuitari, qui summi eius hostes erant. Veniebat in domum, in qua antea forte nunquam fuerat: inueniebat ægrotū, à quo nunquam fuerat desideratus: videbat & animaduertebat, inuitatos conuiuas plus mundanæ gloriæ, quàm salutiferæ doctrinæ amore teneri. Vbique & erga quoslibet humanus erat. Pharisæo totus expositus & paratus erat, ægrotum sanabat, conuiuis dabat doctrinam, totam domum implebat Dei verbo & operibus, non obstante quis quilibet erat. Quinetiam *Ioan. 2.* non obstante, quòd illorum omnium corda perspecta habebat: & ita perspecta, vt tali eius humanitate minimè digni essent. Hic verus amor & charitas est: hunc in modum describit etiam Paulus charitatem, vbi ait: Charitas non æmulatur, non agit perperam, nō inflatur, non est ambitiosa, nō quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, &c. Hoc exemplum habemus in Christo. *1. Cor. 13.* Deindè quidem etiā speciem prę se ferebat veri amoris, quòd Pharisei Christum inuitabant. Quia verò illum obseruabant, indicium præbet, fucatum fuisse amorem & falsam amicitiam. *Falsa amicitia* More Pharisaico institutū erat, inuidum & sanguinariū suum animum tegebant obtentu conuiuij. Clàm fore sperabant, cogitatúrúmque Christum, merum esse amorem & amicitiam, neminem esse qui malū cogitaret, omnes bonos esse, & aureos amicos, &c. Vera natura & virtus hypocritarum est, bona loqui, & mala cogitare: amicitiā offerre, & homicidiū meditari. Ioab & Iudas idē nouerant, eandem frequētauerāt scholam. Salue frater (inquit Ioab ad Abner) & statim percussit *2. Reg. 3.* illū in inguine. Aue rabbi, inquiebat Iudas ad Christū: sed *Matth. 26.* interim tradebat eum. Et quàm facilè fieri potest, imò quoties fit, vt simplex tali specie decipiatur? Ioab duobus imponebat, quos sub amicitię specie occidebat. Iudas existimabat nec Christū intellecturum, non visurum animum proditionem machinantem præ bona specie amicitiæ. Sed longè fallebatur.

lebatur. Frustrà iacitur rete ante oculos pēnatorum, inquit Salomon Prouerb. 1. Homo videt ea quæ parent: Dominus autem intuetur cor, dicit Samuel 1. Reg. 16. Amice (inquit Christus ad Iudam, Luc. 22.) ad quid venisti? Et iterum: Iuda osculo filium hominis tradis? Ex talibus verbis homini condemnato cor eius dictare poterat perditionem suam Christum non latere. Eodem modo etiam Pharisæi isti arbitrabantur, si Christum inuitarent, non animaduersurum ipsos in animis suis malum aduersus eum cogitare. Sed frustrá. Quod illi maximè occultum volebant, id Christus primùm omnium in medium proferebat: imò prius quàm discumberet, in lucem producebat malum quod in corde habebant. Si nolebant ipsi rem palàm facere, ille incipiendū sibi cēsebat. Hæc duo exempla veri & falsi amoris, hodiernū istud Euangelium primum omnium nobis considerandum prębet. Speculum est, in quo facilè apparet, quem nos Christiani potissimùm nunc imitemur, Christū an Pharisęos. Aeterne Deus, quàm rarus in terris verus amor & fida amicitia? E diuerso quanta falsitas, infidelitas & fucata amicitia nūc passim deprehenditur? circuite vias Ierusalem (inquit Hieremias cap. 5.) & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientē iudicium, & quærentē fidem. Et pòst Hiere. 9. Vnusquisq; in fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplātans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Non est veritas, & non est misericordia: & non est scientia Dei in terra, inquit Osee: Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur: vir fratrem suum ad mortem venatur, inquit Michæas cap. 7. Vani filij hominum (inquit Dauid) mendaces filij hominum in statēris: vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Et iterum Psal. 54. Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Pericula in falsis fratribus, dicit S. Paulus. Conquesti sunt etiam hoc patres antiquitus, tales dolos & infidelitatem senserunt & experti sunt: aduersum ea prædicauerunt, scripserúntque. Quid facturos arbitramur, si his temporibus viuerent, vbi omnis iniquitas abundat, & omnis charitas refrixit? Quocircà non satis est, nos contra Pharisæos istos apud Euangeliū istud incandescere: nosipsos agnoscere isthic discere debemus, siquidem profectò plurimùm Pharisaicæ & fraudulentæ naturæ in nobis habemus. Tantum de principio Euangelij. Restat, vt reliqua etiā verba au

Rara in terris syncera amicitia.

Ose. 4.

Psal. 68.

2. Cor. 11.

Matth. 24.

ba audiamus. Sequitur in textu: Et ecce homo quidã hydropicus erat ante illum. In his verbis iterum apparet malus animus Pharisæorum. Occasionem habebant bona faciendi prę suis oculis, sed ea omissa, occasionem venantur calumniandi. Aderat homo morbo laborans propè immedicabili, huic meritò (si sancti fuissent, vti videri volebãt) misericordiam exhibuisse debebãt: & Christum, cuius bonitatem sæpe experti erant, pro ægroto deprecari, ne solitam suã bonitatẽ ei denegaret. Sed horum nihil faciũt: sed occasionem criminandi capiũt, vbi iustiùs occasionem benè operandi cepisse debebãt. Hæc autem natura est impiorum hominum, vt facillimè causam inueniant alios lædendi, ægrè autem bene faciunt, etiam oblata occasione. At quis non videt quantum nos etiam hac in parte reprehensibiles simus? Damnamus quidem Pharisæorum impios mores, sed ipso opere & facto haud multò aliter facimus quàm ipsi: quin deteriùs quandoque facimus, quàm illi. Sequitur: Et respondens Iesus, dixit: Si licet sabbato curare? Pulchra quæstio, quam Christus non solùm hîc, sed aliis etiam in locis Pharisæis obiecit, vt in Matthæo, cùm ei quidã daretur obuius
Mat. 12. manu arida. In Luca simile inuenis. Non temerè autẽ Chri-
Luc. 6. 13. stus cum illis de sabbato disputauit: quippe videbat, quòd prę ceptũ illud de sabbato non rectè intelligebant. Ad Mosi tantummodò præceptũ respiciebant, ne quid operis sabbato fieret. Sed videre nolebant, quòd Moses addiderat, Sab-
Ioan. 9. batum sanctifices. Hinc fiebat, quòd Christum toties violati sabbati condemnabant. Vti cùm dicerent, Hic homo ex Deo non est, quia sabbatum nõ seruat. Rogat ergo eos Christus, si sabbato liceat curare, quo occasionem habeat rectè
Sabbatum vt sactificandum exactéque docendi, quid sit seruare sabbatum. Etenim sanctificatio sabbati non in hoc cõsistit, vt ad fornacem manibus complicatis, sed eas, aut alioqui ocieris nihílque agas. Non: siquidem etiam Turcæ & Gentes hoc facere possunt. In hoc autem consistit sanctificatio sabbati, vt tali die sanctis verbis & operibus occupati simus. Atqui non sunt sanctiora opera, quàm Dei honorẽ, nostram salutem & proximi vtilitatẽ, & commodum promouere. Eiusmodi operibus
Mat. 12. sabbatum non prophanatur. Et idcircò dicit Christus, quòd sacerdotes in veteri Testamẽto sabbatum non violauerint, licet non sine magno labore sacrificia fierent: quia res illa ad honorem Dei spectabat. Cæterùm hoc ignorabant Pharisæi

risæi, ideò rogabat illos Christus, si liceat sabbato curare. Et quot inueniūtur inter nos Pharisæis similes, arbitrantes se dies festos æquè seruare, si non laborent, etiamsi toto die nihil boni agant, sed mala multa designent? Sequitur: At illi tacuerunt. Rursum hic vide malitiam eorum. Tacere malebant, quàm veritatem confiteri, quam tamen deprehendebant & nouerant. Impius enim animus Deo honorem deferre non potest, neque propriam suam malitiam confiteri etiam conuictam. Veluti in primo homine videre est: is sciebat se peccasse, attamen eò adduci non poterat, vt crimen confiteretur, & à Deo veniam peteret. Ipse verò (Christus) apprehensum ægrotum sanauit, ac dimisit. Aegroto & egeno bene faciebat, non obstante, quòd Pharisæi offendebantur: Similiter & nos facere debemus, de omnibus bene mereri: & non curare, hominibúsne id placeat, an non, modò Deo placeat. Dum tempus habemus, bona operemur erga omnes: nemo enim pro te respondebit, quisq; secundum suum laborem mercedem accipiet. Qui parcè seminat, parce & metet. Vndè Salomon dicit: Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare. Sequitur in Euangelio: Cuius vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? In his verbis & hac similitudine reddit Christus causam suorum factorum, ostendens se nihil contra præceptum de sabbato fecisse. Et quanquam indigni erant, vt suarum rerum illis causas aperiret: attamen docere nos voluit, vt nihil accipiamus faciamúsq; in spiritualibus fidei negotiis, cuius ex verbo Dei rationem reddere non possimus. Quapropter etiam Petrus vult vt semper parati simus ad satisfactionem omni poscēti nos rationē de fide & spè, quæ in nobis est. Est itaq; verborū istorum Christi sententia, perindè ac si dicat: Estote vosipsi iudices, ex vestris ipsorum operibus iudicium feretis. Nā si vestrum alicui contingat brutum animans, bouem aut asinum sabbato in puteum cadere, num differretis illi opem ferre post exactum sabbatum vsq;? Haudquaquam tandiu expectaretis, nec sineretis animal ita perire. Quòd si vobis tantum in pecude situm est, vt existimetis, si ei opem feratis, ne pereat, non esse violatum sabbatum: cur igitur offendimini in me, & irascimini, quòd hunc hominem ex præsente necessitate in sabbato eripui? Ad opus respicite. maioris certè laboris est bouem ex puteo extrahere, quàm quo ego nunc

Gen.3. *Gal.6.* *2.Cor.9.* *Eccl.9.* *1.Pet.3.*

labore vsus sum in sanando homine. Imò sine omni labore negotium peractum est: vidi eum & contigi, & mox surrexit & abiit. Sin personam respicitis, certè hominis salus plus apud vos valere debet, quàm multorum brutorum animantium sanitas & profectus: sed alieni estis ab omni dilectione, quæ vestra sunt tantùm quærentes. Idcircò non potestis rectè iudicare. Etenim charitas, vera interpretatio est omnium præceptorum & legum. Verùm non vultis intelligere, Deo magis placere charitatem & misericordiam, quàm sacrificia, sicuti in Propheta dicit. Atque ea de causa magis propensi estis pecudibus vestris auxiliari, quàm proximo vestro. Vtinam tales homines non etiam inter nos inuenirentur, qui quandoque paruum animalculum boue multò vilius pluris faciunt, sicubi de ipsorum commodo agitur, quàm salutem & profectum proximi: imò qui citiùs mille animas hominum perire finerent, quàm vt suo commodo decedere aliquid patiantur. Ex his omnibus videmus, quæ sit sententia Christi in hoc præcepto de sabbato: nimirùm quòd sabbatum tum demum rectè obseruatur, quando vtilitatem proximi nostri consideramus & promouemus, nec transgredimur legem charitatis. Et quod Christus hîc de sabbato dicit, id etiam de aliis omnibus præceptis & legibus intelligendum est: siquidem omnia præcepta, leges & conditiones iuxta regulam & amussim charitatis institui & intelligi debent: nec amplius hominem deuinciunt, quàm charitas Dei & proximi pati possit, quemadmodum postea in aliis sermonibus prolixiùs indicabitur. Hinc etiam dicit Paulus, charitatem legis esse impletionem. Nam qui proximum diligit, legem impleuit. Imò illa adeò lex, Non mœchaberis, Non occides, Non furtum facies, Non loquêris falsum testimonium, & si quod aliud præceptum est, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur: Plenitudo ergo legis est, dilectio. Sequitur in Euangelio: Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent. Hæc similitudo eiusmodi esse videtur, quasi externam solùm mensæ disciplinam & ciuilitatem doceat. Et si alius talem similitudinem dixisset, non posset etiam alio referri, quàm ad mensæ mores. Quia verò eam Christus cœlestis doctor locutus est, dubitare nemo potest, quin eò magis spectet si-

Charitas quàm grata Deo.

Ose. 6.

Ad charitatis normam præcepta omnia dirigenda.

Rom. 13.

milit

militudo, vt intus in anima & coram Deo, quàm exteriùs coram mundo ornati & laude digni simus. Quocirca Christus hac similitudine ostendere voluit quid mali superbo cuiq; expectandum sit, nimirùm certa & æterna deiectio & præcipitium: è diuerso autem, quid humili deserto homini boni sperandum sit, nimirùm certa exaltatio. Quamobrem tu tibi ipse ne locum aliquem deligito, vbi sedem locare velis. hoc est, opera & merita tua non iactites, nec nimis efferas apud teipsum, sed Deo committas. Ne facito sicut Pharisæus in templo, ne te aliis meliorem censeto: *Luc.18.* Deo suum iudicium relinquito, is vnicuique locum designabit pro meritis. Nostrum est, vt cum publicanis nos humiliemus, & omni bono indignos iudicemus: imò vt nosipsos *Luc.17.* pro inutilibus seruis agnoscamus, etiamsi omnia fecerimus, quæ nobis præcepta sunt. Nam omnis qui se exaltat, humiliabitur: qui autem se humiliat exaltabitur. Certa ac vera sententia & dictum. Nemo ad æternam gloriam & exaltationem admittitur & recipitur, nisi illum hîc Deus prius per gratiam respiciat. Atqui Scriptura passim dicit, *Esa. 66.* Deum humiles tantùm respicere, quemadmodum Isaias clarè dicit, imò etiam Dauid multis in locis. Oculi enim Dei non sursum suspiciunt: quandoquidem solus Altissimus est, & supra eum nihil esse potest. Neque oculi eius ad latus respiciunt, quia nemo illi æqualis est aut esse potest inter omnes creaturas. Sequitur ergo, quod Deus solùm in seipsum & deorsum despiciat. Quantò igitur magis homo se sub Deo humiliat, tantò illum videt citius, quemadmodum Da- *Dan. 3.* nielis socij dicebant: Sedet super cherubim, & intuetur abyssos. Et Dauid: Dominus Deus in altis habitat, & humilia re- *Psal. 112.* spicit in cœlo & in terra. Docere itaq; nos Christus vult hac similitudine, verã humilitatẽ, quæ sola Deo placet: & deterrere nos vult ab omni superbia cordis, vt quę corã Deo subsistere non possit. Quẽadmodũ principiò in lapso angelo, & *Luc.10.* deinde etiã in homine profligato videre est. Videbã (inquit Christus) Satanã sicut fulgur de cœlo cadentẽ. Hortatur itaq; discipulos suos ad humilitatẽ, & ne vlla re gaudeant, nisi quod nomina eorũ scripta sunt in cœlis. Summa igitur parabolæ *1.Pet.5.* in hoc cõsistit, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Idcircò Petrus rectè beneq; docuit, vt humiliemur sub potẽti manu Dei, & ita fore, vt exaltemur in die visitationis nostræ. Præstet id nobis omnipotens Deus, Amen.

TERTIVS SERMO de sabbati præcepto.



IN hodierno isto Euangelio rursum insigne miraculum habemus, quod Christus aliquãdo in terris fecit: haud quidem tam magnum videtur, vt miraculum quod proximè elapsa dominica habuimus. Id enim tẽporis excitabat mortuum, hîc autem sanat ægrotum. Vtrobiq; tamen vniusmodi Dei potentia est, vniusmodi virtus & operatio diuini verbi: quin etiam vniusmodi causa, finis & sententia. Nam quod Christus illo miraculo spectauit & quæsiuit, idipsum etiam in hoc quærit: nimirùm vt ne dubitemus, quin sit is, per quem nos Deus in vita & morte iuuare, imò vitam & salutem dare velit & possit. Id quod in hoc miraculo æquè apparet, atq; in illo: vnde nulla est inæqualitas, licet reipsa multò maius videtur, mortuum ad vitam reuocare, quàm ægrotum sanare. Atque ideò plus admirationis adferebat apud homines, cùm Christus defunctum adolescentem exci-
Luc.7. tabat, quàm cùm hydropicum sanabat. Illic omnes vnus cor-
Luc.14. ripiebat timor, vt Deum laudarent, ac dicerẽt: Magnus propheta surrexit inter nos, & Deus visitauit plebem suam. Hic autem omnes silent. Nemo est qui admiretur & Deum laudet. Pharisæi nihil boni cogitabant: alij ad mensam accumbebant, non curabant quid Deus faceret. Sed tamen miraculum istud per se nihilò vilius est. Nos Christianos longè aliter iudicare oportet, quàm mundus facit. Quicquid Christus loquitur & facit quantumuis in specie pusillum, id omne apud nos magnum, gloriosum & admirabile esse debet: quandoquidem scimus, quòd verba eius spiritus & vita, opera verò eius Dei opera sint: quemadmodum ipsemet dicit:
Ioan.8. *Ioan.10.* Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Atqui habemus hîc aliud verbum & opus Christi, & quòd miraculum per se nimis exile apparet, id supplent circunstantiæ, hoc est, verba Christi, quæ antè & pòst locutus est.

Rogas quæ illa sint verba? Primò, quòd dicit, Si licet sabbato curare? Secundò, ꝙ dicit, Hypocritæ, cuius vestrum bos aut asinus in puteũ cadet, & nõ continuò extrahet illum die sabbati? Hæc verba neutiquã relinquẽda sunt. Deindè loquitur Christus alia verba plura ad inuitatos vnà in mẽsa accũbẽtes, sed illa nunc omitto. Illa verò quę primũ cõmemoraui,

taui, peculiariter ad istud miraculum pertinent. Christus nõ solũ cõfitetur se hydropicũ istũ sanasse, sed etiã ꝙ hoc in sabbato fecerit. Et hoc cõtrouersiã parit. Pharisæi nefas esse cẽsebãt: Christus autẽ fas esse & bene factũ contendebat, nec quicquã peccatũ contra Dei præceptũ. Propter miraculũ nihil illi obiicere potuissent: videre cogebantur & in seipsis experiri, quod Dauid dicit: Peccator videbit & irascetur, dẽtibus suis fremet & tabescet: desiderium eius peribit. Quia autẽ miraculũ in sabbato faciebat, videbantur sibi iustã cõtra eum habere causam. Nec est alioqui res vlla alia, in qua Christo magis & manifestius sunt aduersati: nec Christus illis vlla in re melius & magis egregiè obuiauit. Vt in Mat. tẽpore quodam Christus ibat per segetes, ibi discipuli eius vellebãt spicas, manibúsq; cõfricabãt: fame vrgẽte: mox aderãt Pharisæi & calũniabantur: Ecce (inquiebãt ad Christũ) discipuli tui faciunt quod non licet sabbatis. Christus autẽ silentiũ eis imponebat duobus exẽplis Scripturæ. Primò de Dauide, qui in famis necessitate de panibus propositionum manducabat, quod illi tanquã laico aliàs nõ licebat. Alterũ exẽplũ de sacerdotibus, qui sabbato potissimũ operabãtur: sed tamen nõ ideò sabbatũ violabãt, quia præscripserat eis Deus sacrificiorũ morẽ. Et eo in loco verba aliquot pulchra addit: Dico vobis (inquit) quia tẽplo maior est hic. Et deinde: Si sciretis quid est, Misericordiã volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes: dominus enim est filius hominis etiã sabbati. In Marco aliud insuper addit verbum, Sabbatum propter hominẽ factũ est, & nõ homo propter sabbatum. Paulò pòst, & in eo ipso sabbato veniebat Christus in eorũ synagogã: videbat illic hominẽ habentem manum aridam: rursus lis incrudescebat, incipientibus Pharisæis ac dicentibus, Si licet sabbato curare? Sed Christus illis imponebat silentium exemplo, quod ipsimet faciebant in sabbato in suis iumentis, &c. Atque hîc pulchram sententiam subiicit. Itaq; licet sabbatis benefacere. In Luca rursus eadem lis oriebatur. Christus mulierẽ erectã faciebat, quæ annis decem & octo inclinata fuerat, nec omnino poterat sursum respicere. Aegrè quidem hoc princeps synagogæ ferebat, nec tamen ad Christum aliquid dicere audebat, sed versus ad populum dixit: Sex dies sunt in quibus oportet operari: in his ergo venite & curamini, & nõ in die sabbati. Sed rursum illi Christus silẽtium imponit

Psal. 111. *Matth. 12.* *1. Reg. 21.* *Ose. 6.* *Mar. 2.* *Matth. 12.* *Luc. 13.*

proprio eius facto. Hypocrita (inquit) vnusquisq; vestrum sabbato non soluit bouē suum aut asinū à præsepio, & ducit adaquare? hanc autē filiā Abrahę, quā alligauit Satanas, ecce decē & octo annis, nō oportuit solui à vinculo isto die sabbati? In Ioāne cap. 5. Christus sanabat ægrotū die sabbati, qui annis octo & triginta decubuerat: rursum lis gliscebat. Christus autem obiiciebat illis exemplum Dei, Pater meus vsque modò operatur, & ego operor, &c. Paulò pòst illuminabat Christus die Sabbati cæcum natū. At tum illi incipiebant, Nō est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Et quāquàm Christus eo tēpore præsens nō erat, & respondebat, satis tamē id antea defenderat exēplo circuncisionis. Si circuncisionē accipit homo (inquit) in sabbato, vt nō soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totū hominem sanū feci in sabbato? En toties Christus cum Pharisæis de sabbato disputauit & collocutus est: sed tamē semper palmā obtinuit & triūphauit, vt illi respondere non possent, vti etiā in hodierno Euangelio videre est. Veruntamē vbiq; inuenimus, ꝙ Christus nusquàm temerario ausu cōtra pręceptū de sabbato fecit, sed solū vbi charitas & necessitas postularet: imò quicquid Christus vnquàm in sabbato fecit, de quo inimici eius conquesti fuêre, eius semper iustā causam dedit, ne infirmi offenderētur, & leues non ansam inde sumerēt, sabbatū etiā sine causa violandi. Sūma: Christus sabbatū custodiuit & custodiri fecit: sed pati noluit, vt cōscientiæ sine necessitate irretirentur, & pręceptū lōgiùs extēderetur, quàm Deus extendit. Atqui Pharisæi illud adeò tetenderant, & conscientias ita illaqueauerāt, vt omniū opinione sabbatū violatum putaretur, si quid laboris fieret, etiam necessitate aut charitate proximi cogēte. Quæ quidē res multas faciebat irrequietas & perplexas conscientias. Nam si sabbato pauperi opitulári deberēt, vereri cogebantur, ne sabbati religionē violarent. Sin pauperē desererent in sua necessitate, timere habebant, se cōtra alia præcepta facere. Hoc Christus minimè ferendum ducebat: ideóq; toties significabat, exēplisque probabat, sabbatū non violatū esse, si qn̄ necessitas aut charitas, vel etiā gloria Dei aliud postularēt. Proindè summa omnis istius disputationis, in duobus verbis cōsistit quæ Christus dicit, Dn̄s est Filius hoīs, etiā sabbati. & Homo non propter sabbatum factus est, sed sabbatum propter hominē. Ex his duobus verbis plurimum bonæ & vtilis do

Ioan. 9.
Ioan. 7.

lis doctrinæ desumere possumus. Vtpotè primò depromere isthinc possumus, q̀ cæremoniæ, hoc est, externa ordinatio & ritus in diuino cultu nō sufficiāt ad perfectā sanctificationē: nā eiusmodi sanctificationē ostendūt quidem, sed dare nō possunt. Atqui pręceptū de sabbato, quod ad corporalē quietē attinet, cęremoniale qddā est. Etenim in annūtiatiōe illius præcepti, duo cōmemorata sunt. Primū, est, q̀ ab externo labore quiescimus: alterum, quòd dies illa sanctificari debeat. Et postremum erat præcipuū: imò illud erat à Deo, qđ in externa quiete q̃rebatur intelligebatúrq;. Propterea præcipiebatur illis quies ab omni labore in die sabbati, vt tantò plus tēporis & occasionis haberēt, diē illā sanctificandi. Hoc autē intelligere Pharisæi nolebāt: quinimò hoc præceptū solùm intelligebāt de externa quiete, sanctificationē omittebant. Qui contra otium & quietē faciebat, is sabbatū violasse dicebatur: qui cōtra sanctificationē agebat, is nulli culpæ obnoxius censebatur. Et propter eiusmodi pręposterum intellectū studiosè etiā Christus diebus sabbati sua magna faciebat miracula, quò apparet, sabbatum nō solùm otium, sed multò magis omne in bono exercitiū flagitare. Nā otiū quid Deo delectationis adferre possit? Aut quid otium homini conducat sub peccatum vēdito, vti Paulus dicit: imò cuius mens & cogitationes ad malum propensæ sunt ab ineunte ætate? Enimuerò Sapiens apertè dicit, otium inuenisse omne malum, promouisséque. Certè Iudæi propter ipsorum otium in die sabbati, etiam à Gentibus deridebantur, vt aliqui tales dies nominarent Ignauos dies. Alij dicebant de illis, perdere eos septimum diem vitæ suæ otio. Viderunt Gentes & deriserunt Hierosolymæ sabata eius, inquit Hieremias. Et quis laudaret, quando præter otium aliud nihil videtur? Eodem propemodùm modo res cum nostris feriis habet. Vulgus hominū opinatur, si cesset à labore, iam benè peractas esse ferias, haud cogitans de sabbato sanctificando: imò totū diem nihil facit aliud, quàm quòd illū prophanet comessando, ludēdo, imò omni peccatorum & flagitiorum genere: vt sanè Christus, si nunc prædicare deberet, ferias nostras non minùs reprehensurus esset, quàm apud Iudæos fecit: imò plus etiā quàm illos. Et quidem multis in rebus reprehensione maiore digni sumus, quàm illi fuerunt. Sanè in Apostolorū actibus inuenimus, Iudæos sabbatis cōuenisse, audisse Legem

Præceptū de sanctifican. do sabbato duo exigit.

Rom.7.
Gen.6.
Eccle.33.

Thre.1.

In eos, qui festos dies malè collocant.

Acto.13. & Prophetas. At quot inueniuntur inter nos Christianos, qui toto anno nunquàm cum aliis Christianis verbum Dei audiunt? Quam quidem ob rem dixi, cæremonias seu externos ritus & ordinationes nõ sufficere ad perfectam sanctificationem, sed monstrant nobis quid ad perfectam sanctificationem pertineat. *Sabbati quies.* Vtpotè in externa quiete sabbati, indicatur nobis feriandum esse à peccatis & vitiis, imò à propriis nostris operibus, & soli Deo permittendum, vt in nobis operetur. Itidem res habebat cum circuncisione, cũ sacrificiis, cum sacris vestibus & aliis externis ritibus. Omnia hæc sola non poterant hominẽ per se sanctificare, sed ostendebant quid ad sanctificationẽ pertineret. Per circuncisionẽ indicabatur illis, vt spiritualiter etiã omnia peccata & vitia à vita sua & moribus reciderent. *Circuncisio.* Per externa sacrificia discere debebant, etiam se ipsos voluntati & obedientiæ Dei offerre & immolare. *Sacrificia.* *Vestes sacræ.* Sacræ vestes denotabant, vt sanctam irreprehensibilẽ conuersationem ducerent, &c. Quod si Iudæi sciuissent, nequaquàm solis externis ritibus omnia tribuissent. Itidẽ nobiscũ res habet. Maior nostrûm pars existimant se esse iustos & sanctos, si inter alios Christianos versentur, si cũ illis canant & orent, si cũ illis ferientur & ieiunent, & alios ritus atq; ordinationes obseruent. Talia autẽ facere nondũ sufficit ad perfectã sanctitatem. Id enim omne etiã mali facere possunt. Amplius quiddam eo requiritur. Nõ enim hæc sola sanctitatẽ dant, sed etiã quippiam significant. Ieiuniũ & abstinentia à cibis quibusdam, significat vt etiã ieiunemus, & abstineamus à peccatis. Feriæ hoc habent, vt à propria nostra voluntate desistamus, deóq; permittamus, vt in nobis operetur. Cantus in tẽplo significat, vt semper in Deo & eius gratiæ operibus gaudeamus, nósque oblectemus. Sic de cæteris ritibus. Quapropter semper hæc duo simul consideranda sunt: nimirùm quid nobis extrinsecus præcipiatur: & deindè etiam, quid per id significetur. Et si vltimum hoc desit, primum nihil profuerit. Frustrà & temerè est quicquid extrinsecus facis, ieiunãdo, feriando, canendo, &c. nisi illud etiam exhibeas, quod in ieiunio, feriis, &c. denotatur. Et hoc primum est, quod ex verbis Christi de sabbato desumi potest. Secundò etiam desumi indè potest, vt in omnibus legibus potiùs attendamus mentem & sententiam legislatoris, quàm literam & verba legis. Sæpè enim euenire solet, vt à litera legum recedendum

cedendum sit, si non omninò sententia legislatoris labefactari debet. Sicuti sacerdos Abimelech faciebat contra literam legis, cùm Dauidi panes propositionis daret, qui tamen solis sacerdotibus comedendi debentur. Sed non faciebat contra mentem legislatoris: quandoquidem Deus omnia sua præcepta in charitatẽ direxit, in'que ea complexus est, & ob hanc causam etiã Christus laudat Abimelech: imò si in litera legis mansisset, & Dauidi fame periclitanti panes propositionis denegasset, vtique contra Dei mentem fecisset, qui ante omnia charitatẽ vult: misericordiam ait sacrificio multò sibi potiorẽ esse. Sic etiam sacerdotes omnibus sabbatis cõtra literã legis facere cogebantur: laborandum illis erat, donec pecudes mactassent, & holocausta cremassent. Verũtamen nihil peccabant contra mentem legislatoris, quippè res ea seruiebat ad gloriam Dei. Moyses per quadraginta annos nullum inter Israëlitas circuncidi sinebat. id quod apertè erat contra literã legis. Ea siquidẽ volebat, vt omnes pueri octo dierũ circunciderentur. Nec tamẽ Moses faciebat cõtra mentẽ legislatoris. Necessitas id enim postulabat, quandoquidẽ nunquàm de mouẽdis castris certi erant. Ita etiam hîc in præcepto de sabbato, quinimò in omnibus aliis præceptis, magis respiciẽdũ ad spiritũ, quàm ad literã: magis ad mentẽ eius qui legẽ dedit, quàm ad verba legis. Atqui dicit Christus. In his duobus mandatis vniuersa lex pẽdet, & prophetæ. Hæc demum mens est legislatoris, vt Deum & proximũ nostrũ diligamus. Quòd si ergò facimus quod dilectio Dei & proximi requirit, satisfecimus legi, etiãsi à litera recedamus. Atque ideò sabbatum nõ est violatum, si quid facias, quod ad dilectionem Dei aut proximi tui requiritur. Dicit quidem lex, sabbato nõ esse opus faciendum: sed mens legislatoris est, Deum & proximum esse diligendũ. In hoc postremo, plus momenti situm est, quàm in litera. Ideóque iure permittitur. Idem etiam fit & fieri debet in omnibus aliis cõstitutionibus, siue illæ sint ecclesiasticæ, siue monasticæ constitutiones: vt mens legislatoris magis sit consideranda, quàm litera legis: sciamúsque nullã legem ligare hominẽ, si mens legislatoris quid aliud quàm verba legis postulat, &c. Tertium quod ex verbis Christi de sabbato sumi potest est, ꝙ sabbatum nõ violatur benefaciendo, sed malè faciendo. Id'que Christus ipse demonstrat suis verbis & exẽplis. Nũquàm acriùs institit docendo, & li-

1. Reg. 21.

Matt. 22.

Matt. 12.

Ose. 6.

Ios. 5.

Gen. 13.

Mat. 22.

bétiùs ægrotis opitulatus est, quàm sabbatis. Porrò expressis verbis dicit, nihil obstare quo minus liceat benefacere sabbato. Illud autem solum bonũ est, quod ad dilectionem Dei & proximi pertinet & seruit. Imò nõ solùm licet & debemus benefacere sabbato, sed etiã præceptum est nobis. Nõ enim lex simpliciter dicit, Memento vt die sabbati ab opere voces, sed vt sanctifices. Hoc rursus Iudæi intelligere nolebant: dicebant violatũ esse sabbatum, quòd Christus ægroto opitulabatur: cũ tamen pecudes sua ope non destituerant etiã sabbato, quia id eorum cõmodum concernebat, sicque pluris faciebant pecudes suas, quàm hominũ salutem. Idẽ fermè nostrarũ rerum est: quòd corpus nostrũ & bona concernit, id protinus sentimus: cæterùm si animæ pereant, nemo curat. Iob autem non ita faciebat: imò cùm iam omnes facultates & substantiam amisisset, & deindè etiam in corpore pœnas dedisset, non tamen scindebat vestimẽta sua, donec audiret filios periisse. Imò ad interitum iumentorum suorum dicebat, Dominus dedit, dominus abstulit, &c. In dolore corporis sui dicebat, Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem cur nõ sustineamus? Solùm interitum filiorum suorũ deflet. Nihil animabus apud nos contemptius. Quapropter sabbatum non violatur bona faciendo, sed mala faciendo. Hinc fiebat, quòd Deus Iudeorũ sabbata & festa reiiciebat, eò quòd manus eorũ plenæ sanguine erant, &c. Quartum quod ex verbis Christi de sabbato desumi potest, est, ne quis à communibus & receptis constitutionibus & ordinationibus proprio ausu recedat, nisi prægnantibus & iustis de causis: cõtemptus enim legum multa mala parit. Etenim primò simplices per id offenduntur: secundò assuefiunt homines ex eo etiam maiora contẽnere: & tertio summam inducit rerum perturbationẽ & inordinationem. Quocirca etsi Christus Dominus legis erat, seruabat tamen legem. Et tametsi Dominus sabbati erat, nunquàm tamen sabbatum violauit. Iudæi quidem id illi ascribebãt, sed falso. Nihil faciebat sabbato, nisi quòd gloria Dei, & charitas erga homines postularet. Verũ tamẽ ne infirmi offenderentur, semper cur id fecisset docebat. Qua quidẽ etiã re nos docuit, vt scandalũ vitemus. Nõ quidẽ sub lege sumus, si tñ Spiritus ductũ sequamur: sponte em facimus qđ lex imperat. Neq; sum⁹ filij ancillæ, sed veræ matrisfamiliâs: nõ sum⁹ serui, sed filij; imò in & cũ Christo Do

Matt.12. Exod.20. Iob.1. Iob.2. Esa.1. Luc.2. Vitandũ scandalum. Galt.5. Gal.4.

sto Domini sumus super peccatum & mortem. Et libertas nostra tanta est, vt nullus mortalium ad peccatũ cogere nos possit: nec vllis eiusmodi legibus conscientiæ nostræ ligari possunt, quæ iniquum & impium aliquid exigerent. In talibus enim nulli subiecti sumus. Attamen ob id bonæ leges & ordinationes aspernandæ nõ sunt: id enim Christiana libertate esset abuti. Christus aliter docuit & fecit, similiter & Paulus. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, inquit Paulus. Quamobrem imitemur Christum legibus ex animo obtemperantẽ: libertate nostra recte vtamur, Deoq; gratias agamus. Corpus & animã omnibus cõstitutionibus & ordinationibus subiiciamus: quippe hoc vtile est etiã corpori & animæ: Quò enim magis corpus & praua volũtas nostra cõstitutionibus coërcetur & reprimitur, hòc magis vera libertas spiritus accrescit. Quod si facimus, nobisipsis profuerimus, proximum nostrum ædificabimus, Deóque rem gratam faciemus. Deus det nobis omnibus suã gratiam, Amen. 1. Corinth. 10.

QVARTVS SERMO DE *Euangelio & Epistola.*



HODIERNVM istud Euangelium duo nobis proponit, nimirùm principiò pulchrum & gloriosum miraculum: in fine autẽ pulchram salutarémq; doctrinã. Vtrobique Iudaici Pharisæi taxantur, & ita, vt meritò canatur, Iustus es Domine, & iustum iudicium tuum. Etenim primò an nõ iustum iudicium est, quòd Christus tot homines ante se habeat, & tamen nouit dare quid vnicuiq; debeatur? ægroto solatium & sanitatem; ignorantibus doctrinam & institutionem: malis verò & peruersis, correptionem & contradictionem: & hæc quidẽ omnia requirit iustitia. Nam qui non auxiliatur vbi potest, & illius imploratur auxilium, & non docet, vbi doctrina eius desideratur, nec reprehendit vbi malum videt, is iustus non est. De Christo autẽ verè canere possumus, Iustus es Domine. Hoc enim triplex hominũ genus id temporis ante se habebat in domu Pharisæi. Hydropicus auxilio indigebat, & Christus auxiliari poterat. Pharisæi peruersi erant, reprehensione opus habebant, eámque inueniebant: alij spectatores & familia, qui exemplũ tam malum videbant, doctrina opus habebant seu institutione. Et quàm certò ægrotus ex diuina virtute sanus & incolumis surgebat:

Psal. 119.

Iustus quis nõ sit.

gebat: tam certò alij bonæ mentis homines, ex verbis Christi doctrinã & institutionẽ acceperunt. Pharisæi rubore suffundebantur, hi reprehendendi erant, & vtrobiq; cõfundendi idq; meritò. Audire eos oportebat, q̃ nõ solùm cõtra Scripturam, sed etiam cõtra omnẽ rationẽ agerent & loquerentur, dum Christũ propterea damnare volebant, q̃ Sabbato ægrotos sanaret, cùm tamen semper pecudibus suis opẽ ferrent, siue Sabbatum esset, siue nõ, idq; sine omni formidine. Audire deinde cogebantur, quòd Christus secreta cordiũ illorum detegebat manifestabátq;, vt qui nihil aliud quàm fastum & auaritiã quærebant sub bona specie. Summa: duo inueniebat Christus in Pharisæis, quæ in sua domu & in suis credentibus irreprehensa nõ dimittit. Primum erat, simulata sanctimonia ex falso intellectu Scripturæ. Alterũ erat, externa superbia & ambitio, vt semper alius alium loco præcellere vellet. Quæ duo vbi sunt, res nõ bene geritur in domu Dei. Vbi sacra Scriptura nõ rectè intelligitur, ibi periculum animæ est. Porrò vbi quis primũ amat accubitũ, nemo alteri cedere vult, nec quisquam sua cõditione cõtẽtus est, ibi indubiè oritur lis, iurgiũ, bellũ & internecio. Hoc qui non potest credere nec vult, is mũdi istius cursum intueatur. Quis communi Ecclesię & Christianitati nũc maius affert dãnũ quàm prauus intellectus sacræ Scripturę? Rogas qui? Fit exinde, vt persuadeamus nobis, nos Christianos esse, etiãsi nihil Christiani in nobis habemus, loquimur, cogitamus aut facimus. Alius cõtentus est nõnullis operibus quæ facit: alius fidit suę fidei, & tamen ipse vsus docet, maiorem partem, neq; de fide neq; de bonis operibus aliquid probè cognitũ habere. Certè non est illa fides, quando verbis solùm potes dicere, Credo. Fides actuosa & efficax res est, ad omnia bona impellens. Et nisi hoc pacto impellat, ibi non est viua, sed mortua fides, sicuti eam Iacobus nominat. Eius rei multa egregia habes exempla in Epistola ad Hebręos, de vera ac viua fide Patrum in veteri Testamento. Cum his confer nunc nostros Logochristianos, videbis, quòd quantumcunq; fidem iactitent, nihil tamen aliud est, quàm putris & mortua fides. Hoc pacto falsus intellectus sacræ Scripturæ, facit vt super fundamentum putidum ædificemus, &c. Sic etiam in externis rebus, quid tantum bellorum & discordiarum inter nos concitat Christianos, quàm quòd vnusquisq; principem tenere vult locum? nemo considerat suam vocationem: nemo sua sorte conten

Vitia Pharisæorum duo.

Prauus Scripturæ intellectus.

Fides mortua.

Iacobi 2.

Logochristiani.

contentus viuit: quilibet alteri sese præferre vult, discipulus magistro, rusticus prætori, ciuis nobili, nobilis principi, princeps Cæsari, ecclesiasticus prophano, prophanus ecclesiastico, &c. En hinc omnia bella. Nemo hîc cogitat quod Paulus dicit, Superiores sibi inuicē arbitrantes. Sed hoc apud mundum istum iam nihil ampliùs valet, donec summus paterfamiliàs tandem negotiū suscipiat, bellum componat curetq; vt alius post alium cum probro descendere cogatur. Sententia enim lata est, Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Itaque nihil melius foret, quàm vt hodiernam Epistolam bene ad animum reuocaremus. Ego Paulus vinctus in Domino (inquit) obsecro, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis. *Philip. 2.* *Luc. 14.* *Ephe. 4.*

Hæc hodierna erat Epistola, in qua videre facilè quiuis potest, quàm pulchrè Paulus cum Christo consentiat in hodierno Euangelio. Tota Epistola eò tendit, ne quis sibi ipse capiat primum accubitum, sed vnusquisq; suę vacet vocationi, & secundum illam viuat, ambulet & agat: cogitet se non totum corpus, sed membrum solùm in corpore esse, & quòd non solus Spiritum Dei omnem habeat, sed quòd alij Spiritum Dei etiam habeant. Imò non solùm Spiritum, sed etiam fidem & baptismum, quinimò Deum ipsum. Quòd si consideraremus, & secundum id faceremus, profectò non tantum motuum habituri essemus, sicuti ab hinc iam aliquot annis vidimus. Et vt plus dicam, si sanguinarij nostri concionatores hanc vnicam Epistolam suis militibus probè inculcarēt, futurum esset, vt multi manus cohiberent, qui iam gladium strictum in manu habent: multi pudore suffunderentur, qui putant se iustam habere causam. Sed operatur iam Spiritus ille passim in prædicatoribus tam domi quàm ruri, qui nihil aliud quàm ad bellum & inquietudinē hortatur. Si Spiritus est Christi, aliā induerit naturam prorsus necesse est, quàm habebat, cùm Euangelium primùm prędicari & literis comprehēdi sinebat. Sed quid attinet multa dicere, videmus, & tamen videre nolumus. Mundus cupit seduci. Probus cogitur videre & audire quod prohibere nō potest. Sed hæc missa facio. De Epistola paulò plura audire nos oportet, quę abundè nobis indicat, cuiusmodi Paulus prædicator fuerit; & quid à suis auditoribus postulet. Etenim primò in ipso statim principio apparet apud voculam, vbi ait, Ego Paulus vinctus in Domino. Ex hoc verbo (inquam) videmus, quòd Epistolam hanc ex captiuitate & carcere, & è Roma scripserit. Sciunt *In Euangelicos seditiosos.* *Volumus seduci.*

rit. Sciunt autem Geographi, quòd ciuitas Philipporum longè à Roma disiita sit. Attamen Paulus, fidelium qui Philippis erant, obliuisci non poterat, quantumuis procul ab eis aberat: quinetiam habebat illos apud se in suo corde & in suis vinculis. Secundò, etsi in manibus & potestate crudelissimi tyranni Neronis erat, plus tamen curæ gerebat pro iis quibus prædicauerat, quàm pro seipso. Alius cogitasset quomodo ex manibus & potestate Neronis euadere posset. Paulus verò omnem curam eò dirigit, vt ij quibus prędicauerat, in vera fide permaneant. Hinc fit, quòd multas Epistolas ex captiuitate Romæ scripserit: nimirum illam ad Ephesios, ad Philippenses, secundam ad Timothæum, & illam ad Philemonem. Nec vllis in Epistolis tanto cum affectu loquitur, vt in iis quas in sua captiuitate scripsit. Et hoc luce clariùs videmus in hodierna Epistola. Primò nanq; non simpliciter dicit, Rogo: sed, Obsecro. Non simpliciter rogat, sed seriò. Secundò dicit, Ego vinctus. Periudè ac si dicat: Si ego vinctus tantam pro vobis curam gero, quantùm vos pro vobisipsis curare debetis? Tertiò admonet eos, vt non solùm credant, & in fide perstent, & constantes maneant, quemadmodum anteà fecit: sed monet eos, vt secūdum vocationem suam ambulent & viuant. Hæc enim duo simul vrget Paulus, in fide persistere, & in vocatione ambulare. Et quisquis prædicator alterum horum omittit, vt non simul tractet, is doctor fidelis non est. Atqui nos Christiani duplicem vocationē habemus. Primò vocati sumus ad fidem & ad Christianismum. Et hæc vocatio nobis omnibus communis est. Secundò ad peculiaria munia & status vocamur, & hac in parte quilibet propriam suam vocationem habet, vti Paulus dicit: Dedit quosdam Apostolos Deus, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores, &c. Et alio in loco: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum, &c. Et alio in loco: Vnumquēq; (inquit) sicut vocauit Deus, ita ambulet, & sicut vnicuiq; diuisit Dominus. Circūcisus aliquis vocatus est? nō adducat præputiū. In pręputio aliquis vocatus est? nō circūcidatur. Seruus vocatus es? non

Fides & opera.

Christianorum duplex vocatio.

Ephe. 4.

1. Corint. 12.

1. Corint. 7.

es? nō sit tibi curæ: sed etsi potes fieri liber, magis vtere, &c.
Et postea: Alligatus es vxori? noli quærere solutionē. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorē. Si autem acceperis vxorem, nō peccasti. Et si nupserit virgo, nō peccauit. Hæc & id genus aliæ sunt hominum peculiares vocationes, vt hic ad istud munus & statū, alius ad aliud munus & statū vocetur: præterquam quòd anteà ad fidē & Christianismū omnes vocati sunt. In vtraq; autem vocatione oportet nos ambulare, sicuti decet. Ad quam rem præcipuè duo pertinent, Humilitas & charitas. Hęc duo Paulus cōmemorat in hodierna Epistola. Docet quid vnumquodq; sit, & quid ad vtrūq; nos mouere debeat. Ea autē est vera humilitas, vbi homo seipsum ex animo agnoscit, quòd peccator sit, & nihil ex seipso boni habeat aut possit. Deindè, vbi humanū & amicabilē se præbet erga homines alios: & postremò etiam patiens est in tentationibus & aduersitate. Hæc tria complectitur Paulus, & ponit simul. Ambulate (inquit) in vocatione qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, &c. Ad talē autem humilitatem mouere nos debet nostra vocatio. Quicquid enim boni habemus, id nō ex nobisipsis habemus, neq; per nosipsos ad eiusmodi gratiā peruenimus: sed vocati sumus, idq; non ex nostris præcedentibus meritis, sed ex gratia. Quamobrem nullā habemus causam nos efferendi, magnam verò causam nos humiliandi. Deus vocauit nos de tenebris in admirabile lumen suū, ait Petrus. Summa, nihil habemus boni ex nobisipsis, sed omnia ex eo qui vocauit nos. Huc pertinet humilitas vt id agnoscamus consideremúsque. Et hoc vult Paulus, vbi ait: Obsecro vós vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis. perindè ac si dicat: Quia ad cōuiuiū Euangelij, ad nuptias Christi, imò ad mēsam Dei vocati estis; obsecro & hortor vos, vt ad eā accedatis, inq; ea vos geratis, sicuti vtrobiq; loci decet. Id autē tum fiet, quādo vocationem vestrā cōsiderabitis, eúmq; imitabimini, qui vos inuitauit. Is enim cùm in forma Dei, atq; ideò summo loco dignus esset, in infimū se dimisit locū, assumēs formā serui, & humiliās sese in mortem vsq; crucis: humilians se vsque ad lotionē pedū suorum discipulorū, versatúsque inter eos nō tanquā Dominus, qui seruitiū ab iis postulasset, sed tāquā seruus, qui illis omnibus seruiuit. Et in hoc infimo loco tātisper sedit, donec iuberet Pater eū honoratiorē capere locū, in sancta eius resurrectione &

Ibidem.

Humilitas & charitas.

1. Pet. 2.

Imitari Christum debemus.

Philip. 2.

Ioan. 13.

Matth. 20.

Philip.2. ne & ascensione. Illic enim exaltabat eũ Deus supra omnia, & dabat ei nomẽ super omne nomen: imò omnem potestatem in cœlo & in terra, &c. Hunc imitare in tali humilitate, & ambulabis dignè vocatione tua. Hoc vult Paulus primò docere in hodierna Epistola. *Charitas vera* Deindè verò docet nos veram charitatẽ quę duabus in rebus cõsistit. Primò in eo, si nos inuicem toleremus in charitate. Secundò, dum soliciti sumus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, &c. Ad eiusmodi charitatem verò primò mouere nos & trahere debet, quòd non solùm vnius naturæ, sed etiam vnum corpus & vnus spiritus simus. Quis autem est cui propria sua membra non chara sint? Atqui nos omnes inter nos inuicem membra sumus. Secundo, ad charitatem nos mouere debet, quòd tot tãtáque bona cõmunia habemus, vnus dominus (inquit Paulus) vna fides, vnũ batisma, vnus Deus, vnus Pater omnium nostrũ. *Ephe.4.* Cur igitur nõ illum amẽ, qui Dei, Christi, beatitudinis ęquè particeps est, atq; ego? Etiãsi pauper sit ęgrotus, aut humilis cõditionis, nõ tamẽ id me mouere debet, quãdoquidẽ in Christo & in spiritualibus bonis ęquè diues est atq; ego. Ex hoc vides, quàm pulchrè Paulus cum Christo consentiat. Quisquis igitur honoratũ locum cupit in conuiuio Christi, *Luc.14.* is ambulet in humilitate & charitate. Sẽtẽtia enim lata est, *Matt.5.* Omnis qui se humiliat, exaltabitur: Et qui misericordiã aut charitatẽ pręstat, is vicissim misericodiã cõsequetur. E diuerso autẽ sentẽtia etiã lata est in omnes superbos & immisericordes. *Matth.13.* Omnis (inquit Christus) qui se exaltat, humiliabitur. Et, Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si nõ remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris, &c. Sũma, hęc quatuor cõiũcta sint oportet: humilitas, ne alter alterũ cõtẽnat: *Humilitas.* mansuetudo, ne alter alterum lędat: patiẽtia, vt alter alterũ *Mansuetudo.* ferat ac toleret: & charitas vt alter alteri auxilietur. Hęc qua *Patientia.* tuor vbi sunt, ibi ambulatur sicuti decet in Christiana voca- *Charitas.* tione. Et ibi verè dici potest, nos vnum esse corpus, & vnum spiritum, &c. habere nos vnum Deum & Christum, fidem & baptisma. Ea verò vbi non sunt, ibi neque Deus est, neque Christus: imò neque prodest fides neque baptismus, atque hic aperiamus oculos. Nunc ingens lis est & controuersia, qui veri Chistiani sint. Et si res paulò diligentiùs consideretur, inuenitur vtrobique neque humilitas, neque mansuetudo, neque patientia, neque amor. Et ob id nullum dubium est quin, si diuus Paulus adhuc prædicare deberet, talium

hominum

hominū qui hiſce carent virtutibus, nullum pro vero Chriſtiano agnoſceret. Hoc conſideremus: non enim regnum Dei eſt in ſermone, ſed in virtute. Deus det nobis gratiam ad conſideranda ea omnia, præſtandáque, Amen. 1. Cor. 4.

DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM MATT. XXII.

COnuenerunt in vnum Phariſæi, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor quiſpiam, tẽtans eum, & dicens: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc eſt primum & magnum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum perinde ac teipſum. In his duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendent. Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos Ieſus, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum? dicẽs: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eum dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere quicquam; neque auſus fuit quiſquam ex eo die eum ampliùs interrogare.

Mar. 1. Deut. 6. Luc. 20.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI, I. CORINT. I.

FRatres: Gratias ago Deo meo semper pro vobis de gratia Dei, quæ data est vobis per Christum Iesum, quòd in omnibus ditati estis per ipsum in omni sermone, & omni cognitione, quibus rebus testimonium Christi confirmatum fuit in vobis, adeò vt non destituamini in vllo dono, expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi: qui & confirmabit vos vsque ad finẽ, inculpatos in diem Domini nostri Iesu Christi.

PRIMVS SERMO DE Euangelio in genere.



Rom. 1. HODIERNVM istud Euangelium, in quo tam breuibus, & tamen tam perspicuis verbis indicatum est quid & credere & facere debeamus, eius me admonet, quod Paulus dicit, nec Gentes excusationem habituras coram Deo, eò quòd Deum ex creaturis agnoscere potuissent: cæterùm eiusmodi veritatem & agnitionem Dei, in iniustitia detinuerint: hoc est, etsi Deum agnouerint, iniusti tamen & impij manserunt. Istorum verborum admonet mẹ hodiernum Euangelium. Nam si nec Gẽtilium excusabit impiam vitam tam tenuis imperfectáque cognitio Dei, multò nos
1. Cor. 2. minus excusare poterimus: siquidem nobis Deus per Spi-
Luc. 10. ritum suum reuelauit, quod etiam magni & potentes non sciuère. Nos videmus & audimus, quod multi Reges & Pro-
2. Cor. 7. phetæ non viderunt neque audiuerunt: imò reuelata facie videmus gloriam Christi, vti iterum Paulus dicit. Neque prætexet quispiam, & dicet, sibi non reuelatum aut an-
Psal. 18. nunciatum esse: quandoquidem sanctorum Apostolorum sonus in omnem terram exiuit. Neque dicere quisquam poterit, se tam hebetis esse ingenij, nec tam vlla memoria præditum, vt talia non intelligere aut retinere possit. Nemo (inquam) hisce sese excusabit. Ea enim ipsa de causa,

ne eiusmodi excusationem prætexere possimus, sacra Scriptura quandoque summam Christianæ doctrinæ vnico verbo complexa est & comprehendit, vti cùm Moyses dicit: Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & diligas in toto corde tuo? Vide, in his breuibus verbis Moses totam legem & tam innumera præcepta complexus est & proposuit. Et quis tam insanit & obliuiosus est, vt verba tam pauca intelligere non possit, & retinere? Eodem modo posteaquam Salomon multum & prolixè in suo Ecclesiaste scripserat & docuerat, postremò tandem omnia in vnicum & breue verbum contulit: Finem loquendi (inquit) pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Sic etiam Michæas omnium prophetarum Scripturas comprehendit vno verbo, vbi ait: Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitũ ambulare cum Deo tuo. Eodem modo comprehendit etiam Paulus. 1. Cor. 13. omnes suas prædicationes & doctrinam in hoc vnico verbo, vbi ait: Nunc autem manẽt fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas. Itidem quoq; facit Ioannes: Hoc est mandatũ eius, vt credamus in nomine filij eius, Iesu Christi, & diligamus alterutrum. Eundem in modum facit Christus in hoc Euangelio. Quicquid vnquam docuit de fide atq; etiam de bonis operibus, id hoc loco paucis verbis complexus est: nimirum vt Deum diligamus ex toto corde, & credamus quòd sit Christus Dauidis filius & dominus, hoc est, Deus & homo. Et quis tam crassus & obliuiosus, qui tam clara verba non intelligat, & tam pauca verba non possit retinere? Atqui plurimum ea momenti habent. Etenim in his paucis verbis omnia habemus, quæcunq; Deus vnquam à nobis postulauit. At quid necessariũ magis quàm scire quid à nobis poscat Deus? Aut quis timere sibi potest, & gratiam rogare, qui nescit se peccasse? Quocirca vnumquẽq; Christianũ admonitũ velim, vt hodiernũ istud Euangeliũ diligenter consideret, ne Iudaicis pharisęis similes fiamus, qui quotidiè de sacra Scriptura loquebantur & disputabãt: verũtamẽ neq; verã fidẽ habebãt, neq; vitales bonorũ operũ fructus proferebant. Vnde audire eos oportebat quod Christus dicit: Regnum Dei à vobis auferetur. Et domus vestra relinquetur vobis deserta. Quapropter Euangeliũ istud

Summa Christianæ doctrinæ.

Deut. 10.

Eccl. 12.

Mich. 6.

1. *Ioan. 3.*

Matth. 21.

Matth. 23.

latiùs disquiremus, ne simile quiddam nobis contingat.

Principiò non est necesse, vt multa & prolixè loquar de Pharisæorũ quorundã hypocrisi & malitia: quandoquidem proximè præcedente Dominica etiã audiuimus, mansisse eos, qui fuerant antè. Quotiescunq; sese ostentabant, & quãtumlibet bonam speciem falsò prætexebant, reipsa tamen declarabant se nihil aliud esse quàm simulatè probos, quẽadmodum hîc videmus. Bonam speciem obtendunt, de maximo mandato interrogant, & tamen nec minimũ obseruabant. Alia in hoc Euangelio commemorata sunt, quorum plus nostra refert. Vtpotè primò, ꝙ Christus nõ omnia præcepta commemorat, sed tantummodo charitatis meminit. Per hoc enim Christus indicare voluit primò, ꝙ præcepta sua & leges non in lapideis tabulis aut libris, quẽadmodum Moses fecit, sed in cordibus hominũ scribere volebat, quẽ-
Hier. 31. admodũ Hieremias vaticinatus est: & ꝙ fideles suos nõ pręceptis tantùm ad bonũ cogere, & à malo deterrere, sed etiã per Spiritum sanctũ & charitatẽ & beneficia prouocare vo-
Matth. 11. lebat. Qua quidem etiam de causa legẽ suam suaue iugum, & leue onus nominat. Secundò, quoniã dicit, ꝙ in his duobus pręceptis charitatis, omnis lex & prophetæ pendent: significat nobis per hoc, ꝙ mandata Dei, non solùm externa opera, sed etiã & potissimùm cor requirant, neq; opere solo complentur, sed charitate: quia Deus longè aliud requirit
Psal. 15. in suis mandatis, quàm mundi regentes. Hi enim nihil nisi opus exigunt: hoc indigent, haud curantes, volénsne an inuitus. Deus autem, qui nostris operibus opus non habet, cor postulat imprimis: deindè etiã opera ex charitate & ex animo proficiscentia. Tertiò, ne quis falso sibi persuadeat, tãquam charitatẽ Dei & proximi habeat, ambo mandata Christus interpretatur, Dominum Deum tuum (inquit) diliges ex toto corde tuo, hoc est, ex omni desiderio tuo & cogitationibus: & ex tota anima tua seu vita, vt per totã vitã tuam nunquã desinas illũ diligere: & ex totis viribus tuis, hoc est, pro omni tua facultate. Hic vide, quàm strictũ & magnũ sit hoc mandatũ, & quantũ requirat. Imò si nõ per philautiã es excæcatus videbis profectò cor tuũ absq; Dei gratia longè aliter affectũ esse, vitã tuã multò aliter institutam, & vires tuas peccato vitiatas etiã repugnare. Et deindè in hoc præcepto cognoscis imbecillitatẽ tuã, & q̃ ex teipso sine Dei gratia & ope, illi nõ possis satisfacere. Quapropter meritò tibi

rogand

rogandus Deus cũ sancto Dauide pro gratia & corde puro & recto Spiritu, & pro eo obtinendo simul etiã omni studio cõnitendum. Idẽ etiam inuenis, in alio præcepto de charitate proximi: id Christus etiam ita proponit, vt fateri cogamur, nos propriis viribus longè adhuc abesse. Sũma, hæc duo mãdata cõuincunt, nos adhuc imperfectos esse, sempérq; superesse, in quo crescere ac progredi in charitate queamus: nec tamẽ propter hãc imperfectionẽ dãnationi obnoxij sumus, quandiu in charitate perseueramus. Imperfectũ meũ, ait S. Dauid, viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribẽtur. Quartò, duobus verbis, vbi de charitate Dei dicit, Hoc maximũ & pręcipuũ mandatũ est, Et de charitate proximi. Hoc primo simile est: hisce verbis (inquã) Christus clarè indicauit, optima illa bona opera esse, primò Deum, deindè etiam proximũ nostrũ diligere: cõtra verò summũ peccatum esse, quicquid cõtra charitatẽ Dei & proximi fit. Et ex hoc disce tu ipse conscientiã tuã instituere, vt scias vbi peccatũ & nõ peccatũ: imò vbi maxima peccata sint, ne facias id quod olim Iudaici Pharisęi, qui pro summo peccato habebãt, quod peccatũ non erat: contrà verò, vbi maximũ peccatum erat, pro nullo peccato reputabant, quẽadmodũ illis prolixè Christus cõmemorat in Matthæo. Et vnusquisq; videre ipsemet potest, præcipuè in passione Christi, vbi pro peccato ducebãt, in domũ Ethnici intrare: at Christũ innocentissimum neci tradere, omni culpa vacare sentiebant. Quintò, q̃ Pharisæus non nisi de vno eóq; summo mãdato interrogat, Christus verò alterũ statim subiungit: factũ est ad indiciũ, q̃ primũ mandatũ seruari non possit, nisi alterũ quoq; & antè seruetur. Qui enim fratrẽ quẽ videt, nõ diligit: quomodo Deũ diligere potest, quẽ nõ videt? Hoc cõtra illos est, qui sibiipsis in sua deuotione placent: iactant dilectionẽ Dei, cùm tamen interim nec in minimo compassionis affectu tãgãtur erga suum proximũ. Tales erant etiam Pharisæi: hi de maximo mandato interrogabant charitatis Dei, cùm tamẽ Christo, qui proximus eorũ erat, imò frater, nõ solũ nullum amorem & cõpassionẽ præstabant, sed etiam eum crudelissimè persequebantur. Sextò, facit Christus alterum mandatum de charitate proximi, primò de charitate Dei simile, quò ad charitatem proximi magis trahamur: simúlque docet, vbi Deum quærere debeamus ad amandum illum, nimirùm sub cruce, hoc est, in necessitate proximi nostri. Illic quære

Psal. 50. *Psal. 138.* *Matth. 23.* *Ioan. 8.* *1. Ioan. 4.* *Deus vt amãdus.*

Matt.25. Deum: illic exhibe ei charitatẽ, illic ciba & vesti Christũ. Id accipiet, perindè ac si ipsi fecisses. Alioqui enim inueniuntur homines, qui Deum tantùm in alto, hoc est, apud diuites & potentes quærant: cæterùm vbi certò inuenitur, ibi non quæritur: ideò etiã coram tribunali Christi audire cogentur, Discedite à me maledicti in ignem æternũ: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c. Et hoc circa primam partem huius Euangelij obseruandũ. *Ibidem.* Sequitur porrò in Euãgelio, ꝙ Christus Pharisæis etiam quæstionẽ obijciebat: & postremum erat, vnde illos interrogabat. Sed vide quàm pulchrè multiplicem disputationem cũ illis concluserit, dum concludit cũ ea ipsa parte, quæ omnium maximi momenti est: nimirum quis Mesias sit, & quid de illo sentiendum sperandúmque sit. Hoc animo etiã anteà suos discipulos interrogauerat, non solùm quid vulgus de illo sentiret, sed etiam qualẽ ipsi illum reputarent. *Matt.16.* Et ad ambas quæstiones illi respondebant. Alij (inquiebant) Ioannẽ Baptistam, alij autẽ Eliã, alij verò Hieremiã, aut vnũ ex prophetis te dicunt esse. Nos autẽ (dicit Petrus pro se & alijs) credimus & persuasum habemus, te esse Christum filium viui Dei. Eodẽ etiam modo interrogat hîc Christus Phariseos, quid de Christo aut Mesia sentirent. Cúmque humiliter & abiectè admodum de illo existimarẽt, imò nihil aliud quàm quòd filius Dauidis esset, ad sublimius aliquid considerandum illis ansam dabat ex sacra scriptura: quin hanc ipsam ob causam potissimùm interrogabat illos, quid de Christo & Mesia eorum sentirent, quò occasionem haberet ad introducendum Psalmum, in quo Dauid apertè indicat non solùm magnam gloriam Mesiæ, sed etiam omnium suorum inimicorum oppressionem & ignominiam. *Psal.109.* Sententia est, perindè ac si Christus dicere voluerit: Multa hactenus inter vos & coram vobis locutus sum ac feci, sed omnia frustrà. Agè, quod meum est feci: vos sequi denegatis. Vnũ adhuc vobis dicam. Legite centesimum & nonum Psalmum, videbitis quid Scriptura de gloria Mesiæ seu Christi, & confusione suorum aduersariorũ dicat. Etenim decretum iam & cõstitutũ est, vt sedeat ad dexteram Dei: & ꝙ omnes eius inimici, quãtumcũq; etiam reluctentur, tandẽ illi subijci debeãt. Et talẽ ordinationẽ Dei nemo mutare poterit aut impedire. Et hîc vide, quàm pulchrè eos trahat & prouocet ad pœnitẽtiã, & abrogationẽ impij eorũ cõtra ipsum propositi. Sed

fici. Sed omnia frustrà. respondere nõ poterãt, nemo tamen eorũ instituі cupiebat: audiebãt sententiã in se latã esse, nemo tñ eorũ veniã petebat. Nos autẽ hæc penitiùs cõsiderare debem⁹: nostrũ est nõ desistere à quærẽdo, donec genuinum intellectũ horũ verborũ inuenim⁹. Docet ergò nos locus iste quis Christ⁹ sit: nimirũ primò, ꝙ homo sit, & fili⁹ hominis. Quid enĩ Dauid aliud fuit quã homo: Quid autẽ hoc bono Christiano solatij adferre poſsit, ex verbis Pauli intelligitur, vbi ait, Heb. 2. Non cõfunditur Christus fratres nos vocare, dicens Psal. 21. Nũtiabo nomẽ tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum: Eccè, ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. Et in Ioãne Capi. 20. Ascẽdo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meũ & Deũ vestrum. Secundò, non solùm Christus homo est & filius hominis, sed etiam Dauidis filius. Non ideo solùm, quòd de semine & progenie Dauidis originem ducit secundum humanam naturam: sed etiam quòd is est, qui Dauidi promisſus est, & quem Dauid alii'que patres expectauerũt, & quem sacra Scriptura Dauidis filium nominat: hoc est, in quo & per quem omnes promiſsiones Dei sunt, Amen. Pro tali eũ agnouerunt, qui ad eum clamabant, Matth. 15. & 20. Miserere nostri, fili Dauid. Tertiò, non solùm filius Dauid est, sed etiam Dauidis Dominus, propter diuinitatem eius: quin etiam propter regiam eius dignitatem. Dauid enim solùm tẽporalis & mortalis rex fuit: Christus autem spiritualis, & ob id etiam æternus rex est, quemadmodũ Isaias cap. 9. prędixit, nec nõ Daniel cap. 7. Ad hæc, Dauidis regnum imbecille erat & inualidum, propterea per Christum confirmari debebat: quin Dauidis regnum etiã maledictum erat, & ob id per Christum benedici debebat. Et Dauid solus rex erat in terris: Christus autem regnat ad dexterã Dei, accepit omnem potestatẽ in cęlo & in terra. Vnde rex est regũ, & dominus dominantium. Ideo meritò Dauidis dominus vocatur, sine quo etiam Dauidis regnum non est: imò sine quo Dauid saluari non potuiſſet: & ad quẽ omnes promiſsiones spectãt Dauidi factæ, vt ipse & regnum eius exaltaretur in æternũ. Sed, inquis, Quid prodest nobis ꝙ Christus Dauidis dñs est? Audi quod etiã ad te attinet. Christus ille est ad quẽ Deus dixit Psal. 109. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorũ. Talis rex est Christus, qui à dextris dominatur, hoc est, cuius regnũ spirituale est.

Christus homo.

Esa. 8.

Christus Dauidis filius.

1. Cor. 3.

Christus Dauidis dominus.

Matt. 28.
Apoc. 19.

Sinistra enim significat temporale. Rex est & victor nõ solùm in seipso, sed etiã in nobis. Quapropter etiã ad nos dicit: Confidite, ego vici mũdũ. Sed audi iam, quomodo in nobis regnet & vincat. Dominare in medio inimicorũ tuorũ, dicit Dominus ad eũ. Nõ dicit, Profligabis inimicos tuos, vt nullus amplius sit: sed, Inter medios hostes eris, vbiq; ab illis affligèris, sed tamẽ dominus & rex manebis. Non enim tollit penitus à nobis malũ Christus, sed dat virtutẽ ac fortitudinẽ, vt vincamus. Huc seruit quod Salomõ dicit: Sicut liliũ inter spinas, ita dilecta mea inter filias. Quapropter contenti esse debemus, & gnauiter vti illius gratia, si non vult auferre à nobis quod nos premit, sicuti ad Paulũ dicit. Interea tẽporis etiã nos cũ Christo regnare oportet, & inter medios hostes, donec nobis Deus tandẽ etiam inimicos nostros pedibus nostris subiiciat, vt verè possemus dicere: O mors, vbi nunc potentia & victoria tua? Deo gratia, qui nobis victoriam dedit ac dat per Iesum Christum dominum nostrũ. Postremò etiam talis rex est, cui omnes inimicos eius subiici oportet: idque duabus viis. Alij vltro se illi dedunt, & agnoscũt eũ pro domino suo, vti Paulus. Is posteaquã diu hostis & persecutor Christi fuerat, postremò cõuertebatur, vt diceret, Domine quid vis faciã? Ita fiebat scabellum pedũ Christi: imò fiebat electum vas, vt nomen Christi portaret ante reges & principes, ante Iudæos & Gentes. Talem in modũ quoque etiã peccatrix subiiciebat se pedibus Christi: irrigabat illos suis lachrymis. Ita etiã nos aliquando inimici eramus, nũc autẽ agnoscimus Christũ pro nostro domino. Beati homines qui hoc modo & volentes scabellũ Christi fiunt. Verùm qui nõ vltrò se dedunt Christo, ij vel inuiti æterno ipsorũ dãno illi subiici cogũtur. Interea temporis autẽ patitur illos, nobis ad exemplũ, vt similiter etiam faciamus, malos toleremus eósque ad pœnitentiam trahamus, prouocemúsque. Quòd si eiusmodi nostrã charitatem aspernãtur, veniet tẽpus, vt nõ ampliùs nos possint cõtẽnere. Deus det nobis omnibus suã gratiam, Amen.

Ioan. 16. *Cant. 2.* *2. Cor. 12.* *1. Cor. 15.* *Act. 9.* *Luc. 7.*

SECVNDVS SERMO DE *Euangelio & Epistola.*



HODIERNVM Istud Euangeliũ duo in se comprehẽdit, quæ quidẽ omnibus Christianis summoperè necessaria sunt: sed tamẽ homini carnali aliud

alio acceptius est. Primũ est, ꝙ Christus primũ & summum mãdatũ, verbis tam egregiis & põderosis indicat ac ꝓponit. Alterũ est, ꝙ tã pulchrè ex Dauide indicat, q̃d de se sentiri & credi velit. Quisq; igitur hæc duo diligẽter cõsiderat, facilè videbit ꝙ Euãgeliũ istud duo à nobis requirit. Nã ꝙ in eo ex Dauide cũ diuinitas tum humanitas indicatur Christi, fidẽ à nobis postulat. Quòd autẽ etiã maximũ mandatũ legis in eo introducitur, id exigit nostrum opus. Et q̃d hic vides, id etiã aliàs inuenis in aliis locis sacrę Scripturæ, q̃ q̃nq; fidẽ, q̃nq; etiã opera nostra postulãt. Et q sacra Scriptura & verbo Dei rectè & vtiliter vti velit, is duo hæc simul accipiat oportet: hoc est, nõ solũ verbũ Dei credere debet, sed etiam opere ipso declarare: & vt nõ opere tantũ vtrunq; impleat, sed etiã corde credat. Hæc duo cumprimis necessaria sunt. Atq; id non temerè dico. Etenĩ Adæ filij rarò simul ea accipiunt. Id q̃d in Pharisæis apparet in hoc Euãgelio, necnon in nobis. Iudaici Pharisæi hoc quærebãt, quod esset maximũ mandatũ in lege: hoc est, disputabãt solũ de sua lege & externis legis operib⁹, gratiã Christi nõ morabãtur: contrà nos eã tantũ q̃õnẽ agitam⁹, qs Christ⁹ sit: hoc est, iactam⁹ fidẽ & agnitionẽ Christi, mãdata verò & bona opera nõ curam⁹. Atqui vtrobiq; nimis parũ est. Malũ quidẽ nõ erat, ꝙ illi Pharisæi lege sua sese occupabãt: sed ꝙ solùm per legẽ, & propria opera putabãt iustificatos se & saluos fieri: persuasum itaq; habẽtes, se Christo eiúsque gratia penitus nihil opus habere, hoc malũ erat & perniciosum. Quid enim lex posset sine Christo? Nã gloriare de lege quãtumcunq; velis, tuis tamẽ viribus nunquã implebis. Quorsum autem attinet multũ de lege gloriari, & legi nunquã satisfacere? Quid porrò etiã lex solatij & pacis cõscientiæ nostræ dare posset, q̃n cor nostrum nobis dictat, nos legi absq; Dei gratia nunquã satisfecisse, sæpiùs autẽ contrà fecisse? Rectè igitur benéq; factum, & quidẽ etiam necessariò, quòd Christus Pharisæis, qui lege sua gloriabãtur, quæstionẽ reiiciebat, q̃d sentirẽt de Christo. Et talibus quidẽ, qui solis suis operibus totũ tribuunt, nõ melius responderi potest, quã vt qs dicat: Quid sentitis de Christo? O vos insensati homines, quid tãtũ gloriamini propriis vestris operibus? Dedit quidẽ Deus legem & cómisit, vt seruemus mandata eius: sed præter legẽ & supra legẽ etiã Christũ promisit. Quid autẽ id opus erat? Imò quid Christo eiúsque auxilio opus habuissemus, si lex

Fides.

Opera.

Verbum Dei factis præstandum.

Psal. 118.

sola nos in cœlum perducere & seruare potuisset? Contrà
Gene.3. verò nonne Scriptura apertè dicit,& Christo attribuit,vt
serpenti infernali caput contereret,& q̧ ille omnibus gen-
Gene.22. tibus & populis benedictionem Dei allaturus esset,atq; hoc
Matt.1. pacto populũ suũ à peccatis eorũ liberaturus? Quòd si Chri
stus hoc facit,certum est,homines istos omnes longè errare,
qui sperant se id ex sola lege & propriis duntaxat operibus
Gal.2. consequi posse. Si per legẽ iustitia,(inquit Paulus) ergo gra-
tis Christus mortuus est. En,hoc Iudaicis Pharisæis defuit,
quòd licet lege occupati erant,cõtemnebant tamẽ gratiam
Christi: nolentes agnoscere,quòd Deus salutẽ hominibus
non per legem,sed per Messiam promisit:& non ex præce-
In Euangelij iactatores. dẽti debito,sed ex gratia. Contrariũ adeò in nobis depre-
henditur: acceptamus quidẽ & iactitamus Euangelium,sed
spernimus omnia præcepta Dei. Imò maior pars ad eã de-
ducta persuasionem est,vt existiment,verbum Dei nihil po-
stulare à nobis ampliùs,quã vt credamus. Hinc fit,vt ex Euã
gelio nihil aliud sumamus retineamúsque,quã quod ad fidẽ
pertinet,& de gratia dicit: sed tamẽ periculosè etiã in hoc
erratum est. Verissimum quidẽ est,quòd Christus gratuitò
nos saluos facit. Veruntamen nõ est mens illius,vt nihil bo-
ni faciamus,nec mandata vlla curemus,multò minus vt im-
piè viuamus. Satanas huic rei author est: tantò maior adhi-
benda cura,ne aut verbũ Dei penitus tollat,aut inutile no-
bis faciat. Et quemadmodũ Iudæis legem eorum inutilem
reddit: ita etiã omne adhibet studiũ,vt Euangeliũ nobis in-
utile reddat. Sciebat illis legẽ nihil profuturam,si fiduciam
suam in ea sola collocarent cũ contemptu gratiæ Christi:
eámq; ob rem etiam illos à Christo abducebat,non curans
quàm mordicus legis literæ inhærerent. Ita etiam nũc scit,
Euangelium nihil nobis profuturum,nisi fidem nostrã de-
Euangelium sine bonis operibus nihil prodest. claremus bonis operibus. Et ob id abducit nos à mandatis
Dei,haud curans,quòd Euangelium mirificè iactamus. Non
ignoramus cogitationes eius (inquit Paulus) imò nõ igno-
rare debebamus. Proindè quanquã certũ est,nos in Euã-
2. Cor.2. gelio videre primũ debere ea quæ fidẽ concernũt: nõ tamen
in eo frustrà nobis etiã duo prima & summa mãdata propo
nũtur. Imò quoniam eiusmodi mandata charitatis,non so-
lùm in Euangelio hodierno,sed etiam aliis in locis verbis
tam prægnãtibus & eximiis proponuntur, certum præbet
indicium,etiã in mandatis magnũ momentũ situm esse. Sed
hoc

hoc quis mundo huic persuadebit? quandoquidem res eò loci peruenit, vt capita agitemus, quando non nisi nominari mandata audimus. Imò quisquis nunc post fidem etiā bona opera docet, is hypocrita statim vocatur: imò pro eo reputatur, vt qui abneget Christum, & cõtumeliam inferat sacrosancto & pretioso sanguini Christi, adeò nūc Dei mādata & bona opera inuisa sunt & derisa. Id autē debemus Nouatoribus istis, qui per tot annos rudi populo inclamarūt inculcarúntque, salutem nostram & felicitatem consistere solùm in munda fide: Christianum nullo opus habere ad felicitatem suam, quàm fide: Deum nõ curare quomodo viuamus, si tantummodo credamus: Euāgeliū ignorare bona opera, hominem nõ habere liberū arbitrium ad bona facienda, Omnia necessariò fieri, Dei mandata hominibus seruatu impossibilia esse: nec ob id data, vt seruare necesse sit, sed tātùm vt peccata nostra cõdemnationémque videamus, agnoscamúsque. Hæc & id genus noua, & sanctæ Christianitati antea incognita dogmata, tales nobis attulēre fructus, vt amplius de Dei mādatis & bonis operibus audire velimus. Et quicquid non de mera gratia dicitur, id pro Euangelio agnoscere nolumus: atque ita securè viuimus & proteruè, pro libidine facimus omnia, iniquè agimus, peccamus sine omni metu & formidine: in eo tātū fiduciā collocamus, vt possimus dicere, Credo Christū pro me mortuū, legē pro me impleuisse. Hoc existimamus sufficere nobis ad felicitatem, etiāsi aliud nihil habeamus. Et vt verè dicamus, accipiendū hoc pacto foret, si certū esset. Sat pulchrè, si sat verè. Libenter vtique accipimus, si via tam lata támq; facilis nobis fingatur. Sed quis verū esse tibi testificabitur, maximè cùm sacra Scriptura aliter doceat, & tota sancta & vniuersalis Christiana Ecclesia aliter credat, & tibi etiā propriū tuū cor seu cõsciētia aliter dicat? Imò si nihil ad nos attinet, quàm ea quæ Dei gratiam loquuntur, & nulla nobis res ad felicitatē necessaria est prçterquam fides, vbi hodiernū Euangeliū remanebit? Quid dicemus, quod mandatū de charitate Dei, tam multū támq; sæpè in Scriptura, tam noui quàm veteris Testamēti proponitur, repetitur & introducitur? Vtpote Deut. 6. Matt. 22. Mar. 12. Luc. 10. Et quod Ioannes in prima sua Epistola tā seuerè vrget charitatē proximi. Multa quidē prætexere possumus, ad excusandū nos: alius enim dicit, præcepta in hoc nobis esse data, vt sint speculū, in quo peccata nostra & infirmitatē debemus

Vide quo deuolutus sit populus Christianus.

Nouatores Euangelij.

O figmenta.

bemus & possumus videre & agnoscere. Alius queritur, sibi mandata Dei obseruatu impossibilia esse. Tale effugiũ autẽ nihil nobis ꝓfuerit: nec dogmata ista & noua doctrina perstare potest ad lucẽ veritatis. Etenim primò falsum est & erroneũ, mãdata Dei propterea solũ data esse, vt peccata per ea cognoscantur. Paulus dicit Rom. 7. per legẽ venire cognitionẽ peccati. Sed nusquã dicit, mãdata seu legẽ ꝓpterea solùm data esse, & nõ etiã vt seruetur impleanturq;. Imò sacra Scriptura apertè contrarium dicit. Sic enim, inquit Moyses Deut. 6. Audi Israël, & obserua, vt facias quæ præcepit tibi Dominus. Non dicit, vt agnoscas peccatũ tuũ, sed, vt facias. Et iterũ Deu. 30. Cõsidera quòd hodie proposuerim in cõspectu tuo vitã & bonũ, & è cõtrario mortẽ & malũ: vt diligas Dominũ Deũ tuũ. Sic dicit & Dauid: Tu Domine mandasti mandata tua custodiri nimis. Et paulò pòst: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Sic dicit ipse Christus: Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea, assimilabiť viro sapiẽti qui ædificauit domũ suã super petrã: & descẽdit pluuia, & venerunt flumina, & flauerũt venti, & irruerunt in domũ illã, & nõ cecidit, &c. Omnis autẽ qui audit verba mea hæc, & nõ facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domũ suã super arenã: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domũ illã, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Et alio in loco: Si vis ad vitã ingredi, serua mãdata. Et iterum: Hoc fac & viues. Loquitur autẽ de charitate Dei & proximi. Et Ioannes: Hęc est charitas Dei, vt mãdata eius custodiamus. Qui dicit (inquit) sę in Deo manere, & mãdata eius non custodit, mendax est. Ex his & similibus locis sacræ Scripturæ, egregiè cõuincitur, mandata Dei nõ propterea solũ data esse, vt per hæc peccata nostra discamus agnoscere, sed etiã vt illa faciamus atq; hoc pacto nobis perit prima excusatio. Altera excusatio quam præteximus, nec illa cõsistit: nimirum si dicamus, mãdata Dei obseruatu impossibilia esse. Nam sacra Scriptura etiã hac in parte multò aliter loquitur. Mãdatũ hoc, quod ego præcipio tibi hodie, nõ supra te est, neq; procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere: Quis nostrûm valet ad cœlũ ascendere, vt deferat illud ad nos, vt possimus audire & facere quod præceptũ est? Neq; trãs mare positũ, vt causeris & dicas: Quis è nobis poterit trãsfretare mare, & illud ad nos vsq; deferre: vt possimus audire & facere quod præceptũ est? Sed iuxta te est ser-

[Margin notes: *Præcepta non in hoc solùm data, vt peccata cognoscamus.* — *Psal. 118.* — *Matth. 7.* — *Matth. 19.* — *Luc. 10.* — *1. Ioan. 5.* — *1. Ioan. 2.* — *Deute. 30.*]

mo valde,& in ore tuo,& in corde tuo,vt facias illũ. Sic etiã dicit Christus,iugũ suũ esse suaue,& onus suũ leue. Et Ioannes in prima Epistola,cap.5. Mãdata eius(inquit)nõ sunt grauia. Facilè quidẽ cõcesserim,nos mãdata Dei sine gratia Dei & ex nobisipsis seruare nõ posse:quẽadmodũ etiã ipse Christus dicit Ioã.15. Sine me nihil potestis facere. Et Paulus: Nõ sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficiẽtia nostra est ex Deo. Habet autẽ homo Christianus quiddã amplius,quàm alij homines. Etenim primò habet Spiritũ Christi,qui infirmitati nostrę auxiliatur:deindè habet etiã Dei gratiã, per quã illi placere possimus. Tertiò Deus etiã ipse virtutẽ dat & fortitudinẽ, vt illius voluntatẽ faciamus. Postremò dat nobis etiã bonã voluntatẽ,& vt illã ꝑficere possimus. Et quomodo igitur dicere possumus,mandata Dei obseruatu impossibilia esse? Quod autẽ nos Christiani tantũ cõmoditatis habemus præ aliis hominibus,indicat hodierna Epistola clarissimè, Gratias ago(inquit Paul⁹) Deo meo semper pro vobis in Christo Iesu, ꝙ in omnibus diuites facti estis in illo,in omni verbo & in omni sciẽtia(sicut testimoniũ Christi cõfirmatum est in vobis) ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectãtibus reuelationẽ Domini nostri Iesu Christi,&c. In his verbis videmus,quomodo Paulus de nobis Christianis loquatur : imò quòd lõgè aliter de nobis loquitur,quàm de aliis hominib⁹. Certè magna sunt, vbi quis in omnibus rebus diues fit,in omni verbo,in omni cognitione,vt nihil illi desit in vllo dono. Quòd si igitur homo Christianus diues est in talibus rebus, & ita vt nihil in aliquo dono ei desit,quin Deus ipse corroborat & cõfirmat eũ,& nõ vnũ diẽ,sed in finẽ vsq; , & is adeò Deus qui fidelis, cõstans & verax est:si,inquam,Christianus tãtũ cõmoditatis habet,quomodo igitur illi mãdata Dei impossibilia obseruatu sint? Quid ergo impossibile esse potest ei, q ipsam Dei gratiã,Dei Spiritũ,quin Deum ipsum habet? An nõ Spiritus sanct⁹ omnipotẽs est? nónne Dei gratia omnia potest? Nónne Christus ipse dixit,Credẽti omnia possibilia esse? Et iterũ: Amen dico vobis, qa quicũq; dixerit huic mõti, Tollere, & mittere in mare,fiet ei. Nónne etiã Paulus dixit,se omnia posse in eo,qui ipsum cõfortat? Ex his omnibus facilè videre est,nos nullã excusationẽ habere & effugiũ,si nõ post fidẽ nos vertamus ad impletionẽ diuinorũ mãdatorum. Quippè sentẽtia lata est,Seruus qui scit volũtatẽ Domini sui, & non facit

Matth.11.
1.Cor.1.
Rom.8.
1.Cor.1.
Matth.17.
Mar.11.
Philip.4.

Luc.2. facit eam, multis vapulabit. Hæc paucis indicare volui, ne quis cogitet, præceptũ charitatis nihil ad nos attinere amplius: nec referre, seruemus illud nécne. Bonus Christianus hæc duo simul cõiungat: videat vt rectè credat & sentiat de Christo, & vt in illa fide etiã charitati erga Deũ & proximũ suũ operã nauet, tũ hodiernũ istud Euãgeliũ rectè & vtiliter audiuit. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

TERTIVS SERMO DE Euangelio & Epistola.



HODIERNVM istud Euangelium indicat, quòd Christus olim interrogat⁹ fuit, quod sit mandatũ maximũ in lege. Pulchra & præcellens quæstio, ad hæc etiam vtilis & necessaria. Sed additũ est, quòd Pharisæus Christo proposuerit eam nõ alia de causa, quàm quòd illũ tentare volebat: & hoc illi negotiũ perdebat, vt interrogatio nihil sibi prodesset, alioqui bona per seipsam. Respõsio parata erat & certa, sed interrogator inutilis erat, & mẽs illius mala erat. Proindè quemadmodum Euangeliũ proximè præterita Dominica, duo nobis ob oculos ponit, nimirum humanã miseriam, & humanam malitiam: ita etiã in hoc Pharisæo duo videmus, nimirum hypocrisim & ignorãtiam. De maximo mandato quærebat, & tamen minimũ nõdum seruauerat. Et de vno solo quærebat, tanquã alia nihil essent & valerent. Hæc hypocrisis est impij cordis, vt quantũcunq; malum sit, mala cogitet & faciat, velit tamen probũ censeri & bonum iudicari: & si paulum quiddã habet, quo se ornare possit, videtur sibi nulla alia re indigere amplius: ita vt verũ maneat
Hiere.17. quod Hieremias dicit, Prauum est cor hominis, & inscrutabile.
Matth.5. Nos Christiani autem aliter docti sumus. Scimus iustitiam nostram maiorẽ esse oportere iustitia Pharisæorũ & Scribarum. Tum scimus Deo seruiẽdum esse, nõ in sola spe-
Ioan.4. cie, sed in Spiritu & veritate: aut vt de Ezechia legitur, in ve-
Esa.36. ritate & perfecto rectóq; corde. Quocirca non vnum, sed omnia mandata Dei magnifaciẽda. Leo rugiet (inquit Amos cap.3.) quis non timebit? Dominus Deus locutus est: quis nõ prophetabit? Deus manifestat suam voluntatẽ: quis nõ obediat, qui modò rationem habet, vt ne dicam verã & viuã fidem? Tantũ de Pharisæi hypocrisi. Illius porrò ignorantia sese prodit, ꝙ de maximo mãdato quærit, cùm tamen nihil

certi sciret de Christo aut Messia:ordinem hoc pacto inuertens,supremam ædificij partem volens ponere, nondũ iacto fundamento. Animaduertenda nimirùm & crassa inscitia & ignorantia in eo qui Rabbini & doctoris nomen sibi arrogabat. Hoc itaq; agit Christus:respondet quidẽ ad illius interrogata,mox alterã quæstionẽ obiiciens : approbat quidẽ vt superioris ædificij memores simus,sed tamen docet priùs fundamentũ ponere. Inquis: Quod igitur est fundamentum spiritualis ædificij? Responsum: Fides viua in Christũ. *Fides.* Et quod est superius ædificiũ? Charitas erga Deũ & proximum. *Charitas.* Quemadmodũ autẽ in omnibus rebus fundamentum primum ponendũ est,& deinde ædificiũ superstruendum:sic etiam fides charitatem præcedat oportet:quandoquidẽ etiã natura dictat,cognitionem præcedere voluntatẽ. Nihil volitum(vti in Prouerbio est)nisi cognitum. Si rem quampiam debeo velle & cupere,scire priùs oportet,& cognoscere. De qua enim re nihil scio, eam non desidero : cæterùm quæ res cognita est,quòd sit bona , vtilis & iucunda , ea verò desideratur. Sic etiam hoc in loco. Si mihi diligendus est Deus, priùs cognoscendus est. Sed vbi meliùs cognosci potest, quàm in æterno eius verbo,in vnico illius filio? Nemo Deũ vidit vnquam(inquit Ioannes)Vnigenitus filius qui est in sinu Patris,ipse enarrauit nobis. *Ioan.1.* Hoc confitetur ipse in vltima sua oratione:Ego(inquit)ô Pater,clarificaui te in terris: ego impleui opus & perfeci,quod vt facerem mihi commisisti. *Ioan.17.* Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo,&c. Nemo sibi de Deo tantum boni polliceri potuisset, nisi Vnigenitum suum filium in hoc misisset. Is expressa imago Dei est:imò splendor est illius gloriæ, & imago eius substantiæ. *Hebr.1.* Atque ideò dicit in Euangelio : Qui videt me,videt Patrem. *Ioan.14.* Et iterum:Si cognouissetis me , & Patrem meum vtique cognouissetis,quia ego in Patre sum, & Pater in me:imò loquitur,& operatur in me. Proindè oportet nos primò,& ante omnia de Christo quærere:quem si rectè cognouerimus , altera quæstio de maximo mandato vltrò sequetur:quandoquidem res nulla est,quæ hominem validiùs ad charitatem Dei trahit , quàm vera agnitio Christi. Atq; hoc etiã vtitur Ioannes in sua Epistola, indicãs primo, quid nobis Deus p̃ Christũ dederit. In hoc(inquit) apparuit charitas Dei in nobis,quoniã filiũ suũ vnigenitũ misit Deus in mundum vt viuamus per eũ. *1.Ioan.4.* In hoc est charitas: nõ quasi

nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propiciationẽ pro peccatis nostris. Hoc (inquam) prẹmittit Ioánes: & deindè tãdem infert, Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere: imò diligamus nos eũ, quoniã Deus prior dilexit nos. Vide, hoc pacto vult nos Ioánes per agnitionẽ Christi ad charitatẽ Dei & proximi trahere. Et quẽ consideratio earũ rerum, quas Christus nobis fecit, non ad charitatẽ Dei & proximi trahit ac pellicit, eũ nihil mouerit. En, hoc pacto Christus approbat, vt de maximo mandato quẹramus: & dicit etiam, charitatẽ erga Deum & proximũ, esse illud mandatum: sed indicat interim, frustra esse, de mandatis quærere: nisi fides præcedat, & quòd nemo Deũ diligere verè possit, nisi Christum probè cognoscat & contẽpletur. Hic veras illas partes inuenit, quẹ ipsum trahũt. Quid hominẽ trahit magis quàm beneficia? Quis autẽ pluribus nos ornauit beneficiis quàm Deus per Christum? Atque hi sunt Adæ funiculi, de quibus
*Osee.*11. Deus in Osea loquitur, se tracturũ nos eiusmodi funiculis, quos Adæ filij libenter sequũtur. Tantũ de duabus quæstionibus. Similiter apud nos etiã quæritur & disputatur, quod
1.*Cor.*13. sit maximum mandatũ inter hẹc duo, videlicet fidei & charitatis. vtrobique enim Scripturas habemus. Paulus dicit apertè, inter hæc tria, fidem, spem & charitatem, maiorem esse charitatẽ. Tum dicit Christus, in duobus præceptis charitatis consistere & pendere vniuersam legẽ & omnes pro-
*Hiere.*7. phetas. Satis certè hoc clarè vtrobique dictũ est. Cõtrà verò dicit Deus in Hieremia: Non sum cũ Patribus vestris locutus de holocautomatis, intellige, quòd tãtopere oblecter talibus sacrificiis: Non. Hoc autẽ illis expressis verbis cõmisi & præcepi, Audite verbũ meũ, & obedite voci meæ: hoc est, nõ tã agebatur mihi de sacrificiis, quàm de fide viua & obe-
*Hiere.*5. diẽtia, hanc quẹrebã in sacrificiis. Et iterũ dicit Hieremias: Domine, oculi tui respiciũt fidẽ. Quomodò nũc cõponimus bellũ? Vtrũ maius est inter hẹc duo, fidẽ & charitatẽ? Nonquid maius est aut plus valet corã Deo, vt illi fidẽ habeã in sancto eius verbo, aut illum diligam? Hîc igitur hẹremus in
*Mar.*12. cõtra iis. Altera pars vult fidẽ plus valere corã Deo, quã charitatẽ: altera vult, charitatẽ plus valere, quàm fidẽ. Marcus hoc bellum cõponere & sedare potest: is ex duobus mandatis vnũ facit. Sic enim in Euãgelio eius legimus quòd Christus, cũ eũ interogabat Pharisẹus de summo mãdato, hoc illi
responsũ

respõsi dabat: Audi Israël, Dñs Deus tuus, Deus vnus est. Et diliges eũ ex toto corde tuo, &c. Et hoc illi confirmat Pharisæus: Magister (inquit) rectè dixisti, quia vnus Deus est, & non est alius præter eum: & illum diligere ex toto corde, &c. plus est quàm omnia sacrificia, &c. In eandem fermè sententiam loquitur etiam Ioannes. Hoc (inquit) Dei mandatum est, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & nos inuicem diligamus. En, hîc vtraque habes, fidem & charitatẽ in vno mandato: non ꝙ fides & charitas idem sint, quę separari non posśint, sed ꝙ non debeant separari. Neutrum enim sine altero Deo placet, præsertim in homine adulto. Fides sine charitate, fides mortua est; tum charitas sine fide inutilis est. Imò non est charitas, vbi non est fides. Nã quomodo diligere possum, de quo nihil scio? Quapropter Christus in Marco illa coniunxit: Idem facit etiam in hoc Euangelio: quanquàm non ita clarè, dum pręter charitatem fidei meminit. Quocirca non est opus multa disputatione credere, sperare & diligere, summa sunt præcepta. Veruntamen hoc habet charitas præ aliis duobus, ꝙ diutiùs manet. Etenim credere & sperare in hac solũmodo vita manent: nunc credere & sperare debemus, illîc verò videbimus & habebimus: sed quod videtur, id non opus est credere: quod habemus, id sperandum non est. Quapropter fides & spes cessabunt, charitas autẽ manet etiã in futuro sęculo, nunquàm excidit: imò maior semper fit & perfectior, & hac in parte plus habet, quàm fides & spes. Deindè etiam in hoc plus habet, ꝙ nos proximè cùm Deo coniungit, & ꝙ alia duo ad charitatem referuntur. Ideò enim credimus & speramus, vt ad charitatem prouocemur: alioqui hæc tria cõiungi oportet, fidem, spem, & charitatem. Proindè hodiernum istud Euangelium rectè vocari & dici posśit omnium Christianorum cõmunis regula & vita, à qua nemo exceptus est, aut etiam excipere sese potest, per peculiarem viuendi regulam, modum & ordinationem. Nisi enim cõmunis hæc regula obseruetur, nulla peculiaris viuẽdi regula aut modus prodest. Hæc oporte facere (inquit Christus) Generalis hæc regula omnium Christianorũ, duo pũcta in se comprehendit: nẽpe, fidẽ & charitatẽ. Hæc Christus vtraq; clarisśimè interpretatus est. Fides ita cõstituta sit oportet, vt Christũ non modò pro filio Adę, hoc est, pro homine, sed etiã pro Dauidis filio, hoc est, pro rege: quin etiã pro Dauidis domino, hoc est, pro

1. Ioan. 3.

1. Cor. 13.

Matth. 23.

Deo firmiter habeat & credat. Charitas ita constituta sit oportet, vt Deus ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diligatur, & propter Deum etiam proximus noster.

Hæc duo Christus in hodierno Euágelio clarissimè enűtiat. Super primũ Psal. Dauidis introducit, in quo multa cõmemorata sunt, quæ de Christo nos credere oportet & sentire. Vtpotè primò, ꝙ non solùm homo, sed etiam Dauidis & Abrahæ semen est, iuxta Dei promissionem. Sic enim dicit Deus Gen. 22. ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ad Dauidẽ verò Psal. 131. De fructu vẽtris tui ponã super sedem tuam. Secundò de Christo crẽdere oportet, ꝑ Rex sit, non super tẽporalia sed spiritualia bona. Et ꝙ illi data sit omnis potestas in cœlo & in terra, licet nondũ omnia subiecta sint. Ideò Deus ad eum dixit, Psal. 109. Sede à dextris meis, & dominare in medio inimicorum tuorum, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Psal. 107. *Matth. 28.* *1. Cor. 15.*

Tertiò, de Christo credendum, ꝙ sit Dominus & Deus: id quod in eo verbo indicatum est, vbi Dauid ait Psal. 109. Dixit dñs domino meo. Quartò, de Christo credendũ, ꝙ sit verus noster & æternus sacerdos. Id indicat Dauid hisce verbis: Iurauit Dominus & nõ pœnitebit eũ, Tu es sacerdos in æternum secundũ ordinẽ Melchisedec. Quintò, de Christo credendũ, ꝙ sit constitutus Rex super omnes homines. Similiter quoq; id indicat Dauid in prius cõmemorato Psalmo, hisce verbis: Dominus à dextris tuis, confregit in die irę suæ Reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum. En, hæc omnia credenda de Christo, & ob id remittit nos Christus ad hunc Psalmum.

Deut. 6. Ad alterũ, hoc est, ad charitatẽ, adducit sextũ caput quinti libri Mosi, quo vtrinq; appareat, etiã antiquitus Scripturã sic conclusisse ordinasseq;. O quanti illa res esset momenti, si vtraq; hæc, fides vera in Christũ, & charitas Dei ac proximi, sic considerarentur? Quid posset ac deberet magnos bellorum motus & sanguinis effusionẽ, & perditionẽ pauperum citiùs & meliùs componere, quàm si irrequietis animis hæ duæ quęstiones in hodierno Euangelio comprehensæ, quotidie inculcarẽtur? Homo, quod est maximũ mãdatũ in lege? Homo, quid sentis de Christo? Imò hoc ꝑsuasum habeo, si qs Christiani animi venã in se habeat, fore vt hęc verba ad animũ reuocaret, & multa intermissurũ, quæ nunc petulãter & sine omni conscientia seu metu Dei facit. Imò plura dicã: Si

hæc

hæc duo verba omnibus Christianis infixa essent, nũquã bellum inter nos Christianos exoriturũ esset. Quomodo enim Christianus in corde habeat, alteri à quo nunquàm læsus fuit, imo qui fidei & baptismi ratione frater est, vim inferre & perdere eũ, si memor esset charitatis erga proximũ? Quomodo quis non refugiat & verecundetur tã ferociter & impiè agere, quemadmodum nostris temporibus visum est, & videmus, si Christum mente recolat, qui tantopere sese humiliauit, cùm esset in forma Dei: Dauidis, hoc est, hominis filius factus est, cùm Dauidis & omniũ hominum dominus, imò Dei filius esset? Sed nemo id secum reputat, & tamen omnes Christiani & Euangelici esse volumus: nec patimur in eiusmodi proposito nos aut reprehẽdi, aut impediri. Sed vbi manet mandatum de charitate proximi? Proximũ tuum (inquit Christus) diliges sicut teipsum. Hoc vnum ex præcipuis mandatis est, imò summis simile. Vbi manet exẽplum Christi, qui nobis passim charitatem & humilitatem in speculi vicem prætulit? Nonne Iudæi & Turcæ meritò contra nos clament, & dicant: Vos Christiani, nunquid etiam scitis quod sit maximum mandatum in lege vestra? Nunquid scitis cuiusmodi vobis Christus exemplum prætulerit? Quid sentis de Christo? Num hoc Christianè actum, vt mandatum & exemplum eius ita penitus retroiiciatis? Videte fratres, hoc tempore isto circa Euangelium istud considerandũ foret. Dictu quidem facile, Christiani sumus: sed audimus in hoc Euangelio, multa ad id pertinere: quinimò non solùm fides, sed etiam charitas requiritur: & non solùm qualiscunque fides, sed vera & viua fides, non solùm qualiscunq; charitas, sed quæ Deum supra omnia syncerè diligat. Iudæi quidem credebant, Messiam suum Dauidis filium, hoc est, hominem fore. Christus autem dicit probátq;, nõ satis esse: credere etiam oportere, ꝙ Dauidis dominus, hoc est, Deus sit. Tum etiam dicit Christus non solùm, Diliges Deum: sed addit, Ex toto corde tuo, &c. Non dicit, Diliges proximum tuum: sed addit, Sicut teipsum. Sed hoc est metam procul ponere, ita vt mirum sit, quid cogitemus nos huius æui tepidi Christiani. Longè alios Christianos ætas prior tulit: ibi fides & charitas potenter simul regnabant, vt ad id totus mundus obstupescere cogeretur. Quod verum esse, clarè Lucas indicat in Apostolorum Actibus: in hodierna Epistola videmus similiter. In ea scribit & proclamat

Phil. 2.

Matth. 22.

Ad Christianismũ quæ requirantur.

Act. 4.

1.Cor.1. Paulus ita laudes eorum, significans eos omni bono plenos fuisse, nihil aliud quæsisse, quàm spirituale & æternum, & semper summo desiderio expectasse vltimum aduentum & reuelationem Christi. Talibus hominibus optat, vt Deus illos in bono confirmet. Si huic mundo scribere & prædicare deberet, haud laudaturus esset: imò dicturus, Gal.3. sicuti aliis in locis dicit: O insensati Galatæ, quis vos Phil.3. fascinauit non obedire veritati? Et iterum: Sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) multos ambulare sicut inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, &c. Deus Opt. Max. faxit, vt id consideremus, atque etiam opere compleamus, Amen.

QVARTVS SERMO DE Euangelio itidem & Epistola.



IN hoc Euangelio clarè & apertè inuenitur, quòd proximè præcedenti Dominica dixi: nimirũ quod Deus charitatẽ pluris facit, quàm Iudaicum sabbatum. Iudęi habent multa mãdata in sua lege: eorum tantã summam numerant, vt quis meritò exhorrescat, nimirùm circiter sexcẽta: Act.15. vt diuus Petrus non sine causa dixerit, legem tale onus fuisse, quod neque ipsi neque patres eorum portare potuerunt. Dicit autem Christus, vniuersam legem, quin etiam omnes Prophetas consistere & pendere in duobus mandatis charitatis erga Deum & proximum. Hinc sequitur, nullum mãdatum impleri, quicquid etiam fiat, nisi ex charitate Dei & proximi fiat. Quapropter etiãsi Iudæus, Ethnicus, hęreticus, falsus Christianus nõ maledicit, nõ furatur, nõ occidit, aut adulteriũ cõmittit: imò è diuerso sabbatũ obseruat, externũ Dei cultũ perficit, colit patrẽ & matrẽ, orat, ieiunat, e-Rom.13. leemosynas dat, &c. nisi in charitate Dei faciat, legẽ nõdum impleuit, aut ei satisfecit. Finis enim legis est, charitas: & omnia mandata ad charitatẽ referuntur. Etenim Deus non solùm opus postulat, sed etiã & imprimis cor & charitatẽ. nã hilarẽ datorẽ diligit Deus, inquit diuus Paulus. Huc per-2.Cor.6 tinet, quod Christus etiã aliis in locis Pharisæorũ opera ob peruersam intentionẽ reiicit, hoc est, ieiuniũ eorũ, orationẽ & eleemosynas. Amẽ dico vobis (inquit) receperunt mercedẽ suã. Et tamen valdè industrij videri volebãt in talibus ope-Matth.6 ribus, nullis corã hominibus parcebãt laboribus. Cur autẽ

nul

nullã mercedẽ expectare poterãt apud Deũ pro eiuſmodi laboribus? Non faciebãt ex amore erga Deũ aut proximũ, ſed tantũmodo vt viderentur, & cõſequerentur gloriã ab hominibus. Et ex hoc clare vides, ꝙ Deus non ſolũ opus habere vult, ſed etiã charitatem cũ vera & viua fide. Finis enim pręcepti eſt; charitas de puro corde, & bona conſcientia, & fide non ficta. Quapropter pulchra Chriſtiana quæſtio eſt, & neceſſaria, quam Phariſæus hoc in loco fecit. Beatus vir (inquit Dauid) cuius voluntas in lege Domini, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquã lignũ quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tẽpore oportuno. Et folium eius non defluet: & omnia quæcunque faciet proſperabuntur. Et iterum: Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit ſemen eius: generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, &c. Summopere igitur cõmendandus fuiſſet hic Phariſæus, ꝙ quæſtionem hanc mouebat, ſi nõ hypocritico ſuo fermento perdidiſſet. Rogas quomodo? Dicit Matthæus, ꝙ Chriſtum tentare voluerit. Id quod præbet argumentũ, eum non ex animo interrogaſſe. Non agebatur illi de mandato, ſed vt experiretur ſolum quid in Chriſto lateret. Secundò, dicit Matthæus, ꝙ neq; ipſe neque totus illius grex reſpondere poterant ad quæſtionem, quomodo Chriſtus aut Meſſias, pariter & ſimul Dauidis filius & Dauidis dominus eſſe poſſet. Hoc argumentum præbebat, eum nondum ſcire quid credere deberet. Quorſum autem attinet, multa velle ædificare, nondum poſito fundamento? Atqui fides vera in Chriſtum, fundamentum eſt, ſuper quod ædificare nos oportet, quemadmodum Sanctus Paulus dicit: Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter id quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Et vbi fundamentũ non rectè ponitur, fruſtra eſt quicquid ædificare & boni facere conamur. Sine fide enim impoſsibile eſt placere Deo. Vel inter Iudæos etiã & Turcas inueniũtur, qui ſecũdũ externã ſpeciẽ nõ minus probè viuũt, atq; multi Chriſtiani. Sed nihil illis prodeſt: quãdoquidẽ ſine fundamẽto ædificãt, & fidem non habent. En, per hoc perdit etiã Phariſæus iſte ſuam quæſtionẽ. Et ob id, licet Chriſtus ei reſponſum dabat, eiq; dicebat quod ſit maximũ mandatũ, ſtatim illi eiúſque ſociis imperitiam eorum in oculos ingerebat, ea queſtione vbi di-

1. Tim. 1.
Pſal. 1.
Pſal. 111.
1. Cor. 3.
Heb. 11.

cit, Quid vobis videtur de Christo? Perindè ac si dicat: Rectè & bene factum, quòd de maximo mandato interrogas: sed facis id intẽpestiuè, quandoquidẽ nondũ scis, vnde accipiẽdũ & petẽdũ sit, vt tali mandato satis fiat. Aut putas, te id posse ex te ipso & propriis tuis viribus? Minimè. Sine Dei Spiritu & gratia impossibile est, vt tu, aut vllus alius hoc præceptũ implere possit. Quis autẽ ex omnibus mortalibus est, qui in cœlum ascendere possit, & spiritũ Dei ex nubibus deducere: maximè cũ Christus dicat, neminẽ posse suapte virtute in cœlum ascendere, præter vnũ illũ, qui de cœlo descendit, Filium hominis, imò filiũ Dei, qui semper in cœlo est? Quá verò etiã procul quis mare traiicere deberet, donec Spiritũ sanctum cõsequeretur? Sed qui scit vniuersa (inquit Baruch) mediũ inuenit, per quod Dei spiritũ & gratiã ad nos traducere possumus. Et quod illud mediũ est? In terra visus est, & inter homines versatus est. Is noster Deus est, & non æstimabitur alius aduersus eũ. Is semper sapientiã & salutẽ inuenit, & nobis hominibus manifestauit. Is est, qui per seipsum plenus gratia & veritate est, & de cuius plenitudine omnes accepimus. Ad hoc enim illũ signauit Pater Deus. Idcircò hîc ędificare incipere debemus, Quid vobis videtur de Christo? Duo videmus in illo. Primò, ꝙ Deus sit & secũdum talẽ suã diuinitatẽ etiã Dauidis & omnium hominum, quin etiã omniũ angelorũ & creaturarũ Dominus. Secũdò, ꝙ homo sit, & iuxta humanitatẽ etiã Dauidis filius. Hoc rectè crede, & non est necesse interrogare te, quod sit maximum mandatũ in lege. Memineris illũ Deũ esse, & ab æterno in forma seu similitudine Dei fuisse: & tamen sicuti sanctus Paulus dicit, exinaniuisse se, & formã serui accepisse, & factum sicut aliũ hominẽ, &c. Hoc (inquam) studiosè considera, quomodò nos ex immensa misericordia tam clementer inuiserit, & ignis diuini amoris vltrò in te exardescet. Cogita deindè quid in humano corpore & natura fecerit ac passus sit, & habebis exemplum ac incitamentũ ad amorẽ proximi. Vide, quantũuis obliquè Pharisæus veniebat, & posteriora priora faciebat: Christus tamẽ ad nostrã vtilitatẽ quæstionẽ suam rectificauit, dum addit quod ille amisit.

Ioan.3. *Baruch.3.* *Ioan.1.* *Ioan.6.* *Phil.2.*

Quocircà in hoc Euangelio posterius primò accipiendum est. Fundamentũ nostrũ est, vt Christũ verum seruatorẽ, ita vt oportet, viua fide agnoscamus. Quod vbi habuerimus, terra nostra fructum quoque feret. Christus primò rectè agnosc-

Psal.66.

agnoſcendus eſt, & Deus in illo. Quod vbi habemus, iam cogitandum eſt de duobus præceptis charitatis. Hic verus ordo eſt Chriſtianæ doctrinę, hic verus modus eſt Chriſtianæ vitæ. Chriſtus (inquã) primùm cognoſci debet, vt rectè diligi Deus poſsit. In illo enim inueniuntur veræ partes, quæ ad amorem Dei nos trahunt. Monet quidem nos ſacra Scriptura multis in locis, vt Deũ diligamus. Et ratio ipſa dictat nobis, ꝙ Deus & vnaquæq; res tantò magis diligenda eſt, quò melior eſt. Quoniã ergò Deus ſummum bonũ eſt, ratio etiã ipſa dictitat, ꝙ ſupra omnia diligendus ſit. Quorſum autẽ attinet, quod Scriptura dicit, vt faciamus, & ipſa ratio monet æquum eſſe, ſi non Spiritũ & gratiã habeamus vt poſsimus? Velle adiacet mihi (inquit Paulus) perficere autem bonum nõ inuenio. Ad id nos deducere agnitio Chriſti & fides viua debet. Rogas quomodò? Videmus in Chriſto, ꝙ nos Deus prior dilexerit (vti Ioannes ait) imò quòd dilexerit nos, cũ adhuc inimici eius eſſemus, veluti diuus Paulus dicit Rom. 5. Et ita dilexit nos, vt vnigenitũ filium ſuum nobis & pro nobis dederit, quẽadmodũ Chriſtus ipſe dicit Ioan. 3. Ad hæc, ita nos dilexit, vt nobis in & per filiũ ſuum omnia dederit, & ſupra hæc omnia nobis æternum ſuũ regnum dare velit: quemadmodùm iterum Chriſtus dicit. Hi veri funiculi ſunt qui nos ad amorẽ Dei trahunt. Et quẽ etiã talis amor & benignitas Dei, quam in Chriſto videmus, nõ mouet & trahit ad redamandũ Deum, illum nihil mouebit. Prætereà impetrare poſſumus per Chriſtum gratiã & ſpiritum, quæ nos itidem ad amorẽ Dei inſtigant & promouent. En, ob id huic queſtioni Phariſæi Chriſtus nõ acquieſcit, ſed ſtatim illi aliam quæſtionem obijcit. Si poterat ille dicere, Quod eſt maximũ mandatũ? interrogat Chriſtus, Quid tu ſentis de Meſsia? perindè ac ſi dicat: Nõ prodeſt de mãdatis diſputare, ſed obſeruare illa. Sed ſeruare non potes abſque mea ope & gratia, maximè hoc pręceptũ. Siquidẽ in me Deũ verè cognoſcere te oportet diſcere: à me gratiã & ſpiritum petas & obtineas neceſſe eſt: alioqui fruſtra eſt, etiamſi per omnẽ vitam de maximo mandato diſputes. Eodem modo res habet cum altero mandato de charitate proximi. Hortatur nos quidẽ Scriptura multis in locis etiam ad eiuſmodi charitatem, & ipſa ratio indicat æquum eſſe, poſteaquã vnius naturæ ſum⁹, & alius alio opus habet. In Chriſto autẽ inuenimus præcipua exẽpla veræ charitatis. Charitatẽ ma-

Deut. 6. & 10.

Rom. 7.

1. Ioan. 4.

Rom. 8.

Luc. 12.

iorem (inquit) habere nemo potest, quàm vt animã suam
Ioan.15. ponat quis pro amicis suis. Et iterũ, Ioan.10. Ego sum pastor bonus, & noui oues meas, & vitam meã pono pro illis. Et Ioannes, Apocal. 1. capi. Christus nos dilexit, & lauit nos in sanguine suo. Et Sanctus Paulus: Dilexit nos, & tradidit
Eph.5. seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, &c. In hoc (inquit Ioannes) cognouimus charitatem Dei, quoniã ille animã suã pro nobis posuit, & nos
1.Ioan.3. debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrẽ suũ necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodò charitas Dei manet in eo?

En, hoc modo nobis inseruit cognitio Christi, etiam ad charitatem proximi. Summa, qui viua fide cognoscit, quòd Christus Deus sit, is verũ obiectũ habet diuini amoris. Porrò qui viua fide contemplatur ꝙ Christus homo est is, verũ exẽplũ habet fraterni amoris. Quapropter non satis est, vt cognoscatur tanquàm Dauidis filius, hoc est, homo: cognosci quoque debet tanquàm Dauidis dominus, hoc est, verus Deus. Dicit quidẽ Scriptura multis in locis, Christũ Dauidis filium fore, & ex Dauide oriturũ secundũ humanã naturam, vtpotè Isai.11. Hier.23. Psal.88. & 131. Sed Scriptura hoc non est cõtenta. Quid enim Dauidis, hoc est, hominis Filius auxiliari nobis potuisset, aut magni quid prҿstare cõtra diabolũ? De Dauide legimus quidẽ, ꝑ inimicos suos vicerit: sed
2.Re.8. homines erant, nimirum Philistæi, Ammonitæ, Idumҿi, &c.
Eph.6. Sed quid dicit Paulus? Non est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarũ, &c. Contra talem hostem fortior venire debebat, quã Filius hominis: imò esse aliquẽ oportebat, qui non solũ Dauidis filius, sed etiã Dauidis Dominus: nõ solùm homo, sed etiã Deus esset. Et hæc duo credere oportet de illo: hæc duo etiam solatium nobis præbẽt & doctrinam. Nã si scis, ꝙ Christus homo est, tantò minus illum horrebis: si scis quòd Deus est, tantò feruentiùs illũ inuocare debebis. Tum etiam humanitas illius ad amorem te trahit proximi tui: diuinitas autem eius, ad amorẽ Dei. Ex his omnibus abũdè iudicatũ, cur Christus duas illas quҿstiones de maximo mãdato & de Messia coniunxerit, vidẽdum est, vt vtrisque rectè vtamur. Cum prima nos abstineamus ab omni malo: cum altera nos corroboremus in omni tentatione. Tum autẽ prima quæstione rectè vsus es, quando in

do in omnibus tuis operibus cogitas & vides, num eiusmodi tua opera conueniant cum maximo charitatis mandato. Quare si auaritia ab amore Dei ad pecuniæ amorem te trahere conatur, dic & cogita apud teipsum: Homo, nunquid etiam scis, quod sit maximum mandatum in lege? si te impatientia tua aut praua cõsuetudo prouocat ad Dei blasphemiam, si te ira & inuidia vel etiam praua tua cupiditas instigat ad lædendum proximum tuum, dic & cogita apud teipsum: Homo, nunquid etiam scis, quod sit maximũ mandatum in lege? atque hoc pacto resiste eiusmodi vitiis. Hoc quæstione ista recte vti dici posset. In altera quæstione homo seipsum explorare quotidie debet quid de Christo sentiat. Scriptura quidem magna de illo prædicat, nimirùm quòd non solùm homo, sed etiam Deus: nec tantùm Deus, sed etiã homo sit. Et quòd quatenus homo pro peccatis nostris mortuus sit, nobisque per hoc gratiam & remissionem acquisierit: quatenus Deus autem, nos ab omni malo liberare & conseruare possit. In hoc explora teipsum, num id rectè credas. Proindè si quis te in errores inducere, aut abducere conatur à doctrina Christi, dic: Homo quid sentis de Christo? Nónne verus ille magister nobis à Deo datus est? Nónne aliter docuit, quàm tu profiteris? &c. Si peccata præterita ad desperationem te adigere annituntur, dic: Homo quid sentis de Christo? Nũquid credis, quòd Christus propter peccatores mortuus est? Nónne audis quòd ad pœnitentiam inuitat, & miseros & grauatos homines ad se vocat, gratiam illis & consolationem promittẽs, si ipsi posthac obtemperare velint? &c. Itidem quoque fac, quando externa crux & tentatio premit ac pusillanimem te facit: dic & cogita apud teipsum: Nunquid credis, quòd Christus ex animo rogatus auxiliari possit? & quòd dixerit, En vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi? Et iterum: In me habebitis pacem, Confidite, ego vici mundum? Quòd si hunc in modum in duabus hisce quæstionibus nos exerceremus, fieri non posset quin maior nobis exoriturus esset fructus. Tales Christianos inueniebat Paulus apud Corinthios. ideò magnificè eos prędicat, in hodierna Epistola: dicit eos diuites factos, non in pecunia, sed in omni verbo, cognitiõe & sapientia qui veri thesauri sunt & diuitiæ, veluti Isaias dicit. Secundò dicit Paulus de suis Corinthiis, testimonium Christi in illis esse

Remedium Auaritiæ, Blasphemiæ Malencliẽ in erga proximum.

Matt. 23.

Matt. 4.
Matt. 11.

Matt. 28.
Ioan. 16.

Esa. 33.

confirmatum. Tertiò dicit, nihil illis deesse in vlla gratia. Quartò ait, expectare eos tutò & securè diem & apparitionem Christi. Et quid esse tali homine beatius potest? Proinde ad Deum oremus, vt nos etiam spiritualiter diuites faciat. Imò gratias Deo agamus, quod nobis toto corde ad ipsum conuersis suas diuitias etiam obtulerit: nimirùm sanctum suum verbum, spiritum & gratiam, sui cognitionem: sed videamus quoque vt eius verbo, Spiritu & gratia dignè vtamur: & vt testimonium eius in nobis confirmatum sit, vt securè expectare possimus postremum aduentum illius, &c. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

DOMINICA VICESIMA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM

MATTH. IX.

Matt. 12. *Luc. 5.* ET ingressus nauem, traiecit ac venit in suam ciuitatem. Et ecce adduxerunt ei paralyticum in lecto decumbentem. Cúmque vidisset Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam è Scribis dicebant intra sese: Hic blasphemat. Et cùm vidisset Iesus cogitationes illorum, dixit: Quare vos cogitatis mala in cordibus vestris? Vtrum enim est facilius, dicere, Remittuntur tibi peccata: an dicere, Surge, & ambula? Vt autem sciatis quòd potestatem habeat Filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralytico: Surge, tolle tuum lectum, & abi in domum tuam. Et ille surrexit, abitque in domum suam. Turbæ verò quæ videbant admiratæ

ratæ sunt,& glorificauerunt Deum, qui dedisset potestatem talem hominibus.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI, EPHES. IIII.

FRatres, renouari verò didicistis spiritu mentis vestræ, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est per iustitiam & sanctitatem veritatis. Quapropter deposito mendacio, loquamini veritatem quisque proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Irascimini, & non peccetis: sol ne occidat super iram vestram, neque detis locum calumniatori. Qui furabatur, non amplius furetur: magis autem laboret operando manibus quod bonum est, vt possit impartiri ei qui opus habuerit.

PRIMVS SERMO DE initio Euangelij.



ODIERNVM istud Euangelium non solùm in seipso magnum & consolatorium est, sed etiam pulchrè ordinatum, ad legendum statim sub Euangelium proximè præteritæ Dominicæ. Quod enim tum obscurè & minus intelligibiliter dictum erat, id hoc loco clarè & apertè exponitur. Iudaici Pharisæi nolebant, aut non poterant intelligere, quomodo Christus aut Mesias simul Dauidis filius & Dauidis dominus esse posset. Alterum confitebantur, eum esse Dauidis filium: ad alterum respondere non poterant, quomodo Dauidis dominus esse posset. Christus quoque illos negligebat: indigni erant quibus manifestaretur, quandoquidem nihil maius in suo Mesia quærebant, quàm quòd Dauidis filius, hoc est, terrenus & temporalis Rex esset, qui illos iterum liberaret & eriperet ab imperio Romanorum.

Nos

Nos Christiani videmus in hoc Euangelio, quomodo & qua ratione Christus Dauidis filius & Dauidis dominus esse possit. Imò videmus, quòd noster adeò Dominus Iesus de Nazareth, ille Christus & Messias, Dauidis filius & dominus sit. Hæc enim vtraque apertè in hoc Euangelio declarauit, de-
Matth. 9. monstrauitque. Tanquam Dauidis filius, hoc est, tanquam homo in nauicula aduehebatur. Tanquam Dauidis dominus, hoc est, tanquam potens Deus videbat cogitationes hominum, dimittebat peccata, & paralyticum sanabat. Sed quomodo diuinitatem suam & omnipotentiam melius & efficacius declarare potuisset? Id enim Dauid facere non po-
1. Reg. 16. terat: nec facere potest quicquam, excepto vno Deo. Solus
Psal. 7. Deus est, qui intuetur corda. Homo enim solùm quod extrinsecus est, videt. Deus solus scrutatur corda & renes hominum, vti Dauid dicit. Deus est, qui vno verbo, imò sola voluntate & nutu sanat. Domine rex omnipotens (inquit Mar-
Hester 13. dochæus) in ditione tua cuncta sunt posita: & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare nos. Solus
Esa. 43. Deus etiam dimittit peccata. Ego (inquit) sum qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor. Quia ergo Christus hæc omnia in isto Euangelio impleuit, Pharisæis cogitationes eorum manifestauit, ægroto peccata dimisit, & ad indicium, quòd id possit, etiam extrinsecus eum sanauit: potuissent certè cæci Pharisæi non solũ videre, quamobrẽ Messias in Scriptura Dauidis dominus nũcupetur, sed etiam quòd is ipse Iesus, quicum loquebãtur, esset. Siquidem humanitatem eius videbant apertè: nec potuissent certiora signa diuinitatis eius habere, quàm illa tria adeò, cogita-
Sap. 2. tiones videre, peccata dimittere, & vno verbo ægrotos sanare. Sed malitia eorum excæcauerat eos. Sententia erat & iu-
Esa. 6. dicium, quod Isaias ante multos annos ex mandato Dei super eos pronuntiauerat: Audientes audietis, & non intelligetis: videntes videbitis, & non cognoscetis, &c. Quapropter in tot támque efficacibus argumentis diuinæ potentię, nihil aliud dicere poterant, quàm, Hic blasphemat Deum. Populus laudabat Deum, ipsi offendebantur. Verbum quod Christus docebat (Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua) obseruabant, quæ antè & pòst fiebant, non curabant. Nos Christiani vnum cum altero considerare & accipere debemus, & his rebus omnibus gaudere. Proindè verba istius Euangelij latius disquiremus, quò solatium nostrum & spi-

ritualæ

rituale gaudiũ maius fiat. Audi itaque, quomodo Matthæus hanc historiam incipiat. Dominus Iesus (inquit) ascendens in nauiculam, transfretauit: & venit in ciuitatem suá. In his verbis, priusquam Euangelista ad miraculũ deuenit, describit ineffabilem bonitatem Christi, quę in eo primùm apparuit, quòd à Gadarenis aut Gerasenis, in quorum gratiam transfretauerat, & quædã ingentia miracula apud eos fecerat, nõ recedebat, donec rogarent, vt à sese discederet, & hoc modo eum à se depellerent. Capharnaum etiam nõ rogatus, veniebat. Similiter quoq; nobiscum facit. Atq; hîc etiam ineffabilẽ eius bonitatẽ discemus cognoscere. Magnũ quippè argumentum est eiusmodi suæ bonitatis, quòd etiam nobis non vocatus apparuit. Ab æterno quidem nos elegit, sed non propter preces & præcedẽtia merita nostra, sed ex gratia. Nec nos venimus ad illum, sed ille ad nos. Nos nõ elegimus illum, sed ille nos elegit. Cùm adhuc mortui iaceremus in peccatis (inquit Paulus) Deus qui diues est in misericordia, cõuiuificauit nós Christo. Propterea etiã dicit in Isaia, cap. 65. Quæsierunt me qui antè nõ interrogabãt: inuenerũt qui nõ quæsierũt me, &c. Alterũ argumentũ diuinæ bonitatis est, quòd nõ recedit à nobis, nisi eũ peccãdo pellamus à nobis, nec illũ tolerare velimus. Et hoc videmus in istis Gadarenis, apud quos Christus tãtisper manebat, donec rogabãt, vt à se discederet. In Iudaico populo similiter quoque videmus. Licet multoties & grauiter peccabant in veteri Testamento, nõ recedebat ab eis Deus, donec ipsimet eũ deserebant reiiciebántq;. Sic grauiter deliquerãt in aureo vitulo: atq; ita, vt etiã Moyses timeret, ne Deus promissiones suas reuocaret. & ob id dicebat ad Deum: Aut dimitte illis hoc peccatum, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. Perindè ac si diceret: Si nõ dimittis illis peccatum, iam de me & aliis hominibus actum est, quod ad æternam salutem attinet. Idipsum quoq; verebatur Dauid, cùm adulteriũ & homicidiũ admisisset. Ideò orabat; Domine tibi tibi soli peccaui, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Et hoc modo Israëlitæ multipliciter quidẽ in Deũ peccauerãt, meritiq; fuerãt, quòd Deus ab illis recesserat: ob id potissimũ, quòd omnes prophetas, quos ad ipsos mittebat, ad annuntiandũ illis verbũ suũ, persequebãtur & occidebãt: quẽadmodum illis nõ solùm S. Stephanus, sed etiã Christus ipse obiiciebat. Verũtamẽ nõ recedebat Deus ab eis, donec illi suum

consub

Matth. 9. *Ephe. 1.* *Ephe. 6.* *Ephe. 2.* *Exo. 33.* *Psal. 50.* *Act. 7.* *Matth. 13.*

consubstantiale verbum, suum vnigenitũ filium in humana natura crucifigebant, & dicebant: Nolumus hunc regnare super nos. Et ad Pilatum: Tolle eum. Non habemus regem nisi Cæsarem. Hic incipiebat ab eis recedere. Hic dicebat ad suos discipulos. Mar. 16. Ite in orbem vniuersum, & prędicate Euangelium omni creaturæ, &c. Hic audebant etiam sancti Apostoli ex impulsu Spiritus sancti, ad Iudęos dicere: Vobis oportuit primùm loqui verbum Dei: quia autẽ reiicitis, ecce conuertimus nos ad Gentes, quoniam hoc mandatũ habemus. Hic videmus impletum, quod Sapiens dicit Eccle. 5. Altissimus est patiẽs redditor. Et quod Paulus dicit Rom. 2. An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, &c. Similem quoq; benignitatẽ Dei experimur in nobisipsis. Quoties enim & quàm grauiter Dei iram, indignationem, & pœnã meriti sumus? Attamen Christus non recedit à nobis, nostram expectans resipiscentiam & pœnitentiam: quam nisi egerimus, miserè pereundũ nobis erit, &c. Tertium argumentũ diuinæ bonitatis est, quòd Matthęus dicit, Et veniebat in ciuitatem suam. Posteaquam enim conditor & dominus omniũ rerũ, propter nos, & ex amore dederat se, & coëgerat seu contraxerat in humanum corpus & in nostram naturã, cœpit etiam in terris habere matrem, sorores & fratres, & patriam, ob id potissimum, vt talis amor & humiliatio nos ad eũ traheret, quos antea metus & mala cõscientia ab eo depulerat. Quis enim non exhilaretur, & animum resumat, quando audit, quòd Christus tam altè sese deiecit, tam humaniter sese erga nos exhibuit, vt frater noster & incola terræ sit factus? Eandem charitatẽ in illo videmus per hoc, quòd in nauiculam ascendit, cùm tamen siccis pedibus in aqua inambulare potuisset, quemadmodum etiam aliquando fecit. Is enim est, qui olim Israëlitis viam faciebat per medium mare, vt siccis pedibus transirent. Is est etiã, qui S. Petro dabat in mari ambulare: sibiipsi verò hac vice nolebat, vt mare seruiret. Idq; non sine causa. Nam si nõ nisi diuina miracula fecisset, nihil cum nobis hominibus cõmune haberet. Et ob id humanam necessitatẽ in se suscepit, quò videre possemus, eũ verũ hominẽ esse. Omnia autẽ in eũ finẽ, quò maturiùs ad eũ traheremur. Atq; hic iterũ vides, quàm nihil penitus Christus omiserit, quod ad salutẽ nostrã ptinet. Potest itaq; meritò ad nos dicer

Marginal notes: Luc. 19. — Ioan. 19. — Act. 13. — Luc. 13. — Matth. 14. — Exod. 14. — Matth. 14.

dicere: Quid est quod debui vltra facere, & nõ feci? Sequitur *Esa.5.*
in textu: Et ecce offerebant ei paralyticum, &c. Matthęus id breuibus comprehendit, Marcus verò cap. 2. & Luc. cap. 5. fusius cõmemorant: nempè, quòd illi qui ægrũ ferebãt cùm præ turba illũ intrò inferre nõ possent, in tectũ ascenderint, & per tegulas submiserint eũ in mediũ ante Iesum. Vbi sanè perspici licet, qua violẽtia Gẽtiles regnum Dei ad se rapuerint. Iudæi Christũ è suo tẽplo profligabãt: cõtrà Gẽtiles cumulatim accurrũt, & illũ ad se rapiũt. Atq; hoc est, qđ Christus ait Matt. 11. Regnũ Dei vim patitur, & violẽti rapiũt illud. Magna huc fortitudo exigitur, nõ corporis, sed fidei & charitatis. Et quisquis fortiùs & ardẽtiùs orat & appetit cœlestia, is regnum Dei citiùs ad se rapit. Porrò eiusmodi vim Christus libẽter patitur: imo ꝑplacet illi, vt potest animaduerti ex verbis illius mulieri Chananitidi dictis, Matt. 15. O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Quod quidẽ de fide viua accipiẽdum est, vti etiã hoc loco, quo mox subiicit Euãgelista Matt. 9. cap. Et vidẽs Iesus fidẽ illorũ, &c. In hoc verbo quæstio est, an homini etiã aliena fides cõducere possit, & quantũ. Sunt enim qui sibiipsis persuadẽt, se nulla aliena opus habere oratione, nec eã illis cõducere posse quicquã. Tales homines fortè meliores ꝑfectioréſq; sunt, quàm Paulus, quẽ nõ pudet, fermè in omnibus suis Epistolis, aliorũ hominũ orationes pro se repetere. Cõtrà verò alij sunt, qui nimiùm solis aliorũ hominũ precibus fidũt, opinãtes satis esse, si alij pro ipsis orent, etiãsi pro seipsis per omnẽ vitã nihil orent, imò etiã omne malũ sectentur. Hi fallũtur, & errant quoq;. Etenim alterius hominis fides seu precatio nõ faciet te beatũ, nisi propriã tuã fidẽ & orationẽ addas. Sic nec alterius hominis iustitia saluũ te faciet, nisi tuipse quoq; iustus effici coneris. Vt igitur certus sis, quid tibi aliena fides, & oratio ꝓdesse possit, scire priùs oportet, qualis fides fuerit, de qua Matthæus dicit, Christũ respexisse fidẽ eorũ. Etenim primò nõ fuit mortua aut informis fides, siquidẽ illa nulli *Fides mortua.* alij prodest: imò nec ei prodest, qui illã habet. Quid enim *1. Cor. 13.* mihi prodesse p[illegible]et, etiãsi in die millies articulos fidei pro me recenseas, sine omni tamen ardore, deuotione & charitate? Cum oratione eodem modo res habet. Qualẽ igitur illi fidẽ habuerũt, quæ Christo adeò placuit, vt ob eã ægrotũ curauerit? Nimirùm eiusmodi fidẽ, quæ cũ magno feruore & charitate, plenáq; fiducia in bonitatẽ & misericordiã Christi coniun

coniuncta fuit, quam ex iis quæ de Christo audierant hausserunt: & tam certo, vt non dubitarẽt, quin ęgrotus sanaretur, si illũ ad Christũ possent adducere. Et in tali fiducia ac charitate deportabãt eum quoq; ad Christũ tanta cũ cupiditate & feruore, vt etiã tectũ effringerent, quò citiùs ad Christum cum suo ægroto peruenire possent. Nec quicquã verebãtur, ne Christus ægrè laturus esset, quòd ita illum opprimebant: tantã spẽ conceperãt sibi ipsis de eius bonitate. Hãc eorum feruentẽ fidẽ & deuotionẽ respiciebat Christus, & probabat. Hinc igitur sequitur: Primò quod salutare & bonũ, Deo acceptabile, & gratũ sacrificium sit vbi homo homini opem fert, & promouet corã Deo cum sua oratione. Vnde etiã Salomõ dicit: Facere misericordiã & iudiciũ magis placet Domino, quàm victimæ. Quod verum esse, ex eo apparet, quòd S. Matthæus dicit, Christũ respexisse fidẽ eorũ qui apportabant ęgrotum. Haud dubiè Christo charitas quam proximo exhibebãt, grata fuit, & tãto magis, quò minus ęgrotus ipse ad Christũ venire poterat. Sic etiã proculdubiò Deo sacrificium facis gratum, quãdo in tua oratione ad eum illos adducis, qui in peccatis iacent & mortui sunt, vt per seipsos ad Deum ire non possint: quin nec suum ipsorũ periculum sentiant. Hoc docet Christus, vbi ait: Orate pro psequẽtibus & & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est: qui solẽ suum oriri facit super bonos & malos. Perindè acsi dicat: Quoniã persecutores vestri excęcati sunt, vt proprium periculum non videant, nesciãt quid faciant ideò orate pro eis: quandoquidem videtis quantũ sibi ipsis incommodent, &c. Quòd autem talis oratio bonorũ & fidelium, etiã aliis hominibus prosit, clarè id Scriptura indicat. Moyses vnicus erat vir, multis tamen millibus imperrabat gratiam cum sua oratione. Elias homo nobis similis, sua oratione obtinuit vniuerso populo pluuiã, 3. Reg. 18. Moyses sua oratione hostes Amalecitas retro pellebat, vt Israëlitis nocere nõ possent, Exod. 17. Sic sua oratione impetrabat etiam suę sorori, vt à lepra iterũ curaretur, Num. 12. Et quid multa demõstratione opus est, cùm ex Sacra Scriptura apertè haberi possit, quòd nobis sæpè propter aliorum hominũ iustitiam & orationem, temporalia & externa dentur, etiam sine propria nostra oratione? Ita legimus quòd Deus dixit, se ciuitatem Hierosolymam protecturum propter Dauidem. Ex hoc vides, quòd Dauidis pietas Iudæis vtilis fuit, qui alioqui Dei

Prou. 21.

Orare pro aliis quàm gratum Deo.

Matth. 5.

Oratio piorũ prodest aliis.

Exod. 23.

4. Reg. 20.

Dei irã multipliciter meriti fuissent. Non solùm autem alterius nobis viua fides & oratio commodare ad externam sanitatẽ seu prosperitatem potest, sed etiam ad animæ salutem, attamẽ cũ discrimine. Etenim corporalis sanitas datur quandoq; homini sine propria sua fide, saltẽ ob alterius fidẽ & preces. Sic impetrabat Centurio sua ardẽti fide seruo suo sanitatem. Vade (inquit Christus) & sicut credidisti fiat tibi. Similiter quoq; impetrabat Chananæa mulier filiæ suæ sanitatem. Mulier (inquit) magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Sed alia res est cum anima: huic non fertur auxilium, nisi & ipsa credat. Quamobrem sanctus Matthæus apertè dicit, quod Christus non solùm fidem respexerit eorum qui ęgrotum adducebant, sed mox ad ægrotum etiam dixerit, Confide, bonam spem habe, & piam fiduciam, &c. Nam in iis rebus, quæ animæ salutem concernunt, non satis tibi est alterius fides, nimirùm quando ad ætatem & rationis vsum peruenisti. Hoc propter infantes dico, qui in aliena fide baptizantur: & si contingat eos in infantia sua decedere, etiam in fide Christianæ Ecclesiæ & communione salui fiũt. Quanquàm dicere aliqui & probare volunt, quod Deus etiam propriam illis fidem indat: quandoquidem legimus: quod in veteri Testamẽto etiam infantes in fœdere Dei erãt, & quòd Christus pueros ad se adduci iubebat, complectebatur illos, & benedicebat eis. Atqui nemo diuinæ benedictionis particeps est, nisi credat. Sine fide enim impossibile est placere Deo: Hinc aliqui concludere volunt, quòd etiam infantes in propria sua fide saluantur: & maximè Christo Mar. 16. dicente in commune, nemine excluso: Qui non crediderit, condemnabitur. Et iterum Ioan. 3. Qui non credit in filium Dei, iam iudicatus est. Sed hæc iam omitto. De adultis loquor: horum nullus saluus fit sine propria sua fide. Vt enim naturali vita nemo pro me nasci aut mori potest, (si viuere debeo, meipsum nasci oportet, attamen alius sua vita meæ vitę prodesse potest) ita etiam nemo pro me mori potest, in cœlũ ascendere, aut descendere in infernum. Sed quidem promouere me potest ad mortem, occasionémq; dare, vt in cœlũ ascendã, aut in infernũ deferar. Eodem modo mihi alius sua viua fide à Deo impetrare potest, vt & ego credã, quẽadmodũ creditur S. Stephanus sua flagrãti fide & oratione, etiã Saulo suo persecutori fidẽ & charitatẽ impetrasse: & quẽadmodũ diuus Paulus in suis Epistolis orat pro om

Matth. 8.
Matth. 15.
Gen. 17.
Mar. 10.
Heb. 11.
Act. 7.
Eph. 1.

nibus hominibus, vt illis amplior cognitio Christi detur, &c. Hoc (inquã) alter alteri impetrare potest, sed nemo pro alio credere potest. Quamobrẽ probabat quidẽ Christus, ꝙ illi qui ægrotum adducebant, magnã charitatẽ & fidem habebant, sed non contentus, priusquã ægroto opitulabatur, propriã etiã syncerã fidẽ ab eo requirebat. Hęc omnia ad doctrinã scripta sunt & facta, quò aliorũ hominũ fidei, & orationi ita fidamus, vt tamẽ pro nobis ipsis etiã oremus & credamus. Hoc bono Christiano circa primã partẽ istius Euãgelij considerandũ est. Deus det nobis oĩbus suã gratiã, Amen.

SECVNDVS SERMO DE vltima parte istius Euangelij.



HODIERNVM istud Euangelium duo habet, quæ meritò omnes homines ad Christum trahere debebant, multò magis autẽ nos Christianos apud eum conseruare. Primò ꝙ tam citò & libenter audit, vbi auxilium eius feruẽter imploratur. Secundò, ꝙ tam potenter auxiliari potest, cùm in corpore, tum in anima, cùm spiritualiter tum corporaliter seu temporaliter. Quatuor viri (inquit S. Lucas) portantes in lecto hominem qui erat paralyticus. Et non inueniẽtes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum, &c. Non additum est, ꝙ Christũ verbis pro ægroto sunt deprecati: imò tam propè ad eũ accedere nõ poterãt, vt illũ verbis alloqui possent. Attamẽ Christus fidem eorũ & affectũ respiciebat. Hoc illi satis orationis erat: hãc magis probabat, quàm si multis vsi fuissent verbis, & alta voce sine cordis attẽtione & affectu fuissent vociferati. Hoc autẽ argumentũ præbet, ꝙ citò & libenter audiat, sicubi auxiliũ eius ex animo petatur, siue id fiat ore, siue corde, siue verbis, siue cogitationibus. Quia enim Deus est, non solùm audit clamorem vocis, sed etiã cordis desideriũ, vti Dauid dicit: Desyderiũ pauperũ exaudiuit Dominus: præparationẽ cordis eorum audiuit auris tua. Idipsum quoque experiebatur Moyses in mari Rubro, vbi Deus ad eum dicebat: Quid clamas ad me? Et Moses tamen nullo vtebatur verbo: imò adeò occupatus erat in sedãdo populo, vt ad Deũ clamare nõ posset. Attamẽ Deus desideriũ cordis eius respiciebat. Sic etiam Matthęus loquitur hîc, Vidẽs Iesus fidem eorum.

Luc. 5.

Psal. 9.

Exod. 14.

Non

Non ait, Exaudiebat clamorem eorum: sed, Videbat fidem eorum. Hoc vnum est, quod in isto Euangelio considerandum est. Mox Christus versus ad ægrotum sanabat eum. *Matth. 9.* Primò in anima, verbo illo, Confide, remittuntur tibi peccata tua. Deindè etiam sanabat eum in corpore, verbo illo, Surge, & ambula: tolle lectum tuum, & vade in domũ tuã. Ad hæc verba mox surgebat, tollebat lectũ suum, & abibat perfectè sanus in anima & corpore: quanquàm non nisi vnũ apparebat, nimirùm corporalis sanitas. Nã si verbum eius in vna re talem virtutem habet: certè etiam alia in re virtutem habet. Si verbo suo humano corpori morbum tollere potest: potest etiam suo verbo animabus nostris peccatum & condemnationem tollere. Imò hanc adeò ob causam virtutem diuini sui verbi externis signis & miraculis probare voluit, vt ne dubitemus, quin illud eius verbum similem etiam virtutẽ habeat in spiritualibus rebus. Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, surge paralytice, & sanus sis. Hoc alterũ est, quod in isto *Ibidem.* Euangelio nobis obseruandum est: nimirùm quòd Christus tam potenter auxiliari possit in corpore & anima temporaliter & spiritualiter. Nónne autem hæc duo omnes homines ad Christum traherent, & apud eum conseruarent, quòd tam libenter audit, & tam potenter auxiliatur, maximè calamitosis istis temporibus? Quid nunc vulgatius in terra apud omnes homines, quàm queritari, ingemiscere, vociferari, & optare? Quis in terris tam diues est, qui auxilio non egeat, siue id sit in corpore, siue in anima? At vbi certior exauditio in oratione, & certius auxilium in necessitate, quàm apud Christum? Certè mundus serò audit, parum gemitum pauperum curat. Tum etiam hominum auxilium inane est & nullum. Quia ergo in hoc Euangelio audimus, q̃ Christus tam citò audit, tantò confidentius ad illum orare debemus, & cum Dauide dicere: Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in cõspectu tuo: eleuatio manuum mearum *Psal. 140.* sacrificium vespertinum. Si ergo Christus tam potenter auxiliari potest in anima & corpore, animam à peccato, & corpus à morbis liberare, idque vno verbo: tantò minus dubitandum est de eo, quod S. Dauid iterum dicit de felici statu eorũ qui Deo sese ex animo dedũt. Qui cõfidunt in Dño (inquit) sicut mõs Sion, non cõmouebitur in æternũ, qui habitat in Ierusalẽ. Montes in circuitu eius, & Dñs in circuitu *Psal. 124.*

populi sui, ex hoc nunc & vsq; in seculum. Et tum etiam Euangeliũ istud cũ fructu & vtiliter auditũ esset, si efficeremus vt benignitas Christi, quã erga eos declarabat, qui ægrorum adducebãt, eò nobis inseruiat, vt & nos tãtò libentius ardentiúsq; oraremus: potentia verò eius nobis inseruiat ad confirmationem fidei & charitatis nostræ, ne de eius auxilio vnquàm diffidamus, sed semper certò speremus, siue id sit in anxietate cõscientiæ, siue in externa necessitate, modò tamẽ nos faciamus quod in nobis situm est. Hoc (inquã) Euangelium istud vtiliter auditũ dici posset. Et ob id etiam scriptum est: ob id prædicatur, vt tantò ardentius in omni necessitate Christum precemur, & eò minus de eius auxilio desperemus. Siquidem aliud nomẽ sub sole nõ est nobis hominibus datum, in quo nos saluos fieri oporteat, &c. Et nos Christus ipse in Euangelio toties vocat, vt ad se veniamus: imò nihil tã queritur de hominibus, quàm ꝙ non veniunt, & sese ad ipsum totos cõuertunt. Non vultis venire ad me (inquit Ioan. 5.) vt vitã habeatis. Et iterũ Mat. 23. Quoties volui cõgregare filios tuos, & noluisti? Et rursum Ioan. 3. Lux venit in mundũ, sed homines magis dilexerũt tenebras quã lucẽ. Hoc in genere considerandũ est circa istud Euangeliũ. Sed reliqua etiam verba aliquantò plenius discutiemus.

Act. 4.

Matth. 11.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ex his verbis intelligere primò possumus (vti in proximè præcedẽte prædicatione dixi) ꝙ nullus homo, nimirùm qui prouectæ ætatis est, absq; propria sua fide saluari possit. Nec tali remittuntur peccata, nisi prius credat. Qui nõ credit (inquit Christus) cõdẽnabitur. Et iterũ: Si nõ credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Secundò ex his verbis colligere possumus, ꝙ Christus peccata possit remittere: id quod nostrũ solatiũ est. Quòd autẽ Christus id possit, duobus id demonstrari potest viis. Primò, ꝙ Iudæis etiã ad cogitationes eorũ respondet, id quod solus Deus potest. Quandoquidẽ nemo scit quid sit in homine, nisi spiritus hominis. Solus autẽ Deus nouit corda hominũ, veluti Petrus dicit. Et Paulus: Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Secundò, ꝙ Christus Deus sit, & peccata remittere possit, per hoc etiã probatur, ꝙ paralyticũ vno verbo sanabat: id quod rursum Deus solus facere potest. Ad sua enim opera nõ multo tẽpore opus habet, quẽadmodum homo: nec Deus pro se aliquibus mediis

Mar. 16.
Ioan. 8.

1. Cor. 2.

Act. 1.
Heb. 4.

diis opus habet. Vnum verbum dicit, & fit. De tali potentia Christi loquitur etiam Ioannes, vbi ait: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quod tamen nõ ita intelligendũ, ꝙ Christus peccata hoc modo sustulerit, vt posthac nullũ peccatũ amplius sit: & ꝙ nunc omnes ex animi sui libidine viuere possint, vt quibusdã hoc tẽpore videtur, & ob id absq; omni formidine in omnia peccata & flagitia se coniiciunt. Christus autem non ita tollit peccata: sed ita, vt in reliquum iustitię viuamus. Sicut membra vestra (inquit Paulus Rom. 6.) exhibuistis seruire iniustitiæ: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, &c. Nam qui mortem tollit, is loco eius vitam reddit. Sic qui peccatum tollit, is in locum eius iustitiam præstat. Quare si à peccato liberari cupis, in Christum te respicere oportet. Is non solùm ille est qui peccata remittit, sed est etiam exemplar, in quo apparet, quomodo peccata expurgentur & profligentur. Quemadmodum enim peccata ille occidit: ita etiam in nobis mortificari debent. Atqui Christus peccata per crucem mortificauit: ita etiam in nobis cum cruce & dolore mortificari ea oportet, veluti diuus Paulus dicit Rom. 8. Deus nos ab æterno prædestinauit, vt conformes fiamus imagini filij sui. Et iterum Rom. 6. Si cõplantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Tertiò quoque coniicere possumus ex verbis, vbi Christus ait, Confide fili, ꝙ is cui remittũtur peccata, mox filius Dei vocatur & efficitur. Nihil enim aliud diuidit inter nos & Deũ, quàm peccatum, vt Isaias dicit cap. 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Et Hieremias Thren. 3. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcircò tu inexorabilis es. Nihil Deus in nobis odit, nisi peccatum. Dimisso igitur tibi & condonato peccato, Deum patrem habes propitium, intrepidè ad eum dicere potes: Pater noster qui es in cœlis, &c. Et ob id etiam Dauid homines beatos vocat, quibus remissæ sunt iniquitates, & tecta peccata: atque ita, vt illis Deus ea imputare non velit: quod fit primò in baptismo, ac deinde etiam in pœnitentiæ sacramento. Quartò etiam possumus ex suprà scriptis verbis Christi desumere, ꝙ corporales morbi ob peccatũ sępenumerò hominẽ infestant. Nã vt quandoq; ex corporis morbo animæ morbus excitatur, vtpotè motus iræ,

Psal. 148.
Ioan. 1.
Christus vt tollat peccata.
Peccata vt mortificanda.
Psal. 13.
Morbi propter peccata.

impatientiæ, blasphemiæ, &c. Ita etiam est peccatum corporalis morbi plerunq; præcipua causa: quẽadmodũ Christus ipse innuit in eo verbo, quod ad illũ dicebat, qui octo & triginta annos decubuerat. Eccè sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat. Et hoc Moyses clarissimè indicat: Nisi audieris vocem Domini Dei tui, percutiet te pestilentia & morbis: scabie quoque & prurigine, ita vt curari nequeas, amentia, cæcitate & insania, &c. Et quo magis peccata crescunt, hoc etiã maior pœna fit & plaga. Nec priùs cessant pœnæ, quàm peccatum. Et ob id Christus hic homini, qui corporalem sanitatẽ petebat, priùs morbũ animæ, peccatũ sustulit: pérque hoc indicauit, hunc illi morbũ ex peccato & propter peccatum inflictum esse. Quintò, vult etiam Christus priùs commemoratis verbis nos docere, quæ ad ægrotũ loquebatur, vt primò & ante omnia animæ curam geramus. Nam vbi illa sana est, corporis morbi nihil nobis nocere possunt. Siquidẽ certa & vera sententia est, quæ in aliquot Ecclesiæ orationibus inuenitur. Nulla nobis nocebit aduersitas, si nulla nobis dominata fuerit iniquitas. Ex his iam habemus, quid circa miraculum istud considerandum sit. Postremò etiã audiemus, quid miraculũ istud in cordibus hominũ operatum sit. Et eccè (inquit Matthæus) quidam de scribis dixerũt intra se, Hic blasphemat. Populus autẽ laudabat Deũ, qui dedit potestatẽ talem hominibus. Hìc iã vide, quàm dissimiles fructus miraculum istud attulerit. Pharisæis scandalũ erat, q̃ Christus ad ægrotum dixerat, Remittuntur tibi peccata tua: impingebant & offendebantur in humilitate Christi, quoniã sciebant Deũ in Propheta dixisse, Ego sum, qui iniquitates tuas deleo. In Christo autẽ videbant humanã fragilitatẽ, atq; ideò credere non poterant, quòd etiã Deus esset, & peccata dimittere posset. Et talis infirmitas Christi, etiam adhuc offendit aliquot homines. Quomodò credere possum (dicunt aliqui) quòd me à peccatis & morte liberare possit, qui ipse tãquã peccator, in crucẽ suffixus est? Alius dicit, Quomodo credere possum, Christum mihi propitiũ esse, qui me in tot tantísque periculis derelinquit? Tertius dicit, Quid solatij habere possum ex promissionibus Christi, cùm tamen semper contrariũ inueniam? En, hoc modo in hodiernũ adhuc diem offenditur mundus in humilitate Christi. Proinde non sine causa factum, quod dicit, Beatus est, qui non fuerit scandalizatus

Ioan. 5. *Deut. 28.* *Animæ cura imprimis gerenda.* *Esa. 43.* *Mat. 11.*

zatus in me. Et hæc vna erat causa, quamobrē hac vice Pharisæi cōtra Christum murmurabant. Secunda causa erat, ꝙ Christo hanc inuidebant gloriam, quòd dimittendi peccata potestatē haberet. Sibi ipsis gloriā transcribi volebant: haud cogitantes quod Deus in Isaia dixerat, Propter me, & non propter vos delebo iniquitates vestras. Certum & infallibile verbū. Christus solus nobis propria autoritate dimittit peccata nostra. Non, vt propterea bona opera tanquàm nullius meriti intermittamus, sed vt hac in parte gloriā tribuamus, quòd nobis ex animo pœnitentibus, ex misericordia præcipuè peccata dimittat: nósque sibi obtemperantes faciat, quemadmodū Christus ipse docet & dicit. In hanc sententiā loquitur etiam S. Dauid: Non nobis (inquit) Domine, sed nomini tuo da gloriam. Sic etiā loquitur Daniel: Domine tibi iustitia, nobis autē confusio. Hoc modo habes, quid miraculū istud in Iudaicis Pharisæis operatum sit: nimirū scandalū & inuidiā. Sed audi nunc etiā, quid miraculum istud in plebe operatum sit. Glorificabant Deū (inquit Matthæus) qui potestatē talē dedit hominibus. Et meritò. Quis enim nō ex animo gaudeat, quādo audit, ꝙ nūc etiam homines peccata possint dimittere, quæ antea sol⁹ Deus dimittebat? Qui principi debet, aut in eū deliquit, nemo illū à tali debito liberum dicere potest, nisi princeps ipse, aut is, qui à principe peculiarem potestatem & mandatum habet. Quòd si ille, qui à principe potestatem habet debitori, vel etiā reo aut malefico affinitate aliqua iunctus est, tātò miser maiorem spem habet, gratiam & remissionē cōsequendi. Eodem modo res nobiscum habet. Omnes Dei debitores sumus, & quotidiè nos dicere & orare oportet: Pater, dimitte nobis debita nostra. Et talia debita nemo nobis per se dimittere potest, prætérquàm Deus. Veruntamē tradidit illā potestatē Christo, queādmodū Christus ipsemet dicit, Pater neminē iudicat: sed omne iudicium dedit filio. Quia ergò hoc audimus & legimus, simúlque scimus, quòd Christus frater noster est, & nostrā naturam, carnem & sanguinē in se habet: cur animum desponderemus? cur non etiā Deū laudaremus, qui talē potestatē huic homini & confratri nostro Christo dedit? Atqui verò Christus talē etiā potestatem sanctis suis Apostolis & eorū successoribus dedit: Accipite (inquit) Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorū retinueritis, retenta sunt, &c.

Esa. 43. *Tit. 3.* *Psal. 113.* *Dan. 9.* *Matt. 6.* *Ioan. 5.* *Ioan. 20.*

Non quòd homo peccata propriè dimittat, sed quòd pœnitenti in sacramentali cõfessione indicat, & certum eũ facit, ꝙ ei peccata à Deo cõdonata sunt. Perindè acsi dicat: En fili, quoniã peccata tua syncerè confiteris, & exhibes te tanquã verũ pœnitentẽ: certũ te facio ex diuino verbo & mandato, ꝙ tibi Deus peccata tua per Christũ dimittit: & annũtiat, ꝙ Deum propitium habes. Et quòd Christus in suo Euãgelio ex corde conuertentibus se ad ipsum promisit, id etiã tibi annuntiat & promittit. Hunc in modum homines verè pœnitentibus & purè confitentibus dimittunt peccata eorum. Et quid afflictæ cõscientiæ lætius & consolatorium magis occurrere & obuiare posset, quàm si id audiat? Quapropter etiam meritò cũ populo in hodierno Euãgelio gratias agere debemus, quòd Deus talem potestatem dedit hominibus, &c.

TERTIVS SERMO DE Euangelio in genere.

Mar. 3. Luc. 5. ISTORIAM hodierni istius Euangelij, nõ solùm Matthæus descripsit, sed etiam Marcus & Lucas, ídque diligentissimè. Omnes tres indicarunt, ꝙ Christus paralyticũ hunc primò à peccatis in anima, & deindè à morbo in corpore liberauerit: & significauerit miraculũ istud certũ esse argumentũ, ꝙ à Deo potestatẽ habeat dimittendi peccata: id quod præcipuũ est in hoc Euãgelio, qua de re nos Christiani gaudere & gratias agere debemus. Iudaica turba offendebatur quidẽ, pro blasphemia ducens. Sed summũ eorũ dãnum erat, dolenda eorũ excæcatio, certa eorũ pernicies. Ob id enim audire cogebãtur quod Christus dicit: Ego vado, &

Ioan. 8. quæretis me & nõ inuenietis: imò in peccatis vestris moriemini. Rogas quã ob rem in peccatis suis mori eos oportuit? Respõsio: credere nolebãt, ꝙ Christ⁹ peccata dimittere pos-

Ibidem. set. Nisi credideritis (inquit) quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Nos Christiani credimus & confitemur, ꝙ potestatẽ habet dimittẽdi peccata. Imò ꝙ hãc ipsam ob causam venit, & à Deo missus est, vt populũ suũ à peccatis eorũ

Matt. 1. liberaret. Et eius nostræ fidei habemus bonũ & certũ fundamentũ. Opera quæ Christus ex diuinitate fecit, fallere nos nõ possunt, quia clarè & irrefragabiliter declarant ꝙ Deus sit: quãdoquidem nullus mortaliũ, nullus angelorum, nulla

creatu

creaturarũ propria virtute similia opera vnquàm fecit, aut *Ioan.20.*
etiã facere potuit. Quoniã ergo demonstratum, ꝙ Christus
Deus sit: nemo dubitare debet quin possit etiã peccata dimittere.
Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, dicit ad
vnumquẽque, qui peccatis in sua conscientia oneratus, toto
corde ad ipsum per pœnitẽtiã cõuertitur. Quid ergo iustiùs
sequitur, quã vt pro tali munere grati simus, idque semper
expetamus? Si vis exemplũ, formã & modũ habere, quomodò
Deo gratiæ agẽdæ sint, quòd nos per Christum redemerit, *Psal.102.*
& redimit nos adhuc quotidiè à peccatis nostris, nobísque
pœnitẽtibus promittit eiusmodi remissionem: audi
quomodò sanctus Dauid Deo ob id gratias agit: Benedic
(inquit) anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt
nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli
obliuisci omnes retributiones eius. Qui propiciatur omnibus
iniquitatibus tuis: qui sanat oẽs infirmitates tuas. Qui
redimit de interitu vitã tuã: qui coronat te in misericordia
& miserationibus. Qui replet in bonis desideriũ tuũ: renouabitur
vt aquilæ iuuẽtus tua. Miserator & misericors Dominus:
longanimis & multũ misericors. Non in perpetuum
irascetur, neq; in æternũ cõminabitur. Non secũdũ peccata
nostra fecit nobis, neq; secundũ iniquitates nostras retribuit
nobis. Quomodò miseretur pater filiorũ, misertus est
Dñs timentibus se: quoniã ipse cognouit figmentũ nostrũ.
Benedicite Domino oẽs angeli eius, &c. En, totus hic Psalmus
aliud nihil est, quã gratiarũ actio hominis credẽtis, pro
remissione peccatorũ. Talis gratiarũ actio pertinet ad istud
Euangeliũ. Dauid eius formã nobis dedit ac cecinit: reliquũ
est, vt illũ probè imitemur. Si deindè etiã exemplũ, formã
& modũ habere cupis, quomodo pro gratia & remissione
peccatorũ orandũ sit, iterũ inuenis apud Dauidẽ: De profundis
(inquit) clamaui ad te Dñe, domine exaudi vocem meã. *Psal.129.*
Si iniquitates obseruaueris Domine; dñe quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est, & propter legẽ tuã sustinui te
Dñe. Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea
in Dño. A custodia matutina vsq; ad noctem, speret Israël in
Dño. Quia apud Dñm misericordia, & copiosa apud eũ redẽptio.
Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatib⁹ eius.

Hæc oratio est pro remissione peccati impetrãda. Et qui
hoc modo corde cõtrito pro suis peccatis ad Deum clamare
posset, is auditurus esset cõsolatoriũ responsum, Cõfide fili,

remittuntur tibi peccata tua: imò experturus esset, quod hic orás expertus est. Et sic Euãgeliũ istud vtiliter & cũ fructu auditũ esset, si duo hi Psalmi cũ vera & feruenti deuotione simul vsurpẽtur. Certè gratiarũ actione dignũ est, quòd nobis Deus vnum dedit, qui peccata nobis tollere, & in anima nos sanare potest. Et quidẽ eiusmodi bonum, quod tam est momentosum, omni industria quærendum est. Quid autem maius, gratiosius, & amicabilius in Deo nostro, quàm quòd nobis, qui peccauimus contra diuinã eius volũtatẽ, verè pœnitentibus tam benignè veniam dat, nósque eius rei ita certos reddit? Optimus quisq; Christianus piè cõsideret, qualis sit hęc charitas & benignitas, semper habebit causam ad Deũ sese conuertendi, Deo gratias agendi, eúmq; laudandi. Miser peccator, quẽ iam peccasse pœnitet, consideret qualis sit gratia, nũquã desperabit. Cõfide fili, remittũtur tibi peccata tua. Hoc præcipuũ est, quod bono Christiano circa hoc Euãgeliũ considerandũ est, faciendúmque. Alioqui potest nobis hoc Euangeliũ etiam ad aliã inseruire. Imò si homo Christianus aliud nihil haberet, nullũ aliud præsidium sciret hisce malis periculosis'que temporibus, & in tam dissimili discordique doctrina: ex hoc tamẽ vnico Euangelio à multis erroribus sese tueri posset, suámque per id fidẽ firmã, purã & illabefactatam cõseruare, vbi alij quãdoque grauiter hallucinati sunt & perniciosè lapsi. Adeò penitus Christus, omnia sua verba & opera ad nostram vtilitatem & salutem destinauit, vt certè nõ facilè errare possemus ac decipi, si modò oculos aperiremus. Cuius rei exẽpla multa dare & indicare possem de veteribus & nouis erroribus. Nimirùm vetus error est, quòd olim Cerdo, Apelles, Valentinus, Manichæus & Apollinaris hæresiarchæ cũ suis gregibus & asseclis dicebant & sentiebãt, Christũ nõ esse verũ hominẽ. Contrà verò, quòd Ebion, Cherintus, Carpocrates, Paulus Samosatenus, Photinus, Arrius, & ipsi hæresiarchæ dicebãt, sentiebántque, Christum non esse Deum, sed purum hominem. Sic etiam antiquus error est, quòd Nouatus & eius asseclę dicebant, quòd ij qui in persecutione à fide desciuerant, & Christum abnegauerant, nullam amplius remissionem peccatorum sperare possent. E diuerso noui errores sunt, quòd quidam infantium baptismum reiiciunt, ex ea causa, quòd infantes fidem suam nondum intelligant, nec profiteri possint: putant frustrà fieri, quòd in fide

Errores priscorum hæreticorum.

Recentiores errores.

Ecclesiæ & eorum qui illos adducunt, per baptismum in fœdus Christi recipiantur. Item quòd aliqui prædicationem de Christo & gratia Dei nõ aliter accipiunt, quasi deinceps nõ referat quomodo viuatur, si tantummodo credatur. Ab omnibus istis erroribus tam veteribus quàm nouis, posset se Christianus ex hoc vnico Euangelio tueri, & fidem suã per id puram & illabefactatam conseruare. Rogas quomodo? Dicit Matthæus initiò, Christum nauicula mare traiecisse. *Matth.9.* Et hoc quid aliud est, quàm argumentum veræ illius humanitatis contra Cerdonem & alios supradictos hæreticos & sectarum magistros? Et maximè, si credamus præterea quòd etiam famem aut sitim, tristitiam & dolorẽ, pœnã & mortẽ passus sit, vt alij homines. Et hoc est, quod etiam Paulus de Christo dicit, factũ esse sicut alium hominẽ, & habitu vt hominem inuentum. *Philip.2.* Et iterum dicit Paulus, Christum per omnia fratribus similem fieri oportuisse, vt misericors fieret: *Hebr.2.* imò quia alij homines carnem & sanguinem habent, Christum etiam similiter illorum participem esse factum. Et hoc est cõtra primum errorem eorum, qui humanitatem Christi abnegant. Secundò dicit Matthæus, Christum aduersariis suis ad cogitationes eorum respondisse: imò vidisse cogitationes eorũ, remisisse paralytico peccata sua, atq; etiam corporaliter eum sanasse. *Argumẽta diuinitatis Christi.* Et hæc quid aliud sunt, quàm certa argumenta veræ diuinitatis in Christo? Certè nullus homo alteri in cor inspicere potest, peccata dimittere, & sanitatẽ cõferre, eo modo quo Christus talia fecit. Hoc pacto bonus Christianus etiam à secundo errore sese defendere posset.

Tertiò dicit Matthæus, ꝙ Christus ægroto homini peccata sua dimiserit, qui tamen antè per circũcisionem in fœdus Dei receptus erat: sed verò posteà relapsus in peccata, attamen pœnitens gratiam inueniebat & remissionem. Si ergo Deus etiã in veteri Testamento hominibus, qui post circũcisionem iterùm peccarunt, quotiescunq; ad veram pœnitẽtiã se cõferebant, peccata dimisit: quãtò magis hoc in nouo Testamento faciet, quod propriè tẽpus gratiæ vocatur, & quod Deus verè pœnitentibus promisit, hoc fore nouũ fœdus, ꝙ peccatis eorum propitius esse velit. *Hebr.3.* En, hæc contra errorem Nouati. Quartò dicit Mattheus, Christo ægrotũ curæ fuisse sup fidẽ eorũ qui illũ adducebãt. Vidẽs fidẽ illorũ, inquit. Ergo dubiũ nullũ est, quin Christus etiã infantes recipiat in suũ fœdus per baptismũ super fidẽ Ecclesiæ, & eorũ qui in- *Infantes in fide Ecclesiæ seruantur.*

fantes adducunt. Et præcipuè posteaquam videmus, quòd Deus etiã in veteri Testamento infantes æquè in suo fœdere habere volebat, atq; senes. Statuam pactũ meũ inter me &
Gene.17. te, & inter semen tuum (dicebat Deus ad Abraham) etiã infantibus signũ fidei & fœderis sui cõferri iubens: imò præcipiens sub magna pœna & sub amissione suæ gratiæ, fauoris
Ibidem. & æternę vitę. Masculus (inquit) cuius præputij caro circuncisa nõ fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Tum etiã
Mar.10. scimus ex Euãgelio, quod Christus dixit, Sinite pueros venire ad me, quoniam taliũ est regnũ cœlorum. Quin ipse complexus eos est, eisq; benedixit. Quòd si Christus eos habere vult, cur nõ etiã illis signũ Christianæ nostræ fidei, & pacti cũ Deo detur, æquè atq; infantibus in veteri Testamento da-
Ephe.2. batur? Imò si filij nostri naturâ sunt filij iræ, vti etiã nos oẽs, & tamen pertinemus ad regnũ Dei: certè ianua illis aperienda est. Atqui nulla est alia ianua ad regnũ cœlorũ, quàm ba-
Ioan.3. ptismus. Nisi (inquit Christus) renati fueritis ex aqua & Spiritu sancto, nõ videbitis regnũ Dei. Vide, hoc modo ex isto Euangelio etiã ab Anabaptistico errore quis tutus esse posset, per hoc quòd Christus etiã ad aliorũ hominũ fidẽ ægroti curã suscipit. Interim tamẽ monens, vt pro se etiã credat, quemadmodum id etiã à nobis requiritur: Super fidẽ enim sanctæ Christianæ Ecclesiæ, quæ nos ad Christum ducit, baptizamur: sed deindè quãdo adulti sumus, nosipsos etiã credere oportet. Quintò indicat Matthæus, quòd Christus nõ solùm ad paralyticum dixit, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: sed etiam, Surge, tolle lectum tuum, & vade
A vitiis abstinendum, &c. in domum tuam. Id quod certum argumentum est, quòd nõ solùm credere nos oportet, sed etiam à peccatis surgere, in via mandatorum Dei ambulare, & non cessare, donec domũ nostram & veram patriam assequamur. Nullo enim modo Christus vult, vt propterea tantò maiore cum leuitate ad peccata curramus, quandoquidem illa tam libẽter verè pœnitentibus dimittit, si rogetur. Nec vllo modo vult, vt ob id cessemus à bonis operibus, quandoquidem nos ad sua potissimùm merita remittit: imò nõ vult vt ex consolatione sua præsumptionẽ faciamus: spem nobis iniicere vult Christus, sed non inanem, non falsam, non præsumptuosam, non per-
Spes vana. uersam spem. Eam autem inanem & inutilem spem voco,
1.Ioan.2. vbi quis temporalibus fidit: nam mundus transit & concu-
Falsa. piscentia eius. Falsa spes est, vbi quis longam vitam sperat, cùm

cùm tamen vita nostra aliud nihil est, quàm vapor, & fumus ad modicum tempus apparens. Præsumptuosa spes est, vbi quis sperat, quòd se in senectute ad Deum & probitatẽ conuertere velit: cùm tamen Scriptura dicat Prouerb. 22. qui malo assueuerit, eum nec in senectute ad meliorem frugem venire, nihil magis quàm Aethiops suam nigredinem mutare potest. Peruersa autem spes est, vbi quis tantò plus peccat, quandoquidem audit, quòd Dei misericordia magna est: & tantò indiligentior ad bonum est, quandoquidẽ audit, quòd Christus pro nobis passus est. Eiusmodi spem docet nos Christus nullam, sed verã spem, quam homo haurit ex promissione Dei: sed tamen ita, vt omnibus iis studeat, per quæ spes illa promoueri potest. Atqui duo sunt, quæ eiusmodi nostram spem promouent & cõfirmant. Primùm sunt promissiones Dei: alterũ est obedientia diuinorũ mãdatorũ. Quando audio, quid nobis Deus promiserit, & facio eius voluntatem, eò melius sperare possum. Sic dicit etiam Ioannes: Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam. Et vnde hoc scimus? Ex promissione. Et vnde scimus, quòd promissio etiam ad nos pertinet? Ex viua fide. Sed quis dicit nobis, quando fides nostra viua & perfecta sit? Quando fratres nostros diligimus, hoc est, quando mandata Dei seruamus. Hîc vides, quòd etiam obseruatio diuinorum præceptorũ spem promouet. Quapropter haud malè dictum est quod Patres nostri dixerunt, spem esse certam expectationẽ futuræ beatitudinis, quæ expectatio veniat & oriatur ex gratia Dei, & meritis propriis seu bonis operibus. Aliqui hanc descriptionem reiicere quidẽ conantur, quandoquidẽ meritorum bonorum operum in ea fit mentio. Et tamen cõfiteri eos oportet, quòd homo frustrà credit & sperat, qui vsq; proteruus in inobedientia diuinorum præceptorum manet & perseuerat. Ad hos enim dicit Christus: Quousq; dicitis mihi, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis? Nescio vos: discedite à me omnes operarij iniquitatis. Non satis est, vt dicat quis, spero fore, vt saluus fiam, quandoquidem Christus felicitatem nobis acquisiuit. Ad iter nos etiã paremus oportet, quæ ad felicitatem ducit. Alioqui diu speres licebit, vt Maguntia Basileam venias, si retrò abeas Coloniam versus. Quamobrem (inquam) Christus veram spem docuit, & non peruersam præsumptionem. Dixit quidem, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: sed mox subiecit, Surge, tolle lectũ tuũ, & va

Iacobi 4.
Præsumptuosa
Hiere. 13.
Peruersa.
Spem duo confirmãt.
1. Ioan. 3.
Catholica spei definitio defenditur.
Matth. 7.
Luc. 13.
In præsumptionem nouorum Christianorũ.

& vade in domum tuam. Remittebat ei peccata, sed nolebat, vt diutiùs iaceret, vbi anteà iacuerat. Remittit etiam nobis peccata pœnitentibus: cæterùm non vult, vt in peccatis maneamus. Proindè quoque nos facere oportet, quemadmodum personæ in hodierno Euangelio fecerunt. Is ipse ad quem dicebatur, Cōfide fili, &c. tollit lectum suum, & est obediens: ij ipsi qui talem fidem habebāt in Christum, quòd auxiliari posset, talem etiam exhibebant charitatem erga ægrotum, vt eum ad Christum deportarent. Is ipse populus qui miraculum videbat, incipiebat etiam Deum glorificare. Is ipse Euangelista, qui vnum scribit, scribit etiam alterum. Si ergo Christiani esse volumus, certè vnum nobis æquè placere debet, atque alterum. Hoc facit veros & perfectos Christianos. Et hoc vult etiam Paulus in hodierna Epistola. Renouamini (inquit) spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis, &c. Sed de hoc aliàs. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

QVARTVS SERMO DE Euangelio in genere.



CIRCA Euangelium istud hodiernū rursum inuenitur, quemadmodum etiam aliis temporibus dixi: nimirùm quòd qui verus Christianus esse velit, & in via salutis non errare, eum oportet Christianam nostram doctrinam non particulatim accipere, sed totam: siquidē omne vnum Euangelium est, & vnus Christus, qui omnia & singula in eo locutus est. Est quidem hodiernū istud Euangelium supra modum consolatoriū, quandoquidem Christus miserū & ægrotum non solùm amicè alloquitur, sed eum etiam clementer sanat: & non solùm in corpore, sed etiam in anima. Sed miserandum hoc est, & vehementer deplorandum, quòd aliqui homines Euangelio isto tam perniciosè abutuntur: imò ꝙ occasionem indè accipiunt omnis leuitatis. Quia enim audiunt, ꝙ Christus paralytico peccata sua tam faciliter remittit, putant eum semper ita facere oportere. Et quia audiunt, quòd populus apud miraculum istud nihil aliud fecit, quàm quòd Deum glorificabant, qui hominibus talem potestatem dedit: existimant nihil etiā à se requiri aliud, quàm vt Deū & gratiam eius prædicent, Ad quam rem nō parùm faciunt insulsi

Vero Christiano quid agēdū

In eos qui Euāgelio abutuntur.

insulsi quidam prędicatores, qui nihil aliud dicunt, quàm de fide tantùm, de remissione peccatorũ, & de Dei gratia: imò nihil faciunt aliud, quàm quòd conscientias consolantur, perindè ac si illud solùm prædicandum sit, & nihil aliud. Quod cùm homo carnalis audit, libenter accipit: & putat deindè, non esse aut dici Euangeliũ, nisi quod de gratia, fide & remissione peccatorũ loquitur. Hinc fit, ꝙ nulla amplius peccata curantur: pœnitentia, bona opera, & emendatio vitæ seponatur, & sine omni formidine aut cõsciẽtia ad malũ curratur, &c. Summa, hoc sibi persuadent, ꝙ Euãgeliũ ita clarè habeãt, ita vt nunquã clariùs & meliùs habuerint, cùm nõ nisi mancũ admodũ illud habeãt. Etenim remissionẽ peccatorũ prædicare, nõ est totũ Euãgeliũ & doctrina Christi, sed pars solummodo. Ita etiã gratiam Dei glorificare, nõ est totus Christianismus, sed pars tantùm Christianæ vitæ. Idcircò fallimus nosipsos, & abutimur isto Euangelio. Certũ quidem & verum est, quòd iussit prædicari in nomine suo remissionem peccatorum in omnes gentes, sed pœnitentiam præmisit. Ita quoq; certissimum est, quòd Apostolis potestatem dedit soluendi peccata & remittendi: sed non hoc tantummodo, verùm etiam potestatem eis dedit peccatores ligandi, & peccata retinendi. Sic etiam certum est & verum, quòd Christus peccatores humaniter allocutus est, sed non semper: imò quandoque valde duriter eos est allocutus, vt cumprimis in Matthæo & aliis locis videre est. Ita etiam certum & verum est, quòd fidelis Samaritanus, Christus, vulnerato homini oleum in vulnera eius infudit: sed non solum oleum, verumetiam vinum. Sic etiam certum & verũ est, quòd Christus huic paralytico sua peccata absque pręuia externa pœnitentia & confessione remisit: quemadmodum etiam nobis omnibus fecit initiò in baptismo. Sed non ita facilè dimittit mortalia peccata, si in ea relabimur post primã baptismi remissionem: vti Paulus dicit, Impossibile esse eos qui semel sunt illuminati, gustauerũt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum sibimetipsis crucifigentes filiũ Dei, & ostentui habentes. Et iterum dicit Paulus: Voluntariè peccantibus nobis post acceptã notitiam veritatis, iam nõ relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autẽ quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ

Fructus Neochristianorum.

Luc.24.
Matth.16.
Luc.10.
Hebr.6.
Hebr.10.

quæ consumptura est aduersarios &c. Attamen hæ duæ sententię Pauli nõ ita intelligẽdę sunt, sicuti Nouatiani intellexerũt: nimirùm quòd ij, qui post baptismum in peccata iterum prolapsi sunt, nullam gratiã consequi amplius possint. Nequaquam: non est hæc mens Pauli. Hoc autem vult Paulus, quòd tales homines nõ tã facilè remissionẽ peccatorum consequantur, vt antè. Imò quòd illis neq; baptismus, neque pretiosus sanguis Christi proderit, nisi pœnitẽtiã agãt. Postremò etiã verissimũ est, quòd Christianismus noster à nobis postulat, vt Deo gratias agamus eiúsque gratiã prędicemus, qui nobis tã magna fecit & exhibuit per Christũ. Sed postulat à nobis Christiana nostra doctrina etiam alia, quemadmodùm passim in Euangelio reperitur & videtur. Hoc propterea pro initio huius cõcionis dicere volui, quò minùs à vero discedamus, & nos ipsos frustrà consolemur. Nunc etiam Euangelium latiùs disquiremus. Et primò certum est, quòd Euangelium istud in progressu suo multò plus habet & confert, quàm in ipso ingressu quis existimare au sperare possit. Ascendens in nauiculã (inquit Matthæus) transfretauit. Hoc initium est istius Euãgelij, exile prorsus & humile: loquitur de Christo ceu de alio homine, qui nauibus seu põtibus opus habet, aquã trãsmissurus. Sed quid magni de Christo quis expectare possit, quandò audit, quòd etiam Christus trãsfretat in nauicula? Quid aliud videmus in hoc, quã quòd homo sit? Sed quid purus homo per se magni præstare potest? Quid vsq; adeò in puro homine cõfidere possumus? Multò magnificẽtiùs dictũ esset, si principiũ ita fuisset positum, Et Iesus stabat, & ibat trans fretũ. Hęc (inquam) verba multò fuissent magnificẽtiora: multò ea res maiorem authoritatẽ habuisset, si versus ciuitatẽ iuisset in mari, maiorẽ id spẽ præbuisset: nemo isthic dubitare potuisset, quin aliquid amplius esset q̃ homo. Iã verò vehitur nauicula, sicut alij homines, perindè ac si nihil aliud esset, quã homo, & nihil ampliùs posset quã alius homo potest. Istud ergo est simplex & humile principiũ istius historię. Sed nihil hoc Christianũ mouere debet. Progressus huius historiæ longè alius erit. Imò isthic non solũ audies, sed etiã videbis, q̃ Christus etiã verus Deus est. Atque eius rei nõ vnũ, sed triplicia argumẽta habebis. Primò, quòd peccata dimittit. Secũdò, quòd, cogitationes cordiũ videt. Et tertiò, quòd paralyticũ vno verbo sanat. En, hoc sequitur in ista historia ad simplex eius initium

Matth. 9.

Christus homo & Deus.

tium. Sed quid posset maius & sublimius de Christo dici? Quis credidisset, quòd homo qui tam humilis aduehitur, tam cito, tam palam & tam efficaciter declararet, ꝙ verus Deus esset? Idcirco non frustrà docet in Euangelio, ne secundum faciem & externam speciem iudicemus. Eia frater, non erat hæc sententia, vt Christus diuinam suam potentiam omnibus in rebus, omnibus in locis & omni tempore ostenderet. Nec è re nostra fuisset: etenim nemo hic credere potuisset, ꝙ etiã homo esset. Inuenti tamen sunt etiã hæretici, qui dixerunt eum non fuisse hominem: & tamen tam multipliciter declarauit, edendo, bibendo, dormiendo, ambulando, sentiendo lassitudine, flendo, patiendo, nascendo & moriendo. Quid futurum fuisse censemus, si talium rerum nihil in eo apparuisset, sed nihil aliud quàm mera diuina potentia? Nequaquam. Christus alium spiritum habet quàm mundus. Is omnibus in rebus sese ostentat & exerit: ideò solùm profert quod magnum & illustre est, occultat quod infirmum est, & deforme. Si quis potentiam habet, ea palàm sit omnibus oportet, nusquam non sese ostentat: & omnes homines scire eam & videre coguntur, ita vt se hominem esse quis obliuiscatur quãdoq;. Christus autem non ita facit: suam diuinam potentiam non ostendit, nisi vbi necesse est, & vbi honor Dei, aut hominum salus & vtilitas requirit. Alioqui in omnibus aliis rebus loquitur & facit sicut homo. Sic nobis etiam necessarium erat, vt vtranque hanc naturam in illo videremus sciremúsq;, ne quis dubitaret, quin verè sit mortuus tanquam homo, & verè ex mortuis resurrexerit, tanquam verus Deus. Quæ enim alioqui nostra spes esset, si alterum horum defuisset? Nisi enim mortuus fuisset, adhuc hæreremus in peccatis: nisi porrò à mortuis resurrexisset, adhuc dominium in nos haberet mors. Quomodo verò mori potuisset, si tãtummodo Deus, & non etiam homo fuisset? E diuerso, quomodo sese à morte eripere potuisset, si homo tantùm, & non etiam Deus fuisset?

Ioan. 6. *Mundi spiritus.* *Christi humilitas.* *1. Cor. 15.*

En propterea Christus non semper & in omnibus rebus diuinam suam potentiam, sed preterea etiam humanam infirmitatem ostendit. Quàm potenter ægrotum sanare poterat, tam quoq; potenter aquam transire potuisset, nec opus habuisset naui. Sed oportebat eum & volebat humanitatem suam æquè ostendere & declarare, atq; diuinitatem suam, eade causa, qua modo dixi. Et ob id vtrunq; Matthæus de-

scripsit. Ascendens (inquit) Iesus in nauiculam: hic vides hominem. Remittuntur tibi peccata tua, Surge, & sanus esto: hic vides Dei potentiã. Nemo enim dimittere peccata preter Deum potest. Ego sum (inquit in Isaia) qui deleo iniquitates tuas. Ita etiam nemo vno verbo sua virtute morbos & mortem pellere potest. excepto Deo. Is solus tam potẽs est, vt verbo suo omnia efficiat. Illius sermo est illius opus. Illius verbum est omnipotens, illius sermo viuidus & efficax. Illius verba sunt spiritus & vita. At vide iam, quid hæc historia nobis solatij præbeat. Annon res tota læta est scire, ꝙ Christus Deus est? & talis Deus, qui in anima & corpore auxiliari possit? & præterea etiam homo est, ad quem pia cum fiducia ausimus accedere & currere, eúmq; feruenter inuocare? Hoc vnum est, quod in isto Euangelio considerandum est. Deindè etiam in eo indicatum est, quòd Christo iterum lis est cum Iudaicis Pharisæis. Quò magis consolatorem sese Christus exhibebat, hòc magis illi indignabantur: quò apertius loquebatur, hòc magis excæcabantur: quò amiciùs agebat, hòc deteriores fiebant. Hec tribus continuis Dominicis audiuimus. Mirum hoc alicui videri possit in talibus hominibus qui tanti nominis, scientiæ & autoritatis erant, nisi Christus ipse causam indicasset. Ego (inquit) veni in mundum, vt cæci videant, videntes autem cæci fiant. Dei iudicium (inquam) animaduersio & plaga eis incumbebat, ꝙ lumen scripturæ habentes, neq; tamen verbis & operibus Christi gaudebant, neq; emendabantur, ex quibus nos, qui aliquando cæci eramus, tantum boni videmus, tam exhuberans solatium haurimus adhuc in hodiernum. Illis erat fastidium, abominatio, blasphemia, quod Christus loquebatur & faciebat: nobis autem spiritale gaudium est, solatium, & diuina salus. Hic blasphemat (clamabant) cùm Christus diceret, Tibi remittuntur peccata tua. Nos gratias Deo agimus, quibus tale verbum audire datur, & quòd Deus talem potestatem in terris dedit ac reliquit. Et videtur nobis ꝙ simus eius rei sic satis certi: nec Euangelium istud aliter accipimus, quàm si Christus adhuc in hodiernũ diẽ visibilis corã nobis staret, ac diceret: Ego sum salus populi mei, in quacunq; die inuocauerint me & ad me clamauerint, exaudiam eos, & ero Deus eorũ in æternum. Et si hoc vnquàm ostẽdit, in hac historia id ostensum est. Quatuor sunt, quæ nos omnium maximè grauant & premunt. Primum est externa

Esa. 43. *Psal. 148.* *Heb. 4.* *Ioan. 6.* *Ioan. 9.* *Quatuor nos prementia.* *1.*

terna aduersitas. Alterum est mala conscientia. Tertium est, II.
quòd in horum nullo nobis ipsis auxiliari possumus. Quar- III.
tum est, ꝙ etiam quandoq; & sæpenumero dubitamus, num IIII.
Deus auxiliari velit. Sunt hæc quatuor grauia onera, semper aliud alio grauius. Externa afflictio tam multifaria est, vt omnes pariter sub illa gemamus, aut in ea succumbamus, animúmq; despondeamus. Sed nihil sunt hæc omnia ad malam consciētiam, ea angit & grauat multò plus: imò totum orbem homini nimis angustum facit, vti videmus in Cain. *Gen. 4.* Facitq; homini omnia, omne bonum, gaudium & iucunditatem huius mundi acerbam. Tum autem premunt illa duo omnium grauissimè, quando homo non solùm nullum solatium inuenit apud homines, sed videtur sibi etiam à Deo derelictus. Iam verò Euangelium istud in his rebus omnibus consolari nos posset. *Remedium afflictionis externæ.* Etenim primò, contra externam crucem, tribulationem & aduersitatem, hoc solatij habemus, ꝙ Deus omnia eiusmodi incommoda tollere posit, sicubi ad Dei honorem & nostram salutem inseruiat. *Malæ consciētiæ.* Cōtra malam conscientiam hoc habemus solatium, ꝙ Christus paralytico, sed tamen pœnitēti, peccata sua remittit, ídq; sine præcedentibus meritis: & ꝙ externo signo declarat, quòd potestatem habeat dimittendi hominibus peccata. *Nostræ infirmitatis.* Contra nostram insufficientiam, quòd nobis ipsis auxiliari non possumus, hoc solatium habemus, quòd Deus fidem respicit eorum, qui pro nobis orant. *Pusillanimitatis.* Contra pusillanimitatem, ꝙ interdum etiam dubitamus, num Deus nobis auxiliari velit, hoc solatium habemus, ꝙ Christus paralyticum tam amicè alloquitur: nominat illum filium, iubet illum esse bono animo & spe, ídq; in primo ingressu, mox vt eum videbat, priusquàm ore rogabat eum, & inuocabat. Confide fili (inquit) perinde ac si dicat: Qui gratiam expetit, is doleat quidem ex animo se peccasse, sed tamen bonam fiduciam habeat. Tantò enim is plus gratiæ accipiet, quantò ardentius dilexerit, & latius gremium suæ spei & fiduciæ extenderit. Etenim Deus, qui omnium rerum dominus est & cōditor, adeò diues est & superabundans in gratia & bonitate, vt ab eo omnia impetrare posimus, quantumuis magna, si fidem, spem, & charitatem nostrā extendere posimus. Non enim mentietur in eo, quod dixit: Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit. *Deut. 11.* Et hoc est, quod etiā Isaias multò antè prędixit: Lætabitur deserta & inuia, & exultabit so- *Esa. 35.*

litudo, &c. Et postea; Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate, Dicite pusillanimis, Confortamini & nolite timere: ecce Deus vester vltionem adducet retributionis, &c. Hæc omnia videmus in isto Euangelio. An non igitur iustam causam haberemus cum S. Paulo manus
2. Cor. 1. nostras tollendi in cœlum, & dicendi; Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo, &c. Quid esset nostra vita, si hac consolatione careremus? Quàm infelices homines sunt, qui id non sciunt aut considerant? Quàm verò reprehensibile est præsens seculum, quod ista scit & videt, sed ad nullum bonum iis vtitur, sed solùm ad mala? Si nobis Deus dat sanitatem corporis, tantò sumus petulantiores & propensiores ad omne malum.
Vt Dei bonitate abutamur. Si audimus Christum tam facilè peccata dimittere, putamus id semper ita fieri oportere: parui ob id peccata facimus, contemnimúsq; pœnitentiã. Aliqui in aliis tantùmodo hominibus spem suam ponunt; quia huic paralytico successit, existimant se etiam sine propria sua oratione & labore saluos fieri posse. Alij putant, quoniam Christus dixit, Confide fili: se filios Dei esse, quantumcunq; improbam & incõpositam agant vitam. Sed vbiq; erratum est. Nimis parum & nimis multum, perdit omnem ludum. Deus nobis non ideò felicia tempora, vt tantò plus peccemus: sed vt tantò liberius ei seruire possimus. Nec ideò Christus peccata tam faciliter remisit, vt super tali gratia peccemus. Non.
Matth. 4. Scriptum est, Pœnitentiam agite. Sic etiam verissimum est, quòd homo pro homine orare possit. Sed ob id nemo tantò negligentior fieri debet ad orandum etiam pro seipso. Sic verissimum est, nos vocari filios Dei, & sumus etiam, vti Ioannes dicit: & hoc nomine quoq; multis in locis sacræ Scripturæ monemur, vt fiducialiter speremus: veruntamen talis nostra spes nunquam vera esse & certa poterit, quandiu in peccatis mala conscientia iacemus. Quapropter res vndiquaque verè inspicienda est. Solatij satis supérque habemus ex hoc & aliis Euangeliis: saltem videamus, ne abutamur. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

DOMINICA VICESIMAPRIMA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM MATTH. XXII. CAP.

LOquebatur Iesus cum discipulis suis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & emisit seruos, vt vocarent inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Rursus emisit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, & tauri mei, & altilia mea mactata sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cùm audiuisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitates illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Ingressus autem Rex, vt videret discumbẽtes, vbi vidit illic hominẽ nõ vestitũ veste nuptiali, ait illi: Amice quomodo huc intrasti, nõ habẽs vestẽ nuptialẽ? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus & manibus eius, mittite eũ in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. *Mar.12.*

tatē viciſſim ab ea requirit:fidelitatē,ne alteri adhæreſcāmus:charitatē,vt illi ſoli adhæreamus. Sed obſerua,ꝙ illa duo cōiungit,quia vtraq; ad nuptias pertinēt.Quales enim alioqui nuptiæ eſſent,ſi alterū horū vel vtraq; deeſſent? Vbi nulla fides eſt inter cōiuges,ibi nullū cōiugiū eſt,ſed adulterium. Vbi nulla charitas eſt,ibi nulla pax. Quapropter hæc duo cōiūgi oportet.Cōiugibus nō ſatis eſt,vt ſibi inuicē fidant & credāt,niſi quoq; ſeſe mutuò diligāt. E diuerſo quoque nō ſatis eſt,vt ſe inuicē diligāt,niſi ſibi inuicē quoq; fidē præſtēt.Itidē quoq; res nobiſcū habet. Deus (vti dixi) fidelitatē nobis & charitatē præſtitit,eā'q; à nobis exigit. Per fidē venim⁹ ad nuptias,per charitatē deo fruimur.Fides viua nos copulat Deo:charitas nos facit inhærere Deo. Et hæc duo cūprimis diſcenda ſunt circa hodiernū iſtud Euangeliū.Id'q; nō temerè dico.Ferè enim ſemper aliqd in altero deſit,vt rarò ſimul ſint. Iudæis deerat fides in Chriſtū:nobis pro maiore parte deeſt charitas. Illi venire excuſabāt: nos venimus quidē,ſed ita nos gerimus,vt timēdum ſit,ne maior pars eiiciatur iterū. Quid ita? Credimus qdē & venimus ad nuptias,ſed non habemus charitatē,id eſt,veſte nuptiali nō ſumus induti. Verū quorſum attinet,te in prandio eſſe,ad cœnā autē venire nō poſſe:imò eiici antequàm cœna incipiat? Quorſum attinet,te hic per fidē ad ſanctā Chriſtianitatem admitti,ſi ab æterna cœna ob charitatis defectū excludare? Fratres,nō agitur nobis ſolū de prādio:plus nobis ſitū eſt in cœna. Beati (inquit Ioānes) q ad cœnā agni vocati ſunt. A prādio,hoc eſt,à gratia,q̄ nobis in hac vita offertur, excludi qs iterū poteſt:imò nō vnus,ſed plures.multi enim vocati ſunt,ſed pauci electi. A cœna autē,hoc eſt,à felicitate futuræ vitæ nemo eiicitur,ſed quiſquis eā aſſequit,æternū eā poſsidet. Gratiā huius tēporis amittere iterū poſſumus: cæterū quiſquis æternā cōſequitur felicitatē,æternū beatus manet. Quapropter nō ſufficit nos vocatos eſſe & veniſſe ad prādiū,& ad gratiā huius tēporis:videre nos oportet,vt venire etiā poſsimus ad cœnā,hoc eſt,ad gloriā futuræ vitæ. Tum autē de cœna certus eris,ſi in prandio,vti decet,te geras. Tū autē felicitate nō fruſtraberis,ſi gratia hic benè vtare. Iudæi ad prādiū venire nolebant,hoc eſt,ad gratiā,quā illis Chriſtus hîc offerebat. Quoties (inquit) volui cōgregare filios tuos,quēadmodū gallina cōgregat pullos ſuos ſub alas,& noluiſti? Eccè relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Imò

Charitas veſtis nuptialis.

Apoc.19.

Matt.28.

Matt.23.

ta, Imò propterea sentẽtia in eos lata & pronũtiata est, ne quisquã eorũ cœnã Dei gustet. Venimus qdã ad prandiũ, & ad gratiã quã Christus hic nobis offert in Euãgelio: sed non cogitamus de nuptiali veste, nẽpe de charitate, de pia cõuersatione: ob hoc sæpæ eiicimur, vt æternæ felicitatis participes nõ fiamus. Quẽadmodũ Iudæi suæ condẽnationis culpã nemini imputare possunt, quã sibi ipsis & ingratitudini suę: Sic etiã nos cõdẽnationis nostræ culpã attribuere nemini possumus, quã nobis & nostræ leuitati. Et ob id, quẽadmodũ olim Danielis socij in persona totius populi Iudaici dicebant: Dñe omnia quæ nobis fecisti, in vero iudicio fecisti: quia peccauimus, & præcepta tua nõ obseruauimus, &c. Itidem & nos facere oportet: fateamur necesse est, omnes eos qui condemnãtur, iusto Dei iudicio ob peccata sua cõdẽnari. Atq; hic nobis nihil reliqui est, quã vt emẽdemus nos, & oremus, & dicamus ad Deũ, Domine nomini tuo da gloriã, & fac nobis secundũ multitudinẽ miserationũ tuarũ. Tantũ in genere admonitionis more de hoc Euangelio. Nũc autẽ videbimus quid etiã aliàs doctrinæ in eo nobis detur. Et primò potest prudens & intelligens quiuis facilè ex eo cognoscere, q̃ Christus verã conditionẽ, quã pater erga filium suũ declarat, etiã in nos declarauerit. Atqui videmus, q̃ pater qui charos liberos habet, nihil intentatũ relinquit, quo sperat se suos liberos ad honorẽ & virtutẽ perducturũ. Docet, hortatur, orat, obsecrat, dat & promittit, minatur, & verberat. Quæ omnia si nihil prosunt, filiũ foras eiicit, significans se nolle esse illi patrẽ ampliùs, nec eũ filiũ dici debere, nec paternæ hæreditatis participẽ fore. Atq; tum paterna seueritas omniũ vehemẽtissima est. Sed nõ peruenit eò, nisi aliis omnibus priùs tentatis. Quisquis ergo hodiernũ Euãgelium inspicit & cõsiderat, quando Christus talia verba sit locutus, videbit Christum talẽ patrẽ fuisse. Matthæus parabolã hanc penè in fine scribit: indicauitq; antè ab initio per omnia capita, quã humaniter Christus inter Iudæos versatus sit, quã diligenter docuerit, quã benignè sit illis opitulatus, quã seuerè illos monuerit, quã amicè illos ad suã gratiã vocauerit, quã fideliter illos sit adhortatus, quã horribiliter sit illis interminatus. Agè in isto Euãgelio ad summũ peruenit & ad extremũ: quia nihil horũ in illis proderat, minatur eis fore, vt domo Dei eiiciantur & exhæredentur, & deindè etiã miserè pereant: & nõ iis tantũ eorúmq; similibus,

Matt.11.

Christus vt se patrem erga nos declarat.

qui nullá Dei vocationẽ,& admonitionẽ audire volunt:sed etiã nobis & omnibus iis,qui iam audiunt & accipiunt,sed non secundũ illá faciunt. Sed quomodo pater filiũ magis punire potest,quã si eiiciat illũ & exhæredet? Quid horribilius, quã si quis in domo Dei locũ nõ habet,& in Dei hæreditate & bonis nullá partẽ? Atqui Christus id apertè interminatus est. Qui primi vocati fuerãt,venire recusabant,vndè postea penitus traditi sunt obliuioni. Alius ingerebat se,sperás se mãsurum in hæreditate:sed quia non veniebat tanquàm filius,cum probro iterũ & æterno suo dáno eiiciebatur. Fratres,seuerum est Euangelium:videtur quidem esse simplex parabola & similitudo & nihil præterea:verè autem plenum est Christiana doctrina. Etenim primò videmus in eo, quòd Deus non solùm antequàm nos vocauit,sed etiã antequàm nos creauit,omnia præparauit que ad salutẽ nostram necessaria erãt:idque sine precedenti nostro merito,ex mera gratia. Secundò,videmus in hac similitudine,quòd Deus non solùm Iudæos,sed etiã Gentes vocauerit,vt certè excusare se nemo posit. Nunquid enim nõ audiuerunt? inquit Paulus. hoc est,quis dicere potest,se non audiuisse? Enim verò sonus Apostolorum in omnẽ terrã exiuit,& verba eorum penetrauerũt vsq; in fines orbis terræ. Tertiò,videmus in hac similitudine,ꝙ solicitudo de tẽporalibus,etsi non omnino reprehendenda,est tamẽ certum impedimentum in spiritualibus,si altiùs radices agat. Væ illi (inquit Propheta) qui multiplicat non sua. Vsquequò & aggrauat contra se densum lutum? Quartò,videmus in hac similitudine, quòd Iudæorum incredulitas & durities causa fuit nostræ vtilitatis & salutis. Quoniã enim Euãgeliũ Christi recipere nolebãt,& ad nuptias Christi venire,Apostoli ad nos sese verterunt. Et hoc etiã indicat Paulus multis verbis in Epistola ad Romanos,inquiens ex casu Iudæorum Gentibus salutem contigisse, & Iudæorum diminutionem esse mundi diuitias: imò amissionem eorum esse reconciliationem nostram. Quintò,videmus hîc,quòd Christiana Ecclesia & communio, vti nunc est,bonos & malos homines in se complectitur. Itaque frustrà est,quòd opinãtur aliqui Christianitatem ita instituere,vt nihil mali in ea relinquatur. fugiunt ex veteri Ecclesia,eò quòd multos malos homines in ea conspiciant, propriam sibi Ecclesiam & cõgregationẽ faciunt:vident & experiuntur quotidiè,ꝙ improbi æquè sese

Rom.10. *Psal.11.* *Habac.2.* *Acto.13.* *Rom.11.* *Ecclesia bonos malósque complectitur.*

ſeſe ingerunt, atque in veterẽ Eccleſiam & cõgregationem. Enimuerò Chriſtus regnum cœlorum ſanctam Chriſtianitatem non ſine cauſa comparauit reti, horreo ſeu areę & agro. Atqui videmus, ꝙ rete piſcatorio mali piſces æquè capiuntur, atq; boni. Et creſcit in agro lolium æquè atque bonum ſemen. Tum etiam palea & ſtramen non minus in horreum deportatur, atq; triticũ. Sic etiam hoc loco ſcriptũ eſt, quòd ſerui bonos & malos homines ad nuptias adducebãt: & Rex ipſe inueniebat quendã in menſa ſua, ad eam nõ pertinentem. Nunquã Chriſtiana Eccleſia ita mundabitur, quin ſemper in ea mali homines inuenientur. In tempore meſsis (inquit Chriſtus) dicã meſſoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendũ, &c. Tum angeli exibunt, & omne ſcandalum ex regno Dei tollent. Interea temporis boni malis miſti ſunt, donec iudex venerit, qui ſegregabit eos, quemadmodum paſtor oues ab hœdis ſeparat, &c. Sextò, videmus in hoc Euãgelio, nõ ſimplicem & otioſam eſſe fidẽ, quæ nos ſaluos faciat, ſed fidẽ quæ per charitatem operetur. Alioqui ſi quælibet fides ſufficeret ad ſalutem, nemo vnquam eiiceretur. Sed hîc multò aliud vides.

Matth. 13. *Matth. 22.* *Matth. 13.* *Matth. 25.* *Fides viua.*

Poſtremò videmus in hac ſimilitudine, ꝙ Deus nõ ſolùm miſericors, ſed etiã iuſtus eſt. Quapropter nemo fretus miſericordia Dei, peccare debet, pœnitentiam ſuã differre, aut gratia Dei abuti. Miſer homo de quo in Euangelio audiuimus, ſimiliter opinabatur, quia eũ Rex tam clemẽter vocauerat & intromiſerat, nihil referre, quomodocũq; deinceps viueret, aut qualiſcũq; inueniretur. Sed lõgè alius exitus erat. Amice (inquit) quomodo huc veniſti, veſtem nuptialẽ nõ habẽs? Et poſtea: Manus & pedes ei ligate, & proiicite eum in tenebras exteriores, &c. Hec admonitionis loco eſſe nobis debet: ideo enim ſcriptũ eſt. Atq; hoc modo arbitror vnumquemque videre poſſe, quantum nobis Euangeliũ iſtud conſiderandum præbeat. Bonus quiſque Chriſtianus id ſeriò ad animum reuocet. Deus det nobis ſuam gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO itidem de Euangelio in genere.



PARABOLA & ſimilitudo iſtius Euangelij (ſi rectè conſideretur) nihil aliud eſt, quàm breuis quædam comprehenſio totius ſacræ Scripturæ: id quod indicatu facile eſt. Hoc enim omnes fateant oportet,

& vade in domum tuam. Remittebat ei peccata, sed nolebat, vt diutiùs iaceret, vbi anteà iacuerat. Remittit etiam nobis peccata pœnitentibus: cæterùm non vult, vt in peccatis maneamus. Proindè quoque nos facere oportet, quemadmodum personæ in hodierno Euangelio fecerunt. Is ipse ad quem dicebatur, Cōfide fili, &c. tollit lectum suum, & est obediens: ij ipsi qui talem fidem habebāt in Christum, quòd auxiliari posset, talem etiam exhibebant charitatem erga ægrotum, vt eum ad Christum deportarent. Is ipse populus qui miraculum videbat, incipiebat etiam Deum glorificare. Is ipse Euangelista, qui vnum scribit, scribit etiam alterum. Si ergo Christiani esse volumus, certè vnum nobis æquè placere debet, atque alterum. Hoc facit veros & perfectos Christianos. Et hoc vult etiam Paulus in hodierna Epistola. Renouamini (inquit) spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis, &c. Sed de hoc aliàs. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

QVARTVS SERMO DE *Euangelio in genere.*

Vero Christiano quid agēdū



IRCA Euangelium istud hodiernū rursum inuenitur, quemadmodum etiam aliis temporibus dixi: nimirùm quòd qui verus Christianus esse velit, & in via salutis non errare, eum oportet Christianam nostram doctrinam non particulatim accipere, sed totam: siquidē omne vnum Euangelium est, & vnus Christus, qui omnia & singula in eo locutus est. Est quidem hodiernū istud Euangelium supra modum consolatoriū, quandoquidem Christus miserū & ægrotum non solùm amicè alloquitur, sed eum etiam clementer sanat: & non solùm in corpore, sed etiam in anima. Sed miserandum hoc est, & vehementer deplorandum, quòd aliqui homines Euangelio isto tam perniciosè abutuntur: imò ꝙ occasionem indè accipiunt omnis leuitatis. Quia enim audiunt, ꝙ Christus paralytico peccata sua tam faciliter remittit, putant eum semper ita facere oportere. Et quia audiunt, quòd populus apud miraculum istud nihil aliud fecit, quàm quòd Deum glorificabant, qui hominibus talem potestatem dedit: existimant nihil etiā à se requiri aliud, quàm vt Deū & gratiam eius prædicent, Ad quam rem nō parùm faciunt insulsi

In eos qui Euāgelio abutuntur.

insulsi quidam prędicatores, qui nihil aliud dicunt, quàm de fide tantùm, de remissione peccatorũ, & de Dei gratia: imò nihil faciunt aliud, quàm quòd conscientias consolantur, perindè ac si illud solùm prædicandum sit, & nihil aliud. Quod cùm homo carnalis audit, libenter accipit: & putat deindè, non esse aut dici Euangeliũ, nisi quod de gratia, fide & remissione peccatorũ loquitur. Hinc fit, ꝙ nulla amplius peccata curantur: pœnitentia, bona opera, & emendatio vitæ seponatur, & sine omni formidine aut cõsciẽtia ad malũ curratur, &c. Summa, hoc sibi persuadent, ꝙ Euãgeliũ ita clarè habeãt, ita vt nunquã clariùs & meliùs habuerint, cùm nõ nisi mancũ admodũ illud habeãt. Etenim remissionẽ peccatorũ prædicare, nõ est totũ Euãgeliũ & doctrina Christi, sed pars solummodo. Ita etiã gratiam Dei glorificare, nõ est totus Christianismus, sed pars tantùm Christianæ vitæ. Idcircò fallimus nosipsos, & abutimur isto Euangelio. Certũ quidem & verum est, quòd iussit prædicari in nomine suo remissionem peccatorum in omnes gentes, sed pœnitentiam præmisit. Ita quoq; certissimum est, quòd Apostolis potestatem dedit soluendi peccata & remittendi: sed non hoc tantummodo, verùm etiam potestatem eis dedit peccatores ligandi, & peccata retinendi. Sic etiam certum est & verum, quòd Christus peccatores humaniter allocutus est, sed non semper: imò quandoque valde duriter eos est allocutus, vt cumprimis in Matthæo & aliis locis videre est. Ita etiam certum & verum est, quòd fidelis Samaritanus, Christus, vulnerato homini oleum in vulnera eius infudit: sed non solum oleum, verumetiam vinum. Sic etiam certum & verũ est, quòd Christus huic paralytico sua peccata absque pręuia externa pœnitentia & confessione remisit: quemadmodum etiam nobis omnibus fecit initiò in baptismo. Sed non ita facilè dimittit mortalia peccata, si in ea relabimur post primã baptismi remissionem: vti Paulus dicit, Impossibile esse eos qui semel sunt illuminati, gustauerũt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum sibimetipsis crucifigentes filiũ Dei, & ostentui habentes. Et iterum dicit Paulus: Voluntariè peccantibus nobis post acceptã notitiam veritatis, iam nõ relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autẽ quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ

Fructus Neochristianorum.

Luc.24.

Matth.16.

Luc.10.

Hebr.6.

Hebr.10.

quæ consumptura est aduersarios &c. Attamen hæ duæ sententię Pauli nō ita intelligēdę sunt, sicuti Nouatiani intellexerūt: nimirùm quòd ij, qui post baptismum in peccata iterum prolapsi sunt, nullam gratiā consequi amplius possint. Nequaquam: non est hæc mens Pauli. Hoc autem vult Paulus, quòd tales homines nō tā facilè remissionē peccatorum consequantur, vt antè. Imò quòd illis neq; baptismus, neque pretiosus sanguis Christi proderit, nisi pœnitētiā agāt. Postremò etiā verissimū est, quòd Christianismus noster à nobis postulat, vt Deo gratias agamus ciúsque gratiā prędicemus, qui nobis tā magna fecit & exhibuit per Christū. Sed postulat à nobis Christiana nostra doctrina etiam alia, quemadmodùm passim in Euangelio reperitur & videtur. Hoc propterea pro initio huius cōcionis dicere volui, quò minùs à vero discedamus, & nos ipsos frustrà consolemur. Nunc etiam Euangelium latiùs disquiremus. Et primò certum est, quòd Euangelium istud in progressu suo multò plus habet & confert, quàm in ipso ingressu quis existimare au sperare possit. Ascendens in nauiculā (inquit Matthæus) transfretauit. Hoc initium est istius Euāgelij, exile prorsus & humile: loquitur de Christo ceu de alio homine, qui nauibus seu pōtibus opus habet, aquā trāsmissurus. Sed quid magni de Christo quis expectare possit, quandò audit, quòd etiam Christus trāsfretat in nauicula? Quid aliud videmus in hoc, quā quòd homo sit? Sed quid purus homo per se magni præstare potest? Quid vsq; adeò in puro homine cōfidere possumus? Multò magnificētiùs dictū esset, si principiū ita fuisset positum, Et Iesus stabat, & ibat trans fretū. Hęc (inquam) verba multò fuissent magnificētiora: multò ea res maiorem authoritatē habuisset, si versus ciuitatē iuisset in mari, maiorē id spē præbuisset: nemo isthic dubitare potuisset, quin aliquid amplius esset q̄ homo. Iā verò vehitur nauicula, sicut alij homines, perindè ac si nihil aliud esset, quā homo, & nihil ampliùs posset quā alius homo potest. Istud ergo est simplex & humile principiū istius historię. Sed nihil hoc Christianū mouere debet. Progressus huius historiæ longè alius erit. Imò isthic non solū audies, sed etiā videbis, q̄ Christus etiā verus Deus est. Atque eius rei nō vnū, sed triplicia argumēta habebis. Primò, quòd peccata dimittit. Secūdò, quòd, cogitationes cordiū videt. Et tertiò, quòd paralyticū vno verbo sanat. En, hoc sequitur in ista historia ad simplex eius initium

Matth. 9.

Christus homo & Deus.

tium. Sed quid posset maius & sublimius de Christo dici? Quis credidisset, quòd homo qui tam humilis aduehitur, tam cito, tam palam & tam efficaciter declararet, ꝙ verus Deus esset? Idcirco non frustrà docet in Euangelio, ne secundum faciem & externam speciem iudicemus. Eia frater, non erat hæc sententia, vt Christus diuinam suam potentiam omnibus in rebus, omnibus in locis & omni tempore ostenderet. Nec è re nostra fuisset: etenim nemo hic credere potuisset, ꝙ etiã homo esset. Inuenti tamen sunt etiã hæretici, qui dixerunt eum non fuisse hominem: & tamen tam multipliciter declarauit, edendo, bibendo, dormiendo, ambulando, sentiendo lassitudine, flendo, patiendo, nascendo & moriendo. Quid futurum fuisse censemus, si talium rerum nihil in eo apparuisset, sed nihil aliud quàm mera diuina potentia? Nequaquam. Christus alium spiritum habet quàm mundus. Is omnibus in rebus sese ostentat & exerit: ideò solùm profert quod magnum & illustre est, occultat quod infirmum est, & deforme. Si quis potentiam habet, ea palàm sit omnibus oportet, nusquam non sese ostentat: & omnes homines scire eam & videre coguntur, ita vt se hominem esse quis obliuiscatur quãdoq;. Christus autem non ita facit: suam diuinam potentiam non ostendit, nisi vbi necesse est, & vbi honor Dei, aut hominum salus & vtilitas requirit. Alioqui in omnibus aliis rebus loquitur & facit sicut homo. Sic nobis etiam necessarium erat, vt vtranque hanc naturam in illo videremus sciremúsq;, ne quis dubitaret, quin verè sit mortuus tanquam homo, & verè ex mortuis resurrexerit, tanquam verus Deus. Quæ enim alioqui nostra spes esset, si alterum horum defuisset? Nisi enim mortuus fuisset, adhuc hæreremus in peccatis: nisi porrò à mortuis resurrexisset, adhuc dominium in nos haberet mors. Quomodo verò mori potuisset, si tãtummodo Deus, & non etiam homo fuisset? E diuerso, quomodo sese à morte eripere potuisset, si homo tantùm, & non etiam Deus fuisset?

Ioan. 6.

Mundi spiritus.

Christi humilitas.

1. Cor. 15.

En propterea Christus non semper & in omnibus rebus diuinam suam potentiam, sed preterea etiam humanam infirmitatem ostendit. Quàm potenter ægrotum sanare poterat, tam quoq; potenter aquam transire potuisset, nec opus habuisset naui. Sed oportebat eum & volebat humanitatem suam æquè ostendere & declarare, atq; diuinitatem suam, eadẽ causa, qua modo dixi. Et ob id vtrunq; Matthæus de-

ſcripſit. Aſcendens(inquit)Ieſus in nauiculam: hic vides hominem. Remittuntur tibi peccata tua, Surge, & ſanus eſto: hîc vides Dei potentiã. Nemo enim dimittere peccata pręter Deum poteſt. Ego ſum(inquit in Iſaia) qui deleo iniquitates tuas. Ita etiam nemo vno verbo ſua virtute morbos & mortem pellere poteſt. excepto Deo. Is ſolus tam potẽs eſt, vt verbo ſuo omnia efficiat. Illius ſermo eſt illius opus. Illius verbum eſt omnipotens, illius ſermo viuidus & efficax. Illius verba ſunt ſpiritus & vita. At vide iam, quid hæc hiſtoria nobis ſolatij præbeat. Annon res tota læta eſt ſcire, ꝙ Chriſtus Deus eſt? & talis Deus, qui in anima & corpore auxiliari poſsit? & præterea etiam homo eſt, ad quem pia cum fiducia auſimus accedere & currere, eúmq; feruenter inuocare? Hoc vnum eſt, quod in iſto Euangelio conſiderandum eſt. Deindè etiam in eo indicatum eſt, quòd Chriſto iterum lis eſt cum Iudaicis Phariſæis. Quò magis conſolatorem ſeſe Chriſtus exhibebat, hòc magis illi indignabantur: quò apertius loquebatur, hòc magis excæcabantur: quò amiciùs agebat, hòc deteriores fiebant. Hec tribus continuis Dominicis audiuimus. Mirum hoc alicui videri poſsit in talibus hominibus qui tanti nominis, ſcientiæ & autoritatis erant, niſi Chriſtus ipſe cauſam indicaſſet. Ego (inquit)veni in mundum, vt cæci videant, videntes autem cæci fiant. Dei iudicium(inquam)animaduerſio & plaga eis incumbebat, ꝙ lumen ſcripturæ habentes, neq; tamen verbis & operibus Chriſti gaudebant, neq; emendabantur, ex quibus nos, qui aliquando cæci eramus, tantum boni videmus, tam exhuberans ſolatium haurimus adhuc in hodiernum. Illis erat faſtidium, abominatio, blaſphemia, quod Chriſtus loquebatur & faciebat: nobis autem ſpiritale gaudium eſt, ſolatium, & diuina ſalus. Hic blaſphemat(clamabant) cùm Chriſtus diceret, Tibi remittuntur peccata tua. Nos gratias Deo agimus, quibus tale verbum audire datur, & quòd Deus talem poteſtatem in terris dedit ac reliquit. Et videtur nobis ꝙ ſimus eius rei ſic ſatis certi: nec Euangelium iſtud aliter accipimus, quàm ſi Chriſtus adhuc in hodiernũ diẽ viſibilis corã nobis ſtaret, ac diceret: Ego ſum ſalus populi mei, in quacunq; die inuocauerint me & ad me clamauerint, exaudiam eos, & ero Deus eorũ in æternum. Et ſi hoc vnquàm oſtẽdit, in hac hiſtoria id oſtenſum eſt. Quatuor ſunt, quę nos omnium maximè grauant & premunt. Primum eſt externa

Eſa. 43. *Pſal. 148.* *Heb. 4.* *Ioan. 6.* *Ioan. 9.* *Quatuor nos prementia.* 1.

terna aduersitas. Alterum est mala conscientia. Tertium est, II.
quòd in horum nullo nobis ipsis auxiliari possumus. Quar- III.
tum est, ꝙ etiam quandoq; & sæpenumero dubitamus, num IIII.
Deus auxiliari velit. Sunt hæc quatuor grauia onera. semper aliud alio grauius. Externa afflictio tam multifaria est, vt omnes pariter sub illa gemamus, aut in ea succumbamus, animúmq; despondeamus. Sed nihil sunt hæc omnia ad malam consciētiam, ea angit & grauat multò plus: imò totum orbem homini nimis angustum facit, vti videmus in Cain. *Gen. 4.* Facitq; homini omnia, omne bonum, gaudium & iucunditatem huius mundi acerbam. Tum autem premunt illa duo omnium grauissimè, quando homo non solùm nullum solatium inuenit, apud homines, sed videtur sibi etiam à Deo derelictus. Iam verò Euangelium istud in his rebus omnibus consolari nos posset. *Remedium afflictionis externæ.* Etenim primò, contra externam crucem, tribulationem & aduersitatem, hoc solatij habemus, ꝙ Deus omnia eiusmodi incommoda tollere possit, sicubi ad Dei honorem & nostram salutem inseruiat. *Malæ consciētiæ.* Cōtra malam conscientiam hoc habemus solatium, ꝙ Christus paralytico, sed tamen pœnitēti, peccata sua remittit, ídq; sine præcedentibus meritis: & ꝙ externo signo declarat, quòd potestatem habeat dimittendi hominibus peccata. *Nostræ infirmitatis.* Contra nostram insufficientiam, quòd nobis ipsis auxiliari non possumus, hoc solatium habemus, quòd Deus fidem respicit eorum, qui pro nobis orant. *Pusillanimitatis.* Contra pusillanimitatem, ꝙ interdum etiam dubitamus, num Deus nobis auxiliari velit, hoc solatium habemus, ꝙ Christus paralyticum tam amicè alloquitur: nominat illum filium, iubet illum esse bono animo & spe, idq; in primo ingressu, mox vt eum videbat, priusquàm ore rogabat eum, & inuocabat. Confide fili (inquit) perinde ac si dicat: Qui gratiam expetit, is doleat quidem ex animo se peccasse, sed tamen bonam fiduciam habeat. Tantò enim is plus gratiæ accipiet, quantò ardentius dilexerit, & latius gremium suæ spei & fiduciæ extenderit. Etenim Deus, qui omnium rerum dominus est & cōditor, adeò diues est & superabundans in gratia & bonitate, vt ab eo omnia impetrare possimus, quantumuis magna, si fidem, spem, & charitatem nostrā extendere possimus. Non enim mentietur in eo, quod dixit: Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit. *Deut. 11.* Et hoc est, quod etiā Isaias multò antè prędixit: Lætabitur deserta & inuia, & exultabit so- *Esa. 35.*

litudo, &c. Et postea; Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis, Confortamini & nolite timere: ecce Deus vester vltionem adducet retributionis,&c. Hæc omnia videmus in isto Euangelio. An non igitur iustam causam haberemus cum S. Paulo manus
2.Cor.1. nostras tollendi in cœlum, & dicendi; Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo,&c. Quid esset nostra vita, si hac consolatione careremus? Quàm infelices homines sunt, qui id non sciunt aut considerant? Quàm verò reprehensibile est præsens seculum, q̄ ista scit & videt, sed ad nullum bonum iis vtitur, sed solùm ad mala? Si nobis Deus dat sanitatem corporis, tantò sumus petulantiores & propensiores ad omne malum.
Vt Dei bonitate abutamur. Si audimus Christum tam facilè peccata dimittere, putamus id semper ita fieri oportere: parui ob id peccata facimus, cōtēnimúsq; pœnitentiā. Aliqui in aliis tantūmodo hominibus spem suam ponunt; quia huic paralytico successit, existimant se etiam sine propria sua oratione & labore saluos fieri posse. Alij putant, quoniam Christus dixit, Confide fili: se filios Dei esse, quantumcunq; improbam & incōpositam agant vitam. Sed vbiq; erratum est. Nimis parum & nimis multum, perdit omnem ludum. Deus nobis non ideò felicia tempora, vt tantò plus peccemus: sed vt tantò liberius ei seruire possimus. Nec ideò Christus peccata tam faciliter remisit, vt super tali gratia peccemus. Non,
Matth. 4. Scriptum est, Pœnitentiam agite. Sic etiam verissimum est, quòd homo pro homine orare possit. Sed ob id nemo tantò negligentior fieri debet ad orandum etiam pro seipso. Sic verissimum est, nos vocari filios Dei, & sumus etiam, vti Ioannes dicit: & hoc nomine quoq; multis in locis sacræ Scripturæ monemur, vt fiducialiter speremus: veruntamen talis nostra spes nunquam vera esse & certa poterit, quandiu in peccatis mala conscientia iacemus. Quapropter res vndiquaque verè inspicienda est. Solatij satis supérque habemus ex hoc & aliis Euangeliis: saltem videamus, ne abutamur. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

DOMINICA VICESIMAPRIMA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM MATTH. XXII. CAP.

Loquebatur Iesus cum discipulis suis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & emisit seruos, vt vocarent inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Rursus emisit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, & tauri mei, & altilia mea mactata sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cùm audiuisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitates illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. *Mat.12.* Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Ingressus autem Rex, vt videret discumbẽtes, vbi vidit illic hominẽ nõ vestitũ veste nuptiali, ait illi: Amice quomodo huc intrasti, nõ habẽs vestẽ nuptialẽ? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus & manibus eius, mittite eũ in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI, EPH. VI.

FRatres: Videte igitur quomodo circunspectè ambuletis, non vt insipientes sed vt sapientes, redimētes occasionē, quòd dies mali sint. Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et ne inebriemini vino, in quo luxus est: sed impleamini Spiritu, loquentes vobisipsis per psalmos, & hymnos, & cantiones spirituales, canentes ac psallentes in corde vestro Domino gratias agentes semper de omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi, Deo & patri. Subditi vicissim alius alij cum timore Dei.

Colos. 4.

PRIMVS SERMO DE Euangelio in genere.



ODIERNVM istud Euāgeliū simile propemodū per omnia est similitudini, quā Christus in Luca dixit de magna cœna: vtrobique enim dicitur de cōuiuiis & epulis. Vtrobique videmus diuitē, liberalē hospitem, sed ingratos conuiuas. Vtrobique Deus ipse hospes est, nos autē conuiuæ & inuitati. Nullū aliud discrimen inest, quàm quod illic cœna vocatur, hîc autē prandiū nuptiale. Illic autē irascitur pater solū illis qui venire recusabāt: hîc verò etiam eū iratus eiicit, qui iam venerat & mensæ accumbebat. Et quid hîc aliud intelligere possumus, quàm quòd nobis Deus duplicē refectionē & conuiuiū parauit, hîc in terris cū gratia, & in altero seculo cū æterna gloria? Hîc dat prādiū, illic dabit nobis cœnā, & sub eā mox æternā quietē. Hîc habemus nuptias, illic futur⁹ est cōcubitus. Hîc cùm Deo copulamur, illic copula fruemur. Vtrobiq; Deus autor est & incœptor, Christus mediator. Nos cōuiuæ sumus, quatenus nosipsos gratia nō spoliam⁹, & indignos reddimus. Etem in Deo nihil vnquàm desiderabitur. Fidelis est, & seipsum negare nō potest

Luc. 14.

Duplex nobis paratū conuiuium.

2. Tim. 2.

potest, vti Paulus ait. Et vtrobiq; oĩa parata sunt. Gratia nobis, modo velim' ea vti, per Christũ impetrata est. Felicitas nobis per Christũ acqsita. Vado (inqt) vobis parare locũ. Et si abiero & præparauero vobis locũ, iterũ venio & accipiam vos ad meipsum. Omnia nobis donata sunt per cognitionẽ eius qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quẽ maxima & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hęc efficiamur diuinæ consortes naturæ. Domus nobis patet, mensa adornata est, serui currũt & inuitãt: rex & paterfamiliàs expectat: facite fratres, ne qd in nobis desideretur, ne induremus cor nostrũ queadmodũ illi fecerũt. Vnde etiã iratus in eos Deus iurabat, nullũ ex iis ingressurũ requiem suam: imò festinemus intrare in eã requiẽ, priusquã ianua occludat. *Ioan. 14.* *1. Pet. 1.* *Hebr. 3.* *Num. 14.* *Heb. 4.*

Porrò veniamus vti decet, ad eiusmodi cõuiuium. Nuptiæ sunt, ad quas vocamur. Et qs celebrat has nuptias? De'. Cui celebrat? Filio suo. Qualem dedit ei spõsam & adiũxit? Nos hoĩes. Nos cõuiuæ sum', nos spõsa sumus. Despondi vos vni viro (inqt Paulus) virginẽ castã exhibere Christo. Hoc reqritur ad istas nuptias: hoc De' exigit, hoc quærit in sua spõsa nimirũ nõ magnas diuitias, aut generis nobilitatem, sed virginẽ castã, hoc est, talẽ spõsam, in qua fidelitas & dilectio deprehẽditur. Hæc enim duo antea nobis exhibuit, & quidẽ in summo gradu. Spõsabo te mihi in fide, inqt in Osea. Fidẽ nobis seruauit, implẽdo quicquid nobis vnquã promisit. Fidẽ nobis seruabit in æternũ. Cœlũ & terra (inqt Luc. 21.) trãsibũt, verba aũt mea nõ trãsibũt. Et in Hieremia cap. 33: Si irritũ potest fieri pactũ meũ cũ die, & pactũ meũ cũ nocte, vt nõ sit dies & nox in tẽpore suo: & pactũ meũ irritum esse poterit cũ Dauid seruo meo, &c. Et in Isaia cap. 49. Nũquid obliuisci potest mulier infantẽ suum, vt nõ misereatur filio vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tñ nõ obliuiscar tui. Eccè in manib' meis descripsi te. Et iterũ cap. 54. In misericordia sempiterna misert' sum tui. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui ne inducerẽ aquas Noë vltra supra terram: sic iuraui vt nõ irascar tibi, & non increpẽ te. Talẽ nobis fidem præstat De'. Charitatẽ etiã suã nobis summè exhibuit, dũ nostra causa homo factus est, & in cruce mortuus. Atqui nõ est maior charitas, quã vbi qs pro alio morit. Charitatẽ suã adhuc nobis declarat, dũ nos quotidie purgat, cõsolat, pascit, dat nobis nõ solũ sua, sed etiã seipsum: Sũma, fidẽ & charitatẽ suę sponsæ præstitit, & præstat adhuc: fidelitatẽ & chari- *Nuptiæ, ad quas inuitamur.* *1. Cor. 10.* *Ose. 2.* *Gen. 5.* *Ioan. 15.*

tatẽ viciſſim ab ea requirit:fidelitatẽ,ne alteri adhæreſcámus:charitatẽ,vt illi ſoli adhæreamus. Sed obſerua,ꝙ illa duo cõiungit,quia vtraq; ad nuptias pertinẽt. Quales enim alioqui nuptiæ eſſent,ſi alterũ horũ vel vtraq; deeſſent? Vbi nulla fides eſt inter cõiuges,ibi nullũ cõiugiũ eſt,ſed adulterium. Vbi nulla charitas eſt,ibi nulla pax. Quapropter hæc duo cõiũgi oportet. Cõiugibus nõ ſatis eſt,vt ſibi inuicẽ fidant & credãt,niſi quoq; ſeſe mutuò diligãt. E diuerſo quoque nõ ſatis eſt,vt ſe inuicẽ diligãt,niſi ſibi inuicẽ quoq; fidẽ præſtẽt. Itidẽ quoq; res nobiſcũ habet. Deus (vti dixi) fidelitatẽ nobis & charitatẽ præſtitit,eã'q; à nobis exigit. Per fidẽ venim⁹ ad nuptias,per charitatẽ deo fruimur. Fides viua nos copulat Deo:charitas nos facit inhærere Deo. Et hæc duo cũprimis diſcenda ſunt circa hodiernũ iſtud Euangeliũ. Id'q; nõ temerè dico. Ferè enim ſemper aliqd in altero deſit,vt raro ſimul ſint. Iudæis deerat fides in Chriſtũ:nobis pro maiore parte deeſt charitas. Illi venire excuſabãt: nos venimus quidẽ,ſed ita nos gerimus,vt timẽdum ſit,ne maior pars eiiciatur iterũ. Quid ita? Credimus qdẽ & venimus ad nuptias,ſed non habemus charitatẽ,id eſt,veſte nuptiali nõ ſumus induti. Verũ quorſum attinet,te in prandio eſſe,ad cœnã autẽ venire nõ poſſe:imò eiici antequàm cœna incipiat? Quorſum attinet,te hic per fidẽ ad ſanctã Chriſtianitatem admitti,ſi ab æterna cœna ob charitatis defectũ excludare? Fratres,nõ agitur nobis ſolũ de prãdio:plus nobis ſitũ eſt in cœna. Beati (inquit Ioãnes) q ad cœnã agni vocati ſunt. A prãdio,hoc eſt,à gratia,q̃ nobis in hac vita offertur, excludi qs iterũ poteſt:imò nõ vnus,ſed plures. multi enim vocati ſunt,ſed pauci electi. A cœna autẽ,hoc eſt,à felicitate futuræ vitæ nemo eiicitur,ſed quiſquis eã aſſequit̃,æternũ eã poſsidet. Gratiã huius tẽporis amittere iterũ poſſumus: cæterũ quiſquis æternã cõſequitur felicitatẽ,æternũ beatus manet. Quapropter nõ ſufficit nos vocatos eſſe & veniſſe ad prãdiũ,& ad gratiã huius tẽporis:videre nos oportet,vt venire etiã poſsimus ad cœnã,hoc eſt,ad gloriã futurę vitę. Tum autẽ de cœna certus eris,ſi in prandio,vti decet,te geras. Tũ autẽ felicitate nõ fruſtraberis,ſi gratia hic benè vtare. Iudæi ad prãdiũ venire nolebant,hoc eſt,ad gratiã,quã illis Chriſtus hîc offerebat. Quoties (inquit) volui cõgregare filios tuos,queẽadmodũ gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas,& noluiſti? Eccè relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Imò

Charitas veſtis nuptialis.

Apoc.19.

Matt.28.

Matt.13.

ta, Imò propterea sentẽtia in eos lata & pronũtiata est,ne quisquã eorũ cœnã Dei gustet. Venimus qdã ad prandiũ,& ad gratiã quã Christus hic nobis offert in Euãgelio:sed non cogitamus de nuptiali veste,nẽpe de charitate,de pia cõuer satione:ob hoc sæpæ eiicimur,vt æternæ felicitatis participes nõ fiamus. Quẽadmodũ Iudæi suæ condẽnationis culpã nemini imputare possunt,quã sibi ipsis & ingratitudini suę: Sic etiã nos cõdẽnationis nostræ culpã attribuere nemini possumus,quã nobis & nostræ leuitati. Et ob id,quẽadmodũ olim Danielis socij in persona totius populi Iudaici dicebant:Dñe omnia quæ nobis fecisti,in vero iudicio fecisti: quia peccauimus,& præcepta tua nõ obseruauimus,&c. Itidem & nos facere oportet:fateamur necesse est,omnes eos qui condemnãtur,iusto Dei iudicio ob peccata sua cõdẽnari. Atq; hic nobis nihil reliqui est,quã vt emẽdemus nos,& oremus,& dicamus ad Deũ,Domine nomini tuo da gloriã, & fac nobis secundũ multitudinẽ miserationũ tuarũ. Tantũ in genere admonitionis more de hoc Euangelio. Nũc autẽ videbimus quid etiã aliàs doctrinæ in eo nobis detur. Et primò potest prudens & intelligens quiuis facilè ex eo cognoscere,ꝙ Christus verã conditionẽ,quã pater erga filium suũ declarat,etiã in nos declarauerit. Atqui videmus,ꝙ pater qui charos liberos habet,nihil intentatũ relinquit,quo sperat se suos liberos ad honorẽ & virtutẽ perducturũ. Docet,hortatur,orat,obsecrat,dat & promittit,minatur,& verberat. Quæ omnia si nihil prosunt,filiũ foras eiicit,significans se nolle esse illi patrẽ ampliùs,nec eũ filiũ dici debere, nec paternæ hæreditatis participẽ fore. Atq; tum paterna seueritas omniũ vehemẽtissima est. Sed nõ peruenit eò,nisi aliis omnibus priùs tentatis. Quisquis ergo hodiernũ Euãgelium inspicit & cõsiderat,quando Christus talia verba sit locutus,videbit Christum talẽ patrẽ fuisse. Matthæus parabolã hanc penè in fine scribit:indicauit q; antè ab initio per omnia capita,quã humaniter Christus inter Iudæos versatus sit,quã diligenter docuerit,quã benignè sit illis opitulatus,quã seuerè illos monuerit,quã amicè illos ad suã gratiã vocauerit,quã fideliter illos sit adhortatus,quã horribiliter sit illis interminatus. Agè in isto Euãgelio ad summũ peruenit & ad extremũ:quia nihil horũ in illis proderat,minatur eis fore,vt domo Dei eiiciantur & exhæredentur,& deindè etiã miserè pereant:& nõ iis tantũ eorúmq; similibus,

Matt.11.

Christus vt se patrem erga nos declarat.

qui nullá Dei vocationẽ,& admonitionẽ audire volunt:sed etiã nobis & omnibus iis,qui iam audiunt & accipiunt,sed non secundũ illã faciunt. Sed quomodo pater filiũ magis punire potest,quã si eiiciat illũ & exhæredet? Quid horribilius, quã si quis in domo Dei locũ nõ habet,& in Dei hæreditate & bonis nullã partẽ? Atqui Christus id apertè interminatus est. Qui primi vocati fuerãt,venire recusabant,vndè postea penitus traditi sunt obliuioni. Alius ingerebat se,sperãs se mãsurum in hæreditate:sed quia non veniebat tanquàm filius,cum probro iterũ & æterno suo dãno eiiciebatur. Fratres,seuerum est Euangelium:videtur quidem esse simplex parabola & similitudo & nihil præterea:verè autem plenum est Christiana doctrina. Etenim primò videmus in eo, quòd Deus non solùm antequàm nos vocauit,sed etiã antequàm nos creauit,omnia præparauit que ad salutẽ nostram necessaria erãt:idque sine precedenti nostro merito,ex mera gratia. Secundò, videmus in hac similitudine,quòd Deus non solùm Iudæos,sed etiã Gentes vocauerit,vt certè excu-

Rom.10. sare se nemo possit. Nunquid enim nõ audiuerunt? inquit

Psal.11. Paulus. hoc est,quis dicere potest,se non audiuisse? Enim verò sonus Apostolorum in omnẽ terrã exiuit,& verba eorum penetrauerũt vsq; in fines orbis terræ. Tertiò, videmus in hac similitudine, ꝙ solicitudo de tẽporalibus,etsi nòn omnino reprehendenda,est tamẽ certum impedimentum in spiritualibus,si altiùs radices agat. Væ illi (inquit Prophe-

Habac.2. ta) qui multiplicat non sua. Vsquequò & aggrauat contra se densum lutum? Quartò, videmus in hac similitudine, quòd Iudæorum incredulitas & durities causa fuit nostræ

Acto.13. vtilitatis & salutis. Quoniã enim Euãgeliũ Christi recipere nolebãt,& ad nuptias Christi venire,Apostoli ad nos sese verterunt. Et hoc etiã indicat Paulus multis verbis in Epi-

Rom.11. stola ad Romanos,inquiens ex casu Iudæorum Gentibus salutem contigisse, & Iudæorum diminutionem esse mundi diuitias: imò amissionem eorum esse reconciliationem

Ecclesia bonos maloſque complectitur. nostram. Quintò, videmus hîc,quòd Christiana Ecclesia & communio, vti nunc est,bonos & malos homines in se complectitur. Itaque frustrà est,quòd opinãtur aliqui Christianitatem ita instituere,vt nihil mali in ea relinquatur. fugiunt ex veteri Ecclesia,eò quòd multos malos homines in ea conspiciant, propriam sibi Ecclesiam & cõgregationẽ faciunt:vident & experiuntur quotidiè, ꝙ improbi æquè

sese

sese ingerunt, atque in veterē Ecclesiam & cōgregationem. Enimuerò Christus regnum cœlorum sanctam Christianitatem non sine caūsa comparauit reti, horreo seu areę & agro. Atqui videmus, ꝙ rete piscatorio mali pisces æquè capiuntur, atq; boni. Et crescit in agro lolium æquè atque bonum semen. Tum etiam palea & stramen non minus in horreum deportatur, atq; triticū. Sic etiam hoc loco scriptū est, quòd serui bonos & malos homines ad nuptias adducebāt: & Rex ipse inueniebat quendā in mensa sua, ad eam nō pertinentem. Nunquā Christiana Ecclesia ita mundabitur, quin semper in ea mali homines inuenientur. In tempore messis (inquit Christus) dicā messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendū, &c. Tum angeli exibunt, & omne scandalum ex regno Dei tollent. Interea temporis boni malis misti sunt, donec iudex venerit, qui segregabit eos, quemadmodum pastor oues ab hœdis separat, &c. Sextò, videmus in hoc Euāgelio, nō simplicem & otiosam esse fidē, quæ nos saluos faciat, sed fidē quæ per charitatem operetur. Alioqui si quælibet fides sufficeret ad salutem, nemo vnquam eiiceretur. Sed hic multò aliud vides. *Matth. 13.* *Matth. 22.* *Matth. 13.* *Matth. 25.* *Fides viua.*

Postremò videmus in hac similitudine, ꝙ Deus nō solùm misericors, sed etiā iustus est. Quapropter nemo fretus misericordia Dei, peccare debet, pœnitentiam suā differre, aut gratia Dei abuti. Miser homo de quo in Euangelio audiuimus, similiter opinabatur, quia eū Rex tam clemēter vocauerat & intromiserat, nihil referre, quomodocūq; deinceps viueret, aut qualiscūq; inueniretur. Sed lōgè alius exitus erat. Amice (inquit) quomodo huc venisti, vestem nuptialē nō habēs? Et postea: Manus & pedes ei ligate, & proiicite eum in tenebras exteriores, &c. Hoc admonitionis loco esse nobis debet: ideo enim scriptū est. Atq; hoc modo arbitror vnumquemque videre posse, quantum nobis Euangeliū istud considerandum præbeat. Bonus quisque Christianus id seriò ad animum reuocet. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO itidem de Euangelio in genere.



PARABOLA & similitudo istius Euangelij (si rectè consideretur) nihil aliud est, quàm breuis quædam comprehensio totius sacræ Scripturæ: id quod indicatu facile est. Hoc enim omnes fateant oportet,

Scripta diuina quæ potissimũ tractent. tet, quòd sacra Scriptura potissimũ & in primis, de sequentibus rebus loquitur: vtpote primò de Deo. Secundò, de redemptione per Christum instituẽda, & iam facta. Tertiò, de fœdere iam antiquitus à Deo facto cum Abraham eiúsq; semine. Quartò, de variis beneficiis quæ Deus illi populo exhibuit. Quintò, de magna ingratitudine illius populi. Sextò, de pœna & interitu eorum. Septimò, de vocatione Gentium per Apostolos. Octauò, de malis & falsis Christianis. Nonò, de futuro iudicio. Hæc (inquam) ferè præcipua sunt quæ nobis Scriptura proponit. Ea autem omnia etiã in hac similitudine cõprehensa sunt. *Summaria explicatio totius Euangelij.* Etenim Rex, de quo similitudo dicit, est Deus. Filius Regis est Christus. Nuptiæ sunt incarnatio Christi, in qua se humano generi vniuit. Nuptiale cõuiuium est redẽptio & salus, quam nobis impetrauit Christus. Boues & altilia sunt varia dona & gratiæ, quas illic nobis parauit. Inuitati sunt Iudaicus populus, qbus promissiones *Gal. 3.* Dei primùm datę sunt. Serui qui primùm mittebantur, fuerũt Moyses, Aaron, Iosue, Phinees, Samuel, Dauid. Serui qui secundò mittebantur, fuerunt Elias, Helisæus, Isaias, Hieremias, & alij Prophetæ. Quòd aliqui inuitatorũ nuptias non curabant, aliqui ad alia sese cõuertebãt, aliqui Regis seruos cõuiciabantur, indicat multiplicẽ ingratitudinẽ Iudaici populi. Milites per quos fuerunt perditi, erant Romani. Serui qui tertiò missi fuerant, sunt sancti Apostoli. Populus quem ex omnibus plateis collegerũt, sunt Ethnici ex omnibus nationibus. Quòd mensæ implete sunt, significat multitudinẽ baptizatorum. Quòd boni & mali homines misti sunt, denotat, ꝙ nõ omnes Christi sunt, qui in sancta Christianitate degunt. Homo qui veste nuptiali indutus non erat, significat aut eos qui fidẽ habent sine charitate & bonis operibus, aut qui solam speciem bonorum operum habent absq; charitate & fide. Quòd Rex conuiuas suos inuisit, futurũ designat iudiciũ. Quòd illum primò videt: significat corã iudicio Dei *1. Corint. 4.* nihil fore occultum, sed tum etiam cogitationes cordiũ manifestas futuras. Quòd illum Rex verbis reprehẽdit, indiciũ est, ꝙ vermis qui malorum cõscientiam arrodit, nunquã mo*Esa. 66.*riturus sit. Quòd miser homo obmutescit, indicat corã iudicio Dei nullã excusationẽ valiturã. Serui, in quorũ potestatẽ affligendus traditur, sunt mali spiritus. Quòd illi manus & pedes ligãtur, indicat ꝙ post extremũ iudiciũ nemo amplius pœnitentiam & bona opera agere poterit, vel etiã cõdemnation

tionẽ effugere. Quòd in exteriores tenebras proiicitur, indicat, quòd sententia quæ in malos feretur, nunquam reuocari poterit, sed ęternùm manebit. Ex his omnibus nemo non videt, quòd parabola ista in se comprehendit omne id quod in sacra Scriptura expressum est. Eæ autem res sunt nõ inanes, sed cumprimis necessarię. Quisquis igitur totá sacrá Scripturam sub cõpendio nosse volet, is vel vnicam hanc similitudinem obseruet, ea ad cogitandum satis multa suppeditabit, eúmq; multarum rerum admonebit. Ideo autẽ Christus præcipua capita sacræ Scripturæ in hanc parabolá contraxit, quò etiam simplices videre possent, quid Deus nobiscum fecerit, adhuc faciat, & denique faciet, ne quis excusare sese posſit. Quisquis ergo cum diligentia cõsiderat, ꝙ Christus, qui hãc similitudinẽ dixit, is sit, de quo Ioannes tot tantáq; in sui Euãgelij initio scribit, nimirum æternũ, essentiale & omnipotẽs verbũ & filius Dei, imò Deus plenus gratia & veritate, & ob id mentiri, & fallere nõ posſit: hoc (inquã) quisquis considerat, is ex animo gaudebit, si initium istius Euangelij legat, modò vel guttulam sanguinis in se habeat, qui Dei fauorẽ & gratiá verè petit. E diuerso qui finẽ istius Euangelij legit, is perhorrescat oportet, si modò venã in se habeat, quæ ad Dei iudiciũ posſit obstupescere. Hîc enim videmus simul Dei misericordiá & iustitiá, eáq; duo in summo gradu. Quippè nobis Adæ filiis nulla maior misericordia cõtingere potuit, quàm quòd nos Deus ad nuptias sui filij, & ad cõmunionem omnium eius bonorũ inuitauit. Contrà etiam homini nullum terribilius iudiciũ impendêre potest, quàm si à Dei gratia & consortio omnium sanctorũ secludatur. Gloria, & honor, & pax (inquit Paulus Roma. 2.) omni operanti bonum: tribulatio autem & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Quisquis ergo gratiam Dei dignè expetit, hoc Euangelio iurè gaudere potest: nec est quòd propter peccata sua, quorum ipsum verè pœnitet, animum despondeat, quandoquidem audit quòd Deus neminem excludit, & suis seruis commune mandatum dedit, ad vocandos omnes homines. Contrà autem qui diu in sancta Christianitate fuit, & tamen malè vixit, vel adhuc malè viuit, meritò pertimescere & exhorrescere potest ad finem istius Euangelij. Non enim historia est, quæ semel tantummodo & in vno homine contigit: sed est parabola seu similitudo, qua Christus ostendere voluit, quid in suo regno esset

Ioan. 1.

Misericordia Dei.

Iustitia Dei.

esset euenturum vsque ad finem mundi: nimirùm quòd multi vocati, pauci verò electi futuri essent. Omnes quidem vocati sumus: sed videmus ex hoc Euangelio, quòd ij solùm Regis fauorem & gratiam cõseruant, qui charitatis nuptiali veste induti sunt: & ita comparent, vti honestos conuiuas decet. atque ij in æternum nunquam eiiciuntur. Cæterùm qui charitatis veste nuptiali induti non sunt, & mala sua vita congregationem sanctorum & fidelium deturpant ac dehonestant, iis iampridem iudicium præfixum est, quòd eiici debeant in tenebras exteriores. Proindè nobis Christus in hac similitudine per externa exẽpla indicare voluit & præfigurare, principiò duo magna gratiæ opera: deinde verò sub id mox etiam duo horribilia iudicia, quæ Deus in nobis hominibus exhibuit & adhuc. Vtrobique eiusmodi res sunt, in quibus nobis plurimum situm est. Nam qui gratiam Dei penitus ignorat, is gratus esse non potest. Porrò qui de futuro iudicio nihil scit, is etiam eò minus timoris habet. Atqui verò Deus non solùm in his duobus cognosci, sed etiã propter gratiam & beneficia sua diligi, & propter iudicia sua timeri vult. Si pater ego sum (inquit in Propheta) vbi est honor meus? Et si dominus ego sum, vbi est timor meus? Et vt non placet ei, si quis gratiæ & donis eius ingratus est: ita etiam ei displicet, vbi quis iudicium eius non pertimescit. Ideò etiam in Prophetis queritur de his duobus, hoc est, de ingratitudine & impietate hominum. Audite cœli (inquit in Isaia, cap. 1.) & auribus percipe terra: filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit, &c. Et in Hieremia cap. 5. Audi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis: & aures, & non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit. Populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans. Recesserunt & abierunt, & non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo. Tales querelæ multæ inueniuntur in veteribus Prophetis. Tantò diligentius debemus parabolam & similitudinem istius Euangelij cõsiderare, vbi omnia coniuncta habemus; Dei gratiam & iudicium, & deindè etiam causam incitãtem ad amo

Matth. 22.

Vult Deus timeri & amari.

Mala. 1.

ad amorem & timorem Dei. Agè,gratiæ opera duo indicata sunt in hoc Euangelio. Alterum erga Iudæos, alterum erga Gentes.In Iudæis peculiaris gratia erat, quòd Deus illos primò & præ omnibus aliis hominibus vocauerat ad nuptias sui Filij, hoc est, ad gratiam Euangelij & noui Testamenti. Tum etiam in Gentibus nihil aliud est quàm mera gratia, quod postea sine omni præcedenti suo merito, cùm Iudæi venire nolebant,ad eiusmodi gratiā vocati sunt.Hæc duo gratiæ opera comprehendit Paulus simul & vno verbo: Dico(inquit)Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei, ad cōfirmandas promissiones patrum:Gentes autē super misericordia honorare Deū.Quod perindè est ac si dicat: Deus Iudæos pariter & Gentes vocauit ad gratiam Euangelij,sed tamen cū discrimine. Iudæos ex virtute suarū promissionū,quibus veritatem suam probare voluit: Ethnicos verò,ex mera misericordia.Quòd Christus Iudæis primò gratiā suā obtulit & Euangeliū, nō tam propterea factum est,ꝙ id ex cōdigno meriti fuerint,quàm quod illis promiserat Deus.Et hoc vult Paulus alio in loco, vbi ad Iudæos ait: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei.Cæterùm ꝙ Deus posteà suos Apostolos ad Gentes misit,rursum id nō eorū meritis factū est,sed gratia mera fuit.

Duo gratiæ opera.

Roma.15.

Act.13.

Et hæc duo gratiæ opera,Christus nobis in hoc Euāgelio per duo conuiuarū genera ad nuptias inuitatorum indicare voluit:omnésque homines adhortari ad considerandū, qualis gratia sit,quòd nos non homo vulgaris, sed Rex:imò nō homo,sed Deus ipse vocauit,non ad solum laborem, quemadmodum aliis in locis fecit, sed ad nuptias. Nec nos vocauit ad iudicium, sed ad gratiam & nuptiale conuiuium: & non cuiusuis,sed vnici sui filij, quæ ipsemet tam diligenter parauit,& vbi omnia ea inuenimus, quæ ad animæ salutem & felicitatem seruiunt, nulla re excepta. Nam si non nisi magna sperantur, vbi Rex filio suo nuptias celebrat, quid igitur deesse posset,vbi Deus ipse hospes est? Serui mei comedent (inquit in Isaia ad impios) & vos esurietis: serui mei bibent,& vos sitietis:serui mei lætabuntur, & vos confundemini: serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis. Agè, initium istius Euangelij sat gratiæ Dei nobis indicat: at sub id mox sequuntur etiam duo horribilia iudicia,quorum alterum iam pridem in Iudæis deprehensum est:alterum adhuc quotidiè depre

Matth.20.

Esa.65.

Duo terribilia Dei iudicia.

deprehenditur in Gentibus. Iudæi venire nolebant, apsernabantur oblatam gratiā Christi, non sustinebant de ea audire, persequebantur Prophetas, calumniabantur & expellebant Apostolos, crucifigebant filium Dei. Proindè Deus milites suos Romanos illis immisit: siuit eos occidi, & ciuitatem eorū vnà cum tēplo flammis absumi. Quemadmodùm idipsum illis prædixerat, cùm ante passionē suam flens, Hierosolymam intraret. Et hoc est vnum iudiciū Dei, quod nobis Euangeliū istud ob oculos ponit, Horribile iudiciū, quod meritò nobis metū incutere debebat. Et tamē nemo dicere potest, Iudęos indigna passos: quādoquidē ingratitudo ipsorum tanta fuit. Cum altero iudicio res eodē modo habet. Nos ex gētibus inuitati sumus, ad nuptias Christi venimus: gratulamur nobis, quòd ad tantū honorē & bona vocati sumus. Hoc autē in plerisq; nostrûm desideratur, quòd non venimus, & non gerimus nos sicuti decet in domu & in mensa talis regis, & apud tam honestos conuiuas. Manemus in laceris nostris vestibus, perseueramus in impia nostra vita, nullam meditamur emendationē: non reueremur Deū, nil pudet nos coram mundo seu hominibus, Deum ignominia afficimus, domum eius dehonestamus, & offendimus omnes eos, qui nobiscū in mensa sedēt. Sed quomodò Deo hæc res probari potest? Crede mihi, rex veniet, & cōuiuas suos inuiset: vitam nostrā impiā iusto dānabit iudicio: à facie sua nos repellet, & ligatis manibus ac pedibus in exteriores & ęternas tenebras proiiciet. Hoc omnibus falsis, crudis & leuibus Christianis minitatus est: & tā certò tale iudiciū super eos veniet, quā certò Iudęi suum iudiciū iam pridē acceperunt. Atque hęc duo iudicia docet nos etiā Paulus simul cōsiderare. Vide (inquit) bonitatē & seueritatē Dei; in eos quidē qui ceciderūt, seueritatē; in te autem bonitatē Dei, si permāseris in bonitate; alioqui & tu excidēris. Nam si Deus naturalibus ramis nō pepercit, nec tibi parcet. Hoc modo habemus in isto Euangelio duo gratiæ opera, atque etiam duo iudicia & duplicē pœnam. Iudęos & Gentes Deus ad Christum vocauit. In Iudæis & Gentibus inultum non sinet, si ingrati sint pro sua gratia, vel si ea malè viuendo abutantur. Hæc nobis dicta existimare meritò debemus. Christus non frustrà tot vsus est verbis: quapropter nemo seipsum fallat. Leo rugit, quis non timebit? Deus minatur nobis iudicium, quis non moueretur? Deus nobis suam præstet gratiam. Amen.

Luc 19. *Non habemus vestē nuptialem.* *Rom. 11.* *Amos. 3.*

TER

TERTIVS SERMO DE *prima parte istius Euangelij.*



LEGIMVS in Matthæo, ꝙ Christus statim ante istud Euangeliũ, sententiã & iudiciũ in Iudæos tulit & pronunciauit, ꝙ reiiciendi essent & excæcãdi, quin etiã regnũ Dei ab illis tollendũ. Eadẽ quoq; annũciat illis in hoc Euangelio: vtrobiq; tamen causam indicat, quã ob rem illos non solùm tẽporaliter puniuerit, sed etiam spiritualiter reiecerit, & illis suam gratiam & lumen substraxerit, nec non regnũ Dei ab eis sustulerit. Alioqui enim nihil est, quod carnalem hominem facilius offendit, & quod minus intelligit q̃ si audiat, ꝙ Deus quosdã excæcet seu reiiciat, aut gratiam illis suã & regnũ subtrahat. Hic talis homo quã primũ incipit cogitare, ꝙ Deus improbos immeritò puniat, subtrahendo illis gratiam eósq; excæcando: & hoc modo imputat Deo iniustitiã, quæ tamẽ manifesta Dei blasphemia est. Nemo enim iudiciũ Dei conari debet humana ratione explorare. Viæ meæ (inquit) non viæ vestræ: neq; cogitationes meæ, cogitationes vestræ. Imò sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris. Habent mundi regẽtes sua iudicia, torturas, gladios, cruces, ignes, aquas, aliáq; quibus maleficos puniũt, & nemo dicit eos iniustè facere: sciũt enim omnes, ꝙ non iudex, sed peccatũ & maleficiũ hominẽ condemnat. Quam ob rem igitur non etiã Deo permissum sit, quod homini permissum est? Aut quomodo Deo pro iniustitia imputare potes, si armis suis, palis, crucibus, gladiis, &c. hoc est, fame, bello, pestillentia, quin etiam erroribus & excæcatione cõtra suos inobedientes vtatur? Graue quidẽ & horribile iudiciũ est, ꝙ à Iudæis regnum Dei ablatũ est: verùm si præcedens culpa consideretur, fateamur oportet, iustũ iudicium esse: & ꝙ non Deus, sed illi se ipsos potissimũ excæcarunt, dum lucẽ recipere noluerunt. Quẽadmodũ Ioannes de illo dicit: In propria venit, & sui eum non receperunt. Et Christus ipse: Lux (inquit) venit in mundũ, sed homines magis dilexerunt tenebras quàm lucẽ. Qua de causa semper cum Dauide dicere debemus: Iustus es Domine, & iustum iudicium tuum. Et cum Daniele: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio. Et cum Sapiente; Quis dicet tibi Domine, Quid fecisti? aut quis stabit contra iudi-

Mat. 21. *Matth. 12.* *Esa 55.* *Ioan. 1.* *Ioan. 3.* *Psal. 118.* *Dan. 9.* *Sap. 12.*

cium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? quoniam iudicans das locũ in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos seruorum tuorũ, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, & liberasti, cum quanta diligentia iudicasti filios tuos? Cùm ergo inimicos nostros multipliciter flagellas, facis id propterea, vt bonitatẽ tuam cogitemus iudicãtes: & cùm de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam, &c. Ex his vides iam quid homo probus ex iudiciis Dei desumere debeat. Hæc ideò pro initio istius sermonis dicere volui, ne quis Deum iniustum censeat, quãdo audit, quòd Iudæos non solũ tẽporaliter puniuerit, sed etiã regnũ Dei sustulerit ab eis. Sed iã verba istius Euãgelij audiemus, & paulò diligentius inquiremus. Dicit ergo

Matth. 22. Matthæus hunc in modum: Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis, eis dicẽs: Simile factũ est regnũ cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, &c. Hæc similitudo aptè illi cohæret & quadrat, quam Matthæus in ipso fine vicesimi primi capitis scripsit. Isthìc enim dicit Christus, fore vt regnũ cœlorũ à Iudæis tolleretur, & daretur Genti faciẽti fructus eius. Hîc autem loquitur Christus amplius & clarius de eiusmodi re: indicans quis ille sit populus, cui nunc regnũ Dei datũ est, & quomodo aut qua de causa Iudæi sint eiecti. Illic eis obiicitur quid illis Deus antiquitus magnorũ beneficiorũ exhibuerit ac fecerit: hîc autẽ indicatur, ꝙ illis Deus, cũ ij omnes eius seruos summa affecissent cõtumelia & occidissent, non tamẽ cessabat benefacere: & ita, vt iã primũ eos ad nuptias vocaret filij sui, iisq; summũ deferret honorẽ, cũ eos meritò summè, & cũ omni indignatione vlcisci potuisset. Veruntamẽ apertè illis ostendit, hanc postremã eorũ vocationẽ fore, vt si contẽpturi essent, nihil eis expectãdũ esse, prçter certã animaduersionẽ. Dixerat hoc illis quidẽ etiã antea, & nõ semel: cæterũ frustrà ꝙ ad eos: non tamen cessabat illud iterũ cõmemorare, docẽs hoc pacto exẽplo &

2. Tim. 4 opere, quod Paulus deinde verbis ad suũ discipulũ scripsit: Prædica verbũ, insta oportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, &c. Per hoc ostendẽs, nõ protinus desperandũ de salute peccatoris esse: simúlque Pastores docens, ne munus suũ intermittant, etiãsi videant, se parum fructus facere & frustra laborare. Iam vt ad parabolam veniamus, quã Christus in hodierno Euãgelio narrat: Simile (inquit) factũ est regnũ cœlorũ homini regi, qui

fecit

fecit nuptias filio suo. Prima hęc verba statim nobis indicāt, misericordiā Dei in hoc Euāgelio prædicari. Hūc enim morē obtinet Scriptura, quando Dei irā, iudiciū & animaduersionē describere vult, cōparat illū leoni, aut alij terribili feræ, vti in Amos videre est, sic inquiēte cap. 3. Leo rugit, quis non timebit? Dn̄s locutus est, quis nō prophetabit? Et Isaias cap. 31. Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prędā suā, cū occurrerit ei multitudo pastorū, à voce eorū nō formidabit, & à multitudine eorū nō pauebit: sic descēdet Dn̄s exercituū, &c. Sic etiā queritur Hieremias: Vrsus insidians factus est mihi: leo in absconditis, &c. Cæterū vbi Scriptura Dei bonitatem indicare vult, ibi comparat eum homini. Vt enim vertimus nos, sic etiam vertit se Deus. Si homines sumus, & viuimus ceu rationales creaturæ, homini cōparatur: cæterū si efficimur moribus belluæ, fit & ipse nobis terribilior omni leone aut vrso. Quēadmodū Dauid de illo dicit: Cū sancto sanctus eris, & cū viro innocente innocens eris. Cū electo electus eris, & cū peruerso peruertêris. Rex (inquit Christus) fecit nuptias filio suo. Hæ nuptiæ cœperunt in vtero beatæ virginis Mariæ, vbi diuina & humana natura in Christo coaluerunt, ita vt duæ illæ naturæ, Deus & homo, vna persona & vnus Christus facti sint. hæc coadunatio (inquā) initiū est omnis boni. Per eā enim Christus nobis omnibus amicitia iūctus est, & frater noster factus, vnius naturæ & sanguinis vnius, &c. Verū hoc contentus non fuit, sed quēadmodum primò naturā nostrā in vnitatē suæ personæ suscepit: ita postea totū humanū genus (quantū in ipso erat) suscepit, & sibi ipsi spiritualiter, quin etiā indissolubiliter coadunauit, & ita vt omnia tā bona quàm mala, dēpto peccato, cū illis cōmunia habere velit: idq; iuramēto cōfirmauit, & confestim ipso facto impleuit: omnia mala quæ habebamus, in se suscepit, & in seipso mortificauit: contrà verò omnia bona quæ habebat, nobis dedit ac donauit: suscepitque nos præterea, & fecit suos cohæredes. Hæ sunt nuptiæ, quas Deus pater suo filio Christo parauit & fecit: ad has nuptias primū Iudęi vocati erāt. Abrahę eiúsq; semini promissiones factæ sunt, inquit Paulus. Et iterū Rom. 9. Illorū erat adoptio filiorū & gloria, & testamentū, & legislatio, & obsequiū, & promissa. & ex illis est Christus. Ob hoc etiā dicit in Euāgelio, se nō missū nisi ad oues q̄ perierāt domus Israël. Et Petrus Act. 3. Vos (inquit) estis filij Prophetarū & Testa

Scripturæ cōsuetudo.

Thre. 3.

Psal. 17.

Exordium nuptiarum Christi.

Gal. 3.

Matth. 15.

mēti quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros,&c. Ad hos inuitatos Chriſtus primùm miſit ſeruos ſuos, cùm verbum Dei ad Ioannem fieret in deſerto, & ipſe omnibus in locis
Luc.3. ad Iordanem prædicaret & clamaret: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Dei. Deindè cùm mitteret Apoſtolos ſuos Matth. 10. cum eo mandato; In viam Gentium ne abieritis: ſed potius ite ad oues quæ perie-
Luc.10. runt domus Iſraël, dicentes: Quia appropinquauit regnum cœlorum, &c. Item cùm ſeptuaginta duos diſcipulos mitteret in omnes ciuitates & loca, ad quæ venturus erat. Sequitur in textu: Et nolebant venire. Non velle venire, quando nos vocat Deus, nō eſt peccatū ignorātiæ aut infirmitatis, ſed voluntariæ & obſtinatæ malitiæ & refractarij
Iob.24. animi. Quēadmodū in Iob de hominibus impiis habetur, ꝙ ſint rebelles lumini. Per hoc indicat Chriſtus, ꝙ ex nulla ignorantia, ſed ex mera malitia peccabant. Quēadmodum
Pſal.108. id etiā aliis in locis obiicit, vbi ait Mat.11. Cecinimus vobis, & nō ſaltaſtis: lamētauimus, & nō planxiſtis, &c. Sic etiam Dauid multò antè de hoc Iudaico populo cecinit & vaticinatus eſt: Noluit benedictionē, & elōgabitur ab eo: dilexit maledictionē, & veniet ei. Attamen bonitas Dei nō ceſſauit illos amplius vocare. Sic enim ſequitur: Iterū miſit alios ſeruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occiſa, & omnia parata. Hoc poſt paſſionem & reſurrectionem Chriſti factum. Cū enim Apoſtoli Spiritu ſancto repleti eſſent, primū mittebat eos Chriſtus ad Iudæos vocare illos; cæterū cū maiore autoritate, quàm prius fecerat. Antea enim nihil illis mādabat, vt prędicarēt, quàm ꝙ regnū cœlorū appropinquaret. Hic autē pręcipit eis omnia clarè & apertè exprimere & indicare. Ecce (inquit) prandium meum paraui, hoc eſt remiſsio peccatorum, iuſtitia, pax, gaudium in Spiritu ſancto, vita, ſalus, adoptio Dei & æterna ſalus parata iam ſunt & adſunt; hi cibi ſunt,
Pſal, 18. epulæ ſeu fercula iſtius conuiuij: omnia pulchra, iucunda & amœna ſupra omne aurum & argentum, & dulciora melle
Cœna. & fauo. In Euangelio Lucæ cœna vocatur, & non immeritò: quia vltimis primùm temporibus parata fuit. Hìc au-
Prandium. tem vocatur prandium, eò quòd myſterium hoc etiam priori ſeculo & priſcis Patribus reuelatum ſit. Vel aliâs prandium dicitur, tempus iſtius vitæ, à quo ingrati excludi & eiici iterum poſſunt: in fine cœna erit, quam nulla ſeque-
tur

tur fames, & ad quam nullus ingratus venire poterit. Vnde Lucas de nullo scribit, qui à cœna sit eiectus. Porrò amplius dicit: Tauri mei & altilia occisa, perindè est ac si dicat: Magnos sumptus & labores impendi, facite ne frustrà id fecerim. Quales autem sumptus & labores illi fuerint, indicat Paulus vbi de Christo dicit: Cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, in similitudinem hominum factus, humiliauit semetipsum, & factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Tanti illi constitit, donec nobis conuiuium hoc parauit: id quod semper considerare debemus, nec vnquam permittere, vt res eò perueniat, vt frustrà passus sit. sicuti in Propheta de quorundam hominum ingratitudine queritur: In vacuum (inquit) laboraui: sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi, &c. *Phili. 2.* *Esa. 49.*

Sequitur: Et omnia parata sunt, intellige quæ ad felicitatem hominis pertinẽt. Quippè diabolus victus est, mors oppressa & occisa, cœlũ apertũ, ira Dei placata, & omnia parata. Quẽ autẽ verbũ istud nõ meritò exhilararet? Quãto gaudio Patres antiqui verbũ istud suscepturi fuissent, si illis audire contigisset? Erant quidẽ vocati, sed nondũ omnia parata: imò futura quandoque sperare cogebantur. Ideò meritò ad nos dicitur: Beati oculi qui vident quæ vos videtis: nam multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quę vos videtis, & non viderunt, &c. Postremò dicit: Venite ad nuptias & conuiuium. Quid autem insanius, quàm si quis recuset, qui ad nuptiale gaudium & conuiuium inuitatur? Imò quem inuitatio hæc non accendat & exhilaret? Quid autem sancti Apostoli fecerunt aliud, quàm quòd nos ad nuptias & conuiuium Christi inuitauerunt? Quid facit Paulus in Epistola ad Hebræos, quàm ꝙ indicat & probat, omnia parata esse, nihil nobis aliud restare, quàm vt propudiatis peccatis, cum fiducia ad thronum gratię accedamus, vt misericordiam consequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno? Sed audi iã quid benigna ista inuitatiõ apud filios Adæ profecerit. Illi autẽ neglexerũt: & abierũt, alius in villam suã, alius verò ad negotiationẽ suã. O homines infelices, qui ad tales nuptias inuitati sunt, & tamen villã potiorẽ habent: ad quietem vocantur, & properant ad laborẽ. Quid enim omnes res tẽporales sunt aliud, quàm molestia, labor, & afflictio spiritus? Vndè condẽnati in inferno querentur: Ambulauimus vias difficiles: lassati sumus in via iniquita- *Luc. 10.* *Eccl. 2.* *Sap. 5.*

tis.&c.Non quidē malū est,in villam & ad negotiationem ire:cæterùm tales nuptias negligere,summa insania est.Sic ergo negligūt infelices Adæ filij æterna propter tēporalia: & quod ad salutē eorū facere debebat,id sibi ipsis,vt sit impedimentū,faciunt:& tamē putant ꝙ excusare sese velint: sed nulla erit corā Deo excusatio,si propter alios salutē tuā negligas. Sequitur:Reliqui verò tenuerunt seruos eius,& cōtumeliis affectos occiderunt.His verbis annuntiat Christus suis Apostolis,quòd eadem à Iudæis passuri essent;quæ antiqui Prophetæ à Patribus suis passi fuerant,id quod deindè clarius dicit:Eccè(inquit ad Iudæos) ego mitto ad vos Prophetas & Sapiētes & Scribas,& ex illis occidetis & crucifigetis,&c.Sed audi quid sequatur.Rex cū audiuisset,iratus est.Sanguis enim proborū & iustorum clamat ad cœlū, veluti Deus ipse de Abel dicit.Sic etiā audiuit Ioannes animas occisorum clamantes ad Deū : & eiusmodi clamorem exaudit Deus. Et proinde sequitur,ꝙ Rex,missis exercitibus suis,perdidit homicidas illos,& ciuitatem illorū succēdit.Exercitus Dei erant Romani:ij enim erant executores iustitiæ diuinæ,licèt & ipsi impij erant.Atq; hîc vides,quomodo Deus malis ad suum opus vtatur.Obserua autē,quòd non de vno exercitu loquitur,sed de multis:siquidem Iudęi non solùm gladio Romanorum,sed etiam fame & pestilētia consumebantur.Hi sunt exercitus illi,quos Deus cōtra hostes suos mittit:quemadmodū etiam in Ezechiele habetur.Sequitur: Et perdidit homicidas illos. Alio in loco dicit,regnum Dei auferendū ab eis esse:indicans per hoc,ꝙ spiritualiter puniri debebant.Hic autē annūtiat illis etiam temporalē pœnam. Vtranq; enim pœnam meriti fuerant: quandoquidem tam tēporalia quàm spiritualia à Deo acceperunt,& tamē illis fuerūt abusi.Verùm quod postremò dicit,Et ciuitatem illorum succendit,significat se illos funditus perditurū,queādmodum illis sæpè interminatus fuerat. Ex his autē omnibus videmus quàm Deus sit longanimis, & qualem thesaurum nobis seu cumulum diuinæ iræ cumulemus,si non facimus,vt bonitas eius ad pœnitentiam agendam nobis inseruiat. Hæc nobis ad admonitionē scripta sunt,ne in similia incidamus.Deus det nobis omnibus suam gratiam,Amen.

Matt.23. *Genes.4.* *Apoca.6.* *Ezech.38.* *Rom.2.*

Quartus

QVARTVS SERMO DE vltima parte hodierni Euangelij.


N proximè præcedente sermone prima pars hodierni Euangelij, nimirũ quantum ad Iudæos attinet, explicata est: atq; hic cũprimis obseruandum quod textus dicit, fuisse illos antea inuitatos, & deinde primùm vocatos. Per hoc autem voluit nos Scriptura indicare, per quæ media suos inuitatos, hoc est, eos quos ab ęterno elegit & prędidit ad salutem, & fœlicitatem adducat: nimirùm per externam & oris prædicationẽ. Et hoc est contra eos, qui non solùm oris prædicationem, sed etiam lectionẽ sacrę scripturæ reiiciũt, & minimè necessariam iudicãt. Quorsum opus (inquiunt) externa prædicatione, vel etiam verbo scripto? *In quorundã errores.*

Scriptũ est Ioan 6. Christiani omnes docibiles erunt Dei. Tum etiã Dauid eũ hominem beatũ vocat, quem Deus docet & erudit. Nõ oportet (inquiunt) à scriptura aut lege, sed à Deo doctos esse. Deũ audire debemus, & vocẽ eius cœlitus expectare. Si Deus olim sine externa scriptura & prædicatione ad antiquos Patres locutus est: quid ni etiã nunc posset?&c. Tales phanatici homines nunc inueniuntur, qui nullum scriptum aut prædicatum verbũ curant: sed volunt solùm & sine omnibus mediis à Deo doceri. hinc effingũt nouas suas reuelationes, iactitãt Spiritũ & occultũ eius afflatum: fallunt & decipiunt seipsos, & alios homines. Cæterùm tu bone Christiane, omni diligentia caucbis tibi à tali errore & amẽtia, si modò nolis seduci. Diabolus enim talia molitur, quò nos à salute nostra abducat, &c. Quis eñ nescit, ꝗ nos Deus etiã absq; externo & corporali cibo cõseruare possit? quẽadmodum in Mose & Elia mõstrauit: nemo autẽ proptereà contẽnit panẽ. Deus plerunq; sua opera etiã efficit per media: pascit nos, sed pane: creat nos, sed per medium nostrorũ parentũ: largitur nobis suũ Spiritũ, sed per annuntiationẽ & obedientiã sui Euangelij. Hoc dicit Paulus apertè, Fidẽ esse ex auditu: fides autẽ est fructus Spiritus sancti. Porrò alio in loco dicit, quos ab æterno ad felicitatẽ præuidit, eos in tẽpore vocasse: & quos vocauit, eos etiã iustificasse. Et iterũ: Euangeliũ audiuistis, in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto: etiã visibiliter seu sensibiliter super omnes eos, qui Petrũ audiebant loquẽtẽ. *Psal.93.* *Deus per media operatur.* *Rom.10.* *Gal.5.* *Rom.8.* *Ephe.1.* *Act.10.*

Vt ergò irrisio Dei esset, si quis panẽ habeat, & illo non vtatur, sed expectet, donec illũ Deus cœlitus pascat: ita etiã Deũ tentare est, si quis scripturã & prædicationem habere possit, nec illis tamen vti velit: sed expectare & existimare, Deũ docere se cœlitus oportere. Ideò dixi, ne quis prædicationẽ aut Scripturã sacrã cõtẽnat: sed omnes sciant, cõmunia esse media, per quæ nos docet Deus. Non refert, si Spiritum sanctũ non semper ita statim sensibiliter accipias: nouit suũ tempus quando venire & operari debeat: tu tantũmodò cura, ne media contẽnas, per quæ Spiritus sanctus datur. Sed hæc missa facio, reliquã quoq; hodierni Euangelij partem audiemus. Sequitur: Tunc ait Rex seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erãt, nõ fuerunt digni, &c. Ex hisce verbis habere possumus, ꝙ quidẽ Dei promissiones ad multos homines fiunt, sed in paucis implentur: causa est ingratitudò nostra, & indiligentia. Sic Israëlitarũ sexcenties mille viri promissionẽ acceperãt, fore vt in terram Chanaan venirent: postremò tandẽ nõ nisi duo inuẽti sunt, in quibus promissio impleta fuit. Quid autẽ impedimenti fuerit, ꝙ maior illa turba non etiã in terram promissam venerit, indicat Scriptura: erat nimirũ incredulitas eorum & inobedientia ac rebellio: nõ credebant Deo, ꝙ terrã obtinere possent, & ob id incipiebant, volebántq; redire in Aegyptum. Hæc causa erat, quam ob rem promissio in illis non implebatur. Sic erat etiã toti Israëlitico populo salus per Christum promissa, cæterũ in eorum paucis impleta fuit.

Num. 14.

Secundò in textu indicatur, quòd promissiones Dei certæ, firmæ, irreuocabiles maneant, etiamsi desciscant ab ea, quibus eiusmodi promissiones factæ sunt. Sic Deus Dauidi promiserat, se daturũ de fructu ventris sui Christum, qui in ipsius sede æternũ sederet. Verũ cùm Dauid in Vriã & vxorem eius deliquisset, & deindè etiã à proprio suo filio pulsus esset, omnes putabãt, Deũ promissionem suã reuocaturum: sed firma mansit. Vndè & Dauid ipse orabat, vt promissionibus suis vinceret, si quando ab hominibus iudicaretur. Perindè ac si diceret: Dñe da & serua, quod mihi promisisti: non ꝙ dignus sim, sed vt omnes homines videant, te iustum esse & veracem in tuis verbis. Sic Abrahæ & semini eius benedictio per Christum promittebatur: & quanquàm posteri eius Christũ acceptare nolebant, non tamẽ propterea Deus promissiones suas reuocauit. Nunquid incredulitas

Psal. 131. *2. Re. 11.* *Psal. 50.* *Rom. 3.*

tas illorum fidem Dei euacuabit, inquit Paulus? Absit. Manet enim Deus verax, vt maximè omnes homines per se sint mendaces. Scit, quomodò & in quibus promissiões suas implere debeat. hi si recusant, nouit alios. si nati non sunt, efficere potest vt nascantur. Iudęi sibi ipsis persuaserant, Dei promissiones ad se tantum & genus ipsorũ pertinere: credebántq; eas in ipsis solis impleri oportere. Hinc fiebat, ꝙ toties se filios Abrahæ & Dei iactabant. Sed hãc tam præsumptuosam illorũ fiduciã auferebat illis Ioãnes Baptista vno verbo, vbi ait: Deũ esse tam potentem, vt etiam ex lapidibus Abrahæ filios facere posset. Id quod & fecit: ex Paganis em̃, qui lapidibus duriores erant, Abrahæ filios fecit. in quibus adhuc in hodiernum suas promissiones implet. Hoc igitur modo ex Iudæorũ incredulitate & pertinacia, salus ad Gentes peruenit, & eorũ defectio nobis proficua fuit, &c. Iudæi haud cogitabant, promissionẽ Dei in Gentibus implendam esse. Attamẽ factum id est. Quæ res meritò nobis terrorem incutere debet. Quanquã enim promissio Dei firma & infallibilis est, nescimus tamẽ, in quibus impleatur. Enimuerò videmus, quòd etiam maior pars Gentiũ, quæ primæ Euangelium acceptauerant Christi, imò penè omnes ij, ad quos Paulus suas Epistolas scripsit, iterum à fide desciuerint. Veruntamẽ licet tales in promissiõibus Christi nullã ampliùs partem habeant: habet Deus alios, & plures quotidie inuenit, in quibus promissiones suas impleat. Quod autem illis accidit, id etiã accidere nobis potest. Si Deus promissa sua seruare potest, etiamsi maior pars mundi ab iis defecerit: poterit illa vtiq; etiã seruare, etiãsi nos proteruos Germanos quoq; reiiciat. Quapropter semper in memoria habere debemus verbũ illud Pauli, vbi ait: Noli altũ sapere, sed time: nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, sed recidit, fortè nec tibi parcet. Vide ergo bonitatẽ & seueritatẽ Dei: in eos quidẽ qui ceciderunt, seueritatẽ: in te autẽ bonitatẽ Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excidêris. Tantũ hac de re. Nuptiæ (inquit Rex) paratę sunt: sed qui inuitati erant, nõ fuerũt digni. Verissimum est. nã si nos ipsos consideramus, nemo nostrũ tali gratia per se dignus est: quandoquidem hac in parte nõ nostra dignitas, sed Dei misericordia præcipuum locum habet. Nõ ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos (inquit Paulus) sed secũdũ misericordiam suã saluos nos fecit Deus. Nihilominus Deus eos ho-

Psal. 115.
Ioan. 8.
Matt. 3.
Rom. 11.
Noli altum sapere sed time.
Ibidem.
Tit. 3.

mines sua gratia dignos iudicat, qui illi fideliter seruiunt, grati sunt, & syncera ei fiducia & charitate adhærent. Tales homines (inquam) omni bono dignos iudicat. Nã quicũq;
1. Re. 2. honorificauerit eum, hunc vicissim glorificabit. E diuerso oẽs eos sua gratia indignos censet, qui illi fideliter non seruiunt, aut ingrati sunt, & per fidem & charitatem illi nõ ad-
Act. 13. hærent. Eámq; ob rẽ dicit diuus Paulus ad Iudæos, quòd se ipsos per incredulitatẽ & inobedientiã, & rebellionẽ suã indignos diuina gratia facerent, quibus tamen Deus præ aliis omnibus hominibus prærogatiuã dederat. Ite (inquit Rex ad suos seruos) ad exitus viarũ: & quoscũq; inueneritis, vocate ad nuptias. Hoc posteà factũ & impletum est, vbi Chri-
Mar. 16. stus ad suos discipulos dicebat: Euntes in orbem vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Nõ sine causa autem habetur hîc, ꝙ miserit eos ad oẽs exitus viarum. Quis enim nescit, qualis olim inordinatio apud gẽtes fuerit, quã multæ viæ, linguæ, sectæ, errores, superstitiones, ritus seu mores fuerint? Vndè & Rex dicebat, Ite ad exitus viarũ. Hoc miseris nobis peccatoribus magnũ præbet solatium, quòd Deus neminem reiicit ob priora cõmissa, si modò ad præsentem vocationẽ resipiscat & expergefiat, & eã probè sequatur. Hoc ergò pacto sancti Apostoli ad nos, qui aliquandò
Eph. 2. Ethnici eramus, venerunt, annũtiauerúntq; nobis quòd ex iussu Dei nobis primùm annuntiare debebant: nimirùm ꝙ omnia parata, empta & acquisita sint, quæ ad salutem nostram pertinẽt. Talibus verbis, talibus promissis, tali Euãgelio Apostoli traxerunt nos, vt ad Christum accurrerimus: atq; etiamdum illum sequimur, & currimus in bono
Cant. 1. odore istius vnguenti. Oramus cum amante anima: Domine trahe nos post te. Gratias agimus cum sancto Daui-
Psal. 22. de: Parasti Domine in conspectu meo mẽsam aduersus eos qui tribulant me, &c. Sic igitur nuptiæ impletæ sunt, mensæ occupatæ, & cœlestis Regis volũtati satisfactum, vt sumptus non inanes fuerint, nec Christus frustra passus sit. inuenti quippè iam indè ab initio sunt, qui magna cupiditate & gaudio ad has nuptias venerunt: sed tamen nõ omnes. paulò enim pòst scriptum est: Congregauerunt malos & bonos. Non enim omnes boni sunt, qui ad has nuptias & ad Euangelium & gratiam Christi veniunt. Sancta Ecclesia
Matt. 13. huius temporis, agro comparatur, qui inter bonum triticum etiam multum lolij fert, quod tẽpore messis in ignem

proiicie

proiicietur. Imò Ecclesia huius tēporis, est veluti horreum seu area, vbi paleis siligo mista est, donec vētilabro separentur. Ventilabrum autē erit sententia, quam Christus summus iudex in extremo die super bonos & malos pronuntiabit. *Ventilabrum.* *Matth.25.* Intereà temporis misti manent, vt alius ab alio nō facilè dignosci posit. Imo sæpè fit, vt mali primum habeant accubitum, & pro optimis habeantur. Cæterùm vbi Rex venerit, tum occultæ cordis cogitationes reuelabuntur. *1.Corinth.4.* Tum fatuæ virgines à prudentibus, fideles serui ab infidelibus, boni Christiani à falsis, oues ab hœdis dignoscentur. Et quid amplius? Nunquid tantummodo dignoscētur? Imò tum implebitur quod Deus in Dauide dicit ad vnumquēque hominem impium: *Psal.49.* Arguam te, & statuam contra faciem tuā peccatum tuum. Et quod Deus in Isaia cap.42. dicit: Tacui semper, & silui: nunquid æternùm silebo? Sicut parturiēs loquar: dissipabo & absorbebo simul. Desertos faciam montes & colles, & omne gramen eorum exiccabo, &c. Nam quando Deus incipit cum suo iudicio loqui, tum omne quod viride videtur, hoc est, sola externa species exarescit: & omnes aquę exiccantur, hoc est, nulla rerum temporalium abundantia proderit quicquam. Quid ergo Rex dicet? Amice quomodo huc venisti, vestem nuptialem non habens? Hîc vide quid in homine isto reprehendatur, nimirùm quòd veste nuptiali non fuerit indutus. *Vestis nuptialis, Christus & eius imitatio.* Quæ illa nuptialis vestis est, in qua nobis tam multū situm est, quòd qui ea indutus est, hunc Deus agnoscit pro suo filio: qui autem ea nō est indutus, hunc inter suos filios nec habere, nec nosse vult? Vestis est de qua Paulus dicit: induite Dominum Iesum Christum. *Rom.13.* Et iterum: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & veritate sanctitat[is]. *Ephe.1.* Duobus autē modis Christum induimus. Primò, quādo per veram pœnitentiam peccata nostra, culpam & inobedientiam castigamus, & illius iustitia, meritis & obedientia expiamus. Deinde & secundò, quando exemplū charitatis illius sequimur, quēadmodum in vltima cœna docet: Nouum mandatum (inquit) do vobis, *Ioan.13.* vt vos inuicem diligatis, sicut ego dilexi vos. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueris adinuicem. Et Paulus: Induite viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem: *Col.3.* & donantes vobismetipsis, sicut & Christus donauit vobis, &c. Hæc nuptialis vestis est: & qui tali veste indutus

ductus non est, is haud dubiè audiet quod ad hominem hunc dicebatur: Amice, quomodo huc venisti, vestem nuptialẽ nõ habens? Hoc perindè est ac si dicat: Ego quidem fidelem me tibi amicum exhibui, & è tenebris eduxi te: tu verò sola fide contentus, præ te tulisti quidem amicum, reuera tamen hostis meus es & aduersarius. Quomodo igit̃ huc intrare fuisti ausus? An ignoras, prandium hoc nõ canibus, sed filiis apparatum? Non tu meam extimuisti iram? An nescis quòd ego sum Deus vltionum, qui reddo retributionem superbis? aut existimasti quòd ero tui similis? ideóne os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnauit dolos? Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum, &c. Hæc fecisti & tacui: arguam te, & statuam contra faciem tuam. Sed dura valde hæc erit sententia. Et ob id mox subiicit Dauid: Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum: nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Hoc dictum sibi quilibet existimet. Quando te tua arguit conscientia peccati alicuius mortiferi, perindè sit tibi ac si dicatur ad te: Amice quomodo huc venisti? Quomodo te Christianum appellare audes, & tamen nihil cum Christo cõmune habes? Quomodo oculos tuos ad cœlum attollere audes, qui Deum in cœlo blasphemas? Quomodo tu te inter filios Dei numerare & collocare audes, qui adeò durus es & immisericors erga miseros filios Dei? &c. Hanc querimoniam & castigationem quando in tua conscientia sentis, festina peccata tua pœnitentia & confessione sacramentali tegere. Potest enim dum viuis, huic rei adhuc consilium reperiri. Illic nullum amplius remedium erit. Propterea sequitur in Euangelio, quòd miser homo obmutescebat, non poterat se excusare, nec gratiã rogare poterat. Siquidẽ coram iudicio Dei nulla proderit excusatio: nec erit locus ampliùs & tempus gratiã eius impetrandi. At quid homo potest, cui omnis excusatio atque spes gratiam impetrandi adempta est, aliud expectare, quàm sententiam æternæ condemnationis? Quapropter mox sequitur: Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Dura indubiè & horribilis sententiã. Ligate illi manus, ne salutẽ suã ampliùs quærere & operari possit. Post hæc enim tẽpora nemo ampliùs bonũ operari poterit. Ligate illi pedes, ne pœnã effugere possit. Quid ergo homine misero reliquũ sit, qui neq; bene agere, neq; malũ effugere potest?

Psal. 93. *Psal. 49.* *Matth. 22.* *Ligantur manus.* *Ioan. 9.* *Pedes.*

Eiicite

Eiicite eum è cōmunione & consortio sanctorũ, quibus hactenus vsus est: imò proiicite eũ in exteriores tenebras, quò pœna delicto sit æqualis. Internas tenebras vltrò sibi elegit: externas tenebras cōtra animi sui volũtatē patiatur. Proiicite eum in tenebras, vbi neq; Deum neq; felicitatem videre possit: ibi erit fletus & stridor dētium, internus & externus dolor ac pœna. Meritò flere cogetur, qui hîc flere nolebat. Dētibus stridebit, qui hîc ad Deũ clamare nolebat. Hæc erit sententia cōtra malos & falsos Christianos. Ab hac liberare tum eos nemo poterit, nec miserebitur illorũ quisquã: quinetiam misericordia illorum obliuiscetur, quēadmodũ diuus Iob dicit. Sub hæc concludit Christus parabolam hanc: Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. His indicat, quòd sententia ista condemnationis, nō in vnum tantùm hominem feretur, sed in multos. Ais: Quid ergo nobis faciendum? Num animũ despōdebimus, & desperabimus? Nequaquam. Sed quando audimus, quòd pauci homines salui fiant, tantò maiorem adhibere debemus diligentiã, vt etiã in pusillo grege inueniamur. Sic enim faciũt quoq; ij, qui pro brauio currunt. Quilibet inter illos hoc maiori conatu currit, posteaquã nouit, ꝙ nō nisi vnus brabeũ obtinere possit. Itidē & nos facere debemus: & in hũc finē parabola hæc dicta & scripta est. Deus det nobis omnibus suã gratiam, Amen.

Tenebræ. *Fletus.* *Stridor dētiũ.* *Iob 24.* *1. Cor. 9.*

DOMINICA VICESIMASECVNDA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM SANCTI IOAN. CAP. IIII.

ERat quidem Regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cùm audisset quòd Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet ac sanaret filiũ ipsius: siquidem is agebat animam. Dixit ergo ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Dicit ad eum Regulus:

Matth. 9. *Mar. 5.*

lus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixerat ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui eius occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes: Filius tuus viuit. Sciscitatus est ergo horam ab eis, in qua melius habuisset. Et dixerunt ei: Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quòd illa hora erat, in qua dixisset sibi Iesus, filius tuus viuit. Et credidit ipse & domus eius tota.

EADEM DOMINICA

EPISTOLA SANCTI PAVLI, EPHES. VI.

FRatres: Sitis fortes per Dominum, pérque potentiam roboris illius: Induite totam armaturam Dei, vt possitis stare aduersus assultus diaboli. Quoniam non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Quapropter assumite vniuersam armaturam Dei; vt possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State igitur lumbis circuncinctis balteo per veritatem, & induti thoracem iustitiæ, & calciati pedibus, vt parati sitis ad Euangelium pacis: super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. Galeámque salutis accipite, & gladium spiritus, qui est verbum Dei.

PRI

PRIMVS SERMO DE Euangelio in genere.



ODIERNVM iſtud Euãgelium pulchrum & breue colloquium habet, quod Chriſtus aliquando habuit cum Regulo quodã ſeu potente. Euangeliſta nominat eum Regulum, fortè nobili aut comiti, noſtri temporis parem, perſonam ſpectabilem & claram coram mundo. Veruntamen is deprehendebat in ſua domu, in ſuo filio, quod neque eius potentia, neque diuitiæ, neq; nobilitas eius & proſapia, vel etiam propinquorum multitudo arcere poterat. Apud Chriſtum auxilium quærere eum oportebat: atque iſthic etiam illud inueniebat. Hæc occaſio erat iſtius colloquij, quod tamen paucis verbis tranſigebatur. Regulus bis loquebatur, Chriſtus bis reſpondebat. Hæc duo vtilia nobis facere poſſumus, ſi volumus. Si neſcis quomodo cum Deo colloqui debeas, hîc potes id diſcere. Si neſcis quid de Deo ſperare debeas, hîc nimirùm videre id potes. Regulus, vt dixi, fuit magnæ opinionis perſona corã mundo: attamen quantumuis nobilis, quantumuis diues, quantumuis potens erat, vbi cum Chriſto loqui debebat, neque ſuæ nobilitatis memor erat, neque ſuæ potentiæ, neque ſuarum diuitiarum, neque ſuæ proſapiæ. Quid ergo? Orabat atque obſecrabat. Et hic verus modus eſt cum Deo agendi & loquendi, humiliare ſeſe & ardenter orare: quærere, pulſare: idque totum ex animo & perſeueranter. Sed non poteſt hoc & facit quilibet, ideóque ſæpè manu vacua domum reuertimur. Poſtulatis (inquit ſanctus Iacobus) & nihil accipitis, quia non rectè poſtulatis. Videmus in mundi filiis, quòd eundem faſtum exerceant, ſtantes coram Deo, quemadmodum alioqui eum exercent coram mundo, quaſi Deus ob illorum faſtum, nihil eis denegare auſit: aut quaſi non legerint, quòd Deus ſuperbis reſiſtat, humilibus autem det gratiam. Non frater. A mundo & ab hominibus aliquid vt impetretur, non omnino nihil facit nobilitas, diuitiæ, ſeu potentia: talibus enim hominibus nihil quis audeat denegare, niſi indignationem & inimicitias expectare lubeat: cæterùm Deus non curat neque diuitias, neque potentiam, neque generis claritudinem. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, qui eſt omnium dominator: nec verebitur magnitudinem

Regulus. *Ioan.4.* *Luc.11.* *Iacobi 1.* *1.Pet.5.* *Sap.6.*

dinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Nullius timet hominis potentiam, nec cogere eum quisquam potest, nec opus habet compensatione. Quapropter quò quis humilior venit, hoc citius quod petit consequitur. Spiritus nãque contribulatus illi acceptum sacrificium est: & cor contritum & humiliatum nunquam despiciet. Hoc Regulus iste intellexerat, & ita intellexerat, vt cum gaudio in domũ suam reuerteretur, qui tanta cura & solicitudine exiuerat, & Christum fuerat secutus. Abi ergò ô bone Christiane, & tu itidem fac. Si ad Deum accedere vis, eius gratiam & auxilium impetrare depone & domi relinque quibus homines fidunt, bona temporalia, potentiã, honorem, diuitias, &c. Nec propriæ præfidas iustitiæ: pone philautiam, Dei potissimùm fidas gratiæ, ita nudũ te coram illo statue, indica illi necessitatẽ tuã in bona ac pia fiducia, effunde corã illo animã tuam, quemadmodũ S. Dauid faciebat: clama, ora & obsecra: insta, ne deterreare, nec moram ægreferas: & non dubita, te æquè magnã orandi causam habere atq; ille Regulus habet. Etsi enim filiũ ægrotũ non habes, animã tamẽ ægrotã habes, quæ multò maioris momẽti est. Quapropter semper dicas, Domine veni antequã filius meus, anima mea moriatur. Sic orabat etiã Dauid: Inclina domine ad me aurẽ tuam: accelera vt eruas me. Quod si feceris, senties nimirũ quod Regulus iste sentit. Vade (inquit Christus ad illum) filius tuus viuit, & est sanus. Hoc erat respõsum, quod illi tãdẽ Christus dabat: quod quidẽ seriùs, sed tamẽ sat in tẽpore fiebat. Principiò Christus seuerum nõnihil & inhumanũ sese exhibebat. faciebat perindè ac si neq; illũ audire, neq; opitulari filio eius vellet: sed tamẽ facilè eã seueritatẽ remittebat. Austeritatẽ suã verbis tantùmodò declarabat. Non creditis (inquit) nisi videatis signa & prodigia. Hísce quidẽ verbis arguit imbecillitatẽ fidei Reguli, sed tamẽ nõ propterea prorsus reiecit eum. Quò verbũ istud seuerius erat, hoc sequẽs verbum magis consolatorium erat. Imò non solùm verbum erat, sed ipsum opus simul sequebatur. Vade, inquit, filius tuus viuit. Et in illa hora & momẽto sanabatur. En, hoc colloquium est, quod Euangeliũ istud nobis proponit, pauca habet verba vtrinque, sed admodum bona. Optandum esset sanè, vt omnes Christiani ab hoc mundano homine, exemplum caperent, ad parem in propria ipsorum spirituali necessitate & defectu

Psal. 50. *Psal. 141.* *Psal. 30.* *Ioan. 4.*

defectu diligentiam declarandam, quemadmodũ hic fecit in corporali necessitate & periculo sui filij. Nihil intermisit, quod ad rem faceret, neq; antè neq; pòst. Postquàm necessitas & periculum aderat, non conquiescebat: domum & omnia relinquebat, nullos curabat sumptus, nullo grauabatur labore, obliuiscebatur nobilitatis & suæ familiæ: nõ pudebat eum petere à Christo, qui tum tẽporis nullius videbatur authoritatis: properabat & vrgebat eum; nõ cessabat, donec optatũ responsum esset nactus. Hoc faciebat priusquàm Christus miraculum in illius ægroto filio exhibebat. Post acceptam gratiã Regulus iste adhuc multò fiebat deuotior: non faciebat vt mundus plerunq; solet, qui in tribulatione solùm & periculo deuotus est. Veluti Dauid de suis Iudæis & Israëlitis dicit: Cùm occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculò veniebant ad eum. Hunc etiam in modum Osee scribit de eiusmodi hominibus: In tribulatione sua manè consurgent ad me, Venite & reuertamur ad Dominum, &c. At Regulus iste multò facit aliter. Credidit (inquit Ioannes) & domus eius tota. Tali eum animo præditum sciebat Christus, ideóq; nulla erat hîc recusatio: vno defectu laborabat, ꝙ initio non tam syncerus & fortis in fide erat, quàm quidem necessarium & æquum fuisset. Sed tam citò defectus hic corrigebatur in illo, vt vnicum verbũ quod Christus dicebat, Vade, filius tuus viuit, ita sufficeret, ac si Christus ipse congressus fuisset. Et compertum quoq; est, ꝙ hoc vnicũ verbum tantùm in ægroto profecit, quantum vel ipsius Christi præsentia efficere potuisset. Tãtum potest vera & viua fides, & sic Deus glorificat honorificãtes se, & suo verbo rectè ac piè credẽtes. E diuerso autẽ dicit S. Iaco. Qui non credit, is non existimet, ꝙ aliquid à Deo accipiat. Quia enim Deo hunc honorem non defert, vt illum pro verace iudicet; nec ei hunc honorẽ Deus defert, vt illi auxilietur. Hoc vnum est & primũ quod in hoc Euangelio obseruandũ est: nimirũ colloquiũ, quod Regulus cum Christo, & Christus cũ illo habuit, & quomodo hæ duæ personæ in eo colloquio sese gesserint. Deindè verò & secundò, pulchrè videmus in hoc Euangelio simul quæ infirma aut fortis fides & sit & nominetur, & quomodo harum singula Christo placeat. Veniebat Regulus, & opem quærebat apud Christum, id quod argumentum erat, quòd credebat Christum filio suo succurrere posse, alioqui Christum non fuisset secutus. Nemo

Psal. 77.

Ose. 5.

1. Reg. 2.

Iacob. 1.

Rom.10. enim alterius auxilium implorat, de quo nihil boni sibi pol licetur, aut in quem non credit. Quomodo inuocabunt, in quem nō crediderunt, inquit Paulus. Quòd autem Regulus iste Christum deprecatur, vt ad ægrotum filium congrediatur: itē ꝙ ita festinat & instat, vt quàm ocyssimè fiat priusquàm moriatur filius, perindè ac si Christus solùm in vita & non etiam in morte & post mortem, & præsens tantūmodo, & non etiam absens auxiliari posset: hoc indicat infirmam & imperfectam fidem. Ea quidem sibi aliquid promittit, sed semper concurrit nimius metus & dubium, quēadmodum Matth.17. & isthìc argumenuū extat in Matthæo, vbi quidam dæmoniacum ad Christum adducebat, qui quidem etiam nonnihil spei habebat. Sed quia sancti Apostoli in misero homine periculū fecerant, nec tamen quicquam effecissent, fiebat & pater tantò magis pusillanimis: Domine (inquit) discipuli tui non potuerunt curare filium meū: sin tu aliquid potes, auxiliare & miserere nostri. En, hic simul etiā metus & dubium concurrit: aliquid fidei aderat, sed parum admodum.

Sic etiam res habebàt cum isto Regulo. Credebat Christum auxiliari posse, sed tamen verebatur interim, ne si Christus ipse & quidē citò non veniret, frustrà esset, & neglectū. Simili modo experimur imbecillitatem fidei etiam in nobis, & præcipuè quando nos tribulatio & crux premit. Solatium quidem nobis præbet, quando de Deo eiúsque promissionibus audimus: interea verò semper nobis incidunt cogitationes illę: Quis scit, num res ita habeat, nécne? Quis scit an tales promissiones etiam ad me pertineant? Si tam probus essem, quàm hic vel ille, aut res meæ sic vel sic haberent, fortè mihi subueniri posset, &c. Tales cogitationes semper nobis incidunt. Hæ frangunt nobis animum, vt nimium dubitemus, & deindè etiam tantò diffidentius peta-Ioan.4. mus. Hoc reprehendit Christus in isto Regulo, vbi ait: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Perindè est ac si dicat: Tot hactenus miracula ædidi, vt meritò maiora de me sentire debeas: nimirùm ꝙ filio tuo etiā absens, quin etiam post mortem eius, opem ferre possim. Sed omnia frustra in vobis fiunt: non creditis nisi quę videtis. Quid ergo faciam? Eodem etiam modo reprehēdit eum, de quo superius dixi, Matth.17. qui ad eum veniebat dicens: Domine si potes, auxiliare & miserere nostri. O generatio, ait, incredula & peruersa, quousq; ero vobiscū? vsq; quo patiar vos? Omnes hæ querelæ etiam

etiam in nos competunt: imò Christus in hoc & aliis locis seueriùs etiam nos increpare potuisset: nimirũ hunc in modũ, Quid mihi rei vobiscũ, vos ingrati & imprudentes Adæ filij? Quia non solùm non veram & viuam fidem vobis hauritis, nisi videatis semper signa & prodigia: sed nec ad me venitis, nisi vrgeat vos corporis necessitas. Si quid alioqui vobis spiritualiter promitto & offero, id penitus non curatis. Sic etiã querebatur olim de populo Iudaico. Cui similem æstimabo generationẽ istam? Similis est pueris sedentibus in foro: qui clamantes coæqualibus suis, dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus & non planxistis. *Matth. 11.*

Et sub id mox etiam incipit minari: Væ tibi Corozain, vę tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Hunc in modum Christus arguit ingratitudinem in Iudæis. Idem fermè & nos pro more habemus. Non credimus nisi videamus: nõ currimus ad Deum, nisi impellat nos externa necessitas & infortuniũ. Omitto nunc, ꝙ multi inter nos sunt, qui non credunt, etiãsi signa conspiciant: nec currunt ad Deum, etiamsi malis multis eos affligat. Quapropter quantumuis imperfectus hic Regulus fuerit, optandum tamen foret, ne quis inter nos imperfectior esset, & minus faceret, quàm ille fecit. Nam si primò credere non poterat sine signo, tantò autem postea firmius & ardentius credebat, simul atq; signum viderat: nec ille solũ, sed & tota eius domus. Imò mox vt eũ increpauerat Christus, credebat etiam nudis verbis priusquàm miraculum factum erat. Et præter hoc etiamsi in sua felicitate Christum dominũ non curabat, veniebat tamẽ in necessitate ad eum. *In nostram desidiam & torporem.*

Quòd si etiam nos tantum faceremus, iam curari possemus. Imperfectio quidem est, vbi nõ credit homo, nisi signa conspiciantur, & vbi non curritur ad Deum, nisi puniat. Veruntamen si etiam in necessitate ad eum veniatur, & infirma fide, nec tum denegat suam opem. Id quod cumprimis obseruandum. Siquidem ea res non paruum solatium dat ac præbet omnibus pusillanimis & paruæ fidei hominibus. Alioqui enim si Christus hos omnes reiiceret, & nulli suum exhiberet auxiliũ, qui in extrema primùm necssitate ad eũ veniret, multis nostrûm desperãdũ esset. Atqui videmus hic ꝙ etiã paruæ fidei hominẽ non reiicit, neq; illi qui in extrema necessitate ad eũ venit, opẽ suã denegat. Vt enim pater

Psal. 120. misereretur suorum filiorũ, sic Deus miseretur timentibus se; scit enim figmentũ nostrũ. Saltē ne semper ita infirmi & frigidi in fide maneamus, nec nunquam de Deo cogitemus, nisi necessitate monēte. Diabolus quidem omnem adhibet diligentiam, vt nos pusillanimes & dubios in fide faciat, & nobis in felicitate oculos fascinet, vt Dei præcepta negligamus, & eius esse memores in rebus florentibus non possimus. Sed Euangelium istud aliter nos docet. Satis enim apertè in eo videmus, qualiter Deo placere possit fluctuans illa & mortua in corde fides, & tepida ac desperabunda oris oratio. Non quidem semper illos omni solatio destitutos à se dimittit: sed increpat eos verbis, quòd non maiori fiducia & charitatis feruore ipsum orant. Hunc honorem postulat, vt pia cum fiducia eum inuocemus, nec vnquam siue de eius potentia, siue bonitate desperemus. Atque ideò etiam approbabat, quòd leprosus nihil dubitabat, sed dicebat: Domine si vis, potes me mundare. Et hac ipsa de causa
Matth. 8. collaudabat Centurionem coram omnibus Iudæis, quòd crederet & confiteretur, Christum omnia posse vno verbo
Ibidem. efficere etiam absentem corpore, Amen dico vobis (inquit) non inueni tantam fidem in Israël. Talem fidem deprehendimus quoque in fine in isto Regulo. In bonum ei cedebat, quòd Christus imbecillitatē fidei illius increpauerat. Quàm pusillanimis primò fuerat, tam postea fortiter adhærescebat & obediebat verbo Christi. Mox vt Christus verbum hoc dicebat: Vade, filius tuus viuit: nihil amplius desiderabat, abibat, videbatur illi hoc verbũ non minus sufficere, quàm si ipse Christus congressus fuisset. Hæc vera dicitur fides, vbi omni dubio & tepore seposito, verbo Dei ita adhæretur, atq; per omnia obtemperatur, perindè ac si Deus ipse præ oculis cernatur habeatúrq; præsens. Hunc Deus suum honorem existimat, neque irremuneratum sinit. Et ob id etiam cōperimus hîc, ꝙ Reguli filius in illa ipsa hora conualescebat, cùm Christus verbum illud diceret, & illi pater suam fidem & pium animum accommodaret. Habemus ergo ex hoc Euangelio, quæ sit infirma & fortis fides, &
Luc. 17. quid Deo vtrobique probetur. Is nobis semper fidem nostram augeat, & nos in viua & catholica fide confirmet, vt præstare possimus in tribulatione, & contra fallaces laqueos diaboli, Amen.

SEC-

SECVNDVS SERMO ITIdem de Euangelio in genere.



HODIERNVM istud Euangelium breuem habet historiã, sed talẽ, quæ bono cuiq; Christiano multa cõsideranda præbet; quacunq; in parte illã etiã inspiciat & apprehendat. Quatuor in ea cõmemoratæ sunt personæ. Filius ægrotabat: pater currebat & deprecabatur: Christus auxiliabatur & consolabatur. Tota familia propterea credebat in Christum. Quadruplices hæ personæ sunt: ex iis sume quamcunque voles, obiectum habes & causam ad considerandum multa bona. Eius rei documentum simplicibus aliquod dabo. Principiò propone tibi personam ægroti adolescentis, videbis Sapientem verè dixisse, adolescentiam & voluptatem vana esse & inania: itémque diuitias nihil prodesse in die vltionis. Et iterum, Fallacem esse hominum gratiam, & corporis pulchritudinem esse vanam: quibus fidere nemo possit. Imò apud hunc ægrotum filium videbis, quòd Iob rectè dixerit, hominem de muliere natum breui tempore viuere, repleri autem multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Tandem etiam hîc videbis, Dauidem Psal. 32. non sine causa dixisse: Non saluatur Rex per multam virtutem: & Gigas nõ saluabitur in multudine virtutis suæ. Et quòd Isaias cap. 49. non frustrà hoc mandati habuerit, vt clamaret, hoc est, alta voce, magna contentione, & ex omnibus viribus annunciaret & diceret: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos agri. Excicatum est fœnum, cecidit flos: verbum autem Domini manet in æternum. Hoc (inquam) Propheta iste clara voce & omni conatu prædicare debebat. quippè mundus non credit, quòd diuitiæ eius, potentia, sanitas, iuuentus & voluptas, nihil aliud & melius durabiliúsque sit, quàm fœnum & flos agri. In hoc autem Euangelio videmus ipso opere cõprobatum in ægroto filio. Quid enim defuit ei in omni eo, in quo mundus fastum suum & gloriam collocat? Diues erat, nobilis, amabilis, iuuenis & pulcher, attamẽ à morbo sese defendere non poterat, etiam contra voluntatem suam scripturæ suffragari cogebatur, ꝙ omnis caro fœnum sit, atq; hoc pacto videmus quotidiano vsu, ꝙ Deus magnos di-

Eccl. 11. *Prou. 11.* *Prou. 31.* *Iob. 14.* *Omnis caro fœnum.*

uites, potentes, nobiles æquè ausit inuadere, atque pauperes & ignobiles. Quid ergo est, in quo homo sibi ipsi fidere possit? Quā spem habere potest in suis opibus, potentia, nobilitate, pulchritudine, iuuentute, & amicorū multitudine? Omnia vanitas, inquit Salomon. Quid igitur effertur homo supra aliū, & præsertim in iis rebus, quæ illum neq; à morbo, neq; à morte tueri possunt? En, hoc simplici homini circa ægrotū filium considerandū est. An non autē pulchra & vtilis consideratio est pro iis, qui confidunt in sua fortitudine, & magnas suas opes & diuitias iactitant? Quid aliud illis deest, quid aliud illis blanditur, quid aliud illos seducit ac decipit, quàm quòd non considerant, imò nec credūt, omnē ipsorū gloriam nihil aliud esse, qui florem, qui hodie stat pulcher, cras cadit & interit? Tantò magis se in hoc speculo cōtemplari debent, & sic futurū est, vt arrogātia eorum multū minuatur, eritq; eis magna causa ad humilitatē. Hic ergo est filius ille ægrotus: is docet, nos in corpore nostro variis morbis, & deniq; etiā morti obnoxios esse: quod prohibere neque aurū, neque argentū, neque honor, neque potentia potest. Apud patrē, qui tam anxius & solicitus erat, videmus hominē nō solùm quo ad corpus, sed etiam quo ad animam, egenū & miserū esse: imò multò plus. Filius ægrotus corpore dolebat, pater autē longè grauius dolebat in anima: ideò tam solicitus erat, ideo currebat & festinabat tantoperè. Ab hoc eum detinere non poterant, neq; bona eius, neq; potentia, neq; nobilitas. Ad hæc etiam alij defectus in eo deprehenduntur: hi sunt spirituales, vt quòd de Christo non interrogat, nec curat eum, donec necessitas cogat, & morbum ac mortē in domo habeat, & in suis filiis videat. Secundò, quòd etiam à Christo nihil aliud petit, quàm corporalem sanitatē suo filio: & petit id præterea corde dubio, nondū habens veram & viuam fidē, fluctuans inter spem & metum, timens ne iam serius veniat. Et hæc est vera humani cordis absq; Dei gratia, egestas. Hoc speculum est, in quo videmus, quā nostrū cor à natura vitiata omni timore Dei, fide & amore ad res spirituales vacuū sit, nisi Deus ad hæc omnia auxilietur & promoueat. Humanū cor (inquit Hieremias) prauum est & inscrutabile. Haud sanè Regulus iste Christum fuisset secutus, nisi eū terruisset Deus morbo & morte sui filij. Haud sanè credidisset, nisi eū Christus erexisset, cōfirmassētque suo miraculo. Haud sanè apud Christum

Eccli. 1. *Psal. 48.* *Homo miser ob peccatum.* *Hier. 17.*

stum aliquid quæsiuisset spirituale, nisi eum antea in corporali auxilio tam efficacem fuisset expertus. Hoc modo semper oportet vt Deus res nostras vrgeat, nobisq; pœna & infortunio metum incutiat: alioqui fit, vt semper sine cura & metu maneamus. Necesse est, vt gratiosis suis verbis & operibus cor & fiduciam nobis faciat, alioqui semper pusillanimes manemus, & sine viua fide. Nemo venit ad me (inquit Christus) nisi trahat eum Pater meus. Beatus homo, qui ita cruce & tribulatiõe terretur & impellitur, vt Deũ quærat: & gratiosis verbis ac operibus Christi trahitur, vt verã fidem & ardentem charitatẽ in Deũ cõsequatur. Hic Regulus impelli se & trahi sinebat: idq; non solũ illi, sed etiã filio suo in bonũ cedebat: & id non solũ tẽporaliter, sed etiã spiritualiter & æternũ: & non solùm illi, sed etiam toti familiæ. nã credebat deinceps in Christũ, & tota familia cum eo. Ad hoc ei seruiuit ægritudo sui filij. Homo vnus in morbũ inciderat, & tota domus propterea veniebat ad cognitionẽ Christi eiúsque gratiã. Vtinã & nos ita impelli sineremus & trahi. At quot inueniuntur, qui semper mali & improbi manent, quacunq; etiã in eos Deus pœna animaduertat? Domine (inquit Hieremias) percussisti eos, & nõ doluerũt. Quot eorũ sunt, qui semper desides & in charitate frigidi, & sine viua fide manẽt, quantuncunq; etiã de Christi charitate audiunt & vidẽt? Tãtò infeliciores sint oportet: imò tantò iustius à Deo relinquũtur. Populus meus (inquit) noluit me audire. Et dimisit eos secundũ desideria cordis eorum. Hoc considera circa istas duas personas: nimirũ circa ægrotũ filium, egestatẽ corporis nostri, & huius præsentis vitæ: circa patrẽ verò, qui ita anxius & solicitus est, quin etiã ita pusillanimis, imbecillitatem & imperfectionẽ animarum nostrarum. Hæc duo sunt, quæ vtraque ad humilitatem seruiunt. Nã quisquis apud seipsum cogitat, quòd diues, doctus, nobilis, potens, iuuenis æquè omnibus morbis nec non morti obnoxius est, atque pauper, indoctus, ignobilis, &c. is supra nullum alium efferetur. Porrò quisquis cõsiderat imbecillitatem animæ suæ, & humani cordis absque gratia pronitatem in malũ, libenter ille sese humiliabit sub potenti manu Dei, & gratiam feruẽter petet. En, ad hæc nobis istæ duæ inseruire personæ possent: nimirum ad humilitatem coram Deo simul & hominibus. Quippè hoc verum fundamentũ esset & initium salutis, nos ipsos verè & rectè cognoscere.

Ioan. 6.

Hier. 5.

Psal. 80.

1. Pet. 5.

Alioqui de hoc Regulo etiam alia exempla peti possent: Vtpote primò, quòd tantam curam gerit pro filiis suis: id quod non solùm natura, sed etiam tota lex Dei postulat. Secundò, quòd non ad malum spiritum currit, quẽadmodum
4.Reg.1. Ochozias: nec ad ariolos, quemadmodum rex Saul: sed ad
1.Reg.28. Christum currit, & quidẽ in propria persona. Tertio, quòd
Luc.11. tam ardenter orat & in prece perseuerat: sicuti Christus docet, nos quærere debere, orare & pulsare, donec accipiamus, inueniamus, & intromittamur. Quartò etiam in hoc Regulo obseruandum est, quòd pusillanimitatem & infirmam fidem tam citò ex animo eiicit, & totum sese diuinæ voluntati submittit. Quintò, quòd tam diligentèr sciscitatur, qua hora filius cœperit meliꝰ habere, quo Dei opus melius cognosceretur. Postremò, quòd verbis suis, & bonis exemplis totam suam familiam ad fidem adducebat. Credidit (inquit Ioãnes) & familia eius tota. Et quid posset à bono patrefamiliàs, imò ab vnoquolibet vero Christiano melius dici & prædicari? Qui fieri posset, quòd liberi & familia aut ministri, quin etiam tota vicinia non ad pietatẽ traherentur, si tales præcessores & patresfamilias haberent?
Ioan.4. Credidit primò (inquit Ioannes) & suam fidem etiam factis probabat. Hinc sequebatur, quòd etiam tota familia credebat. Si nostra iuuentus non tantum impudicitiæ, blasphemiæ, crapulæ, ebrietatis, à suis parentibus, dominis, re-
Exẽpla mala quàm noceãt. gentibus & ducibus videret audirétque, haud tam facilè horribili blasphemiæ, belluinæ potationi, leui impudicæꝗ; vitæ assuesceret. Imò si parẽtes eorum & duces à talibus vitiis liberi essent, etiam in suis ea filiis tantò melius cauere & prohibere possent: sed semper adhuc in hoc & alio desit, vt qui prohibere debebant, ij quandoque altius immersi iaceant aliis, ita vt semper vereri cogatur, ne dicatur ad illos:
Luc.4. Medice cura teipsum: Homo, trabẽ eiice priùs ex tuo ocu-
Luc.6. lo, tantò meliùs videbis ad eiiciendam festucam ex oculo fratris tui. Quapropter paterfamilias & antistes incipiat oportet, quẽmadmodũ hic Regulus in hodierno Euangelio fecit. Credidit (inquit Scriptura) & domus eius tota cũ eo. Hoc considera apud Regulum & familiam eius. Progredere deindè ad tertiam personam, quæ est Christus: illic adhuc plura inuenis consideranda: imò illic vides primò, quòd in omni necessitate nullũ est certius refugium, quàm apud
Psal.17. Deum. Vndè & Dauid non sine causa dixit: Diligam te Do-

mine

mine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Et iterũ: Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine domini Dei nostri inuocabimus. Secundò videmus hîc apud tertiam istã personam, quòd Christus præcipuum mediũ est à Deo datum, per quod salutem consequi possimus, vti Petrus dicit: Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Tertiò videmus hîc, quod Christus nõ solùm corporaliter, sed etiã spiritualiter: nec modò spiritualiter, sed etiã corporaliter auxiliari, & consequẽter totũ hominem sanare & saluum facere possit. Quartò videmus hic in Christo, quòd sit paratus auxiliari & dare, si possumus rectè credere, & ita vt oportet, orare. Imò præcipua querela erat aduersum Iudæos, ꝙ dicebat Ioan. 5. Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis? Et iterũ Matth. 23. O Hierusalẽ, quoties volui cõgregare filios tuos, sicut congregat gallina pullos suos: tu autẽ noluisti. Quintò, videmus ꝙ Christ⁹ etiã in absentia sua, & etiã si nõ videatur opitulari possit: quẽadmodũ id etiã anteà declarauit in Cẽturionis seruo, & in filia Chananææ mulieris, Matt. 15. Non enim Deus solùm est in propinquo, sed etiam de longinquo. & nemo est, qui se ab illo abscondere possit: imò implet cœlum & terrã. Sextò videmus hic, quòd Christus auxiliũ suũ neq; herbis neq; malagmate expedit & dat, sed verbo suo & spiritu: veluti etiã in Zacharia cap. 4. dicit: Opus quod præ manibus habeo, nõ in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo perficietur.

Psal. 19.
Acto. 4.
Ioan. 7.
Matt. 8.
Hier. 23.
Esa. 66.
Sap. 16.

En, hæc omnia nobis breuis hæc historia de Christo considerãda prębet: Cui autẽ piè affecto nõ gaudiũ afferat? Cui nõ solatiũ præbeat? Cui nõ animũ & piã fiduciã faciat? Hoc restabit, vt id benè ad animũ reuocemus, fidẽ nostram contra errores confirmemus, ne vllã crucẽ, vllã tribulationem, vllũ peccatũ, vllũ hominem, vllum diabolũ, tale solatium & fidẽ verã ac viuã nobis auferre sinamus. Et hoc vult Paulus, vbi ait: Fratres, confortamini in Domino, & in potẽtia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniã nõ est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ: sed aduersus principes & potestates, aduersus mũdi rectores tenebrarũ harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, &c. En, hîc docet nos Paulus, quomodò nos firmare debeamus in fide nostra contra diabolũ, cui studium est,

Ephe. 28.

nos aut in peccatum, aut in errorem, aut desperationẽ præcipitare. Nimirũ primò Deus auxiliũ nostrũ esse debet: debemúsq; cum Dauide dicere: Tu hostis venis ad me cum gla-
1. Reg. 17. dio, & hasta & clypeo: ego autẽ venio ad te in nomine Domini exercituũ: is te domabit & opprimet, &c. Hoc erat seipsum confortare in Domino, & in potentia virtutis eius. Nec hîc iterũ hostis efficere aliquid posset: imò omnia ignita illius tela possemus viua fide & Dei virtute extinguere & auertere. Qui eñ Christo viua fide innititur, is super petram stat, aduersus quã vel omnes portæ inferorũ præuale-
Matt. 16. re nõ possunt. Quisquis ergò tutus esse vult, is superstruat se super hanc petram. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

TERTIVS SERMO DE *prima parte Euangelij.*



HODIERNVM istud Euangelium habet quidem breuem historiam, quæ speciem præ se fert, quasi nihil ad nos attineat: cùm reuera non solùm ad nos attineat, verùm etiã nostra causa scripta & facta sit. Hoc enim habẽt Euangelicæ historiæ præ cæteris, vt non solùm indicent, quid in aliis hominibus acciderit, sed promittant etiã nobis similia nunc & in æternum. vnde etiam meritò nos illas præ aliis summo studio obseruare debemus. Habent quidem mundanæ quandoque historię mirabilia, sed illa in tribulatione consolari non possunt, quandoquidem scimus non propter nos facta & literis prodita esse. Cum Euangelio autem eiúsque historiis res multò secus habet. Ibi enim dicit Christus: Quod vobis dico, omnibus hominibus dico. Et iterum Matth. 10. Quod dico vobis in tenebris & in aure, prædicate super tecta in lumine. Et de operibus suis dicit: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ex his satis indicatum est, quod ea quæ Christus apud ægrotos locutus est ac fecit, non solùm ad illos pertineant, sed ad omnes credentes. Vt potè cùm dicit, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et iterùm Matth. decimoseptimo. Potes credere? omnia possibilia sunt credenti. Et id genus alia. Quem igitur nõ iuuarẽt Euãgelicæ historiæ, hoc pręsertim

Historia Euãgelicæ quid præ cæteris habeant. *Marc. 1.* *Ioan. 14.* *Matt. 9.*

tempo

tẽpore, quo nihil aliud videtur, auditur, & cõperitur, quàm mala, infausta & calamitosa omnia? &c. E diuerso autem adferunt piis Euangelia nostra semper aliquid boni & læti. Quod vt verum esse intelligamus, Euangelium istud hodiernum paulò exactiùs indagabimus. Erat quidã Regulus (inquit Ioannes) cuius filius infirmabatur Capernaum, &c. Hæc historia pulchrè nobis ob oculos ponit naturam veræ fidei, quomodo in nobis incipiat, crescat & perficiatur. Vt enim ætas humani corporis suam infantiam, iuuentam & virilem ætatem habet: ita etiam habet fides suos gradus, per quos vsque perfectior fit. Deindè & secundò videmus quoque in hac historia imbecillitatem humani cordis in tribulatione & rebus aduersis. Imò in hac historia videmus in genere, quàm sit infelix creatura homo diuina orbatus gratia. Postremò autem videmus in hac historia, quàm benigne Deus infirmitatem nostrã toleret ac iuuet. Erat quidam Regulus. Sic vocatur, aut quia de regio genere fuit, vt nõnulli existimant: aut quia magistratũ aliquẽ Cæsaris nomine gessit. Agè, filium habebat ægrotum. Quantum enim cunq; diues ac potens erat, infirmitatem tamen filij sui præcauere nõ poterat, nec iterum morbum ab eo depellere. Nihil enim prosunt diuitiæ in die vltionis: nec saluatur Rex per multã virtutem. Itaq; imprudẽs homo est, qui spem suam & solatium in diuitiis & humana potentia collocat: cùm tamen horum nullũ neq; à morte, neq; à morbo liberare eũ possit. Quamobrem ergò nõ quærimus veram fortitudinem & diuitias? *Ioan. 4.* *Prouerb. 11.* *Psal. 32.*

Sed pulchrè hîc videmus naturã & cõditionem filiorum huius seculi. Primò in eo, quòd tametsi variis malis & miseriis obnoxij sunt, nõ tamen vidẽt, quomodo præcauere possint: imò non sentiunt neq; credunt se tam miserabiles esse, donec nec opinantes infortunium opprimat: tum demum sentiunt se miseros esse, vt in Antiocho videre est. Sola enim vexatio dat intellectum, inquit Isaias cap. 28. Altera conditio filiorum huius seculi, & maximè diuitum ac potentium est, quòd Deum non agnoscunt aut quærunt, donec eos pœnis & flagellis euocet. Hoc pulchrè videmus in magno Nabuchodonosor. is primùm in pœna discebat agnoscere, vnũ tantùm Deum in cœlis esse, qui etiam in magnos Reges potestatem haberet, &c. Quòd autem Regulus iste in Euangelio, morbo & periculo sui filij ad Christum compellebatur, eos primùm arguit, qui tamen ad Deum non currunt, *2. Machab. 9.* *Dan. 4.*

quan

quantumuis multas in eos plagas immittat. De talibus hominibus dicit Hieremias cap. 5. Percussisti eos Domine, & non doluerunt,&c. Et in Amos dicit Deus ipsemet: Afflixi vos fame & sterilitate,& non redistis ad me. Secundò taxantur hîc omnes ij, qui in necessitate non ad Deum, sed ad ariolos, præstigiatores, aut ad ipsum diabolum currunt & opem quærunt. Verùm quòd Regulus hîc pro suo filio orat, nec cessat, donec exauditus fuerat, exemplum est omnibus patribus & matribus, vt curam gerant pro salute suorum liberorum:& vt maturent eos Christo commendare, antequam spiritualiter moriantur per malam consuetudinem peccandi. Adolescens enim iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Cæterùm quòd Regulus iste solùm pro corporali sanitate filij sui orat, humanæ infirmitatis culpa est. Sic enim semper comperimus priùs quid corpori, quàm animæ noceat: cùm tamen spirituale damnũ multò sit maius, quàm corporis. Proindè nimis humiliter homo ille de Christo sentit, qui tẽporalia solùm ab eo petit & quærit: quanquam etiã temporalia ab illo petenda sunt, sed non sola tẽporalia. Alioqui quemadmodum illic ad quendã dicebat, qui eũ ob temporalia alloquebatur: Homo quis me constituit iudicem inter vos? Ita etiam ad nos dicet: Non veni tanquam corporis, sed tanquam animæ medicus. Postremò quòd Regulus iste orat, vt Christus secum eat, & filium suum curet, indicat infirmam eius & imperfectam fidem, quasi Christus opitulari non possit, nisi visibiliter præsens sit. Imò quasi Deus solùm sit in propinquo, & non etiam de longinquo, cùm tamen Scriptũ de eo reperiamus Psal. 144. Iuxtà est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Rogat ergò hîc Regulus, vt Christus vnà secùm eat, quasi hominem, & non saluificum Deum accerseret. Multò maiorem fidem habebat Centurio, qui dicebat ad Christum, Matth. 8. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: significans, nec necessum quidem esse. Dic tantùm vnum verbum (inquiebat) & sanabitur seruus meus. Talis autem fides adeò rara est, vt Christus ipse demiretur ac dicat, se non inuenisse tantam fidem in Israël. Siquidem & Apostoli imbecillem suam fidem frequenter prodebant, vti cùm in periculo maris Dominum excitabant, quasi dormiẽs eos seruare non posset, & quasi ita penitùs obdormiscere posset, vt suorum obliuiscatur. Inauspicatus verò nobis sermo est

Amos 4. *Prouerb. 28.* *Luc. 12.* *Hiere. 23.* *Matth. 8.*

mo esset, si nobis auxiliari Christus non posset & nos seruare, nisi corporaliter & visibiliter præsens esset. Sed meliora scimus, nimirùm quòd vbique est, & omnia potest. Ecce (inquit) ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi: & mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. *Matth. 28.* Sed nunc obserua, quid Christus Regulo respondet. Primò, non omninò illi renuit quod petit, ne illum ad desperationẽ adigeret. Attamen nec protinus illi dat quod petit, sed differt, vt magis instet: quemadmodum etiam Chananæam mulierem diu detinebat, priusquam auxiliabatur. *Matth. 15.* Intereà autem increpabat Christus Regulum ob incredulitatem eius. Non creditis, nisi videritis signa & prodigia. Perindè ac si dicat: Quid tecum ibo cùm non credas? Nam si crederes, non rogares vt tecum irem, sed sufficeret tibi verbum meum ad sanitatem filij tui: quemadmodum Centurio fecit. Hoc autem dicebat Christus non ideò, quòd animo in hominem esset alieno, aut quòd nollet illi auxiliari: sed vt infirmam eius fidem hac tentatione magis corroboraret: docerétque eum, vt deinceps fidem suam non tam ex miraculis, quàm ex verbo Dei hauriret. Cumprimis autem obseruandum hic est, quod Christus in plurali loquitur, Non creditis, nisi videritis signa, quò videamus eum verba hæc non ad solum Regulum dixisse. Etenim primò tangit his Iudęos in genere, qui semper signa petebant, nec alioqui credere volebant, quantumcunque etiam verbum Dei audiebant. Vnde & Moyses dicebat: Domine non credent mihi, quia tu me misisti. *Exod. 4.* Idipsum quoque querebantur omnes Prophetæ de illis, vt Isaias cap. 3. &c. Et hac in parte Patribus suis admodum dissimiles facti erant. Quæ enim Abraham miracula viderat, cùm ad vnicum mandatum Dei terram & cognitionem suam relinquebat? *Gen. 12.* Item cùm credebat, se in genus amplissimum fore, licet ad centesimum annum sine hærede esset? *Gen. 15. & 17.* Deindè increpat nos etiam verbum istud Christi. Quippè & nos non ex pietate sed curiositate quærimus signa & prodigia: non satisfacit nobis verbum Dei, sed etiam aliis modis certi esse volumus. At qui verè fidelis est, is verbo Dei contentus est, etiamsi nullum miraculum videat. Certè Deus infirmitati nostræ satis concessit, quòd initio suæ legis & Euangelij suum verbum externis miraculis confirmauit, quò certi fieremus, illius esse verba. Sed nunc non dat nobis signa pro animi nostri voluntate: sed vult,

vult, vt credamus verbo suo. Ambulamus enim nunc non per speciem, sed per fidem. Ideò etiam dicebat ad Thomam,
2.Corint.5. Ioan. 20. Beati qui non viderunt & crediderunt. Hinc omnes meritò culpantur, qui adhuc signa curiosè poscunt.

Etenim primò contra naturam fidei est, sicubi sine miraculis non volumus credere. Est enim fides substantia rerum
Hebr.11. sperandarum, & argumentum non apparentium. Secundò quoque Deo contumelia fit, si credere nolimus sine miraculis, quasi mentiri & fallere posşit, cùm tamen sit ipsa veritas & verax maneat, etiamsi omnes homines ex seipsis men
Roma.3. daces sint. Tertiò quoque periculosum est, si miracula pluris fiant, quàm verbum Dei. Miracula enim fallere possunt: quin ipse quoque diabolus signa facere potest, vti videmus in præstigiatoribus Aegypti. Qua etiam de causa Moyses
Exod.7. Deuter.13. suo populo interdicebat, ne cuiquam crederent, qui contra legem doceret, etiamsi magna miracula faceret. Miracula enim ex mendacio non faciunt veritatem, sed per mendacium seducunt. Cæterùm vbi ea vero & certo verbo Dei adhibentur, ibi confirmant & obsignant illud verbum in sua veritate. Postremò etiam fides, quæ ex solis miraculis hauritur, inconstans est. Nam qui non propter verbum, sed propter miracula credit, facilè is in tribulatione in diffidentiam incidit: sicuti in Israëlitis videmus, qui tantisper credebant, dum miracula cernebant. Domine (inquit Regulus) descende priusquam moriatur filius meus. Hoc verbo indicat imbecillitatem suę fidei magis adhuc, ídque duabus viis. Primò, quod non solùm non credit, Christum filio suo vno verbo opitulari posse, sed nec credit, quòd Christus eum post mortem suscitare posşit. At hoc quid aliud est, quàm imbecillis fides? Quid aliud à medico homine petere poterat? Verum enimuerò malè hoc nobis dictum esset, si non etiam in morte nobis Christus, & post mortem
Ioan.11. auxiliari posset. Ego (inquit) sum vita & resurrectio. qui credit in me, viuet etiam si moriatur, &c. Secundò, Regulus iste infirmam suam fidem etiam in hoc prodidit, quod ita festinabat: quia diffidentia festinat, vera autem fides longanimiter sustinet. Qui credit (inquit Isaias) non
Esa.28. festinet. Et Habacuc capite secundo. Si Dominus moram fecerit, expecta eum: quia veniet, & non tardabit. Quemadmodum igitur Christus Matthæi decimoquinto. Chananæam mulierem duriter alloquebatur, & diu detinebat,

quò magnam illius fidem omnibus hominibus patefaceret: ita etiam hîc Regulum duriter alloquitur, quò illi fidei suæ imbecillitatem cognoscendam daret, eúmque in ea magis ac magis confirmaret. Sed audi porrò, quid amplius dicat: Vade, filius tuus viuit. Hîc vide & considera Dei bonitatem, quantum imbecillitati nostræ largiatur. Non enim semper respicit ignorantiam nostram, sed auxiliatur etiam nobis interdum malè meritis, nec ita piè de illo sentientibus vti æquum erat. Scit enim figmentum nostrum: ideò cùm resipiscimus miseretur nostri, sicuti pater filiorum suorum. Deinde videmus hîc, quòd, licet Christus Regulum duriter alloquebatur, eúmque increpabat, nihilominus tamen illi dabat quæ cupierat. Non enim imperpetuum irascitur & minatur Deus. Ira quidem in indignatione eius: sed vita in voluntate eius. Et ob id ad Christum dicitur: Psalmo octagesimo octauo: Si dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Sic etiam facit Christus hoc loco. Quem anteà terruerat, hunc consolatur hîc iterum. Hîc discere debemus, bene de Deo sperare, etiam si nobis irasci videatur. Vade (inquit) filius tuus viuit. Hoc verbo significauit, quòd etiam absens, & quando non videtur, auxiliari possit. Eodem modo præcipiebat Helisæus per suum seruum Naamano, vt immergeret sese septies in Iordanem, sic fore vt à lepra mundaretur, Sed ideò faciebat, quo Ethnicus homo cognosceret virtutem omnipotentis Dei. Idipsum nos quoque cognoscere debemus. Etenim verbo isto quod Christus ad Regulum loquitur, non solùm sanitatem filij eius prædixit, sed etiam sanitatem contulit. Hoc cum eo quadrat quod Dauid dicit: Deus misit verbum suum, & sanauit eos. Et quod Sapiens dicit: Neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo. Sed vnum adhuc obserua, quod Christus etiam cùm obnixè rogabatur, ire nolebat ad diuitis & potentis filium. Ad seruum autem Centurionis paratus erat ire, etiam nõ rogatus. Quare indicare primò voluit, se plus etiã posse, quàm ille petiuerat. Secundò, indicare per id voluit, ꝙ iudicia Dei longè alia sunt, quàm hominũ. Nos quidẽ ad eos tantùm respicimus, qui propter suas diuitias, nobilitatẽ & potentiã autoritate præditi sunt. Pauperes nihil curamus. Deus autem humilia respicit, alta à longe cognoscit. Et sæpe fit, quòd

Psal. 210. *Ibidem.* *Psal. 29.* *4. Reg. 5.* *Psal. 106.* *Sap. 16.* *Matth. 8.* *Psal. 112.*

quòd qui coram mundo magnæ opinionis sunt, coram Deo nullius sint reputationis: e diuerso autem, qui coram mundo cõtẽpti sunt, magni sint coram Deo. Ex his discere debemus, vt in hominibus magis naturam, in qua secundum imaginẽ Dei creati sumus, quàm externa accidentia bona, per quæ sibi coram mundo opinionem conciliant, consideremus. Alioqui enim facilè errabimus, eósque colemus quos Deus odit: illos autem contẽnemus, qui Deo chari filij sunt & amici. Tantũ de prima parte huius Euangelij. Faxit Deus, vt omnia fructuosè consideremus, ipsóque facto præstemus, Amen.

QVARTVS SERMO DE altera parte hodierni Euangelij.



IN hodierno isto Euãgelio pulchrè indicatum est, quomodo & per quẽ, & quibus mediis nos Deus ad salutem nostrã ducat ac promoueat, & quomodo vulgus hominũ vicissim sese habeat & gerat. Verbũ Dei, & necessitas nostra, duo media sunt, per quæ nos Deus ad salutem nostram promouet & ducit. Altero trahit & pellicit nos: altero impel-
Mar.16. lit & vrget nos. Verbo sancti Euangelij conatur omnes homines trahere. Ideò etiam illud omnibus hominibus prædicare finit. Cæterũ id si contemnatur, nec illi conueniẽter viuatur, necessitate nos cogit. Et quidẽ sanctis Apostolis verbũ Dei sufficiebat: hoc studiosè sequebãtur, nullo opus habebãt impulsu. Dñe (inquiebãt) ad quẽ ibimus, aut quomo-
Ioan.6. do te desereremus? habes quippe apud te verba vitę ęternę. Vulgus autẽ hominũ Dei verbo cõtẽtũ nõ est: nec illi, nisi cogatur, obtẽperat. Id quod in hoc Regulo videmus. Is enim Christũ secutus nũquã fuisset, nisi eũ necessitas & periculũ filij sui impulisset. Id quod ex eo cognoscitur, ꝙ, etsi etiam antea Christus in Galilæa prædicauerat, & fecerat miracula,
Ioan.2. huius tamẽ Reguli nusquã vlla mẽtio fit: fortè in Christi & prædicationis eius gratiã, nec limẽ domus trãsisset: ita enim facere cõsueuerũt, qui tẽporali felicitate excæcãtur. Iã verò quãdo illi ęgritudo & mors in domũ venit, etiã peregrè christũ sequitur: acclamat ei, auxiliũ implorat, vrget eũ & festinat, ne sanitas & fortuna sui filij prępediatur. Hęc natura

est & conditio filiorum Adæ. Meritò audire debebamus & sequi, quando dominus Deus noster nos vocat ad pœnitentiam & ad suam gratiam, quemadmodum Christus multùm & sæpè facit, in Euangelio. Vix verò incipimus Deum quærere, etiamsi necessitas vrgeat nos. Hac etiam de causa Christus in hoc Euangelio Regulum & eius similes, qui nolunt efficaciter credere nisi videant signa, tam duriter & quasi inhumaniter allocutus est, significauitque se illis propterea iure omnem suam opem & solatium denegare posse & substrahere. Et quanquàm id hoc in loco non fecit (contentus enim erat verborum castigatione, Regulo nihilominus aderat & auxiliabatur) manifestè tamen indicauit, quid sibi acceptissimum & nobis vtilissimum sit. *Deus quid exigat à nobis.*
Deus ante omnia hunc sibi vult à nobis exhiberi honorem, vt pro verace eum habeamus, verbo suo credamus, eamus quò nos ire iubet, sequamur quò nos ducat, faciamus quæ nobis præcipit, tolleremus patiamúrque quæ nobis imponit: reliqua autem omnia illius diuinæ committamus voluntati. Hunc in modum (inquam) viua fide & ardenti charitate adhærere Deo & obtemperare eius verbo (quemadmodum hic Regulus etiam postremò faciebat) Deo obsequium est omnium gratissimum: impetrátque à Deo quicquid salubriter petitur. Qui enim Deum glorificat, eũ vicissim honorificat. Id in fine istius Euangelij luce clarius apparebit. *1.Reg.2.* Quòd si iam etiam nos verbo Dei credere & obtemperare vellemus, indubiè miracula eius & gratiæ opera quotidiè in nobis experturi essemus. E diuerso autem, tametsi Deus eos etiam, qui solùm necessitate & tribulatione compulsi ad eum fugiunt, non omninò & per omnia reiicit: non tamen illi ita magnopere placet, si vocatio eius non audiatur donec nos necessitas vrgeat: omitto nunc, quòd rarò constans fides est & deuotio, quàm necessitas è nobis extorquet. Atqui nobis omnibus necessarium est, vt in fide planè certi & constantes simus: quia diabolus acriter in nobis fidem infestat. Quapropter vnicuique Euangelium istud doctrina esse debet, vt sibi ex verbo Dei viuam & constantem fidem hauriat, qua perstare possit in omni tribulatione. Ad id nobis inseruiet vltima pars istius Euangelij, in quo Ioannes ita scribit de Regulo;

Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. En, *Ioan.4.* hoc modo Iesus duos homines sanauit vnico verbo, patrem

& filium. Vt enim ægrotus filius ex verbo, quod Christus fuerat locutus, tanquam efficaci medicina suam iterum sanitatem nanciscebatur: ita etiam pater ex illo verbo hauriebat fortitudinem fidei. Habet enim verbum Dei duplicem illam operationem: vt ægrotos sanet, & sanos corroboret conseruétque. Sed habet hoc loco singula vox quiddam peculiare in se. Etenim primò, quem Euangelista hactenus Regulum, hoc est, filium seculi huius nominauit, hunc iam vocat hominem. Et tum digni sumus vocari homines, quandò incredulitatem & cætera vitia à nobis abiicimus: vel ita etiam accipere licebit, quod Euangelista verbum hoc admiratiuè dixerit. Perindè ac si dicat: En, homo, qui hactenus mundo totus addictus erat, & qui primò tam infirmã fidem habebat, ita profecit, vt nunc verbo Christi credat & obtemperet. Per hoc nostra culpatur ingratitudo, vt qui tam multa ex Christo vidimus audimúsque, nec tamen adhuc illius verbo per omnia obedimus. Hic homo credidit & obtemperauit sermoni quem dixit ei Iesus. Hic vides quàm citò fides eius creuerit. Credebat etiã anteà: alioqui ad Christum non iuisset. Sed erat illa infirma & puerilis fides, quam solũ ex miraculis Christi hauserat, nũc autem credebat viriliter, adiutus verbo Dei: hoc credentem confortabat, sicuti etiam forte est & omnipotens. Hæc vera & constans fides est: ea non dubitat de verbo Dei, licet contrarium videat, sed certa est, verbum Dei tãdem impleri, & citiùs cœlum ac terra interire oportere, quàm verbum Dei fallat. Talem fidem habebat Abraham, Dauid, Moses, & alij. Peculiariter autem dicit Ioannes, Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus: & tamen id temporis nihil maius de illo sentiebat, quàm de homine & propheta. Qua ex re discere debemus, vt & nos illis, quæ nobis Deus per suos Prophetas & Apostolos annũciauit, credamus: & non aliter, quàm si Deum ipsummet audiremus. Nam qui vos audit (inquit Christus ad suos Apostolos) me audit. Postremò dicit Ioannes: Et ibat homo. Id quod vel solùm sat argumenti est & præbet, ꝙ verè credidit: quia vnico hoc verbo cõtentus, abibat. Incredulus non ita facilè abiuisset, sed certus esse prius voluisset, quomodo & quando filius suus conualescere deberet: num etiam medicina adhibenda esset, & qualis medicina, & quomodo, &c. Iste verò hoc contentus est, ꝙ filius suus morbo leuari debebat, nihil amplius interrogãs, sed cõmittens Deo, quomodo

Verba Dei duplex efficiẽtia.

Luc. 21.

Luc. 10.

& quando id fieri debeat. In hoc iterũ videmus, quæ sit vera natura viuæ fidei: nimirùm piã & cũ charitate cõiunctam fiduciã habere in Deũ, opitulaturum eum nobis: quomodo id autem facturus sit, & quando, & per quæ media, illi committere. Sic Abraham ad promissionem Dei patrio solo concedebat, nesciu quò eũ ducturus erat Deus. Sic non dubitabat quin Deus sibi genus multiplicaturus esset, tametsi ei præceptum erat suum proprium filium occidere. Sic Moses ad promissionem Dei in Aegyptum ibat liberatum Israëlitas, ignorans quomodo illos Deus à potestate Tyranni asserere vellet. Sequitur in Euangelio: Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Hic vides Dauidem rectè dixisse Psal. 36. Iunior fui, etenim senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Mox enim, vt Regulus iste in Christum credebat, filius conualuerat, & feliciter omnia succedebant in domu eius. Quia autem serui eius nesciebãt, vndénam illa fortuna, læti ei occurrebant, annunciabántq;. Bene itaque rectéque Christus suis consuluit, vt primò regnum Dei quærant, & futurum esse, vt reliqua omnia illis adiiciantur. Sic quoque docet Dauid Psal. 36. Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Eundem in modũ & Iosaphat dicebat ad populum suum: Credite in Domino, & securi eritis: credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera. Contrà autem exprobrat Deus Iudæis, quod sibi nunquam obedire & credere voluerint: Si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem. Summa: Si pacem & prosperitatem expetis, vitam & dies bonos, declina à malo, & fac bonum. Timentibus enim Deum nihil deerit. Sequitur: Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Quantumcunq; serui læta ei nuntiabant, aliò tamen mens eius erat distracta. Annuntiabant ei corporalem sanitatem filij sui: sed cogitàbat ille quomodo & filium suum & seruos ad æternam sanitatem animarum perducere posset. Ideò de hora interrogabat. Quia iam apud seipsum ita concluserat, quòd si hora respõdisset, vt filius suus in ea ipsa hora sanitatem fuerit nactus, in qua Christus dixisset, Vade, filius tuus viuit: se in posterum de diuina huius Prophetæ virtute, quòd filius Dei & verus Rex Israëlis esset, nihil dubitaturum amplius. Et ita euenit.

Gen. 12.
Gen. 22.
Exod. 4.
Matth. 6.
2. Paral. 20.
Psal. 60.
Psal. 33.

Vt veteres dies distinxerint. Heri hora septima (inquiebant serui) reliquit eum febris. Apud veteres dies in duodecim horas diuisa fuit. Est ergo septima hora proxima à meridie. Et hæc hora est, in qua omnis ægrotus incipit aliquantò peius sentire: tum enim sol incipit descendere, & in illo descensu, vis quoque in ægroto paulatim deficit. Hinc apparet, quòd non naturalis, sed miraculosa sanitatis restitutio fuerit. Quod enim natura non potest, potest Deus. Vulnerat & medetur, *Iob. 5.* inquit Iob; percutit, & manus eius sanabunt. Non aspernandum per hoc nobis datur solatium, quod Christus etiam, vbi natura succumbit, & imbecillior est, auxiliari tamen possit. Nullam itaque causam, modò resipiscere velimus, desperationis habemus. Simulatq; enim decreuerit saluare, iam salui erimus, nisi obicem ponamus: quia omnia in illius voluntate & potestate sita sunt. imò hac ipsa de causa Deus quandoque opera sua præposterè instituit, & aliter quàm natura; quò discamus in eo sperare, etiamsi natura succumbat. Sequitur: Cognouit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus, Filius tuus viuit. Opus sanitatis restitutionis comparat cum verbo Christi, & ex magnitudine operis cognoscebat etiam magnitudinem & virtutem verborum Christi. Et quia videbat opus in filio suo factum, non esse humanum, sed diuinum, non dubitabat quin etiam id quod ex Christo audierat, non hominis, sed Dei verbum esse oporteret. Sic etiam inferebat *Ioan. 1.* Nathanaël, cùm ei Christus quædam arcana aperuerat: Domine (inquit) tu es filius Dei, tu es rex Israël. Simili- *Ioan. 3.* ter & Nicodemus: Scimus (inquit) quia à Deo venisti: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Diligenter ergo obseruemus nos quoque, quid nobiscum operetur Deus: & tum eiusmodi Dei opera cum verbis illius comparemus, quò etiam semel virtutẽ diuini verbi cognoscere discamus. Sequitur: Credidit ipse, & domus eius tota. Tertiò iam de fide istius hominis dicitur. Primò, enim credebat ad Christum accedens: quanquàm illa fides valdè imbecillis & imperfecta erat. Secundò, credebat verbo Christi, sed non erat nisi vnicum verbum: cæterùm nunc & tertiò posteaquàm virtutem verbi Christi senserat, credebat simpliciter, & non vni, sed omnibus verbis Christi. Nec mirum, si propter vnicum hoc miraculum in Christum credidit; siquidem non vulgare

miraculum fuit. Quinimò hoc miraculo Christus demonstrauit, se omnibus in locis esse, omnia posse, & sua voluntate omnia facere & exequi. Et quid lætius piis nunciari possit? Si Christus vbique est, si omnia potest, idque sola voluntate & nutu: quid igitur ita animo fracti sumus in rebus aduersis? Nónne iustius cum Iosaphat diceremus: Domine, cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Porrò quòd Reguli filius per verbum Christi conualuit, confirmat etiam reliqua omnia verba quæ locutus est. Vt cùm dicit: Ego sum lux mundi, &c. Et iterum: Ego sum vita & resurrectio, &c. Sed obserua, quòd Ioannes non solùm dicit, Credidit: sed addit, Et domus eius tota. Hîc videmus primò Regulum hunc verum fuisse patremfamiliâs, dum familiam suam verbis suis & exemplis ad fidem perduxit. Secundò videmus hic, quòd vnius hominis ægritudo ad salutem totius familiæ domesticæ inseruiuit. Quà quidem ex re discere debemus, quòd Deus non propterea crucem & tribulationem immittit in nos, vt nos perdat, sed vt seruet. Nisi enim adolescens hic in morbum incidisset; nemo fortè ex tota hac domu in Christum credidisset. Huc igitur seruit, quòd Deus non seruum, sed filium in morbum incidere sinebat, quò pater cupidius Christum quęreret. Quapropter Salomon rectè & benè docet, ne disciplinã Dei respuamus. Quem enim diligit hunc corripit: imò nisi hanc domum dilexisset, in suis peccatis absq; omni admonitione eos reliquisset. Eamob causam dicit sanctus Iacobus, vt pro mero gaudio ducamus, si in varias incidamus tentationes. Verùm attende, quod Ioannes solùm de Regulo eiúsq; domu, & non de aliis ciuibus Capernaum dixit: quemadmodum & superius dixit, cùm Christus aquam in vinum vertebat, Et crediderunt discipuli eius in eum, nihil de aliis hominibus nuptialibus loquens: ad indicium, ꝙ eorum pauci sunt, qui verè credunt. Maior etenim pars, etsi multa audit & videt, manet tamen in peccatis, arida fide contenta. Spiritualiter verò quemadmodum Samaritana mulier figura & imago fuit Ecclesiæ & congregationis, ex Gentibus ad fidem venturæ: ita Reguli filius imago est Iudaici populi. is tum mori incipiebat, cùm Gentilitas incipiebat credere. Regulus qui pro filio orabat, fides est veterum Patrũ, quæ adhuc quotidiè pro Iudaico po-

Cur affligamur à Deo.

Prou. 3.

Iacob. 1.

Ioan. 2.

Ioan. 4.

pulo orat. Nõ enim adhuc illos in totum reiecit Deus: imò vbi venerit plenitudo Gentiũ, tum omnis Israël saluabitur. *Rom. 11.* Id autẽ fiet hora septima, hoc est, cùm Christus sol iustitiæ, iterùm incipiet descendere, & signa extremi sui aduentus præmittet, tum etiam ad fidem venient, nimirùm sub finem mundi: quemadmodũ Gentes, cùm sol ascenderet, & Christus cœlum repeteret, credere cœperunt. *Sensus tropologicus.* Si hanc historiã ad bonos etiam mores flectere lubet, significat Regulus rationem, ægrotus filius sensualitatem. Febris est peccatum: illud habet calorem & frigus, hoc est, inordinatũ amorem & metum. Causa ægritudinis & peccati est, iuuentus, nobilitas & affluentia rerum temporaliũ. nam talia vbi sunt, ibi facilè caditur in peccatũ: & hic morbus proculdubiò in mortem nos pertrahit, nisi in auxilium nobis veniat Christus. Tantò cupidius per pœnitentiã ad illum currere & festinare debemus. Non tardes conuerti ad Dominum (inquit sapiens:) subitò enim veniet ira illius, &c. *Eccle. 5.* Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

DOMINICA VICESIMATERTIA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM MATTH.

CAP. XVIII.

DIxit Iesus discipulis suis parabolã hanc: Ideo assimilatum est regnũ cœlorum homini regi, qui voluit conferre rationem cum seruis suis. Et cùm cœpisset conferre, oblatus est ei vnus qui debebat ei decẽ millia talentorũ. Cæterùm cùm is non esset soluendo, iussit eum dominus venundari & vxorem eius, & liberos, & omnia quæ habebat, ac fieri solutionem. Procidens autem seruus ille adorabat eum, dicens: Domine, esto patiens erga me, & omnia tibi reddam. Misertus autem domi-

nius serui illius, absoluit eum, & æs alienum remisit ei. Egressus verò seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat sibi centum denarios, & iniecta in eum manu obtorto collo trahebat, dicens: Solue quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum dicens: Esto patiens erga me, & omnia reddam tibi. At ille nolebat, sed abiit, & coniecit eum in carcerem, donec redderet debitum. Porrò cùm vidissent conserui eius quæ fiebant, indoluerunt valdè, & venerunt, aperuerúntque domino suo omnia quæ facta fuerant. Túc accersiuit illum dominus suus, & ait illi: Serue scelefte, totum debitum illud remisi tibi cùm obsecrasses me, nónne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet totum quod debebatur sibi. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisque fratri de cordibus vestris delicta illorum.

EADEM DOMINICA
EPISTOLA SANCTI PAVLI, PHIL. I.

FRatres, Persuasum habeo hoc ipsum, quod is qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque ad diem Iesu Christi, sicut iustum est mihi, vt hoc sentiam de omnibus vobis, propterea quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij, cùm sitis omnes mihi con-

fortes gratiæ. Testis enim mihi est Deus, quàm desiderem vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et illud oro, vt charitas vestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitione omnique intelligentia, vt probetis quæ sunt præstantia, vt sitis synceri ac tales, vt nemini sitis offendiculo in die Christi, impleti fructu iustitiæ, qui contingit per Iesum Christum ad gloriam & laudẽ Dei.

PRIMVS SERMO DE *Euangelio in genere.*



TEXTVM istius Euangelij audiuimus breuissimè & secundum literam, & quasi totum deglutiuimus. Nunc facere nos oportet, vt munda animalia, quæ quod in pascuis festinanter carpunt & vorant, deindè in stabulo & in quiete ex ventre in os iterum attollunt, & verã primùm dulcedinem in eo quærunt. Ita & nos facere oportet, quæ modò audiuimus, in memoriam reuocare, & verè primũ quærere quid in se habeant. Et quidem necessarium id nobis est, summámque vtilitatem affert. Vndè etiã in sacris literis ea tantummodo animalia pro mundis habentur, & in cibum hominis, imò etiam ad sacrificium Dei idonea & apta censentur, quæ ita cibum ruminant. Id autem quæ non faciunt, immunda vocantur, & cùm ad cibũ hominis, tum etiam ad sacrificium Dei inutilia æstimantur. Hoc potissimùm ad id inseruit, vt discamus verbum Dei non solũ diligenter audire, sed etiam conferre in opus, meditari diligenter, gaudium nostrum & voluptatem spiritualem in eo quærere: & omnia eò dirigere, vt etiamsi sonus verborum seu vox euanuit, deindè gustus & suauitas in nobis maneat. Hoc propter eos dico; qui simulatque textũ Euangelij audiuerunt, abeunt: putant adeò se audiuisse satis, nõ ampliùs meminerunt Euangelij postea, sinunt hoc pacto nobilẽ & pretiosum cibum in se perire, vnde vitam & salutẽ habere possent. Tales homines mera immũda sunt animalia, quæ nullo modo ad templum pertinent, nec ea Deus sibi in sacrificium cupit. Quapropter pura animalcula imitabimur. & nunc auditum Euangelium non ita simpliciter & inconsideratum

Animalia mũda.

Leuit. 11.

sideratum

ſideratum abire ſinemus. Et licet non omnia verba exactiſſimè diſquirere poſſumus: potiſsimam tamen ſententiam huius parabolæ & ſimilitudinis quæremus conſiderabimúſque. Quanquàm bonus Chriſtianus melius quiddã haud facere poſſet. quàm vt per otium vnum verbum poſt aliud meditaretur. Præcipuum tantũmodo vobis indicabo, quia aliàs non omnia ſimul indicare poſſum. Et primò neceſſarium eſt; vt rem benè perpendamus, quãobrem Chriſtus in ſua doctrina & prædicatione toties & tot parabolis ſeu ſimilitudinibus vſus ſit, ne quis doctrinam eius tantò vilioris æſtimaret, quandoquidem eam tam ſimpliciter propoſuit: ſicuti Iudæi & Ethnici quidã hæretici etiam fecerunt & adhuc faciunt, quibus non ſolùm crux Chriſti, ſed etiam ſimplex eius doctrina ſcandalum & ſtultitia eſt. Quanquàm & Chriſtus ſuã doctrinam ſublimibus & ſubtilibus verbis proponere potuiſſet, vt ſolent mundi ſapientes. qui nihil aliud quærunt, quàm vt docti & eloquentes habeãtur, videantur ſibi egregiè ſuo functi officio, ſi ita loquantur, vt eos intelligere nemo poſsit: Chriſtus (inquam) idem facere potuiſſet, ſed noſtra cauſa intermiſit, & doctrinam ſuam ita ſaltem in pleriſque temperauit demiſsítque vt eam intelligere poſſemus. Quemadmodum in Iſaia promiſit, ſe in lingua labij, & lingua altera locuturum ad nos. Hoc fatetur ipſemet, vbi ad Nicodemum dicit: Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? Iſthuc ipſum quoque exemplũ Paulus ſecutus fuit, qui ſibi laudi ducit, ꝙ Euangelium Chriſti non magnificis & faſtuoſis verbis & ſublimi ſapientia annuntiauit. Ego (inquit) in infirmitate fui apud vos: & prædicatio mea nõ in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Chriſtus autem hanc potiſsimùm ob cauſam tot ſimilitudinibus vſus eſt, ne quis exiſtimaret ex alio eum locutum ſpiritu, quàm Prophetæ locuti ſunt: qui vt plurimum parabolis & ſimilitudinibus vſi ſunt, vti videmus Iſaiæ quinto, Hieremiæ decimotertio, Ezechielis decimoſexto, & Oſee primo capite. Attamen Chriſtus nõ ſemper vniuſmodi ſentẽtiam in qualibet parabola habuit. Aliquas enim propterea ſolùm locutus eſt, quò ſimplices tanto meliùs intelligere poſſent & apprehendere: ſicuti in Ioanne videmus, cũ Nicodemus intelligere nõ poſſet, quod Chri-

Cur Chriſtus tot vſus parabolis.

1. Cor. 1.

Eſai. 28.

Ioan. 3.

1. Cor. 2.

stus de spirituali regeneratione dicebat, dabat ei Christus similitudinem de Spiritu. Spiritus (inquit) vbi vult spirat, &c. Et post: Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu. Aliquas similitudines in hoc solùm dixit, quò boni & deuoti homines occasionem interrogandi haberent: vt est similitudo de semine, cuius quarta tantummodò pars fructum affert. Aliquas ob id solùm dixit, quò mali peccata sua tantò meliùs videre possent, & illis omnis excusatio esset adempta: vt est similitudo de improbis vineatoribus, qui patrifamiliàs non solùm fructus nullos dabant, sed seruos eius etiam interimebant, quin etiam vnigenitum eius filium: & similitudo de nuptiis, quas rex filio suo parabat. Hoc animo parabolam quoque istius Euangelij locutus est, quò videre quisque meliùs posset grauitatem peccatorũ, & falsis Christianis omnis excusatio auferretur, quando videre præ oculis coguntur, quid ex gratia acceperint, & è diuerso mali fecerint. Dixerat D. Petrus, quoties fratri suo dimittere deberet: num sufficeret, si septies dimittat. Hoc responsi accepit, vt non solùm septies, sed vsque septuagies septies dimitteret. Quò autem Petrus & nos omnes videre melius possemus quasi ob oculos, quàm iniquũ sit, quàm malè nos Christianos deceat, & quàm sit perniciosum, gratiam & misericordiam à Deo accepisse, & tamen illam proximo non etiam præstare & exhibere: subiũxit Christus hanc seuerã & insignem parabolam, & supra id, quò omnes scirẽt, ꝙ hæc ipsa similitudo ad nos quoq; pertineat omnes, subijcit postremò: Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordib' vestris. Annõ autẽ satis hoc clarè dictum? Quis tam ingenij bebetis est, qui id intelligere nõ possit? Nimirũ per hoc omnia cadũt, quæ pretexere possumus. Homo odio percitus pretexit, sibi tantam factã contumeliã, vt remittere eã nõ possit. Sed cõtrà quid dicit Christus? Serue nequam, tantíne tuam contumeliã facere potes, & nõ cogitas, qua tu me cõtumelia affeceris, in tam multiplici transgressione meorũ mandatorũ, quin etiam manifesta nominis mei blasphemia? nónne omne debitũ dimisi tibi, & non semel, sed sæpiùs: primò in baptismo originalem culpã, in qua naturà filius iræ fueras natus: & deinde etiam alias noxas, quas non ex Adam contraxisti, & ante baptismum designasti, sed quas ex propria libidine & post acceptam gratiam admisisti? nónne decem

millia

Ioan.3. *Luc.8.* *Matt.21.* *Matt.22.* *Matt.18.* *Excusamus vitia nostra*

millia pondo mihi debebas,& tamen omnia condonaui tibi pœnitenti, ac remisi? Adhæc homo odio inflammatus quid dicere poterit? ánnon omnis illi excusatio adempta est?

Eodem res modo cum auaro habet, cuius omnes cogitationes in lucro & fœnore sunt: si increpatur, quamobrem pauperibus non succurrat commodando & largiendo, responsum illius est, quemadmodum olim primus homicida Cain dicebat: Num ego sum custos fratris mei? Sic dicit auarus & pecuniarum cupidus: Quid ad me alij homines? quod habeo meum est. & per hoc ab omni immisericordia se excusatum vult. Sed quid dicit Christus per Apostolum? Serue nequam, quid habes quod non accepisti? nónne nudus in terram venisti, vti Iob dicit? Quid in terram tecum intulisti? Nónne scriptura dicit cômitto nunc quotidianam experientiam, nos nihil in hunc mundum nobiscum intulisse, nec ablaturos aliquid nobiscum. Si ergo omnia habes à me: quid efferris, quasi ex teipso habeas? Nónne igitur & tu misericordiam & compassionem fratri tuo exhibere debebas? An non autem videtur tibi, quòd etiam omnibus auaris & proprij emolumenti studiosis omnis per hoc excusatio adempta est? Eodem modo omnibus Tyrannis, qui sine omni misericordia miseros subditos & debitores premunt, grauant & angunt, omnis per hoc excusatio adempta est. Nam etsi dicant, se iure debita sua exigere, & à miseris extorquere posse: respondet illis Christus, Serue nequam, nónne & ego iure meo in te vti potuissem? Imò si hoc fecissem, & secundum seueram iustitiam meam tecum agere voluissem, vbi mansisses? Aut quomodo adhuc manere posses? Si ergo ego, qui tuus Deus, Dominus & creator sum, ab eo quod iure facere potuissem destiti, & misericordiam tibi præstiti: meritò tu quoque similiter fratri tuo facere debuisses. Et quid hîc dicet Tyrannus, hominum lanio & excoriator?

Gen. 4. *1. Cor. 4.* *Iob 1.* *1. Timo. 6.* *Tyranni.*

Ex his omnibus perspicuum fit, quòd Euangelium istud omnibus etiam falsis Christianis, qui aiunt, si peccati & impiæ vitæ arguantur, sufficere sibi si credant: talibus hominibus (inquam) adimit etiam istud Euangelium omnem excusationem. Hic enim rursus stat Christus & dicit: Serue nequam, an putas me propter misericordiam & gratiam præstitisse tibi, vt nudæ & otiosæ fidei fidas? An non audiuisti, quod dixi: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde? An non legisti, quod dixi: Quid vocatis me, Domine, Domine: & non

Soli fidei innitentes. *Matth. 11.* *Luc. 6.*

& non facitis quæ dico? An non audiuisti, quòd discipulis meis in vltimo meo decessu hoc mandati dedi,& dixi: Mandatum nouum do vobis, vt inuicem diligatis, sicut ego dilexi vos? imò ex ea dilectione cognoscent omnes, quia discipuli mei estis? Atque hoc pacto Euangelium istud omnibus falsis Christianis omnem adimit excusationem: manifestè indicans, quòd Deus ab omnibus iis charitatem & misericordiam exigit, quibus ipse misericordiam præstitit, idque comminatione horrendi sui iudicij. Et hoc præcipuum est in ista parabola seu similitudine: nimirùm quòd post fidem & iuxta fidem, & in fide etiam charitas sit necessaria ad salutem: & non solùm charitas erga Deum, sed etiam charitas erga proximum. Quàm verò homini charitas Dei necessaria sit, alibi dictum est. In hoc Euangelio videmus, quàm charitas proximi necessaria sit: siquidem plurimum nostra refert, vt nos inuicem diligamus, nos mutuò toleremus, feramúsque, & vt alter alteri condonet. Christus populum habere vult, qui sit vnanimis, quemadmodum de primis fidelibus scriptum est. Atqui nihil est, quod homines arctius iungit & copulat, quàm charitas. Atqui ideo Paulus eam vocat vinculum perfectionis. Quia ergo propter ingenitam naturam & mores quandoque admodum dissimiles sumus: facilè fit, vt lædamus nos inuicem verbis vel etiam operibus: vnde necessarium est, vt nos inuicem in mansuetudine & charitate toleremus, condonemúsque: alioqui nunquam vnus populus in vna domo erimus. Nec amicitia vlla inter nos durare poterit. nam vbi nulla remissio & indulgentia est, ibi crescit inuidia & odium, ibi vindictæ cupiditas oritur, ibi regnat malitia & inualescit totum regnum diabolicum. Quapropter indicare nobis Christus voluit, quòd proximo dimittere & ignoscere non solùm bonum, sed etiam tam necessarium opus sit, vt absque illo nulla apud Deum remissio speranda sit. Hic discamus, quę sit antiqua & vera via, remissionem peccatorum & Dei gratiam consequendi. Vulgus enim hominum hac in parte verum attingere scopum debebat. Omnes quidem apprehendimus Euangelium, vbi molle & facile est: cupimus remissionem, attamen ne magno nobis constet: imò aliàs etiam omnia libenter facimus, tantùm ne à peccatis cessare cogamur, & vitam nostram corrigere. A nostra parte (eò enim res peruenit, vt Christianitas in multas partes diuisa sit) à nostra parte, inquam, videmur nobis remissio

Ioan. 13.

Charitas necessaria.

Act. 2.

Colos. 3.

Remißio peccatorũ vt obtinenda.

remissionem peccatorum consecuti, si quid sacri contingimus, cùm adhæc vel illa loca proficiscimur, cùm indulgentias redimimus, cùm cæremonias quasdam obseruamus, & orationum certum pensum absoluimus, &c. nec vltrà cogitamus, etiamsi tota nostra vita impura & impia est. Ab altera parte conantur remissionem peccatorum sumptu multò minore consequi: nam qui dicere potest, Credo Christum pro admissis meis satisfecisse, is videtur sibi per omnia securus, qualemcumque etiam ducat vitam: & hoc modo fit, vt vtrinque præcipuum & maximè necessarium omittatur; nimirum à peccatis cessatio, emendatio vitæ, & studium veræ pietatis. atque ideo etiam vtrinque erratur. *Declinandum à malo, & faciendum bene.*

Nam hîc apertè vides, quòd Euangelium nostrum nulli mortalium gratiam annuntiat in peccatis perseueranti: imò apertè indicat, quòd homo acceptam gratiam iterum amittit, & in maiorem iram & indignationem cadit, si gratia abutatur. Id quod in hoc seruo apparet. Annon magnam gratiam nactus erat? Quis illo erat felicior? At mox in maiorem indignationem cadebat. Nihil illi proderat neque prior eius fides, neque fiducia in misericordiam Regis, neque accepta gratia. Est ergo vera & antiqua, & omnium certissima via, peccatori gratiam & remissionem peccatorum impetrandi conseruandique, si vocem seruatoris Christi audiat, credat & fidat merito salutaris eius passionis, & præterea pœnitentiam agat; conuertat se à malo ad bonum, & studeat omni pietati, & maximè dilectioni Dei & proximi. Hæc vera via est: eam autem diabolus nos apprehendere non sinit, semper nos transuersim ducit, aut nimium ad dexteram, aut ad læuam nimiùm. Tantò magis & diligentius Euangelium istud intueri & ad animum reuocare debemus. Sint hæc dicta de eo, quod præcipuè in hoc Euangelio obseruandum est. Si quid porrò specialiter ex eo desumendum est, proximè sequens sermo nobis indicabit. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen. *Notatu digna.*

SEC

SECVNDVS SERMO DOcet quid præcipuè ex hoc Euangelio obseruandum sit.



IRCA hodiernum istud Euangelium non opus multa est interrogatione, quid sibi Christus cum hac parabola voluerit. In vltimo verbo id ipsemet indicat: atque ita, vt procul dubio etiam inter nos Christianos sint, quibus parum adferat gaudij. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, inquit Christus, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Hæc explanatio est huius parabolæ & similitudinis: hic omnia simul habes, quis Rex, quis seruus, & quod debitum sit. Sic & Pater meus faciet. Hîc habes Regem: Sic faciet vobis, hîc habes seruum: Si non remiseritis, hîc habes debitum: vnde & reliqua intelligi facilè possunt: nimirùm qui conserui sint, quis carcer, qui tortores, & quibus hæc omnia contingere debeant, & quando: imò prima illa duo coniuncta habemus in Psalmo, vbi Dauid ait: Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Hic vnam partem habes istius similitudinis. Sub hæc mox dicit Dauid: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Venite, adoremus: quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus pascuæ eius, & oues manus eius. Hæc altera pars est, quòd Deus Dominus est, nos autem serui illius: & ita nos nominat Scriptura etiam aliis in locis, vti cùm Paulus dicit, Christum formam serui suscepisse: & quò sciamus, quis ille seruus sit, cui similis sit factus Christus, mox subiicit, in similitudinem hominum eum esse factum. Hic seruus ille est, quem hæc parabola demonstrat. Qui homo est, & Christianus nominatur, is sciat de se & sibi dictum esse. Tertium, nempe debitum quod sit, habes in oratione Dominica, vbi inter alia eundem in modum nos orare iubet Christus, & dicere: Pater dimitte nobis debita nostra. Et quid hoc debitum aliud esse potest, quàm peccatum, quod contra Deum & legem eius facimus? Proindè in hoc Euangelio ante omnia obseruandum est, quomodo Christus hanc suam doctrinam tam clarè proponere voluerit, vt omnes possent intelligere, nec quisquam dicere posset: Nimis argutum & sublime mihi est. quis tam sublimia capere posset? Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat sapientiam Dei? Non. Scriptum est,

Rex. *Seruus.* *Debitum.* *Psal. 64.* *Philip. 2.* *Matth. 6.* *Deut. 30.*

est, Propè est verbum tuum in corde & in ore tuo. Inspice *Baruch 2.*
Euangelium istud, & inuenies, Christum tibi omnia ob oculos ponere, idque vna vice aut simul, quid credere, & sperare, metuere, cogitare & facere debeas. Vnumquodque verbum in hac parabola indicat aliquid peculiare, & non vnum tantùm, sed plura. Id quod paucis indicabo. Primò in verbo, quod Christus dicit, Assimilatum esse regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis, videmus principiò quòd Deus solus Dominus est, cui seruire omnes creaturæ debent, maximè homo & Christianus, vti etiam superius ex sancto Dauide indicatum. Secundò, *Psal.94.* quòd omnes pariter serui & ministri Dei sumus. Ita enim nos Scriptura nominat. Neque hîc discrimen vllum est inter diuitem & pauperem: non enim respicit Deus personam *Act.10.* hominum. Tertiò, videmus in primo hoc verbo, quòd Deus suo tempore rationem à seruis suis exiget, & tam exquisitè, *Matth.12.* vt homo etiam de vnoquoque verbo otioso rationem dare cogatur. Atque hæc ratio incipit hîc, quando nobis Deus conscientiam excitat suo vel instinctu, vel verbo, & nos præteritorum admissorum admonet. In futuro autem iudicio hæc ratio finitur. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, vt omnes accipiant quod in corpore operati sunt, siue bonum siue malum. Habemus enim vnum Dominum, qui nullum bonum irremuneratum, & nullum malum inultum sinit. *Rom.14.* *Merces rectè & malè factorum.* En, hæc omnia ex primo verbo discere possumus. Et quē credis fructum ac vtilitatem adferret, si hæc saltem tria ad animum reuocare niteremur? Sequitur in Euangelio: Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. In hisce verbis videmus primò, nos pariter omnes ex nobisipsis peccatores esse: quippè in nobis omnibus inuenit Deus plus mali, quàm boni: ita vt dicat Ioannes, Si quis dixerit peccatum se non habere, eum seipsum seducere, & veritatem in eo non esse. Et Dauid apertè dicit, Non iustificari per se vllum hominem in conspectu Dei. Vnde nos Christus omnes iubet orare, & petere remissionem peccatorum seu veniam culpæ. Quin Dauid dicit, omnem sanctum quoq; orare pro remissione peccati. Nemo enim ita purè semper viuit, vt non interdum in veniales labatur culpas. Secundò, videmus in hoc verbo, quàm acutum cernat iudiciū Dei, & quàm accuratè omnia inquirat, nihil occultum relinquens, nec illi effugere quisquā poterit mortalium, *1.Ioan.1.* *Psal.142.* *Matth.6.* *Psal.13.*

Hiere. 23. talium. Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Et in Amos: Non erit fuga eis: fugient, & non saluabitur ex eis qui fugerit. Si descenderint vsque ad infernũ, inde manus mea educet eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, indè scrutans auferam eos: & si cælauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti & mordebit eos. Tertiò, videmus in hoc verbo, quàm magna & grauia nostra peccata sint, quãdoquidẽ illa Christus primò debitũ nominat, & admissum debitum non contra hominem, sed contra Dominum & regem cœli & terrę. Quò autem maior ille est, cuius mandatum contemnitur, hòc etiam maius peccatũ est, quod aduersus illum designatur. At quis maior Deo? Est ergo etiam maximũ peccatum & debitum, cùm Dei præcepta contemnuntur. Si peccauerit vir in virũ, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo? ait pontifex Heli ad filios suos. Ex his iam vides, peccatũ quale debitum sit. Hanc rem seueriùs adhuc agit Christus, dum nõ vulgare debitum nominat, oboli aut semissis, sed talenti: neque vnius, sed decem millium, quanquam vnum talentum plus satis esset. Siquidem talentum siuè pro põdere, siue pro moneta accipias, maximum est: quippè in pondere continet centenarium, in moneta verò continet (iuxta quorundam supputationem) sexcẽtos coronatos. & hoc primùm vnum talentum est. Sed verò vide iam, in qualem euadãt summam decem millia talenta. Verùm quid homo prudens etiam in externis rebus gaudij habere potest in tãto debito, vbi quotidiè à creditoribus suis monetur & coangustatur? Loquor autẽ de hominibus prudẽtibus: alioqui enim inter insulsos & insipientes inueniuntur quidam, qui nihilo seciùs dormiunt, conuiuantur, & frontem exporrigunt, licet magno teneantur ære alieno: nec pudet eos, etiam si quotidiè debitum ab eis exigatur. Sed nulla hæc profectò sapientia est, quin potius magna imprudentia. Cęsar Augustus fidelem habebat seruum, sed tantum post suum obitum relinquebat debitum, vt Cæsar demiraretur, quì in tantis debitis somnum capere potuerit. Vade, inquit ad suum seruum, & adfer mihi puluinar, super quod iacuit; quòd si ille dormire super illud potuit, spero equidem & me super idipsum dormire posse. Summa, quisquis in magno debito non anxius est & solicitus, sed effrænis & sine cura, haud ille quidem sapientia præditus est

Marginal notes: *Amos. 9.* — *1. Reg. 2.* — *Talentum.* — *Cæsar Augustus.*

est magna. Si ergo temporale debitum homini ſapienti talem anxietatem, curam & pudorem generat, vt nunquam conquieſcere poſsit, nunquam in hominum verè conſpectum venire audens, ſemper metuens, ne quid pecuniarum à ſe exigatur: qualem igitur anxietatem adferet, ſi quis coram Deo debeat, & ſe in ſua conſcientia ita ſentiat? Atqui Chriſtus ſtudio talem ſummam nominauit, quò poſsimus videre fieri non poſſe vt peccata & culpas ex nobis ipſis vnquam dependamus, próque iis per nos ſolos ſatisfaciamus: & magnam eſſe miſericordiam, nos non illicò tortoribus & malis ſpiritibus traditos eſſe & tradi. Quiſq; enim apud ſemetipſum cogitet quis ipſe ſit, quid acceperit, quid contrà boni ac mali fecerit: talem profectò ſummam & tam magnum inueniet debitum, quod per ſe perſoluere nunquam poſsit. Imò quis ea probitate eſt inter nos, qui non multis Deo debitis ſit obligatus? Inueniuntur quidem, qui probitatem ſibi ipſis iactanter tribuant: ſed neſciunt quandoque ſe pauperes, miſeros, & egenos, nudos & cæcos eſſe. Atqui in mundanis & externis debitis nulla ſumma tanta eſt, ſi quis piger non ſit, quin exoluere ſeſe temporis ſucceſſu poſsit: peccatum autem expiare coram Deo nemo poteſt ex ſeſe ipſo. Quicquid enim ſumus & habemus, quicquid dare & facere poſſumus, id antea Deo debemus. Et quid igitur reliqui nobis ſit, quo debita noſtra perſoluere poſſemus ac redimere? Domine (inquit Dauid) non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Et iterum: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Et rurſum: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Hoc videmus in tertia parte iſtius parabolæ, vbi Chriſtus ait: Iuſsit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Hîc apparet ſeueritas diuini iudicij: quin hîc videmus ſententiam pridem latam, & quidem ſententiam æternæ iræ & indignationis. Et Chriſtus ſi hanc parabolam iſta ſententia concluſiſſet, haud dubiè nobis omnibus deſperandum foret, & quidem ſine omni medio: nam debitum ceruicibus noſtris incumbit. Nec iudicium Dei euitari poteſt, vti ſuperius in Amos demonſtratum eſt. Sed quid Chriſtus amplius dicit? Procidens

Apoc. 3.

Pſal. 142.

Pſal. 37.

Pſal. 119.

Amos 6.

seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam. Hoc verum medium est veniam consequendi: fugere non prodest, excusare sese non iuuat, occultare sese non expedit. Vnicum & omnium certißimum medium, si quem iudicium Dei in mala conscientia deprehendit, est, procidere, humiliare sese, peccatum confiteri,
1.Ioan.2. & veniam petere, Christum implorare, qui propiciatio est
Eph.2. pro peccatis nostris, per quem inuenire possumus clementem Deum: imò per eum habemus accessum ad Deum. Et quod nobis alioqui impoßibile esset reddere, id possumus per eum reddere, dare nobis potest & commodare. Cum illius meritis, modò is rectè vtamur, persoluere possumus, siquidem multò maiora sunt, quàm omnia peccata nostra & culpæ. Et hac in parte nulla gens sub sole felicior est nobis Christianis. Omnes alij populi debito quantumuis magno obstricti, quantumuis peccent, nullum tamen sciunt solatium, in peccatis suis mori eos & perire oportet: nos autem scimus vndè accipere & vbi inuentre debeamus, Deo quo satisfaciamus, reddamúsque debita: tantùm tales nos præbeamus, quibus prosint eius merita. Sequitur in Euangelio: Misertus dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Rectè hæc sese mutuò consequuntur: seruus humiliabat sese coram domino, dominus miserabatur serui. Habemus hic exemplum & argumentum ineffabilis misericordiæ Dei. hic videmus quid sperare & nobis de Deo promittere poßimus: quinimò hic videmus primò, quòd misericordia Dei omnia nostra pec-
Gen.4. cata vincit. Est ergo blasphemia in Deum, quòd Cain dicit, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Secundò videmus hic, nullum peccatum esse tantum, quod dimitti homini non poßit, si ex animo resipiscat: quem-
Matth.12. admodum Christus ipsemet dicit in Matthæo. Solùm excipit peccatum in Spiritum sanctum, quod non dimittitur, quia rarò agnoscitur. Tertiò videmus hic, Deum plus dare, quàm ab eo petere ausimus. Seruus moram tantùm rogabat, nunquam petere ausus fuisset omnis debiti remißionem: at Dominus adeò bonus est, vt ipsemet dimittat ei omne debitum. Vndè Dauid meritò de eo dicit: Confitemini
Psal.117. Domino quoniam bonus, quoniam in seculũ misericordia eius. Et quis tam benignum Dominum non amet ac laudet, eúmq; peccando offendere non erubescat? Quartò videmus hic,

hic Deũm pro magno debito valdè exiguum postulare: nimirùum vt etiã proximo nostro dimittamus. Id enim si hic seruus fecisset, debito suo æternum liber esset, & propterea intentatus mansisset. Hic attollamus capita nostra quotquot nos peccasse dolemus, solatiúmq; hauriamus contra omnem pusillanimitatem & desperationem. Consideremus quid hic seruus mutationis in seipso senserit: magno cum debito ibat ad iustum iudicem, atq; illic necessariò metum & tremorem esse oportuit. Liber iterum exibat, atq; illic indubiè gaudium fuit. Rectè igitur & verè Dauid dixit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Sed quid sequitur in Euangelio? Egressus seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, &c. Hic ostendit sese corrupta hominis natura: hic videmus malitiam humani cordis. Primò, quòd seruus iste tam citò obliuiscitur gratiæ & beneficiorum acceptorum. Secundò, quòd tam immisericorditer agit erga conseruum suum. Noster adeò hic mos est: in templis oramus pro gratia & remissione, extra templum obliuiscimur omnis boni, quod accepims: protinus incipimus fratres nostros grauare, imò opprimere sine omni misericordia. Neq; hoc tempore quicquam vulgatius: minor commiseratio: imò maior tyrannis & immisericordia erga pauperes visa nunquàm fuit, quàm hoc tempore, cùm nemonon gratiam Dei & Euangelium iactat, vt Christus verè dixerit, fore vt malitia vltimis temporibus inualescat, & charitas refrigescat. Sequitur in Euangelio.

Psal.31.

Iactamus Euangelium Euangelij contemptores.

Matth.24.

Videntes conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valdè: & venerũt & narrauerunt domino suo. Hic videmus horribiliter, nihil celari aut occultum manere, quod homini Christiano iniuria irrogatur. Nam qui vnum Christianum lædit, omnes lædit: quin Christum ipsummet, quemadmodum etiam in extremo die ad malos dicet. Et hanc ipsam ob causam de cœlo clamabat, Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Iesus Nazarenus quẽ persequeris. Et Saulus homines tantùm persequebatur in Christum credentes, attamen Christus iniuriam illã accipiebat tanquã sibi illatã. Secundò videmus hic, ꝙ clamor proborũ in cœlum vsq;, & ad Deum penetrat & venit, queãdmodum etiam sanguis Abel in cœlum clamabat. Et quomodo Deus non audiret clamorem electorũ suorũ, qui dies ac noctes ad ipsum clamant?

Matth.25.

Act.9.

Gene.4.

Luc.18.

Iratus dominus vocauit illũ, & ait illi: Serue nequam, &c.

Et pòst: Tradidit eum tortoribus, &c. Hîc vides ꝙ Dominus, de quo tam multa bona dicuntur, etiam irasci possit: imò tantò vehementius irascetur & puniet, quantò plus antea gratiæ exhibuit. Videmus itẽ hîc, ꝙ nulla res Deo tantopere displicet, atq; ingratitudo & immisericordia erga proximum. Videmus porrò hîc homini Christiano non sufficere, vt neminem lædat: quin etiam benefacere suo proximo debet. Imò hîc videmus, ꝙ nec fides sufficit sine charita-
1. Cor. 3. te, quẽadmodum etiam Paulus ad suos Corinthios scribit.
2. Pet. 2. Postremò videmus hîc, nihil infelicius homine, qui post acceptam gratiam in Dei irã recidit: præstaret enim tali, si viam iustitiæ nunquam agnouisset, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illi traditum est, sancto
Matth. 26. mandato. imò melius esset illi, si natus nunquam fuisset, quemadmodum Christus ad proditorem suum dicebat.

At vide iam, quàm multa & magna nobis Euangelium istud ob oculos ponat. Quare conscientias nostras exploremus, Dei misericordiam atq; etiam iustitiam pariter consideremus: peccata vitemus, grati simus pro accepta gratia, compatiamúrq; proximo nostro, & Deus erit nobiscum, nec vnquam nos cum malo seruo condemnabit.

TERTIVS SERMO DE PRIma parte istius Euangelij.



PARABOLA hęc & similitudo, initiò supramodum consolatoria est, in fine autem valdè terribilis: imò illis consolatoria est, qui coram Deo per veram pœnitẽtiam sese humiliant, & erga proximos suos misericordes ac compatientes sunt. Illis autem terribilis est, qui coram Deo sese ex animo non accusant & humiliant, neque erga alios homines vllo misericordiæ affectu tanguntur, imò omnem immisericordiam exercent. Seuera itaq; cumprimis est similitudo, & quæ diligenti consideratione opus habet. Proindè quò videre queamus quid Christus in hac parabola & simi-
Matth. 18. litudine admonuerit, videre nos primũ oportet, quid ad id eũ mouerit. Atq; hoc clarè indicat Matthęus, dũ paulò ante istud Euangeliũ scribit, ꝙ Petrus Christũ interrogat, quoties fratri suo dimittere deberet, num sufficeret si septies. Christus autẽ Petro hoc responsi dabat, vt nõ solùm septies, sed etiã septuagies septies dimitteret. Hæc causa fuit istius

parab

parabolæ. Et est hæc insignis causa. Siquidem non vulgaris ars est, ita cum aliorum hominum peccatis posse agere, ne quis ipse etiam delinquat: id quod fit, si quis modum nõ obseruat, hoc est, si quis aut seuerus nimium, aut remissus est nimium. Christus quidem vult ac præcipit, ne Conchristianorum nostrorum peccata inulta sinamus, sed tamen indicato discrimine. Non enim vult vt festucam in oculo fratris tui obserues, trabem in oculo tuo habens. Neque vult porrò, vt ex peccato Conchristiani tui causam sumas eum lædendi aut perdendi: sed vt peccatum eius tanquam frater & non tanquam inimicus intueare. Et ob id etiam dicit ante istud Euãgelium, Quoties peccabit in te frater tuus, &c. perinde ac si dicat: Ita fratris tui admissa corrigere & reprehendere ac vlcisci satages, vt tamẽ cogites eum fratrẽ tuum esse. Certè aliter cum peccatore agendum est, qui sese humiliat & pœnitentiam agit, quàm cum rebelle, & nullã reprehensionem admittente. Talis enim excludi debet, & haberi ceu Ethnicus. Cæterùm qui sese humiliat, & peccatũ suum corde contrito confitetur, huic dimitti debet. Atqui verò hæc vtraque exigit Christus, & Christiana nostra charitas vtraque requirit. Nam qui præcepit tibi, vt pœnitenti & culpam confitenti, dimittas: ille idem tibi præcipit quoq;, vt iniquè agentem reprehendas. De illo autem qui voluntariè & perseueranter in peccatis suis manet ac pergit, Christus ipse terminum & metam fixit, quoties admonendus sit. Pœnitentes autem simpliciter mandauit præcepitque in gratiam vt recipiantur: nec modum constituit quoties recipi debeant. Atq; hæc causa est, ꝙ Petrus, vtpote tum futurus pastor sanctę Christianitatis, interrogabat quoties pœnitenti peccatori dimittere deberet: num vsq; septies. Videbatur sibi egregium quiddam obtulisse, putans vel hoc nimiùm esse, si septies dimitteręt alicui. Ita enim affecti sumus omnes, vt magnifaciamus quicquid aliis hominibus damus, remittimus, & ab iis patimur ac toleramus: verũ si quid alij nobis dãt, remittũt, aut à nobis patiũtur, id parui ęstimamus & nihili. Et si rẽ æqua lãce æstimaremus, lõgè quãdoq; præpõderaret, quod parui facimus: cõntrà verò multò leuissimũ cerneremus quod magni ducimus. Quòd si ergo illud quod aliis hoĩbus das aut remittis, aut in illis tolleras, cõpărabis cũ eo quod tibi dat Deus, indulget, & in te fert: neque certè tu cũ Publicano oculos ad Deũ attollere audebis, sed

Modus erga peccantes seruandus.

Luc. 6.

Matth. 18.

Ibidem.

Petrus pastor totius Ecclesiæ.

Ibidem.

Luc.18. pectus percuties ac dices: Deus propitius esto mihi peccatori. Dicésq; cũ rege Manasse, Peccaui super numerum arenę maris. Verũ nihil aliud nobis deest, quàm quod in nosipsos nõ respicimus. Et ob id Christus hoc respondebat Petro: Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies, hoc est, quadringenties & nonagies. Quod tamẽ non ita intelligendum est, quòd supra hunc numerum non plus teneamur condonare proximo. Minimè. Christus vult vt semper dimittam', quoties proximus noster in nos peccat: quemadmodùm alioqui per septenarium numerum infinita multitudo in Scriptura quandoq; intelligitur: vti cùm Deus in Mose dicit, Corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, hoc est, sæpè & multùm vos percutiam. Voluit ergò Christus hoc suo responso omnẽ vindictæ cupiditatẽ ex animis eximere, quemadmodum & aliis in locis fecit: etenim affectus vindictæ altè animis nostris insidet. Alioqui etiam Gentes & Publicani benè facere possunt iis, qui ipsis benè faciunt, & amant eos, à quibus redamantur. At benè facere illi, qui malè facit nobis: benè loqui de eo, qui de nobis malè loquitur: amare eum, qui nos odit: orare pro eo, qui nos persequitur: & dimittere malefacienti nobis: id verò graue nobis est & difficile: ægrè vetus Adam eò adducitur. Quin etiam calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis eius, veluti Sapiens dicit: & tamen aliàs vir sapiens multa perferre ac sustinere potest, at hoc tentat illius animum. Veruntamen quod Adam perferre non potest, hoc Christus potest perferre: hoc est, quod naturæ ex se impossibile est, hoc nobis Dei gratia & Spiritus leue facere potest. Quẽadmodùm & Christus in Euãgelio dicit: Quod apud homines impossibile est, id apud Deũ est possibile. Sic Dauid inimico suo Sauli non solũ dimittere poterat, sed etiam parcere, etiam cũ in manu iam eũ haberet. Sic etiã Semei qui illi manifestè maledicebat, eúmq; lapidibus petebat, per omnia ignoscere poterat. Sic & Stephanus orare poterat pro iis, qui eum lapidabant. Hunc in modũ semper nobis orandum est: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Sed inquis: Quomodò dimittere ei possum, qui famæ meæ notam inussit? Respondeo: Quomodò igitur tam amẽs esse potes & vecors, vt si quis te lædat, teipsum lædere ampliùs adhuc velis? Nónne insanum illũ dicas, qui cùm decem aureos habeat, & quatuor ex iis vi sibi auferantur, reliquos sex à se abiiciat? Eodẽ modo quilibet

Leui.26. Matt.5. Eccle.7. Matt.19. 1.Re.24. 2.Reg.16. Acto.7.

libet facit, qui ipse vlcisci se paratus est, & contumeliã contumelia retaliare. Quid enim tibi inimicus tuus abstulit? Famam meam (inquis) noménque bonum. Haud quidem damnũ leue, quandoquidem Salomon bonum nomen diuitiis præfert quamlibet magnis. Sed maius adhuc habes & melius quiddã: hic vide ne illud abiicias ipse. Habes fidem, quæ te certum facit, quòd tibi Deus omnia reddere velit, quicquid iniustè tibi aufertur: habes porrò patientiam & charitatem, quæ duo quàm diu retines, nocere tibi non potest, quicquid inimicus tibi facit aut aufert. Verùm si ipse inimicum vlcisceris, patientiam & charitatẽ, præclaras virtutes, ipse à te abiicis: atque hoc pacto plus tibi ipse damni infers, quàm tibi facere inimicus vnquàm potuisset. Quò autem tibi hoc graue nõ fiat, en ponit nobis Christus in hodierno Euangelio misericordiã Dei ob oculos, vt per eiusmodi collationẽ videre queamus, quòd etsi proximo nostro septuagies septies dimittimus: imò etiãsi semel omnia & simul dimittimus quicquid vnquàm cõtra nos fecit, perindè tamen est, ac si guttulam aquæ cum toto mari cõferas. Tam multũ, imò adeò multò longiùs superat immensa misericordia Dei omnem nostram charitatẽ & misericordiã: atque eiusmodi misericordia opus habemus omnes, posteaquam coram illius iudicio de omni nostra vita ratio reddenda est. Sed parabolam audiamus. Assimilatum est regnum cœlorum homini regi (inquit Christus) qui voluit rationem ponere cum seruis suis, &c. Rex iste indubiè alius nemo est, preterquàm Deus. hic multos seruos habet: quiuis enim homo, Dei seruus est, etiam inuitus. Et cogitur etiam illi subditus esse, aut voluntaria obedientia vel subiectiõe, studendo iustitiæ: aut verò voluntaria coactione in castigatione & pœna. Boni homines agnoscunt seipsos ídq; voluntariè Dei seruos. Mali autem pœna & plagis eò cogi debẽt, vt Deũ pro suo domino agnoscant: vti in Pharaone, Antiocho & Nabuchodonosore videre est, qui pœnis & plagis eò adigebantur, vt fateri cogerentur, vnum esse Deum in cœlis. Peculiariter autẽ seruus hic quiuis peccator accipitur, qui vtiq; Dei seruus esse debebat, & iam debitor factus est. Et qui super bona Domini sui constitutus est dispensator, dilapidator eorundem inuenitur. Decem millia talenta debebat (inquit Christus:) magna summa est, quam tamẽ debemus omnes. Nam considera beneficia, quæ Deus omni-

Eccl.7. *Fides.* *Patientia & charitas.* *Matt.18.* *Exod.9.* *2. Macc.9.* *Dani.4.* *Luc.16.*

bus hominibus in commune fecit: considera deindè quæ bona tibi speciatim præstiterit, & confer è diuerso tuam ingratitudinem & inobedientiam: inuenies te decem millia talenta debere, hoc est, talem summã, quam persoluere nunquam poteris. Considera deindè peccata tua, & quid cogitationibus, verbis, operibus, per contemptũ & omissionem contra Dei mandata feceris, summam decem millium talentorum iterum inuenies. Has deindè duas summas collige, & videbis te multò plus debere, quã seruus hic. Sed quid tandem futurum est, debito ita vsque crescente? Num indissolutum sic manebit? Nequaquam. Rationẽ à nobis exiget Deus omnium earum rerum, quas aduersum Deum admisimus: siquidem Deus vult vt grato animo agnoscamus quicquid gratuitò accepimus. prætereà etiam vult, vt eiusmodi sua dona inuiolata seruemus, iisque non aliter vtamur, quàm ad quæ illa nobis dedit: & sic quidem etiã mandata sua seruari vult, & nullum malum inultum relinquere.

Ratio quando exigetur. Sed quãdò eiusmodi ratio à nobis exigetur? Nimirum id fiet in extremo die & vltimo iudicio: tum autem debitori nullum tempus & locus ampliùs dabitur petendi moram. Sed Rex etiam nunc incipit rationem ponere, quandò nos aut metu & terrore mortis aut anxietate cõscientiæ impellit ac cogit, vt oporteat nos considerare, quàm malè gratia Dei vsi, & quàm multum contra Dei legẽ fecerimus ac operati simus. Atque hìc tum videt homo, ab altera parte se debitorem esse: ab altera parte seuerum Dei iudicium. Et quid in tali anxietate facere potest? Nam etiamsi vxorem & liberos & omnia sua bona vendat, nihil tamẽ est ad summam decem millium talentorum. Hoc est, etiamsi homo rẽ acerrimè aggrediatur, seséque in bonis operibus exerceat: imò etiamsi corpus, vitam, & bona impendat per seipsum tamẽ pro debito suo satisfacere non posset. Vnica via ad salutem ipsius est, vt faciat quidẽ quicquid potest boni, & imprimis quod seruus hic fecit: procidat coram Deo, & gratiã roget.

Beatus homo qui hoc facit. Quippè vnica & vera via est ad exaltationem, quandò quis procidit ante Deum & humiliat sese: quãdoquidem Scriptura apertè dicit, humiles exaltari, & superbos humiliari. *Luc. 18.* Deindè etiã nulla melior & securior via est, quàm ad humilem orationem sese vertere, si in iustitia quippiam desit. Talem in modum Deus cum peccatore agit. Primò terret eum suo iudicio: sed id facit

in eum

in eum finem, vt peccator de seipso desperet, coram Deo sese humiliet, & gratiam petat, acceptáque gratia deinceps strenuè vtatur. Et quid ad talem humiliationem consequitur?

Dominus (inquit Christus) misertus serui, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Hic vides quàm facilè Deus etiā magnum cumulum peccatorū dimittat, si quis per veram pœnitentiam humiliet sese: imò quòd etiam plus dat, quàm quis ab eo petere ausit. Vndè etiam Paulus nō immeritò patrem vocat misericordiarum, & Deum omnis consolationis, dicens alio in loco, Deum diuitem esse in misericordia. Et docet sanctus Dauid, Israël fidelē populum sperare in Domino: apud illum enim esse misericordiam, & copiosam redēptionem. Obserua autem quod hîc habetur, Misertus est serui Gratuitò quippè consequimur remissionem peccatorum in baptismo, & non ex nostris præcedentibus meritis. Gratia est, quicquid nobis dat Deus: quēadmodùm seruus hic dicere non potuit, quòd talem gratiam & remissionem debiti magni promeruit. Quantum enim cunque etiam in domu domini sui & seruitio ac ministerio facere poterat, omnis tamen eius labor & meritum comparari nō potuit ex condigno ad talem gratiam. Itidem res nobiscum habet. Enimuerò in domu Dei otiari non debemus, sed quilibet secundum vocationem suam laborare. Attamen omnia nostra opera paria non sunt ad gratiam remissionis, aut ad æternam vitam. Sic enim docet Christus: Etiamsi omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus. Enimuerò omnia nostra opera non possent per se neque remissionem peccatorum, neque æternam vitam consequi, nisi Deus vtraque hæc ex gratia promisisset, atque etiam Christus hæc vtraque nobis promeruisset. Debemus quidem remissionem peccatorum orando, lachrymando & pœnitendo quærere: attamē vti dixi, omnia hæc per se remissionem peccatorum nobis consequi non possent, nisi Deus nobis promisisset eam. Ita etiam nobis necessarium est ad beatitudinem & æternam vitam consequēdam, vt mandata Dei seruemus, Deum & proximum nostrum diligamus. Attamen his solis per nos beatitudinem adipisci non possemus, nisi eam nobis Deus per Christum promisisset. Atque hoc modo comperimus, quòd Deus etiam nostri misereatur, & adhuc miseretur, quandò humiliamus nos. Talem gratiam annūtiat nobis Euangelium

2.Cor.1. *Ephe.2.* *Psal.129.* *Tit.3.* *Luc.17.* *Matt.19.*

istud: sed cognoscendum etiam nobis intereà dat, quòd is ipse Deus qui clementer nobis verè pœnitentibus ignoscit nunc, seuerissimè nos puniet, nisi proximo etiã nostro gratiam exhibuerimus. Faxit Deus vt hoc consideremus præstemúsque, Amen.

DOMINICA VICESIMAQVARTA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM MATTH. XXII.

Marc. 10. ABeuntes Pharisæi consilium ceperunt, vt illaquearent eum in sermone. Et ad illum emittunt discipulos suos cum Herodianis, dicentes, Magister, scimus quòd verax sis, & viam Dei in veritate doceas, neque cures quenquam: non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, annon? Cognita autẽ Iesus malitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tũc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI, PHILIP. III.

1. Cor. 4. *FRatres, Pariter estote imitatores mei, & considerate eos qui sic ambulant, quemadmodum habetis*

nos

nos pro exemplari. Nam complures ambulant, de quibus sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum Deus venter, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Nam nostra conuersatio in cœlis est, ex quo & seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, vt conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam subijcere sibi omnia. *Rom.16.*

PRIMVS SERMO DE Euangelio in genere.



IN hodierno isto Euangelio habemus & videmus duo contraria. Pharisæi veniebant lenibus & dulcibus verbis ad Christum, vocabant eum Magistrum: hanc illi tribuebant laudem, quòd viam Dei & veritatem doceret, nec in eo hominem quenquam respiceret, &c. sed malè in cordibus suis sentiebant: nullam aderant aliam ob causam, quàm quòd putabant sperabántque fore, vt in sermone laberetur, vt eum in verbis eius caperent, & deindè tantò maiorem causam haberent illum accusandi. Hoc latebat sub blandis verbis. Existimasset quis non nisi amorem esse & fauorem: è diuerso autem respondebat illis Christus seueris verbis, nominans eos hypocritas, detegens illis apertè malitiam cordis eorum: existimasset quis non nisi esse iram & indignationem: sed animus erat bonus, nihil quęrebat aliud per id, quàm vtilitatem eorum & æternam salutem. Adeò non debemus iudicare quenquam hominum secundum externam speciem verborum. Inuenias enim, qui nequiter sese humiliat, interiora verò eius plena sunt dolo, ait Sapiens. *Ecclesi.19.* Contrà verò scriptum de Deo est, quòd quidem interdum *Psal.29.* iratum se & indignabundum ostendat, & tamen in voluntate sua præcipuè habeat vitam & gratiam. Atque hæc etiam vera argumenta sunt falsitatis seu mendacij, & veritatis. Mendacium seu falsitas ornat se quantum potest, ne deprehendatur: veritas autem aperta est, neminem timet. Talem natu

naturam & conditionem vtrobique qui nescit, aut non considerat, facilè seductus est, vt mendacio accepto, eò quòd leniter in animum intrat: veritatem fugiat, eò quòd reprehen-
Esa.5. dit. Ita vsu venit Iudæis, de quibus Isaias scribit: Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. E diuersò autem dicit Salomon, melius esse
Ecclesi.7. à sapienti corripi, quàm à stulto laudari. Et iterum dicit,
Prouerb.27. Melius esse accipere vulnus ab amante te, quàm fraudulentum osculum ab eo qui odit te. Quid autem aliud fuit, quàm falsum osculum, quòd hi assentatores dicebant: Magister, scimus quia verax es, &c. Contrà verò infligebat Christus vulnus eorum pectori, vbi ait: Quid tentatis me hypocritæ? sed vtrum ex his duobus melius? Dauid id no-
Psal.140. bis dicit: Corripiet me iustus in misericordia (inquit) & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Sic & Dauid affectus erat, qui malebat à bono corripi, quàm ab adulatore laudari. Idque reipsa demonstrauit, & res illi benè cessit. Nullus ciuis, nullus opifex, nullus rusticus sibi pateretur ea dici, quæ olim Dauidi (qui ta-
2.Reg.12. men Rex erat) Nathan dicebat: tantùm abest vt nostri Nobiles, Principes, & Reges id patiantur. Neutiquam. Horum auribus leniter occinendum est. & si vel vno verbo duriter tangantur, illicò audire oportet, Num tu Regis consi-
2.Paral.25. liarius? Desine, aut occidam te. Sed quid dicit Dauid, à
2.Reg.12. Nathan tam seuerè increpatus? Peccaui, inquiebat. Qua re impetrabat, vt Propheta protinus ab increpando desisteret, & inciperet eum iterum consolari. Dominus (inquit) transtulit à te peccatum tuum. Talem vtilitatem affert obiurgatio probi, etiamsi dura sit & appareat. E diuerso autem vide-
2.Reg.18. mus in Absalom & in Roboam, quid adulatio homini ad-
3.Reg.12. ferat: nimirum nihil aliud, quàm certum interitum. Hi enim vterque ab assentatoribus seduci se patiebantur, vnde etiam vterque in exitium veniebat. Absalom propterea vitam amittebat, Roboam autem maiorem partem regni sui. Quapropter bono Christiano apud istud Euangelium diligenter considerandum, quòd Christus Iudæorum legatis tam duriter respondebat, non obstante, quòd illi verba tam lenia dabant. Nobis ad doctrinam id factum est, vt veritatem à mendacio & falsitate discamus dignoscere. Popule
Esa.3. meus (inquit Deus) qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.
Con

Contrà verò dicit Salomon: Verba ſapientum ſicut ſtimuli, *Eccleſi.12.*
& quaſi claui in altum defixi. Similiter quoque dicit Pau- *Hebr.12.*
lus,omnem diſciplinam in præſenti quidem videri non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſteà autem fructum pacatiſsimum exercitatis per eam, reddere iuſtitiæ. Eundem quoque in modum in Iob homo beatus dicitur, qui à Deo corripitur, *Iob 5.*
& increpationem non reprobat. Age, quòd Chriſtus in Euangelio contra Iudæos loquitur, primò reprehenſionis in morem,& deindè etiam tanquam Doctor & Iudex,ſeu arbiter obiectæ interrogationis, id omne meritò nobis charum & pretioſum eſſe debet. Nam qui vel aliquid intelligit, facilè exindè animaduertere poteſt,Deo non placere,ſi ſimulato & ficto corde ad ipſum veniatur. Tum etiam breui reſponſo,quod ad propoſitam quæſtionem dabat,ſatis indicauit,quomodo cùm temporaliter,tum æternaliter tranquilli eſſe poſsimus, vt neque mundus, neque Deus iraſci nobis poſsit. Da Cæſari,quæ ſunt Cæſaris, & ſecurus ab illo eris: da Deo quæ ſunt Dei,& pacem cum illo habebis.Præſta Magiſtratui obedientiam, & debitum obſequium in externis rebus, & Deo ſuam obedientiam in rebus ſpiritualibus, vtrobique pace perfrueris. Hoc docet nos Chriſtus in ſuo reſponſo quod dabat. De talibus autem verbis plura deindè dicentur. Eſt enim hoc præcipuum, quod ex hodierno Euangelio obſeruandum eſt. Nihilominus verò tamen efficere debemus,ne verba, quibus hypocritici legati vtebantur,fruſtrà eſſe ſcripta videantur. Magiſter(inquiebant)ſci- *Matth.22.*
mus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo:non enim reſpicis perſonam hominum. Hæc eorum erant verba. Et quomodo eum magnificentius laudare potuiſſent ob illius doctrinam? Non quidem ex animo hoc illis proficiſcebatur, nec per id quærebant aliud quàm illius exitium. Sed non ideò nobis eſſe iocus debet, quòd Chriſtus & doctrina eius à ſuis & noſtris inimicis tam honorificam laudem & titulum habet. Alioqui loquebantur quidem & ſentiebant multò aliter de illo. Vt in Ioanne dicebant:Tu de teipſo teſtimonium perhibes, & teſtimonium *Ioan.8.*
tuum non eſt verum. Et paulò poſt: Nónne benè dicimus nos,quia Samaritanus es tu,& dæmonium habes? Et iterum: *Ioan.9.*
Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit. Et paulò pòſt:Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus:hunc au *Ioan.10.*
tem neſcimus vnde ſit. Et iterum: Dæmonium habet & in- *Ioan.18.*

sanit: quid eum auditis? Et coram Pilato: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Et in Matthæo: Ecce homo vorax & potator vini. Et in Luca: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari. Talem existimationem habebat Christus apud Iudaicos Pharisæos. Hoc & id genus alia loquebantur & sentiebant de illo. Iam verò in hoc Euangelio omnium optimus est, ipsa veritas est, nullo vitio penitus laborat. Adeò firmi erant in suis verbis, adeò constanter loquebantur illi in conspectu & à tergo. Sed fieri nos hoc sinamus oportet. De talibus hominibus mirum non est, si ex vno ore calidum flent & frigidum, & eadem lingua laudent ac vituperent. Hypocritæ non aliter faciũt, nec aliter facere possunt. Alioqui si cor eorum & os consonarent, hypocritæ non vocarentur. Nos autem volumus ac debemus seriò accipere, quicquid honorificorum titulorum in hoc Euangelio Christo dederunt: volumus id & debemus non tanquam ab hominibus, sed tanquam à Deo accipere. Nec volumus aut debemus dubitare, quin Spiritus sanctus contra eorum voluntatem per ipsos sit locutus. Enimuerò id genus verba plura habemus in Euangelio, quæ inimici nostri contemptim & irrisionis in morem de Christo dixerunt, quæ tamen nobis non iocus, sed ipsissima veritas sunt. Vti cùm Caiphas dicit, Melius est vt vnus homo moriatur, quàm vt tota gens pereat. Hoc impius Caiphas contemptim planè de Christo loquebatur, & ex mera inuidia. Cęterùm Euangelista noster docet nos, vt talia verba accipiamus tanquam ex Spiritu sancto profecta. Siquidem profectò mors Christi ad hoc nobis inseruiuit, ne periremus, qui indubiè omnes periissemus, nisi vnus homo, Christus, pro nobis mortuus fuisset: qui suo sanguine mundauit nos à peccatis nostris. Sic etiam leuis Pilati familia multis modis Christum deridebat. Induebant eum Purpuream vestem, imponebant illi coronam, sed spineam coronam: procidebant coram illo, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Erat autem hæc planè leuis & amara irrisio: sed & eam quoque re seria accipimus nos, non dubitantes, quin id Deo ita ordinante factum sit, quod Christus tali modo proponitur. Gaudemus quòd Christus Rex Iudæorum, hoc est, eorum qui confitentur, vocatur: sed talis Rex, qui in rubra veste incedit, hoc est, in igneo amore erga nos, & spinea corona ornatus, hoc est, omnes nostras afflictiones expertus, vt no

Matth. 11. *Luc. 23.* *Spiritus sanctus etiam per malos vera loquitur.* *Ioan. 11.* *Apocal. 1.* *Ioan. 19.* *Hebr. 2.*

vt nobis etiam compati sciret, &c. Eodem quoque modo hîc dico, quòd Pharisæi isti & Herodis ministri non ex animo, sed dolo ad Christum dicunt: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, &c. Hoc autem nos seriò accipimus, & est nobis confirmatio fidei nostræ: tantò firmiùs Christo & doctrinæ eius adhæremus, quandoquidem etiam inimici eius tale de illo testimonium ferebant: imò scimus Spiritum sanctum per eos locutum. Quomodo enim tam magnificè de illo loqui potuissent, posteaquam nemo Iesum Dominum nominare potest, nisi in Spiritu sancto? vti Paulus dicit 1.Corinth. 12. Hi autem nominant eum Magistrum: aiunt scire se venisse eum à Deo: confitentur eum viam Dei rectè & verè docere: dāt ei testimonium, quòd talibus in rebus neminem curet, nec respiciat personam hominum. Et quis dubitare potest, quin Spiritus sanctus omnia istiusmodi verba per eos locutus sit? Hoc vnum est, quod omni cum diligentia in hoc Euangelio considerandum obseruandúmque est. Nos (inquam) Christum pro illo habere debemus, vt qui nobis à Deo datus est doctor, & veritatem docuit: quin ipsa vera & æterna veritas est. sed hoc non solùm corde credere oportet & ore confiteri, sed etiam opere præstare. Quousque dicitis mihi, Domine Domine (inquit illic ad Iudæos) & non facitis quæ dico? Et ad suos discipulos: Vos vocatis me Magister & Domine: & benedicitis, sum etenim. Si ergo ego sum Dominus & magister: & vos debetis facere quod ego facio, &c. Quòd si ergo credimus, quòd Christus à Deo venit nos docere, & veritatem docuit, &c. non debemus doctrinam eius vilipendere, sed cum omni diligentia considerare, & illi obtemperare. Quid tentatis me hypocritæ, dicebat ad eos qui illum Magistrum nominabant, doctrinam eius laudabant, & tamen nec in minimo eum sequebantur. Hoc argumentum præbet, quòd tales illi homines minimè placeāt. Tum eritis, ait, amici mei, cùm feceritis quæ ego præcipio vobis. Et iterum: Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Hæc verba Christi vtrinque nobis consideranda sunt, videréque ante omnia oportet, ne pseudochristiani inueniamur: id enim inultū Christus non sinit. Sed & deindè etiā alia verba Christi ad bonum nobis inseruire debent: vti cùm dicit, Ostendite mihi numisma census. Et: Cuius est imago hæc & superscriptio? Circa hæc quoq; verba diligenter considerandum, qualem imaginem

Ioan.3. *Ioan.4.* *Luc.6.* *Ioan.14.* *Hypocritæ prædicant Euangelium ore, factis negant.* *Ioan.15.*

Deus

ſanit: quid eum auditis? Et coram Pilato: Si non eſſet hic ma-
Matth.11. lefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Et in Matthæo: Ecce
Luc.23. homo vorax & potator vini. Et in Luca: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari. Talem exiſtimationem habebat Chriſtus apud Iudaicos Phariſæos. Hoc & id genus alia loquebantur & ſentiebant de illo. Iam verò in hoc Euangelio omnium optimus eſt, ipſa veritas eſt, nullo vitio penitus laborat. Adeò firmi erant in ſuis verbis, adeò conſtanter loquebantur illi in conſpectu & à tergo. Sed fieri nos hoc ſinamus oportet. De talibus hominibus mirum non eſt, ſi ex vno ore calidum flent & frigidum, & eadem lingua laudent ac vituperent. Hypocritæ non aliter faciũt, nec aliter facere poſſunt. Alioqui ſi cor eorum & os conſonarent, hypocritæ non vocarentur. Nos autem volumus ac debemus ſeriò accipere, quicquid honorificorum titulorum in hoc Euangelio Chriſto dederunt: volumus id & debemus non tanquam ab hominibus, ſed tanquam à Deo accipere. Nec volumus aut debemus dubitare, quin Spiritus ſanctus contra eorum voluntatem per ipſos ſit locutus. Enimuerò id genus verba plura habemus in Euangelio, quæ inimici noſtri contemptim & irriſionis in morem de Chriſto dixerunt, quæ tamen nobis non

Spiritus ſanctus etiam per malos vera loquitur.

Ioan.11. iocus, ſed ipſiſsima veritas ſunt. Vti cùm Caiphas dicit, Melius eſt vt vnus homo moriatur, quàm vt tota gens pereat. Hoc impius Caiphas contemptim planè de Chriſto loquebatur, & ex mera inuidia. Cęterùm Euangeliſta noſter docet nos, vt talia verba accipiamus tanquam ex Spiritu ſancto profecta. Siquidem profectò mors Chriſti ad hoc nobis inſeruiuit, ne periremus, qui indubiè omnes periiſſemus, niſi
Apocal.1. vnus homo, Chriſtus, pro nobis mortuus fuiſſet: qui ſuo ſanguine mundauit nos à peccatis noſtris. Sic etiam leuis Pilati familia multis modis Chriſtum deridebat. Induebant eum Purpuream veſtem, imponebant illi coronam, ſed ſpi-
Ioan.19. neam coronam: procidebant coram illo, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Erat autem hæc planè ieuis & amara irriſio: ſed & eam quoque re ſeria accipimus nos, non dubitantes, quin id Deo ita ordinante factum ſit, quod Chriſtus tali modo proponitur. Gaudemus quòd Chriſtus Rex Iudæorum, hoc eſt, eorum qui confitentur, vocatur: ſed talis Rex, qui in rubra veſte incedit, hoc eſt, in igneo amore erga nos, & ſpinea
Hebr.2. corona ornatus, hoc eſt, omnes noſtras afflictiones expertus,

vt no

vt nobis etiam compati sciret, &c. Eodem quoque modo hîc dico, quòd Pharisæi isti & Herodis ministri non ex animo, sed dolo ad Christum dicunt: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, &c. Hoc autem nos seriò accipimus, & est nobis confirmatio fidei nostræ: tantò firmiùs Christo & doctrinæ eius adhæremus, quandoquidem etiam inimici eius tale de illo testimonium ferebant: imò scimus Spiritum sanctum per eos locutum. Quomodo enim tam magnificè de illo loqui potuissent, posteaquam nemo Iesum Dominum nominare potest, nisi in Spiritu sancto? vti Paulus dicit 1. Corinth. 12. Hi autem nominant eum Magistrum: aiunt scire se venisse eum à Deo: confitentur eum viam Dei rectè & verè docere: dāt ei testimonium, quòd talibus in rebus neminem curet, nec respiciat personam hominum. Et quis dubitare potest, quin Spiritus sanctus omnia istiusmodi verba per eos locutus sit? Hoc vnum est, quod omni cum diligentia in hoc Euangelio considerandum obseruandúmque est. Nos (inquam) Christum pro illo habere debemus, vt qui nobis à Deo datus est doctor, & veritatem docuit: quin ipsa vera & æterna veritas est. sed hoc non solùm corde credere oportet & ore confiteri, sed etiam opere præstare. Quousque dicitis mihi, Domine Domine (inquit illic ad Iudæos) & non facitis quæ dico? Et ad suos discipulos: Vos vocatis me Magister & Domine: & benedicitis, sum etenim. Si ergo ego sum Dominus & magister: & vos debetis facere quod ego facio, &c. Quòd si ergo credimus, quòd Christus à Deo venit nos docere, & veritatem docuit, &c. non debemus doctrinam eius vilipendere, sed cum omni diligentia considerare, & illi obtemperare. Quid tentatis me hypocritæ, dicebat ad eos qui illum Magistrum nominabant, doctrinam eius laudabant, & tamen nec in minimo eum sequebantur. Hoc argumentum præbet, quòd tales illi homines minimè placeāt. Tum eritis, ait, amici mei, cùm feceritis quæ ego præcipio vobis. Et iterum: Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Hæc verba Christi vtrinque nobis consideranda sunt, videréque ante omnia oportet, ne pseudochristiani inueniamur: id enim inultū Christus non sinit. Sed & deindè etiā alia verba Christi ad bonum nobis inseruire debent: vti cùm dicit, Ostendite mihi numisma census. Et: Cuius est imago hæc & superscriptio? Circa hæc quoq; verba diligenter considerandum, qualem imaginem

Ioan. 3. *Ioan. 4.* *Luc. 6.* *Ioan. 14.* *Hypocritæ prædicant Euangelium ore, factis negant.* *Ioan. 15.*

Deus nobis impresserit, qualem nobis indiderit spiritum in baptismo, & an talem imaginem & spiritum illi reddere possimus necne: imò an illius aut alterius spiritum in nobis habeamus. Ante omnia autem verbum mentibus nostris includere nos oportet, & semper opere exhibere quod Christus dicit, Reddite Cæsari quæ sunt Cęsaris: & quę Dei, Deo. Omnem adhibere operam debemus, vt cùm coram Deo, tum coram mundo irreprehensibiles inueniamur & simus. Quisquis igitur Christum in hisce rebus audit sequitúrque, is illum verè nominare potest Magistrum, qui à Deo venit.

Hunc in modum posset nobis Euangelium istud supra literalem sensum, etiam ad bonos mores & Christianam vitam inseruire. Id quod etiā Paulus facit, ad Philippēses scribens: Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant sicut habetis formā nostrā. Multi enim ambulant sicut inimici crucis Christi, quorū Deus venter est, &c. Hic audis, ꝙ nec Paulus tales homines in Christianitate velit, qui multa audiunt & sciunt, cęterùm nihil faciunt: habent Christum in ore, abnegant autē eum suis operibus. inimici sunt crucis Christi, &c. At Paulus non ita vult, sed vult vt eum imitemur: ponit & commemorat duo, quæ nos merito trahere debent. Primum est, quòd ciues nostros verè in cælo habemus. Alterum est, quòd Seruatorem nostrum omni tempore die ac nocte & momento expectare debemus, quando veniat. Hęc duo si quis bene consideraret, is haud dubiè ad bonum satis haberet incitamenti. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

Philip. 3.

In pseudoeuāgelicos.

SECVNDVS SERMO
De Euangelio in genere.

Gene. 25.



HODIERNVM istud Euangelium cōmonefacit me historiæ de Sancto Iacob, cùm totam noctem cum angelo luctari cogebatur, et ex illa lucta femur ei luxatum cùm esset. protinus claudicare incipiebat: id quod præfiguratio erat, quod posteri ipsius, & præcipuè qui carnaliter solùm de illo prognati sunt, à vera via & fide declinaturi essent, & prorsus exituri. Cuius rei clarum exemplum habemus in hoc Euangelio: in quo Matthæus tot mala scribit de Iudaicis Pharisæis, vt si quis vitam Sancti Iacobi cum isto Euangelio conferat, demirari posit, quomodo à tam

probo

probo patre filij tam degeneres orti sint. Quanquam, proh dolor, etiam in nobis similia conspiciuntur ac deprehenduntur, & maximè vltimis hisce temporibus. Atqui videmus postremò in hoc Euangelio, quòd primates Iudaici populi tempore Christi planè impij fuerunt, vt qui neque iustitiam neque æquitatem, neque Deum, neque propriam suam conscientiam considerauerunt, sed suam tantummodo auaritiam & superbiam. Abeuntes (inquit Matthæus) non curabant quid Christus docuerat, aut id quomodo seruarent: sed consilium inierunt contra eum, haud considerantes, recténe an secus facerent. Quid autem excogitari peius potest, quàm vbi Magistratus tam impiè agit? Vtinam inter nos Christianos similia nunquam inueniantur. Secundò videmus in hoc Euangelio, quòd serui eorum & subditi impietate dominis nihilo erant inferiores, dum illis in causa tam mala morem gerebant & obsequebantur. Sicuti adhuc inuenias, qui dominis suis morigerantur in re manifestè mala, &c. Tertiò videmus in isto Euangelio, quàm magna & insignis hypocrisis in Iudaico populo fuerit, qui verbis tam blandis Christum alloquebantur, & tamen multo aliter sentiebant in cordibus suis. Et quis non videt, quòd etiam nos quandoque Deum in ore habemus, cùm tamen cor nostrum longè absit ab eo? Dicentes Domine, Domine, & tamen nunquam facimus quæ dicit nobis? Quartò clarè indicat nobis Euangelium istud, quòd Iudæi id temporis magis de temporalibus, quâm spiritualibus sollíciti erant. Quòd si à Cæsaris iugo liberi fuissent, haud illis Christus vel etiam Deus magnopere curæ fuisset. Quid nos Christiani potissimùm quæramus, haud etiam obscurum est. Multò id antè prædixerat Paulus: Omnes quæ sua sunt (inquit Phil. 2.) quærunt, non quæ Iesu Christi. Vtinam vel decimam partem curarum spiritualibus rebus impenderemus, quas temporalibus impendimus. Iam verò non vltrà cogitamus aut amplius, quàm vt corpus & temporalia bona rectè habeant: anima nobis curæ non est. Quintò videmus in hoc Euangelio, quòd imago Cæsaris in moneta, multò illis notior erat, quàm imago Dei in propriis suis animabus. Vndè sæpenumerò accidebat, vt cũ eos Christus de rebus spiritualibus interrogaret, nõ haberent quod responderẽt. Sed hîc in procinctu respõsum habebãt, de monet. nimirũ interroga-

Mat. 22.

Esa. 29.
Luc. 6.

Matth. 22.

ti. Et quid multis opus est? Euangeliũ istud clarè ostendit, Christũ in illis nihil profecisse, neq; doctrina sua, neq; miraculis, neq; exhortationibus suis neq; minis. Quã etiam ob rem rectè de illis dixit: Cecinimus vobis, & nõ saltastis; lamentauimus, & non planxistis. Neq; benignitate neq; seueritate emendabantur, tantò magis insaniebant: nihil cogitabant aliud, quàm quomodo Christum possent occidere, tantum abest, vt ex prædicatione eius ad pœnitentiam mouerentur. Voluntatem habebant Christum occidendi, sed nullam adhuc oportunitatem & causam. Homines timebant & non Deum, qui tamen verus iudex est malorum. Sæpè conuicti erant & confusi, attamen cessare non dum poterant & desistere: impellebat enim eos inuidia, imò diabolus, qui pater est omnis inuidiæ, & iam indè ab initio homicida fuit & hominum lanio, & in hodiernum adhuc nihil æquè expetit, quàm vt homo pereat. Satan id temporis vehementissimè sæuiebat contra Christum, sed ea res tamen ad æternum suum cedebat exitium. Tempus aderat, quando Christum cum omnibus suis viribus & artibus aggredi debebat, sed tamen à Christo vinci & confundi, quò omnes homines videre possent, nullum consilium & fortitudinem contra Deum valere & subsistere posse. Quemadmodum id & Isaias dixit: Congregamini populi, & vincimini: accingite vos, & vincimini; inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia nobiscũ Deus.

Mat. 11.

Ioan. 8.

Prou. 21.

Esa. 8.

Agè, Pharisæi inibant consilium contra Christum, qui illis fidelissimè consuluerat. Capere volebant eum, qui illis ad bonũ & ad eorum salutem venerat. Inuidè & malitiosè captabant illius verba, quibus in hodiernum adhuc tot pusillanimes & afflicti homines consolantur. Hoc animo mittebant suos discipulos. Sed hoc illorum erat propositũ. Hunc honorem habebant præ aliis omnibus hominibus, vt Dei populus vocarentur, quandoquidem Moyses ad illos dixerat: Hodie vos Deus sibi elegit in populum, &c. Et ob id pessimè eos habebant, si quando ab hominibus opprimebantur. Verùm cùm iam tempus aderat, vt reiicerentur, in Romanorum veniebant potestatẽ, qui illis primò præficiebant Herodẽ, hominẽ externũ in Regẽ: partiebantur deindè terras ipsorum in quatuor partes, singulis dantes præfectum & iudicem. Hoc contra Iudæos planè erat, quòd sub Gentibus esse, & pristinam amisisse libertatem debebant,

Deut. 3.

Luc. 3.

bant. Aliqui manifestè sese opponebant, propriis viribus & manu armata libertatem vindicare volentes, vtpote quidam Theodas, & post hunc Iudas Galilæus, qui plebem sibi adiungebant, vi libertatem à Romanis repetere adnitentes: sed omnes in hoc facto tanquam seditiosi occidebantur. Post hæc nemo apertè & vi Cæsari opponere sese audebat; sed tamē in corde inuiti erant sub iugo & seruitute Cæsaris. *Act.5.*

Sperabant autem Pharisæi, Christum populo ipsorum & religioni assensurum magis & potius ipsorum partium fore, quàm Cæsaris, qui Ethnicus & homo impius erat, & propterea liberè & intrepidè contra Herodianos dicturum, non esse Cæsaris, populo Dei imperare, id quod breui per Herodianos palàm futurum esset, eámq; ob causam Christum eandem passurum pœnam, quàm Iudas & Theodas passi fuissent. Sin autem Christus diceret, Cæsari præstandam obedientiam, fore vt in populi indignationē incideret, nec ei postea amplius adhærerent. Hoc eorum erat consilium. Et quales domini, tales quoq; erant serui: nimirum hypocritæ & homines falsi, qui pacem in ore gerebant, sed venenum in corde, paratíq; erant omne malum cōtra Christum instituere. Tales ministros quærit homo impius. Licet (inquiebant) censum dare Cæsari, an non? Apud hanc interrogationē manifesta euadit & deprehēditur indoles & natura hominis carnalis, qui semper libertatē carnis quærit. Multa bona & consolatoria ex Christo audierant: attamen iis omnibus omissis, scire tantùm exoptabant ea quæ ad externam illis, & carnalem libertatem seruire possent. Hæc (inquam) indoles est & natura carnis. Id quod hac ætate deprehenditur plus satis, quæ nihil audit libētiùs, nihil tenacius illius memoriæ inhæret, quàm quòd ad carnalem libertatem seruit. Sed verò iam audi, quid illis Christus respōsi det.

Psal.27.

Ingenium hominis carnalis.

Vide libertatem Euangelicā nostrorum temporum.

Primò increpat eos, quò viderent, illum nihil latere. Deindè quemadmodum illi eum capere volebant, ita ipse illos capit, quemadmodum & aliis in locis fecit. Postremò simulabat se monetam quam monstrabant, non nosse, quò responsum ex ipsis eliceret, in quo eos caperet: quanquam etiam hoc nomine monetam agnoscere nolebat, ad indidicium, quòd munus & officium suum esset non temporalibus, sed spiritualibus rebus occupari: voluítque per hoc docere, quòd ij quibus spirituale regimen commissum est, temporalium rerum vsum magnopere habere *Matth.21.*

1.Pet.2. non debeant, sed esse tanquam aduenæ & peregrini
Phil.3. in terris, suásque cogitationes & habitationem in cœlo habere.

Secundò, cùm hi Pharisæorum discipuli confiterentur, quòd in moneta Cæsaris imago & nomen esset, dicebat ad illos: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Perinde ac si dicat: Non in hoc veni in mundum, vt doceam, quantum & quid Cæsari eiúsque præfectis pendendum sit: sed quid homo Deo præstare teneatur, qui dominus est omnium creaturarum. Si quid Cæsar iuris in vos habet, reddite illi. Siquidem mea non refert, quid principes & potentes huius mundi exigant. Multò maioris momenti est, vt reddatis Deo quod Dei
Gen.1. est. Moneta vera (vt dicitis) Cæsaris nomen & imaginem habet: reddite ergo Cæsari quod Cæsaris est, Anima autem vestra & mens, Dei habet imaginem: ideò Dei est. nulli potius seruire debet, quàm illi, qui eam creauit, &c.

Hoc illos responso eò redigebat Christus, vt non solùm nihil amplius loqui possent, sed etiam magna cum admiratione discedere cogerentur. Atque hæc sententia est istius responsi, quod ad Pharisæos & discipulos eorum attinet. Quia verò etiam semper inter nos homines inueniuntur carnales, qui nihil aliud quærunt, quàm externam carnalémque libertatem, latiùs nos verbum hoc
Cæsari quid præstandum. Christi perquirere oportet. Et primò habemus hîc apertam & expressam scripturam, censum, tributa, vectigal, decimas, & si quæ istiusmodi plura sunt, non solùm Cæsari, sed etiam legatis eius: & non modò probis, sed etiam improbis porrigenda pendendáque esse. Atque hoc egregiè ex hoc verbo Christi conuincitur, si consideramus, quo tempore Christus talia verba locutus sit: nimirum tempore Cæsaris Tyberij, qui non solùm Ethnicus & idololatra erat, sed etiam impius, & crudelis Tyrannus. Ad hæc census isti & tributa non Cæsari in propria persona, sed præfectis eius dabantur, qui etiam omnes impij homines erant: hi adeò erant Herodes & Pilatus. Attamen iubet Christus reddendum esse, si quid debetur. Ex quo manifestè demonstratum est, res suprà dictas non solùm probo, sed etiam malo Cæsari, & non illi solùm, sed etiam legatis ipsius porrigendas esse & reddendas, qualescunq; illi
1.Pet.2. etiam sint. Hoc ipsum quoq; docet Petrus, seruos subditos esse

esse debere in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis: sed etiam discolis. Tum Paulus dicit Rom. 13. Omnis anima potestati sit subdita. Dicit, omnem potestatem esse à Deo, & qui resistat potestati, eum facere contra Dei ordinationem. Veruntamen addit, potestatem esse administram Dei, malis ad pœnam, bonis ad laudem, &c. Et proculdubiò potestas in hoc ordinata est; vt quiuis bonus tutus manere possit à malis. Et non solùm ille; sed etiam vxor eius & liberi, domus eius, ager & omnia quæ possidet. Atque hæc causa est, quòd magistratibus census, tributa, & alia penduntur: quandoquidem subditos protegunt ac defendunt. Sed hic Cæsari & vnicuilibet potestati attendendum, si modò Christiani esse velint, nec in Dei seuerum iudicium incidere, ne subditos nimium grauent & exugant. Cùm constitueris tibi regem (inquit Deus in veteri Testamento) non multiplicabit sibi equos, &c. Et per hoc Potestati omnes inutiles sumptus, quibus subditi grauantur, inhibiti sunt. Et quæ Potestas, siue ea magna siue parua sit, secus fecerit, malè facit, & in Dei iudicium incurrit. Non est itaq; mirum, ꝙ Dauid omnes Reges & Iudices adhortatur, vt intelligentes sint & Deum timeant, ne irascatur & pereant. Similiter quoq; legati Cæsaris, hoc est, præfecti, & qui munia obeunt, sedulò cauere debent, ne plus exigant, quàm illis commissum est. Quēadmodum Ioannes Baptista ad tales homines dicit: Nemini calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Cæterùm hoc si potestas obliuioni tradat, & subditos nimiùm & iniquè grauet, possunt subditi sua grauamina exponere. Quòd si tum potestas animo Christiano prædita est, etiam nō rogata, iniusta illa grauamina subditorū remittere debet, & nullo modo facere, quod insanus & imprudens Roboā fecit, qui tùm primùm incipiebat sæuire, cùm subditi leuius imperiū flagitarent. Sin autem potestas in hac parte durior esse pergat, & nulla grauamina remittat aut mitigat, ferēdū est, ac dandū, si modò esse Christiani volumus. Huc pertinet quod Christus dicit: Si quis vult tibi tunicā tuam tollere, dimitte ei & palliū: & si quis te percusserit in dexterā maxillā tuā, præbe illi & alterā. Causa autē Deo committi debet, & iniqua vis potestatis iudicio eius relinqui. Scit enim quando tempus eorum venit: tum etiam scit omnem eorum tyrannidem ac iniustitiam. Et hac in ro qui secus agunt, Christiani

Rom. 13.

Magistratus cur instituti.

Deut. 7.

Psal. 2.

Luc. 3.

3. Reg. 12.

Matth. 5.

Act. 5.

non sunt, sed fugiunt cum Iuda & Theoda in desertum, habebúntque idem iudicium & pœnam, quā & illi habuerunt. Etenim Euangelium non docuit nos excitare seditiões, sed crucem ferre. Nec docet cuiquam sua diripere, sed spontè dare & voluntarie omni petenti, & patienter ferre, cùm nobis nostra diripiuntur. Nec docet iugum à ceruice abiicere, sed sub iugo ad Christū ingemiscere, & cupere dissolui & esse cum Christo. Quapropter seditiosus non solùm agit contra humanam, sed etiam cōtra Dei legem & ordinationem. Hac tamen re Tyranni nullo modo in iniqua grauatione pauperum excusati sunt, de qua in Iob dicitur: Terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & abstulerūt pro pignore bouem viduæ. Agrum non suum demetunt, & vineam eius quem vi oppresserint, vindemiant. Vim fecerūt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliauerunt. De ciuitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamauit. Talis erat rex Ioacim, de quo Deus in Ezechiele dicit: Factus est leo, & didicit prædam capere, & homines deuorare: didicit viduas facere, &c. Tales autem Tyranni suum iudicem non effugient. Vnum adhuc obserua hîc, quòd Christus non dicit, Reddite Cæsari quæ petit: sed, Reddite quæ illius sunt. Nam vbi potestas aliquid mali à nobis petit, per quod offendi Deum necesse esset, id verò non esset Cæsaris, sed diaboli tributum: quamobrem nec facere illud debemus. oportet enim Deo magis obedire, quàm hominibus: Proinde Christus mox subiicit. Et reddite quæ sunt Dei, Deo. Qua re nos docere vult, Christiano non satis esse, si Cæsari & potestati obediētiam præstet, nisi & Deo obediens sit. Secundò, vult etiam regnum & principum seu magnatum seruis per hoc indicare, quòd coram Deo non erunt excusati, si propter dominorum suorum negotia negligunt & omittunt quæ Deus exigit: aut quando in gratiam suorum dominorū alios homines iniquis modis grauant. Domino tuo fidelis esse debes, sed scire intereà, te Deo plus debere. Faxit Deus vt cùm in hoc tum in aliis eius faciamus voluntatem. Amen.

Matt.5. *Phili.1.* *Iob.24.* *Ezech.19.* *Act.5.*

Tertius

TERTIVS SERMO ITIdem de Euangelio in genere.



VLGARE apud priscos Ecclesiæ doctores dictum est,& quidem verissimum, non permissurum Deum,vt mali aliquid fieret,aut vt improbi viuerent,si non ipsos eorúmque mala opera in bonum ordinare & dirigere posset. Id quod multis exemplis demonstrari posset: sed vno exemplo acquiescemus. Annon Iudaici Pharisæi mali erãt? Annon malum cogitarunt,fecerúntque? Attamen Deus nõ solùm ipsos,verùm etiam malitiam eorum longo tempore tolerauit,& sanè nullam aliam ob causam,quàm vt eos ad vtilitatem suorum electorum destinaret,ordinarétque.Nõ dicam nũc,quod crudele homicidium,quod in Christo admiserunt,nobis omnibus ad æternam salutem seruiuit,ꝙ in eorum locum successimus,& à Deo recepti sumus,sicuti diuus Paulus dicit. Hoc solùm dicam, quòd inuida eorum obseruatio,& insid iosa illorũ interrogatio causa fuit,quòd Christus verba præclara multa locutus sit,quæ alioqui forsitan silentio præterita fuissent. Eius rei exempla habemus in hodierno Euangelio. Annon vtilis & necessaria doctrina est,quod Christus hic dicit,Reddite quæ sunt Cæsaris,Cæsari:& reddite quæ sunt Dei,Deo? Vndè autẽ Christus occasionem accepit talia dicendi? Ex malitia & insidiosa quæstione Iudæorũ. Quid peius esse potest,quàm odisse eum,qui tantoperè nos dilexit? Quid peruersius, quàm conari sapientiã Dei in verbis eius capere & illaqueare? Quid execrabilius,quàm insidias struere illi,qui nobis omnibus vitam dedit ac dat? Attamen ex tali malitia insigne & vtile verbum venit,quod Christus in hoc Euangelio loquitur. Illis vtporè hypocritis,nullam quidem vtilitatem attulit, sed tantummodò eos confudit:nobis autem verbum illud cùm ad præsentem tùm ad futuram pacem inseruire potest: Reddere enim quæ sunt Cæsaris,Cæsari,temporalẽ adfert pacem:tum si quæ sunt Dei, dantur Deo, æternam adfert pacem. Quapropter hoc verbum Christi aliquantò latiùs disquiremus: & quidem hoc præcipuum est, quod in hoc Euangelio considerandum est. Indicat ergo Euangelium hoc,quòd Iudaici Pharisæi per suos discipulos Christo quęstionem obiiciebãt,num liceret Cæsari dare censum,nécne.

Malis vt Deus benè vtatur.

Rom. 11.

Pax temporaria.

Aeterna.

Mens eorum erat & spes, eum in responso suo labi oportere, & aut Cæsarem aut populum offendere. Hoc quærebāt. Attamen agitabatur hæc quæstio etiam aliàs inter plebem. Graue illis erat, quòd Ethnico & incredulo subiecti esse debebant, qui hactenus liberi fuerant, & Dei populus vocati. Verùm nemo illorum hîc cogitabat, Dei ordinationem esse, imò animaduersionem Dei. Nam Moyses illis prædixerat, nisi Dei mandatum seruarent, fore vt externū populum super illorum ceruices mitteret, sub quo variam tyrannidem essent perpessuri. Sed hoc pridem factum erat: libertatem suam amiserant, Romani dominium in eos obtinuerant, his obedire cogebātur, & annuum censum dare. Hoc adferebat quæstio ista, num liceret id, nécne. Nostris temporibus multæ tales agitantur quæstiones in populo & vulgo, num hoc vel illud, census, exactiones, decimas &c. dare obligati simus: quæ res ab hinc iam aliquot annis plurimum infortunij & seditionis dedit, & tamen vnico verbo Christi, quod sub finē istius Euangelij dicit, ad omnes istiusmodi quæstiones satis responsum est: quanquàm verbum illud nō minus nobis ægrè in animos nostros intrat, quàm Iudæis intrabat: cuperemus quidem per omnia esse liberi, inuiti aliis hominibus subiecti sumus. Cogitare igitur ob id quis posset, Christum per hoc potestati adulari voluisse: posteaquàm nos Cæsari subiicit, & non addit, quid nobis Cæsar & potestas contrà debeat. Sed suspicione hac liberāt eum etiam inimici eius, dum aiunt: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non respicis personam hominum, &c. Proindè nihil hîc in Cæsaris gratiam locutus est: sed quia rogatus erat, simpliciter veritatē professus est, & dixit. Quòd si igitur Cæsar, & potestas ex eo quæsisset, an liceret facere illis & exigere quicquid liberet: dicturus eis etiam haud dubiè fuisset quod illis non ita valde placuisset. Cæterùm quòd neque de Christo, neque de Paulo legitur, quòd aliquid contra Tyrannidem Cæsaris eiúsque legatorum sint locuti: id factum primò propterea est, quòd frustra fit, cōtra eos clamare ac vociferari, qui presentes non sunt, & verba nostra non audiunt. Secundò, propterea etiam quòd Cæsar simul & præfecti Ethnici erant, qui verbum Dei recepturi non fuerant. Christus autem solis electis in bonum venerat. Vndè & Paulus dicit: Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare? Sic vnusquique colit

Deut. 28.

Quæstiones ad seditionē spectantes.

Matt. 22.

Cur Christus, & Apostolus Cæsarem non taxarint.

1. Cor. 5.

ſque colit vineam ſuam,& videt ſi rectè omnia in domu ſua fiant. Veruntamen quòd Chriſtus hîc omiſit, tyrannidem & iniquam vim poteſtatis carpere,id aliis in locis abundè compenſauit,vti alibi dictum eſt. Iſtud autem Euangeliũ ſubditos tantùm erudit. Reddite quæ ſunt Cæſaris,Cæſari, inquit Chriſtus,& quæ ſunt Dei,Deo. In hoc verbo videmus primò,quòd Chriſtus Cæſarem eiúſque poteſtatẽ nequaquam reiicit,ſed confirmat. Qui enim reiiceret & antiquaret quod ipſe inſtituit? Per me (inquit Sapientia Dei) Reges imperant, & potentes decernunt iuſtitiã. Dicit item Paulus Romá. 13. apertè,poteſtatem imperandi cum gladio, eſſe ordinationem Dei. Quapropter Ioſaphat ſuis Iudicibus & præfectis denunciabat, vt bona fide agerent; ſiquidem officium eorum non hominis eſſe,ſed Dei mandatum. Et quod magis eſt,dicit Deus ipſe per Dauidem ad Iudices & potentes: Dixi,dij eſtis,hoc eſt,ordinaui & cõmiſi,vt diuina munia obeatis: nimirùm pacem,iuſtitiã,diſciplinam,honeſtatem,politiã,& bonos mores colatis peccata arguatis,bonos defendatis protegatíſque,&c. quæ res omnes diuinæ ſunt. Hic vides,quàm magnificè Scriptura de poteſtate Magiſtratus loquatur. idque fit non ſine cauſa: imò neceſſariũ fuit,& adhuc eſt: alioqui enim ratio noſtra iudicat multò aliter. Nam cùm videt,quòd poteſtas Regum & principum toties mutatur & deuoluitur ab vno ad alium,variíque defectus intercidant in regiminis adminiſtratione,imò quòd quãdoque Tyranni vi & propriæ ſolùm vtilitatis ac honoris cauſa imperia aliáque munia inuadũt: hoc (inquam) ratio noſtra cùm videt,credere non poteſt, omnem poteſtatem à Deo eſſe,ſed putat hæc caſu & fortuitò fieri,& fortunæ imputãdum eſſe: imò perſuaſum habet, magnam poteſtatem eſſe nihil aliud,quàm tyrannidem & vim iniquam. Vndè cõſequitur & fit,vt poteſtatem odio habeamus minúſque audiamus,faciléque moueamur ſeditioſè & vi contra eam agere. Hoc anteuertere Scripturá voluit,dùm tam honorificè de Poteſtate loquitur & indicat,certiſsimè Dei eſſe ordinationem & inſtitutum: quemadmodùm etiam motus cœli & ſyderum,ordinatio Dei eſt. Quippè nõ ita nos accipere oportet,quòd Deus tantùm poteſtatem & Magiſtratum tolerat,quemadmodùm latrocinia,adulteria,& alia ad tempus tolerat. Nam talia peccata

Cæſaris poteſtas confirmatur.

Prou.8.

2.Par.19.

Pſal.81.

Poteſtas omnis à Deo eſt.

tolerat quidem quandoque, sed non sunt ordinationes Dei, sed diuinæ ordinationi prorsus contraria. Potestas autem Dei ordinatio est, quemadmodùm superiùs copiosè ex Scriptura indicatum. Quia ergò Scriptura potestatem gladij non abrogat, sed relinquit eam & confirmat: sequitur indè, quòd etiam omnia illa relinquit & confirmat, ob quæ Potestas & Magistratus institutus est: vti sunt, leges, constitutiones, iudicia, negotiationes, castigationes malorum, iusta bella, & quicquid ad conseruationem externæ politiæ requiritur. Quocirca futile est, quòd Anabaptistæ dicunt, præcepisse Deum, ne committatur homicidiũ: Item, malo non esse resistendum, &c. Etenim talia verba intelligi tantummodò debent de propria vindictæ cupiditate, quæ fit sine iussu potestatis: hanc vetat Deus. Nã suam ipse vicem vlcisci nemo debet. Imò quisquis gladio ex propria potestate vtitur, is gladio quoque peribit. Et hoc vnum est, quod circa verbum istud obseruari debet: nimirùm quòd Christus Cæsarem & mundanam potestatẽ non reiicit, sed relinquit eam, non obstante, quòd Tyberius id temporis Cæsar, Ethnicus & idololatra, imò immanis tyrannus erat, quemadmodùm omnes de illo referunt historiæ. Et sic etiam docet Petrus, vt serui subditi sint dominis suis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Proindè nemini potestas grauis videri debet, nemo potestati sese opponere vi debet: nam qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, inquit Paulus. Intereà verò Christiana potestas etiam vocationem suam considerare debet, quid cùm Deo, tum etiam subditis debeat. Et primò, ne potestatis nomine efferantur, posteaquàm illos Paulus non dominos, sed ministros vocat: & licet in Dauide Psal. 81. dij appellantur: mox tamen sequitur, vos autem sicut homines moriemini. Rogas, num ergò sufficiat, si quis vi Potestati sese nõ opponat? Respõsum: Nequaquã. Scriptum est, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. En, hîc præcipit & iubet Christus, vt etiã potestati detur, sed tamen cum discrimine. Reddite (inquit) quæ sunt Cæsaris, Cæsari: hoc est, date illi tanquã homini, & nõ tanquã Deo. Alioqui enim legimus in historiis, ꝙ quidã homines suis Regibus & Imperatoribus diuinos deferebãt honores & tribuebãt, sicuti in Apostolorũ Actibus exemplum de Herode habemus: quidam stulti

[Margin notes: Rom. 13. — In Anabaptistas. — Deut. 32. — Matt. 26. — 1. Pet. 2. — Rom. 13. — Ibidem. — Act. 18.]

Reges

Reges & Potentes tales etiam honores à suis subditis exigebant, quemadmodum legimus de magno Nabuchodonosore in Daniele cap.3. Verùm hoc Cæsari seu mundanæ Potestati non competit. Vnde & Daniel & tres eius socij, *Dan.6.* hac in parte nullo modo Regibus idololatris obtemperare volebant. Eodem modo etiam Sauli sui serui & ministri *1.Reg.22.* obsequi detractabant, cùm iuberentur manum afferre sacerdotibus,&c. Siquidem nulla potestas quantumlibet magna facultatem habet aliquid imperandi, quod cōtra Deum eiúsque mandatum est. Et vt maximè talia petat, non tenemur illi obedire. Oportet enim Deo plus obedire quàm hominibus, veluti sanctus Petrus dicit Actorum 5. Itaque statuendum discrimen inter Deum & Cæsarem. Deus verus est Dominus, Cæsar est illius seruus. Deus creauit nos & redemit, dat nobis omnia, & plura etiam adhuc promittit, id quod Cæsar non potest. Quamobrem Cæsar & quælibet Potestas nihil aliud est, quàm homo: sed talis homo, cui diuina potestas concredita est. Rogas igitur, quid Cæsari & *Quid potestate præditis debeamus.* potestati debeamus, & quid illis dare oporteat? Audi quid Paulus dicat Romanorum 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. En, hic nominat Paulus quatuor, quæ Potestati debemus, tributum, vectigal, timorem, & honorem. Duo illa priora, tributum & vectigal, pro *Tributum.* vno accipiam: hoc complectitur omnia externa grauamina, quæ Potestati præstari debent, vtpotè censum, redditus, tributa, exactiones, decimas, imperatum laborem, militiam, &c. Potestas nanque rempublicam tueri non potest, nisi adiuta à subditis. Tale auxilium requirere quæuis Potestas potest, necessitate monente. Sed considerare ea etiam intereà debet, quòd Deus per Moysen ad Israëlitas dicit: *Deut.17.* Cùm constitueris tibi Regem, non multiplicabit sibi equos, nec multas ducet vxores, ne cor eius auertatur. Nec congregabit multum argenti & auri, ne auaritia eum seducat: sed legat legem quotidiè, vt Deum discat timere, &c. Ita etiam Cæsaris administri considerare debent, quod Ioannes ad eorum similes ait: Nemini calumniam faciatis, contenti *Luc.3.* stipendiis vestris. Sin autem Potestas in incœpto persistat, & nimis multa velit grauamina imponere, vi resistendum ei non est, si esse modò Christiani volumus, sed causam Deō committere debemus. Quippè Euangelium nostrum nō do-

cet nos seditiones mouere, sed portare crucem. Impij Regentes suum quoque iudicem habebunt: nimirum eum, qui in Moyse dicit, Mihi vindicta, & ego retribuam eis. Tantum de tributo, quod Potestati debemus. Per timorē, quem illis debemus, intellige obedientiam; & non solùm in opere, sed etiam ex corde. Similiter quoque honor, quem Potestati exhibere debemus, non solùm in externis signis & gestibus fieri debet, sed magna Potestatis existimatio esse debet in animis nostris. Et hoc facit discrimē inter eos qui à fide alieni sunt, & nos Christianos. Illi etiam timebant Potestatem, sed ob pœnam tantùm. Iste autem timor tantisper durat, quandiu pœna timetur. At nos Christiani scimus Potestatem verè timere: nam in Potestate timemus Deum, dum scimus, eum contemptum Potestatis non multum relinquere. Sic quoq; increduli exhibent suæ Potestati externa solummodo signa honoris: in corde autē inimici eorum sunt. Bonus verò Christianus Potestatem suam honorare rectè nouit, quandoquidem scit, Dei ordinationem esse: agnoscit quòd tali Potestati resistere nō debeat, sed subiicere se: suum iudicium non præfert sententiæ Potestatis: non loquitur contra ordinationem eorum & instituta: sed obseruet ea, quatenùs manifestę contra Deum non sunt, studétque qua potest diligentia, omnes defectus, vitia, imperfectionem & peccata Potestatis, tegere & excusare & mitigare. Et postremò quoniam videt, quòd Potestas ad tam multa bona nobis inseruit & inseruire potest: procurat nobis pacē, vt victum nostrum & quicquid ad pietatem nobis inseruit, quærere possimus: defendit nobis vitam nostram & liberos, &c. gratias agit Deo, qui tāta nobis bona per Potestatem procurat, suámque gratitudinem declarat tantò magis erga eam: imò quoniam scit, quòd omnis Potestas à Deo regitur, orat etiā pro sua Potestate. Atque hic verus honos est, quem Potestati debemus. Hæc omnia comprehendit Christus in eo verbo, vbi ait: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Hinc nemo non videre potest, quàm iniquè Christus eiúsque Apostoli pro seditiosis habiti sunt atque etiam accusati: cùm tamen nemo vnquam honorificentiùs de potestate sit locutus. Taceo nunc, ꝙ Christus omnia hæc locutus est, cùm Cæsar & qui sub illo erant, adhuc erant Ethnici. Quòd si ergò etiam Ethnicis, imperiū in nos habentibus tantùm debemus: quātò plus Christianæ Potestati debemus? Rogas itaque num sufficiat,

Deuter. 32. *Timor potestatis.* *Honor.* *Rom. 13.*

ſufficiat, ſi Cæſari dentur quæ ſunt Cæſaris? Reſpondetur: Neutiquam. Inueniuntur quidam adulatores in magnatum aulis, qui nihil aliud cogitant, quàm quomodo dominis ſuis arridere poſsint, ſiue iuſtè ſiue iniuſtè agant. Quemadmodum legimus de Doëch, qui in gratiam ſui domini Saulis, non verebatur optimum Dauidem prodere, & innocentem Abimelech cum tota eius familia occidere. Et quemadmodum Iſraëlitæ non refugiebant optimum Naboth innocenter condemnare, in gratiam impij Achab & eius coniugis Ieſabel. Sic etiam prodebat Judas Chriſtum, in gratiam Caiphæ & ſociorum eius. Sic temerarius ſeruus percutiebat Chriſtum, in ſummi Sacerdotis gratiam. Tales homines imitantur omnes impij præfecti, qui in Principum gratiam pauperes opprimunt, indies noua grauamina excogitant, & ſubditis contra omnem æquitatem imponunt: ſatis eſſe opinantes, ſi Cæſari & Poteſtati fideles ſint. Sed quid dicit hîc Chriſtus? Reddite quæ ſunt Dei, Deo. Cæſari obedientiam & fidele obſequium debes: multò plus autem Deo debes. Caue itaque, ne dum Cæſari morem geris, Deum offendas & amittas. Deo fidem, ſpem, charitatem, timorem & obedientiam debes: ſummus eſt Dominus, qui ſi tibi aduerſatur, non profuerit, ſi Cæſarem clementem habeas. Quapropter ante omnia ad Deum reſpicere oportet: qui cùm ſi tibi conuenit, nihil officere tibi poterit Cæſar & Poteſtas, licet vehementer commoti. Ex his vides, quantum boni nos Chriſtus in hoc verbo doceat, id quod præcipuum eſt, in hoc Euangelio. Intereà autem habemus etiam admonitionem ex eo, vt ne fiamus deteriores, ſi quando corripimur, ſicuti Phariſæi: qui cùm eos Chriſtus ſimilitudinibus quibuſdam obiurgaſſet, non ſolùm non meliores, ſed deteriores fiebant: atque ita vt etiam Chriſtum occidere tentarent.

In adulatores Principum.

1. Reg. 22.

3. Reg. 21.

Matth. 6.

Ioan. 12.

Matth. 21. 22.

Secundò, habemus etiam hanc admonitionem ex iſto Euangelio, vt Chriſtum non ſolùm ore laudemus, ſed etiam & ante omnia corde: alioqui audire quoque cogemur, Quid me tentatis hypocritæ? Non enim Chriſtus fictos & ſimulatos vult ſeruos, qui duplicis ſunt cordis, & aliud in corde gerunt, quàm ore loquuntur. Id genus doctrinæ optimus quiſque Chriſtianus adhuc plurimum ex hoc Euangelio depromere poteſt. Faxit Deus, vt ſemper voluntatem eius inquiramus, faciamúſque, Amen.

DOMI

DOMINICA VICESIMAQVINTA POST PENTECOSTEN, EVANGELIVM, MATTH. IX.

Mar. 5. Luc. 8. HAec illo loquente ad eos, ecce Princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cùm venisset Iesus in domum Principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicit illis, Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cùm eiecta esset turba, intrauit & tenuit manum eius: & dixit: Puella surge. Et surrexit puella. Et exiit fama hæc in vniuersam terram.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PAVLI, COL. I.

FRatres: Ideo & nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia & intell-

intellectu spirituali vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate: cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.

PRIMVS SERMO DE Euangelio in genere.



HODIERNVM istud Euangelium aliud nihil habet, quàm consolatorias res: vnde meritò Euangelium dicitur, hoc est, bonum nuntium: nec dubium mihi est, si adhuc hodiè rumor spargeretur, talem in terris esse, qui facere posset quod Christus in hoc Euangelio fecit, manibus complicatis Deum essemus laudaturi, qui talem nobis medicum misit: omnésque adhibituri diligentiã essent, vt ad ipsum peruenire possent. Quid igitur nobis Christianis faciendum, qui tale hodiè nuntium audimus, talémque præsentem medicum habemus? Mundus iam plus quinquies mille annis stetit, homines habuit claros & celebres scientia, potentia, diuitiis, qui magna de seipsis iactauerunt, magna conati sunt, & quandoque etiam memorabilia fecerunt. Istud Euangelium nobis verum monstrat medicum, verum seruatorem, verum Dominum, qui ex diuina virtute & potentia omnia potest, & ex innata bonitate omnibus opitulari paratus est. Aequum igitur esset, vnumquenque Christianum cum Isaia dicere: Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem. Et deindè etiam cum Dauide orare, O Domine saluum me fac: ô Domine bene prosperare. Hoc (inquam) hominem Christianum facere circa istud Euangelium conueniebat. Hoc Christo non posset non placere. Nec aliud quicquam quærit cum suis miraculis, quàm vt eum pro vero seruatore agn

Esa. 52.

Psal. 117.

re agnoscamus, diligamus & inuocemus, quemadmodum etiam Deus in veteri Testamento propterea tam illustria edebat opera apud Israëlitas, vt scias (inquit) quia ego dominus Deus tuus fortis & fidelis. Sed quid videmus aliud in hoc Euãgelio, quàm Dei fortitudinẽ & fidelitatem? Annon omni fortitudine maius est, quòd vna hora morbum & mortem propellit? Annon omnem fidelitatem superat, quòd se Christus vtrobique tã benignũ exhibet? Itaque bonus quisque Christianus hic iterum cum Dauide dicere debet: Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicã nomini tuo in seculum & in seculum seculi. Quia suauis es vniuersis, & miserationes tuæ super omnia opera tua, &c. Hinc perspicere quiuis facilè posset, quis verus vsus atq; etiã vtilitas sit huius Euangelij. Et quidem intelligentibus hęc dicta sufficere possent. Quia verò tamen simplicium & idiotarum maior semper pars est, in illorum gratiam paulò plura de isto Euangelio dicam: ostensurus primò quid præcipuum in eo sit, & deindè etiam, quid aliàs desumi ex eo possit. Præcipuum in hoc Euangelio est, vt Christum verè cognoscamus & diligamus: quandoquidem in eo omnis nostra salus & spes posita est: nec aliud nomen sub sole est, in quo nos oporteat saluos fieri, quàm nomen Iesu. In hunc finem duo ista miracula facta & descripta sunt. Obserua verò tamen, quod etsi Christus vnicus seruator est, nemini tamen auxiliatur pręter eius voluntatem & accedentem cooperationem, sed media quędam & gradus sunt per quos ascenditur ad salutem. Etenim primò si petimus opem & salutem à Christo, inuocare nos eum oportet. Vti Ioël dicit cap. 2. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Nemo autem Christum inuocabit, nisi credat in eum. Nec credere in Christum quis potest, nisi audierit prius de illo: porrò auditus initium est nostræ salutis. Ex auditu enim agnitio, ex agnitione fides. Fides autem viua & cum charitate coniũcta facit, vt Christum ita, vt oportet, inuocemus: & per hoc adipiscimur salutem.

Deut. 7. *Psal. 144.* *Christus cognoscẽdus et amãdus.* *Act. 4.* *Christus quibus opituletur* *Rom. 10.*

Hîc vides, quàm res magni momenti sit, de Christo audire. Quanquam quidem prompti ad audiendum satis sumus. Saltem hoc videre oportet, vt ex auditu non solùm agnitio & fides, sed etiã charitas & inuocatio sequatur, alioqui auditus inanis erit. Nam qui multa audit, nec tamẽ ea in opus confert, similis est ei, qui mox vt speculum inspexitre, cedit, obliuiscens suam formam. Inquis: Quid igitur audiam?

Iacob. 1.

Quid

Quid narrat Euangelium istud de Christo? Duo magna miracula. Nimirùm quòd infirmam mulierem, cui alioqui mederi nemo poterat, sanitati restituit, & mortuam filiam ad vitam reuocauit. Pergis dicere: Quid nobis prodest, quòd his duabus personis auxiliatus est? Respondeo: Nostra hoc quoque profectò refert, & nostra causa id omne factum est & literis mandatum. Quòd si itaque consideras, quid Christus in hoc miraculo sibi voluerit, videbis nobis bona non æstimanda in eo promissa esse & promitti. Dum enim duabus hisce personis muliebribus opitulatus est, alteri in itinere, alteri in domu, manifestè demonstrare voluit, quid nos hîc in via ab illo habere possimus, & quid illic in fine ab eo sperare debeamus. Etenim in via sanitatem mulier adipiscebatur; in domu verò adipiscebatur filia defuncta vitam. Ea ipsa duo nobis quoque promittuntur: nimirùm sanitas, dum in via adhuc sumus: & vita seu resurrectio, quum ad finem venimus. Quid autem iuncundius sanitate in hac vita? Quid lætius erit vita in illo seculo? Hæc vtraque per Christum consequi possumus. De his duobus etiam Dauid antè multa secula cecinit: Misericordiam & veritatem diligit Deus; gratiam & gloriam dabit Dominus. Atque hîc videre oportet, quæ vera sanitas & vita sit, & quomodo hæc duo quærere apud Christum debeamus. Corporalem sanitatem mundus pluris facit, quàm omnia alia externa bona. Et quidem non immeritò. Quæ enim iucunditas homini esse potest, corpus habenti ægrotum? Attamen propiores adhuc ij veritati sunt, qui eã verã sanitatem ducunt, quum mens sana est in corpore sano. Homo verò Christianus eam arbitratur verã esse sanitatem, quum anima & internus homo benè habet coram Deo, vtut corpus constitutum sit. Tum autem anima infirmatur & malè habet coram Deo, quando in peccatis est, malam conscientiam habet, in ira Dei iacet, & ob sua demerita non immeritò sentit metum mortis, dolorem quendam inferni, & terrorem diuini iudicij. Hi morbi sunt animæ, qui supramodum duriter premunt, grauant & angunt. Hoc primus adeò peccator expertus est, vbi ait, Gen. 3. Domine, vocem tuam audiui & timui. Sensit hoc idem impius Cain, Genes. 4. vbi dicit: Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Sensit hoc iti-

Sanitas in via.
Vita in patria.
Psal. 83.
Mens sana in corpore sano.
Vera sanitas.
Psal. 17.

dem Dauid, vbi ait, Psal. 37. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me, &c. Talem anxietatem & terrorem sensit fortassis etiam Iob quanuis innocens: Sagittæ Domini (inquit) in me sunt, & terrores Domini
Iob.6. militant contra me, & indignatio eius ebibit spiritum meum, &c. Et quid peccatrix aliud sensit amare flens ad
Luc.7. pedes Christi, quàm eiusmodi dolores & anxietates animæ suæ, ægrotæ & malæ conscientiæ? Seculi huius filij non credunt quidem, sed pro commento habent quicquid dicitur de morbo animæ, & mala conscientia: imò gaudent,
Prou. 2. si quid mali admiserunt, & flagitia gloriæ sibi ducunt. Sed veniet tempus, quòd aperientur illis oculi, & morbos animarum suarum videbunt. Tum, quum omnes Dei serui lætabuntur & gaudebunt, mundi filij præ angore cordis
Esa.65. sui eiulabunt & clamabunt, vti Isaias dicit, & tamen omnia frustra fient. Siquidem nullus tum seruator aut medicus erit. Quamobrem vt certum est, quòd animæ morbus hominem grauius affligit & cruciat, quàm morbus corporis: ita certum est, quòd summa & optima omnium sanitas est, vbi anima peccatis libera, cum Deo pace fruitur, & bonam conscientiam habet. Hæc (inquam) optima
Prou. 17. omnium sanitas est. Nam securus animus quasi iuge conuiuium est. Talis autem sanitas inuenitur apud Christum: idque per ea media, quemadmodum his vsa est hæc mulier. Alioqui quocunque is, & te vertis: quibuscunque remediis sine Christo vteris, anima tua ægrota non sanatur, sed magis etiam languescit. Hæc mulier variam quoque medicinam vsurpauerat, nihil intentatum reliquerat: imò omnes suas facultates in medicos impenderat, tanta eam tenebat sanitatis cupiditas: sed tamen frustra omnia. Ita quoque res cum anima habet, quæ apud seipsam angorem malæ conscientiæ & terrorem diuini iudicij sentit. Ea nusquam non auxilium quærit & quietem, prompta quidem omni hora ad patiendum, ad faciendum, ad omittendum, ad dandum quæ deberet, saltem vt quiete frui liceret. Veruntamen omnia frustrà, nisi ad Christum veniat, eúmque vera & viua fide contingat. Hæc vera medicina est afflictæ & ægræ conscientiæ. Nemo eam pacare, nemo tutam reddere potest ab ira Dei; nemo illi gratiam & veniam conferre

potest

potest absque Christo. Hunc enim proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, &c. quin propitiatio est pro peccatis nostris: si tamen non respuamus media, per quæ eiusmodi propitiationis efficiamur participes. Hoc itaque ægrota & afflicta anima firmiter credere debet, & cum fide viua & bona voluntate ad Christum pergere. Nec non de aliis infrugiferis rebus omnibus desperare, & cogitare solùm, quemadmodum mulier hæc cogitauit: nimirùm si ad Christum venire posset, & vestimentum eius contingere, non dubitaturam se, quin sanitatem esset consecutura. Hoc secum ipsa cogitabat, & tali fide & deuotione per confertam turbam perrumpebat: attamen à tergo ad Christum veniens, eò quòd morbi eam pudebat, & indignam se iudicabat, in illius venire conspectum. Hæc autem duo Christo admodum placent: Fides viua, & humilitas. Hoc modo qui ad eum venit, eum nunquam foras eiiciet. Et ob id statim consistebat, versus ad mulierem, benignè eam affatus sanabat, & in pace illam dimittebat. O admirabilem fortitudinem viuæ & ardentis fidei. O admirabilem benignitatē nostri Seruatoris. Quàm læta domum hæc mulier reuersa est, quæ tam tristis ad Christum veniebat? Per hoc itaque Christus pauidas & tamen piè affectas conscientias ad se trahere voluit, vt sine dubitatione & immoderato timore ad se veniant, vt qui pœnitentibus animabus opem ferre potest & vult, si verò ad eum corde & fide viua veniatur. Atque hoc est, quod etiam in hac vita per Christum consequi possumus: nimirùm sanitatem animarum nostrarum, remissionem peccatorum, pacem conscientiæ, & Dei gratiam, &c. Et quis vel pro harum rerum vna, gratiarum agere satis potest? Attamen cùm iam conualuisset mulier, nondum cessat Christus, sed pergit, puellæ etiam mortuæ vitam reddere volens. Hoc est, non est hoc contentus, quòd animas nostras à peccatis & Dei ira sanat, sed vult etiam corpora nostra iterum & ex mortuis suscitare. Et quidem iam in via est: nec cessabit, donec totum hominem sanauerit. Sicut enim dilexit suos, ita diligit eos vsq; in finem. Non cessabit (inquam) nisi nos cessauerimus. Atq; hic nos primatem seu Synagogę præfectū imitari oportet. Is non cessabat, nec à se Christum dimittebat, licet illi serui eius suadebant, ne illū amplius fatigaret: frustrà enim esse, filiam iam mortuam esse. Hunc

Rom. 3. *1. Ioan. 2.* *Fides.* *Humilitas.* *Ioan. 13.*

(inquam) imitari, nos oportet. Nam quando post acceptam sanitatem animarum perseueramus in bono, & procedimus in spe futuræ resurrectionis, multa nobis occurrunt, quæ à tali nos vitæ innocentia & spe conantur depellere: quemadmodum clarè videmus in sancto Iob. Is quò lætior in via
Iob. 1. Dei ibat, hòc plura obstacula inueniebat, quæ illum à sua vitæ integritate abducere nitebantur. Principiò nuntij gregatim veniebant, denuntiantes illi talia, quæ argumentum dabant, perinde ac si Deus in eum fuisset ira commotus. Sed huic rei autor diabolus erat, quò optimum virum à bona sua spe & innocentia submouere posset. Hoc autem hosti
Iob. 2. cùm non succederet, alios Iob nuntios obuiam mittebat: nimirum propriam eius vxorem, quæ ei verbis expressis consulebat, vt innocentiam & simplicitatem & spem suam deponeret, vtpotè videns, se frustrà hactenus sperasse: sed vir optimus etiam hac in tentatione constans permanebat. Postremò amici eius persuadere illi omnibus modis conabantur, esse eum certò in ira & indignatione Dei, eámque ob causam nihil posse sibi boni de Deo promittere. Atta-
Iob. 13. men persistebat in spe & innocentia sua. Etiamsi occiderit
Iob. 19. me (inquit) in ipso sperabo. Et iterum: Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Itidem tu quoque facere optime Christiane debes: si te diabolus à fide, spe & charitate erga Deum, studet depellere, & pusillanimem reddere, non ob id à te Christum dimittere debes, sed perseuera illi constanter, & adipiscêris indubiè resurrectionem ac vitam æternam. Hæc illa sunt, quæ à Christo & per Christum habemus: nimirùm hîc remissionem peccatorum, & illîc resurrectionem corporis. Inter hæc primùm consequimur per viuam fidem & humilitatem: alterum autem per longanimem expectationem & firmam patientiam, seu constantem perseuerantiam. Et hoc præcipuum est quod in hoc Euangelio obseruandum est. Iam verò posteaquam in viua fide confortati sumus, sunt etiam alia quædam in hoc Euangelio obseruanda quæ ad vitæ nostræ emendationem faciunt. Inter hæc primum est, quòd Christus, simul atq; ab Synagogæ præfecto vocatus esset, surgebat & congrediebatur. Qua ex re etiam nos discere debemus, vt volentes & sine cunctatione proximo
In duros & inexorabiles. nostro opē feramus, in eo quod possumus. Per hoc taxantur duri & inexorabiles homines, qui semper protrahunt &

differ

differunt, si auxilium ab iis petatur: à quibus nihil nisi inuitis impetratur, etiam id quod debent. Deindè etiam inclementes Principes, Regentes & Iudices carpuntur, qui audiunt & sciunt clamorem viduarum, fletum pupillorum, & gemitum pauperum, nec tamen illis subueniunt, sed differunt, & quærunt effugium, qua possunt ratione: nec considerant quod scriptum est, Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Et iterum: Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Tertiò per hoc etiam arguuntur Pastores & Antistites Ecclesiæ, qui iam tot ab hinc annis audiuerunt clamorem & gemitum Ecclesiæ, omniúmque proborum hominum, necdum tamen expergefieri volunt, surgere, & auxiliari: haud cogitantes, se rationem aliquando reddere oportere, pro iis qui ipsis commissi sunt. Secundò, quòd Christus etiam in via & progressu non otiosus stat, sed operatur sua opera: doctrinam nobis dat, quàm pretiosum esse nobis tempus gratiæ debeat, ne illius vel vna hora sine fructu nobis abeat. Huc seruit quod Paulus dicit Ro. 12. Vt tempori nos accommodemus. Et iterum, Ephes. 5. Redimite tempus quoniam dies mali sunt. Tum rationem reddere nos oportebit de tempore quolibet & hora, quam inutiliter impendimus. Quaptopter hoc agamus, ne tempus gratiæ sine fructu nobis pereat. Si multos annos vixisti, cogita & reputa tecum, quantum tot annis, tot mensibus, tot diebus boni vel mali feceris. Quòd si vocaris ad pœnitentiam, inuitaris ad nouam vitam, ne neglige, quia tempus breue est. Tu vero adolescens stude tempus vitæ tuæ ita impendere, ne te in senectute tua eius pudeat aut pœniteat. Tertiò, in eo quòd Christus à mortua puella tibicines & lugentes abire iussit, primò taxauit inutilem fletum & luctum apud vita defunctos, necnon immodicum sumptum & fastum, quem nonnulli apud sepulturam exercent. Taxat item per hoc tertiò, peruersam vitam Adæ filiorum, qui apud ægrotos suos priùs omnia experiuntur, quàm Christum accersunt, sine quo tamen reliqua omnia nihil prosunt aut prodesse possunt. Postremò quòd Christus præcipit, ne cui hoc miraculum patefiat, nobis doctrina est, ne in bonis nostris operibus humanam gloriam quæramus: alioqui futurũ est, vt nullam remunerationem apud Deum simus habituri. Quisquis tantum ex

Prou. 21. *Iacob. 2.* *Hier. 13.* *Tempus gratiæ non negligendum.* *1. Cor. 7.* *Vana gloria cauenda.* *Matth. 6.*

hodierno Euangelio discit, satis vna vice didicit. Deus suam nobis largiatur gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO DE *miraculo de mortua puella.*


HODIERNVM istud Euangelium indicat, quòd Christus olim vno in itinere duo miracula fecit: nimirùm, ægrotam mulierem sanauit, & mortuam puellam ex mortuis suscitauit. Et hoc erat quidem primũ, quod sibi proponebat Christus: propter mortuam enim puellam iter ingrediebatur: cæterùm ægrota mulier interueniebat, præuertens puellam, gratiã & virtutem Christi primò experta. Sunt autem hæc duo miracula, quibus nos Christiani gaudere meritò possumus: siquidem solatiũ & robur nobis dant cùm in vita tum in morte, quandoquidem liquidò in iis videmus, Christum ipsum implorantibus vtrobique auxiliari & posse & velle. Quòd si cui hæc duo miracula aliquanto accuratiùs inquirere libet, is videbit, quòd in iis totum negotium Christi, quicquid vnquàm cũ homine fecit, adhuc facit, & ad finem vsque mundi faciet, contineatur. Per hominem (inquit Paulus) venit mors: & per hominẽ resurrectio
1.Cor.15. mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo viuificabuntur. Hæc potissima causa fuit, quamob-
Gene.3. rem Christus longinquum iter de cœlo in terram vsque suscepit: nimirùm, quòd electos suos, quos diabolus per peccatum in mortem cõiecerat, iterum ex mortuis suscitare volebat: imò mortem profligare, & vitam reducere, atque hoc pacto totum hominem redimere, omnes eius inimicos vincere & opprimere, atque ita in æterna eum securitate collo
Psal.11. care. Sic enim multò antè per Dauidem promisit: Propter miseriam pauperum nunc exurgam (dicit Dominus) ponam in salutari: fiducialiter agam in eo. Et in Osee capit.13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos: ero mors tua ô mors. Hoc (inquam) Christus præcipuè spectauit suo aduentu in terras. Sed non plenè adimpletur ante extremũ diem. Interea verò temporis Christus nõ otiatur, curat nũc hunc, nunc alium: ad extremum autẽ, hominem plenè restituet. Nouissima (inquit Paulus) inimica destruetur mors. Est quidẽ iam pridem mors à Christo deuicta, quẽadmodũ
1.Cor.15. etiã Paulus dicit ibidẽ: sed deuictam nõdum videmus, quãdoquidem

doquidem nos Christiani æquè morimur, atque alij homines. Ad extremum autem vbi mortui ex sepulchris exiliēt, videbimus mortem esse deuictam, quod ad credentes attinet: atque tum etiam opus Christi perfectè complebitur finietúrque. Interea verò temporis, Christus non cessat inter nos operari, docendo, consolando, castigando, sanando, & peccata remittendo, &c. Et hisce duabus in rebus totum negotium consistit Christi. Et huc pertinet quod Osee cap. 6. dicit: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Atq; hoc pacto docent nos duo hæc miracula, quid à Christo hic in via, & illic in fine petere & expectare habeamus. Proindè historiam paulò latiùs disquiremus. Quia verò (vti dictum) duo miracula in vna historia comprehensa sunt, quæ tamē non cōmodè, nec satis vno sermone enarrari possunt: hac vice nonnihil dicā de miraculo quod Christus in mortua puella fecit: erat quippè hoc primum, quod à Christo petebatur, licet ægrota mulier præuertebat. Audi itaque quid Matthæus dicat: Christo ad turbam loquente, eccè princeps vnus accescit, & adorabat eum, dicēs: Domine filia mea modò defuncta est: sed veni, & impone manum tuam super eam, & viuet, &c. In breui hac oratione istius Synagogæ præfecti, tria indicata sunt, quæ ad orationē pertinent. Horum si vel vnum desit, omnis oratio inanis est & cassa: sin verò in oratione sint, nihil non impetratur. Primum est humilitas cordis: id quod Matthæus in eo indicat, dum dicit, principem illum supplicem Christo accidisse ad genua, cúmque adorasse. Nam tali adoratione palàm ostendere voluit suum periculum, suam insufficientiam, & suam necessitatem, quam resarcire nemo poterat, extra Christū. Et hæc vera humilitas est, quæ non sibi ipsi, sed Deo omnia transcribit. Talis humilitas cū oratione coniuncta sit oportet: alioqui vbi propria iactantur opera, expectanda etiam est sententia in superbum prolata, de quo Lucas scribit. Etenim oratio humilis penetrat cœlos. Tum Deus ipse dicit Esa. 66. Spiritum suum quiescere solùm super contritos spiritu, & trementes sermones eius. Alterum quod ad orationem eius pertinet, est feruor, deuotio & desiderium vel affectus: absque tali enim feruore & pio affectu est oratio nihil aliud, quàm multiplicatio verborum & inanis loquacitas: imò vbi nullus feruor & deuotio est, oratio ibi nulla dici potest. Siquidem vera oratio est ascensio animi in Deū.

Tria ad orationem pertinentia.

Mar. 9.

Luc. 18.

Eccle. 35.

Orationis functio.

Atqui duo sunt, quæ feruorem & deuotionem in orationẽ excitant. Primum est, consideratio proprij periculi: alterũ, consideratio diuinæ bonitatis. Talem affectum Scriptura nominat magnum & serium clamorem. Vti videmus in Mose, ad quem Deus dicit; Exo.14. Quid clamas ad me? cùm tamen Moses tantùm spacij non haberet, vt vel vnum verbum oraret: cæterùm cor illius, feruor, deuotio, & affectus clamabat ad Deum. Talem habet feruorem etiam Dauid, vbi ait: De profundis clamaui ad te domine, &c. Talem quoque in hoc Iairo (ita enim nominat eum Lucas capi.8.) feruorem videmus, Domine (inquit) filia mea modò defuncta est, &c. Quasi dicat: Summa me cogit necessitas, in qua tu facilè auxiliari potes. filia mea quæ senectam meam solari debuerat, morti vicina est: quin iã mortua est, vti Matthæus scribit. Quapropter veni, & impone manum tuam super illam, & viuet. Hîc vides ardorem & affectum orantis. Tertium quod ad orationem pertinet, est viua fides: per fidem nanque viuam impetramus quod petimus. Dico vobis (inquit Christus) omnia quæcunque petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Sic etiam Mariæ virgini dicebatur, Beata quæ credidisti, &c. E diuerso autem dicit sanctus Iacobus cap.1. Qui hæsitat, non æstimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino. Hîc vides, fidem necessariò orationi cõiunctam esse oportere: & quò fides vera est maioris momenti, hòc magis tentatur. Hoc exploratum habemus in isto principe Synagogæ. Principiò vehementer eum delectabat, quòd Christus haud grauatè secũ ibat, eo animo, vt filiæ opitularetur. Et quidem etiam spe bona tenebatur fore vt illi sanitas redderetur. Cùm autem non procul iam à domu abesset, veniunt ad eum serui eius, dicẽtes, Quia filia tua mortua est, quid vltrà vexas magistrum? Neglectũ est, filia tua iam mortua est: succurri illi iam amplius non potest: Hæc erat tentatio fidei illius: quid putas autem in corde suo sensit? Anteà nonnihil spei habebat, filia adhuc viuente, Christum ei auxiliaturum: iam verò serui eius omni illum spe deiicere volebant: Et hic procul dubio in filia sua desperasset, nisi confirmasset eum Christus, dixissétque, Noli timere: tantùmmodò crede, & salua erit. Perindè acsi dicat: Ne desiste à fide tua & fiducia in me. Non refert enim, quàm malè habeat filia tua, viuátne, an mortua sit: sed in fide tua permultum situm est: si credideris,

Psal.128. Mar.11. Luc.1. Marc.5. Luc.8.

ris, gloriam Dei videbis. Eodē quoque modo in Iſraëlitis fides probabatur. Hi læti Aegypto diſcedebant, ſciebāt ex miraculis quæ per Moyſen fiebant, ſe clementem habere Deum. Verùm ad mare cùm veniſſent, & viderēt tergo imminentes Aegyptios, adeò debilitabatur fides eorū, vt dicerent ad Moſen: Quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex Aegypto? vtinam in Aegypto mortui eſſemus, &c. *Exod.14.*

Eodem modo res nobiſcum habet. Credimus quidem, rebus omnibus ſecundantibus: cæterùm malis ingruentibus, fides languеſcit, nonnunquam etiam penitus extinguitur, niſi verbo & gratia Dei conſeruetur. Haud ſecus in rebus ſpiritualibus res habet, cùm conſcientia ex conſideratione peccatorum & diuini iudicij expauefacta eſt. Non poteſt fieri quin deſperet homo, niſi Chriſtum audiat dicentem, Noli timere: tantummodò toto corde ad me conuertere, & ſaluus eris. Id quod perindè eſt, ac ſi dicat, Ego ſum fons gratiæ & bonitatis inexhauſtus, omni tempore & ad omnes homines fluens: paratus ſemper dare, ſi verè credere potes, & totus ad me conuerti, &c. Talis vbi fides & conuerſio eſt, ibi filia noſtra reuiuiſcit, etiamſi mortua fuerit. Imò nihil hic in deſperatione ita poſitum eſt, quin reſtitui poſsit: imò priùs quàm talis homo fame pereat in tanta fide & vera cōuerſione ad Deum, vel corui & angeli illi cibum aſportare cogerentur, ſicuti Eliæ: aut cœlum panem mittere, velut ti filiis Iſraël. Summa, rectè credenti omnia ſunt poſsibilia: atque ita vt ei etiam montes cedere cogantur, vti Chriſtus ait Marc.11. Quò autem ſtabiliores in fide viua in Deum manere poſsimus, confortanda nobis fides noſtra eſt, aut promiſsis Dei, aut exemplis ſacræ Scripturæ, aut conſideratione acceptorum beneficiorum. Quemadmodùm etiā nos Chriſtus docet vbi ait Matth.6. Nónne anima plus eſt quàm eſca: & corpus plus quàm veſtimentum? Quaſi dicat: Qui vobis dedit maximum ſine præcedentibus meritis veſtris & precibus, minimū vobis quomodò denegaret? Eundem in modum loquitur & Paulus Roma.8. Qui vnicum ſuum filium pro nobis tradidit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Sequitur in Euangelio: Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum. Circa hoc verbum videmus primò, quàm Deus ſit expoſitus ad dandum auxiliandúmque, vbi obnixè oratur, ita vt vel vnicum hoc exē- *3.Reg.17. & 19.* *Exod.16.* *Matt.9.*

plum nobis fidem nostram & charitatem in Deum confirmare deberet. Secundò, Christus per hoc voluit exemplum dare omnibus Pastoribus, vt omnibus hominibus, pauperibus & diuitibus, doctis & indoctis parati sint ad auxiliandum animabus eorum. Est enim hoc officium illorum, vt
Matt.20. non tam dominentur, quàm seruiant. Veluti Christus dicit,
Rom.1. Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Et Paulus: Sapientibus & insipientibus debitor sum. Tertiò, Christus per hoc docuit, ne infirmi in fide & charitate reiiciantur, sed confirmentur, donec crescant & adolescãt in virum perfectum, sicuti Paulus docet, Rom.14. Contrarium illi faciunt qui nulla commiseratione tanguntur erga alios homines: tolerare non possunt imperfectionem infirmorum, perindè ac si homo omnibus numeris esse absolutus possit in hac vita, cùm tamen etiam iustus septies in die cadat, sal-
Prou.24. tem venialiter. Sequitur in textu: Et cùm venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, &c. dicebat: Recedite: nõ est enim mortua puella, sed dormit. Hominibus quidem mortua erat, sed Christo dormiebat. Hoc verbo docet nos Christus, ne vita defunctos immodicis lachrymis prosequamur, maximè Christiani si sint. Cur ẽm defles talem, tanquam mortuum, cùm viuat adhuc, & post paululum resurrecturus sit? Mundus quidem existimat corpore collapso, actum de homine esse. At nos Christiani scimus, mortem esse ianuam ad vitam. Vnde & Paulus docet, de
1.Thes.4. dormientibus vt non contristemur, sicut & cęteri qui spem nõ habent, &c. Hic vides, quomodò scriptura de mortuis loquatur, Non dicit mortuos esse, sed dormire: quemadmodũ Christus etiam hoc loco facit. Ea enim solùm dicitur & est
Psal.33. mors, vndè nõ est reditus ad vitã, veluti mors impiorũ siue peccatorũ: ij verè mortui sunt, atq; ea etiã perniciosa mors est. Quocircà ij siue viuãt siue moriãtur, defleri debẽt, quẽad
Rom.9 modũ Paulus excæcatos defles Iudæos, & eos qui antè pec-
2.Cor.12. cauerant & nõ egerũt pœnitentiã, &c. Christianus verò piè defunctus immoderatè ac importunè plãgendus nõ est. Siue
Roma.14. enim viuimus siue morimur, semper Dñi sumus. Hinc fit ꝙ in Ecclesia apud funera potissimũ Scripturæ nobis pręcinũtur, quę de futura resurrectiõe dicũt. Vt ex Iob cap.19. Scio ꝙ Redemptor meus, &c. Et ex Dauide Psal.114. Cõuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi, &c.
Quem

Quamobrem immodicus & inordinatus super defunctos ploratus, longè à nobis Christianis esse debet. Nã qui Christianum, qui futuram resurrectionem credit, decere potest, si se tam malè habeat, cùm etiam Ethnici quidam obitum suorum forti animo tulerint? Si tamen flere iuuat, tum potiùs flendum est, cùm homo nascitur, quàm cùm moritur. Nam nascendo incipit mori: moriendo autem, si pius est, desinit mori: incipit viuere, æternùm viuit. Secundò, docet nos etiam Christus hoc verbo, Non est mortua puella, sed dormit, ne mortem timeamus, vt quæ veris Christianis mors amplius non est, sed somnus. Etenim per Christum mors deuicta est, quemadmodum illi multò antè per Osee interminatus fuerat. Et in Euangelio quoque Ioan. 8. promisit, qui verbum eius obtemperanter audiat, eum mortem non gustaturum, aut visurum in æternum. Hoc autem mundus non credit: vnde etiam additum est, quòd Dominum Iesum deridebant, cùm dicebat, Puella dormit. Ea enim natura mundi est, deridere, & pro stultitia reputare, quę spirituales & diuinæ res sunt. Paulus autem non pro risu habet, sed gratias agit Deo, qui nobis victoriam dedit contra mortem. Addens, O mors, vbi nunc tua victoria? vbi nunc tuus stimulus? Porrò autem quòd Christus in Marco & Luca, parentibus defunctæ puellæ prohibebat, ne quid de hoc miraculo dicerent, primò propterea factum est ad doctrinam, vt in bonis operibus humanam laudem fugiamus. Secundò, etiam docere per hoc voluit, quòd in paruis defectibus & vitiis, & erga eos qui ex imbecillitate peccant, secreta correptio sufficit, ne si vitia eorum palàm fiant, aut pusillanimes nimiùm aut omnino impudentes fiant. Proindè erigit puellam suo verbo, secretò in domu, paucos homines admittens. Difficile autem illi mederi est, cuius peccata iam in publicum prodierunt: id quod significat excitatio adolescentis defuncti, & extra portam Naim elati. Porrò difficilimè curari potest is qui peccata sua in consuetudinem vertit. & hoc per Lazarum significatum est. Tertiò, quòd Christus miraculum hoc per Synagogæ præfectum palàm fieri nolebat, præfiguratio erat, quòd Iudaica gens conatura esset gloriam & nomen Christi opprimere, fore autem vt tantò magis nomen eius per Gentes inclaresceret: id quod etiam per hominem dæmoniacum præfiguratum fuit, quem Christus ad suos ire iubebat, & denuntiare, quid in se Deus fecisset. Atque ita etiam

Mors non timenda.

Ose. 13.

1. Cor. 15.

Mar. 5.
Luc. 8.

Luc. 7.
Ioan. 11.

etiam factum est, & ita adhuc fit. Iudaici Sacerdotes tacent; Pharisæi calumniantur, Scribæ derident, mundus persequitur Christum: peccatores autem verè pœnitentes laudant Deum, quòd per gratiam eius redempti sunt à pristinis eorum vitiis, & tyrannide diaboli, &c. Faxit Deus vt similiter & nos sempérque faciamus, Amen.

TERTIVS SERMO de miraculo de ægrota muliere.


IN proximè præcedente sermone miraculum quod Christus in mortua filia Synagogę præfecti fecit, breuibus verbis exposui: quod miraculum eò spectat propriè & finaliter, ad indicandum, quòd Christus is est, qui in mortem & vitam Dominium habet, & frangere potest virtutem mortis, & suos ab illa eripere. Hoc abundè demonstrauit in mortua filia, quam vnico verbo à morte suscitabat: & ob id etiam tot Christus miracula fecit, quo verbis illius tantò
Ioan. 10. maior haberi fides posset. Opera (inquit) quæ ego facio, te-
Ose. 13. stimonium perhibent de me: idque multò antè per Prophetas promisit, liberaturum se suos de manu & potestate mortis. Est autem hoc factum nobis ad mirificum gaudium: quia per suam mortem, nostram mortem ita occidit, vt quamlibet violenter nos aggreditur, tenere tamen nos inuitos non
Act. 2. potest. quemadmodum nec Christum tenere potuit: siquidem impossibile erat mortē eum qui vita est, tenere potuis-
Ioan. 12. se. Et ob id iam dicit Christus, qui in se efficaciter credat, victurum eum, etiamsi moritur: & qui adhuc viuat & in se credat, non moriturum eum in æternum. Qua etiam de re dicit Paulus 1. Thessal. 4. Si credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, ad-
Esa. 25. ducet cum eo. Quapropter læti cum Isaia dicere possumus: Domine Deus noster es tu, exaltabimus te, & confitebimur nomini tuo: quoniā fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles amen. & cuius illa sunt opera? Tu factus es (inquit) fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu: tu præcipitasti mortem in sempiternū, atq; ita abstulisti lachrymā ab omni facie, &c.
1. *Corint.* 15. Similiter etiā dicit Paulus: Gratias Deo qui dedit nobis victoriam

ctoriam per Dominum nostrũ Iesum Christum. At vbi mors aufertur, ibi vita succedit: vnde etiam Christus non solùm mortem aboleuit: sed etiam vitam dedit, quemadmodũ ipsemet dicit Ioan. 10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Et Paulus 1. Corint. 15. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur.

Huc respicit miraculum in mortua filia: nimirùm, ne quis dubitet, quin Christus habeat potestatem mortis & vitæ, id quod nos meritò trahere ad Christum debet. Quid enim homo magis horret, quàm mortẽ? Quid magis expetit, quàm vitam? Videmus communi pestis malo regnante, quomodo ad medicos curratur, si vitę incolumitas per tempus aliquod & annos fortè conseruari posſit: imò si in extremo fine mundi medicus esset, qui à morte tueri nos posset, certatim ad eũ cursuri essent huius seculi filij, neque sumptuum neque laboris rationem habituri. Atqui verò talem medicum apud nos & inter nos habemus. Ecce (inquit) ego vobiscũ sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Talem medicum (inquam) proximè apud nos habemus, qui nobis vitam dat, & quidem veram ac æternam vitam: sic enim etiã Ioannes vidit fluuium aquę viuę procedentẽ de sede Dei & agni. Ad hũc fluuium venire quilibet potest, pauper æquè atq; diues. Sitienti (inquit) dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. Quamobrem ad adipiscendam vitam quam dat Christus, haud alia re magis opus habes, quàm vt veram sitim habeas, & ardenter quæras eam. Sed satis de hoc superiùs dictum: nunc porrò etiam alterum miraculum de ægroto muliere audiemus. *Matth. 28.* *Apoc. 22.* *Apocal. 21.*

Et ecce (inquit Matthæus) mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, &c. Apud hoc miraculũ primò allegoriam & spiritualem significationem indicabo: attamen breuibus verbis, quò mihi deindè prolixiùs de historia dicendi detur locus. Est autem id sine singulari significatione non factum, ꝙ Christus Synagogæ magistrum sequebatur: ea mente, vt filiã eius ex morte resuscitaret, at verò priùs quàm eò veniebat, in via mulierẽ videbat ęgrotã, sed tamen à tergo, & vestem suã contingentẽ, & per eum contactũ restitutã sanitati. Fuit autẽ significatio hæc: Christus peculiariter & pręcipuè missus fuit ad oues quæ perierãt domus Israël. Eæ autem nondũ omnes aggregatæ sunt: interea verò temporis Gentes se ingesserũt, & Christũ ad se attraxerunt: *Matth. 2.* *Matth. 15.*

in hunc

in hunc credunt. Hunc autem à tergo solùm contingunt: etenim faciem eius in humana natura quanquam nō viderunt, nihilominùs tamen credunt in eū. Proindè Gentes per hanc ægrotam mulierem denotantur: filia verò Synagogæ præfecti, significat Iudæos: & huc seruit quòd Marcus dicit, Archisynagogi filiam nōdum fuisse mortuā, cùm ad Christum veniebat, sed iam in extremis erat: cæterū cùm ægrota mulier per contactum vestimentorum Christi conualuisset, aderat nuntium de morte filiæ. Indicatum præterea est, filiam annos natam fuisse duodecim: vnde consequitur quòd quando puella nata fuit, mulier cœperit ægrotare: contrà, quando mulier sanata est, filia mortem obierit. Et quid aptiùs quadrare potest ad duos populos, Iudæos & Gentes? Cùm Iudaismus in Abraham, Isaac, & Iacob incipiebat secundum Deum viuere, tum Gentes incipiebant in omnigena peccatorum portenta & Idololatrias prolabi. E diuerso autem cùm Gentilitas incipiebat in Christum credere, & à suis peccatis & erroribus liberari, tum Iudaismus incipiebat mori, amittens Deum & verum suum Messiam. & ita iacet adhuc, nec loquitur, quia nōdum ad eum venit Christus: sed adhuc inambulat, vt mulier ægrota Gentilitas perfectam consequatur sanitatem: quod vbi factum fuerit, & Gentium plenitudo intrauerit, tum Christus etiam mortuam filiam ex mortuis suscitabit: aut, vt Paulus dicit, tum etiam Israël & Iudaicus populus ad agnitionem Christi veniet, & saluabitur. Hoc in ista historia apud duas hasce mulierum personas præfiguratum fuit. Quapropter etiam historiam nunc nobis proponemus. Principiò habemus in hac historia expressam imaginem peccatoris: indicatúmque prætereà, qua ratione & modo sanetur iustificetúrque. Per morbum istius mulieris indicatum nobis est damnum peccati, quinimò peccatoris infelicitas, & fœditas. Morbus in hac muliere grauis erat, perpetuus, immedicabilis, impurus: vnde & tales mulieres in lege Moysi immundę iudicabantur: sed quid per eiusmodi ægritudinem aptiùs intelligi potest, quàm peccatum? Est enim profectò peccator immundus coram Deo, & fœtet coram hominibus per malam suam famam, cadit & fluit in omnia peccata & flagitia, nec illi per vllum naturale medium succurri potest. Nam quem despicit Deus, eum nemo corriget. Hæc natura & conditio est peccatoris. Nunc porrò audiemus qua ratione sanari iterum posſit. Mulier (inquit

Mar. 5. *Roma. 11.* *Leuit. 13* *Peccator immundus.* *Ecclesi. 7.*

Matth

Matthæus)accessit retrò Dominum,& tetigit fimbriam vestimenti eius,&c. In Marco & Luca additum est, eam anteà multa perpessam à medicis: imò omnes facultates in medicos profuderat: nec tamen sanitatem fuerat adepta: sed res eius nunc etiam in loco deteriori erant, ita vt præter morbum,paupertatem quoque iam pati cogeretur. Ita fit quoque cum peccatore:quando is peccata sua & grauitatem iræ Dei agnoscit, tum conquiescere non potest: sibiipsi opem ferre conatur, omnia quæ potest tentat, vt iram Dei effugere posit. Sed hîc illi necessarium est, vt sciat, vbi & apud quem præcipuè sanitatem quærere debeat: quia Christus primarius animæ medicus est. Sunt quidem & alij, qui se medicos profitentur, qui curare conantur, verùm ij medici non sunt:non sanant,sed morbum magis exasperant.Hi illi sunt, qui externam solummodo medicinam & malagma imponunt.Atqui conscientia inquieta nihil recusat, quò ad tranquillitatem peruenire posit. Id autem efficere per solas res externas non potest: imò res eius deterior tantummodo fit.& quoniam omnes medicos sequi vult, inquietior vsque redditur:ita vt postremò quocunque sese vertit, nihil videat aliud,quàm vnde magis languescat,adeò vt quandoque desperet:præterea etiam nonnunquam iacturam facit cùm corporis tum bonorum. siquidem hîc morbus non sanatur,nisi in primis per Christum, & veram pœnitentiam. Inquieta conscientia ad tranquillitatem redire non potest, nisi in Christo:nec te ab ira Dei tutũ reddere quisquam potest sine Christo.Christus autem essentiale verbum Dei est. Et huc pertinet quod Sapiens dicit: Neque herba, neque malagma sanauit eos: sed tuus Domine sermo. Et Dauid: Misit (inquit) verbum suum Deus,& sanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.Sed iam porrò obserua,quomodo salus & sanitas animarum à Christo in nos deueniat.

Mar.5. *Luc.8.* *Sap.16.* *Psal.106.*

Cùm mulier aliquandiu medicina vsa esset, sine tamen omni fructu & vtilitate,nec esset amplius quod daret medicis, nihil spei residuum videbatur iam recuperandæ sanitatis:sed sæpè accidit, vt certissima salus sit, nullam sperare salutem. Nam cùm mulier inciperet de medicis dubitare, tantò propiùs veniebat ad salutem veram. Nam vbi humanum deest auxilium, ibi Deus omnium maximè auxiliari gaudet,vti Dauid dicit: Tibi Domine derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. atque ideo etiam nominat se Patrem

Psal.9.

Psal.67. trem viduarum & orphanorum. Dicítque ad vnumquéque Psal.49. desolatū hominē: Inuoca me in die tribulationis:& eruam te,& honorificabis me. Hoc modo initium salutis est, cùm homo de seipso desperat. Nam quoad nobisipsis præfidimus, non sumus digni, quibus Deus auxilium ferat. Et hoc vnum est. Secundo, cùm hęc mulier in hunc modum, vti jam dictum, de seipsa & medicorum ope desperabat, rumor ad eam deferebatur de Christo, quemadmodùm tam potenter auxiliari posset in omni necessitate: esséįque prætereà tam begnignus, vt neminem sua ope destitutum dimitteret à se: idque faceret gratuitò potiùs quàm pro restituendo munere:& in hoc missus esset à Deo, vt opitularetur hominibus. Hic rumor cùm ad mulierem deferretur, reuiuiscebat, spem talem & fiduciā in Christum concipiebat, vt nihil ampliùs cogitaret, quàm quo pacto venire ad eum posset: sic secum cogitans, si nunc vel solam fimbriam vestimēti eius daretur tangendi copia, iam salua esses. Sic etiam facere nos oportet. Cùm te conscientia tua cruciat, per pœnitentiam curre ad Christum: id enim solum te consolabitur; & animum tibi reddet:& ob id etiam summoperè eò hortatur Euangelium, hoc est, bonum nuntium. Deindè quicquid de Christo audis, id cape & tene cum viua fide: ne dubita quin Christus etiā tibi talis erit, qualis in Euangelio prędicatur annunciatúrque, si vero corde ad illum accesseris. Vti cùm audis, factū eū esse hominem, passum esse & mortuum, &c. firmiter crede, tua causa eum hominem esse factum, & mortuum, vt sua natiuitate nostram mundificaret natiuitatem: & sua morte nostram mortem depelleret, &c. Atque hîc te grauitas peccatorum tuorum & morbi à Christo non abstrahat, sed quò maior & periculosior morbus est, hoc velociùs per veram pœnitentiā ad Christum contende.

Humiliter ad Christum accedendum. Tertiò, quanquàm hæc mulier tantam fiduciam hauserat in Christum, in conspectum tamen illi venire non audebat; sed retrò accedens, indignam se iudicabat, quā Deus intueretur, vt de quo malè merita fuerat. Ita & non quoque ad Christū accedere debemus: nimirùm in humilitate cordis. Luc.18. Alioqui quidem inueniuntur qui Christo in conspectum venire audent, hoc est, dignos se iudicant donis Dei, quemadmodum superbus ille Pharisæus in Euangelio faciebat: qui Gene.32. in templo stans alios aspernabatur, se iustum iactitabat. Cæterū Christianus accessurus ad Deum, cum sancto Iacobo indignū

indignum censere se debet omni gratia & beneficio Dei. Est enim hæc præparatio ad gratiam Dei, cùm quis humiliter confitetur, se indignum gratia Dei, & tamen summopere opus habere. Quapropter accessurus ad Deum effunde cor tuum, vti Dauid dicit. Agnosce te vacuum, illum autem plenum omnium bonorum: te peccatorem, illum autem iustum: te pauperem, illum autem diuitem: te peccatis plenum, illum autem plenum gratiæ & veritatis. *Psal.61.*

Quartò, mulier hæc non simpliciter contingit Christum, sed vestem eius, imò extremam oram illius vestis: atque per hoc sanitati restituebatur. Vestis Christi est sacra Scriptura, in qua Christus tectus est & latet. Hanc vestem igitur, quin etiam extremam oram illius qui contingit, hoc est, quisquis sacram Scripturam, imò etiam minimum quod in ea de Christo indicatum est, fide spe & charitate apprehendit, is vtique conualescit: Alioqui nisi Christum hac ratione contingas: non sanaris, sed grauiùs etiam damnaris, etiamsi Scripturam quotidie legas, & corpus Christi quotidiè tangas & suscipias in sacratissimo Sacramento. Per vestem Christi intelligere etiam possumus humanitatem Christi. Quòd si times ergo deitatem Christi, accede ad humanitatem eius. Fimbria huius vestis, sacra eius passio est: hâc qui viua fide contingit, saluus est. Sanguis enim Christi mundat nos ab omnibus peccatis: & Paulus, In Christo (inquit) remissionem peccatorũ habemus in sanguine ipsius. Et iterum Heb.9. Sanguis Christi emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis. Vnum adhuc obserua, quòd hæc sola mulier Dominum contingit viua fide & forti: reliqua multitudo non ita eum contingebat, sed premebat. Ita & nos videmur Christum omnes tangere, dum illius verbum omnes audimus, & sanctissimum Sacramentum corporis illius suscipimus: at pauci sunt qui eum vera fide & charitate contingunt. Et hac quidem de causa multi ex nobis infirmantur & debiles sunt, vti Paulus dicit. Imò non contingimus Christum, sed premimus: quia nos vocauit ad laudem & honorem nominis sui, sicuti Isaias dicit: at ita viuimus, vt sæpè nomen eius nostra causa blasphemetur apud Ethnicos. Atq; hoc modo audiuimus iam, quomodo mulier hæc ad Christum iuerit. Audi porrò quid Christus dicat. Iesus conuersus (inquit Matthæus) & videns eam dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit.

Vestis Christi. *1.Ioan.1.* *Ephe.1.* *1.Cor.11.* *Esa.34.*

Mulier clàm eum tetigerat,& conualuerat nullis sentientibus. Christus autem tale miraculum latere nolebat. Imò fidem & deuotionem istius mulieris omnibus hominibus in exemplum proponere volebat. Secundò, ob id etiam Christus illud ignotum esse nolebat, vt hoc exemplo mulieris, fidem Archisynagogi confirmaret. Tertiò, propterea id faciebat, vt mulierem ad confessionem prouocaret. Quicquid enim ad honorem Dei inseruit, supprimi non debet. Videns itaque mulier quòd latere non posset, cum metu & tremore veniebat ante Dominum Iesum. Sēper enim homo timere debet, coram Deo compariturus. Quinimò homo timet, quando peccatum suum sacerdoti confiteri debet, ne pœna sibi irrogetur, aut ne peccatum sibi exprobretur. Quanquàm hoc coram iudicio Dei in confessione sacramentali verendum non est: siquidem isthic melius nihil & tutius est, quàm peccatū simpliciter confiteri: quinimò vera & integra confessio peccati impetrat remissionem. Et per veram confessionem sacramentalem teguntur peccata, vti
Psal. 31. Dauid dicit: Dixi, confitebor aduersum iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sic etiam mulier hæc confitetur pristinum suum morbum, & nunc acceptam sanitatem. Vereri poterat, ne se Christus increparet, quòd eum tetigerat, & deinde primùm etiam miraculum occultare volebat: sed benignè & comiter eam alloquitur, Confide filia, &c. Hæc illius absolutio erat prorsus iucunda & consolatoria, postquàm per omnia læta à Christo recedebat, quæ tristissima ad eum venerat. Hoc inuenitur apud Christum in pœnitentiæ sacramento. Hoc quærere apud illum in catholica Ecclesia debemus: nimirum pacem & gaudium conscientiæ nostræ. Quærite & inuenietis: pul-
Luc. 11. sate, & aperietur vobis: petite, & dabitur vobis. Det nobis Deus omnibus suam gratiam, Amen.

DOMINICA VICESIMASEXTA POST PENTECOS. EVANG. IO. VI.

POst hæc abiit Iesus trans mare Galileæ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum turba multa,

buia

quia videbant eius ſigna, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Subiit autem in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Inſtabat autem Paſcha dies feſtus Iudæorum. Cùm ſuſtuliſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quòd multa turba veniret ad ſe, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes vt edãt iſti? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque puſillum quippiam accipiat. Dicit ei vnus ex diſcipulis ipſius Andræas frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hîc, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tam multos? Dixit autem Ieſus: Facite vt homines diſcumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Diſcubuerunt ergo viri numero fermè quinquies mille. Accepit autem panes Ieſus, cúmque gratias egiſſet, diſtribuit diſcipulis ſuis, diſcipuli verò diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum *volebat. Vt autem impleti ſunt, dicit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, & quæ ſuperfuerant iis qui comederant. Illi ergo homines cùm vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Hic eſt verè Propheta ille, qui venturus eſt in mundum.

Matth.14. *Marc.6.*

alias volebãt.

EADEM DOMINICA

PROPHETIA HIEREMIAE XXIII.

ECce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus Deus noster. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus. Et non dicent vltrà, Viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed, Viuit Dominus, qui eduxit & abduxit semen domus Israël de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc. Et habitabunt in terra sua, dicit Dominus omnipotens.

PRIMVS SERMO DOCET, *quamobrem Euangelium istud hac Dominica legatur.*



QVI non omninò Ecclesiæ ordinationum rudis est, non præterit eum, hanc vltimam Dominicam esse & vocari, iuxta Ecclesiæ supputationem. Ea enim neque solis, neq; lunæ rationem habet, neque dies, neque menses numerat, neque solares, neque lunares computat annos. Christus vnicus illius sol, lumen & sydus est, cuius ductum sequitur. cum illo annum orditur, cum illo finit. Cùm hic sol oritur, hoc est, cùm nobis Christianis iterum aduentus & incarnatio Christi proponitur, tum orditur Ecclesia suum annum, id quod proxima Dominica fiet. Si itaque illa prima Dominica erit iuxta Ecclesiæ calculum, vltima hæc sit necesse est. Huic Euangelium istud peculiari consilio attributum est multis de causis, quarum nonnullas recensebo. Vna causa est, quò plus occasionis habea-

mus

imus hac vltima Dominica, vltimum articulum Christianæ nostrę fidei considerandi. Altera causa est, quando per totum annum audiuimus, quid de Christo credere, atque etiam secundum doctrinam eius facere debeamus, vt simplicibus breuis Epilogus earum rerum hac vltima Dominica proponatur, quò omnium eorum iterum commonefiant, quæ per totius anni spatium audiuêre. Tertia causa est, vt posteaquàm nos Deus ex Gentilitate ad gratiam suam vocauit, hac etiam vltima Dominica consideremus videamúsq;, quid denique cum Iudaico populo facturus sit. Ad hæc omnia inseruire nobis Euangelium istud potest, & omnium quidem optimè. Potest in eo bonus Christianus considerare æternam vitam & felicitatem: videre ex eo potest, quòd etiam Iudæis tandem gratia continget: seséq; admonere potest, omnium eorum, quę per totum annum audiuit. Id quod nemo inficias iuerit, qui rem diligenter meditabitur considerabítque. Ego paucissimis indicabo. Principiò, nemo est qui nescit vltimum articulum fidei nostræ esse, vbi dicimus: Credo post hanc vitam, æternam vitam. Hoc (inquam) vltimum est in fide nostra. At quomodo illa futura æterna vita simplicibus meliùs & clariùs depingi posset, quàm in hoc adeò Euangelio? Quid Christus suis imitatoribus hoc miraculo dare voluit aliud, quàm gustum æternæ felicitatis? Nam si miraculosè eos pascere potuit in deserto, & in hoc exilio: quid poterit & faciet in cœlo? Si illis comem se præbuit, quorum aliqui postmodum in eo crucifigendo socij fuerunt: quàm igitur comem se in cœlo exhibebit ergà eos, qui illi toto pectore & perseueranter hìc in terris adhærent? Hoc si fecit Iudæis, qui eum posteà abnegarunt: quid igitur credentibus in se & sibi obtemperantibus faciet? Summa, Tum vita æterna sumet exordium: imò ibi vita æterna erit, quando Christus, qui nobis cœlos scandens quasi tergum ostendit, aduersum nos sese vertet, nos in montem, hoc est, in cœlum ducet, & amicabili nos verbo affabitur: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, &c. Iubebit nos discũbere, & pascet nos cũ se ipso: ostendet & dabit nobis quod non sperauimus, imò quod oculus nõ vidit, auris non audiuit, & quod in cor hominis non descendit. Hic vltimus fidei nostræ articulus est, quo dicimus: Credo vitam æternam post hanc vitam. Etenim hìc in terris, nihil aliud

Postremus Symboli articulus.

Matth. 25.

Esa. 64.

Peregrini sumus. sumus,quàm peregrini:non habemus hîc manentem locũ: non terræ sed cœlo creati,ideó ꝗ in terris manere nõ possumus:hoc nos Euangelium istud admonere potest. Proindè quanquam hactenus multa egregia & consolatoria verba habuimus,omnium tamen iucundissimum in hanc vltimam Dominicam ordinatũ est:ad indicium,quòd,etsi Deus suos multipliciter in eorum peregrinatiõe,hic in terris consolatur & recreat,in fine tamen,cùm peregrinatio nostra desierit,omnia in meliorem commutabuntur statũ. Quippè nunc per fidem tantũmodò ambulamus,& non per speciem:tum autem videbimus quod nunc credimus. Nũc gratiam habemus,tum gloriam quoq; habebimus:Dauide dicente,Deum vtraq; dare. Nunc ministrant nobis Apostoli, tum ministrabit nobis Christus ipse. Hîc semper ire & ambulare nos oportet:illic sedebimus,& æternùm quiescemus. Hoc vltima ista Dominica admonemur per refectionem,quã Christus suis imitatoribus dedit. Est id nimirùm brabium,pro quo currimus. Est felicitas quam quærimus. Tantò minùs eius pigere nos debet,quod pro ea faciendum est. Tantò minùs grauare nos debet,quod pro ea patiẽdum est. Tantò alacriùs sequi debemus,quò nos Deus & verbum eius vocat:quemadmodum olim Abraham in veteri *Testa*mento,& nostri Apostoli in nouo Testamento, quin etiam populus iste in Euangelio hodierno fecerunt. Abraham relicta patria sequebatur vocem Domini,licèt quò duceretur ignoraret. Sancti Apostoli omnia relinquebant,sequebantur Christum,nescientes præmium. Populus in Euangelio Christum sequebatur in desertum vsq;,præter spem illis accidit,quòd tale solatium tali in loco inuenerunt. Nos meliora omnia habemus:scimus quò nos vocet De⁹,quid apud nos fecerit & faciat,quid etiam dare nobis velit. Tãtò ergò diligentiùs eum sequamur,fratres. Dicamúsq; cum sancto Petro: Domine,ad quem ibimus?verba vitæ æternæ habes. Et cum Dauide. Psal.79. Domine non discedimus à te:viuificabis nos,& nomen tuum inuocabimus. Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. Imò beati qui habitant in domu tua. Quia melior est dies vna in atriis tuis super millia. Ad hoc nos hodiè primùm hortatur Euangelium istud:adhortatio non inanis. Aegrè discedimus è mundo:habet enim is quod carni placet. Contrà verò via qua nos Christus ducit,aspera videtur. Noë cẽtum

Hebr.13. *2.Cor.5.* *Psal.83.* *Luc.12.* *2.Cor.9.* *Gen.12.* *Matt.19.* *Ioan.6.* *Psal.35.* *Psal.83.* *Gene.6.*

annos

annos in ædificãda arca extrahebat, quotidiè prædicabat de futura vltione diuina: attamẽ se illi nemo committere volebat in arcam: malebant perire, quàm in arcam cum illo ingredi. Sic nec Lot generis suis persuadere poterat, vt sequerentur se: malebant cum aliis pessum ire, quàm prætermittere quod illis iucundum & delectabile erat. Summa: Via lata & patens est, quæ ad interitum ducit, & multi eam ambulant. Tantò magis hodiè considerandum est, quò suos Christus ducat, & quomodò se erga eos gerat & gesturus sit. Tantum de prima causa dictum, quamobrem Euangeliũ istud hodierna & vltima Domina, vt legatur, sit ordinatum. *Gene.19.* *Matt.7.*

Est deindè nobis in hac historia aliud insuper Dei opus indicatum, quod in fine mundi faciet, quod etiam hac vltima Dominica nobis proponitur: Nimirùm quod Deus tandem etiam ad Iudæos iterum sese conuertet, & quibus nũc auersus est, velamen ab oculis eorum auferet, vt dominum nostrum Iesum Christũ pro suo quoque Messia agnoscant. Tum illis Christus eorum quinque panes, quos secũ ferũt, nec iis tamẽ fruuntur, hoc est, quinque libros Moysi seu legis, quos apud se habent & quotidiè legunt, & tamen non intelligũt: hos panes (inquam) franget illis, vt frui iis possint: libros Legis & Prophetarũ aperiet illis, vt intelligere possint. Tum errorem suum agnoscent, dicéntque nobiscũ: Hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. Tum implebitur quod Paulus dicit: Cùm plenitudo Gentium intrauerit, omnis Israël saluus fiet. Huc quadrat quod hodiè ex Hieremia canitur & legitur: Hæc dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis & nõ afflictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos, & reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. Et deindè etiam ex Hieremia capi. 23. Eccè, dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit Rex & sapiens erit, &c. Et posteà: Nõ dicent vltrà, viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed viuit Dominus qui eduxit & abduxit semẽ domus Israël de terra, ad quam eiecerat eos illuc. En, hoc alterum erit, quod Deus in fine mundi faciet. Hoc iterũ circa Euangelium istud considerare possumus, seruiétque in hoc nobis, quò videre meliùs possimus infallibilem veritatem, & ineffabilem bonitatem Dei, etiam erga eos, qui illũ non solùm abnegauerunt sed etiam crucifixerunt. Hæ duæ causæ sunt, quamobrem Euangelium istud vltima domini- *2.Cor.3.* *Rom.11.* *Hiere.28.*

ea legitur. Ad hæc bonus quiſque Chriſtianus commone facere circa Euangelium iſtud ſe poteſt, omnium eorum quæ per totum annum hactenus audiuit, ſiuè ea fidē in Chriſtum, ſiuè Chriſtianam vitam concernant: Hæc enim duo Chriſtiana noſtra complectitur doctrina, atque hæc duo nobis in Eccleſia proponuntur: quod ad fidem pertinet primùm, deindè etiam quod Chriſtiana vita poſtulat. Imò quo hæc duo ordine & ſatis indicari poſſent, annus in duo diuiſus eſt tempora. Primum vocatur tempus redēptionis, quod ab Aduentu initium ſumens, durat vſque ad feſtum ſanctæ Trinitatis. Altera pars appellatur tempus peregrinationis, cuius initium eſt feſtū S. Trinitatis, finis Aduētus. In prima anni parte potiſsimum conſiderandum nobis datur, quod ad fidem pertinet. Nimirùm primò incarnatio Chriſti, deindè ſancta eius natiuitas, circunciſio eius, apparitio, declaratio, & purificatio. Tertiò, doctrina eius & miracula. Quartò, ſacroſancta illius paſsio cum præuia adhortatione ad pœnitentiam. Quintò, reſurrectio illius, aſcenſio, & miſſio Spiritus ſancti. Hæc præcipua capita ſunt Chriſtianæ noſtræ fidei, & Euangelicæ doctrinæ. Ea omnia nobis conſideranda dantur ordine, vnum poſt aliud, ab Aduentu vſq; ad Pentecoſten. Totum hoc tempus (vti nunc dixi) vocatur tempus redemptionis, eò quòd in illo nobis indicatur, quomodò nos Chriſtus liberet, & quid pro nobis fecerit & paſſus ſit. Verùm cùm hiſce nondum finis imponitur, ſed vbi hæc benè ſufficiētérque prædicata ſunt & indicata, porrò ampliùs conſiderandum nobis datur, quid etiam nos ad ſalutem noſtram facere oporteat. Atque hoc reliquum anni tempus eſt, à Pentecoſte vſque ad Aduentum: & vocatur tempus peregrinationis, eò quòd toto illo tēpore ſingulis Dominicis monemur impellimúrque: ne poſt agnitionem Chriſti conſiſtamus, non exorbitemus, multò minùs retrò cedamus, ſed ſemper in virtutibus & omni pietate progrediamur, feſtinemúſque ad veram noſtram patriam, ad quam nos Chriſtus vocauit, diémque dixit. Hæc duo, inquam, pertinent ad Chriſtianam noſtram doctrinam. Docemur principiò, quòd Chriſtus propter nos homo factus eſt, & tamen Deus manſit, quòd pro nobis ſatisfecit, quòd paſsio illius noſtra ſalus eſt & redemptio, quòd ille verus mediator eſt inter Deū & hominem, quin propiciatio pro peccatis noſtris: quòd gratuitò omnia propter nos fecit: & ille eſt

Duo anni tempora.
Redēptionis.
Peregrinationis.
Non ſufficit credere niſi Euangelio cōuenienter viuas.
Hebr. 9.
1. Ioan. 2.

Ille eſt, de quo omnis Scriptura loquitur. Hæc nobis per annum prædicantur de Chriſto, nunc hoc, nunc aliud. Apud hodiernum Euãgelium bonus quiſque Chriſtianus omniũ iſtorum vno tempore ſeſe cõmonefacere poteſt. Etenim primò, Chriſtum eſſe verum hominem, ex eo apparet, quòd ambulauerit, comederit, & locutus ſit, atque etiam in omnibus aliis geſtibus inuentus vt homo. Eſſe verò etiam Deũ, ex eo perſpici poteſt, quòd quinq; panibus quinq; millia hominum pauit. Ita quòd pro nobis ſatisfecit, ex eo intelligere eſt, quòd licet Dei filius erat, & dominus rerũ omnium, propter nos tamen egenus factus eſt, in deſertum conceſsit, laborem & moleſtiam ſuſcepit, &c. Sacram autẽ illius paſsionem noſtram eſſe ſalutem & ſolatium, ex eo deprehẽditur, quòd in deſerto adeò populum paſcebat. Eum nobis omnibus verum eſſe ſeruatorem, ex eo cognoſcitur, ꝙ tantã hominum multitudinem paſcit ſine hominum ope & conſilio. Ita eſſe non niſi meram gratiam quicquid fecit, ex eo intelligitur, quòd ſuapte ſponte non rogatus populum paſcit, & ex mera compaſsione. Videte, hunc in modum nos admonere poteſt Euangelium iſtud, quid de Chriſto credere oporteat. Non minùs pulchrè & clarè nos admonet etiam earum rerum quas Chriſtus poſt fidem à nobis exigit. Nam quod populus in hoc Euangelio fecit, idipſum profectò nos quoq; facere par eſt. Tum quod Chriſtus in illis probauit, idipſum in nobis etiam probabit. Atqui multa laude digna de illis dicta ſunt. Nam cupidè audiebãt verbum Chriſti, cum admiratione videbãt eius miracula: quocunq; ibat, ſequebantur, etiam in deſertum: perſeuerabant apud illum etiam in neceſsitate: nec fame quidem periclitantes, ab eo diuellebantur: cum gratitudine acceptabant quod illis dabat, etſi non plus & melius erat, quàm ordeacei panes. Et quãtumuis numeroſa confluxerat multitudo, nulla tamen audiebatur inquietudo & tumultus inter eos, ſed omnes vnum cor habebant & animũ. Et poſtremò incipiebant omnes vnanimiter Deum laudare & Chriſtum confiteri. Annon autem hæc illa ſunt, ſuper quibus toto anno exhortationes fiunt? & in quibus bonus Chriſtianus potiſsimũ fidẽ ſuam exercere & declarare debet? Annõ primum & præcipuũ in lege eſt quod Moyſes dicit Deuter. 6. Audi Iſraël, Deus tuus Deus vnus eſt. Annon Paulus dicit, Fidẽ eſſe ex auditu? prouocare nos per hoc volens ad diligẽ-

Phili. 2.

2. Cor. 9.

A nobis præter fidẽ quid exigatur.

Charitas, finis legis.

Roma. 10.

tem auſcúltationem verbi diuini. Nónne hortatur nos Dauid frequẽter in ſuis Pſalmis, vt opera Dei meditemur? Venite (inquit) & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, &c. Annon acclamat Chriſtus Ioan. 12. omnibus credentibus, Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit? Et iterũ Matth. 16.

Matt. 24. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuã, & ſequatᷓ me. Annõ dicit, Qui perſeuerauerit vſq; in finẽ, hic ſaluus erit? Et iterũ Luc. 9. Nemo mittẽs manum ſuã ad aratrũ, & reſpiciẽs retrò, aptus eſt regno Dei. Annon omniũ Patrũ exẽpla nos docẽt, vt cũ gratitudine accipiam⁹:

Rom. 12. quod nobis dat Deus, miniméque dubitemus, quin ſufficit nobis quãtũuis in ſpeciẽ exile? Annon Paulus vbiq; hoc vrget, vnanimes vt ſimus, nemo vt alteri ſeſe præferat, vt quiſ-

Phili. 2. que aliũ ſe maiorẽ iudicet? &c Annõ etiã expreſsis verbis dicit, vt oẽs vno ore & corde laudemus prædicemúſq; Deũ & patrẽ dñi noſtri Ieſu Chriſti? En, hæc omnia nobis in iſto Euangelio deliniata ſunt. Quomodo itaq; melius & aptius ſuper vltimã hãc Dñicã ordinari potuiſſet? Si per totũ annũ nõdũ rectè animaduertiſti qd de Chriſto credere & quomodo illũ imitari debeas: ſi obliuioni tradidiſti qd per annũ hactenus de fide & Chriſtiana cõuerſatiõe ſeu bonis operibus prædicatũ ſit, eorũ te admonere omniũ poteſt Euangelium

Pſal. 31. iſtud. Sed diligentẽ requirit auditorẽ. Homo Chriſtianus

Eccle. 31. nõ eſſe debet ſicut equus aut mulus, quibus nõ eſt intellect⁹. Tum Sapiẽs docet, vt ad mẽſam accumbens obſerues: quid tibi apponatur. At quis ditior Deo? Quis conuiuis ſuis meliùs & magnificẽtiùs apponit q̃ ipſe? Atqui etiã nos ad mẽſam eius vocati ſumus: Beati, qui hoc cõſiderant. Aperiamus oculos, fratres. Vtinã vitã noſtrã omnes finire ita poſſemus, quẽadmodũ Eccleſia cũ hodierno Euãgelio annũ ſuperiorẽ finit. Noſtra proculdubio ea eſſet vtilitas & æterna ſalus. Deus det nobis omnibus ſuam gratiam, Amen.

SECVNDVS SERMO
De Euangelio in genere.



Marc. 8. HODIERNVM iſtud Euangelium bis in anno legitur: & præter hoc legitur etiã aliud de ſeptem panibus, quod hodierno in ſententia fermè reſpondet, cui peculiaris etiam attributa Dominica eſt. Quapropter dubium mihi

mihi non est, quin vestrûm aliqui cogitent secum, quorsum attineat, vnius generis historiam toties prædicari, perindè ac si nihil in Euangelio amplius sit, quàm historia de quinque & septem panibus. Eiusmodi interdum nobis cogitationes incidũt: hoc deprauata nostra facit natura, quòd semper propensi & cupidi sumus noui aliquid audire: ediuerso autem pigri & segnes, si res eadem sæpius audienda sit. Et quid de auditu solùm dico? Hæc curiositas in aliis etiam rebus omnibus sese in nobis ostendit, atque ita vt in prouerbium abierit, soleátque dici, Omne rarum charum: rerum quotidianarum tandem nos piget. Est autem talis curiositas minimè bona, nihilque boni affert etiam in externis rebus; multò minus adfert boni in rebus spiritualibus. Etenim qui solummodo student curiositati suæ satisfacere, ij facilè in errorem prolabuntur, quemadmodum Christianitas sæpè magno cum suo damno experta est. Proindè sicut bonus pater filiis suis dat quod vtile illis est, licet nõ ignoret, eos aliquid aliud malle: quippè mauult bonos, quàm curiosos & petulantes filios: ita & sancta Christianitas veros & bonos Christianos desiderat. Propterea frequenter ob oculos nobis ponitur quod nobis vtile est, non obstante, quòd tædium eius quandoque nobis obrepit. Tali de causa etiam Euangelium istud sæpè nobis proponitur. Et quidem nihilominus sapit pio homini: quia ex eo adeò, quod toties nobis proponitur, exploratum habet, magni id esse momenti oportere. Et ita planè res habet. Quò enim crebriùs Euãgelium istud auditur, hòc iucundiùs sonat: & quò exquisitiùs indagatur, hòc plura in eo inueniuntur. Quomodo igitur bono Christiano tædium afferat? Qui edunt me (inquit diuina Sapientia Christus) adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, nõ peccabunt. Venite ergo ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Et iterum: Beatus homo qui audit me. Qui me inuenerit, inueniet vitam: & hauriet salutem à Domino. Quapropter Euangelium istud altiùs disquiremus. Et primò audiuistis, idq; cum admiratione, ꝙ Christũ populus sequebatur cateruatim in loca vsque deserta, id quod argumento est, eos peculiare quiddã & noui in illo cõspicatos, atq; ideò magna de illo sperasse. Nã vbi videntur quæ rara sunt, audiuntur quæ iucunda, sperantur quæ bona, non inuitus trahitur homo & tenetur. Atqui tria

In curiositatē.

Eccles. 24.

Prouerb. 8.

Phil.2. tria hæc nuſquã inuenis meliùs, quàm in Christo. Quid inſolitum magis & admirabilius in terris viſum, quàm filius Dei in forma hominis & ſerui? Quid vnquam ſanctius & iucundius in terris auditum, quàm Euangelium Christi? Quid vnquam ſperari melius & optari potuit, quàm quod nobis attulit Christus? Quid itaq; mirùm, ſi innumera hominum multitudo eum ſecuta eſt? Nónne Prophetæ prędixerunt, omnes Gẽtes ad Christũ accurſuras? vti videre potes Iſa.2. 49. & 60. cap. & in Zacha.8. cap. & in 71. Pſal. Quin hoc magis mirum eſt, quòd non omnes homines accurrunt, ſimul atq; Christum audiunt nominari: id quod indubiè futurum eſſet, Ioan.4. ſi Dei dona agnoſceremus, & ſciremus quis Christus eſſet, de quo loquimur, eúmq; ex animo diligeremus. Acceſſurus ergo ad Christũ, vide ne quid nimis humile de illo ſentias, ſed mirifica omnia & bona de illo credas. Certus eſto, ꝙ terra ſimilẽ nũquã habuit, nec vnquã ſit habitura. Certus eſto, quòd ex ipſo audies, quod alioqui nuſquã audire potes. Imò ab ipſo conſequeris, quod totus tibi orbis per ſe non poteſt dare. Tali animo & æſtimatione ad Christũ & ſanctum illius verbum accedendum. Hoc nõ temerè dico. Video nõ alia de cauſa tam paucos Christo adhærere & obtemperare homines, quàm quòd non poſſumus illũ tanti facere, vti eſt. Hinc (inquam) fit, ꝙ nõ ita properamus ad Christum. Ob id etiam Ephes.3. beatus Paulus pro fidelibus orauit, iiſq; à Deo precatus eſt, vt per Spiritum ſanctũ poſſent cognoſcere, quæ ſit lõgitudo Act.26. & latitudo, altitudo & profunditas, &c. Sic precabatur etiã coram Rege Agrippa, omnes homines in fide & agnitione Christi eſſe ſicuti ipſe eſſet. Nam qui Christum verè & perfectè cognoſcit, is etiam proculdubio toto illi corde adhærebit, & ei per omnia obtemperabit. Videmus hoc in populo in hodierno Euangelio. Ij non niſi rem vnam de Christo cognôrant ex miraculis eius, nimirum quòd ægrotis mederi poſſet, attamen relictis omnibus ſequebantur eum. Quid facturi fuiſſent, ſi perfectè eum cognouiſſent? Etenim ex ſolis miraculis Christus cognoſci perfectè nõ poteſt. Quinimo externa miracula & beneficia corporalia, quæ Christus hominibus extrinſecus exhibuit, minima ſunt in illo viſu digna. Ex verbis autẽ eius melius cognoſcit. Dicit enim, Ego Ioan.8. ſum lux mundi, &c. Ego ſum reſurrectio & vita, &c. Ex his Ioan.11. & id genus verbis audimus, ꝙ peccata dimittere poſſit, vitã & ſalutẽ dare, mortem & omnia mala pellere, &c. Hæc illa

ſunt

ſunt,ob quæ ad Chriſtũ currere debemus. Hanc ob cauſam miſera quondam ad eum currebat peccatrix, quinetiam latro in cruce. Hac illum de cauſa ſequebantur etiam S. Apoſtoli. Domine(inquiebant)verba vitæ æternę habes. quomodo igitur à te diſcederemus? Hac ipſa de cauſa ſequitur etiam eum S. Chriſtianitas. Sed hoc populus Iudaicus non ſciebat: id quod ex eo intelligere eſt, quòd quidẽ Chriſtum frequenter interpellabant pro corporali ſanitate: ſed nullus eorum inuocabat eum pro remiſsione peccatorũ & gratia. Hoc modo indicat etiam clarè Euangeliſta, populum hunc propterea ſolum ſecutum eſſe Chriſtum, quòd miracula eius cõſpexerant, quæ in ægrotis faciebat. Et paulò pòſt dicebat Chriſtus ipſe: Amen, amen dico vobis, quæritis me, nõ quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Sed nõ eſt hęc iuſta cauſa, quamobrem dico vobis, operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternã, quem Filius hominis dabit vobis, &c. Eſt itaque primò & ante omnia obſeruãdum, vt magnificè de Chriſto ſentiatur, cõſtanter eum in omnibus ſequamur, & tamen potiſsimùm apud eum quæratur quod ad animæ pertinet ſalutem. Alioqui ſatis non eſt, ſi Chriſtũ ſequamur, niſi id fiat animo ſyncero. Quapropter ficti & ſimulatè probi Chriſtum non verè ſequuntur, quoniam in tali imitatione nihil quærunt aliud, quàm temporale lucrum & laudem humanam. Nec falſi Euangelici Chriſtum verè ſequuntur, quandoquidem carnalem tantummodo libertatem & quicquid libeat, in illo & in Verbo eius quærunt. Infideles Paſtores & Eccleſiæ miniſtri nec ij Chriſtum verè ſequuntur, quippè nihil illis in Chriſto placet, quàm quod dicit, Edite quæ apponuntur vobis: dignus eſt enim operarius mercede ſua, & quod illis permiſit, ab aliis hominibus corporalem victum accipere. Nec Hæretici & Schiſmatici Chriſtum verè ſequuntur, vtpotè ex verbis ipſius tantummodo deſumentes, quod ipſis inſeruit ad errores ſuos excuſandos & prætexendos. Reliqua omnia reiiciunt. Ex his facilè videre eſt, perpaucos eſſe qui Chriſtum vti conueniebat ſequuntur, quantumuis magnus eorum numerus eſt, qui de Chriſto gloriantur. Sed ſatis hac de parte. Secundò in hoc Euangelio indicatum eſt, quòd Chriſtus cum ſuis diſcipulis & comitibus rectà in deſertum proficiſcitur, in montem ſubit, & ibi ſedet, omnibus poſt ſe relictis, Hieroſolyma, tẽplo, conſortio & conſuetudine hominum,

Luc.7. *Luc.23.* *Ioan.6.* *Infictos.* *Pſeudoeuangelicos.* *Infidos Eccleſiæ miniſtros.* *Luc.10.* *Hæreticos.*

Christus docet mundi cõtẽnenda gaudia. minum, & omni gaudio, fastu, diuitiis, & honoribus istius mundi. Et quid nos tali exemplo voluit docere aliud, quàm quòd antè & pòst verbis docuit? Vti cùm dicit: Intrate per *Matth. 7.* angustam portam. Et iterum: Si quis venit ad me, & nõ odit *Luc. 14.* patrem suum & matrem, & vxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, nõ potest meus esse discipulus, &c. Hoc & id genus alia nos Christus in hac altera parte Euangelij docere voluit. Sed hoc vulgò ægrè & malè in animos intrat. Maior pars inter nos Christianos obstruũt aures & oculos, simulant se non videre aut audire: imò malunt infeliciter cum mundo perire, quàm cum Christo ad breue tempus pati. Sed de hoc etiam in proximo sermone nonnihil dictum est. Tertiò, in hoc Euangelio audiuistis, quàm Christus comites suos benignè habuerit, verbis, factis & gestibus. Et hæc ex præcipuis partibus in hoc Euangelio obseruãdis vna est. Ex hoc enim discimus principiò bonam haurire fiduciam erga Christum. Nam queadmodum se exhibuit erga sequentes se: ita etiam erga nos se exhibebit, quatenus illi adhæserimus. Quocirca in omni afflictione oculos nostros ad eum vertere debemus, nec vnquam à spe amoueri, vt non humiliter cum Dauide dicamus: In Domino *Psal. 10.* confido: quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Et rursum: Dominus illuminatio mea, & sa- *Psal. 26.* lus mea, quem timebo? Dominus mihi adiutor: non timebo *Psal. 117.* quid faciat mihi homo, & ego despiciam inimicos meos. Deindè etiam hæc pars veram nos docet charitatem. Nam in eo, quòd Christus se tam comem præbuit, dicere ad nos *Matth. 11.* vult: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et ite- *Ioan. 13.* rum: Si hoc ego feci vobis, dominus & magister, quantò magis vos debetis alter alteri facere? Eandem etiam in senten- *Ioan. 4.* tiam loquitur Ioannes: Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Atqui Christus charitatem suam nõ solùm verbis, sed etiam factis declarauit Similiter quoq; *1. Ioan. 3.* nos facere oportet. Sic enim docet Ioannes: Non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate. Sic docet & sanctus Iacobus cap. 2. Non debemus ad pauperes nostros fratres dicere, Ite in pace, calefacimini & saturamini: sed dare quę necessaria sunt corpori, vt lęti & animo hilari à nobis recedãt. Perindè ac si dicat: Solatium quod solummodo verbis fit, iis relinquite, qui alioqui nihil dare aut auxiliari possũt, In vobis autem diuitibus hoc non sufficit: pauperẽ etiam ipso

facto

facto consolari debetis. Etenim nudis verbis non illis fames eorum, & frigus sedatur. Date igitur cum bonis verbis, etiam quod eorum requirit necessitas. Nam sic & Deus consolatur gemino modo. Consolamini consolamini popule meus (inquit bis in Isaia). Prima consolatio est in verbis. Ideo addit, Loquimini ad cor Ierusalem. Altera consistit in opere. ideo statim subiicit, Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Eodem modo etiam nunc cõsolatur nos & verbis & factis. Vade igitur, fac & tu similiter. Christus dum progrediebatur, sequentibus se tergum vertebat: tandem consistebat, versus intuebatur eos, & pascebat eos. Fac & tu similiter. Noli semper progredi, sed interdum respice, & pauperi tuo fratri auxiliare quoque deinceps. Hoc disce ex isto exemplo Christi. Quartò, audiuimus etiam in Euangelio, quàm potenter Christus tot millia hominum pauerit, & tam exili commeatu, id quod certum argumentum est diuinæ in illo potentiæ. Et ex hoc disce fidem tuã in deitatem Christi confirmare, contra blasphemiam Iudæorum, contra felicitatem Gentium, & contra rebellionem hæreticorum. Miracula Christi te non fallent. Christus vnico verbo ægrotos sanauit, mortuos suscitauit, famelicos pauit, malos spiritus profligauit, ventis & mari imperauit, &c. Ad hæc potestatem quoque illam suis dedit Apostolis, quinetiam omnibus credentibus, Ioan. 14. Et quod maximũ omnium est, vltrò animam suam & vitam deposuit, & in resurrectione recepit, & sic ascendit in cœlum, &c. Quæ nemo potest alius, præter vnum Deum. Quare ne moueare, quòd Iudæi non desinunt Christum calumniari, & quòd Turcæ tanto rerum successu potiuntur contra nos Christianos: certum habe, quòd Christus verus Deus est. non quemadmodum Gentes falsós habuêre deos, sed verus Deus. Itaque viua fide consolare, & arma teipsum in omni tribulatione, & dic cum sancto Dauide: Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniá tu mecũ es, &c. Quintò, indicat Euangelium etiam istud pusillanimitatẽ sanctorũ Apostolorum, cùm audirent, quòd tam copiosam hominũ multitudinem pascere debebant. tum primum omnium cogitabant quod Christus verbis dicebat, Vnde ememus panes, &c. Deindè cùm iam parati erant dare quicquid habebant, en alia pusillanimitas, Quid hæc inter tantos? Duplex hæc pusillanimitas

Esa. 40.
Matth. 10.
Psal. 117.
Psal. 22.

TERTIVS SERMO COMPONIT Epistolam, Ecclesiæ orationem & cantus cum Euangelio.



QVID hodiernum istud Euangelium vnà cum miraculo, quod in eo commemoratum est, in se habeat, aliis dictum temporibus abundè est. Hoc die propterea solum id nobis proponitur, vt animi nostri commonefiant futuri & proximè secuturi. Aduentus in eum finē, vt accepta gratia nō minus moueamur, quàm Patres veteris Testamenti olim ad spirituale gaudium mouebantur, cùm illis hæc gratia solùm in futurum tempus promittebatur: & ne post aduentum Christi ingrati & indeuoti magis simus, quàm illi ante aduentum Christi fuêre. Atqui ex hoc Euangelio facilè videre est, quomodo optimi Patres affecti fuerint ante aduentum Christi, quid crediderint, quid sperauerint, quid cogitauerint, quid dixerint, quid concupierint, & expectarint, & quid precati sint, & postremò tandem quid illis prædicatum sit. Hæc omnia (inquam) ex hoc Euangelio obseruari possunt. Nā cùm videret populus, ꝙ Christus tale miraculum fecisset, protinus ad se inuicem dicebant: Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. Hæc verba satis ostendunt, non solùm doctos inter Iudæos, sed etiam vulgus sciuisse, Seruatorem venturum. Hoc (inquam) crediderūt, sperauerunt, desiderauerunt, & expectauerunt: alioqui non tam citò cum verbis istis de promisso Mesſia proruissent. Sed de hoc illis potissimum agebatur. Ex abundantia igitur cordis os loquebatur: imò tanta apud illos fides erat, spes, desiderium & expectatio venturi Mesſiæ, vt semper putarent adesse eum, si quando quid noui fiebat, aut celebris aliqua persona apparebat. Sic cùm Ioannes ex deserto prodibat & pœnitentiam prædicare incipiebat, omnes illum esse Christum putabant. Sic cùm Christus viduæ filium à mortuis excitabat, statim huc veniebāt, vt dicerent. Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam. Quinimò hæc persuasio erat etiam inter Samaritanos de venturo Mesſia & Seruatore: & ob id cùm Christus Samaritanæ mulieri de vero Dei cultu prędicaret, illa inquiebat: Scio, quia Mesſias venit, qui dicitur Christus. Cùm ergo venerit ille nobis annuntiabit omnia. Et postea

Ioan. 6. *Matth. 12.* *Luc. 3.* *Luc. 7.* *Ioan. 4.*

dicit ad suos ciues: Venite,& videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunq; feci: nunquid ipse est Christus? Hæc omnia satis magno argumento sunt,quòd Christus etiam veteribus prædicatus est & annuntiatus. Quomodo alioqui in eum credere, aduentum eius sperare aut expectare potuissent? Quò autem videre quiuis possit, quomodo & qua ratione veteribus prædicatus sit, ex iis concionibus hodie vna legitur loco Epistolæ. Dicit ergo Hieremias hunc in modum: Ecce dies veniunt,dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, &c. Hæc verba hodie lecta sunt ex Hieremia loco Epistolæ: noui aliquid est, quod toto anno vix solet fieri, præsertim diebus Dominicis. Alioqui quidem etiam Prophetiæ leguntur nonnunquam vice Epistolæ, præcipuè in diebus ieiunio nuncupatis, quod ipsum quoq; non caret sua causa. In natalitiis Christi ad singulas Missas Prophetia legitur, sed sub eam mox semper Epistola. Id autem eò fit, ad indicandum, quòd in Christo vetus & nouum Testamentum conciliata sunt & concordata, quemadmodum aliâs prolixius indicaui. Alioqui per totum annum singulis Dominicis diebus, Epistola plerunq; & pro maiori parte ex Diuo Paulo, attamen nonnunquam etiam ex Diuo Petro, Ioanne, & Iacobo legitur. Pentecoste duntaxat & vltima hæc Dominica nullam habent Epistolam. In die Pentecostes legitur loco Epistolæ, ex Apostolorum Actibus historia de missione Spiritus sancti. Hodie legitur Prophetia ex veteri Testamento. In causa est Euangelium istud, & potissimum verbum quod vltimo loco habetur: Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Hoc verbo concluditur in Ecclesia quod nobis per totum annum in Dominicalibus Euangeliis propositum est, perinde ac si dicatur ad nos. Agite optimi Christiani, audiuistis per annum hactenus multa & varia de Christo, quæ miracula fecerit, quid docuerit, quàm nonunquam malos duriter, bonos verò humaniter sit allocutus, & quid cõpręter fidem etiam à nobis postulet, Christianam vitam cõcernens. Hæc omnia per annum hactenus audistis, nunc in fine est. Hodie vltima Dominica est, ea postulat Epilogum, ad quid omnia quæ per totum annum audiuimus ac vidimus, dirigi debeant. Audire nunc vno verbo vultis, ad quid ea spectauerint? Aduertite igitur, quomodo populus hîc in isto Euangelio clamet ac dicat: Hic est verè Propheta qui

Vt Christus priscis sit annunciatus.

Hier. 23.

In Christi natalitiis cur propheticæ lectiones in Missa recitētur, &c.

Act. 2.

Ioan. 6.

qui venturus est in mundum. Hic Epilogus est, & finalis sententia omnium Dominicalium Euangeliorũ. Eò nobis inseruire debet, quicquid per totum annum audimus, vt Christum verè agnoscamus, diligamus, & toti orbi annuntiemus tanquam eum qui humano generi in bonum iam inde ab initio & antiquitus promissus fuit. Et qui prædicationem suam in hunc finem non dirigit, vt vera fides, charitas & Dei laus consequatur, is haud dubiè à vero scopo aberrauit & frustra laborauit. Quocirca dictum hoc vltimò nobis proponitur, imò totum hodiernum Euangelium propter vnicum hoc verbum, quo vnusquisque occasionem nactus seipsum interoget & cõscientiam suam exploret, num in seipso per omnia ita constitutus sit, nécne. Etenim in viua fide & charitate concludere nos omnes oportet, quòd Christus Propheta sit, quem nobis Deus primò promisit, deinde etiam misit ad nostram salutem, vt in eum non credamus modò, sed etiam sequamur vestigia eius. Fides & charitas nos saluos faciat & seruet necesse est. & qui in hac fide & charitate non concludit, ei nihil prodest, quicquid non solùm hoc anno, sed per omnem etiam vitã audiuit ac fecit. Hinc, opinor, intelligere prudens quilibet facilè posset & videre, quòd Euangelium istud non sine magno consilio vltimæ huic Dominicæ assignatum est. Si quis autem sit, qui speciem & indicium petat, vbinam talis Propheta, in quo omnibus hominibus tam magnum momentum situm est, in Scriptura promissus sit: en, omissa communi Epistolam recitandi cõsuetudine, legitur Prophetia in illius loco ex Hieremia ne quis dicere possit, se nõ sciuisse tantum momenti nobis in Christo esse situm. Quippe nisi Christo summopere opus habuissemus & adhuc opus haberemus, non eum toties Deus tãquàm magnificis verbis promissurus fuerat. Annon autem verba excellẽtia sunt, quòd etiam priscis prędictum & prædicatum fuit, Christum fore regem, sapiẽtem, facturum iudicium & iustitiam? foréq; suo tempore, vt pij omnes pacem, salutem & securitatẽ sint habituri, & vt Deus ipse suo tempore pactũ suum sit renouaturus? Et quid quæso clarius, expressius, magis egregiè, & consolatorium magis adhuc hodie de Christo prædicari posset? Enimuerò in hac perbreui Prophetia penè omnia cõprehensa sunt, quæ fides & Christiana doctrina continet. Siquidem primò fides nostra & Christiana doctrina habet, q̃ Christus à Deo mis- *Fides nostra quænam tria dat. Iean. 1.*

Hebr.7. sus homo factus est, & tamē sine omni peccati labe. Idipsum autē Deus in Hieremia dixit, vbi ait, se suscitaturum Dauid germē iustū, &c. Vocat Christū Dauidis germē, hoc est, hominē. Vocat eū deindè germē iustū, hoc est, nullo inquinatū peccato. Addēs, seipsum suscitaturū. Secūdò habet fides no-
Matt.28. stra, Christū esse regē, cui Deus omnē potestatē in cœlo & in terra dedit, & qui suos sapienter ducere & potenter libera-
Matt.17. re possit. Illum audietis, inquit vox Dei. Indicauit hoc idem quoq; Hieremias dicēs: Et regnabit Rex, & sapiēs erit, &c. Tertiò habet fides nostra & Christiana doctrina, ꝙ Christus verā salutē & perfectā securitatē ipsi obtemperantibus dat. Ego (inquit Ioan.10.) Veni vt vitā habeant, & abundantiùs habeāt. Et iterū Ioan.16. Confidite, ego vici mundum, in me habebitis pacē. Quartò habet fides nostra & Chri-
1.Cor.1. stiana doctrina, quòd Christus nostra etiā præcipua iustitia est, redemit nos sua gratia à peccatis, & impartit nobis ipsi obediētibus sua merita & iustitiā. Indicauit & hoc Hieremias in verbo quod dicit, Vocabūt eū, Dominū iustū nostrū, seu iustitiā nostram, vt quidā legunt. Quintò, habet fides
Matt.24. nostra ꝙ Christus cōgregabit electos suos à quatuor ventis, à summis cœlorū vsque ad terminos eorum, nec sinet ex eis perire quenquā. Indicat etiā hoc Propheta, vbi inquit: Dicent, Viuit Dn̄s qui eduxit & abduxit semen domus Israël de cūctis terris, &c. En, ita clarè Christus etiā per Prophetas prædicatus est. Quæ omnia certè nobis ostendūt, plurimum nobis in Christo momēti sitū esse. Tantò magis eniti
Fides mortua nihil prodest. debemus, vt in vera fide & charitate tandē inueniamur, ita vt fides nō nuda, sine operibus & mortua sit. Ea quippè ni-
Iacob.2. hil ad rē facit. Quapropter hodiè docemur ita orare: Excita Domine quæsumus tuorū fideliū voluntates, vt diuini operis fructū propensiùs exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant. Hæc oratio hodiè in Ecclesia recitatur, quæ quidē nihil dicit de fide (siquidē eā ex Euangelio & Epistola abundè habere possumus) sed dicit solū de bonis operibus, per quæ vera fides cognoscitur: quærítque talis oratio etiā bona opera apud Deū, *Excita Domine voluntates nostras.* Ad quid? vt diuini operis fructū propensiùs exequamur. In quē vsum? vt pietatis Dei remedia maiora perci-
Viua fides cōmendatur. piamus. Ad hoc viua fides nobis vtilis est. Mortua fides amittit etiā quæ bona accepit: sed viua fides plura & maio-
Luc.19. ra vsque accipit: habenti enim dabitur, & nō habēti etiam id quod

Id quod habet auferetur ab illo. Annon autē annus iste, imò tota nostra vita benè cōclusa esset, si in vera & viua fide dicere possemus: Hic est verè Propheta, qui vēturus est in mū dum? & prætereà etiam in externa exercitatione bonorum diuinorúmque operum inueniremur? Adhuc vnū restat nobis hac vltima Dominica considerandū, quod nobis etiā ad bonam conclusionem istius anni inseruire potest. Ea nimirùm sunt verba, quæ ex Hieremia cantata sunt: Hæc dicit Dominus, Meæ cogitationes sunt pacis & non afflictionis, vt dem vobis finē & patientiā. Et inuocabitis me, ego exaudiam vos, & reducam captiuitatē vestram de cunctis locis. Hæc verba olim Hieremias locutus est seu scripsit ad eos, quos rex Nabuchodonosor captiuos in Babylonē duxerat. Hic opus consolatione habebant, vtpotè procul à suis disiūcti, & inter medios hostes & Idololatras agentes. Quam ob rem illis Hieremias Hierosolymis scribebat, vt captiuitatem suam patienter ferrent, esse enim iudicium Dei & meritam pœnam: non itaque decere, vt in homines, sed in peccata & seipsos accensi irascantur: nec conari eos debere, vt effugiant. frustrà enim conaturos, quādoquidē id Deo secùs visum esset. Veruntamen hoc illis solatij dabat, captiuitatē non fore perpetuam. Ad quod vtitur verbis quæ hodiè cantantur: Hæc dicit dominus, Cogitationes meæ cogitationes pacis, &c. Et quid etiā nobis meliùs commodiúsque scribi posset hac vltima Dominica, quàm hæc adeò verba? Imò quomodò Christiana nostra doctrina concludi meliùs potuisset, quàm tali promissione futuræ liberationis? quandoquidem certum est, quòd Christianam nostram doctrinam proximè sequenti Dominica à principio iterum auspicabimur. Atqui verò etiam nos captiuitate nostra nondum penitùs liberati sumus, quandoquidem vnusquisque adhuc cum Paulo dicere cogitur: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Secundò, sumus etiam adhuc tanquàm peregrini in terra aliena. Quàmdiù enim in hoc corpore sumus, peregrinamur à Deo. Tertiò, nondum quoque hostes nostros euasimus, quandoquidem Petrus docet, vt sobrij simus & vigilemus. Et Paulus, vt semper spirituali armatura parati stemus aduersus insidias diaboli, &c. Quartò, longè adhuc absumus à vera nostra patria, quandoquidem iterū Paulus dicit, domū hanc nostram

Hier. 29.
Rom. 7.
1. Cor. 4.
1. Pet. 5.
Ephe. 6.
2. Cor. 5.

terrestrem priùs dissolui oportere, quàm ad æternam domum veniamus. Cuperemus quidem vtrunque simul, hanc domum retinere, & illam consequi: sed fieri non potest. renuntiandum tabernaculo est, si in atrium, imò in domū Dei intrare volemus. Atque hoc pacto conditio nostra in terris semper adhuc similitudinem habet: cum eo quod Iudæi in Babylone senserunt. Proindè quod Hieremias captiuo suo populo ad doctrinam & solatium scribebat in Babylonem, idipsum quoque nobis Christianis meritò scribitur, & in primis hac vltima Dominica, quæ quidem certò vltimi nostri finis nos admonet, quemadmodū sequēs Dominica initium nobis nostrę salutis proponit. Sed quid aptiùs quadrat ad finem & conclusionem huius vitæ, quàm læta promissio futuræ liberationis? Et quomodo meliorem promissionem habere possemus, quàm quòd Hieremias dicit: Hæc dicit Dominus, Meæ cogitationes, cogitationes pacis, & non afflictionis? Israëlitis qui in Babylone degebant, haud dubiè lætum hoc fuit nuntium, cùm ex Propheta audirent, captiuitatem ipsorum non duraturā perpetuò, sed Deum iam tempus præfiniuisse, quando esset habitura finem, & tum secutura multa bona. Hoc illorum erat Euangelium: hæ erant bonæ cogitationes, quibus occupatus erat Deus. Maiora adhuc semper timebant mala, & nullā liberationem. At eiusmodi cogitationes illis Deus per Prophetam eximere volebat. Non (inquit) ego posthac non cogito vos ampliùs affligere, sed vobis benefacere. Meæ cogitationes non spectant ad vlteriorem vestram pœnam, sed ad pacem. Quamobrem inuocate me, & exaudiam vos. Hoc captiuis in Babylone dictum erat. Considerantes Euāgelium hodiernum, simile inuenimus: in quo nobis Christus indicare voluit, quòd cogitationes eius cogitationes sunt pacis erga nos. Montē quidem pro nobis conscendit, & tergum nobis vertit, in cœlum ascendit, in gloriam suam intrauit, & sedet ad dextram Patris, relinquit nos hic inferiùs in variis miseriis & afflictionibus. Sed dubium hoc aliquem reddat, benéne an malè nobis voluerit, cogitationes eius ad pacémne an ad dissensionē spectent. Sanè, si nihil aliud in hoc Euāgelio scriptum esset, quàm quòd Christus montem conscendit, & sedit illic cum suis discipulis: necessariò quis cogitaret illū nostri oblitum. At qui legit quod additū est, is nimirùm videbit, quòd (quatenùs illum imitamur) non aliter de nobis cogitat & sibi propo

Hiere. 29.

Ioan. 6.

proponit, quàm omnia bona. Quicquid enim huic populo exhibuit, id nobis promisit. Id temporis etiam præcedebat, ducebat eos in desertũ, famem illos pati ad tempus sinebat, tergum illis vertebat: faciebat perindè ac si nihil de illis sciret. Sed cùm illius adesset tempus, cõstitit, conuersus ad illos compatiebatur eis, discumbere eos iubebat, procurabat eis cibum, omnes explebat, leuabat eos omni labore, excitabat eos ad laudem Dei. En, hæ sunt cogitationes pacis, quas super nos cogitat Deus. Quantumuis suos nunc parum respicere videtur, tandem tamen conuersus ad illos, aspiciet eos oculis misericordiæ suæ, recipiet eos ad se, pascétq; panibus & piscibus: omnem eorum tristitiam æternæ obliuioni tradet, explebítque eos gaudio & laude Dei. Tum dicere verè poterimus: Benedixisti Domine terrã tuam: auertisti captiuitatem Iacob, &c. Hic erit finis noster. huius nos admonet Dominica ista. Et quomodo annum concludere melius possemus, quàm talibus cogitationibus? Reliquum erit, vt quoniam audimus, quòd Deus tot tantáq; bona super nos cogitat, quæ in altero seculo exhibere nobis velit: præsens hoc exilium, captiuitatem, & vexationes hostium tantò patientiùs feramus, tantò fideliùs in omni pietate Deo seruiamus, & tantò ardentiùs ad Deum clamemus, vt eiusmodi suas bonas cogitationes in nobis perficiat, nos eripiat ex captiuitate, iuxta promissa quæ nobis fecit: Exaudiam vos, cùm inuocaueritis me. Hoc nobis considerandum hodie datur pro Epilogo omnium eorum, quæ per annum hactenus audiuimus. Nam, vti dixi, proxima Dominica Christianã nostram doctrinam ab initio, iterum ordiemur. Deus Opt. Max. ita nos auspicari faciat, vt verum finem assequi queamus: sícque concludamus, vt tamen exilij nostri nũquam obliuiscamur. Illi laus, honor, gloria in secula, Amen.

Psal. 84.

Hiere. 29.

SI QVÆ PLVRA DE HOC EVANgelio dicenda restant, inuenies ea, optime lector, in prima parte istius Postillæ, Dominica Lætare.

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.

Regeſtum.

*abcdefghiklmnopqrstvxyz. aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ss tt vv xx yy zz. ABCDEFGHIKLMNOPQ RSTVXYZ. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV. Omnia ſunt integra, præter V V, ſemifolium.

